This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

EST.
TABLA.
Nº
25
6366
Digitized by Google

FRATRIS FRANCISCI DE ARAVIO.

SACRAE THEOLOGIAE MAGISTRI,
Ex Ordine Prædicatorum.

ET IN SALMANTINA ACCADEMIA
Primariæ Cathedræ moderatoris.

IN TERTIAM PARTEM D. THOMAE
Commentarij.

Apud Sanctum Stephanum Ordinis Prædicatorum. Anno 1636.

Digitized by Google

Soy de la Libreria
del Colegio
de la Concepcion
de Alcala.

ILLVSTRISSIMO

D. D. FERDINANDO ANDRADA, AC MENDOÇA PALENTINAE PRIMVM ANTISTITI ECCLESIAE: NVNC VERO BVRGENSIS ARCHIPRAESVLI MERITISSIMO.

Es del Colleg.° de S.n Geronimo de los [illegible]

ERVCTAVIT *cor meum Verbum bonum. Dico ego opera mea Regi:* protulit Regius Vates numine raptus in Pſalmo 44. Epithalamico, vulgo, nuncupato: eoque quod regales nuptias æterni Verbi cum Eccleſia, ſiue cum carne aſſumpta in illo decantaret. Hoc ipſum Verbum carne veſtitum eructat cor meum in hoc libello eandem doctrinā concinente, quam olim è ſuggeſto diuinæ Sapientiæ auſcultatoribus propinaui: eumque propterea ex intimis animæ, & cordis viribus, dixi Regi Regum, ac Domino dominātium Deo optimo maximo, vt primo mei affectus ſcopo. Nunc autem tibi Illuſtriſsimo Ferdinando tanquam ſecundo repetiti affectus archetypo, hoc idem opus eructati Verbi dico, conſecroque. Sed quæ ratio elligendi te in huius operis Patronum, & laboris noſtri columen? Multiplex planè, quia Galleciæ decus, illius Prouinciæ fauſta proles, quæ me genuit, vt ſic Patriæ amantiſsimæ debitum pietatis cultum in te impenderem: illi inquam quæ olim fuit florentiſsimum Sueuorum regnum, poſtea verò prouincia in Gothorum regnum per inclytum Leobigildum redacta, haud infelici ſorte, quæ prima col-

lum Euangelij iugo inter Hiſpanicas ſubiecit, & primos Euangelicæ ſe
mentis Diui Iacobi Zebedæi protulit fructus: quam & ipſe vita functus
amoris ergo, corporis ſui pignore ditauit, & in ſepulchrum ele-
git, ex quo ingentem gloriam hęc prouincia ſibi ſupra cæteras compa-
rauit; quam cœlum ipſum non dedignatur via lactea indicare: quę
â peregrinis vulgo via Diui Iacobi nuncupatur: quod eos re-
cto tramite ad ſtellę campum, & Iacobæum ſepulchrum perducat.
Huic igitur, tam excelſæ Patriæ, quam cœli prædicant: tam præclaræ,
quam ſtellę indicant, quopacto debitum pietatis offitium potuiſſem ex
hibere, niſi tibi eiuſdem inclytæ proli hoc opus conſecrando? Tibi in-
quam Illuſtriſsimo Ferdinando, quem nobilitas, & religio certatim de
corant; illa quidem præclariſsimis ſtematibus, ac nomenclaturis vtriuſ
que domus de Andrada, & Mendoza te inſigniendo: iſta verô ſatellicio
& encyclopedia cũctarum virtutum ſibi famulantiũ exornando. Hæc
vnica eſt, quæ gloriatur te ad arcẽ Eccleſiaſtici regiminis prius in Palen-
tina Eccleſia, nunc autem in Burgenſi euexiſſe, neque ſine ſpe te ad ma-
iora munera euehendi, tanquam ad virtutis præmium, non fortunæ prę
dam. Eo quod te agnoſcit erga patriam pientiſsimum, in regimine pru-
dentem, in decidendis cauſis iuſtum, in paſtorali officio vigilantem, er-
ga ſponſam Eccleſiam zelo Dei feruentem, erga pauperes miſericordẽ
erga omnes liberalem & gratum. Quamobrem libellum hunc ex Aca-
demicis diarijs Lectionibus, & diſputationibus tibi offerre decreui. Vt
ei qui de omnibus eſt benê meritus, hoc vnum meritum erga commu-
nem parentem, & ſcientiarum Principem Salmantinam Academiam
non deeſſet, in illoque inter Paſtorales curas, veluti in ſpeculo, in Chri-
ſto Domino paſtorum Principe, & ſummo Sacerdote ſecundum ordi-
nem Melchiſedech, paſtoralis regiminis formam aſsidue contemple-
ris. Memineris obſecro ſpiritum Domini olim verba facientem ad Eze
chielem Vatem, ei porrexiſſe volumen in quo erant *Lamentationes car
nem, & Væ*, Subditque Propheta: *Et aperui os meum, & cibauit me volu
mine illo, & comedi illud, & factum eſt in ore meo ſicut mel dulce*. Ecce
volumen in quo ſcripta erant lamentationes, carmen, & væ; vbi primũ
ori Prophetæ applicatum fuit, in dulcedinem fuit conuerſum. Quo
facto denotauit diuinus Spiritus magnam fore allaturum dulcedinem
volumen Verbi incarnati, eis qui illo cibari, ac paſci dignati fuerint.
Per volumen namque iſtud, verbum ipſum incarnatum præſignari Pa-
tres autumant, in quo ſunt lamentationes, & carmina, ideſt dolores paſ
ſionis, & Crucis ignominia & gloria Reſurrectionis, ſeu humanitas, ac
diuinitas, quas tanto fœdere in eandem perſonam conſeruit: *Vt nec infe
riorem conſumerat glorificatio: nec ſuperiorem minueret aſſumptio*: ait
Leo Papa, ſerm. 1. de Natiuit. vt ab eius Verborum elegantia non rece-
dam. De hoc eodem libro prędixerat Dominus ad Eſaiam Vatem, cap.
8. *Sume tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtylo hominis, velociter ſpo-
lia, detrahe, cito prædare*: Quæ proculdubio ſunt officia Redemp-
toris per quem propterea ex Patribus Hieronymus, & Epiphanius Salæ-
minæ Epiſcopus virginalem vterum; Cyrillus verô, Clemens Alexan-
drinus, & Euſebius Cęſarienſis nouũ teſtamentum, in quo myſteria in-

carna-

carnationis Chriſti, ſunt ſcripta, interpræt ãtur. In qua igitur malueris interprętatione eundem librum, idem volumen ſaltem ex parte rei contentę, vtpotê in quo incarnati Verbi myſteria, ſcilicêt naturę humanæ aſſumptio, cũ coaſſũptis, gratia, ſcientia, poteſtate, impeccabilitate, merito, Sacerdotali, ac regia dignitate continentur, tibi porrigimus, vt illud comedas, & rumines aſsidua lectione, ac cogitatione, fietque mel dulce in ore tuo. Quod vtique ſpero tibi magnam fore allaturum iucũditatem. Inſuper in magnos vtriuſque hominis prouentus eſſe profuturum: ea quæ in eo ſcripta inueneris munia, & functiones, ſummi Paſtoris, & paſtorum principis Chriſti imitare. Hoc fac & viues, viues in terra fœlix, ſed fœlicior in patria, dum ad conuiuendum Regi Regum, & Archetypo Præſulum aſſumaris. Tu vero interim beneuolo corde accipe munuſculum hoc ex corde tibi oblatum; quod ſi feceris, nedum volumẽ ſed eius auctor tibi deinceps dicatus manebit. *Vale, & viue fœlix.*

Fr. Franciſcus de Araujo Dominicani inſtituti, & Theologiæ Salmanticæ profeſſor vtriuſq; profeſſionis minimus.

TASSA.

YO Diego Gonçalez de Villarroel, Secretario de Camara de ſu Mageſtad, de los que en ſu Conſejo reſiden, doy fee, que auiendoſe viſto por los ſeñores del, vn libro intitulado, *Tomo primero ſobre la tercera parte de ſanto Thomas*, compueſto por el Maeſtro Fray Franciſco de Araujo Cathedratico de Prima de Theologia de la Vniuerſidad de Salamanca, y Prior del Conuento de ſan Eſteuan de la dicha ciudad, que con licencia de los dichos ſeñores fue impreſſo: taſſaron cada pliego de los del dicho libro a cinco marauedis, y a eſte precio mandaron ſe venda, y no a mas; y que eſta taſſa ſe ponga al principio de cada libro de los que ſe imprimieren, como conſta del decreto de la dicha taſſa, que en mi oficio queda, a que me refiero. En Madrid a catorze de Março de mil y ſeiſcientos y treinta y ſeis años.

Diego Gonzalez de Villarroel.

Errata ſic corrige.

PAgina 59. col. 1. pro alterus, lege *alterius*. Pag. 79. pro redeam lege *reddam*. Pag. 217. col. 1. pro ſi, lege *ſic*. Pag. 268. col. 2. pro ſanctus lege *ſanctum*. Pag 274. col. 1. pro fecunda, lege *ſecunda*. Pag. 287. col. 1. pro quis, lege *Chriſtus*. Pag. 296. col. 1. pro alijs, lege *a'ij*. Pag. 358. col. 1. pro prefacti, lege *præfati*. Pag. 398. pro conſideratus, lege *conſideratum*. Ibide, eximant, lege *exiſtimant*. Pag. 483. col. 1. pro peruenient, lege *prouenient*. Pag. 484. col. 1. pro communiunt, lege *conueniunt*. Pag. 435. col. 2. pro collectione, leg. *collectionem*. Pag. 565. col. 1. pro conſequantur, lege *conſequuntur*. Pag. 618. col. 1. pro affirmata lege *firmata*, & pro auimam lege *animam*. Pag. 704. col. 2. pro abſulete, lege *abſolute*, Pag. 754. col. 2. præ morte, lege *præ Moſe*. Pag. 748. col. 2. pro orgona, lege *organa*.

Hijs erratis correctis concordat hic liber cum originali, pro fidei robore. Salmanticæ 3. Martij, Anno Domini 1636.

Antonio Rincon.

EL

EL REY.

POR quanto por parte de vos el Maeſtro fray Franciſco de Araujo de la Orden de Santo Domingo, Cathedratico de Prima de la Vniuerſidad de Salamanca, nos fue fecha relacion auiades compueſto vn libro intitulado el tomo ſobre la tercera parte de ſanto Thomas y Doctor de la Igleſia, deſde la queſtion primera, haſta la ventiquatro, y otras queſtiones ſobre la dicha tercera parte: el qual os auia coſtado mucho eſtudio y trabajo Por lo qual nos fue ſuplicado os mandaſſemos dar licencia y facultad para imprimir el dicho libro, y priuilegio por diez años, o como la nueſtra merced fueſſe. Lo qual viſto por los del nueſtro Conſejo, y como por nueſtro mandado ſe hizieron las diligencias que la pregmatica por nos vltimamente hecha ſobre la impreſsion de los libros diſpone, fue acordado, que deuiamos mandar dar eſta nueſtra cedula para vos en la dicha razon, y nos tuuimoslo por bien. Por la qual os damos licencia y facultad para que por tiempo y eſpacio de diez años primeros ſiguientes, que corran y ſe quenten deſde el dia de la fecha della en adelante, vos, o la perſona que vueſtro poder ouiere, y no otro alguno, podais imprimir y vender el dicho libro intitulado el tomo de ſanto Thomas, que de ſuſo va fecha mencion, por ſu original, que en el nueſtro Conſejo ſe vio, que va rubricado y firmado al fin de Franciſco de Arrjeta nueſtro eſcriuano de camara de los que en el reſiden. Con que antes que ſe venda le traigais ante ellos, juntamente con el original, para que ſe vea ſi la dicha impreſsion eſtà conforme al original, o traigais fee en publica forma, como por corretor por nos nombrado ſe vio y corrigio la dicha impreſsion por el dicho original, y ſe taſſe el precio porque ſe ha de vender. Y mandamos al Impreſſor que aſsi imprimiere lo ſuſo dicho, no imprima el principio, y primer pliego, ni entregue mas de vn ſolo libro con ſu original al Autor, y perſona a cuya coſta ſe imprimiere, para efeto de la dicha correccion, y taſſa, haſta que antes y primero el dicho libro eſtè corregido y taſſado por los del nueſtro Conſejo: y eſtando hecho, y no de otra manera, podais imprimir el dicho principio y primer pliego, y ſegundamente ponga eſta nueſtra ced ula, y la aprouacion que cerca de lo ſuſo dicho por nueſtro mandado ſe hizo, y la taſſa y erratas, ſo pena de caer è incurrir en las penas contenidas en las leyes y pregmaticas de nueſtros Reynos, que ſobre ello diſponen. Y mandamos, que durante el tiempo de los dichos diez años, perſona alguna ſin la dicha licencia, no pueda imprimir, ni vender el dicho libro, ſo pena que el que lo imprimiere aya perdido y pierda todos los libros, moldes, y aparejos, que dellos truxere, y mas incurra en pena de cinquenta mil marauedis: la qual dicha pena ſea la tercia parte para la camara, y la otra tercia parte para el juez que lo ſentenciare, y la otra tercia parte para el que lo denunciare. Y mandamos a los del nueſtro Conſejo, Preſidente, y Oidores de las nueſtras Audiencias, y Chancillerias, y a todos los Corregidores, Aſsiſtente, Gouernadores, Alcaldes mayores y ordinarios, y otros juezes y juſticias qualeſquier deſtos nueſtros Reynos y ſeñorios, y a cada vno en ſus juriſdiciones, que guarden y cumplan eſta nueſtra cedula, y cõtra ella no vaian, ni paſſen en manera alguna, ſo pena de la nueſtra merced, y de cinquenta mil marauedis para la nueſtra camara. Fecha en Madrid a diez y nueue dias del mes de Março de mil y ſeiſcientos y treinta y dos años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nueſtro ſeñor
Iuan Laſſo de la Vega.

¶ 4

APPROBATIO REVERENdi admodum Patris Magiſtrì fratris Martini de Albiz Primarij Complutenſis.

MANDATO ſupremi Senatus vidi commentaria in tertiam partem Sancti Thomæ, â quæſtione prima ad vigeſimã ſextam, & tractatus duos de pœnitentia vnum, alterum de indulgentijs, Auctore ſapientiſsimo Patre Magiſtro fratre Franciſco de Araujo, ex illuſtri Prędicatorum Ordine in celebri Academia Salmanticenſi Primariæ Cathedræ ſacræ Theologiæ digniſsimo moderatore. Inſpexi attente, & ſuſpexi cum ſana vndique doctrina, vtporê Theologiæ Angelici, & planê diuini Doctoris veſtigijs firmiter inſiſtente miram in dicendo grauitatem, & iucundiſsimam claritatem, ac ſingularẽ viri Religioſiſsimi modeſtiam in omnes Doctores Catholicos, non ſolum ſibi in ſentiendo amicos, ſed etiam in opinando alienos: ſanê exhibentis ſe ſe hoc noſtro ſeculo lucidiſsimum Chriſtiani Magiſtri ſpeculum, dignum quod omnes vt inſpiciamus, & imittemur omnes, prodeat in lucem, prodibit fœliciter, prodibit glorioſe, ſibi prodibit ſpero in ſummam omnium vtilitatem, nec tantum opus fallet ſpem. In regali Collegio Diui Auguſtini Complutenſi, die decima Nouembris Anni 1631.

Fr. Martinus Albiz.

D.AN-

D. ANDRAEAS OXEA ET DE VALCARCE & de Somoza, in laudem meæ Patriæ Gallaicæ, quam Ill^us^ auguſte iuuar illius D.D. Fernandus de Caſtro & de Andrade Almæ digniſsimus Burgenſis Archipræſul Eccleſiæ: necnon SS. Salmanticenſi laurea niuea præfulgidus, & ſacræ Theologiæ celeberrimus Primariæ Cathedræ moderator RR^us^ admodũ. P. Fr. Franciſcus de Araujo, fœliciſsimé beant.

O Fœlix Patria, ô beata ter egregiê, ô terquè quaterque regie fœlix gemino cum per ignotas noto zonarum faſtias Auges ſplendore gaudes heroum, quæ cũ Dieſpitris æmula ſydereas adorſa, exoſa præſurgis Telluris adoream. Cœleſtis igitur axis altero, & altero quippe faſtiſtigiata polo inniteris aſtri fero (Archipręſule nempé Burgenſi, & hoce Salmãticæ argentea condecorato laurea) nomen, lumen, vertas, aſciſcas? Sed ex tantorum auguſtê accretum pompa virorum decus graphicê minimê (imô diſpulchrat) adumbrat. Cœlum enim vnico ſoliuago ſolis luminari radiat; plaga tamẽ gemino Gallaica renidet; quę ſylui frágam eſtô rupes inter inuias, ſcopuloſam inter auias, ſcrupuloſam inter frágmina montium dumeta verui comantium exaſperent intonſa, eô geminaſcit, quô dumeſcit. Sic te conſonat nobilem Archimandritam, dum actęum â teneris Oceani promontoriũ incola tetigiſti gemmantis altricem nactum iuiſſe conche vnde conchiliata fatum facile ſit, Auſſonia te trabea purpurandum iri, Archigrammateum donec (meritis acclamantibus) coccineorum colat Quiritum triambos. Doctiloquos inter claſsicos noſter Anagnoſtes â ſuæ auſcultationis elementis *Lampada curſu trahit*, Angelicum nempê lampadophorum antiſtio, ſplendophorus ſecũndo doctrinæ thaumatis Aquinæ, non Antipariſtaſis, Antigraphus; qui penicillo ſpinthêre quaſi Solis, Palladium nectare ſcribit aurum, gemmiferam ſubtilitatis perarat ambroſiam; vt litteris adamuſsim, virtutibus excelſe, principiſque Salmanticæ plauſu inter lycæorum ſatos Palladis eminens ſatis diſpaleſcat, panegyrimque quorum liuet exantlans. Vtinam amplitudinum Archetypi, ne tuorum ectypa meritorum deliteſcant, gradibus inſiſtas, veſtigia legas; & tuam quoque vtinam, O Patria, iterum atque iterum ê vernaculis vafri gloriam proſperent; nimirum adlibeſcam ego, ad lubeſcam admodum, qui licet conſanguineo affectu clamaui, vrbis, & orbis conceptu clamoris effor, nunc tamen metricê prorrumpens.

EPIGRAM-

EPIGRAMMATOM IN

laudem huius operis magnifici Mœcenatis ILL^MI. D. D. Ferdinandi de Caſtro, & de Andrade Almæ Burgenſis Eccleſiæ Archipræſulis digniſsimi.

Nobile Burgorum pario plus marmore fanum
Cui ſolium duxit, gloria plauſtra dicet.
Dardania ſacris nexus ſis tempora ſertis,
Purpureaq́; heros daphnide Tibris herus.
Sis precor Auguſto Mœcenas Cæſare Thoma:
Sic liber infauſtos plauſus abire petet.
Miſtica libantis reſonet Thomiſtica pompa
Stirpſq́; tua ſolers are venuſta vago.
Si hi Patria Patres, nata eſt, non Patria mater,
Qua tantum à claris accipit eſſe viris.

ENCOMIASTICON IN R^M. ADMODVM P. M. Fr. Franciſcum de Araujo Primariæ Cathedræ moderatorem egregium.

Hoſce flagrantis radios AQVINI
Ecce fulgetrum Ducis arte ducis
Prælio lucem, ſcoliumq́; prælo
Tendere fauſtê.

Splendidæ pennis aquilæ per ętram
ſolis inflammā Angelici coruſcā
Audet excelsā, nitidā perhaurit
Lumine lucem.

Sol tuam Thomiſtica, nempê lāpis,
Cœlitus dū dat radiare mentem,
Inter, electum modularis aſtû,
Nectaris vndas.

Elegans ergo paradigma, Caltha
Plauſuū pompā iuuaris ſequaris:
O Lycęi huius moderator alm
Aſſecla THOMAE.

D. Andraas Ojea de Valcarce, & de Somoça,
Sacra Sophia auſcultator.

PRO-

PROLOGVS
Ad Lectorem.

EN Tibi (Chriſtiane lector) diuina ſapientia poſtquam in priori noſtro in ſecundam ſecundæ commentario triũ virtutum Theologicarum flumen efudit, in hoc ſecundo ſuper tertiam partem aliud de diuini Verbi proceſsione in carne aſſumpta, vt tanti fluminis impetus ciuitatem Dei, ideſt militantem Eccleſiam lætificaret in terris, efundit. Quod & in duos riuulos placuit diuidere, hoc eſt in duos tomos, alterum de ipſo verbo incarnato, & alterum de Sacramentis doctrinam continentem, vt ſic facilius poſſes illud pertranſire. Mos namque eſt ſtrenuis, ac in militari arte peritis Ducibus caſtrum aut arcem inimici inuaſuris, quando ab aliquo amne rapidiſsimo, & aquarum abundantiſsimo inter medio impediuntur, illum in plures partiri linguas, ſeu riuulos, vt ſic eum tranſuadare liceat militibus, quibus indiuiſus foret impoſsibilis. itaque olim Deo mirabiliter ordinante, & intus corda excitante, Auguſtus Cæſar inſequens Marcum Antonium, vt eius Regnum AEgyptiacũ inuaderet lingua maris, hoc eſt Nilo circunſeptum, in ſeptem riuos diuiſit, vt tunc eius milites arma: & poſtea Apoſtoli Euangelium pacis illuc introducere potuiſſent: quod indiuiſo manente foret naturaliter impoſsibile, idque non obſcuris verbis pluribus retro ſæculis Eſaias vates numine raptus cap. 11. ſui vaticinij prædixit in hæc verba: *Et deſolabit dominus linguam maris Ægypti, & leuabit manum ſuam ſuper flumen in fortitudine ſpiritus ſui, & percutiet eum in ſeptem riuis* (quos vulgus appellat, bocas del Nilo) *ita vt tranſeant*

per

per eum calceati, ideſt Auguſti milites, aut etiam Apoſtoli ſicco pede poſsint per eum tranſire, haut diſsimiliter ſtrenui ſapientiæ duces, & in literaria palleſtra Anteſignani debent flumina doctrinæ Theologicæ non coaceruare, ſapiẽtiæ aquas aquis agregando, ſed diuidere, partiri, ac ſecare in plures riuulos, quo ſic tirones milites ſapientiæ, eas ingredi ſine timore, & abſque difficultate tranſitum facere, & cum profectu potare queant. Inſtar firmamenti ſit magiſter, quod Deus Geneſeos primo conſtituit in medio aquarum, vt aquas ab aquis diuideret. Sibique præceptum illud intimatum intelligat: *Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis*. Huic igitur præcepto obtemperantes (beneuole lector) aquas huius tertiæ partis ab aquis diuiſimus, in duos riuulos partitam doctrinam tibi propinantes. AEqum enim erat verbũ quod ad nos venit in carne abreuiatum, auditoribus quoque breui ſtyllo concluſum porrigere. Affectum etiam ſatisfaciendi cupidis Thomiſticæ doctrinæ explicare. Ne dixerint deinceps in corde ſuo: *Quis aſcendet in cœlum*, ideſt Thomiſticam doctrinam deducere? *Aut quis deſcendet in abiſsũ*, ideſt illam à mortuis reuocare? *Prope enim eſt verbum in ore tuo*, hoc eſt verbum fidei, quod in lucem ædimus. Ecce quod auide petebant intus habent. Neque cum Iob cap. 28. iterum queruloſi dicant: *Sapientia vero vbi inuenitur, & quis è locus intelligentiæ?* ideſt Thomiſticæ doctrinæ. *Neſcit homo precium eius, nec inuenitur in terra ſuauiter viuẽtium. Abyſus dicit non eſt in me, & mare loquitur non eſt mecum*. Siquidem iam illam ſecum habẽt, paruoque precio poterunt comparare. Neque cum Dauide ſitibundo aquam Bethleemiticam à Philiſteis obſeſam, & præoccupatam deſiderante clament: *O ſi quis nobis daret potum aquæ de ciſterna quæ eſt in Bethleem iuxta portam, &c.* 2. Reg. 23. Siquidem iam in limine iſtam aquam doctrinæ Thomiſticæ habent, quæ eorum fores pulſat, & inuitat ipſos dicens. Venite comedite, & bibite, & inebriamini chariſsimi, vt cupidi ac ſitibũdi huius aquæ fluẽtis ſitim extinguãt: & quo illam liberius potare queant, liberam ac vindicatam ab ſtatione Philiſthinorum auditoribus ſachræ ſophiæ propinamus. Bibe ergo de ciſterna huius tertiæ partis aquam ſapientiæ incarnatæ, dum

fluenta

fluenta Sacramentorum in alio tomo aperimus, quem iam paramus. Sed poſtquam eam guſtaueris, ne ad AEgypti, obſecro, delitias reuertaris inſipiens. Si enim ſatiatus aquis ſalubribus, ſalſas, & amaras requiras: idem tibi cõtinget, quod olim Iſraelitis: qui ſibi oblatum panem cœleſtem faſtidientes, ad cepas, & olera AEgypti inſipientes affectu cõuertebãtur. Hoc autem vitium non pani cœleſti, qui omne delectamentum in ſe habebat, ſed eorum palato vitiato, & faſtidiẽti dabatur. Abſit à te relictas ſemel, & auerſatas doctrinas, iterum conquirere, & cupere ob vitium palati, quod vltroneo cibo, & ſi cœleſti doctrinæ Thomiſticæ grauatur, & ſuper cibo leuiſsimo nauſeat. Nque illam auerſeris, quia nos ad inſtar inſtructoris illam partimur, & propinamus. Huc enim atinet conſilium, quod Angelicus Doctor offert ſapientiæ auſcultatoribus opuſc. 68. dicens: *Non reſpicias à quo audias, ſed quidquid boni dicatur memoriæ recomenda: ea quæ agis & audis, fac vt intelligas, de dubijs te certifices, & quidquid poteris in Armariolo mentis reponere, ſatage ſicut cupiẽs vas implere, altiora te ne quæſieris: illa ſequens veſtigia frondes, & fructus in vineam Domini Sabaoth vtiles, quandiu vitam humeris proferes ac produces.* Hæc noſtra commentaria ſi ſectatus fueris, ad id attingere poteris, quod affectas. Vale, & ora pro me.

Digitized by Google

INTRODVCTIO IN TERTIAM PARTEM DIVI THOMAE.

QVIA ſolent Doctores vti præfationibꝰ, ſiue prologis, vt diſponēdi à ſe tractatꝰ motiuum indicēt, ac operis argumentum: procœmia enim, & præfationes indicare cauſam finalem alicuius diſpoſitionis habetur in l. finali. Cod. de tractatis, & l. item quia, ff. de pactis: ideò contractibus ad eorum vim notificandam præfationes adhiberi teſtatur Baldus in l. emptione, Cod. plus valere, quod agitur: & ll. ad earum motiuum declarandum, præmitti procœmia à Legislatoribus, teſtatur Philo. lib. 2. de vita Moyſis, adhibitis (inquit de eximio Legislatore Moyſe) plerūque præfatiunculis, & epilogis docere malens, quam cogere, &c. Propterea his docendi præceptis obtemperans noſter Doctor Angelicus in hac tertia ſuæ ſummæ, parte, huiuſmodi verbis exorditur.

Quia Saluator noſter Dominus Ieſus Chriſtus, teſte Angelo, populum ſuum ſaluum faciens à peccatis eorum, viam veritatis nobis in ſeipſo demonſtrauit, per quam ad beatitudinem immortalis vitæ reſurgendo peruenire poſſimus: neceſſe eſt, vt ad conſummationē totiꝰ Theologici negotij, poſt cōſiderationē vltimi finis humanæ vitæ, & virtutū, ac vitiorū, de ipſo omniū Saluatore, ac beneficijs eius humano generi præſtitis, noſtra cōſideratio ſubſequatur. Circa quā primo conſiderandum occurrit de ipſo Saluatore. Secundo, de Sacramentis eius, quibus ſalutem conſequimur. Tertio, de fine immortalis vitæ, ad quam per ipſum reſurgendo peruenimus, &c.

Quem proinde ordinem ſeruat Diuus Thomas, dum de primo hoc eſt, de Saluatore ipſo à prima quæſtione, vſque ad 59. incluſiuè, tractatum conficit: de ſecundo verò hoc eſt, de Sacramētis à q. 60. vſque ad 90. quoniā reliquit inchoatū tractatum, quem ſimul cum tertio finiret, niſi inuida mors tātum Eccleſiæ theſaurum præripuiſſet.

Quare duobus dubijs ſequentibus conuenientia huius ordinis eſt examinanda.

Digitized by Google

Primum dubium eſt. An ad lumen Theologiæ pertineat agere de Chriſto Saluatore, tãquam de vera ſui obiecti parte?

IN hoc dubio tres verſantur ſententię. Prima negans eſt, quam ſequutus fuit Cornelius Agrippa in lib. de vanitate ſcientiarum, dicens: *Vanam eſſe diſputationẽ de Chriſto*, ac proinde à Theologia relegandam.

Secunda, & veluti media eſt Alenſis, qui in 3. p. q. 13. mẽb. 1. & 2. fatetur vtilem eſſe diſputationẽ quàm Theologi habẽt de Chriſto: non tamen ad lumẽ Theologiæ, ſed ad habitum altioris ordinis, ſcilicet hypoſtatici pertinere, qui proinde lumen hypoſtaticum debet appellari.

Tertia ſententia abſolutè affirmãs eſt, quã ſupponit D. Th. in prædicto prologo, & cõmuniter ſequuntur Interpretes, vt Caiet. in eodẽ prologo, & infra; q. 76. ar. 7. ad 2. Medina. q. 1. introductionis. & Suarez in eodẽ prologo.

1 In cuius tamen ſententiæ explicatione prefati Authores in tres modos dicendi diuiduntur: quidam volunt hunc tractatum non immediate, ſed tantũ mediate ad Theologiã pertinere, hoc eſt, mediate quaddam ſcientia ſubalternata Theologiæ illi, quæ agit de Deo ſecundum ſe: alij vero de quorũ numero Suarez eſt, vbi ſupra. §. *Interrogabit*, volunt conſideratione de Chriſto ſecundum rationes cõmunes puta Dei, hominis, Redemptoris, Inſtitutoris Sacramentorum, Incarnationis, Reſurrectionis, &c. ad habitum Theologiæ: ſecundũ vero conditiones, & actiones ſingulares non ad Theologicũ lumẽ, ſed ad hiſtoriã pertinere. Caietanus denique vult illã quoad cognitionẽ quiditatiuã poſsibilẽ haberi in hoc ſtatu de Chriſto ad lumen Theologiæ: cæterũ quoad cognitionẽ imperfectã, & citra quiditatiuã ad lumẽ naturale ſpectare.

Conſideratio de Chriſto Saluatore eſt vtilis

Sed pro veritatis explicatione. Dico primo. Vtilis valde eſt cõſideratio de Chriſto Saluatore; & de myſterio Incarnationis, ad Theologũque vt propria pertinet. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus impium dogma Cornelij Agrippæ. Et prima eius pars probatur primo, nã teſtè Cicer. lib. 1. de natura Deorum, diſputatio de Deorũ natura, licet obſcura: *Tamẽ eſt ad agnitionẽ animi pulcherrima, & ad moderandã religionẽ apprime neceſſaria.* Et Seneca lib. natura. quæſtionũ. c. 1. atteſtãte: *Cũ homo diuina cõtemplatur, creſcit, & veluti vinculis liberatus in originẽ redit, & hoc habet argumentũ diuinitatis ſuæ, quia illũ diuina delectant, &c.* eoquod diuinorũ cognitio ſpeculatiua, & practica eſt quæ intellectũ perficit: voluntatẽ vero afficit ad bonũ, ac delectat, ſed in tractatu de Chriſto, & myſterio incarnationis tradditur cognitio diuinorũ. diuini. ſ. Verbi, diuinę hypoſtaſis, carnis aſſũptæ, vtriuſq; vnionis hypoſtaticæ: ergo talis cognitio intellectũ illuminat fidelis, & voluntatem inclinat, atque delectat, & conſequenter valde vtilis eſt.

Secundo, quia quæcũq; ſcripta ſũt in ſacrã ſcriptura, ad noſtrã vtilitatẽ ſcripta ſũt, vt aſſerit Paul. ad Rom. 15. eo quod, vt ipſe habet 2. ad Timoth. 3. *Omnis Scriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendũ, ad arguendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus.* Sed vnum ex potiſsimis myſterijs, quæ in ſacra Scriptura diuinitus reuellantur, eſt myſterĩũ incarnationis: ergo vtilis eſt eius conſideratio.

Secunda pars probatur primo, nam ad Theologum pertinet agere de his, quæ de Deo diuinitus reuelãtur mediatè, caduntq; ſub ratione diuinæ, ac mediatæ reuelationis, vel ad illum, vt ſic ordinãtur, eoquod vnaquæque ſcientia extenditur ad omnia, quæ ſub ratione formali ſui obiecti poſſũt comprehendi, ſed multa cognoſcuntur de Deo in hoc myſterio diuinitus reuelata in ſacra Scriptura, vt dictum eſt, ex quibus alia per diſcurſum inferri poſſunt, ac proinde cadere ſub reuelatione diuina mediatè, vt in diſcurſu huius tractatus patebit: ergo.

Secundo, nam munus Theologiæ eſt gignere, nutrire, ac roborare fidẽ: eſt enim teſtè Aug. lib. 14. de Trinitate cap. 1. qua fides ſaluberrima gignitur, nutritur, ac roboratur: ergo ad Theologiam pertinet fidẽ nutrire, defendere, ac roborare de myſterio incarnationis, quod nequit præſtare, niſi agendo de illo, & plures concluſiones ex illo, videlicet de gratia, potentia, & merito Chriſti deducendo.

Tertio, nam ad ſupremam ſapientiam ſpectat agere de ſuis principijs explicando, & defendendo illa, quo pacto Methaphiſica agit de primis principijs aliarũ ſciẽtiarũ, nõ quidẽ illa demõſtrãdo, ſiquidẽ indemõſtrabilia ſunt, ſed ea defendẽdo, & ab arguẽtium

tium ſophiſmatibus,& obiectionibus vindicãdo,& *T*heologia eſt ſapientia diuina, vt docet D.*T*ho.1.p.q.1.art.6. ergo illius eſt ſua principia defẽdere,ac declarare: hæc autẽ ſunt myſteria fidei: quorum vnum eſt myſteriũ incarnationis.

Pertinet ad eũdem habitum Theologicum.

2 Dico ſecũdo. Nõ eſt admittẽdus habitus ordinis hypoſtatici diſtinctus ab habitu *T*heologiæ ad agendũ de myſterio Incarnationis. Hæc aſſertio ſtatuitur aduerſ⁹ Alenſem. Et probatur primo, nã habitus ſciẽtifici nõ multiplicãtur penes multiplicitatem obiectorũ materialiũ,ſed vnicus eſt, qui ad omnia obiecta materialia cadentia ſub eadẽ ratione formali ſcibilis extẽditur: ergo licet obiectũ hui⁹ tractus,nẽpè incarnatio,ſiue Chriſtus,vt homo diſtinguatur ab obiectis aliorũ tractatuũ *T*heologiæ in eſſe entis,& materialiter: nihilomin⁹, quia omnia cadũt ſub eadẽ ratione formali diuinæ reuelationis pro omnib⁹, ſufficit idẽ, habitus *T*heologiæ.

Secundo,quia idẽ habitus fidei extẽditur ad myſteriũ Incarnationis,& ad alia credibilia; eſt enim vna fides dumtaxat, vt ait Paul.ad Epheſ.4. & ſimiliter ab eodẽ lumine prophetiæ omnia myſteria gratiæ attingũtur,vnde,& prophetæ per prophetiam prædeſtinationis de hoc,& alijs myſterijs prophetarunt,quia omnia cadunt ſub eadẽ ratione diuinæ reuelationis immediatæ, nõ obſtãte eorũ diuerſitate materiali: ergo hæc nõ obſtãte poſſunt cadere ſub eadẽ ratione diuinæ reuelationis mediatæ, ac proinde ab eodem Theologiæ lumine attingi.

Tertio,excellentior eſt ratio Deitatis ſecundũ ſe,quã ratio vnionis,atq; Chriſti, vt hominis; ſed hac maiori dignitate,& excellentia nõ obſtãte illa attingitur ab habitu *T*heologiæ in tractatu de diuinis attributis,ac perſonis: ergo & hæc ab eodẽ habitu attingetur nõ obſtãte,quod præ alijs obiectis materialibus,de quibus tractat Theologia dignitate polleat.

Cõfirmatur dupliciter. Primo, nã eodẽ habitu charitatis infuſæ diligitur Deus ſecũdũ ſe,De⁹ vt homo,& creatura: ergo à fortiori poterunt eodẽ Theologiæ habitu cognoſci: antecedẽs eſt certũ cõſequẽtia vero patet,quia diſtinctio in obiectis huiuſmodi,min⁹ valet diſtinguere habitus partis intellectiuæ.

Confirmatur ſecũdo,nã teſtè D.T. q. 9.ar.3.ad 3. Chriſtus nullã ſciẽtiã habuit ordinis hypoſtatici,per quã ſpecialiter incarnationis myſteriũ cognoſceret: ſed ſi talis ſciẽtia eſſet dabilis,immerito Chriſto denegaretur: ergo nõ eſt dabilis. Maior declaratur ex D.T. doctrina,in hunc modũ: nulla ſciẽtia cõuenit Chriſto ratione vnionis hypoſtaticæ ſubiectiuè,ſed ratione alicui⁹ naturæ,vel diuinæ,ſ. vel humanæ,eo quod ſciẽtia eſt act⁹ naturæ,& cõuenit per modũ formæ: vnio autẽ ſolũ eſt ad eſſe perſonale per modũ termini: ſi hęc ſcientia eſſet ordinis hypoſtatici cõueniret illi ratione vnionis,quæ eſt fũdamẽtũ,& radix toti⁹ ordinis hypoſtatici. Vltimo probatur ſatisfaciẽdo quatuor obiectionib⁹,quę huic cõcluſioni obſtare videtur. Prima eſt,nã ordo hipoſtaticus nequit cognoſci per lumẽ ordinis gratiæ: ergo incarnationis myſteriũ petit lumẽ diſtinctũ à *T*heologia,quod ſit ordinis hypoſtatici. Antecedens probatur,quia ordo gratiæ eſt perfectior ordine naturæ, nequit cognoſci lumine illius ordinis ſcilicet naturali,ſed ordo hypoſtatic⁹ eſt perfectior ordine gratiæ: ergo,nequit per lumen Theologiæ,quod eſt ordinis cõmunis gratiæ cognoſci; quod ſi dicas lumen naturale non poſſe attingere ordinẽ gratiæ,quia eſt perfectior hic ordo nedũ in eſſe entis,ſed etiã in eſſe obiecti cognoſcibilis ordine naturæ: hypoſtaticus autẽ ordo ſolũ in eſſe entis excedit ordinẽ cõmunẽ gratiæ. Cõtra hoc eſt,quod ratio entis, & cognoſcibilis cõuertũtur,& adæquatè ſe habent, vt ſubiectũ,& paſsio, & ſicut res ſe habet ad eſſe, ita ſe habet ad cognoſci: ergo implicat dari exceſſum in eſſe entis,& non in eſſe cognoſcibilis.

Secunda eſt,quia ſciẽtia qua Deus cognoſcit vnionẽ hypoſtaticã eſt diſtincta virtualiter ab illa,qua cognoſcit ordinem gratiæ: ergo lumẽ quod in nobis ab illa exẽplatur debet eſſe actualiter diſtinctum ab illo, quo ſciẽtifice cognoſcimus ordinẽ gratiæ. Antecedens probatur,nã amor gratiæ,prædeſtinatio,& virtus cauſatiua, qua vnionẽ illã amat,prædeſtinat,& cauſat,ſunt diſtincta ab amore,prædeſtinatione, & ratione cauſandi cætera dona gratiæ: ergo,& ſciẽtia; ſiquidem per hanc præſtinat, & cauſat.

Tertia,nã maior diſtãtia eſt ab ordine gratiæ ad ordinẽ hypoſtaticũ,quã ab ordine naturæ ad ordinẽ gratiæ: ſiquidẽ in illo homo fit De⁹ per eſſẽtiã,& accipit eſſe Dei eſſẽtiale,in iſto vero fit Deus per participationem,& accipit eſſe diuinum participatum in forma accidentali: ergo ſi ordo gratiæ propter hanc diſtantiam nequit lumine naturæ attingi, neque ordo

hypoſtaticus poterit propter maiorem diſtantiã lumine gratiæ cognoſci. Dices negandam eſſe conſequentiam, quia lumẽ gratiæ actuat intellectũ ſecundum gradũ analogicũ, in quo eſt capax eleuationis vtriuſque ordinis. Sed contra hoc arguitur quarto, nam gradus ſpecificus noſtri intellectus nõ eſt eleuabilis ad cognitionẽ myſteriorũ gratiæ, nedũ ordinis hypoſtatici, & hic eſt gradꝰ perfitior gradu analogico: ergo à fortiori neq; gradꝰ analogicus erit eleuabilis: præterquã quod hæc graduũ diſtinctio noua, & conſequenter fictitia eſſe videtur, vel de veritate ſuſpecta.

3 Ad primum nihilominus reſpondetur ſuſtinendã eſſe ſolutionẽ inter arguẽdũ aſsignatam, ad replicam primam dicendum eſt, quod ens, & cognoſcibile conuertibiliter ſe habent ſubſiſtendi conſequentia, ſed nõ quoad vnitatẽ: poteſt enim entibus diſparibus, & inæqualibus idẽ gradus cognoſcibilitatis cõuenire, quo pacto Deo ſubſtãtiæ creatæ, & accidẽti, licèt in eſſe entis ſint primo diuerſa in eſſe obiecti cognoſcibilis conuenit eadem formalis ratio ſpeculabilis à Methaphiſica; ſic vterque ordo gratiæ ſcilicet, & hypoſtaticꝰ licet in eſſe entis differãt, cõueniũt in vna ratione ſcibilis Theologici, quã attingere valet Theologia noſtra; eo quod eſt lumen ſupernaturale perficiens intellectum noſtrũ, quatenus eſt obedientialis potentia ſub eadẽ ratione eleuabilis ad ſupremi entis ſupernaturalis ſcilicet, & conſequenter ad aliorũ cognitionẽ: lumen autẽ naturalis ſcientiæ ſolũ perficit intellectũ, vt eſt potentia naturalis modo connaturali ſuũ obiectũ proportionatũ attingẽs, qui vt ſic nequid ad ſupernaturale obiectum extendi.

Ad ſecundum variæ expoſitiones illius, maxime ſolent ab Scholaſticis adhiberi. Prima eſt, quod ſic res ſe habet ad cognoſci, cognitione cõprehenſiua, ſicut ſe habet ad eſſe: vnde quia Deus ſecũdũ eſſe excedit, vt quid increatũ, vt cõprehẽſiua cognitione videatur requiritur lumẽ increatũ.

Secũda eſt, quod ſic res ſe habet ad cognoſci quoad ſpeciẽ, ſed nõ quoad lumẽ, ſicut ſe habet ad eſſe, & quia ordo hypoſtaticus perfectior eſt ordine gratiæ, propterea ad ſui cognitionẽ quidditatiuã (qualẽ habuit anima Chriſti Dñi per ſcientiã inditã) ſpecies infuſas eiuſdẽ ordinis cũ lumine ordinis gratiæ exigit: ſed vtraq; ſolutio eſt deficiẽs. Prima quidẽ, quia probabilis eſt ſẽtẽtia, quã docent plures Thomiſtæ. 1. p. q. 56. ar. 2. quod Angelus ſuperior cõprehenditur ab inferiori, cuius tamen lumẽ eſt imperfectius. Secũda etiã deficit: tũ quia myſteria gratiæ cognoſcũtur à nobis per ſpecies ordinis naturalis adquiſitas ex rebus ſẽſibilibus, vt oſtẽdit Bañeſ. 1. p. q. 88. art. 3. dub. 2. ſimiliter Chriſtus per ſciẽtiã inditam cõprehendit vnionẽ ſuã hypoſtaticã; & tamẽ eſt lumẽ inferioris ordinis ad illam; verũ eſt non cognoſci à nobis quiditatiue, ſed tãtũ quoad an eſt: tũ etiam, quia res ſenſibilis vt homo, & animal cognoſcitur ab Angelo ſuperiori quidditatiue per ſpeciem ſuperioris ordinis, ac rationis: ergo non ſic ſe habet ad cognoſci quidditatiue, quoad ſpeciẽ, ſicut ſe habet quoad eſſe. Quare uera ſolutio eſt, quod quoad dependẽtiam, vel indepẽdẽtiã ſicut ſe habet ad eſſe, ſic ſe habet ad cognoſci: quo pacto quia riſibilitas depẽdet in eſſe ab eſſentia hominis, ita in ſui cognitione, & quia potentiæ, & habitus in ſuo eſſe dicunt ordinẽ ad obiecta, ita in ſui cognitione depẽdẽt ab illis, poteſt etiã dici, quod illa propoſitio eſt vera quãtũ ad cognoſcibilitatẽ paſsiuã; ita quod quanto res fuerit perfectior in eſſe tãto ſit magis cognoſcibilis, quia cognoſcibilitas paſsiua eſt paſsio entis.

Tertius ſenſus huiꝰ axiomatis eſt, quod ſicut res ſe habet ad eſſe nõ in eſſe phiſico, ſed in eſſe intelligibili, ſic ſe habet ad cognitionẽ; quia vnũquodque cognoſcitur ſecũdũ quod eſt in cognoſcente, vt docet D. T. 1. p. q. 14. art. 6. & ſic coincidit cũ illa propoſitione vulgari: modꝰ cognoſcẽdi ſequitur modũ eſſendi, ſcilicet in intellectu, vnde ex hoc, quod vnio hypoſtatica ſit perfectior in eſſe, quam ordo gratiæ, non ſequitur, quod exigat lumen alterius ordinis ad ſui cognitionem, ſed tantum quod in ſui cognitione dependeat ab illis, à quibus depẽdet in eſſe, & quod ſecundũ ſe ſit magis cognoſcibilis paſsiuè, & tandẽ quod cognoſcatur iuxta modum, quem habet medijs ſpeciebus in cognoſcente.

Ad tertiam obiectionem negatur antecedens. Ad cuius probationem negatur conſequentia, quia illa attributa amoris, prædeſtinationis, & cauſæ reſpiciunt obiecta particularia extra Deum per ſe primo ſecundum propria eorum diſtinctiua; vnde ex illis diuerſificantur: ſcientia vero ex particularium obiectorum extra Deum nõ diuerſificatur; quia tantum reſpicit illa ſecundario, vt obiecta materialia, & diuinam eſſentiam, vt obiectum formale,

& ratio

& rationem attingendi cætera.

Ad quartam, quod nõ eſt contra nos, quia nõ admittimus illam rationem, quam quidam Iuniores Thomiſtæ aſsignãt deſumptam ex tribus gradibus in humano intellectu repertis, ſed ratio à nobis aſsignata eſt, quod lumen ſupernaturale Theologiæ perficit intellectum ſecundum quod eſt potentia obedientialis, & ſub eadem ratione eleuabilis ad omnium myſteriorum ſupernaturalium cognitionem. Vrgebis ad huc: quia lumen Theologicum non poteſt extendi ad cognitionem ordinis hypoſtatici, eo quod ſicut lumen naturale ſolum perficit intellectum, vt eſt potentia naturalis apta nata attingere obiectum proportionatum eiuſdem ordinis: ita lumen Theologicum ordinis gratiæ tãtum perficit intellectum, quatenus eſt potentia obedientialis capax eleuari ad cognoſcendum entia ſupernaturalia communis ordinis gratiæ: ergo nequit vltra illa extẽdi. Propter hoc argumentum duplex eſt modus dicendi inter Iuniores diſcipulos Sancti Doctoris.

Primus eſt eorum, qui diſtingunt in anima rationali, & intellectu triplicem gradum, nimirum ſpecificum, genericum, & analogicum: ita vt in ſpecifico conueniat cum alijs hominibus eiuſdem ſpeciei, & ſit aptus cognoſcere entia materialia ex ſenſibilibus per conuerſionem ad fantaſmata: in generico autẽ conueniat cum ſubſtãtijs ſeparatis, illaſque poſsit cognoſcere, & earum modum cognoſcendi ſaltim pro ſtatu ſeparationis attingere: ſed tandẽ in analogico cõueniat cũ Deo Authore ſupernaturali, & eius effectibus, ſitque eleuabilis ſub eadem ratione formali, eodẽque gradu ad illorũ ſupernaturalẽ cognitionẽ. Vnde quia lumen ordinis gratiæ qualecũque ſit, vt Theologiæ, ſiue fidei, actuat intellectũ noſtrum ſecundũ iſtũ analogicũ gradum propterea ſub eadẽ ratione formali extẽditur ad omniũ entium ſupernaturaliũ, ſiue ordinis gratię, ſiue hypoſtatici cognitionẽ. Quod ſi interroges ab his authoribus, quis horũ graduũ ſit nobilior? bifariam reſpondẽt, nimirũ analogicũ eſſe nobiliorẽ generico, & genericũ ſpecifico, ſicut grad⁹ entis eſt perfectior gradu vitæ, & iſte gradu intellectualitatis: aut gradũ annalogicũ poſſe cõſiderari dupliciter, hoc eſt, prout eſt in ſe, & abſolutè, & ſic eſſe alijs præſtantiorẽ, quia ſicut eſt cõmunior, ita eſt abſtractior abſtractione formali, & habet cõuenientiã analogicã cũ Deo, & formis ſupernaturalibus, quã nõ habet ſpecificus. aut generic⁹: vel cõparatiuè, hoc eſt, reſpectu hominis: & ſic eſſe alijs ignobiliorẽ: ſufficere tamẽ, vt ſit eleuabilis, quod alios in primo ſenſu excedat.

Secundus tamẽ, & verior modus eſt aliorũ, qui in humano intellectu vnicũ dũtaxat gradũ ſpecificũ agnoſcunt, ſecundũ quẽ, & eſt potentia naturalis perfectibilis per lumẽ ſciẽtię naturalis in ordine ad entia naturalia ſub eius obiecto proportionato cadẽtia, & potẽtia obedientialis eleuabilis per lumen ſupernaturale ordinis gratiæ, & extenſibilis ad cognitionẽ ſciẽtificã entiũ ſupernaturaliũ vtriuſq; ordinis gratiæ. ſ. & hypoſtici ſub eadẽ ratione formali; quod equidẽ verũ eſſe, probatur primo, nã hæc diſtinctio graduũ nullũ fundamẽtũ habet in D. Tho. vt ab eius diſcipulis defẽdatur.

Secũdo, quia ſequitur animã hominis ſecundũ gradũ ſpecificũ, nempè, vt rationalẽ, nõ eſſe factã ad imaginẽ Dei, neq; eſſe beatificabilẽ, ſiquidẽ vt ſic nõ eſt eleuabilis ad cognitionẽ entiũ ſupernaturaliũ, quę tamẽ ſunt pluſquã falſa; certo enim certius eſt hominẽ, vt rationalẽ eſſe Dei imaginẽ, ac proinde, vt ſic eſſe liberi arbitrij cõpotẽ, & peccabilẽ; vt oſtẽdit D. Th. 1. p. q. 93. ar. 2. & 4. eſt autẽ beatificabilis vt imago eſt Dei, vt ibidem docet D. Thom.

Tertio, nã gradus ille analogicus abſtrahit ab eleuabili, & à nõ eleuabili: ſiquidẽ abſtrahit ab intellectiuo Dei, & Angeli, quod eſt eleuabile, & à rationali, quod non eſt eleuabile: ergo nõ eſt ille gradus ſecundũ ſe totus eleuabilis, ſicut quia animal vt ſic abſtrahit ab homine, & equo nõ eſt ſecũdũ ſe poſsitiuè homo, vel equus; ſed tãtum permiſsiuè.

Quarto probatur, labefactando primũ modũ dicẽdi; nã, aut gradus analogicus eſt perfectior, aut imperfectior; neutrũ poteſt dici: ergo nullo pacto poteſt ſuſtineri. Maior patet, quia vtroq; modo defenditur illa ſententia à ſuis authoribus, & nõ eſt alia via illã defendendi ex cogitabilis. Minor autẽ pro 1. p. probatur: tum quia gradus ſpecificus, ſicut eſt magis determinatus, ita eſt magis actualis: ergo ſi ille nõ eſt eleuabilis, qui eſt perfectior: minus erit eleuabilis analogic⁹, qui eſt imperfectior: tũ etiã, quia implicat gradũ genericũ cõtrahi per diferẽtiã ignobiliorem, & minus actualem ipſo, quia ſecundum rem ſunt idem, & ſecundum rationem, diferentialis eſt actus generici, & forma illius: ergo nobilior illo.

Pro ſecunda vero parte probatur: tum, quia ſi gradus analogicus imperfectior eſt, conſequenter erit minus eleuabilis: tũ etiã quia ſi prout in homine eſt contractus, eſt ignobilior: igitur prout eſt in homine non erit eleuabilis.

Sed dices adhuc: tot ſunt gradus in anima rationali, quot eſſentiales conueniẽtiæ: à quacumque enim eſſentiali conuenientia abſtrahibilis eſt vna ratio formalis, ſiue gradus communis vtrique extremo conuenientiæ: tres autem conuenientias eſſentiales habet quælibet anima rationalis, vnam quidẽ cum alijs animabus hominum à qua abſtrahitur gradus ſpecificicus, cui conuenit modus imperfectiſsimus cognoſcendi per diſcurſum, & per ſpecies à ſenſibilibus abſtractas: aliam vero genericam cum Angelis à qua abſtrahitur gradus genericus, in quo fundatur modus cognoſcendi proportionatus inuoluens adhuc imperfectionẽ, & dependentiam in cognoſcendo ab ſpeciebus inditis, & formatione verbi: ſimiliter habet tertiam conuenientiam analogam cũ Deo in qua fundatur gradus analogicus ab huiuſmodi imperfectionibus vindicatus.

Reſpondetur, nihilominus, quod per eundem gradum differentialem conuenit ſpecifice hæc anima cum alijs animabus, & analogatur cum Deo, atque eſt obedientialiter eſt leuabilis, ad cuiuslibet obiecti ſupernaturalis cognitionem, ſicut ſapientia creata per eundem gradum conuenit ſpecifice cum alijs eiuſdem ſpeciei, & analogatur cum ſapientia increata.

4 Dico tertio. Nulla ſcientia præter Theologiam eſt in viatoribus, quæ de Chriſto tanquam de proprio obiecto poſsit agere. Hæc ſtatuitur aduerſus primum, & tertium modum defendendi tertiam ſententiam, & quia exceptiua eſt, ac proinde exponibilis per tres exponentes, quarum tertia, ſcilicet Theologiam eſſe ſcientiam, eſt certa, & ex his, quæ docent Theologi prima parte quæſt. 1. ſupponitur. Probatur quoad alias duas, ſcilicet omnem aliam ſciẽtiam viatoris à Theologia non agere de Chriſto, vt de proprio obiecto, & Theologiam ipſam de Chriſto, vt de proprio obiecto agere; quoad primum quidem quoniã omnis alia ſcientia, aut naturalis eſt, aut ſupernaturalis. Si naturalis nequit attingere alicuius myſterij gratię intimam cognitionem; myſteria enim gratię omnino naturale lumẽ intellectus ſubterfugiũt, vt ex his, quę docemur 1. p. q. 57. art. 5. & 1. 2. q. 109 ſupponimus. Si ſupernaturalis, ſiue infuſa, vt ſcientia indita Chriſti Domini, hæc præ habet Theologiæ perfectionem, vnde neque à nobis excluditur, aut ſi excludi debet, eſt, quia non eſt puri viatoris, ſed ſimul compræhenſoris qualis fuit anima Chriſti Domini mortale, & paſsibile corpus informans, neque alia poteſt excogitari ſubalternata Theologiæ, tum quia hæc pars Theologiæ immediate ſubalternatur eidem habitui principiorum, atque tota Theologia ſcilicet fidei, à qua accipit ſua principia: ergo non ſubalternatur alteri Theologiæ: tum etiam quia obiectum ſubalternatæ addit differentiã accidentalem, quæ de obiecto ſubalternantis prædicatur in materia contingẽti, & prædicationes. 5. prædicabilis quo pacto viſualitas de linea, & ſonus de numero prædicatur: id autem, quod obiectum iſtud addit ſupra Deum non ſic ſe habet ex additione accidentali, etenim addit hominem, qui teſtè D. Thom. infra q. 16. art. 1. ad 1. de Deo per ſe, & prædicatione ſecundi prædicabilis prædicatur: ergo. Tum denique quia tractatus, qui agit de Deo, vt vltimo fine, & ille, qui agit de Deo, vt viſo in materia de viſione, & de Deo vt iuſtificatore in materia de gratia non ſubalternatur Theologiæ, quæ agit de Deo ſecundum ſe; licet rationes vltimi finis viſi, & iuſtificatoris ex additione ſe habeant ad Deum ſecundũ ſe: ergo neque hic tractatus, qui agit de Deo, vt vltimo fine ſubalternatur Theologię de Deo ſecundum ſe, licet hominem eſſe ex additione ſe habeat ad Deum ſecundũ ſe. His adde, quod principia huius tractatus, ſcilicet articuli de humanitate Chriſti non manifeſtantur in Theologia noſtra, ſed manẽt obſcuri, quæ tamen eſt intrinſeca conditio ſcientiæ ſubalternatæ, teſtè D. Thom. 1. p. q. 1. art. 2. quoad ſecundũ autẽ patet, quia ſi ad aliquam viatoris ſcientiam ſpectat tractare de hoc myſterio, vt de proprio obiecto partiali; & non ad alias à Theologia, pertinebit ad Theologiam.

Eius obiectũ in hoc tractatu eſt Ieſus Chriſtus etiam quo ad ſingulares conditiones.

Dico quarto. Obiectum huius tractatus Theologici eſt Ieſus Chriſtus nedum ſecundum communes, ſed etiam ſecũdum ſingulares eius conditiones: hæc ſtatuitur aduerſus Suarez, & alios Iuniores, qui tuentur ſecundum modum explicandi tertiam ſententiam.

Et probatur primo, ſupponendo, quod nomine Chriſti, vt docent gloſſa Lucæ 9. Auguſtinus lib. de bono perſeuerantiæ cap. 14. & Ambroſius ſuper cap. 2. epi-

ſtolæ

Digitized by Google

ſtolæ ad Philipenſes, deſignatur vna perſona diuina, quæ ſimul eſt Deus, & homo, vel diuinum Verbum, vt terminans humanitatem, vel ſignificantur diuinitas, & humanitas coheuntes in vnam perſonam, quam cõiunctionem, ſiue vnionem ſignificat hoc nomen *Incarnatio*. Quo ſuppoſito ſic argumentor: obiectum huius tractatus debet eſſe obiectum totius Theologiæ cum aliqua determinatione, quia omnes tractatus alicuius ſcientiæ circa idem obiectum formale verſantur, ſed obiectum totius Theologiæ eſt Deus: ergo, & obiectum huius tractatus Theologici debet eſſe Deus, non ſecundum ſe; ſic enim terminat tractatum primæ partis, neque vt vltimus finis rationalis creaturæ: ſic enim terminat tractatũ ſecundæ partis, ſed vt homo: ſic enim terminat tractatum tertiæ partis.

Secundo, nam idem eſt obiectum materialiter, & ſecundum rem Theologiæ cũ obiecto materiali beatæ viſionis, fidei, atq; prædicationis Apoſtolorum. Sed obiectũ materiale beatæ viſionis, fidei, & prædicationis Apoſtolorum eſt Chriſtus, ſiue Deus, vt homo: propterea enim dicitur Ioannis 17. ab ipſa prima veritate: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te, &c. & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*. Et à Paulo primæ ad Corinth. 1. *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum*: ergo, & idem eſt obiectum materiale, quod à Theologia conſideratur: non autem alibi, niſi in hoc tractatu.

Confirmatur, nam Chriſtus eſt ſubiectum, de quo demonſtrãtur paſsiones ſcibiles in hac parte, totaque intentio huius tractatus dirigitur ad habendam cognitionem de Chriſti proprietatibus, & conditionibus, videlicet de eius gratia, & potentia, & merito, per illũque hic tractatus ab alijs eiuſdem Theologiæ diſcriminatur, quæ ſũt conditiones à D. Tho. art. 4. prologi ſententiarum, pro quibuſcumque ſcientiarum obiectis: ergo.

Secunda pars probatur primo, nã hoc verſatur diſcrimen inter naturales, ac ſupernaturales ſcientias, quod illæ vtuntur eſſentia, ſiue diffinitione ſui obiecti ad aliquid de illo demonſtrandum, vnde ſolũ illę poſſunt de illo demonſtrare, quæ cum eius eſſentia habent neceſſariam connexionẽ, ac proinde tantum ſunt de neceſſarijs, & non de contingentibus; iſtæ vero innituntur diuinæ reuelationi primę veritatis, ſub qua tam illa, quæ habent neceſſariam connexionẽ cum ſubiecto, quã ea, quæ per accidens illi cõtingunt cadere poſſunt, ſed quæ ſubſunt diuinę reuelationi non habent minorem infalibilitatem, quam illa, quæ habent neceſſariam connexionem cum eſſentia ſubiecti: ergo ſicut de his ſcientia naturalis, ita de illis ſupernaturalis ſciẽtia haberi poteſt.

Secundo, nam ſingularia, & contingentia attinguntur ſcientifice à Deo per eius increatam ſcientiam inditam, quia attingit illa mediante decreto diuinę voluntatis, ſecundum quod ſubinduunt infalibilitatem quãdã, ac neceſsitatem ex ſuppoſitione: ergo etiam Theologia noſtra ad illa ſcientificè poteſt ſe extendere. Conſequẽtia patet, quia nõ eſt neceſſaria maior connexio effectuum cũ cauſa in noſtra Theologia, quam in illis ſciẽtijs, & per eaſdem cauſas noſtra Theologia iudicat, atque illę, ſolũquè eſt diſcrimen ex parte modi tendendi penes magis, aut minus clarum, creatũ, aut increatum lumen.

Tertio probatur, ſatisfaciendo fundamẽto oppoſitæ ſentẽtiæ: quod ſic habet. Incarnatio ſecundum cõditiones ſingulares, & actiones ipſius Chriſti Dñi ſecundũ ſe, & ex natura ſua ſunt contingẽtes, ſed de cõtingẽti ſecũdum ſe nequit eſſe ſciẽtia: ergo ad Theologiã ſolũ pertinet incarnatio ſecũdũ rationes cõmunes, ac neceſſarias. Min. probatur, nã vel de cõtingenti, vt ſic ſecundũ ſe ſeorſum ſumpto poſſet eſſe ſcientia, & hoc nõ quia vt ſic inuoluit cõtingẽtiã, quæ obſtat ſciẽtificę cognitioni, quæ ſolũ eſt de his, quæ aliter ſe habere nõ poſſũt, vel de illo, vt ſubeſt diuinæ reuelationi, ac decreto: ſed neq; vt ſic poteſt dari ſciẽtia de illo propter duo. Tũ, quia reuelatio, & decretũ Dei nihil intrinſecũ ponũt in obiecto contingẽti: ratio autẽ ſcibilis cũ ſit paſsio, & perfectio entis nõ poteſt, nõ aliquid intrinſecũ ponere in illo. Tũ etiã, quia neceſsitas ex ſuppoſitione decreti, vel reuelationis nõ ſufficit cõſtituere propoſitionẽ aliquã in ratione ſcibilis: alioquin de huiuſmodi enũciatis, Papã dormire, & Abrahã obtuliſſe filiũ ſuum, poſſet eſſe ſcientia naturalis, vel Theologica: quatenus ex ſuppoſitione quod à Deo ſciũtur, aut reuelãtur, ſũt neceſſariæ: quod nõ eſt admittẽdũ: ergo. Huic obiectioni nihilominus reſpõdetur negãdo minorẽ. Ad cuius probationẽ, negatur iterũ min. pro 2. p. Et ad primã improbationem dicendum eſt, vno eſt duobus modis, vel quod obiectũ ſcientiæ ſupernaturalis, ſicut accipit infalibilitatem ab extrinſeco, ita

Digitized by Google

poteſt eſſe ſcibiſe per medium extrinſecum quale eſt diuina reuelatio, ſiue diuinum decretum, quod nihil intrinſecum ponit in illo: qua ratione miſteria fidei fiunt credibilia propter teſtimonium primæ veritatis, quod nihil intrinſecum ponit in illis. Vel quod veritates ſcibiles de actionibus ſingularibus Chriſti, radicaliter quidem ſunt ſcibiles, per intrinſecam ſuam entitatem, per quam diuinæ ſcientiæ ſubordinantur, ac decreto, à quo dependent, & infalibiliter cauſantur: proximè verò fiunt ſcibiles per extrinſecam Dei reuelationem, quæ actiuè eſt in Deo: paſsiuè autem eſt ipſum lumen fidei, aut Theologiæ in intellectu Theologi receptum.

Ad ſecundam reſpondetur; quod ſicut fides Catholica tantum eſt de veritatibus pertinentibus ad communem ſtatum Eccleſiæ: ita Theologia illi ſubalternata ſolum extenditur ad concluſiones concernentes ſtatum communẽ Eccleſiæ. Et quia omnis actio Chriſti fuit noſtra inſtructio; ideò ad concluſiones deductas ex Chriſti actionibus, poteſt extendi Theologia: ſecus verò ad veritates, quæ ex ſingularibus actionibus Pauli, Abrahã, vel Põtificis deduci poſsũt, vtpote in quib⁹ nulla Eccleſiæ vtilitas cõmunis relucet. Cæterum ſi inquiras; an ſicut de actionibus ſingularib⁹ Chriſti datur Theologia; ita etiam poſsit à Deo infundi lumen aliquod naturale, aut ſupernaturale inclinans ad aſſentiendum concluſionibus deductis, ſiue deducendis ex prædictis actionibus particularium hominũ prout à Deo reuelatis?

Reſpondetur poſſe quidem, ſed illud aut erit cuiuſdam Theologiæ particularis diſtinctæ ſpeciei à noſtra, quæ fidei Catholicæ ſubalternatur: aut erit lumẽ fidei naturalis innitens teſtimonio, & reuelationi Dei authoris naturalis, ſi admittamus Deum, vt authorem naturæ poſſe aliquid reuelare: quod nullum inconueniens videtur.

Dubium ſecundum eſt. An recto ordine in hac tertia parte ſummæ de Chriſto Saluatore D. Thom. tradat cognitionem?

5 RATIO Dubitandi deſumitur ex prologo ſecũdæ partis, vbi ſic ait: *Quia ſicut Damaſcenus dicit homo factus ad imaginem Dei dicitur, &c. poſtquam prædictũ eſt de exemplari, ſcilicet de Deo, & de his, quæ proceſſerunt ex diuina poteſtate ſecundum eius voluntatem, reſtat, vt conſideremus de eius imagine, ideſt de homine ſecundum quod, & ipſe eſt ſuorum operum principium.* Sed dignitas imaginis Dei ſoli Chriſto ſeruatori cõuenit, illique ſoli in Scriptura, & Sanctis Patribus attribuitur: propterea enim ad Coloſenſes primo Paulus eũ appellat imaginem Dei inuiſibilis primogenitum omnis creaturæ, & cap. 3. eandem proſequitur ſententiam, dicens: *Expoliantes vos veterem hominem cum actionibus ſuis, & induẽtes nouum eum, qui renouatur in agnitionem ſecundum imaginem eius, qui creauit illum,* ideſt, ſecundum Chriſtũ, qui ſolus eſt imago Dei. Vnde Ambroſius ſuper Lucæ 22. ait in hęc verba: *Solus Chriſtus eſt plena imago Dei propter expreſſam in ſe paternæ claritatis vnitatem; iuſtus autem homo ad imaginem Dei eſt.* Et idẽ ſuſtinet Aug. lib. 83. quæſtionum quæſt. 51. & Hugo de Sancto Victore explicans illa verba Geneſ. 1. *Creauit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*: quia propoſitio *ad* denotat hominem à propriæ imaginis ratione deficere: ergo poſt tractatum de Deo Archetypo in prima parte abſolutum; rectus ordo de Chriſto vera eius imagine potius, quam de homine in ſecunda parte tractandum exigebat.

Confirmatur dupliciter. Primo, nã tractatus de vltimo fine, & humanorum actuum principijs, aut tot⁹ eſt moralis, aut magis eſt moralis, quam ſpeculatiuus: ergo in illo, & non in iſto tertiæ partis erat agendum de Sacramentis, de pœnis, ac cẽſuris, quæ pertinent ad mores, necnon de aduentu

Digitized by Google

aduentu ſecundo Chriſti, & corporum reſurrectione, ex qua beatitudo, & vltima hominum fœlicitas integratur.

Confirmatur ſecundo ex D. Dionyſio qui capit. 3. de diuinis nominibus ait inter nomina, quibus Deus ſecundũ quod eſt cauſa rerum manifeſtatur præcipuum eſſe bonum. *Prima namque*, ait ille, *inter Dei nominationes, & totarum Dei perfectionum, totarumque prouidentiarũ ab ipſo benignè donatarum manifeſtatiua eſt boni nominatio*: Ordo autem nominum attenditur ſecundum rerum ſignificatarum, & ſecundum ordinem concipiendi: ergo prius venire debet in conſiderationem Theologiæ Deus ſub ratione boni, quam ſub ratione primi entis, & principij effectiui creaturarum, ac proinde cũ incarnatio orta fuerit ex ſũma Dei bonitate, vt Diu. Thomas probat in primo articulo, prius debuit agere de illa.

Adſtruitur rectus ordo Angelici Doctoris in hac tertia parte.

6 Sed nihilominus concluſio eſt affirmatiua, quam omnes nobiores Theologi amplectuntur, & quia teſte Auguſtino lib. de vtilitate credendi ad Honoratum capit. 8 ordo, & modus docendi diuinas veritates ex aliqua diuina veritate eſt deſumendus, oſtenditur rectus ordo Diu. Thomæ in tradendo myſterium Incarnationis ex illo Eccleſ. 24. vbi diuina ſapientia ſui cupidos, quaſi ſuarum contemplationũ profuſſa nimis, inuitat, vt ipſius generationum adimpleantur cognitione dicẽs: *Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & â generationibus meis adimplemini*: inuitatis vero has quatuor generationes contemplandas, quaſi quatuor apophoreta hoc ordine proponit: *Ego ex ore altiſsimi prodiui primogenita ante omnem creaturam: ego feci in cœlis, vt oriretur lumen indeficiens, & ſicut nebula texi omnem terram*, vel iuxta aliam litteram *omnem carnem*. ex quo loco tale deducitur argumẽtum. Diuina ſapientia hoc ordine ſuarum generationum nobis tradit cognitionem, vt prius generationem æternam ſub illis verbis: *Ego ex ore altiſsimi prodiui*, deinde tẽporalem generationem creaturarum ſecundum eſſe naturale ſub illis: *primogenita ante omnem creaturam*, tertio loco generationem creaturæ rationalis ſecundum eſſe gratiæ, ſub illis: *Ego feci in cœlis, vt oriretur lumen indeficiens*, ſcilicet gratiæ, & vltimo loco generationem humanitatis aſſumptæ ſecundum eſſe hypoſtaticum per quam Verbum factum caro de Virgine temporaliter natum eſt ſub verbis illis, *ſicut nebula texi omnem carnem*, proponat contemplandam; ſed eundẽ ordinem obſeruat Diu. Thomas in ſua ſumma: ergo recto ordine proceſsit.

Conſequentia patet quia rectus ordo Theologiæ debet eſſe conſonus diuinæ ſapientiæ, à qua exẽplatur, & cuius eſt quędam impreſsio, atque eius luminis participatio. Maiorem autem ſic oſtendo, nam de prima generatione ait Eſaias cap. 53. ſilentij oratione potius laudandam: *Generationem eius quis enarrabit?* & Pſalmi 2. in perſona Patris AEterni. *Ego hodie genui te*, ex quo teſtimonio Paulus ad Hebræos 1. probat Chriſtum eſſe Filium Dei naturalem, vnde in perſona eiuſdem Filij congruẽter ait diuina ſapientia, ego ex ore altiſsimi prodiui; de generatione autem creaturarũ ſecundum eſſe naturæ dicitur Geneſ. 2. *Iſtæ ſunt generationes cœli, & terræ*, ad hominem vero earum Principem dicitur Deuteronom. 32. *Deum qui te genuit dereliquiſti*, & quia Chriſtus ad Coloſſenſes 1. primogenitus omnis creaturæ nuncupatur, propterea ſubdit ſapientia, *primogenita ante omnem creaturam*: de tertia dicitur Iacobi 1. *Voluntarie genuit nos Verbo veritatis*: Et de ſic regeneratis 1. Petri 2. *Sicut modo geniti infantes*, Ioann. 1. *Sed ex Deo nati ſunt*, & quia gratia eſt lumen indeficiens, de ſe inamiſsibilis, ſequitur. Ego feci in cœlis vt oriretur lumen indeficiens: de quarta denique ſubdit: *Ego texi ſicut nebula omnem carnem*, quia eſt quarta ſpecies generationis à tribus prioribus condiſtincta, & propterea dicitur Geneſ. 15. de filijs Abrahæ *Generatione autem quarta reuertentur*; quod licet ad litteram fuerit adimpletum, quando filij Iſraël de AEgypto in quarta generatione per lineam Sacerdotalem leuiticã teſte Hieronym. quæſt. 2. ad Damaſſum egreſsi fuere: tamen ſecundum Alegoricum ſenſum adimpletũ fuit quando filij Abrahæ per fidem de Pharaonis, hoc eſt diaboli ſeruitute fuerunt per Chriſtum liberati, cuius generatio fuit quarta ſecundum ſpeciem, de qua dicitur Matth. 1. *Generatio autem Chriſti ſic erat*, eiuſq; caro dicitur omnis terra, ſiue omnis caro propter tria: tum quia per Incarnationem tota ſpecies humana, immo & totum vniuerſum accepit aliquam maiorem perfectionem: tum etiam quia quoad debitum ſatisfaciendi, & tandem quoad conſortium ſpeciei humanæ propter ſpecificam conuenientiã omnis noſtra caro fuit in illo, & propterea Hieremiæ 30. dicitur: *Vidi omnis viri manũ ſuper lumbum ſuum*; id eſt Chriſti teſte Galatino lib. 8. cap. 3. qui appellatur omnis vir,

qua

Digitized by Google

quia omnium hominum caro tribus prædictis modis in eo continetur; nebula autem appellatur hæc caro aſſumpta propter duo: tum quia diuina ſapientia texit illam ex nebula mortalitatis, & paſsionum, in medicinam peccatorum, de qua verificatur illud Eccleſiaſt. 43. *Medicina omnium in feſtinatione nebulæ*: tum etiam quia in illa habitat Deus abſconditus, quaſi in nebula, de qua propterea Salomon ait 3. Regum 8. *Dixit Dominus, vt habitaret in nebula*, ideſt, in aſſumpta carne. Minor tandem probatur ex ipſius ſummæ Diu. Thom. partitione; illam enim in 3. diuiſsit partes, in quarũ prima de generatione æterna Verbi cum omnibus ipſi adiunctis ex parte eſſentiæ, & aliarum perſonarum, ſimulque de temporali generatione creaturarum, & mirifico modo, quo à Deo gubernantur. In ſecunda vero quam tum ob longitudinem: tum etiam, quia ordo doctrinæ docens à communioribus eſſe incipiendum priuſquam ad ſingulas ſpecies deſcendamus id iure optimo poſtulabat, poſtea in duas partes diſcipuli ſubdiuiſſerunt, agit de tertia hoc eſt de rationalis creaturæ per gratiam generatione ac de eis adiũctis, videlicet de ei⁹ diſpoſitionib⁹ ex Dei ſtatuto neceſſarijs, quę ſunt actus humani de eorũque principijs, virtutibus, paſsionibus ad mediũ redactis, & legibus, de eorumque contrarijs vitijs, ac de peccatis, ſine quibus illorum cognitio non poterat haberi.

Tertiam, ſiue quartam tandem partem in conſideratione quartæ generationis ordinis hypoſtatici cum omnibus effectibus, beneficijs, ac Sacramentis, inde prouenientibus abſoluere pergebat, & proculdubio abſolueret, niſi intẽpeſtiua fuiſſet morte præuentus.

Secundo colligitur hic ordo, ex ordine, quem diuina ſapientia, Cant. 5. ſeruauit in laudibus ſui ſpõſi; ſcilicet Chriſti incœpit namque ipſum laudare à capite deſcendendo vſque ad pedes, & calceamenta. Caput autem Chriſti, teſtè Paulo 2. ad Corinth. 11. *Eſt Deus*: per medium autem corporis denotantur creaturæ, & per pedes, atque calceamenta, vt notat Gregor. homil. 7. ſuper Euangelia ex illo Ioannis 1. *Cuius non ſum dignus vt ſoluam corrigiam calceamenti*, ſignificatur Incarnatio: ergo Theologia, quæ eſt ſermo de Deo prius de eius diuinitate ſecundum ſe, deinde de eius effectibus in eſſe naturæ, & gratiæ, & tandem de eius carne aſſumpta debet ſermonem inſtituere, vt ſic diuinæ ſapientiæ conformetur.

Tertio colligitur ex imaginum diuerſitate, in quibus Deus diuerſimodè participatur; nam primo debet Theologia agere de Deo ſecundum ſe, qui eſt eius obiectum formale, & de eius veſtigijs; ſcilicet irrationalibus creaturis, atque de eius naturali imagine in creaturis rationalib⁹ reperta; deinde de alia perfectiori imagine, quã rationalis creatura aſſequitur per gratiam, & tandem de perfectiſsima imagine, quæ ſaluatur in Chriſto, quẽ ordinem obſeruauit proculdubio Diuus Thomas. Et ex hoc patet ad rationem dubitandi; dicitur namque Chriſtus per excellentiam quamdam imago Dei, non quia ſolum ipſe ſit imago, ſed quia ſolus eſt perfectiisima imago, & quia homo ab hac perfectione deficiebat dicitur factus ad imaginem, quinimo, neque propoſitio *ad* imperfectionem ſemper denotat cap. enim 5. eiuſdẽ libri Geneſæos, dicitur quod Adam vixit centum triginta annis, & genuit filium, ideſt, *Seht ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam*, & tamen Seht fuit perfecta, & vera imago ſui parentis. Etſi Batablus vellit rellatiuum *ſuam*, non ad Adamum, ſed ad Deum facere relationẽ, quaſi ſit ſenſus Adamus factus ad imaginẽ Dei ad eiuſdem Dei imaginem genuit filiũ ſuum Seht: prima tamen expoſitio, ſicut communior, ita, & probabilior eſt. Ad confirmationem patet etiam ex dictis.

QVAESTIO I.

De conuenientia Incarnationis, in ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm conueniens fuerit Deum incarnari?

3. d. 1. q. 1. ar. 2. et 1. cont. c. 40. 49. 53. 54. et 55. & op. 2. c. 5. et 6. & op. 3. cap. 207. & 208.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quôd non fuerit conueniens, Deum incarnari. Cum enim Deus ab æterno ſit ipſa eſſentia bonitatis, ſic optimum eſt ipſum eſſe ſicut ab æterno fuit. Sed Deus ab æterno fuit abſque omni carne. Ergo conuenientiſsimum eſt; ipſum non eſſe carni vnitum. Non ergo fuit conueniens, Deum incarnari.

2 Præterea, quæ ſunt in infinitum diſtantia, inconuenienter iungũtur: ſicut inconueniens iunctura eſſet, ſi quis pingeret imaginem, in qua humano capiti ceruix iungeretur equina. Sed Deus & caro in infinitum diſtant, cum Deus ſit ſimplicimus: caro autem maximê compoſita, & præcipuê humana. Ergo inconueniens fuit, quôd Deus carni vniretur humanæ.

3 Præterea, ſic diſtat corpus â ſummo Spiritu, ſicut malitia â ſumma bonitate. Sed omnino inconueniens eſſet, quôd Deus, qui eſt ſumma bonitas, malitiam aſſumeret. Ergo non fuit conueniens, quod ſummus Spiritus increatus corpus aſſumeret.

4 Præterea, inconueniens eſt, vt qui excedit magna, contineatur in minimo: & cui imminet cura magnorum, ad parua ſe transferat. Sed Deum, qui totius mundi curam gerit, tota rerum vniuerſitas câpere non ſufficit. Ergo videtur inconueniẽs, quod intra corpuſculum vagientis infantiæ lateat, cui parum putatur vniuerſitas: & tamdiu â ſedibus ſuis abſit ille Regnator, atque ad vnum corpuſculum totius mundi cura transferatur, vt Voluſianus ſcribit ad Auguſtinum †.

Sed contra, illud videtur eſſe conuenientiſsimum, vt per viſibilia monſtrentur inuiſibilia Dei: ad hoc enim totus mundus eſt factus; vt patet per illud Apoſtoli ad Roman. 1: Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur. Sed ſicut Damaſcenus in principio 3. lib. * per Incarnationis myſterium monſtratur ſimul bonitas, & ſapientia, & iuſtitia, & potentia Dei, vel virtus. Bonitas quidem, quoniam non deſpexit proprij plaſmatis infirmitatem. Iuſtitia verô, quoniam homine victo, non alio quam homine fecit vinci tyrannum, neque vi eripuit ex morte hominem. Sapientia verô, quoniam inuenit difficillimi pretij decentiſsimã ſolu-

† ep. 2. in med. illius to. 2. inter opera Aug.

* orth. fid. c. 1. in medio illius.

ſolutionem. Potentia verô ſiue virtus infinita, quia nihil eſt maius, quã Deũ fieri hominem. Ergo conueniens fuit Deum incarnari.

3. d 1. q. 1. a. 3. ad 3. et q 2. a. 2. 1. & d. 4. q. 1 art. 1. q. 1. cor. & ad 2

Reſpondeo dicendum, quod vnicuique rei conueniens eſt illud quod competit ſibi ſecundum rationem propriæ naturæ: ſicut homini conueniens eſt ratiocinari, quia hoc conuenit ſibi, in quantum eſt rationalis, ſecundum naturam ſuam. Ipſa autem natura Dei eſt eſſentia bonitatis, vt patet per Dionyſium 1. cap. de diuinis nominibus †. *(â med. illi9.)* Vnde quicquid pertinet ad rationem boni, conueniens eſt Deo. Pertinet autem ad rationem boni, vt ſe alijs communicet: vt patet per Dionyſium, 4. cap. cap. de diuinis nominibus *. *(ã 4. cir. pr.)* Vnde ad rationem ſummi boni pertinet, quod ſummo modo ſe creaturæ communicet. Quod quidem maximê fit per hoc, quod naturam creatam ſic ſibi coniungit, vt vna perſona fiat ex tribus, ſcilicet verbo, anima, & carne: ſicut dicit Aug. 13. de Trin. † Vnde manifeſtum eſt, quod conueniẽs fuit Deum incarnari.

c. 17. nõ procul â princ. to. 3. inf. q. 2. a. 1. & 3 d. 1. q. 1. a. 1. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod incarnationis myſterium non eſt impletum per hoc, quod Deus ſit aliquo modo â ſuo ſtatu immutatus, in quo ab æterno fuit: ſed per hoc, quod nouo modo ſe creaturæ vniuit, vel potius eam ſibi. Eſt autem conueniens vt creatura, quæ ſecundum rationem ſui mutabilis eſt, non ſemper eodem modo ſe habeat. Et ideo ſicut creatura incepit eſſe, cum prius non eſſet: ita conuenienter, cum prius non eſſet vnita Deo in perſona, poſtmodum ei fuit vnita.

Ad ſecundum dicendum, quod vniri Deo in vnitate perſonæ, non fuit conueniens carni humanæ ſecundum conditionem ſuæ naturæ, quia hoc erat ſupra dignitatem ipſius: conueniens tamen fuit Deo ſecundũ infinitam excellentiam bonitatis eius, vt ſibi eam vniret pro ſalute humana.

Ad tertium dicendum, quod quælibet alia conditio, ſecundũ quam creatura quæcumque differt â creatore, â Dei ſapientia eſt inſtituta, & ad Dei bonitatem ordinata. Deus enim propter ſuam bonitatẽ cum ſit increatus, immobilis & incorporeus, produxit creaturas mobiles & corporeas. Et ſimiliter malum pœnæ â Dei iuſtitia eſt introductum propter gloriam Dei: malum vero culpæ committitur per receſſum ab arte diuinæ ſapientiæ, & ab ordine diuinæ bonitatis. Et ideô Deo conueniens eſſe potuit aſſumere naturam creatam, mutabilẽ, corpoream, & pœnalitati ſubiectam: non autem fuit ei conueniens aſſumere malum culpæ.

Ad quartum dicendum, quod ſicut Auguſtin. reſpondet in epiſtola ad Voluſianum *. *(eſt ep. 3. aliquant. â pr. t. 2.)* Non habet hoc Chriſtiana doctrina, quod ita ſit Deus infuſus carni humanæ, vt curam gubernandæ vniuerſitatis vel deſeruerit, vel amiſerit, vel ad illud corpuſculum quaſi contractam tranſtulerit: hominum enim eſt iſte ſenſus, nihil niſi corporea valentium cogitare †. *(in ea ep. ante med.)* Deus autem non mole, ſed virtute magnus eſt: vnde magnitudo virtutis eius, nullas in anguſto ſentit anguſtias. Non eſt incredibile, ſi verbum hominis tranſiens, ſimul auditur â multis, & â ſingulis totum, quod verbum Dei permanens, ſimul vbique ſit totum. Vnde nullum inconueniens ſequitur Deo incarnato.

†

CON-

CONCLVSIO affirmans eſt, cuius veritas duobus dubijs eſt examinanda: in quorum altero poſsibilitatem, & in altero conuenientiam Incarnationis oſtẽdemus, eoquod illam D. Thom. in hoc art. artificioſe, aut ſuponit, aut implicite probat, hanc autem expreſſe demonſtrat ſupoſito articulo fidei de Incarnatione.

Dubium primum eſt. An poſsibile ſit Deum Incarnari.

Expeditur ſtatus quæſtionis. 7 IN quo dubio operæpretium eſt prę ſcire ob quam rationem Diu. Thomas, quæſtionem de poſsibilitate Incarnationis omiſſerit, aut nõ expræſſerit: nec enim eſt omnium interprętum eius concors ſententia: ſed in tres dicendi modos diuiſſa.

Primus eſt Valentiæ hic punto 2. aſſerentis, quod Diuu. Thom. nequit excuſari à vitioſa omiſsione huius quæſtionis de poſsibilitate Incarnationis, eoquod debitus ordo doctrinæ exigit à prioribus, & communioribus eſſe incipiendum, prius autem, & communius eſt Incarnationem eſſe poſsibilem, quam conuenientem: ergo prius debuit Diu. Thomas poſsibilitatem illius quam conuenientiam oſtendere: vnde quia conuenientia eſt quid ſuperius ad neceſsitatem primũ art. huius quæſtion. de cõuenientia, & ſecundum de neceſsitate Incarnationis inſtituere debuit.

Secundus eſt aliorum Iuniorum aſſerentium, ad Theologiam non pertinere tractatum de poſsibilitate Incarnationis, vtpote qui eſt præambulum ad eius principia, & nulla ſcientia agit de præambulis ad ſua principia.

Tertius, & huic affinis eſt, quem primo loco Caietan. ſtatuit in hoc art. 1. & ſequitur Suar. in expoſitione litteræ dicentis nullam ſcientiam probare ſua principia, ſed ſuponere, & quia obiectũ hui[9] partis eſt Chriſtus in quo includitur Incarnatio, & eius poſsibilitas: propterea Diuus Thomas hanc non probat, ſed ſuponit. Sed omnes iſti modi dicendi deficiũt à veritate; primus quidem quia Diuus Thomas dum conuenientiam Incarnationis in hoc articulo probauit, ſufficienter eius poſsibilitatem oſtendit, qui in ipſa conuenientia includitur quare non vitioſe quæſtionem de poſsibilitate omiſsit aut ſupoſuit, ſed artificioſe ſub titulo conuenientiæ expoſuit. Neque eſt ſimile de conuenientia reſpectu neceſsitatis hæc enim ſumitur ex parte hominis, de qua mouetur art[9]. 2. quia in ea vt ſic nõ includitur conuenientia Incarnationis deſumpta ex parte Dei, de qua inſtituitur articulus primus. Secundus vero modus deficit quia Theologia eſt ſapientia, teſte Diu. Thoma, 1. part. quæſt. 1. art. 6. ad ſapientiam autem pertinet probare, defendere, ac declarare principia ſui obiecti, ſicque Diuus Thomas Theologico lumine, 1. part. quæſt. 2. art. 3. probat Deum eſſe, qui eſt eiuſdem luminis obiectum. Deinde licet ſcientia non poſsit demonſtrare principia adæquata ſui obiecti, bene tamen principia inadæquata alicuius nimirum partis obiecti pertinentis ad aliquem ſpecialem tractatum, quia tunc poteſt, vti ratione; ac principijs obiecti adæquati, tanquam priori, ac notiori medio demonſtrationis, quo pacto Philoſophus in libris de ortu, & interitu demonſtrat eſſentiam, & poſsibilitatem generationis, quæ eſt obiectum peculiare illius tractatus ex principijs entis mobilis quod eſt adæquatum obiectum totius Philoſophiæ: igitur & poſsibilitas Incarnationis ex notitia Dei auctoris ſupernaturalis, qui eſt adæquatum obiectum totius Theologiæ poterit demonſtrari. Denique quia poſsibilitas Incarnationis quatenus inuoluit potentiã actiuam ex parte Dei eſt proprietas ipſius ad diuinam eſſentiã veluti cõſequuta, ſicut & ipſa omnipotentia, cum qua non ponit in numero: ergo eſt concluſio à Theologo demonſtrabilis: eiſdem rationibus improbatur tertius modus.

Quare illis reiectis verus modus dicendi eſt, quem Caietanus ſubdit hic ſecundo loco, & amplectuntur Medina quæſt. 2. prologi, atque Vazqu. hic dub. 1. nimirum quod poſsibilitas Incarnationis licet ſit præambula ad articulum Fidei de actuali Incarnatione, eſt demonſtrabilis à Theologo: & quia includitur in Incarnationis conuenientia ex parte Dei, nõ ſupponitur, ſed implicitè probatur hic à Diu. Thoma, ſicut Deum poſſe creare, & *Præfertur ſentẽtia Caieta. de poſſibilitate incarnationis demõſtrabili à Theologo.*

poſſe

poſſe videri licet præambula ſint ad articulos fidei de actuali creatione, & viſione, nihilominus ex alijs principijs demonſtrantur à Theologo vt mediate reuelata. Neque in conuenit id quod eſt præambulum ad aliquam rationem formalem cadere ſub illa in eſſe cognoſcibilis, quamuis enim Deum eſſe, verbi gratia ſit prius in eſſendo ratione noſtra, quam Deum eſſe veracem in reuelando, tamen in ratione obiecti credibilis cadit ſub diuina veracitate, ac reuelatione, & mediante ea attingitur à fide. Hoc igitur præſupoſito, ac prænotato circa poſſibilitatem Incarnationis, communis error fuit Iudæorum, & Gentilium à principio naſcentis Eccleſiæ Deum incarnari nõ poſſe, qui proinde Chriſtum purum hominem eſſe cenſebant: propterea enim, teſte Irinæo lib. 4. contra Hæreſes cap. 41. Paulus 1. ad Corinth. appellat Chriſtum Iudæis ſcandalum, & gentibus ſtultitiam, & capit. 15. fatetur abundantius præ cæteris Apoſtolis ſe laborare quia gẽtibus non admittẽtibus ſcripturas Chriſtũ Dñm ſimul, & hominẽ prædicabat. Eũdẽ errorẽ Arriani teſte Athanaſio ſer. 4. cõtra Arrianos, Samoſetani, Arthemõ cũ Ebione, Cherintho, & alijs relatis à Caſtro de Hæreſ. hæreſi 1. & Prateol lib. 1. de vitis Hæreticorum littera A. num. 70. ſequuti fuere; quorum fundamenta ad hæc tria reducuntur.

Primum quia implicat Deum mutari, cum enim ſit per eſſentiam immutabilis, vt demonſtrat Diuus Thomas 1. part. quæſtion, 9. eius oppoſitum neque per ſe, neque per accidens poteſt illi conuenire: ſed ſi aſſumeret carnem mutaretur: ergo implicat ipſum Incarnari. Minor ſuadetur tripliciter, tum quia mutari eſt rem aliter ſe haberi nunc quam antea; aut ſubire de nouo prædicationẽ alicui⁹ realis, ſeu abſoluti prędicati: in Incarnatione autem Deus ſe aliter habet ſiquidem accipit eſſe ſubſtantiale hominis, quod antea non habebat in ſe formaliter, ſubitque de nouo prædicationem hominis, quæ eſt realis & abſoluti prædicati: ergo. Tum etiam quia per Incarnationem Verbum diuinum, vere eſt genitum ratione humanæ naturæ, vtpote quæ fuit vere genita, ſicut anima Chriſti ſuit vere creata, non obſtante quod ſuppoſitum nec genitum, nec creatum fuit, ſed vtrique communicatum per ſuperuenientem actionem aſſumptiuam, ſed generari, & eſſe genitum eſt mutari propter duo: tum quia eſt terminus mutationis realis, qualis eſt generatio, & inſuper quia eſt fundamentum realis filiationis, teſte Diuo Thoma infra quæſt. 35. art. 5. ſicut enim creatio eſt fundamentum realis relationis creaturæ ita generatio eſt fundamentum filiationis realis: igitur ſicut ad creatum eſſe animæ Chriſti fuit relatio realis creaturę conſecuta; ita ad eſſe genitum totius humanitatis debet conſequi relatio realis filiationis, illamque proinde vere ſuſcipit diuinum Verbum, vt genitum in humana natura, ac per conſequens mutatum fuiſſet.

Neque valet ſi dicas ad genitum eſſe non ſequi realem filiationem niſi ſuppoſitum etiam generetur, quia cum filiatio ſit relatio perſonalis afficit ſuppoſitum ipſum, ac proinde petit illud ex vi generationis productum pro ſubſtracto, & quia in generatione humanitatis non fuit productum ideo tantum relationem rationis, & non realem filiationem ſuſcepit: bene tamen ad creatum eſſe ſequi realem relationẽ dependentiæ, etiam ſi ſupoſitum non creetur: quia hæc ſolum petit pro ſubſtracto entitatem à Deo dependentem, ſiue cum ſupoſito, ſiue ſine illo. Non inquam valet quia ſi Angelus per poſſibile, vel impoſſibile humanam naturam aſſumeret vere eſſet filius filiatione reali, & conſequenter realiter mutaretur: & tamen generatio non attingeret eius ſuppoſitum producendo; ſed tantũ communicando illud: ergo idem dicendum eſt de diuina perſona humanitatem aſſumẽte eo vel maxime quod genitum eſſe meæ humanitatis, & Chriſti eſt eiuſdem rationis formalis; ſed in me fundat relationẽ realem, ergo & in Chriſto. Tum etiam, quia impoſſibile eſt aliquid eſſe terminum mutationis realis, quim mutetur realiter, & propterea nequit Deus eſſe terminus conuerſionis humanitatis, aut alterius naturæ creatæ in ipſum, vt probat Diuus Thomas infra quæſt. 2. art. 1. Sed etiam in Incarnatione Deus fit terminus realis mutationis, quæ eſt aſſumptio humanæ carnis in Deũ: ergo impoſſibile eſt Deum illam terminare. Maior declaratur quia ratio exigens mutationem in conuerſionis termino, non eſt quod ille ex vi conuerſionis debeat quoad ſubſtantiam, & entitatem de nouo fieri aut generari, corpus enim Chriſti in Euchariſtia eſt terminus conuerſionis, cui præexiſtit, ſed quod ex vi conuerſionis debeat ſecundum quid generari nempe vt terminus illius, ac proinde realiter mutari.

Secun-

Digitized by Google

Secundum quia ex Incarnatione ſequitur Deum ſubire imperfectionem cauſæ formalis intrinſecæ conſequens eſt impoſsibile, ergo & illud ex quo ſequitur; ſequela patet, nam tunc exiſtentia, & perſonalitas *Dei*, quæ ſunt ipſe Deus eſſent cauſæ formales humanitatis, vt exiſtentis, ac ſubſiſtentis: quod probatur dupliciter.

Primo quia omnis effectus exiſtens in rerum natura debet à quatuor cauſis, ac proinde à formali dependere, quod ſi fuerit effectus formalis, alicuius formæ intrinſecæ debet eſſe effectus, at humanitatem ſubſiſtere eſt effectus productus in rerum natura, cuius cauſa finalis & efficiēs eſt Deus, materialis humanitas, formalis vero nequit eſſe niſi diuina ſubſiſtentia; maxime quia eſt effectus formalis illius: ergo illa eſt forma intrinſeca, quę humanitati talem tribuit effectum.

Secundo nam forma intrinſeca alicuius eſt id per quod ſubiectũ formaliter perficitur, eſt in actu, & quo operatur: eſt enim forma principium quo operationis teſte Philoſopho 2. de anima textu 4. ſed diuina ſubſiſtentia & exiſtentia, ſi Deus fieret homo. eſſent id per quod humanitas perficitur formaliter, & id, quo operaretur, & eliceret operationes valoris infiniti; ex diuina enim perſonalitate haberent actiones humanitatis aſſumptæ infinitatem meriti, & ſatisfactionis: ergo.

*T*ertium eſt nam ex nullo capite poteſt hæc poſsibilitas demonſtrari, ergo inefficax eſt vtraque ratio facta à nobis. Antecedens patet, quia non ex diuina omnipotentia hęc enim nequit verificare duos terminos contradictoriè, ſiue priuatiuè oppoſitos de eodem, & pro eodem tempore, quo pacto cęcum, & videns, ſiue videns, & nō videns nequeunt de eodem per *Dei* potentiam verificari; ſupoſita autem Incarnatione verificarentur de Chriſto iſti termini; mortalis, & in mortalis, corruptibilis, & incorruptibilis; corporeus, & in corporeus; mutabilis, & immutabilis, qui opponūtur priuatiuè: ergo. Rurſus neque ex diuinæ ſubſiſtentiæ infinitate propter tria: tum quia diuina perſonalitas, cum ſit relatio, neque bonitatem, nec perfectionem infinitã formaliter habet; perſonalitas autem, qui alienam naturam terminare poteſt, debet eſſe infinitæ perfectionis: teſte *Diuo Thoma* infra quæſt. 3. art. 1. ad 2. Tum etiam quia admiſſo illam habere infinitam perfectionem hęc exhauritur vnico actu infinito, & adęquato, quo terminat naturam diuinam: ſicut potentia generatiua Patris infinita vnico actu, quo filium diuinum generat, ita adæquatè exhauritur vt alium filium nequeat generare: ergo neque potentia infinite terminatiua perſonalitatis diuinę poterit alienam naturam terminare. Tum denique quia infinitas diuinæ perſonalitatis, vel ſubſiſtentiæ eſt nota lumine naturali, ſiquidem lumine naturali notum eſt diuinam naturam eſſe infinitã, & perſonabilem, vel ſubſiſtentē, ac proinde eſſe infinitam ſubſiſtentiam, qua ſubſiſtit, vel perſonatur: ergo lumine naturali poſsibilitas Incarnationis eſſet demonſtrabilis, quod eſt abſurdum.

8 Nihilominus Catholica ſententia eſt poſsibilem eſſe Incarnationem, quã tamen duobus modis explicant *S*cholaſtici, ſecundum quod poſsibilitas eſt duplex: alia Phiſica, & alia Logica: alij volunt Incarnationis poſsibilitatem eſſe phyſicã. Alij verò de quorum numero eſt Nazarius controuerſia 4. dicunt illam eſſe Logicam pro cuius declaratione.

Dico primo. Incarnatio abſolutè & ſimpliciter eſt poſsibilis: hæc aſſertio præter quam quod eſt de fide reuelata in omnibus Prophetarum Vaticinijs, ac Euangelij teſtimonijs, in quibus diuinitas Chriſti prædicatur: rationibus duabus Theologicis aduerſus prædictos ſectarios probatur: quarum prima deſumitur ex diuina omnipotẽtia, cui poſsibile eſt quidquid non implicat contradictionem: Incarnatio namque non inuoluit repugnantiam ex parte omnipotentiæ, quia eſt infinita: neque ex parte naturæ aſſumptæ, quia eſt aſſumptibilis à Deo in vnitatem perſonæ per potentiam obedientialem quam habet, vt per diuinam ſubſiſtẽtiã terminetur: ergo ex nullo cap. repugnat: conſequentia patet à ſufficiẽti diuiſione, ſi enim vnio inter *Deum*, & humanitatem eſſet impoſsibilis, aut ex impotentia *Dei* terminantis, aut ex impotentia naturæ terminabilis, redderetur impoſsibilis.

Antecedens verò pro prima parte eſt manifeſtum ſi enim ex impotẽtia hęc impoſsibilitas perueniret, aut ideò quia ab hoc miraculo ſuperaretur eius omnipotẽtia; aut quia ex illo adueniret *Deo* mutatio, ſiue imperfectio, ſed nullum ex his inconuenientibus tenet; in primum quia diuina omnipotentia propter ſuam infinitatem ſuperat

Digitized by Google

perat omne miraculum, ac proinde myſterium Incarnationis, quod latitudinem miraculi non ſubterfugit. Non ſecundum quia mutatio ſupponit potentiam paſsiuã in ſubiecto mutationis vt docet *Diu.* Thomas in 3. diſtinct. 1. quæſt. 1. art. 1. ad 1. diuina autem perſona non terminat humanã naturam per potentiam paſsiuam. Denique neque tertium quia abſque imperfectione partis & cauſæ intrinſecæ poteſt fieri talis terminatio, vtpote quæ poteſt abſque his imperfectionibus reperiri, igitur ex parte Dei, & eius omnipotentię nulla eſt repugnantia.

Pro ſecunda verò parte, ſcilicet quod neque ſit repugnantia ex parte creaturæ probatur, quoniam cum natura humanã diſtinguatur realiter à ſuppoſitalitate poteſt ſeparari ab illa, & ſic ſeparata conſeruari Deo ſuplente vicem illius: ergo ex parte naturæ aſſumptibilis nulla inuenitur repugnantię ratio.

Secunda deſumitur ex infinitate, quam interminando habet diuina perſonalitas, ſiue ſubſiſtentia: omnis enim ſubſiſtẽtia infinita poteſt præſtare effectum finitę, & creatæ quam præhabet eminenter, ſed in Deo eſt triplex perſonalitas infinita ſiue ſubſiſtentia relatiua Patris, ſcilicet Filij, & Spiritus Sancti, ergo quælibet illarũ poteſt ſubſiſtentiæ creatæ munus exequi, & effectum pręſtare, & conſequenter perſona Filij poteſt exequi munus humanę ſubſiſtentiæ, in quo conſiſtit myſterium Incarnationis.

Minor eſt de fide. Maior autem nota lumine naturali, eoquod eminentialis continentia in alijs cauſarum generibus maxime informis eſt ſufficiens ad hoc quod ſuperior poteſtatiue continens inferiorem, poſsit effectum illius modo eminẽtiori pręſtare, quo pacto anima rationalis in homine pręſtat effectus ſenſitiuę, & vegetatiuę, & eſſentia diuina in intellectu beati exequitur munia ſpeciei createę, quaſi illa animas inferiores, hęc ideò ſpecies creatas pręhabet eminẽter, ergo & in ſubſiſtentia quæ eſt infinita interminando ſimilis eminẽtialis continentia erit ſufficiens vt poſsit munus exequi createę ſubſiſtentię quam continet eminenter.

9 Dico ſecundo. Poſsibilitas Incarnationis non eſt Phyſica ſed Logica duntaxat hæc concluſio ſtatuitur aduerſus primum modum explicandi huius myſterij poſsibilitatem, & pro 1. part. probatur. Primo quia poſsibile Phyſicum eſt illud quod poteſt fieri per potentiam Phyſicam paſsiuam intrinſecam, & connaturalem ipſi, & per potentiam extrinſecam actiuam agentis ad hoc cõnaturaliter, vel ſecundum ordinarias leges ordinatam: at Incarnatio iſto modo non eſſe poſsibilem patet, quia neque ſuponit in humanitate intrinſecam, & naturalem potentiam paſsiuam, vt aſſumatur à Verbo: neque in Verbo, aut in Deo potentiam actiuam ad aſſumptionem humanitatis naturaliter ordinatam: ergo non eſt poſsibilis Incarnatio poſsibilitate Phyſica. Minor probatur, nam aſſumptio humanitatis ad eſſe perſonale diuini Verbi tantum fieri potuit per potentiam obedientialem naturæ humanæ, & terminatiuam diuinæ perſonæ atque actiuam Dei ad hoc miraculoſe, & ſupernaturaliter ordinatam.

Secundo probatur concluſio confirmando amplius rationem factam ab incõuenienti: nam alias omne poſsibile logicum gauderet ſimul Phyſica poſsibilitate: ſiquidem nullum eſt poſsibile quod nõ poſsit reduci ad eſſe, ſaltem ratione potentiæ obedientialis in ipſo, & actiuæ omnipotentiæ Dei operantis ſupra leges naturæ: hoc autem non eſt admittendum propter duo: tum quia deſtruit artem, & formam bonæ diuiſionis, iuxta quam Methaphyſici diuidunt poſsibile in Logicum & Phyſicum, ad hunc ſenſum, quod poſsibile Logicum ſiue abſolutum eſt illud quod ſola gaudet poſsibilitate fundata in habitudine terminorum ſibi inuicem non repugnantium: vt diffinit D. Thom. 1. p. q. 25. art. 3. ad 4. & q. 46. art. 1. ad 1. Tum etiam quia expreſſe refutatur à D. Thom. in hoc poſteriori teſtimonio aſſerente mũdum antequam fieret, fuiſſe poſsibilem ſola poſsibilitate Logica, & abſoluta: eoquod fuit poſsibilis nõ per potentiam intrinſecam paſsiuam ipſius, ſed per actiuam potentiam Dei: quod non diceret D. Thom. niſi exiſtimaret poſsibilitatem fundatam in ſola potentia actiua Dei quantumuis Phyſica, non eſſe Phyſicam, ſed Logicam: ergo.

Deinde pro ſecunda parte probatur, nam Deum eſſe hominem per vnionem humanæ naturæ cum diuino ſuppoſito in eſſe perſonali, qua ratione completum fuit myſterium Incarnationis, non repugnat ex habitudine terminorum: licet alias repugnet Deum fieri hominem per identitatẽ naturarum: ſed hæc eſt poſsibilitas Logica: ergo.

ergo,

Digitized by Google

ergo. Minor conſtat ex dictis, & maior eſt Diui Thomæ infra quæſtion. 16. artic. 1. ad 1. vbi ait: *Quando duæ formæ poſſunt conuenire in vnum ſuppoſitum non eſt materia remota ſed naturalis, vel contingens: naturæ autem diuina, & humana quamuis ſint maximè diſtantes tamen conueniunt per incarnationis myſterium in vno ſuppoſito, cui neutra illarum ineſt per accidens, ſed per ſe, & ideo hæc propoſitio Deus eſt homo non eſt in materia remota, neque in materia contingenti, ſed in materia naturali, & prædicatur homo de Deo non per accidens, ſed per ſe ſicut ſpecies de ſua hypoſtaſi, non quidem ratione formæ ſignificatæ per hoc nomen Deus, ſed ratione ſuppoſiti, quod eſt hypoſtaſis humanæ naturæ.* In quibus Verbis vtramque partem maioris haud obſcure indicat Diu. Thom. primam quidem vſque ad illa verba *ſicut ſpecies* de ſua hyppoſtaſi: ſecundam vero per illa verba ſequentia, *non quidem ratione formæ*, &c. Quaſi dicat, quod hæc propoſitio *Deus eſt homo*, ſi prædicet hominem de Deo per aſſumptionem humanæ naturæ ad eſſe perſonale, & per terminationem diuini ſuppoſiti, eſt in materia naturali, ac proinde eius obiectum eſt poſsibile ex habitudine terminorum: ſi verò prædicet hominem de Deo per identitatem formarum (hoc eſt naturarum) ita vt ſit ſenſus quod *Deus* ratione Deitatis eſt homo, eſt in materia remota, & eius obiectum eſt omnino impoſsibile, expers vtriuſque poſsibilitatis, nimirum tam Logicæ, quam Phyſicæ.

Ad primum in contrarium, reſpondetur negando minorē, circa cuius primam probationem, triplex eſt modus dicendi. Primus quidem eſt Suarij diſputation. 2. ſection. 2. & Valentiæ punto 2. aſſerentium propterea Deum non fuiſſe realiter mutatum accipiendo humanitatem, quia illam ante præhabebat, eminenter: mutari autem eſt aliter ſe habere rem modo, non ſolum formaliter, ſed etiam virtualiter, & eminenter, quam antea ſe habebat: & accipere aliquid de nouo quo ſubiectum antea careret ſimpliciter, & omnibus modis, id eſt formaliter, & eminenter.

Secundus eſt Peſantij hic diſputatio 1. & aliorum Iuniorum aſſerentium propterea Deum non fuiſſe mutatum, quia factus eſt homo, non adquirendo nouum eſſe ratione potentiæ paſsiuæ, ſed communicando ſuum eſſe humanitati ratione potentiæ actiuæ: mutari autem eſt rem adquirere nouum eſſe ratione potentiæ paſsiuæ.

Tertius eſt Caietan. infra quæſt. 16. art. 6. & Medinæ in quæſt. 2. prologi ad 2. aſſerentium propterea Deū non fuiſſe mutatum in Incarnatione, quia terminando humanitatem nihil abſolutum de nouo adquiſiuit niſi ſolum reſpectum rationis: quod tamen non ſufficit ad veram mutationem. Sed omnes iſti modi dicendi dicendi ſunt inſufficientes. Primus quidem, quia ad realem mutationem ſubiecti ſufficit ſi recipiat aliquam formam realem de nouo quam antea non habuiſſet formaliter: quod tribus exemplis, nimirum Solis, Angeli & voluntatis, oſtenditur: nam ſi Sol reciperet formalem calorem quem præhabet eminenter, re vera mutaretur: ſiquidē alteraretur huiuſmodi peregrinā impræſsionem recipiendo: alteratio autem, ſpecies eſt mutationis: ſimiliter ſi Angelus reciperet formaliter modum cognoſcendi humani intellectus vere mutaretur: quem tamen præhabet eminenter, teſtè D. Th. 1. part. q. 106. art. 4. ad 1. & pariter mutaretur voluntas noſtra, ſi de nouo reciperet modum quo intellectus, vel appetitus mouet potentias inferiores: non obſtante quod teſtè Diu. Thom. in 3. diſti. 27. q. 1. art. 4. habet eminentiam ſupra intellectum, & appetitum in mouendo cęteras potentias.

Deinde ſecundus licet quoad primum dictum, verum dicat, & ſit doctrina Diu. Thomæ in 3. diſtinct. 1. art. 1. ad 1. tamen quoad ſecundum eſt falſus; vt oſtendit Nazarius controuerſ. 4. notab. 5. duplici illum refutans ratione demonſtratiua.

Prima eſt, quia teſtè Diu. Thoma ibidem: vnibile dicitur de Deo, non per potentiam *Dei*, ſed creaturæ: ſicut ſcibile dicitur de obiecto ſciētię nō per potētiā ipſius paſsiuam, ſed per potentiam, quæ eſt in ſcientia: hæc enim eſt conditio relatiui tercij ordinis, vt de vno extremo dicatur, abſque ipſius, & cum ſola alterius mutatione: ergo negat Diu. Thomas denominationem vnibilis fieri in Deo per potentiam actiuam ipſius ad humanitatem.

Secunda eſt, quia alias ſicut actio vnitiua humanitatis ad Verbum eſt communis toti *Trinitati*, vtpote cū ſit de numero actionum diuinarum ad extra: ita vnibile humanitati aſſumptæ eſſet prædicatū commune omnibus tribus perſonis: ſiqui-

dem diceret potentiam actiuam, ſiue actualitatem diuinam ex parte perſonæ vnientis ſibi humanitatem, quia iſta ſunt prædicata communia toti Trinitati: abſurdum autẽ eſt, & contra articulum de Incarnatione dicere, quod vnibile non ſit prædicatum ſoli ſecundæ perſonæ conueniens: ergo.

10 Tertius denique, & ſi verum dicat, in eoquod ait Deo ſolum reſpectum rationis ex terminatione humanitatis aduenisse, & hunc non ſufficere ad veram mutationẽ, tamen inſufficiens eſt in eo quod non explicat rationem, ob quam ſolus reſpectus rationis Deo adueniat, dum vnitur humanæ naturæ: eo vel maxime; quod illi realiter vnitur, & illam terminat mediante vnione reali, & ſubſtantiali, vt oſtendemus quæſtione 2. ſequenti, art. 7. dub. 2. Immo ſi ſolus reſpectus rationis eſt medio quo Deus fit homo, idem eſſet medio quo homo eſſet Deus: ac proinde neutrum extremum huius vnionis immutaretur realiter; factaque fuiſſet incarnatio ſine reali mutatione, tam Dei, quam naturæ humanæ: cuius tamen oppoſitum intendit Diu. Thomas infra quæſt. 16. art. 1. ad 4. & artic. 6. ad 2. ex quo duplici loco fundamentum ſumunt iſti auctores ſuæ ſententiæ.

Quare his reiectis verius modus dicendi eſt, quem ſequuntur Nazarius vbi ſupra, & Aluarez diſputat. 2. ad primum aſſerentes propria Deum non fuiſſe mutatum in Incarnatione: quia vnitur humanitati aſſumptę ſolum per modum termini, hoc eſt ſubſiſtentiæ illam terminantis, ac perſonantis: ſola autem terminatio nullam inducit mutationẽ in perſona terminante, atque aſſumente nouam naturam terminatiuè; in quo ſenſu dixit D. Tho. in duobus locis proxime allegatis ex qu. 16. Deum factum fuiſſe hominem nõ ratione formæ abſolutæ, ſed ratione vnionis, quæ eſt relatio rationis, in perſona; terminante intellige; eoquod pure terminat; ſecus vero in natura aſſumpta, quæ vnitur ratione potentiæ paſsiuę, ratione cuius eſt terminabilis, & aſſumptibilis: habemus igitur Verbum diuinum non fuiſſe mutatum in Incarnatione quia accepit humanitatem, non per modum ſubiecti, aut ratione potentię paſsiuę, niſi ratione ſolius potentiæ terminatiuę, & per modum puri termini: bene tamen humanitatem mutatam fuiſſe, quia per modum ſubiecti, & ratione potentiæ paſsiuæ ſuſcepit de nouo realem, & ſubſtantialem vnionem ſui ad Verbum. Iuxta quem modum dicendi, diſtinguenda eſt maior, & minor dictę primę probationis.

Ad ſecundam ſuſtinenda eſt ſolutio ibi aſsignata. Ad cuius impugnationem reſpondebis, vel cum Nazar. vbi ſupra, quod ſi Angelus per poſsibile, vel impoſsibile aſſumeret naturam humanam per ſolam terminationem, non mutaretur realiter: quia terminare de nouo naturam aliquam, non eſt illam adquirere per modum ſubiecti, aut ratione potentiæ paſsiuę, quod requiritur ad mutationem: ſed eſt illam adquirere per modum ſolius termini vniti in quo nulla inuoluitur realis mutatio. Vel quod Angelus in data hyppoteſi ob imperfectionem ſuæ ſubſiſtentię createę vnibilis per informationem quandam, & cum dependentia, non poſſet non terminare naturam alienam per potentiam paſsiuam, ac proinde cum mutatione ſui, ſecus autem contingit in diuina perſonalitate, quæ ab his imperfectionibus vindicatur.

Ad tertiam, circa explicationem maioris aſſumptę duplex eſt modus dicendi. Primus eſt Caietan. quæſtione 2. ſequenti art. 1. & Maioris in 4. diſtinct. 22. quęſt. 1. diſtinguentium duplicem conuerſionem, alteram tranſubſtantiatiuam ſimpliciter, & alteram tranſmutatiuam. Qua ſuppoſita diſtinctione dicunt: *Deum* bene poſſe terminare conuerſionem primi generis, quia hæc non neceſſario infert in ſuo termino mutationem: ſecus autem conuerſionem ſecundi generis, vtpotẽ quæ infert mutationem in termino. De qua proinde locutum fuiſſe Diu. *Thom.* quando negauit creaturam poſſe conuerti in Deum, eoquod ſit ingenerabilis, ſiue immutabilis. Verior tamen eſt ſecundus modus dicẽdi Medinę in dict. q. 2. art. 1. Suar. ibid. & tom. 3. diſp. 50. ſect. 10. & Nazar. vbi ſup. aſſerentiũ terminũ cuiuſcũque conuerſionis ſiue tranſubſtãtiationis mutari debere, ac proinde repugnare Deo eſſe terminũ cuiuſuis cõuerſionis.

Idque ſuadetur tripliciter: tũ quia D. Th. vbi ſup. abſolute, & ſine vlla limitatione denegat Deo poſſe terminare cõuerſionẽ aliquam quia eſt ingenerabilis, & incorruptibilis diuina natura: & quoniã terminus cõuerſionis incipit eſſe illud in quod ſubſtãtia pręexiſtẽs conuertitur, quod eſt illũ mutari: tũ etiã quia trãſubſtãtiatio debet eſſe inter duas res cõmunicãtes in entitate trãſmutabili, vt inſinuat idẽ D. T. inf. q. 75. ar. 4. Tum denique quia Chriſti cor

pus

pus ex vi conuerſionis incipit habere nouam præſentiam ad accidentia panis, quæ eſt denominatio realis ex vi cuius realiter mutatur: ergo.

Iuxta quam ſolutionem neganda eſt minor argumenti, quoniam in Incarnatione terminus mutationis eſt, nō Deus ſub ratione Deitatis, ſed hic homo, ſiue Chriſtus, vt perſona compoſita ex Deitate, & humanitate, in conuerſione autem humanitatis in Deum, ipſe Deus eſſet terminus in quem humanitas tranſmutaretur per potentiam ipſius paſsiuam, ratione cuius proinde realiter mutaretur.

Ad ſecundum negatur ſequela: ad cuius primam probationem dico, quod nō omnis effectus formalis petit cauſam formalem informantem, ſed vel huiuſmodi formam, vel illam, quæ ſolum habet terminare, & actuare, ſine imperfectione informationis; verbi gratia lineam eſſe terminatam, & intellectum Beati eſſe conſtitutum in actu primo effectus formales ſunt, nec tamen à formis informantibus prouenientes, ſed alter à puncto terminante formaliter, alter verò à diuina eſſentia per modum ſpeciei intelligibilis terminante, & intrinſecè actuante intellectum Beati ſine vlla informatione. Haud diſsimiliter humanitatem ſubſiſtere, & exiſtere ſunt effectus formales à diuina perſonalitate, & exiſtentia, vt à terminis formaliter terminantibus, & perficientibus humanitatem ſine imperfectione informationis, prouenientes.

Ad ſecundam nego maiorem, ſi vniuerſaliter accipiatur: ſolum enim eſt forma intrinſeca illa quæ perficit ſubiectum informando illud, & vt ens incompletum ad alicuius naturæ accidentalis, aut ſubſtantialis reſultantis compoſitionem ordinatum. Id autem quod perficit ſubiectum intrinſecè ſine his imperfectionibus non eſt forma informans, ſed tantum actus, & terminus. Et quia diuina perſonalitas perficit intrinſecè humanitatem, non primo, ſed ſecundo modo non ſequitur illam ſubire imperfectionem cauſæ formalis intrinſecæ, ex eo quod ſit illud quo humanitas perficitur, & operatur. Sicut neque vlla reſultat imperfectio in eſſentia diuina ex eo quod intrinſecè intellectum Beati perficit, & ſit illi principium formale *quo*, beatam elicit viſionem. Prærerquamquod diuina perſonalitas non eſt principium quo humanitas phiſicè, & per modum virtutis, aut potentiæ operatiuæ elicit operationes, (hic enim modus proprius eſt formę informantis) Sed eſt dumtaxat principium morale dignificans moraliter operationes meriti, & ſatisfactionis, atque virtutes illarū phyſicè elicitiuas, quæ ſunt in humanitate; & propterea ex hoc capite non ſequitur illam eſſe formam informantem reſpectu humanitatis aſſumptæ.

Ad tertium nego antecedens, ad improbationem primæ rationis, dico duos terminos priuatiuè oppoſitos de eodem ſecundum eandem rationem non poſſe per diuinam omnipotentiam verificari; quia tunc ex illis ſequitur per formalem conſequentiam verificatio duarum contradictoriarum, quæ eſt omnino impoſsibilis. Sed de eodem ſecundum diuerſas rationes, & naturas bene poſſe tales terminos verificari, abſque eo quod contradictoriarum verificatio inferatur, quæ formaliter ſunt eiuſdem de eodem, & ſecundum idem. Vnde cum in Chriſto ſint duæ naturæ ſecundum quarum alteram eſt immortalis, incorporeus & immutabilis, & ſecundum alteram eſt mortalis, corporeus, & mutabilis optime poſſunt iſti termini propter hanc naturarum diuerſitatē de illo ſimul verificari, & propter idiomatum communicationem nedum de Chriſto, ſed de Deo proprij termini humanitatis, & de hoc homine termini diuinitatis poſſunt affirmari, vt tradunt Damaſc. 3. fidei orthod. cap. 3. Concil. Calcedon. act. 1. ſexta Synodus generalis actio. 11. & D. Th. infra q. 16. art. 8. in quo ſenſu dicimus Deum eſſe mortuū, & Hyeron. Pſal. 76. ſuper illud, *hæc mutatio dexteræ excelſi*, ait dexteram Dei, id eſt Filiū Dei mutatum fuiſſe, quia tamen ex modo ſignificādi propria humanitatis attribuūtur Deo ratione Deitatis, & è contra; cohibēda eſt lingua ab illis propoſitionibus, in quibus talis attributio denotatur: quare hęc eſt neganda; *Deus eſt mutabilis*, ne mutabilitas diuinitati ex modo ſignificandi attribuatur, & hæc *Chriſtus eſt impaſsibilis*, aut incorporeus ne cum Manicheo Chriſtum ſecūdum vtramque naturam impaſsibilem, aut incorporeum aſtruamus.

Ad ſecundæ rationis primam improbationem reſpondetur quod diuina perſonalitas, etiam vt relatio ſecundum non præſcindit ab *in*, ita neque præſcindit à boni-

tate & perfectione, quam includit ratione eſſentiæ.

Ad ſecundam dicendum eſt, quod ſicut potentia generatiua ad intra vnico actu generationis filij exhauritur; ſecus vero potentia generatiua ad extra quæ eſt creaturarum productiua: ita in diuina perſonalitate duplex virtus terminatiua conſideratur: altera ad intra quæ vnico actu adæquato terminationis naturæ diuinæ exhauritur: & altera terminatiua ad extra quæ nullam habet actum adæquatum, per quem omnino exhauriatur.

Ad tertiam reſpondetur, quod licet forma ſuperior continens naturaliter formas inferiores in eodem ordine poſsit illarum effectus præſtare, vel ſupplere, ſicut anima rationalis in ordine naturæ præſtat, vel ſupplet effectus vegetatiuę, & ſenſitiuæ, quas præhabet eminenter in genere cauſæ formalis, & reſpectu ſubiecti habentis potentiam paſsiuam eiuſdem ordinis ad tales effectus ſuſcipiendos: diuina autem ſubſiſtentia, nec in genere cauſæ formalis præhabet ſubſiſtentias creatas nec ad illius effectum ſuſcipiendum datur in creatura potentia naturalis paſsiua, niſi tantum obedientialis; & ideo poſsibilitas communicationis ipſius in natura creata non poteſt ſolo lumine naturali demonſtrari niſi in virtute huius præmiſſæ: ſubſiſtentia infinita poteſt ſupplere vicem creatæ, quæ ſolo fidei lumine à nobis cognoſcitur: ſicut & ipſa actualis communicatio, nimirum hoc quod eſt naturam creatam ſubſiſtere diuina ſubſiſtentia, ſiue relatiua, ſiue abſoluta, quidam effectus ſupernaturalis eſt, ac proinde ſolum poteſt præſtari à diuina ſubſiſtentia, vt ſupernaturalis eſt, quia ſubterfugit eius naturalem infinitatem, & continentiam.

Dubium ſecundum eſt. An ſit conueniens Incarnatio ex parte Dei, tanquam ſumma communicatio bonitatis illius?

11 IN hoc dubio ommiſſo errore Sectariorum, quos referunt, & refutant Theodoretus libr. 6. de curandis affectionibus Græcorum, Tertullian. lib. de Incarnatione, & Origen. libr. 3. contra Celſum, exiſtimatium Deum dedecere incarnationem ex vnioneque ad humanitatem ſordeſcere diuinitatem. Inter Theologos concors ſententia eſt conuenientem fuiſſe incarnationem ex parte Dei, efficacique ratione eius conuenientiam oſtendi ab Angelico Doctore, quam defendunt, & exornant Driedo lib. 1. de captiuitate, & redemptione humani generis tractatu 1. Caietan. in commentario huius articuli, Ferrar. lib. 1. contra gentes capit. 75. Med. hic dubio vnico, Vaſquius dubio 2. Suar. & Lorca, diſputatione 1. & Nazarius controuerſia prima, & ſecunda: in explicanda autem hac conuenientia hi Auctores in tres modos dicendi diuiduntur. Alij enim, aiunt conuenientiam hanc non ſolum ſe tenere ex parte Dei, ſed etiam ex parte naturæ aſſumptæ, immo & totius vniuerſi: quorum fundamentum eſt, quia naturæ humanæ illud eſt conueniens quod eam à miſerijs, & peccatis conuenienter liberat, ſed talis fuit incarnatio reſpectu humanitatis. Vnde de illa ait Auguſtin. 13. de Trinitate capit. 10. & Leo Papa ſermon. 1. de Natiuitate quod noſtræ miſeriæ ſanandæ congruebat: fauet Diuus Thomas hic ad primum dicens ex parte creaturæ mutabilis fuiſſe conueniens, vt quæ prius non fuerat vnita Deo in perſona, poſtea ei fuiſſet vnita: Rupertus quoque libr. 7. in Geneſim capite 37. ait incarnationem fuiſſe conuenientem noſtræ

Expẽditur triplex cõueniẽtia incarnationis.

pati-

Digitized by Google

paupertati, quia ſicut Labam ad aduentum Iacob profecit, & ditatus fuit, ita nos ad Chriſti aduentum ditati ſumus: in cuius proinde perſona dicitur Eſaiæ 52. *Qui loquebar ecce adſum ſicut ver*, quia ſicut in vere plantæ germinant, & floreſcunt, ita nos virtutibus incarnato Chriſto: cui conſonat Paulus ad Ephæſios 1. dicens quod in Chriſto, benedixit nos Deus omni benedictione in cœleſtibus. Igitur vt ſanaremur à miſeria, vt eſſemus diuites florẽtes virtutibus, & à Deo benedicti fuit ex partę noſtra conueniens incarnatio.

Alij verò de quorum numero ſunt Medina, Suarius, Lorca', & Nazarius dicunt Incarnationem fuiſſe conuenientem Deo, non vt ortam ex principijs intrinſecis bonitatis ipſius; ſed tantum vt conſonam eius naturæ, quia ſumendo carnem fecit quod illum decebat, ſicut liberalis communicando ſua bona facit quod eſt ſibi conſonum, atque decens, quod ſuadent dupliciter.

Primo, quia teſte Diu. Thom. libr. 1. contra gentes cap. 93. ratione ſexta: incarnatio eſt conueniens Deo tanquam fonti bonitatis, conſęntaneaque illi tanquam actus diuinę liberalitatis, quia eſt beneficium collatum humano generi gratis, & liberaliter, ideſt nullo commodo expectato ex eius donatione ad eum modum quo homini liberali dicitur actus liberalitatis conſentaneus: Sed huiuſmodi actus non eſt ortus ex principijs hominis liberalis: ergo neque Incarnatio eſt orta ex principijs diuinæ bonitatis.

Secundo, quia teſte Philoſopho 1. Poſt. capit. 6. quidquid conuenit alicui ſubiecto per ſe, & naturaliter, aut conuenit illi in primo, aut ſecundo modo dicendi per ſe; ac proinde ſemper, & neceſſario: incarnatio autem neque in primo, neque in ſecundo modo dicendi per ſe, neque neceſſario, aut naturaliter conuenit Deo: ergo non conuenit ei vt orta ex principijs bonitatis illius.

Alij denique, de quorum numero eſt Vazquius vbi ſupra volunt Incarnationis conuenientiam ſe tenere ex parte ſolius Dei: cui conuenit naturaliter, & tanquam orta ex principijs intrinſecis diuinæ bonitatis, Si autem inquiras ab his Authoribus vtrùm hæc communicatio ſit ſumma omnibus modis; nimirùm intenſiuè, & extenſiuè? Reſpondet Lorca affirmatiuè', Medina autem cum alijs reſpondet negatiue pro ſecunda parte. Sed pro veritatis explicatione.

12 Dico primo. Incarnatio licet fuerit valde vtilis naturæ humanæ, nõ tamen fuit illi conueniens ea conuenientia, de qua Diuus Thomas agit in præſenti articulo. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Auctores primi modi dicendi. Et prima pars probatur: nam plures vtilitates humanæ naturæ per Incarnationem aduenerunt, vt quod eleuata fuerit ad eſſe hypoſtaticum in Chriſto, & in alijs hominibus, ab ſtatù captiuitatis ſeparata: & aliæ quas recenſet Diuus Thomas 4. contra gentes capit. 54. & opuſculo 60. capite 2.

Secunda pars probatur perſpicuo teſtimonio Sancti Doctoris, hic ad ſecundum, vbi ait: *Quod vniri Deo in vnitate perſonæ non fuit conueniens carni humanæ ſecundũ conditionem ſuæ naturæ, quia hęc erat ſupra dignitatem ipſius, conueniens tamen fuit Deo ſecundum infinitam excellentiam bonitatis eius*, &c. Ergo de mente ſancti Doctoris eſt Incarnationem non fuiſſe humanitati cõuenientem ſecundum conditionem naturæ illius, de qua conuenientia locutus fuerat in corpore articuli.

Secundo, nam vnicuique rei conueniens eſt illud quod competit ipſi ſecundum rationem propriæ naturæ, & hęc eſt maior diſcurſus ſancti Doctoris. Sed vnio hypoſtatica non conuenit humanitati ſecundum rationem ipſius naturę: ergo. Minor probatur, tum quia ſolũ cõpetit ei ſecundũ potentiã obedientialẽ. Tũ etiã quia eſt maximũ miraculum: miracula autem fiunt ſupra conditionem naturę teſte D. Tho. 1. p. q. 105. art. 8. Tum denique, quia quęlibet natura appetitu naturali appetit bonum ſibi conueniens: vnio autem hypoſtatica non eſt terminus appetitus naturalis humanitatis: ergo. Ex hac concluſione ſequitur neque fuiſſe conuenientem Incarnationem vniuerſo, & ſi fuerit illius perfectiua. Quod corollarium pro prima parte oſtenditur, nam alias eſſet in vniuerſo naturalis inclinatio, ſiue pondus ad vnionem hyppoſtaticam, tamquam ad perfectionem ſibi debitam, & conuenientem, conſequens autem eſſe falſum patet, quia in natura nequit eſſe naturale

pondus ad bonum ordinis gratiæ; ne dùm ordinis hypoſtatici. Vnde falſo Ribera Agei 2. dixit propterea Chriſtum Dominum appellari à Patriarchis, & Prophetis deſideratus cunctis gentibus, quia in cunctis naturæ humanæ indiuiduis erat naturale quoddam pondus ad Chriſtum, & hac de cauſa dictum fuiſſe de illo Geneſis 49. *Ipſe erit expectatio gentium*, & Agei 2. *Et veniet deſideratus cunctis gentibus.* Et alibi deſiderium collium æternorum: & Canticor. 5. Totus deſiderabilis: nam ſenſus legitimus horum teſtimoniorum eſt quem ex Eccleſiæ Patribus ſequitur Sotomayor, Canticor. 5. ad præfata verba, dicens: Chriſtum propterea appellari totum deſideratum, ſeu à cunctis gentibus deſiderabilem, facta diſtributione pro generibus ſingulorum, ideſt quia nulla fuit olim natio, aut Reſpublica, aut ſtatus hominum, ſiue regnum in quo non eſſet aliquis qui fide illuſtratus aduentum Chriſti Redemptoris non crederet, & credens non expectaret.

Deinde pro ſecunda parte oſtenditur à Theologis pluribus rationibus, quarum ſumma hæc eſt: per incarnationem omnes gradus vniuerſi fuerunt completi; omnes eius partes reſtauratæ, & cuncta mundi loca ſanctificata: at hæc ſingularem vniuerſi denotant perfectionem, & vtilitatem: ergo: minor eſt nota, maior probatur ſigillatim.

Quoad primam quidem partem, quia omnes gradus ſcilicet entis, vitæ, & intellectualitatis fuerunt in humanitate Chriſti aſſumpti, & eleuati ad hypoſtaſim diuinam, & propterea ratione huius conuenientiæ, & conſortij in aliquo horum graduum dicuntur perfecta, & eleuata ſicut Marci 15. appellatur homo omnis creatura, quia in illo omnes creaturæ propter huiuſmodi conuenientiam continentur.

Deinde quoad ſecundam partem probatur, quia propterea ad Epheſios 1. dicitur omnia inſtaurari in Chriſto: & propterea Auguſtin. lib. 83. quæſtionum, quæſtion. 44. relatus à Diu. Thoma art. 6. ſequenti appellat tempus incarnationis mundi iuuentutem, quia ſicut iuuentus ſi homini ſeneſcenti adueniret, ipſum à deffectibus ſenectutis vindicaret, ita incarnatio ſuperueniens mundo iam ſeneſcenti illum renouauit, & à deffectibus vindicauit.

Denique quoad tertiam partem de locorum ſantificatione patet ex illo Eſaiæ 6. vbi Propheta teſtatur ſe vidiſſe thronum in quo ſedebat Dominus, & templum plenum gloriæ Domini, quia teſte Origen. homil. 1. & 4. ſuper Eſaiam ex quo Deus carnem aſſumpſit ſanctificatio & gloria Domini ad cunctas domos, hoc eſt mundi partes quodammodo deriuatur, & propterea ſubdit Propheta: *Impleta eſt omnis terra gloria Domini.* Deinde ex illo primæ ad Timoth. 2. *Volo viros orare in omni loco leuantes manus puras*, ſuper quem locum Auguſtin. lib. 2. ad Simplici. quæſtion. 4. & ſermone 130. tomo 10. ait propterea Iudæis ante aduentum Chriſti vnum locum dumtaxat, ſcilicet Hieroſolymitanum templum ad orandum fuiſſe conceſſum, vt dicitur Ioannis 4. quia tota terra erat idolorum fumo coinquinata. *Nobis vero* (ait ille) *quando Chriſtus adueniens vniuerſam terram expiauit omnis locus oratorium factum eſt; & idcirco Paulus hortatur orare in omni loco dicens volo viros orare in omni loco, &c. vides quomodo mundatus eſt orbis terrarum, & ideo vbique ſanctas manus leuare poſſumus quoniam vniuerſa terra ſanctificata eſt:* ergo.

13 Dico ſecundo. Incarnatio eſt conueniens Deo, vt conſona, & orta ex intrinſeca eius bonitate: hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Auctores ſecundi modi dicendi: pro cuius declaratione ſupponendum eſt dupliciter poſſe aliquid eſſe conueniens alicui ſubiecto, ſicut & duplex poteſt eſſe reſpectus conuenientiæ ad ſubiectum: vno modo tanquam conſonum, & conforme illius naturæ, & tunc conueniens ſolum dicit habitudinem formæ ad ſubiectum cui conuenit: quo pacto motus circularis eſt per ſe conueniens cœlo, & ſpecies intelligibiles ſunt per ſe conuenientes, & naturales Angelis quia à principio creationis fuerunt illis à Deo connaturaliter inditæ: alio modo conueniens dicitur per habitudinem actus ad principium actiuum, & non ſolum ad ſubiectum purè paſsiuum, quo pacto actus ridendi eſt homini conueniens, & motus ſurſum, & deorſum naturales ſunt leuibus, atque grauibus. Quo ſuppoſito probatur concluſio tribus rationibus Theologicis quarum prima eſt: Incarnatio eſt actus, ſiue effectus quo

Adſtruitur conuenientia incarnationis reſpectu Dei, vt orta ex eius intrinſeca bonitate.

Deus ſuum eſſe per eſſentiam humanitati communicauit; huiuſmodi autem effectus fuit conſonus *Deo* non ſolum primo, ſed etiam ſecundo modo, quia ortus fuit ex eius intrinſeca bonitate, vtpote quæ ad hanc communicationem, neque paſsiue, neque tantum finaliter ſed etiam actiuè ſe habuit: ergo.

Secunda eſt hæc: quando aliquis actus eſt proprius potentiæ actiuæ connaturali alicui ſubiecto, etiam eſt naturalis, & per ſe conueniens eidem ſubiecto, licet non ſemper illi conueniat; ſed bonitas potens ſe ſummo modo actiuè communicare eſt potentia; ſiue attributum proprium *Dei* cuius proprius actus eſt ſumma communicatio actualis: ergo & hæc per ſe conuenit Deo ratione principij actiui. Minor cum conſequentia eſt nota. Maiorèm autem probat *Diuus* Thomas 1. 2. quæſtion. 10. articul. 1. & 2. dicens aliquid eſſe naturale, & per ſe conueniens, vel quaſi conſequens formam, vel quaſi conſequens materiam, & motum: & quia forma eſt actus, materia autem, & motus ſunt in potentia: naturale primi generis ſemper ineſt ſubiecto, vt calor igni, riſsibilitas homini, & grauitas lapidi: naturale autem ſecundi generis non ſemper actu ineſt, ſed quandoque tantum in potentia: ſicut calefacere igni ridere homini, & deſcendere lapidi non ſemper actu inſunt: quibus tamen per ſe, & naturaliter ſecundo modo conueniunt: circa eamdem maiorem, videndus eſt Caietanus, §. *In reſponſione ad ſecundum*, & capit. 7. de ente, & eſſentia, §. *hic ponitur tertia diuiſio*, vbi illam pluribus explicat, & exornat.

Tertia eſt ratio articuli ſub hac forma: vnicuique eſt conueniens, & naturale quod conuenit illa ratione propriæ naturæ; ſed propria natura Dei eſt eſſentia bonitatis: ergo quod conuenit eſſentiæ bonitatis eſt conueniens, ac naturale Deo. Tunc vltra: ſed ad eſſentiam bonitatis pertinet ſe communicare alijs, teſtè Dionyſio quarto de diuinis nominibus: ergo Deo conueniens eſt ſe alijs communicare: & quoniam eſt ſummè bonus conuenit ei ſumma communicatio quæ fit per Incarnationem. Quod autem hæc ratio procedat de conuenientia ratione principij actiui, patet quia in maiori prioris Syllogiſmi *Diuus* Thomas accipit conueniens ſecundo modo: vnde illam exemplificat in actu ridendi, qui per ſe conuenit homini ratione principij actiui: igitur quando ſubſumit in minori quod communicare ſe alijs eſt conueniens eſſentiæ bonitatis, accipit conueniens eodem modo: alioquin eius diſcurſus medio vteretur æquiuoco, & intrinſeco defectu laboraret quod non eſt admittendum.

Dices, quod conuenit *Deo* ſecundum eſſentiam abſolutam bonitatis, conuenit tribus perſonis, vbi enim ratio conueniendi communis eſt, pariter & ipſa conuenientia communis debet eſſe: ſed Incarnatio non tribus perſonis, ſed ſoli Filio conuenit ergo non conuenit ratione eſſentiæ bonitatis. Si reſpondeas actiuam communicationem, & finalem communem eſſe tribus perſonis ex ratione ſummæ bonitatis: non tamen terminatiuam, quia terminare conuenit perſonis ſecundum proprias relationes, & ideò non opportet quod terminatio humanitatis, ſit illis communis.

Contra hoc eſt, nam Diuus Thomas in articulo, aut infert conuenire Deo ſummam communicationem actiuam, aut finalem aut terminatiuam: non actiuam propter duo, tum quia aliàs non probaret Incarnationem conuenire Deo ratione ſummæ bonitatis: ad bonitatem enim, vt ſic non actiua, ſed finalis communicatio pertinet, teſte eodem Diuo Thoma 1. part. quæſt. 5. art. 4. Tum etiam, quia de hac actiua communicatione egerat, 1. parte quæſtion. 19. articulo 2. oſtendens conuenire Deo quod diligat alia à ſe bonitatem ſuam eis communicando ſecundum eſſe naturæ, aut gratiæ; denotans eodem genere conuenientiæ conuenire illi actum quo ſe per vnionem hypoſtaticam voluit communicare: qui proculdubio ad voluntatem liberam reducitur, non ad bonitatem, aut perfectionem, alioquin poneret in Deo aliquam nouam perfectionem, quam neceſſe eſt ponere in ſubiecto quidquid conuenit illi per ſe, & naturaliter ratione principij actiui. Neque finalem quia aliàs ſolum probaret Incarnationem fuiſſe factā propter ſummum bonum, non verò fuiſſe factam à Deo, vt conuenientem illi actiuè, hoc eſt vt ortam ex intrinſeca eius bonitate. Neque tādem terminatiuā propter duo: tū quia terminatiua cōmunicatio

conuenit Deo ratione ſolius perſonalitatis relatiuæ quæ fuit proxima ratio terminandi humanitatem aſſumptam, non verò ratione bonitatis abſolutæ quæ tantum eſt radicalis, & remota ratio terminandi.

Tum etiam quia communicatio terminatiua non conuenit Deo ratione principij actiui, ſiquidem non prouenit à Deo effectiue niſi tantum terminatiuè, hoc eſt, vt à termino terminante: ergo de nulla communicatione probat Diuus Thomas conuenientiam Incarnationis ſiquidem hæc triplex communicatio dumtaxat poteſt Deo eſſe conueniens: formalis enim, & materialis important imperfectionem Deo repugnantem.

Sed huic obiectioni reſpondetur ſuſtinendo ſolutionem inter arguendum aſsignatam: ad cuius improbationem dicendum eſt rationem articuli procedere de communicatione in communi, vt abſtrahit ab actiua, finali, & terminatiua, licet concluſio de ſola terminatiua verificetur: cuius proxima ratio fuit perſonalitas filij, radicalis vero fuit ſumma bonitas.

Vnde admiſſa maiori neganda eſt minor quoad omnes partes, & ad primæ partis improbationes reſpondetur quod licet ad bonum ſub expræſſo conceptu bonitatis ſola communicatio finalis per ſe conueniat: quia de ratione cuiuſcumque boni, vt ſic eſt quod ſit finis ſiue obiectum voluntatis, reliquæ autem poſſunt vni vel alteri bono concomitanter, vel radicaliter conuenire quatenus aliqua forma, ſeu res bona, & perfecta poteſt eſſe ratio agendi, aut radix terminandi aliquam naturam, & vtrumque inuenitur in bonitate diuina: cum quo ſtat quod vtraque communicatio tam actiua ad extra quam terminatiua libere conueniat Deo, & ex hoc capite dependeat ex eius voluntate, nihilque ponat perfectionis in ipſo Deo quantum ad reſpectum rationis, vel extenſionem effectus ad extra aduenientem illi ex tempore niſi tantum quoad entitatem actus ſicut ſolet dici de actibus liberis in loco citato primæ partis, neque opportet quod communicatio orta ex principijs intrinſecis alicuius rei formaliter ſit intrinſeca perfectio illius niſi quando oritur ab illa ex indigentia, & ſupponendo ſimul in ea potentiam paſsiuam per talem actionem perfectibilem: quæ conditiones in huiuſmodi communicationibus diuinæ bonitatis locum non habent.

Ad improbationem autem ſecundæ partis negandum eſt antecedens.

Denique ad improbationem priorem tertiæ partis patet ex dictis. Ad poſteriorem autem reſpondetur quod ſumma bonitas reſpectu Incarnationis ex parte Verbi terminantis fuit veluti radicalis ratio terminandi: reſpectu verò eiuſdem quoad effectum, & modum vnionis in humanitate receptum fuit principium actiuum quia tota Trinitas actiuè operata eſt huiuſmodi effectum. Et ſic manet ratio articuli inconcuſſa.

Eſtq; eius ſumma cõmunicatio inteſiua, nõ extenſiua.

14 Dico tertio. Incarnatio conueniens eſt Deo, vt ſumma communicatio intenſiuè, ſed non vt ſumma extenſiuè, hæc ſtatuitur aduerſus quoſdam ex Authoribus tertij modi, & oſtenditur quoad primam partem quia ſumma communicatio Dei intenſiua eſt illa in qua ſummo, ac perfectiſsimo modo ſe communicat ex parte vtriuſque extremi: talem autem eſſe communicationem Incarnationis patet nam in illa communicatur ipſa perſonalitas diuina; & eſſe per eſſentiam phyſicè, & ſubſtantialiter ex parte Verbi: qua ratione hæc communicatio excedit illam per quam Deus in creatione ſe communicauit ſecundum eſſe naturæ quod eſt diuini eſſe, vt naturalis participatio; & illam per quam in iuſtificatione ſe communicat iuſtis ſecundum gratiam quæ eſt diuini eſſe, vt ſupernaturalis formalis participatio, & inſuper illam per quam ſe communicat Beatis ſecundum gloriam quæ licet vniat eſſentiam diuinam in ratione ſpeciei cum intellectu Beati; tamen vnit eam non phyſicè, & ſubſtantialiter, ſed intelligibiliter, & accidentaliter; ita vt ex intellectu, & tali ſpecie fiat vnum quid accidentale in genere intelligibilium: vnde primo modo Deus ſe communicauit humanitati Chriſti ex vi generationis humanæ, & creationis animæ: & ex vi plenitudinis gratiæ, donorum, & ſcientiæ beatæ communicauit ſe eidem ſecundo, ac tertio modo: ex vi autem aſſumptionis qua ei ſuum eſſe per eſſentiam contulit, quarto ac perfectiſſimo modo ſe communicauit. Ex par-

te

te vero naturæ aſſumptæ etiam fuit ſummus modus communicationis quia cum omnes gradus vniuerſi ſcilicet entis, vitę, & intellectualitatis in illa vnite contineantur omnes ſic vniti, & ad humanitatem contracti fuerunt aſſumpti, & ad eſſe hypoſtaticū eleuati.

Deinde quoad ſecundam partem probatur, nam ſi aſſumeretur humanitas à tribus perſonis magis extenſiuè cōmunicaretur Deus quia tunc communicaretur immediate triplex perſonalitas Dei, ſed hæc eſt maior communicatio extenſiua, ſicut Deitatem terminari tribus perſonalitatib⁹ eſt maior terminatio extenſiua quā ſi à ſola vna terminaretur: ergo incarnatio nō fuit ſūma cōmunicatio extenſiua, ſiquidem vltra illā poteſt dari alia maior ex parte Dei, nimirum ſi tres perſonæ aſſumerent humanitatem. Ex parte quoque naturæ aſſumptæ poteſt dari alia maior, nimirum quia poteſt Deus ſimul humanam, Angelicam, equinam, & lapideam naturam aſſumere: quæ communicatio eſſet maior ſecūdum extēſionem, ſiquidem vniones hypoſtaticæ multiplicarentur, & nedum vniti in humanitate, ſed ſeorſum, ac diuiſim gradus omnes vniuerſi ad hypoſtaticum ordinem aſſumerentur: ergo.

Ad fundamentum autem primæ ſententiæ reſpondetur, quod tantum probat incarnationem fuiſſe valde vtilem naturę humanæ, quod non inficiamur. Ad primū pro ſecunda ſententia patet ex ſecunda cōcluſione. Ad ſecundum vero patet ex ſecunda ratione eiuſdem concluſionis, ex qua conſtat non ſemper illud quod conuenit alicui ſubiecto ſecundum eius naturam, conuenire illi neceſſario, & inſeparabiliter maxime quando conuenit illi per modū actus orti ex intrinſecis principijs eius: qua ratione incarnatio conuenit Deo.

* * *

ARTIC. II.

Vtrum neceſſarium fuerit ad reparationem generis humani verbum Dei incarnari?

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod non fuerit neceſſarium ad reparationem humani generis verbum Dei incarnari. Verbo enim Dei, cum ſit Deus perfectus (vt in primo habitum eſt *) nihil virtutis per carnem aſſumptam accreuit. Si ergo verbum incarnatum humanam naturam reparauit, etiam abſque carnis aſſumptione eam potuit reparare.

3. d. 4. q. 3 a. 1. ad 3. & 4. d. 10. a. 1. ad 3. & d. 43. a. 2. q. 22. ad 2. & 4. con. c. 55. 2. & Pſal. 45. co 6
** p. p. q. 4. a. 1. & 2.*

2 Præterea, Ad reparationem humanæ naturæ, quæ per peccatum collapſa erat, nihil aliud requiri videbatur, quā quod homo ſatisfaceret pro peccato. Sed homo, vt videtur, ſatisfacere potuit pro peccato: non enim Deus ab homine plus requirere debet, quam poſsit: & cum pronior ſit ad miſerendum, quam ad puniendum, ſicut homini imputat ad pœnā actum peccati, ita imputare debet ad meritum actum contrarium. Non ergo fuit neceſſarium ad reparationē humanæ naturæ, verbum Dei incarnari.

4 Præterea, Ad ſalutem hominis præcipuê pertinet, vt Deum reuereatur: vnde dicitur Malachiæ. 1. Si ego pater, vbi honor meus? ſi dominus, vbi timor meus? Sed ex hoc ipſo homines Deum magis reuerentur, quod eum conſiderant ſuper omnia eleuatum, & ab hominum ſenſibus remo-

Digitized by Google

tum: vnde in Pſalm. 112. dicitur, Excelſus ſuper omnes gentes Dominus, & ſuper cœlos gloria eius: & poſtea ſubditur. Quis ſicut Dominus Deus noſter? Quod ad reuerentiam pertinet. Ergo videtur non conuenire humanæ ſaluti, quod Deus nobis ſimilis fieret per carnis aſſumptionem.

Sed contra, illud, per quod humanum genus liberatur à perditione, eſt neceſſarium ad humanam ſalutem. Sed myſterium diuinæ incarnationis eſt huiuſmodi: ſecũdum illud Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitũ daret: vt omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Ergo neceſſarium fuit ad humanam ſalutem, Deum incarnari.

Reſpondeo dicendum, quod ad finem aliquem dicitur aliquid eſſe neceſſarium † dupliciter. Vno modo, ſine quo aliquid eſſe non poteſt: ſicut cibus eſt neceſſarius ad conſeruationem humanæ vitæ. Alio modo per quod melius, & conueniẽtius peruenitur ad finem: ſicut equus neceſſarius eſt ad iter. Primo modo, Deum incarnari non fuit neceſſarium ad reparationem humanæ naturæ. Deus enim per ſuam omnipotentem virtutem poterat humanam naturam multis alijs modis reparare. Secundo autem modo neceſſarium fuit Deum incarnari ad humanæ naturæ reparationem. Vnde Auguſt. dicit 13. de Trinit. cap. 10. Verum etiam oſtendamus non alium modum poſsibilem Deo defuiſſe, (cuius poteſtati omnia æqualiter ſubiacent) ſed ſanandæ miſeriæ noſtræ conuenientiorem alium modum non fuiſſe.

Ariſt. 5 met. tex. 6 to. 3.

non longe à pr. to. 3.

Et hoc quidem conſiderari poteſt quantum ad promotionem hominis in bonum. Primo quidem, quãtum ad fidem, quæ magis certificatur ex hoc, quod ipſi Deo loquenti credit. Vnde Auguſt. dicit 11. de ciuit. Dei, Vt homo fidentius ambularet ad veritatem, ipſa veritas Dei filius, homine aſſumpto conſtituit, atque fundauit fidem. Secũdo, quantum ad ſpem: quæ per hoc maximê erigitur. Vnde Auguſt. dicit 13. de Trinit. Nihil tam neceſſarium fuit ad erigẽdam ſpem noſtram, quam vt demonſtraretur nobis, quantũ diligeret nos Deus. Quid vero huius rei iſto indicio manifeſtius, quam quod Dei filius naturæ noſtræ dignatus eſt inire conſortium? Tertio, quantum ad charitatẽ: quæ maximé per hoc excitatur. Vnde Auguſt. dicit in lib. de Catechizandis rudibus *, Quæ maior eſt cauſa aduẽtus Domini, niſi vt oſtenderet Deus dilectionem ſuam in nobis? Et poſtea ſubdit, Si amare pigebat, ſaltem redamare non pigeat. Quarto, quantum ad rectam operationem: in qua nobis exemplum ſe præbuit. Vnde Auguſt. dicit in quoddam ſermone de Natiuitate Domini, Homo ſequendus non erat, qui videri poterat: Deus ſequendus erat, qui videri non poterat. Vt ergo exhiberetur homini, & qui videretur ab homine, & quem homo ſequeretur, Deus factus eſt homo.

c. 2. à medio to. 5.

ca. 10. non procul. à prin. to. 3.

cap. 4. in princ. to. 4. eo. lib. & cap. 4. non procul. à prin. to. 4.

Quinto, quantum ad plenam participationem diuinitatis: quæ vera eſt hominis beatitudo, & finis humanæ vitæ: & hoc collatum eſt nobis per Chriſti humanitatem. Dicit enim Auguſt. in quodam ſermone de Natiu. Domini, Factus eſt Deus homo, vt homo fieret Deus. Similiter & hoc vtile fuit ad remotionem mali.

in ſerm. 9 cir. prin. illius: & eſt ſer. 13. in ord. to. 10.

Primo enim per hoc homo inſtruitur, ne ſibi diabolum præferat, & eum veneretur, qui eſt auctor peccati. Vnde Aug. dicit 13. de Trinit. Quandoquidem ſic potuit Deo coniungi humana natura, vt fieret vna perſona ſuperbi illi maligni ſpiritus non ideô ſe audeant homini præponere, quia

l. 13. ca. 17 cir. princi. to 3.

non

non habent carnem. Secundo per hoc inſtruimur, quanta ſit dignitas humanæ naturæ, ne eam inquinemus peccando. Vnde Auguſt. dicit in lib. † de vera religione, Demonſtrauit nobis Deus, quam excelſum locum inter creaturas habeat humana natura, in hoc quod hominibus in vero homine apparuit. Et Leo Papa dicit in ſermone de Natiuitate *, Agnoſce ô Chriſtiane dignitatem tuam: & diuinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem de generi conuerſatione redire. Tertio, quia ad præſũptionem hominis tollendam, gratia Dei in nobis nullis meritis præcedentibus in homine Chriſto commendatur, vt dicitur in 13. de Trinitate †. Quarto, quia ſuperbia hominis, quæ maximê impedimento eſt, ne inhæreatur Deo: per tantam Dei humilitatẽ redargui poteſt, atque ſanari, vt dicit Aug. ibid.

† c.16. non procul. â prin. to.1.

** inſer.1. poſt med. illius, incipit hic ſer. Saluator noſter.*

† c.17. ante med. to.3.

eod. li. & c. habetur poſt med. illius.

Quinto, ad liberandum hominem â ſeruitute peccati. Quod quidem, vt Auguſt. dicit 13. † de Trinit. fieri debuit ſic, vt diabolus iuſtitia hominis Ieſu Chriſti ſuperaretur; quod factum eſt Chriſto ſatisfaciente pro nobis. Homo autem purus ſatisfacere non poterat pro toto humano genere: Deus autem ſatisfacere non debebat: vnde oportebat Deum, & hominem eſſe Ieſum Chriſtum. Vnde & Leo Papa dicit in ſermone de Natiuitate *, Suſcipitur â virtute infirmitas, â maieſtate humilitas: vt quod noſtris remedijs congruebat, vnus atque idem Dei, & hominũ mediator, & mori ex vno, & reſurgere poſſet ex altero. Niſi enim eſſet verus Deus, non adferret remedium; niſi eſſet verus homo, non præberet exẽplum. Sunt autem, & aliæ plurimę vtilitates, quæ conſequutæ ſunt, ſupra apprehenſionem ſenſus humani.

† c.13. to. 3.

** in ſerm. 1 poſt med. illius.*

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit ſecundum primum modum neceſſarij, ſine quo ad finem perueniri non poteſt.

Ad ſecundum dicẽdum, quod aliqua ſatisfactio poteſt dici dupliciter ſufficiens. Vno modo perfecté: quia eſt condigna per quamdam adæquationem ad recompenſationem culpæ commiſſæ. Et ſic hominis puri ſatis factio ſufficiens eſſe nõ potuit pro peccato. Tum quia tota humana natura erat per peccatum corrupta; nec bonum alicuius perſonæ, vel etiam plurium poterat per æquiparãtiam totius naturæ detrimentum recompenſare. Tum etiam, quia peccatum contra Deum cõmiſſum, quãdam infinitatem habet ex infinitate diuinæ maieſtatis: tãto enim offenſa eſt grauior, quanto maior eſt ille, in quẽ delinquitur. Vnde oportuit ad condignam ſatisfactionem, vt actus ſatiſfacientis haberet efficaciam infinitã, vtpote Dei, & hominis exiſtens. Alio modo poteſt dici ſatisfactio hominis eſſe ſufficiens imperfecté, ſcilicet ſecundum acceptationem eius, qui eſt ea contentus, quamuis non ſit condigna. Et hoc modo ſatisfactio puri hominis eſt ſufficiens. Et quia omne imperfectum præſupponit aliquid perfectum, â quo ſuſtentetur: inde eſt quod omnis puri hominis ſatisfactio efficaciam habet â ſatisfactione Chriſti.

Ad tertium dicendum, quod Deus aſſumendo carnem, ſuam maieſtatem non minuit: & per conſequẽs non minuitur ratio reuerentiæ ad ipſum, quæ augetur per augmentũ cognitionis ipſius. Ex hoc autẽ, quod nobis appropinquare voluit per carnis aſſumptionẽ, magis nos ad ſe cognoſcendũ attraxit.

PRIMA

PRIMA Concluſio: non fuit neceſſarium ſimpliciter neceſsitate finis ad reparationē generis humani Verbum diuinum incarnari, fuit tamen melius & conuenientius.

Secunda concluſio in ſolutione ad ſecundum: purus homo potuit imperfectè ſatisfacere pro peccati humani generis, ſed non de condigno, eoquod offenſa habet quandam infinitatem ex infinitate diuinæ maieſtatis offenſæ.

Tertia ibidem oportuit ad condignam ſatisfactionem, vt actus ſatisfacientis haberet efficaciam infinitam: & talis fuit à Deo homine exhibita ſatisfactio. Ad quarum concluſionũ exactam explicationem ſex controuerti ſolent à Theologis.

Primum eſt. An ſimpliciter, & abſolutè neceſſaria fuerit incarnatio in reparationē humani generis, ad condignam ſatisfactionem exhibendam? Secundò videndum eſt, cur purus homo illā exhibere non poſſit. Et quia ratio huius impotentiæ eſt grauitas offenſæ, videndum eſt tertio, an hæc grauitas ſit infinita, & propterea à ſatisfactione puræ creaturæ in exæquabilis? Et quia ad condignam ſatisfactionē in materia iuſtitiæ conſtituendam, quædam conditiones requiruntur, videndum eſt quarto, quæ conditiones ſint iſtæ? Et quinto, an in ſatisfactione Chriſti reperiantur? Et tandem ſexto, videndũ eſt, an propterea ſatisfactio Chriſti fuerit actus rigoroſæ iuſtitiæ cõmutatiuæ: cuius eſt reddere æquale pro iniurijs, & alijs debitis compenſandis.

Dubium primum eſt. An prima concluſio ſit vera: & quo pacto incarnatio fuerit neceſſaria ad reparationem generis humani?

15 IN hoc dubio quatuor verſantur ſententiæ, duæ extremæ, & aliæ duæ mediæ. Quarum prima fuit Petri Abaylardi temporibus Diui Bernardi, aſſerentis incarnationem, neque ſimpliciter, neque ad melius, fuiſſe pro reparatione humani generis neceſſariam: neque eo fine fuiſſe factam, vt Chriſtus à poteſtate Dæmonis homines eriperet, ſed vt Doctor illos ad ſalutem inſtrueret. Quē errorem quoad primum dictum accepit Abaylardus ex Baſſo diſcipulo Cherinthi, qui paulo poſt Apoſtolorum tempora redemptionis Chriſti neceſsitatem negauit, vt referunt Prateolus in Elencho Hæreſum lib. 2. verbo *Baſſus*, & Caſtro verbo *Chriſtus*, hæreſi 8. Quoad ſecundũ autem dictum ſecutus eſt Pelagium, qui teſtē Bernardo epiſt. 190. & 192. aſſerebat homines, non ſub Dæmonis poteſtate tanquā ſeruos, ſed ſolum ſub illius cuſtodia tanquā malefactores detentos remanſiſſe.

Cuius fundamenta ſunt duo. Primũ eſt, quia captiuitas dicitur relatiuè ad tyrannicam poteſtatem; ſed ex parte *Dæmonis*, non fuit vera tyrannica poteſtas: ergo neq; ex parte hominis fuit vera captiuitas, ac proinde ad hunc finem redimendi hominē à poteſtate Dæmonis non fuit neceſſaria incarnatio. Minor patet, quia neque Bernardus in epiſt. citata, neque Anſelmus lib. 1. *Cur Deus homo*, cap. 6. aliter explicant poteſtatem Dæmonis ſupra hominem, niſi quatenus homo erat illi traditus, vt cuſtodi, ſiue vt miniſtro ad eius punitionem deputato. Cuius etiam manifeſtum ſignum eſt, quod pretium redemptionis non fuit exhibitũ à Chriſto ipſi Dæmoni, ſed ſoli Deo: exhiberetur autem Dæmoni ſi haberet veram poteſtatem ſupra hominem redimēdũ: ergo.

Secundum eſt: nam ſi vera captiuitas eſſet ex parte hominis reſpectu Dæmonis, maximè conſiſteret in eo quod homo gratia Chriſti deſtitutꝰ peccaret ex Dæmonis ſuggeſtione irreparabiliter, iuxta illud 2. ad Timoth. 2. *A quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem, &c.* Sed in hoc non poteſt conſiſtere propter tria. Tum, quia hæc captiuitas fuiſſet ſoluta per Chriſti paſsionem, iuxta illud Ioan. 12. *Nunc princeps huius mundi eijcietur foras*: iſte autem ineuitabilis lapſus in peccatum, non fuit omnino ablatus; quia etiam poſt paſsionem Chriſti homines peccant, ſicut ante ex Dæmonis ſuggeſtione. Tum etiam, quia ſicut modo per gratiam à Chriſto collatam, liberantur homines à Dæmonis tentationibus ne in eius malam trahantur voluntatem, ita olim ante Chriſti aduentum, igitur ſicut modo, ita & tunc deficeret iſta captiuitas: quod tamen eſt falſum.

Digitized by Google

ſum. Tum denique, quia adulti non ſunt magis captiui, quam paruuli concepti in peccato originali, ſed iſti non peccant ex Dæmonis ſuggeſtione: ergo neque in hoc conſiſtit humana captiuitas.

Secunda ſententia eſt Raymundi Lullij in tractatu de Incarnatione aſſerentis incarnationem fuiſſe ſimpliciter neceſſariam ſuppoſito decreto creationis vniuerſi, ita vt ſtante huiuſmodi decreto Deus non potuerit non carnem aſſumere. Cui⁹ fundamentum eſt, quia eo ipſo quod Deus ſtatuit producere aliquid extra ſe, non poteſt non eligere quod optimum eſt in illo genere: hæc enim electio ita eius ſummam bonitatem, ac ſapientiam decet, vt oppoſitum ſit indecorum: ſed vniuerſitas rerũ quam De⁹ facere decreuit, ſine incarnatione non eſſet optima: ergo ſuppoſito decreto creationis non potuit Deus non incarnari.

Tertia ſententia media incedens via aſſerit neceſſariam fuiſſe incarnationẽ ſimpliciter ad reparandum hominem lapſum, ita vt ſuppoſita creatione vniuerſi, & hominis lapſu, ad huius reparationem fuerit neceſſaria ſimpliciter incarnatio. In hanc inclinat Abulenſis in prologum ſuper Matth. q. 27. & illam incunctãter attribuit Vaſquez hic diſp. 1. cap. 2. nonnullis ſanctis Patribus, præcipuè Anſelm lib. 1. *cur Deus homo*, cap. 16 & lib. 2. cap. 4. atque Ricardo de Sancto Victore lib. de incarnatione Verbi cap. 8. Sed quia maior fides adhibenda eſt Bonauenturæ, & Alenſi in locis ſtatim citandis, qui aliter Anſelmum, & Ricardũ interpretantur aſſerentes eos, propterea dixiſſe impoſſibile Deo fuiſſe non incarnari, & ideo neceſſariam fuiſſe pro redemptione hominũ incarnationem, quia loquebãtur de neceſsitate immutabilitatis prouenientẽ ex ſuppoſitione diuini decreti, quod ſemel habitum Deus abſque læſione ſuæ immutabilitatis retractare non poteſt: quinimo, & ipſe Anſelmus ita ſe explicat lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 17. ideò indubitatè teneo illos pro hac ſententia minimè fuiſſe, cuiuſcumque tamẽ ſit illa poteſt ſuaderi dupliciter.

Primo, quia Deus non potuit non reparare Angelorum damnatorum ruinas, & in eorum ſedibus alias creaturas rationales, nempè homines collocare: ergo ſuppoſito hominũ lapſu, qui fuit effectus peccati Angelorũ, Deus nõ potuit nõ incarnari ad humani generis reparationem. Antecedens probatur, nam indecens erat, ac proinde impoſsibile Deum relinquere ruinas Angelorum irreparatas: illas autem reparare nõ potuit lapſos Angelos erigendo, qui cum ſint inflexibilis voluntatis ad amiſſum ſtatum per pœnitentiam reuocari non poſſunt. Neque nouos creãdo: derogat enim perfectioni primæ creationis, non fuiſſe tunc creatos Angelos perfectiores, qui nulla præuiſa vindicta, in gratia eſſent permanſuri: & cum non ſint aliæ creaturæ rationales præter homines: ex his debuit reſtaurari ruina Angelorum.

Secundo, quia ad reparationem humani generis ex iuſtitia, fuit neceſſaria aſſumptio alicuius naturæ rationalis: Deus autem non potuit non reparare humanum genus ex iuſtitia: ergo. Minor probatur dupliciter. Tum, quia Deus non poteſt relinquere aliquid inordinatum, & non perfectè ſubiectum ſuæ prouidentiæ: ſi autem non exactè puniret peccatum in Chriſto maneret peccatum inordinatum, & non perfectè ſubiectum diuinæ prouidentiæ: cui tamen ſubijciuntur peccata vt exactè punienda, teſte Anſelmo lib. 1. *Cur Deus homo*, cap. 12. & D. Thom. 1. p. quæſt. 19. art. 6. Tum etiam, quia iuſtitia Dei exigebat vt homo à peccato redimeretur, Chriſto per paſsionem ſatisfaciente, ſed Deus ſuam iuſtitiam nequit præterire, quia fidelis eſt, & ſe ipſũ negare nõ poteſt, vt ait Paul. 2. ad Timoth. 2. *Negaret autem ſeipſum ſi ſuam iuſtitiam negaret, quia ipſe eſt ſua iuſtitia*: ergo.

Quarta ſententia eſt communis omnium Scholaſticorum cum Magiſtro 3. diſtinct. 20. & D. Thoma ibidem q. 1. art. 4. quæſtiuncula 1. & 2. & in hoc articulo aſſentium incarnationem fuiſſe medium non ſimpliciter neceſſarium, ſed melius ac conuenientius ad hominis lapſi reparationem: ac proinde potuiſſe Deum de potentia abſoluta, & ſecundum alium ordinem rerum per aliud medium genus humanum reparare, aut ipſum irreparatum relinquere: ita tenent Bonauentura in dicta diſt. art. 1. q. 1. Ricard. q. 4. Scotus, Durandus, & Paludanus q. 1. Alenſis 3. p. q. 1. memb. 3. Vega lib. 2. in Concil. cap. 5. Medina in hoc artic. dub. 1. Suarius diſp. 4. ſect. 2. Vaſqui⁹ diſp. citata cap. 3. & 4. Nazarius conuerſ. 2 part. 1. Lorca diſp. 1. & Aluar. in expoſitione articuli. In cuius explicatione, adhuc neoterici variè ſentiunt: quidam enim dicunt incarnationem non fuiſſe medium cõuenientiſsimum de potentia abſoluta ad reparationem humani generis. Alij autem de

quorum

quorum numero eſt Suarius volunt fuiſſe conuenientiſsimum medium etiam reſpectu diuinæ omnipotentiæ, & Medina ſubdit, hoc eſſe adeò certum vt oppoſitum ab erroris, aut ſaltem magnæ temeritatis nota excuſari non valeat, & quoniam hæc eſt vera ſẽtentia. Pro eius declaratione.

Adſtruitur vera hominis ap- tiuitas ſub dæmonis poteſtate

17 Dico primo. Incarnatio ordinata fuit ad liberandum hominem à Dæmonis vera poteſtate, quam ſupra illum habebat. Hæc cõcluſio ſtatuitur aduerſus Sectarios primæ ſententiæ.

Et probatur primo, ex Eccleſiæ diffinitione, quia diffinita eſt ab Innocentio 2. contra Abaylardũ in epiſt. ad Bernardum, quæ eſt inter ipſius Bernardi epiſtolas 194. & in Tridentino ſeſs. 6. cap. 1. diffinitur homines conſtitutos fuiſſe ſeruos peccati, & ſub Dæmonis poteſtate, & Chriſtũ in humani generis redemptionem aduenisſe determinatur cap. 2. & ſeſs. 5. decreto de peccato originali ſub anathemate diffinitur eadem veritas in hæc verba: *Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradyſo fuiſſet tranſgreſſus, incurriſſe per offenſam prauaricationis huius iram, & indignationem Dei, atque ideò mortem, &c. & cum morte captiuitatem ſub eius poteſtate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc eſt Diaboli, &c. anathema ſit*: ergo noſtra concluſio eſt certa ſecundum fidem.

Confirmatur, nam propterea homo dicitur in Scriptura ſeruus peccati, & redẽptus per Chriſtum, vt ad Rom. 6. ait Paul. *Gratias autem Deo, quòd fuiſtis ſerui peccati*: & infra: *Cum enim ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ*: & 2. Petri 1. *A quo enim quis ſuperatus eſt, huic & ſeruus eſt*, ideſt, peccati à quo liberè conſentiendo ſuperatur homo: & Ioan. 8. ipſe Chriſtus fatetur nos ab huiuſmodi ſeruitute eius merito fuiſſe liberatos, dicens: *Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis*: & Pſal. 13. *Cum conuerterit Dominus captiuitatem plebis ſuæ*, ideſt, captiuitatẽ peccati, teſte Caietano: ergo vtrumque dictũ Abaylardi, nimirum nos non fuiſſe verè ſeruos, atque ab hac ſeruitute per Chriſtum non fuiſſe redemptos ſacræ Scripturæ repugnat.

Secundo probatur argumento Bernardi vbi ſupra: quia Dæmon habuit verè poteſtatem ſupra Chriſtum, quatenus gerebat ſimilitudinem carnis peccati: ergo à fortiori illam habuit ſupra alios homines, qui peccato erant infecti: antecedens probat Bernardus ex illo Lucæ 22. *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Et ex illo quod Ioan. 19. ipſe Dominus dixit Pilato mẽbro Diaboli: *Non haberes in me poteſtatem vllam, niſi data tibi fuiſſet deſuper.* Amplius quoque probari poteſt ex illo Eccleſiaſti 38. *Solem nube tegens*, ideſt Chriſtum nube pœnalitatis, vnde Ioan. 1. dicitur de illo, *Et lux in tenebris lucet*, ideſt, Verbum Dei lucet in carne habente ſimilitudinẽ, hoc eſt pœnalitatem peccati, vt D. Thom. ibidem lectione 3. interpretatur, & ad Epheſ. vltim. *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes, & rectores tenebrarum.* Et Iſai. 9. *Populus, qui ambulabat in tenebris*, ideſt Dæmonis poteſtate, *vidit lucẽ magnam*, ideſt Chriſtũ Redemptorẽ. Neque obſtat, quod Ioannis 14. dicit Chriſtus: *Venit princeps huius mũdi, & in me non habet quidquam*: quia in hoc ſolum voluit denotare, teſte Auguſt. ſe non habuiſſe debitum moriendi ortum ex proprio peccato: cum quo tamen ſtat ipſum habuiſſe debitum titulo fideiuſſoris ſubeundi mortem Dæmoni, vt principi ex actori commiſſam.

Tertio probatur, nam Dæmonẽ habere tyranicam ſupra homines poteſtatem, non ſolum eſt illum habere poteſtatem detrudendi in infernum eos, qui decedunt in peccato mortali, aut iuſtos veteris legis in Lymbo detinendi: ſed etiam ipſos in via tẽtandi, & impugnandi pro ſua voluntate, ita vt peccent ex Dæmonis ſuggeſtione ineuitabiliter, niſi gratia Chriſti muniantur, & reparentur: & inſuper quod hominum peccata ſint ſecundum Dæmonis voluntatem complacentiæ: ſed homines multa peccata faciebãt ex Dæmonis ſuggeſtione, & quecumque committebant ei complacebant, neque ſine gratia Chriſti omnia poterant vitare: ergo verè fuerunt ſub Dæmonis poteſtate, ac ſeruitute. Mai. eſt D. Th. infra q. 48. art. 4. Et min. patet, nã de peccatoribus, dicit Paulus 2. ad Timoth. 2. *Et reſipiſcant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem*: ideſt, qui pro ſua voluntate facit homines gratia deſtitutos ſucumbere tentationibus: atque de illis tanquam de ſeruis proprijs facit, quod vult, vt explicant Auguſt. in Pſalm. 77. Anſelmus in libro de ſimilitudinibus, cap. 189. & Magiſter in 2. diſt. 7. cap. *illud quoque*.

Vltimo probatur ex diffinitione ipſa redemptionis, quæ nihil aliud eſt, quam detentum ſub alterius poteſtate à ſeruitute eripere exhibito pretio: Chriſtum autem verè nos redemiſſe per oblationem ſuæ paſſionis

Digitized by Google

tionis eſt certum ſecundum fidem: ergo eadem certitudine tenendum eſt nos fuiſſe à Dæmonis poteſtate, & ſeruitute ereptos. Minor pate: ex pluribus teſtimonijs Scripturæ, in quibus Chriſtus Dominus appellatur hominum redemptor, & dicitur eo fine in mundum aduenisse, vt Pſalmo 129. *Copioſa apud eum redemptio*, & 1. Petri 1. *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati, & incontaminati Chriſti.* Et ad Galatas tertio: *Chriſtus nos redemit de maledicto legis.* Et ad Titum 2 dicitur: *Quod dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate:* qua ratione D. Thom. in dicta quæſt. 48. art. 4. oſtendit paſsionem Chriſti habuiſſe verā rationem redemptionis: quod & nos contra Suarium, & Vazquium dub. vlt. ex profeſſo oſtendemus.

Dico ſecundo. Incarnatio nō fuit ordinata in reparationem humani generis, tanquam neceſſaria ſimpliciter, etiam ex ſuppoſitione decreti creationis vniuerſi. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Authorem ſecundæ ſententiæ.

Et probatur pro prima parte, nam neceſſarium ſimpliciter ad finem eſt illud, ſine quo finis nullo pacto conſequi poteſt, ſed reparatio humani generis potuit conſequi ſine incarnatione: potuit enim Deus cū ſit ſupremus iudex offenſæ, & dominus debiti gratis ſine vlla ſatisfactione, etiā Chriſto non incarnato, humano generi condonare offenſam, & ipſum ad gratiam ęqualē, vel maiorem priſtina reſtituere, in quo conſiſtit formaliter eius reparatio: ergo adhūc finem non fuit neceſſaria ſimpliciter incarnatio.

Pro ſecunda vero parte probatur duplici ratione. Quarum prima deſumitur ex parte vniuerſi in hunc modum. Poteſt vniuerſum ſtare ſine his, quæ cum illo non habent neceſſariam conexionem: ſed incarnatio non habet conexionem neceſſariam cum vniuerſo: nō enim eſt perfectio illi connaturalis, aut debita: ſed potius ei ex vi ſuperuenientis decreti prædeſtinationis Chriſti gratuito ſuperaddita: ergo potuit ſtare vniuerſum cum omnibus partibꝰ, & perfectionibus ſibi debitis in eſſe naturæ ſine incarnatione.

Secunda procedit ex libero modo operandi diuinæ voluntatis: diuina voluntas eſt cauſa rerum non ex neceſsitate naturæ, ſed liberè illas producens, vt probat Diuus Thomas 1. p. q. 19. art. 4. ſed cauſa operans non ex neceſsitate naturæ, non agit ſecundum vltimum potentiæ, neque producit maximum, & optimum quod poteſt in ſuis effectibus: ergo Deus ex decreto libero creandi vniuerſum, nō determinatur ad perfectiſsimum effectum producendum, & optimam vniuerſi perfectionē, qualis fuit vnio hipoſtatica alias ſi ex modo operandi ſuæ voluntatis determinaretur ad optimum, & perfectiſsimum, non poſſet quouis effectu finito producto alium nobiliorem producere, ſed ſemper produceret infinitum, quod oſtendit falſum D. Thom. 1. p. q. 25. art. 6.

18 Dico tertio. Suppoſito hominis lapſu adhuc incarnatio nō fuit ordinata ad eius reparationem, vt medium ſimpliciter neceſſarium, fuit tamen ad aliquem modū reparationis, videlicet ad liberandum hominem per condignam ſatisfactionem ſimpliciter neceſſaria aſſumptio naturæ rationalis. Hæc ſtatuitur aduerſus Authores tertiæ.

Et probatur prima pars rationibus factis pro prima & ſecunda concluſione, quarum ſumma hæc eſt: neceſsitas finis ſimpliciter debet in medio prouenire, vel ex fine ipſo, qui neceſſariam conexionem habet cum medio, vel ex voluntate ordinantis medium ad finem, ex qua prouenit vt finis non aliter ſit aſſequibilis. Sed neque ex parte finis, ſcilicet liberationis humani generis fuit neceſſaria ſimpliciter incarnatio, ſiquidem non neceſſario conectitur cum illa: potuit enim Deus ſine incarnatione hominem creare, & lapſum ad priſtinam reuocare gratiam, libere omnino offenſam ei cōdonando, aut pro ſatisfactione imperfecta vnius puræ creaturæ rationalis. Neque ex parte diuinæ voluntatis: ſiquidem adhuc ſuppoſita, & præuiſa permiſsione peccati, fuit liberum decretum incarnationis: poterat enim Deus ad oſtenſionem ſuæ iuſtitiæ hominem relinquere irreparatum. Et propterea attribuitur incarnatio benignitati, & miſericordiæ Dei, quæ important actꝰ liberos voluntatis: dicitur enim ad Titum 3. *Eramus, & nos inſipientes, increduli, errantes &c. Cum autem benignitas, & humanitas Saluatoris noſtri Dei non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit*, ideſt, adhuc preuiſis hominū peccatis benignè, miſericorditer, & libere ordinata fuit in eorum remedium incarnatio: ergo ex nullo capite fuit neceſſaria ſimpliciter ad hominis reparationem. Sup-

poſito

Digitized by Google

poſito tamen decreto, quo Chriſtus fuit prędeſtinatus in remedium peccati, fuit neceſſaria neceſsitate ſuppoſitionis, & immutabilitatis, quæ non tollit abſolutam libertatem.

Secunda pars patet, nam condigna ſatisfactio pro peccato humani generis, vt infra dicendum eſt, ſolum per actus liberos à Deo exhibitos in natura intellectuali creata potuit fieri: cuiuslibet enim alterius actus, aut à con dignitate, aut à ratione iuſtę ſatisfactionis deficerent: ergo ad iſtum reparationis modum, ſcilicet per condignam ſatisfactionem neceſſaria fuit aſſumptio alicuius naturæ intellectualis: atque vt condigna ſatisfactio exhiberetur in paſsione, & morte neceſſaria fuit aſſũptio naturę rationalis paſsibilis; ac proinde humanæ, quæ dicitur incarnatio.

Conuenientiſsimum medium ad hominis liberationẽ, fuit incarnatio.

19 Dico vltimo. Incarnatio fuit ordinata ad liberationem hominis, tanquã medium optimum, & conuenientiſsimum, tam ex parte hominis, quam ex parte Dei, quo nullum de potentia abſoluta potuit à Deo conuenientius exhiberi. Hæc conclusio ſtatuitur pro Authoribus ſecundi modi explicandi quartam ſententiam.

Et pro prima parte probatur, nam teſte Auguſt. lib. 13. de Trinit. cap. 10. noſtræ miſeriæ ſanandæ nullus modus fuit cõuenientior: ex parte autem humanæ naturæ, finis incarnationis fuit ſanatio miſeriæ: ergo ſi ad hunc finem nullum medium potuit dari conuenientius, teſte Auguſtino, conſequens eſt ex parte hominis fuiſſe incarnationem medium conuenientiſsimum.

Secundo probatur, quia illud eſt medium conuenientiſsimum, ex parte hominis quod illum magis promouet ad bonum, & efficacius remouet à malo: atque cõgruẽtius perducit ad beatitudinem: talis autem eſt incarnatio, vtpotè per quam maximè exaltatur humanitas, vnitur Deo: victoria, & ſatisfactio fit ab eo, qui eſt deuictus per peccatum, vt probant rationes D. Thom. in hoc art. & lib. 4. contra gent. cap. 54. ergo.

Deinde pro ſecunda parte oſtenditur: nam omnia media excogitabilia ex parte Dei ad reparationem humani generis reducuntur ad hæc quatuor, ſcilicet, quia aut homo repararetur per gratuitam omnino condonationem, aut per ſatisfactionem alicuiꝰ puri hominis, vel alterius puræ creaturæ intellectualis, aut per ſatisfactionem diuini ſuppoſiti in natura intellectuali diſtincta ab humana, aut tandem per ſatisfactionem diuini ſuppoſiti in natura humana: ſed ex his conuenientiſsimus modus fuit quartus propter tria: tum quia aut iſti modi comparantur ſecundum ſe, ut obiecti fuerunt ſciẽtiæ diuinæ ſimplicis intelligentiæ ante omnem voluntatem ſtatuendi ordines rerum: & ſic conuenientiſsimus eſt quartus, vtpotè in quo plura Dei attributa manifeſtãtur, cum quibus habet proportionem, teſtè Damaſc. lib. 3. de fide cap. 1. aut comparantur ſecundum quod ad diuerſos ordines rerum pertinent: & ſic vnuſquiſque in ſuo ordine eſſet melior, & cõueniẽtior, nõ ſimpliciter, & abſolutè, ſed ſecundum quid, ſcilicet in ſuo ordine: quinimò vt ſic non ſunt comparabiles, vtpote quibus deeſt conuenientia in eodem ordine ad debitam comparationem requiſita.

Tum etiam, quia ſi Deus ſtatueret reparare hominem per abſtinentiam, conuenientius eſſet ieiunium huic ordini quam mors: & taman melius fuit abſolutè reparare hominem per mortem, quam per ſolum ieiunium, vt docet D. Thom. infrà q. 46. artic. 3. dicens, modum conuenientiorem liberandi hominem fuiſſe per paſsionem, & mortem Chriſti, quod exponit ibi Caietanus intelligendum eſſe etiam in ordine ad potentiam Dei abſolutam.

Tum denique, quia in hoc modo liberationis humani generis coniunguntur miſericordia, & iuſtitia in ſummo: quod in alijs modis non contingeret. Non in primo, aut ſecundo, quia in illis ſicut deeſſet rigoroſa ſatisfactio, & redemptio, quæ teſte D. Thoma quodlibeto 2. art. 2. & infra. q. 48. art. 5. eſt ſolutio pretij æqualis, ita nec reluceret iuſtitia in ſummo. In tertio autem licet ſatisfactio æqualis, & redemptio, ac proinde ſumma iuſtitia locũ haberet, quia tamen neque diuinum eſſe homini hypoſtaticè fuiſſet communicatum, neque ita dignificaretur humana natura, ſicut modo, dũ alteri à Deo ſuam ſalutem deberet: hoc enim ad maiorem hominis dignitatem pertinet, teſte D. Thom. in art. 3. præallegato, vt homo vinceret eum à quo fuerat debictꝰ neq; ſuæ victoriæ eſſet alteri debitor, quã Deo; in huiuſmodi autem diuini eſſe, & maioris dignitatis communicatione magis miſericordia ſplendeſcit.

Obijcies hunc modum, neque ex parte Dei, neque ex parte hominis fuiſſe cõuenientiſsimum ſpectata potẽtia abſoluta;

non

tion ex parte Dei, quia teſte D. Thoma in 3. d. 20. ar. 4 quæſtiuncula 1. & 2. alius modus noſtræ reparationis fuit poſsibilis, quẽ ſi elegiſſet Deus conuenientiſsimus fuiſſet licet non habuiſſet rationem redemptionis, ſed ſolius liberationis: *Quantum ex parte noſtra eſt* (ait ille) *conuenientior modus eſſe non potuit, ſed tamen Deo non aufertur potentia, quin potuiſſet alium modum conuenientiorem feciſſe: ſed hoc eſſet ſecundum alium ordinem.* Neque ex parte noſtra, quia cõuenientior modus liberationis ex parte naturæ humanæ fuiſſet ille quo omnes homines ſaluarentur efficaciter, quam iſte quo de facto non omnes ſaluantur: ſiquidem in illo magis diuina miſericordia reluceret, ſimul relucente ſumma iuſtitia Dei exigentis condignam à Chriſto ſatisfactionem.

Sed huic obiectioni reſpondetur negando aſſumptum quoad vtramque partẽ. Quoad primam quidem, quoniam D. *Tho.* aut in illis locis ſolum loquitur de conuenientiori modo reſpectiuè, & ſecundum quid, ſcilicet in tali ordine, quod ſubindicat in illis verbijs: *Sed hoc eſſet ſecundum alium ordinem*: cum quo tamen ſtat, abſolutè & ex natura rei conuenientiorem fuiſſe incarnationem. Aut mutauit in hoc articulo ſententiam, & in tertio ad Anibaldũ diſt. 20. art. 3. ſe explicat dicens, ex parte Dei, & hominis ſimul fuiſſe alium modum reparationis poſsibilem, ſed nullum conuenientiorem. Quoad ſecundã vero propter duo. Tum quia reparatio humani generis cum efficaci ſalute hominum omnium per incarnationem, non eſt modus eſſentialiter diſtinctus à reparatione facta, ſiquidem vtraque inuoluit ordinem incarnationis & modum liberandi hominem per condignam ſatisfactionem eiuſdem hominis: vnde licet ille eſſet melior, & vtilior hominibus, non ſequitur poſibilem eſſe alium modum conuenientiorem reparationis, quam ſit factus per incarnationem, quia ille non eſt omnino alius ab iſto. Sequitur tamen iſtum potuiſſe fieri vtiliori modo pro hominibus: quod autem non ſit ita factum non inconuenit, quia Deus non debuit eligere vtilius pro hominibus. Tum etiam, quia ex tribus modis, quibus Deus potuit ſuam miſericordiam oſtendere in ordinando incarnationem ad hominum ſalutem, ſcilicet aut omnes ſaluando, aut vnum, vel duos tantum, aut plures ſaluando, & plures reprobando: hic tertius fuit conuenientiſsimus, vtpote in quo diuina miſericordia maxime reſplenduit, dũ in illo confertur beatitudo aliquibus, quæ alijs eiuſdem maſſæ denegatur, & alias ſaluatur ſocietas ſine qua nullius boni perfecta poſſeſsio eſt: quarum conditionum altera primo modo, & altera ſecundo deeſſet, & ſic manet incõcuſſa noſtra concluſio.

26 Ad primum pro priori ſententia reſpondetur negando minorem. Ad cuius primam probationem dicendum eſt, quod neque Anſelmus, neque Bernardus ſolum conſtituunt hominis captiuitatem, in eo quod ſit ſub cuſtodia dæmonis, vel quoad pœnæ executionem illi ſubiectus: ſed in eo quod habeat Dæmon à Deo ius conceſſum puniendi homines propter peccata commiſſa ex eius ſuggeſtione, & ſecundum ipſius voluntatem; quia tamen inflictio pœnæ eſt effectus culpæ, & quo ad vtramque ſubditus erat homo Dæmoni ſolent ſancti Patres ex pœnæ inflictione veluti ab affectu Dæmonis poteſtatem deſcribere, quæ nihilominus conſiſtit per ſe primo in iure quod habebat inducendi homines in malum culpæ pro ſua voluntate, qui etiam ratione huius ſubiectionis veram contraxerant ſeruitutem; ſicut enim ſeruus mouetur non à ſe, ſed ab alio, ita homines permitebantur moueri ad peccandum non à ſua naturali inclinatione, ſed à dæmone: & propterea dicitur Ioannis octauo: *Qui facit peccatum ſeruus eſt peccati*: vt congruenter exponunt Diuus *Thomas*, & Caietanus in huius loci commentario, atque Vega lib. 2. in Concilium cap. 4.

Fundamẽtis Abaylardi ſit ſatis.

Ad ſecundam neganda eſt minor, quia poteſtas dæmonis fuit poteſtas cõmiſſarij quaſi ſubdelegata, & tali non exhibendum eſt pretium captiui, ſed Domino habenti ſupremam poteſtatem delegantem, qui fuit Deus in noſtro caſu.

Ad ſecundum neganda eſt minor: ad cuius primam probationem reſpondetur, quod poſt Chriſti paſsionem omnes homines ex vi nouæ legis, & Sacramentorum habent paratam gratiam Chriſti, qua poſsint efficaciter vitare omnia peccata mortalia ex Dæmonis ſuggeſtione, niſi ſua culpa velint illa carere: quam tamen ante aduentum Chriſti non ita in promptu homines habebant, quapropter, & pauci liberabantur, pluresque manebant captiui; ideò generaliter à morte Chriſti incepit liberatio à *D*æmonis poteſtate: quæ & ex

Digitized by Google

tunc merito dicitur fuiſſe deſtructa ob quatuor rationes.

Prima eſt iam aſsignata, & deſumitur ex D. Thom. infra quæſt. 49. art. 2. ad ſecundum, aſſerente, quod licet diabolus etiã nunc Deo permitẽte homines tentet quantum ad animam, & vexet quantum ad corpus, ſed tamẽ præparatũ eſt hominibus auxilium ex incarnatione Chriſti ad vincendas hoſtis impugnationes.

Secunda, quia quicumque in lege veteri liberabantur à Dæmonis poteſtate, aut eius tentationibus reſiſtebant, id habebãt per gratiam collatam ex meritis Chriſti vẽturi, quæ per ſe ad legem gratiæ pertinebat vt propria huius ſtatus.

Tertia eſt, quia in Chriſti morte magis manifeſtata fuit de ſitio, & deſtructio poteſtatis dæmonis, & manifeſtari rem in ſcriptura, ſignificatur per fieri, iuxta regulam 44. lib. 9. hypotheſeon, per quã Actorum 10. explicat Paulus illud Pſal. 2. *Ego hodie genui te* de Chriſti reſurrectione, quia tunc diuinitas Chriſti fuit mundo manifeſta.

Quarta eſt, quia vnus effectus poteſtatis dæmonis, ſcilicet deſcẽſus ad inferos, & detentio animarum in lymbo, vſque ad Chriſti mortem ineuitabiliter durauit.

Ad ſecũdã negatur antecedens quatenus ly *ſicut* importat ibi omnimodã ſimilitudinẽ, alioquin admiſſo antecedente, negatur conſequentia. Ad tertiam, quod etiam paruuli ex vi ſtatus culpæ, & carentiæ gratiæ ſunt procliues ad peccandum, & expoſiti ſucumbere dæmonis ſuggeſtionibus, & licet eis actuale deficiat exercitium, nõ minuitur vera ſeruitus in illis, quæ in procliuitate, & aptitudine dicta conſiſtit.

Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ nego min. quia in ſuo genere vniuerſũ eſſet optimum ſine incarnatione, quæ ipſi non erat perfectio debita.

Ad primum pro tertia ſententia nego antecedens. Ad cuius probationem reſpondeo, quod Deus ob ſupremum dominiũ in Angelos, & in homines abſque indecẽtia, ad oſtenſionẽ ſuæ iuſtitiæ, potuiſſet illos irreparatos relinquere, iuxta illud Sapient. 12. *Quis tibi imputabit ſi perierint nationes quas tu feciſti: non enim eſt alius Deus quam tu*, ideſt, quia tu es omnium ſupremus Dominus, abſque uitio, & culpa poteris nationes damnatas pro tua libera voluntate relinquere: & quia eſt omnipotens poſſet ruinas Angelorũ, vel lapſos inflexibiles, aut per ſatisfactionem alicuius vniti Deo, aut ſine illa per ſolam gratuitam condonationem Deo conciliando, vel nouos, ſiue lapſis perfectiores, ſiue etiam imperfectiores, qui non niſi viſa vindicta fore vt in gratia permanſuri, creando, reſtaurare. Sed tamẽ Anſelmus, & Ricardus, non niſi de neceſsitate ſuppoſitionis, & immutabilitatis proueniente ex decreto, quod Deus de facto habuit reparandi homines ad reſtaurandũ numerum Angelorum locuti ſunt.

Ad ſecundum nego minorem. Ad primam probationem neganda eſt iterum minor, quia ſicut Deo alium ordinem rerũ ſtatuente, aliter etiam res eius ordinationi ſubderentur: ita ſtatuente remittere peccata hominum ſine exacta ſatisfactione, aliter eius prouidentiæ ſubijcerentur, ſcilicet vt puniẽda non exactè, ſed per imperfectam ſatisfactionem, vel vt gratis omnino condonanda, quæ ſubiectio in illo ordine perfectiſsima eſſet qualis eſt illa qua modo Angelorum peccata diuinæ ordinationi ſubiecta ſunt: vt citra condignum, & abſque exacta Chriſti ſatisfactione, quæ pro illis non fuit oblata, punienda.

Ad ſecundam reſpondetur cum D. Tho. infra q. 46. art. 2. ad 3. quod iuſtitia Dei non abſolutè, ſed ex ſuppoſitione decreti diuinæ voluntatis exegit ab humano genere debitam, & riguroſam Chriſti ſatisfactionem: cum quo ſtat quod diuina voluntas abſolutè potuerit ordinare aliter, nẽpe ſine vlla ſatisfactione hominem liberare: neque tunc contra ſuam iuſtitiam faceret Deus, quia cum ſit ſupremus iudex, & ſummè miſericors culpam in ſe cõmiſſã, abſque iniuria tertij miſericorditer ſine pœna poteſt relaxare.

* * *

Du-

Dubium ſecundum eſt. An purus homo, vel alia pura creatura poſsit Deo ad æqualitatē pro peccatis totius humanæ naturæ ſatisfacere?

21 IN Hoc dubio vnum ſupponendum eſt ex materia de pœnitētia, & alterum ex proprijs huius tractatus de Chriſti ſatisfactione in controuerſiam vocatur. Supponendum quidem eſt cum Diuo Thoma infra quæſt. 85. art. 3. & in 4. diſt. 15. q. 1. art. 2. ad 1. & communi doctrina Theologorum, quēcūque adultum poſſe ex gratia Dei imperfectam Deo pro ſuis peccatis exhibere ſatiſfactionem. Contra duas ſententias extremè oppoſitas, alteram Alexandri 3. p. q. 1. memb. 5. Ricard. in 4. diſt. 17. quæſt. 7. artic. 1. & Ruardi taper artic. 6. aſſerentium poſſe hominem pro ſuis peccatis condignam, & æqualem Deo ſatisfactionem per actum contritionis, & dilectionis exhibere: & alteram quorundam quos ſupreſſo nomine citat D. Thom. vbi ſupra, quibus ſubſcripſerunt Scotus in quarto diſtinct. 14. quæſt. 2. Soto in 3. de natura, & gratia, & Medina hic dub. 2. ad 4. & 1. 2. q. vlt. art. 5. Zumel ibidem. q. 113. art. 5. dubio 2. & Valentia infra diſp. 7. puncto 2. qui omnem ſatisfactionem pro culpa, & pœna æterna, homini denegant ſolūque in eo ſatisfactionem pro pœna temporali debita admittunt.

Media tamen ſententia vt communis, & vera hic ſupponenda eſſet. Sed quia Theologi huius temporis expreſſe in hoc artic. de illa diſputationem inſtituunt, vt pote cuius notitia ad huius tractatus agnitionem ſit ſummo opere neceſſaria, nobis placuit, tum vt recentioribus ex parte morem geramus: tum vt neceſsitati præſentis tractatus faciamus ſatis, varios modos eam explicandi, & verioris fundamenta ad compēdium reducere. Sunt itaque in hac communi doctrina explicanda, tot modi dicendi quot capita quoniā, iuxta illud Portij relatum à gloſſa in lege *Barbarius*, ff. de officio prætoris: *Mille hominū ſpecies, & rerum diſcolor vſus: velle ſuum cuique eſt, nec voto viuitur vno*: & illud Boetij lib. 2. de conſolatione proſſa 7. *Diuerſorum hominum mores ingenia, & opinio inter ſe diſcordāt, vt quod eſt apud alios laude, apud alios vituperio dignum iudicetur*: & iuxta illud Ouidij lib. 1. de arte amādi circa finem: *Pectoribus mores tot ſunt, quot in orbe figuræ*: quibus conſonat Dyogenes in ſententijs. dicens: *Nec Iuppiter ipſe ſiue pluat, ſiue non, vnicuique placet*: & illud legis 2. ff. de origine iuris, *diſſentit hominum turba*; faciles, & procliues ſunt homines ad diſſentiendum.

Primus igitur modus dicēdi eſt Durand. in 4. diſt, 14. q. 3. & Molin. 1. p. q. 21. art. 1. aſſerentium huiuſmodi ſatisfactionē eſſe actum elicitum à iuſtitia commutatiua imperata à virtutib⁹ Theologicis: eoquod actus iuſtitiæ commutatiuę eſt conſtituere æqualitatem in omni materia, ſiue cum Deo, ſiue cum homine, ſiue ab illa de facto poſsit reddi æquale, ſiue id non poſsit, niſi quoad affectum: & quia aliàs fit cum ſpe veniæ, & amore vltimi finis propterea noſtra ſatisfiſfactio eſt à iuſtitia commutatiua operante ex imperio virtutum Theologicarū.

Secundus eſt Suarij hic diſp. 4. ſect. 5. §. *quo circa*, & opuſculo de iuſtitia ſect. 2. aſſerentis dari in hominibus ſpecialem virtutem iuſtitiæ erga Deum: cuius munus eſt diuinū ius illæſſum ſeruare, vel læſſū reparare, quia cum hæc ſit ratio ſpecialis boni poteſt ſpecificare ſpecialē virtutem, & aliàs cum ſit ad alterum. ſ. ad Deum erit ſpecialis virtus iuſtitiæ erga Deum.

Tertius eſt Gabrielis in 4. d. 4. q. 1. dub. 3. aſſerentis eſſe actū iuſtitiæ diſtributiuæ, quatenus diſtribuit pœnas cū proportione ad culpas, vel punitiuæ, ſiue vindicatiuæ iuſtitiæ, quia eius finis eſt punire culpam per pœnæ debitæ inflictionem.

Quartus eſt Caiet. inf. q. 85. a. 2. aſſerē rentis eſſe actū religionis, quia putat pœnitētiā à religione nō diſtingui: eoquod illi⁹ actus eſt ſacrificiū, iuxta illud Pſ. 50. *Sacrificiū Deo ſpiritus cōtribulatus*: cui fauet Vincētius in relect. q. 5. art. 2. dub. 1. pag. 274.

Quintus eſt Gabrielis Vazquez multis in locis præſertim. 1. p. diſp. 85. c. 4. 1. 2. diſp. 203. c. 3. & hic diſp. 2. c. 2. & 6. qui cōſiſtit in trib⁹ dictis. Quorū primū eſt ſatiſfactionē noſtram pro peccatis proprijs eſſe actū pœnitētiæ, quæ eſt iuſtitia quædā imperfecta, vtpote pars poteſtatiua iuſtitiæ proprie dictæ.

Secundum eſt, rationem ob quā huiuſmodi ſatisfactio eſt imperfecta non eſſe infinitatem peccati, ſed eſſe debitum caren-

di omni auxilio ſanctæ cogitationis, & gratiæ excitãtis, quod incurrimus per originale peccatum, ex quo fit vt omnis noſtra ſatisfactio prouenire debeat ex bonis acceptis à Deo, quod obeſt perfectæ, ac riguroſæ ſatisfactioni.

Tertium eſt, quod cum contritio in qua noſtra conſiſtit ſatisfactio per ſe ipſam ſit ſufficiens iuſtificare animam, & omnem peccati maculam, & offenſam delere; licet de facto hos effectus non præſtet, quia præuenitur ab habitu gratiæ per quem prius de facto anima iuſtificatur, & liberatur à macula peccati: nihilominus quia contritio de ſe eſt ſufficiens expellere culpam eſt dicenda ſatisfactio ſufficiens, non quidem pro toto debito peccati, ſed pro macula, & offenſa, quia homo quem pœnitet peccaſſe ſatisfeciſſe videtur, vt ſibi remitteretur peccatum, niſi iam remiſſum per gratiam habitualem ſupponeretur.

Adſtruitur puri hominis pro culpis ſatisfactione nõ dũ pro pœnis.

22 Sed ſextus, & verus modus dicendi, in tribus conſiſtit dictis. Quorum primum eſt, nos non ſolum Deo pro pœnis relictis ex culpa, ſed etiam pro ipſa culpa læthali, & offenſa aliquam exhibere ſatisfactionẽ, ita tenet D. Thom. in locis præallegatis, & in eiſdem ad Anibaldum: ipſumque in hoc ſenſu ſequuntur, atque ab Scoto, Soto, & Medina diſcriminantur, præter recenſitos Authores Capr. in 4. diſt. 14. quæſt. 1. ad argum. Aureoli contra ſecundam, & diſt. 15. quæſt. 1. art. 1. Ferrara 4. contra gẽtes cap. 54. § *Reſpondetur ex doctrina.* Caiet. infra quæſt. 85. art. 2. ad 4. Nuño artic. 3. dub. 2. Medina Complutenſis, codice de ſatisfactione tract. 3. q. 1. Bañeſius 1. p. q. 1. art. 4. Decanus Louanienſis artic. 6. de ſatisfactione, Nazarius hic cõuerſia 2. p. 1. & controuerſia 5. Aluar. diſp. 7. & Ranguſa diſp. 20. § 2. qui omnes conueniunt in hoc, quod peccator dum conuertitur in Deũ, ex imperfecta iuſtitia ſatisfacit Deo, non ſolum pro pœna tẽporali, vt vult Scotus, ſed etiã pro culpa, & reatu pœnæ æternæ

Secundum eſt huiuſmodi ſatisfactionem eſſe actum ſpecialis virtutis pertinentis ad iuſtitiam, ſcilicet pœnitentiæ, diſtinctæ à religione, (excepto Caietano) & à iuſtitia commutatiua, diſtributiua, & vindicatiua, cuius finis ſpecialis, & proprius eſt reſpicere Deum, vt offenſum, & deſtruere peccata per compenſationem quandam pro illis exhibitam.

Tertium eſt, quod huiuſmodi compenſatio, & actus pœnitentiæ non deſtruit ſatisfactorie peccatum ſecũdum omnem rationem mali, ſed ſupponit illud deſtructum quoad vnam rationẽ, & deſtruit illud quoad aliam ſatisfaciendo pro illo. Hoc dictum explicatur prænotando ex doctrina Diui Thomæ in 4. diſt. citata, q. 2. art. 4. & d. 15. q. 1. art. 2. & q. 13. additionum art. 1. ad 1. quod peccatum infert duo mala ordine quodam, prius namque prioritate rationis, & naturæ infert malum morale Dei, quod conſiſtit in iniuria irrogata Deo per quam peccator aufert à Deo ſecundum affectum dignitatem vltimi finis, & illam collocat in creatura: & hoc malum appellatur offenſa, quod concomitatur reatus, ſiue condignitas pœnæ æternæ, teſte *D.* Tho. 1. 2. q. 87. art. 4. Ex quo velluti conſequitur ſecundum malum, quod conſiſtit in priuatione gratiæ, & donorum ſupernaturaliũ, quã contrahit anima: & hoc malum animæ appellatur macula, habetque annexam habitualem conuerſionem ad bonum commutabile, & quoniam contrariorum eadem eſt ratio, proportionabiliter in iuſtificatione impij remiſſio peccati inducit ordine præpoſtero duos effectus partiales: nam gratia iuſtificans per prius tollit malum animæ, quod eſt macula formaliter per ſe ipſam iuſtificando animam, conſecutiuè autem media ſatisfactione elicita à pœnitentia tollit aliud malum quod eſt offenſa, ſatisfactoriè deſtruendo illam.

Probatur autem hęc ſententia, quoad primum dictum, in quo omnes conueniunt tripliciter. Primo, quia contritio eſt dolor de offenſa Dei, & non ſolum de pœna temporali, aliàs eſſet dolor ſeruilis ex amore concupiſcentiæ, & non ex amore amicitiæ procedens: cum tamen diffiniatur, quod ſit dolor propter Deũ ſumme dilectum de offenſa: ergo ſatisfacit aliquo modo pro illa. Conſequentia patet, quia ad aliqualẽ ſatisfactionẽ pro offẽſa ſufficit, quod homo offerat Deo aliquid ſecundum facultatem ſuam, quod licet non tantum placeat Deo quantum ei offenſa diſplicuit, tamen Deus illud acceptet, & contentus maneat illo, vt habet D. Tho. hic ad 2. homo autem per contritionẽ offert Deo diſplicẽtiã de peccato quantam poteſt: ergo ſatisfacit pro illo vt offenſa.

Huic argumẽto reſpondet Medina dupliciter, explicando teſtimoniũ D. Thom. Primo quidẽ, quod tantum velit primã cõtritionẽ peccatoris concurrere diſpoſitiue ad gratiã per quã fit remiſsio peccatorum.

Secundo

Secundo, quod tantum velit noſtrã pœnitentiam ſatisfacere pro offenſa ex iuſtitia imperfecta, non quidem noſtra, ſed Chriſti, quatenus ex coniunctione noſtræ ſatisfactionis ad Chriſti ſatisfactionem, noſtra quidem conſtituit aliqualem iuſtitiam pro peccato. Sed vtraque explicatio aduerſatur textui, & menti Diui Thomæ.

Prima quidem, quia D. Thom. infra q. 85 art. 3 expreſſe affirmat pœnitentiam eſſe quandam iuſtitiam imperfectam hominis erga Deum, ſicut eſt iuſtitia filij ad parentes, vel ſerui ad dominum: hoc autem aliquid amplius eſt, quam concurrere diſpoſitiuè ad gratiam, vtpotè ad quam etiam diſponunt actus charitatis, fidei, & ſpei: qui tamen non dicuntur conſtituere iuſtitiam inter hominem, & Deum: ergo.

Secunda vero, quia D. Thom. in prædicta ſolutione ad ſecundum, & in loco citato quarti ſententiarũ, expreſsè aſſerit pœnitẽtiam per proprios actus imperfectam Deo exhibere pro culpa ſatisfactionẽ: ergo nõ ex Chriſti, ſed ex propria iuſtitia ſatisfacit: alioquin nõ imperfectam, ſed perfectam, & condignã exhiberet homo pro ſuis peccatis compenſationem: ſiquidẽ ſatisfactio ex iuſtitia Chriſti perfecta, & condigna eſt, ac proinde neutra explicatio eneruat vim argumenti facti. Neque illud eneruat decretum Concilij ſeſsi. 6. cap. 14. diffinientis noſtram ſatisfactionem non fieri pro reatu pœnæ æternæ, ac proinde neque pro culpa lætali: loquitur enim Concilium de operibus ſatisfactorijs factis ab homine iam cõſtituto in gratia, & exhibitis pro pœnis tẽporalibꝰ dũtaxat, in quo ſenſu diffinitur ſatisfactio à diſcipulis Diui Thom. q. 12. additionum ar. 3. quod ſit compenſatio pœnę temporalis debitæ ob iniuriam Deo illatam ad æqualitatem iuſtitiæ.

Secundo, quia aliàs ſemper homo ſatisfaceret ad æqualitatem perfectam, ac per conſequens virtus pœnitentiæ non eſſet pars potentialis, ſed ſubiectiua iuſtitiæ: & poſſet pro vno peccato mortali ſatisfacere, & nõ pro alijs: ſiquidem poteſt homo iuſtꝰ ad æqualitatem pro pœnis purgatorij compenſare ſicut in purgatorio illas ſoluit ad æqualitatem, teſte D. Thom. in 4. diſt. 21. art. 3. quæſtiuncula 2. perfecta autem iuſtitia eſt, quæ ſoluit debitum ad æqualitatem. Rurſus pœna debita vnius peccati poteſt ſolui ſine pœnis aliorum: hæc autem eſſe inconuenientia nullatenus admittenda cõſtat ex eodem Diuo Thoma infra quæſtione 85. art. 3. & in 4. diſtinctione 15. art. 3. quæſtiuncula 1. aſſerente, tum pœnitentiã eſſe iuſtitiam imperfectam hominis ad Deũ qualis eſt illa, quę verſatur inter extrema inæqualia, quorum vnum eſt ſub poteſtate alterius, vt filij ad parentes, & ſerui ad dominum. Tum etiam, neminem poſſe ſatisfacere pro vno peccato læthali, & non pro alijs, quia nequit remiti vnũ ſine alio, vtpotè quia remiſsio eorũ fit per gratiam iuſtificantem æquè deſtruentem omnia: & quia nequit eſſe vera diſplicentia de vno quin ſit de alijs, eoquod in omnibus eſt eadem ratio offenſę, & auerſionis à Deo.

Tertio, quia in iuſtificatione impij ſeruatur ex parte Dei aliqua iuſtitia, teſte Diuo Thoma 1. p. quæſt. 21. art. 4. ad primum, in relaxando culpas propter dilectionem, iuxta illud Lucæ 7. *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*: ergo etiã ex parte peccatoris iuſtificati ſeruatur aliqua iuſtitia in ſatisfaciendo pro culpis: nequit enim relaxatio eſſe ex iuſtitia, niſi ille cui fit relaxatio habeat aliquod ius ad illã.

Deinde quoad ſecundum dictum oſtẽditur, quia ad virtutem pœnitentiæ pertinet expellere peccatum effectiuè, vt docet Diuus Thomas in dicta quæſt. 85, art, 2. ad tertium, eoquod habet oppoſitionem cum omni peccato: ſed nequit vlla expellere effectiuè phyſicè, eoquod nullum agens phyſicum per ſe primo intendit deſtructionem formæ, ſed bonum, & formam quę eſt finis generationis, & quia nequit aliquod agens phyſicum expellere formam niſi phyſice effectiuè introducat alteram incompoſibilem cum illa: pœnitentia autem non introducit phyſice gratiã incõpoſibilem cũ peccato. Neque effectiue meritorie, quia prima gratia, & remiſsio peccati nullatenꝰ cadunt ſub merito, vt oſtendunt Theologi cum D. Thom. 1. 2. quæſtione vltima articul. 5. ergo expellit illa effectiue moraliter, ſatisfactorie, auferendo inæqualitatem offenſæ per exhibitionem debitæ ſatisfactionis. Conſequentia patet à ſufficienti diuiſione efficientiæ phiſicæ, & moralis.

Denique quoad tertium dictum probatur primo, quia contritio qua impius conuertitur in Deum eſt quodamodo ſatisfactio pro culpa, vt dictum eſt, & nequit eſſe ſatisfactio pro culpa mortali ſecundũ omnem rationem mali, aliàs iuſtificatio non fieret omnino gratis, nimirum quoad effectum remiſſionis maculę: quod tamen eſt contra illud Pauli ad Romanos. 3.

iuſtificati gratis per gratiam ipſius: ergo ſolum ſatisfacit pro peccato in ratione offenſę, quod ſic declaro. Bene poteſt inter duos effectus partiales alicuius formæ in eodem enim inſtanti durationis ſecundum diuerſa inſtantia naturæ, & cauſalitatis mediare aliqua actio procedens à tali forma: quo pacto docuimus quæſt. 40. 1. part. art. 2. inter rationem ſubſiſtendi, & rationem referendi eiuſdem paternitatis diuinæ mediare generationem filij: ergo ſimiliter inter gratiam vt iuſtificantem, ſiue expellentem ab anima maculam, & eandem vt auferentem offenſam, poteſt mediare actus ſatisfactionis ſupponens quidem primũ effectum, in genere cauſæ efficientis, & concurrens moraliter ſatisfactorie ad ſecundum.

23 Secũdo probatur ex diſcrimine, quod inter meritũ, & ſatisfactionem verſatur: meritum enim ſupponit amicitiam perfectam, & reſpicit bonum merentis: eſt enim actus quo perfectè amicus meretur ſibi premium conferendum ab altero: ſatisfactio vero ordinatur ad conciliandam amicitiam perfectam, & reſpicit non bonum ſatisfacientis, ſed bonum offenſi: ergo debet ſupponere amicitiam incoatam, & gratiam vt auferentem maculam peccati, ordinarique ad ablationem offenſæ, in qua perfecta amicitia cũ Deo conſumatur.

Sed aduerſus has duas rationes duo obijciuntur. Primo, nam vel contritio ſumitur, vt diſpoſitio antecedens gratiam iuſtificantem, vel vt ſubſequitur illam: neutro modo poteſt ſatisfacere pro offenſa: non primo, quia alias gratia iuſtificãs cõferretur homini intuitu ſatisfactionis, atq; vt aliquo modo debita, & non omnino gratis, quod aduerſatur dicto teſtimonio ad Rom. 3. *iuſtificati gratis, &c.* & ad Rom. 11. *Si autem gratia iam non ex operibus*. Neque ſecundo, propter duo.

Tum, quia terminus ſatisfactionis eſt remiſsio debiti, ſed hanc præſtat gratia per ſe ipſam tollendo ab anima omnem malitiã, quam Deus odit in peccato, quæ teſte Auguſt. lib. 1. quæſt. 2. ad Simplicia, eſt inordinatio, atque peruerſitas, ideſt auerſio à conditore, & conuerſio ad creaturam: hæc autem inordinatio, & inæqualitas contra legem aufertur ex vi ablationis maculę, ſeu priuationis coniũctionis hominis cũ Deo: hac autem ablata, aufertur quoque malitia offenſæ, quę vel eſt ſola inordinatio contra legem, vel aliquid fundatũ in illa, quod proinde neceſſe eſt deſtrui deſtructo fũdamento: ergo.

Tum etiam, quia contritio ſubſequẽs gratiam eiuſdem rationis eſt, in inſtanti iuſtificationis, & poſt illud, quia in toto illo inſtanti eſt informata per gratiam: ſed poſt tale inſtans non ſatisfacit actu pro offenſa lętali, ſicut neque pro reatu pœnę ęternę, niſi tantum pro pœna temporali, vt conſtat ex Tridentino in loco præallegato: ergo neque prima contritio prout ſubſequitur gratiam ſatisfacit actu pro culpa lætali, ſed ſupponit illam remiſſam.

Secundo, quia remiſsio offenſę eſt effectus ſolius gratiæ operantis, teſte Diuo Thoma infra quæſtione 86. articul. 6. ad primum: ergo ſupponitur ad ſatisfactionem. Conſequentia patet, quia ſatisfactio eſt effectus gratiæ cooperantis, vt potè cum ſit actus virtutis pœnitentiæ elicitus propter finem, hoc eſt propter Deum ſummè dilectum: ſed neutra obiectio eneruat vim rationis factę. Ad primam enim licet reſpondeant aliqui recentiores, de quorũ numero ſũt Suari 9 diſputatione citata ſectione 9. Lorca vbi ſupra, & Cabrera diſputatione 14. §. 3. contritionem prout antecedit gratiam ordine naturæ eſſe ſatisfactionem pro culpa, intuitu cuius Deus confert gratiam, & remitit culpam: neque hoc (diũt illi) obſtat conditioni gratiæ, quod detur intuitu ſatisfactionis imperfectæ, ſicut neque obſtat quod detur intuitu meriti de congruo iuxta probabilem ſententiam Auguſt. in lib. de ſpiritu, & litera cap. 29. & in Enchyrid. cap. 217. & de prædeſtinatione Sanctorum cap. 7. & Diui Thomæ in 2. diſt. 27. art. 4. ad 4. admitentium gratiam cõferri abſolutè gratis, & ſimul ex debito congruitatis, hoc eſt meriti de congruo, ſicut confertur intuitu diſpoſitionum præcedentium, quod eſt conferri ex debito connaturalitatis, quæ debita gratiæ conditionẽ non lædunt: quæ in eo ſaluatur, quod non detur ex operibus, hoc eſt ex meritis de condigno, quæ ſimpliciter, & ſine addito dicũtur merita. Tamen verius reſpondemus cũ alijs diſcipulis D. Th. iam citatis, contritionem vt ſubſequitur gratiã quoad ablationem maculæ ſatisfacere pro offenſa in eodem inſtanti iuſtificationis in quo tota iuſtificatio adulti cõſummatur.

Ex quo patet ad primam huius in probationem, quia pro illo priori non dũ intelligitur ſolutum debitum peccati, quod conſiſtit nõ in macula, aut in aliquo ad illã cõſecuto; ſed in trãſgreſsione legis, & auerſione

à con

Digitized by Google

à conditore, quatenus iniuria eſt Dei, lædens illum in bonis intrinſecis quantum ad affectum, & quoad effectum in extrinſecis cultus, gloriæ, & honoris.

Ad ſecundam reſpondetur contritionem quidem ſemper, & in omni ſtatu eſſe eiuſdem rationis quoad eſſentialia, ac proinde ſatisfactoria aptitudinaliter, & in actu primo pro culpa: non tamen eſſe eiuſdem valoris, aut rationis modalis, quia ratio illa actualis ſatisfactionis pro culpa tantum ſuperuenit contritioni in illo ſtatu poſteriori, in quo intelligitur præſupponere gratiam, vt informantem animam, & auferentem maculam.

Ad ſecundum neganda eſt conſequentia: nam ad effectum gratiæ operantis nedũ pertinent infuſio gratiæ, & remiſsio peccati, ſed etiam actus pœnitentiæ, & charitatis vltimo diſponentes ad iuſtificationem, vt ibidem aſſerit Diuus Thomas, quia etiã in his actibus Deus ſe habet vt mouens, & homo vt motus ad finem præſtitutum à Deo.

Denique probatur noſtra ſententia, impugnando cæteros modos, dicendi. Primus namque deficit, quia iuſtitia commutatiua noſtra reſpicit æqualitatem rei ad rem, teſte Ariſt. 5. Ethyc. cap. 4. & verſatur inter æquales: reſpicit quoque per ſe communicationem in datis, & acceptis, & ius creaturæ exæquabile ſecundum effectum: quæ conditiones deficiunt in hominibus erga Deum: cui non poſſunt homines reddere æquale quoad effectum, neque mutuo cum illo in bonis communicare: *Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei?* vt dicitur ad Roman. 11. nec ius, & debitum Dei eſt creaturæ, ſed excellentius omni iure, ac debito creaturæ: ergo nequit dari in hominibus iuſtitia commutatiua erga Deum: ad quam pertineat reddere compenſationem æqualem quoad affectum, eo vel maxime, quia cum iſte affectus ſit conditionatus de obiecto ſimpliciter impoſsibili, nequit eſſe à iuſtitia commutatiua, aut illam ſpecificare, vtpote quæ affectu abſoluto, & ſecundum realem effectum habet reddere æquale.

Secundus impugnatur à Lorca hic diſput. 8. & à Vaſq. diſputione citata primæ partis pluribus rationibus, quarum ſumma ad has tres reducitur. Prima eſt, quia iuſtitia cõmutatiua cum ſit ſpecies perfectæ iuſtitiæ commutatiuæ habet reddere æquale in datis, & acceptis, & verſari inter æquales, vt dictum eſt: quæ æqualitas nequid eſſe hominis erga Deum.

Secunda eſt, quia reddere æquale quoad affectum eſt actus cõditionatus, vt dictum eſt: ergo nequit ſpecificare aliquam ſpecialem virtutem: ſiquidem virtutes non dantur per ſe primo ad actus conditionatos, niſi ad abſolutos: ac proinde reparatio diuini iuris læſi eo modo quo à nobis fieri poteſt fit per pœnitentiam.

Tertia ſumitur ab inconuenientibus, quia aliàs in quolibet actu virtutis eſſet duplex ſpecies bonitatis altera eius virtutis, ex cuius motiuo elicitur, & altera huius ſpecialis iuſtitiæ ſeruantis ius diuinum illæſum: & quando ſatisfacit homo pro pœna temporali exerceret actum huiuſmodi iuſtitiæ, ac proinde ad æqualitatem ſatisfaceret: & conſequenter non poſſet cruciari vltra à Deo in Purgatorio abſque iniuria, & quando homo exercet actus Religionis ſeruaret æqualitatẽ, quia iuſtitia ſine ęqualitate dari non poteſt: quæ tamen ſunt abſurda nullatenus admittenda: ergo.

Tertius deficit propter eaſdem rationes factas contra primum, & vlterius quia iuſtitia diſtributiua eſt pars ſubiectiua iuſtitiæ, & aliàs reſpicit ex parte obiecti formalis debitum commune diſtribuendum inter multos ſecundum æqualitatem geometricam, teſte Philoſopho quinto Ethycorum cap. 3. ſatisfactio vero noſtra pertinet ad partem potentialem iuſtitiæ, & reſpicit debitum ſolius Dei pro offenſa perſonali.

*D*einde quod neque ſit iuſtitia vindicatiua patet, quia hæc reſpicit per ſe primo pœnam delinquentis, & non offenſam, neque habet pro fine emendationem illius, ſed ſolum vindictam, & punitionem: ſatisfactio vero noſtra reſpicit per ſe primo offenſam, vt compenſabilem, & habet pro fine emendationem offendentis atque reconciliationem illius cum parte læſa, ſcilicet cum Deo: ergo non eſt actus iuſtitiæ vindicatiuæ: quia tamen habet aliquã ſimilitudinem cum illa, quatenus per vtranque infligitur pœna; ideò quandoque à ſanctis Patribus appellatur vindicta.

Quartus deficit, quia ad religionem ex obiecto pertinet, teſte Diuo Thoma ſecunda ſecundę queſtione 81. articul. 3. & 4. exhibere Deo, vt Domino, & Primo principio propter eius excellentiam, debitum cultum, neque ſupponit offenſam: ſatisfactio vero reſ-

reſpicit diuinam maieſtatem vt offenſam: vnde innocentes tenentur Deo exhibere debitum cultum, ſed non ſatisfactionem: ergo ſatisfactio non eſt actus religionis: quia tamen aliquando imperatur à Religione, vel propter ſimilitudinem, quam habet cũ ſacrificio propterea nomine ſacrificij nuncupatur.

Quintus denique modus deficit in ſecundo & tertio dicto. In ſecundo quidem, quia offenſa eſt infinita, vt ſtatim oſtēdam, ex cuius infinitate prouenit, vt nequeat à pura creatura ad æqualitatem compenſari, & licet contritio deficiat à ratione condignæ ſatisfactionis, quia ſupponit gratiã Dei, hoc non eſt, quia ſupponat dumtaxat auxiliũ illud excitans ſanctæ cogitationis, quia ſupponit etiã habitualem gratiam, & remiſſionem peccati, vt eſt malum animæ, pro quibus non poteſt fieri ſatisfactio, aliàs hæc duo non darētur omnino gratis, quod eſt contra Paul. vbi ſupra. In tertio autem quia ponit contritionem formatam gratia eſſe ſufficientem, & condignam ſatisfactionem pro offenſa: quod eſſe falſum patebit dubio ſequenti, vbi oſtēdam malitiam peccati eſſe infinitam, ac proinde ſupra ſufficiētiam, & condignitatem ſatisfactionis puri hominis.

24 Hac ſuppoſitione facta, quod in controuerſiam vocamus, eſt. An purus homo, vel aliqua pura creatura poſsit pro peccatis aliorum hominum æqualem Deo exhibere ſatisfactionem? In quo dubio quatuor verſantur ſententiæ, duæ extremæ, & aliæ duæ mediæ.

Quarum prima aſſerit purum hominem ita iuſtum, & gratum poſſe à Deo conſtitui, vt pro peccatis aliorum poſsit condignam, & æqualem exhibere ſatisfactionem, pro qua ſententia citari ſolet à neotericis Caiet. eo quod (vt ipſis videtur) in hoc art. § *ad horum euidentiam*, & § *ad primũ ergo*, nomine puri hominis intellexit hominem in puris naturalibus conſtitutum, & ſecundum ſuas vires naturales conſideratũ, ac proinde huic ſolum, & non homini gratia prædito denegat ſufficientiam ad exhibendum æqualem ſatisfactionem pro peccatis aliorum: ſed hoc alienum eſſe à mente Caietani ſtatim oſtendemus: fauet tamē huic ſententiæ Scotus in 4. diſtinctione 15. quæſt. 1. art. 2. dum ait poſſe fieri de potentia abſoluta, vt aliquis homo iuſtus reddat Deo, actum bonum æquiualentem offenſæ, & aliàs in debitum: quod ſuadetur tripliciter.

Primo, quia ad condignam, & rigurosam ſatisfactionem pro peccato ſat eſt offerre Deo totum quod ei abſtulit homo per peccatum: ſed per actum charitatis, v. g. purus homo iuſtus reddit Deo totum, quod ei abſtulit per peccatum mortale: nimirum dignitatem vltimi finis, quam ei abſtulerat, quoad affectum, eandem per dilectionem charitatis reddit illi, ſcilicet diligendo illũ ſuper omnia, & conſtituendo in illo rationem vltimi finis: ergo.

Secundo, quia teſte Diuo Thoma ille ſatisfacit ad æqualitatem, qui offert offenſo rem, quæ ei tantum placeat, quantum diſplicuit offenſa: ſed homo iuſtus per actum contritionis, & dilectionis ſupernaturalis offert Deo rem, quæ tantum ei placeat quantum diſplicuit offenſa contraria, vtpotè cum eadem ſit ratio oppoſitorum: ergo.

Tertio, quia Deus poteſt purum hominem conſtituere caput aliorum, & totius Eccleſiæ, qui ſic exornatus gratia capitis poſſet alijs gratiam, & beatitudinem promereri de condigno: ergo & ſatisfacere ſatisfactione condigna, & æquali pro aliorum offenſis Conſequentia patet à paritate rationis. Et antecedens probatur, quia meritum illud haberet omnes conditiones requiſitas vt eſſet condignum: nam eſſet intrinſecè ſupernaturale, & æqualis valoris cum præmio, atque à perſona grata, & accepta, cuius gratia vtpotè capitis haberet influxum, & efficaciam in alios: ergo.

Secunda aſſerit, purum hominem nõ poſſe ad æqualitatem ſatisfacere: bene tamen puram creaturam ordinis ſupernaturalis. Huius ſententiæ ſunt illi, qui cum Gabriele in 2. diſtinct. 25. quæſt. vnica, docēt poſsibilem eſſe ſubſtantiam ſupernaturalē, cui eſſent connaturalia dona gratiæ, & quæ eſſet impeccabilis, ac pro aliorum peccatis ex proprijs, ac proinde ad æqualitatem poſſet ſatisfacere. Cuius fundamentum eſt, quia dabilis eſt huiuſmodi ſubſtantia ſupernaturalis creata intellectualis capax merendi, & ſatisfaciendi, huius autem meritum, & ſatisfactio haberet condignitatem, & æqualitatem cum remiſsione peccati in alijs hominibus: ergo poſſet ſatisfacere ad æqualitatem.

Tertia ſententia ſimiliter media diſtinguit inter condignam, & æqualem ſecũdum iuſtitiam, ſatisfactionem, illamque poſſibilem eſſe homini gratia capitis exornato

affir-

affirmat : hanc vero prorſus impoſsibilem, ita Soto lib. 3. de natura, & gratia capit. 6. & in 4. diſtinct. 15. quæſt. 1. art. 1. ad 2. & diſtinct. 29. quæſt. 1. art. 2. Palud. in 3. diſtinct. 20. quæſt. 2. art. 2. Vega lib. 3. in Conc. cap. 5. & lib. 7. capit. 9. & Suarius hic diſputat. 4. ſect. 7. cuius fundamenta ſunt eadem quibus innititur prima ſententia: illis enim prima pars huius videtur conuinci, quę amplius confirmantur à Suario. Quia ſatisfactio exhibita pro peccatis aliorum à tali homine gratiæ capitis exornato poteſt conſiderari dupliciter: vno modo antecedenter ad pactum, & promiſsionem *Dei*, & ſic verum eſt illam non eſſe condignam: alio modo, vt ſubſequitur pactum, & promiſsionem: & ſic redditur condigna ſimpliciter, fitque remiſsio peccatorũ aliorũ hominum illi debita, debito orto ex promiſsione, ſiue fidelitate : quod non minuit operis condignitatem: quemadmodum propter demeritum Adami poſteri condigne priuantur gratia, quam ille ſub pacto, & conditione non comedendi de ligno vetito acceperat in poſteros transfundendam: ergo. Tum etiam, quia ſi peccata omnium hominum eſſent in homine vno repoſita, non haberent maiorem grauitatem, quam dum ſunt in diuerſis; & tamen tunc poſſent deleri per quemcumque gradum gratiæ, quem ille homo per actum dilectionis; verbi gratia, meretur de condigno: ergo etiam homo conſtitutus caput aliorum poſſet eis de condigno gratiam remiſsiuam culparum promereri.

Quarta ſententia negat omnino poſsibilem eſſe puræ creaturæ, quantumuis gratia capitis exornatæ omnem, ſiue condignam, ſiue æqualem ex iuſtitia, pro peccatis aliorum ſatisfactionem : ita Diu. Thom. in hoc art. ad 2. & in opuſc. 2. cap. 198. & duobus ſequentibus, Bonauentura in 3. diſtinct. 20. quæſt. 3. Richard. q. 4. à princip. Capr. ibid. q. 1. Durand. quæſt. 2. Gabr. diſtinct. 19. ar. 1. Altiſiodor. lib. 3. ſummæ tractat. 1. cap. 8. Driedo de captiuitate generis humani tractat. 2. capit. 2. parte 3. art. 6. Abulenſis quæſt. 17. in prologũ Mathæi, & Exod. 34 quęſt. 7 Medina Complut. Codice de pœnitentia tract. 3. quæſt. 1. Ferrara 4. contra gent. cap. 54. Medina noſter in hoc art. dub. 2. Vazqu. diſputat. 4. capit. 3. & 5. Aluarez diſput. 6. Penſant. diſputat. 4. & Lorca diſputat. 6.

Pro cuius ſententię declaratione prænotandum eſt nomine puri hominis in titulo huius quæſtionis accipi debere hominem non gratia adoptionis, ſed gratia vnionis hyppoſtaticæ expertem. Vnde quando prodicti Theologi cum D. Tho. denegant puro homini facultatem ad ſatiſfactionem æqualem exhibendam non ſolum homini in puris naturalibus conſtituto, ſed etiam gratia adoptionis, & capitis totius Eccleſiæ dignitate exornato illam denegant, neque ab hac acceptione puri hominis deuiauit Caietan. quod mihi perſuadeo dupliciter.

Primo, quia in illo § *ad horum euidentiam*, circa medium, ſic ait : *Cum dicitur purus homo ſatisfacere non poteſt ſecundum æqualitatem pro peccato, & ſimiliter quod Chriſtus ſatisfacere poteſt, &c. Senſus eſt, quod ſecluſa miſericordia Dei acceptantis opus alicuius pro ſatisfactione loquendo de viribus puri hominis, & viribus Dei, & hominis: purus homo non poteſt ſatisfacere, Deus, & homo poteſt,* &c. Ex quibus verbis colligitur quod à puro homine nõ intrinſecam gratiam; ſed ſolum miſericordiam extrinſecæ acceptationis excludit, illumque non homini grato, ſed homini Deo contraponit.

Secundo, nam ipſe ibidem ſubdit hic fit ſermo de puro homine formaliter, vt ſatisfactore Deo ; ſed purus homo vt ſatisfactor Deo includit gratiam, & pœnitentiam quę ſunt principia ſatisfacendi: ergo non excludit illa à puro homine: alioquin ſi nomine puri hominis Diu. Thom. acciperet hominem gratum intrinſecè, & acceptatum extrinſecè committeret nugationem quando dicit purum hominem nõ poſſe ſatisfacere ad æqualitatem : bene tamen ex diuina acceptatione : quia fieret hic ſenſus: homo cuius opus acceptatur ſatisfacere non poteſt niſi ex diuina acceptatione: igitur excluſio diuinæ acceptationis quam facit Caietan. à puro homine eſt de mente Diu. Thom. eo quod eſt implicatio in adiecto hominẽ ſatisfacere ex acceptatione, atque ad æqualitatẽ: hæc enim petit fieri ex proprijs, & independenter ab acceptatione offenſi, vnde in merito Neoterici improperant Caietano quod malæ vſus fuerit acceptatione puri hominis, Illo itaque à prædicto improperio vindicato ſequentes ſtatuimus pro veritatis declaratione concluſiones.

26 Dico primo. Nullus purus homo poteſt etiã de potẽtia abſoluta Dei æqualem de iuſtitia pro peccatis aliorum

Negatur puro homini æqualis pro alienis peccatis ſatisfactio

exhibere ſatisfactionem. Hæc concluſiò ſtatuitur aduerſus auctores primę ſententiæ, & probatur quatuor rationibus Theologicis. Quarum primam deſumit Diu. Thom. hic ad 2. & opuſcul. citato ex peccati originalis extenſione, & vniuerſalitate ſub hac forma: malum totius humanæ naturæ quale fuit originale peccatum ex primo parente traductum, nequit per bonum alicuius particularis perſonæ humanæ ad æqualitatem compenſari: ſed ſatisfactio puri hominis quantumuis gratia exornati eſt bonum perſonæ particularis: ergo. Minor eſt nota, & maior probatur, quia ſicut bonum communitatis eſt diuinius, & excellentius quam bonum perſonæ priuatæ, ita & malum totius naturæ in ſuo genere habet excellentiam quę per bonum priuatæ perſonæ nequit exæquari.

Secunda eſt, qua vtitur idem Diu. Thom. hic & in 3. diſtinct. 20. quæſt. 1. art. 2. & Bonauentura, atque Richard. vbi ſupra deſumpta ex infinitate offenſæ in hunc modum: infinitum nullo pacto poteſt exæquari per finitum: ſed offenſa lęthalis, ſiue perſonalis, ſiue originalis peccati eſt ſimpliciter, & actu infinita, ſatisfactio vero puri hominis non poteſt non eſſe finiti valoris: ergo nequit offenſam exęquare. Maior ex ipſis terminis eſt nota, infinitum enim ſicut finiti dicit excluſionē, ita & exceſſum ſupra finitum intrinſecè includit: vnde ſi à finito exæquaretur nō infinitum, ſed finitum eſſet.

Minorem autem pro prima parte probat Diu. Thom. colligendo, ex triplici capite infinitatem peccati, videlicet ex infinitate diuinæ Maieſtatis offenſę, quanto enim maior eſt dignitas offenſi, maior eſt grauitas offenſæ. Secundo ex bono quod per peccatum auferebatur, quod etiam eſt infinitum, ſcilicet ipſe Deus, cuius participatione fiunt homines Beati. Tertio, ex ipſa natura humana per peccatum infecta, quod ad infinitos homines poterat deriuari, licet ſolum ex primo capite, conueniat peccato infinitas intrinſeca, & ſimpliciter talis.

Pro ſecunda vero parte, probatur eadem minor quia cum valor ſatisfactorius non creſcat ex dignitate illius cui fit ſatisfactio, ſed ex ſatisfacientis dignitate: & purus homo quamtumuis gratus, ſit perſona finita neceſſe eſt eius ſatisfactionem eſſe finiti valoris.

Tertia ratio eſt eiuſdem Doctoris ſancti in eodem loco pręallegato ex tertio ratione 3. & in 4. diſtinct. 15. quæſt. 1. articul. 2. ad 3. quæ deſumitur ex conditionibus æqualis, & iuſtæ ſatisfactionis: hæc enim debet fieri ex proprijs bonis ſatisfacientis, & aliàs indebitis titulo iuſtitię particularis: ſed ſatisfactio exhibita à puro homine nō poteſt non eſſe ex gratia adoptionis gratis data à *Deo*, & titulo creationis, dominij, atque gratitudinis ei debita: ergo nequit eſſe æquiualens offenſæ,

Quarta deſumitur ex neceſsitate Incarnationis Chriſti ad reparationem generis humani per æqualem pretij exhibitionem: illaque vtuntur Baſilius in illud Pſalmi 28. *Redimit homo*, dicens, *non homo nudus, ſed homo Deus Ieſus Chriſtus*: quia nullus alius poterat dignum afferre prętium, Cyrillus Exegeſi ad Valentinianū, ſeu epiſtola 1. de Verbi Incarnatione, Cyprianus lib. de operibus cardinalib[9] Chriſti in ſermone de Paſsione, Irinęus lib. 3. aduerſus hęreſes cap. 20. & Adrianus 1. in epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ, & reducitur ad hanc formam. Ad reparationem generis humani, per ęqualis prętij exhibitionem complendam, fuit ſimpliciter neceſſaria Incarnatio diuinę perſonę, vt prędicti ſancti Patres affirmant, & nos oſtendimus dubio præcedenti: ſed ſi purus homo hoc modo poſſet humanum genus reparare, non fuiſſet neceſſaria ſimpliciter talis Incarnatio ad hunc finem: & conſequenter gratis Chriſtus mortuus eſſet, quod eſt contra Paulum ad Galat. 2. vbi ſimili argumento deducit pro inconuenienti, quod ſi quis ex lege, id eſt ſine Chriſti morte poſſet iuſtificari, gratis, id eſt ſine vrgenti cauſa, Chriſtus mortuus eſſet, quia licet eius mors ad melius eſſe, hoc eſt ad gratiam abundantiorem conferendam deſeruiret, non tamen fuiſſet ad reparationis finem ſimpliciter neceſſaria: ergo ne in hoc inconueniens incidamus dicendū nobis eſt minime puri hominis ſatisfactionem poſſe eſſe æqualem ſecundum iuſtitiam.

27 Dico ſecundo. Neque alia pura creatura poteſt de potentia abſoluta ad æqualitatem ſatisfacere: hæc ſtatuitur aduerſus Auctores ſecundæ ſententiæ: & probatur primo: quia illa ſubſtantia ſupernaturalis cui connaturalia ſint dona gratiæ eſt prorſus impoſſibilis, vt late oſtendi ſolet à Theologis 1. part. quæſt. 12. art. 4.

eoquod

eoquod cum eius ſupernaturalitas eſſet abſoluta non diceret ordinem ad primam ſubſtantiam ſupernaturalem, ſicut accidentia illum dicunt, & conſequenter eſſet ſupernaturalis à ſe ipſa, ac proinde diuina, & increata eſſet.

Secundo, admiſſa eius poſsibilitate adhuc militant tres poſteriores rationes factæ pro prima concluſione, ſiquidem eſſet perſona creata, & finita; ac proinde eius ſatisfactio eſſet finiti valoris. Et alias debita Deo. Et quia ſine cauſa, & gratis Chriſtus mortuus eſſet pro humano genere.

Etiam ſi dignitate capitis exornatur.

28 *Dico tertio.* Neque purus homo gratia capitis exornatus poteſt cõdignam ſimpliciter exhibere ſatisfactionem, bene tamen imperfecte, & ſecundum quid condignum: hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Auctores 3. & pro Auctoribus 4. ſententię: & probatur prima illius pars ſupponendo duo vt certa. Primum eſt poſſe Deum de potentia ſua abſoluta aliquem purum hominem gratiæ capitis exornare, conſtituendo illum caput Eccleſię, & paſciſcendo cum illo, vt pro actu meritorio, ſiue ſatisfactorio aliorum hominum peccata relaxaret. Hæc ſuppoſitio fundamentum habet in Diu. Thom. 3. part. quæſt. 64. artic. 4. quatenus aſſerit potuiſſe Deum communicare poteſtatem excellentię, quam habuit Chriſtus ad inſtituenda ſacramenta alicui puræ creaturæ, vt hæc per ſuum meritum poſſet effectus Sacramentorum operari: non autem maior eſt ratio de poteſtate excellentiæ quam de gratia capitis; vnde ſicut illa, ita & iſta eſt puræ creaturæ communicabilis.

Secundum cum Magiſtro Soto vbi ſupra, quod ſatisfactio condigna, ſiue meritum duplex eſt, ſecundum quod duplex eſt condignitas alicuius operationis, vno modo dicitur operatio, ſiue meritoria, ſiue ſatisfactoria condigna ſimpliciter; ideſt ſecundum ęqualitatem quam habet cum pręmio antecedenter ad omnem Dei acceptationẽ: alio modo dicitur cõdigna ſecundum quid: cuius generis eſt illa quæ eſt eiuſdem ordinis cum pręmio, non tamen de ſe illi æqualis, niſi ex Dei acceptatione, & pacto, ex quibus reputatur ſufficiens, ac ſi eſſet ęqualis: qua ratione opus meritorium, vt quatuor reſpectu beatitudinis, vt ſex promiſſæ à Deo pro tali merito eſſet condignum illius, non primo, ſed ſecundo modo.

His ſuppoſitis probatur prima pars concluſionis, ratione qua vtitur Adrianus 1. vbi ſupra, & Conc. Francoford. in libr. Sacroſilabo, quę ſic habet: ſatisfactio puri hominis gratia capitis exornati debet prouenire à gratia adoptionis, quæ ſit æqualis imò eiuſdem athomæ ſpeciei cũ noſtra, eoquod cum gratia adoptionis ſit immediata Deitatis participatio non poteſt, nõ eſſe eiuſdem athomæ ſpeciei: ſed actus à tali gratia proueniens, non poteſt eſſe dignus gratię iuſtificantis alterius hominis: ergo non poteſt eſſe condignus remiſsionis culpę alterius. Conſequentia probatur, quia remiſsio culpę fit per gratiam iuſtificantem, vnde idem eſt ſatisfacere de condigno pro offenſa alterius, & promereri, vel impetrare illi de condigno gratiam iuſtificantem. Minor vero probatur, quia gratia iuſtificans ſolam ſuapte natura extenditur ad beatitudinem, & augmentum ſui in ſubiecto in quo eſt obtinendum teſte Diu. Thom. 1. 2. quæſt. vltim. art. 6. ac proinde nequit eſſe principium merendi, aut conſequendi de condigno alijs gratiam iuſtificantem. Quod ſi tunc gratia illius hominis capitis ordinaretur ad ſatiſfaciendum pro alijs, hoc eſſet non ex connaturali efficacia, & virtute ipſius gratię, ſed ex pacto, & extrinſeca Dei ordinatione; ratione cuius deficiet talis gratiæ actus à rigore condignæ ſatisfactionis primo modo, præterquamquod cum huiuſmodi meritum à gratia adoptionis proueniens condignè remuneretur per beatitudinẽ ipſius operantis, nequit eſſe condignum gratiæ, aut beatitudinis alterius, eius enim condignitas ſufficienter per primum præmium exhauritur.

Deinde ſecunda pars probatur, quia teſte Diu. Thom. in hoc art. ad 2. purus homo in gratia conſtitutus poteſt ſufficientem ſatisfactionem ex Dei acceptatione exhibere pro peccatis: ſed ſatisfactio ſufficiens petit condignitatem ſaltem ſecundo modo: ergo.

29 Ad primum pro prima ſententia, nego minorem; licet enim reddat totũ, quod abſtulit quoad ſubſtantiam, non tamen quoad modum: non enim reddit Deo dignitatem vltimi finis modo infinito, quã tamen abſtulerat quoad affectum modo infinito; ſcilicet per offenſam quæ eſt infinitæ grauitatis, vt dub. ſequenti oſtẽdemus, cuius aliquale exemplum in humanis inuenimus, dum enim quis reſtituit paliũ abla-

tum

tum à proprio domino per violentiam, reſti uit quidem quoad ſubſtantiam quod abſtulerat, quia tamen non reſtituit quoad modum iniurię, quam paſſus fuit verus dominus per ij violentiam ſpoliatus : ideò neque ei ſatisfacit ad æqualitatem.

Ad ſecundum nego minorem, nam licet quantum ad rationes ſpecificas ex obiectis malitiæ, & bonitatis actus dilectionis tantum placeat quantum diſplicuit offenſa actus odij, tamen quoad rationes morales iniuriæ, & meriti ſiue ſatisfactionis non tantum placet ille quantum diſplicet iſte: quia illius valor eſt finitus, & iſtius grauitas eſt infinita.

Ad tertium nego antecedens, deficeret enim illi merito condignitas ſimpliciter, quia eius principium ſcilicet gratia de ſe non extenditur ad aliorum beatitudinē promerendam, & cum de ſe ad hoc non extendatur, & aliàs ſit principium merendi, & ſatisfaciendi in genere cauſę, non ſolum efficientis, ſed etiā formalis, cui repugnat præſtare effectus quorum ſuapte natura non eſt forma, propterea nec de potentia abſoluta poteſt extendi ad huiuſmodi effectus præſtandos, qui ſunt promereri de cōdigno alijs gratiam iuſtificantem, & pro aliorum offenſis exhibere condignam ſatisfactionem.

Ad fundamentum pro ſecunda ſententia patet ex ſecunda concluſione. Ad primum rurſus fundamentum adductum à Suario pro tertia ſententia reſpondetur: ſatisfactionem puri hominis neque poſſe eſſe ex iuſtitia pro peccatis aliorum, neque condignam ſimpliciter etiā ſuppoſita promiſsione, vt falſo fatetur ipſe Suarius, & minus conſtans ſuæ doctrinæ diſputat. 4. ſect. 7. Falſo quidem quia huiuſmodi ſatisfactio puri hominis nō poteſt non eſſe valoris inferioris ad offenſam mortalem propriam, & aliorum hominum : ac proinde nequit eſſe condigna remiſsionis illius, vt dictum eſt: ex promiſsione autem non fit magis condigna intrinſecè, ſed tantum extrinſecè, & ſecundum quid, quatenus ſuppletur eius deffectus, & reputatur apud creditorem, vt ſufficiens, & æquiualens, vt labor illius qui laborat in vinea domini pro ſtipendio promiſſo non creſcit in valore intrinſeco, ex eo quod interuenerit promiſsio. Minus autem conſtans ſuæ doctrinæ, quia ipſe negat illam ſatisfactionem eſſe ex iuſtitia, & tamen ſi eſſet ſimpliciter condigna nihil obſtaret quominus induceret debitum iuſtitię: ſiquidem eſſe ex bonis gratuito acceptis, & alias debitis, apud hunc Auctorem non obſtat rigori iuſtitiæ : ac proinde non debuit excludere ſatisfactionem puri hominis à ratione iuſtitiæ poſtquam ſemel admiſit illam ex promiſsione fieri ſimpliciter cōdignam. Quare dicendum eſt illam ſatisfactionem ante & poſt promiſsionem, neque ad iuſtitiæ, neque ad condignæ ſatisfactionis rationē attingere. Neque eſt ſimile de peccato Adami, quamuis enim ab aliquibus Iunioribus parificetur cum illo meritum puri hominis capitis Eccleſiæ condignum ſecundo modo: tamen verius Vazquez tomo 2. in 1. 2. diſputat. 214. cap. 10. aſsignat diſcrimen inter huiuſmodi purum hominem caput Eccleſiæ reſpectu gratiæ infundendæ in alios, & Adamum reſpectu peccati originalis in poſteros transfuſi quod ille non eſſet principium transfundendi gratiam in alios de condigno, ſed tantum de congruo ob rationem aſsignatam: iſte vero fuit principium, vt per ſuum peccatum de condigno poſteri gratia priuarentur, quia licet non acceperit gratiam, vt transfundendam in poſteros merito de condigno, vel de congruo, ſed tantum ex Dei liberalitate ſuppoſito pacto de non comedendo de ligno vetito, tamen poſt violationem præcepti de condigno meruit vt poſteri gratia priuarentur, quia quando aliquod donum confertur alicui, vt transfundendum in alios dependenter ab eius voluntate ſub conditione poſita à transfundente, licet transfuſum non fuiſſet ex merito condigni, priuatio tamen doni eſt condigna pœna reſpectu illius qui violauit legem transfundentis.

Ad ſecundum Cabrera diſput. 11. concluſsione 1. & Lorca diſputat. 6. valde in caſu argumenti hallucinantur, quia videntur admittere poſſe purum hominem condigne mereri remiſsionem omniū peccatorum in diuerſis hominibus exiſtentiū promerendo eis condigne aliquem gradū intenſionis gratiæ: quod tamen falſum eſt, nam licet homo iuſtus ſibi augmentū gratiæ poſsit condigne promereri: ſecus tamē alijs: & quod peccata ſint in alijs eſt ſufficiens ratio ob quam illorum remiſsionem nequeat de condigno promereri propter rationem aſsignatam.

Du-

Dubium tertium eſt. An peccatum mortale in ratione offenſæ habeat grauitatem infinitam, ob quam propterea non poſsit à ſatisfactione puræ creaturæ exæquari?

Proponitur opinio negãs peccato infinitatem ſimpliciter.

30 IN hoc dubio tres verſantur ſententiæ. Prima eſt negatiua Scoti, in 3. diſtinct. 20. quæſt. vnica. in 4. diſtinct. 15. quæſt. vnica, & Paludani in eodem 3. diſtinct. citata, quæſt. 2 quibus ſubſcribunt Soto in 4. diſtinct. 19. quæſt. 1. art. 2. ad 1. Conradus 1. 2. quæſt 81. art. 4. & ibidem Medina. & Salas, Suarius hic diſputat. 4. ſection. 6. §. *nihilominus*, Vazquius diſputat. 3. capit. 2. §. *mihi vero*, & diſputat. 4. capit. 4. Ranguſſa, diſput. 3. § 4. Mendoza quæſt. 10. quodlybetica ſcholaſtica. Cabrera diſputat. 4. & Lorca diſputat. etiam 4. Albertinus corolario 18. Peſantius diſputat. 3. Nazar. controuerſ. 1. qui omnes denegant peccato mortali infinitatem ſimpliciter in ratione offenſæ, ſolumque admitunt in illo infinitatem quandam ſecundumquid quatenus eſt offenſa perſonæ infinitæ, vel quatenus eſt offenſa, vel iniuria quædam altioris ordinis, ob quam rationem nequit per puri hominis ſatisfactionem exæquari, horum fundamenta ad hæc tria reducũtur.

Primũ deſumitur ex quibuſdam teſtimonijs Diu. Thom. nam in 4. diſtinct. 15. quæſtion. art. 2. ad 11. aſſerit in peccato mortali reperiri quandam infinitatẽ ex parte auerſionis, quatenus nos ſeparat à Deo infinito. In quo denotat huiuſmodi infinitatem peccati eſſe obiectiuã, ſiue extrinſecam dũtaxat, & idem denotat in hoc articulo ad ſecundum dicens, requiri ad condignam peccati humani generis compenſationem, ſatisfactionem perſonę infinitæ, quia peccatum contra Deum commiſſum quandã infinitatẽ habet ex infinitate diuinæ Maieſtatis. In quibus verbis, per ly quandam quæ eſt dictio diminuẽs, denotat huiuſmodi infinitatem eſſe talem ſecundum quid, & per ly, ex infinitate diuinæ Maieſtatis, denotatur infinitatẽ peccati eſſe potius obiectiuam per connotationem perſonæ infinitę, ad eum modum quo ipſe Diu. Thom. 1. part. quæſt 25. art. 6. ad 4. tribuit humanitati Chriſti ex eo quod eſt vnita Deo, & viſioni beatæ ex eo quod eſt fruitio Dei, & Beatæ Virgini, ex eo quod eſt Mater Dei, quandam infinitã dignitatem, quæ in extrinſeca denominatione ab obiecto infinito conſiſtit.

Tertium teſtimonium habetur, quæſt. 28. de veritate art. 2. in corpore ſub his verbis. Cum ergo Deus in infinitum creaturam excedat, erit peccantis mortaliter contra Deum infinita offenſa ex parte dignitatis eius cui per peccatum quodammodo iniuria fit, dum ipſe dominus contemnitur, & eius pręceptum, in quibus tota infinitas offenſę reducitur ad extrinſecam denominationem ab obiecto infinito: ergo.

Secundũ eſt nam triplex eſt moralis malitia in peccato pręter phyſicam entitatem, quam habet in eſſe naturæ, quæ vt ſic eſt finita, cum ſolum Deus ſit infinitus in ratione entis phyſici: vt probat D. Tho. 1. part. quæſt. 7. nimirum priuatio rectitudinis debitæ in eſſe actui quæ conſtituit peccatum in ratione conuerſionis in ratione huius, vel illius ſpeciei, & alia eſt priuatio debiti ordinis ad ſummum bonum cuius inhabitatio fit in anima per gratiã, iuxta illud Eſai. 59. *Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter me, & vos.* Et tertia eſt ratio iniurię, & offenſæ, quę vel eſt ipſa auerſio, vel ad illam conſequitur, de qua Bernard. ſermon. 5. de reſurrectione, ait: ſic peruerſa voluntas peccatoris vult non eſſe Deum, crudelis planè, & execranda malitia quæ Dei potentiam, iuſtitiam, & ſapientiã perire deſiderat. Neque alia eſt in peccatis excogitabilis malitia præter aſsignatas, quarũ nulla eſt intrinſecè infinita, & ſubiectiue: ergo. Minor patet, quod nõ prima quia cum menſura priuationis ſit habitus, teſtè Philoſopho 5. Ethicorũ cap. 1. nequit huiuſmodi priuatio eſſe maioris malitiæ, quam bonitas legis fuerit, & quam rectitudo bonitatis, cui opponitur, hæc autem eſt finita cum ſit tantum rectitudo virtutis oppoſitæ peccato quæ finita eſt.

Quod non ſecunda patet eadem ratio-

Digitized by Google

tione quia cum gratia iuſtificans forma finita ſit; eius quoque priuatio in qua conſiſtit ſecunda malitia finita debet eſſe.

Denique quod non tertia, patet, quia licet hæc vt ſic reſpiciat obiectum infinitum, ſcilicet Deum offenſum, nequit tamen ab ipſo accipere infinitatem intrinſecam, aut maiorem quam obiectiuã propter tria. Tum quia nullus actus perfecte attingit ſuum obiectum, hoc eſt tanta intẽſione quanta eſt in obiecto niſi modus eſſendi principij elicientis actum adequet modum eſſendi obiecti iuxta axioma ſtatutũ à Diu. Thom. in 4. diſtinct. 44. quæſt. 2. art. 3. ad 3. & 2. contra gent. c. 21. ratione 8. quodlibet. 3. art. 7. & 1. part. quæſtion. 45. art. 5. ad 3. obiectum autem offenſæ mortalis quod eſt Deus excedit modum eſſendi principiorũ à quibus elicitur actus peccaminoſus: ergo excedit modum eſſendi ipſius actus, ac proinde nequit iſte eſſe infinitus, ex attingentia illius. Tum etiam quia obiectum non refundit totam ſuam dignitatem in actum, qui aliàs limitatur à ſuis principijs, quo pacto viſio beata limitatur à lumine gloriæ ne intrinſecam infinitatẽ à ſuo obiecto infinito accipiat: ergo à fortiori actus peccaminoſus à potentijs, & habitibus limitari debet, vt potè cum hæc ſint principia magis finita, quam principium viſionis quod eſt eſſentia diuina intelligibiliter vnita. Tum denique quia licet circa obiectum, quod eſt melius, actus ſit melior cœteris paribus, non tamẽ quanto obiectum eſt dignius, eo actus debet eſſe dignior ſimpliciter, alioquin viſio Dei quæ elicitur ab intellectu beati excederet in infinitum quancumque cognitionem creatã alterius obiecti finiti, quod abſurdum: ergo.

Tertium deſumitur ex triplici inconuenienti quod ſequitur ex oppoſita ſẽtẽtia. Primũ eſt quod offenſa peccati mortalis mæreretur de condigno pœnam infinitam, quod tamen negat Diu. *Thom.* in 4. diſtinct. 46. quæſt. 1. art. 3. ad 6. & alias huiuſmodi pœna infinita non eſt factibilis.

Secundũ eſt quod malitia infinita vnius peccati contineret omnes alias malitias ſui generis formaliter, vel eminẽter, ſicut *Deus*, qui eſt infinitus in genere entis continet eminenter omnium entium perfectiones, & conſequenter non poſſet multiplicari offenſa numero, vel ſpecie, ſicut dato corpore infinito nullum aliud eſſe poteſt intra idem genus, teſte Diu. *Thom.* infra quæſtion. 10. art. 3. ad 3.

Tertiũ eſt, quod admiſſo dari plures offẽſas numero, vel ſpecie diuerſas, omnes eſſent æquales, quia infinito maius dari non poteſt, quod tamen abſurdum eſt, ſicut abſurdum eſt dicere, odium Dei, & peccatum in Spiritum ſanctum non eſſe maioris malitię, quam peccatum intemperantiæ.

31 Secunda ſententia aſſerit peccatum mortale habere triplicem infinitatẽ intrinſecam ſimpliciter talem quatenus ex ex triplici capite illi prouenit infinitas; ſcilicet ex obiecto auerſionis quatenus ſeparat animam à Deo infinito, & ex parte perſonæ offenſæ quæ eſt dignitatis infinitæ, & tandem ex parte perſonæ offendentis, quæ eſt infinite vilior. Ita Vincentius quæſtion. 5. art. 2. pag. 301. qui dupliciter probat ſuam ſententiam.

Primo, quia peccatum mortale, vt ſic priuat coniunctione ad Deum, & deſtruit quantum eſt de ſe potiſsimum bonũ naturæ intellectualis quod in Deo eſt infinitum: ergo etiam ex hoc capite habet infinitatem.

Secundo quia Diu. Thom. hic ad 2, & in loco citato ex quarto ſententi. tribuit peccato hanc duplicem infinitatem; ſcilicet ex obiecto auerſionis, & ex maieſtate perſonæ offenſę; & alias perſona offendens eſt infinitè vilior, ac proinde etiã in hoc genere habet infinitatem: ergo illã refundit in obiectum.

Tertia ſententia, & vera ac conformior menti Diu. Thom. aſſerit in peccato mortali eſſe infinitatem moralem ſimpliciter, quatenus eſt offenſa, & iniuria Dei ratione cuius infinitatis exigit ad ſui æqualem, ſiue condignam compenſationem, infinitam Dei, & hominis ſatisfactionem. Hanc ſequitur Diu. Bonauentur. Driedo, Richard. & Alexand. in 3. diſtinct. 20. Alens 3. part. quęſtion. 1. memb. 6. art. 2. Capr. in 4. diſtinction. 15. quæſtion. 1. ad 2. contra primã Caiet. hic. § *ad alteram verò*, & quæſtion. 87. artic. 4. & Med. dub. 2. *de ſatisfactione puri hominis.* Quibus omnibus ſubſcribit Albar. hic diſput. 3, quæ proinde à nobis ſtatuitur pro concluſione.

Et probatur quoad tres concluſiones quibus Aluarez ſuam, & noſtram explicat ſententiam: quarum prima eſt, peccatum mortale quatenus auertit ab ordine ratio-

Præfertur ſentẽtia tribuẽs offenſæ læthali infinitatẽ ſimpliciter

tionis debito, & à rectitudine debita in eſſe, nullatenus eſt infinitum etiam in eſſe moris.

Secunda eſt: peccatum mortale, quatenus eſt malum intrinſecum hominis auertens illum à bono infinito, quod eſt Deus tantum eſt infinitum per extrinſecã denominationem ab infinitate extrinſeci obiecti. Cuius duplicis concluſionis veritas manifeſte conuincitur argumento ſecundo facto pro prima ſententia.

Tertia concluſio eſt peccatum mortale, vt offenſiuum *D*ei, ſiue vt malũ Deo intentatum eſt infinitum intrinſecè, & ſimpliciter in genere moris ad eum modum, quo ſi linea daretur infinita, eſſet quidem ſimpliciter, & intrinſece infinita ſecundũ longitudinem: quæ concluſio conuincitur argumento Vincentij deducto ex ſanctorum Patrum teſtimonijs, & probatur tripliciter.

Primo, ex tribus teſtimonijs præallegatis Diu. Thom. quæ potius ſunt pro noſtra ſententia, nimirum in ſolutione ad ſecundum huius articuli. Vbi quandam, ideſt, moralem infinitatem attribuit peccato in ratione diuinæ offenſæ, ob quam nequit ab alio, quam à perſona infinita per condignam ſatisfactionem compenſari. Et art. 2. citato de veritate ait: quod quando quis digniori perſonæ indigniorem præponit, illi iniuriam irrogat, quæ tanto maior eſt, quanto perſona contempta eſt dignior, & quia per peccatũ præponitur creatura Deo qui infinite excedit illam, ideò grauitas iniuriæ irrogatæ *D*eo eſt infinita; quæ proinde intrinſeca debet eſſe peccato, ſicut ratio maioris, vel minoris iniuriæ intrinſeca eſt illi. Et in art. 2. præallegato, ex 4. diſtinction. 15 inquit, infinitatẽ huiuſmodi conuenire peccato ex parte auerſionis, & idem habet 1. 2. quæſtion. 87. artic. 4. perſpicuum autem eſt, quod ſicut auerſio eſt intrinſeca peccato, ita & quidquid conuenit illi ratione auerſionis, ac proinde huiuſmodi infinitas intrinſecè ei debet conuenire: ergo non ſolum per extrinſecam denominationem.

Secundo probatur: nam quando aliquis actus attingit obiectum infinitum, quantum attingibile eſt accipit ab illo intrinſecam infinitatem quo pacto ſi cognitio, qua beatus videt Deum eſſet comprehenſiua pariter eſſet infinita, quia attingeret obiectum infinitum, quantum attingibile eſt per cognitionem; ſed offenſa mortalis offendit Deum quatenus offendibilis eſt, non enim eſt magis offendibilis ex parte obiecti, quam quod ab illo auferatur bonitatis vltimi finis quoad affectum, licet ex parte peccantis poſsit, maiori conatu, ſiue maiori peccato ab vno, quam ab alio offendi: ergo ex huiuſmodi attingentia boni infiniti conſtituitur offenſa intrinſece infinita.

32 Huic argumento reſpondent aduerſarij negando minorem: eoquod ſi per quamlibet offenſam mortalem offenderetur Deus quantum offendibilis eſt, non poſſet magis offendi per vnam, quam per aliam, neque vna offenſa eſſet maior alia. Hoc enim quod eſt attingi aliquod obiectum quantum attingibile eſt, non ſuſcipit magis, & minus, ſed conſiſtit in omnimoda adæquatione actus ad obiectum: quod tamen non eſt dicendum. Abſurdum enim eſt dicere omnes offenſas æquales omnino eſſe, & eiuſdẽ ſpeciei. Quod amplius confirmant, quia Deum offendi quantum offendibilis eſt, nequit conſiſtere in eoquod ab illo auferatur ratio vltimi finis quoad affectum, nam ſicut offenſa ſe habet ad huiuſmodi rationem auferendam quoad affectum: ita actus charitatis diligẽtis Deum ſuper omnia ſe habet ad redendum illam Deo quoad affectum; & tamen non ideo diligitur Deus inquantum diligibilis eſt per actum noſtræ charitatis: ergo neque ob ſimilem rationẽ offenditur quãtum offendibilis eſt per actum meæ offenſæ.

Sed neutra obiectio enernat vim argumenti facti: non prima, quia vel omnia peccata in ratione offenſæ ſunt æqualia, & eiuſdem ſpei, quod non eſſe inconueniẽs, oſtẽdemus poſtea, vel admiſſo, quod illa etiam vt ſic ſunt inæqualia, & diuerſa ſecundum ſpeciem, hoc non obſtat quominus quolibet illorum offendatur Deus quantum offendibilis eſt ex parte obiectis eoquod quolibet illorum aufertur à Deo, quoad affectum integra ratio boni:a.is, & tota aufferretur à Deo quoad effect m, ſi à Deo aufferribilis eſſet. Ita vt 1 on n inus damnum ex minori, quam ex maiori offenſa, neque maius ex hac, quam ex illa recipere; ſicut in ſententia probabiliori Theologorum aſſerentium quemlibet Angelum ab omnibus alijs cognoſci comprænſiue, ac proinde quantum cognoſcibilis eſt: hoc non obſtat quominus cognitio compræhenſiua exiſtens in intellectu ſuperioris ſit

ris ſit

Digitized by Google

ris ſit perfectior, & perfectius attingens ex parte ſubiecti Angelum comprehenſum, quam cognitio exiſtens in intellectu inferioris. Neque ſecũda, quia actus charitatis noſtræ, neque ex parte ſubiecti, quia eſt finiti conatus, & intenſionis, neque ex parte obiecti diligit Deum quantum diligibilis eſt, quia non diligit illum iuxta merita, & exigentiam ſuæ bonitatis, & diligibilitatis, ſic enim à ſolo amore infinito, & increato poteſt diligi diuina bonitas: quaļibet autẽ offenſa mortali offenditur Deus ſecundum omnimodam rationem ſub qua offendi poteſt, & lædi quoad affectum, ita vt amplius ex parte obiecti, hoc eſt ſub nulla alia ratione poteſt offendi, & lædi quoad affectum per maiorem, quam per minorem offenſam, & in hoc conſiſtit adæquatio inter huiuſmodi actum attingentem ſuum obiectum quantum attingibile eſt ſummo modo morali ex parte obiecti.

Tertio probatur, nam dignitas perſonæ ſatisfacientis redundat in dignitatem ſatisfactionis, & propterea ſatisfactio Chriſti eſt infiniti valoris, quia eſt exhibita à perſona infinita, vt infra oſtendemus: ergo etiam dignitas perſonę offenſæ pariformiter redundat in grauitatem ipſius iniuriæ, ita vt ſi perſona offenſa ſit infinitę dignitatis etiam iniuria illi irrogata debeat eſſe infinitæ grauitatis.

Huic argumento reſpondent aduerſarij negando conſequentiam, cuius diſparitatem conſtituunt in eoquod perſona ſatisfaciens, non tantum ſe habet, vt obiectum pure extrinſecum, ſed vt intrinſeca ipſi ſatisfactioni: eoquod perſona ſatisfaciens ſubijcit ſe ipſam, & eſt conditio, ſiue pars intrinſeca ſatisfaciẽtis vt ſic, quia ſatisfaciens vt ſic conflatur ex perſona quæ ſatisfacit, & ex ſatisfactione exhibita, ac proinde dignitas perſonæ ſatisfacientis poteſt redundare in dignitatem ſatisfactionis; ſecus autem contingit in perſona offenſa, quæ cum ſe habeat vt obiectum pure extrinſecum ad iniuriam, ita vt non ſit de cõceptu illius in cõcreto neque in abſtracto ideo nequit illius dignitas in iſtius grauitatem redundare.

Sed hæc ſolutio non eneruat vim argumenti, quia etiam perſona offenſa cõparatur ad iniuriam non ſolum, vt obiectũ extrinſecum, verum etiam, vt ſubiectum quod ſubit moralem denominationem illius, ita vt offenſa non tam ſit malum offendentis, quam offenſi. Propterea enim dicimus peccatum mortale in ratione offenſæ eſſe malum Dei, & non peccantis: & conſequenter ex hoc capite etiam perſona offenſa eſt de conceptu iniurię ſaltem in concreto non minus quam perſona ſatisfaciens eſt intrinſeca ſatisfactioni in cõcreto: ergo ob eandem rationem debet illa ab obiecto infinito accipere infinitatem, ob quam iſta à perſona infinita accipit valorẽ infinitum.

Dices ex hoc ſequi, quod etiam peccatum veniale in ratione offenſę habeat moralem infinitatem ob quam nequeat per ſatisfactionem puri hominis, exæquari: quod tamen eſt falſum, & contra communem Thæologorum ſententiam in hoc loco, & in materia de pœnitentia aſſerentem iuſtum poſſe pro pœnis temporalibus, & pro culpis venialibus ad ęqualitatem ſatisfacere: ergo, & antecedens: ſequela patet quia etiam offenſa venialis eſt malum Deo intentatum, illumque proinde, vt obiectum, & ſubiectum reſpicit, ac perconſequens debet ab eo infinitari. Sed ad hoc dicendum eſt, quod offenſa venialis tantum eſt malum Dei ſecundum quid, non lędẽs ipſum in bonis intrinſecis quoad affectum ſiquidem non aufert à Deo dignitatem vltimi finis ponendo illam in creatura, & ideò licet ſubiectetur in creatura, non tamen eo modo quo requiritur, vt ab illo infinitetur, & ſic manet ratio noſtra inconcuſſa.

33 Quarto probatur ab inconuenienti; nam alias poſsibile eſſet in puro homine ęqualis ſatisfactio pro peccatis ne dum proprijs, ſed etiam totius generis humani, & conſequenter gratis, & ſine neceſſitate Chriſtus ſatisfeciſſet pro illis, quod tamen ſupra oſtendimus eſſe falſum: ergo. Sequela probatur quia omne finitum exequabile eſt, ſiue compenſabile ad equalitatem per aliud finitum: ergo ſi offenſa peccati mortalis fuit debitum finitum exequabilis eſſet per exhibitionem prætij finiti, cuiuſmodi ſunt actus contritionis, & charitatis eliciti à puro homine.

Huic argumento reſpondent aduerſarij nego ſequęlam, eoquod licet offenſa ſit finita, tamen quia eſt altioris ordinis, ideo nequit exæquari per ſatisfactionis finitam à puro homine exhibitam, ſed ad ſui exæquationem petit infinitam diuini ſuppoſiti ſatisfactionem.

Sed hæc ſolutio non eneruat vim argu-

propterea quod licet res finita ſuperioris ordinis non poſset exequari à rebus inferioris; quo pacto neque infiniti homines poſſunt adequare perfectionem inferioris Angeli, tamen nullum eſt finitum, quod per aliud finitum, ſiue altioris, ſiue eiuſdem ordinis exequari, & ſuperari non poſsit: cum igitur offenſa peccati mortalis ſit finita, & alias non ſit altioris ordinis, quam ſatisfactio elicita ab homine iuſto, vtpote cũ hæc ſit ordinis ſupernaturalis, & gaudeat valore morali eiuſdem generis moris ad quod pertinet offenſa, cur nõ poterit exequari, imò & ſuperare offenſam ex attingẽtia vltimi finis?

Occurritur fundamẽtis primæ opinionis.

Quibus ſuppoſitis reſpondetur ad argumentum pro prima ſententia: explicã do ſingula teſtimonia *D*iu. Thom. Et quidem in primo intelligit infinitatem ſimpliciter in genere moris prout eſt citra infinitatem in genere entis, vt ſic, vel in eſſe phiſico: dum autem ſubdit huiuſmodi infinitatem conuenire peccato quatenus ſeparat à Deo infinito, non indicat illam proxime, & immediate ſummi ab obiecto extrinſece denominante: ſed potius illam ſummi redicaliter ab obiecto infinito, & proxime à morali tendentia offenſiua in illud; quæ proculdubio intrinſeca eſt peccato ratione auerſionis. Neque obſtat, quod Angelicus Doctor in dicta ſolutione ad 1. & diſtinction. 14. quæſt. 2. artic. 1. quæſt. 1. ad 4. ſubdit contritionem noſtram à gratia in formatam ſimiliter habere infinitatem ex diuina miſericordia acceptante, & ex parte gratię, quæ eſt Dei ſimilitudo, & ex infinita virtute Paſsionis Chriſti, cui innititur: quia ly, ſimiliter & ly, ſicut vt adnotat Caietan. hic, §. ad *euidentiam*, non dicũt omnimodam, ſed aliqualem ſimilitudinẽ, videlicet in eoquod, ſicut offenſa accipit ſuam infinitatem radicaliter ex maieſtate Dei offenſi extrinſeca, ita contritio accipit ſuam infinitatem ex miſericordia, & gratia Dei, & ex Paſsione Chriſti, quatenus illis aſſociata poteſt deſtruere offenſam, non autem ex propria virtute, & con dignitate, licet diſcriminentur in modo infinitatis, quæ in contritione tantum eſt obiectiua, & per extrinſecam denominationem, in offenſa vero reperitur intrinſecè, & formaliter propter rationes aſsignatas.

Eadem explicatione gaudet ſecundum teſtimonium. In tertio vero dum ait offenſam eſſe infinitam ex parte dignitatis eius, cui irrogatur iniuria, per illam propoſitionem *ex*, non denotat offenſam denominari infinitam formaliter à ſola dignitate Dei offenſi; ſed quod ex illa radicaliter prouenit in offenſa alia infinitas moralis intrinſeca, ex eo quod eſt quędam moralis attingentia auerſiua, & offenſiua Dei lædens ipſum ſecũdum affectum quantum damnificabilis eſt. Neque eſt ſimile in exemplis adductis, in quibus dignitas humanitatis Chriſti, & beatæ Virginis, & viſio beata dicuntur infinita per extrinſecam denominationem à perſona infinita; vel ab obiecto infinito.

Ad ſecundum principale, nego minorẽ pro tertia parte, ad cuius primam probationem reſpondetur axioma illud aſſumptum in maiori, in ſolis actibus phyſicè attingentibus obiecta verum eſſe: ſecus autem in attingentibus moraliter, vt ſic; eoquod moralis attingentia non debet phyſicis principijs ſpecificis actus, aut modo eſſendi illorum commenſurari, ſed potius obiecto, in quod moraliter tendit, & moraliter afficit, & quia etiam actus peccaminoſ⁹, quoad cõuerſionẽ licet ſit phyſica, & moralis tendentia in Deum, ac proinde habitibus quibus elicitur, quoad conatum & modum eſſendi commenſurandus tamen in ratione offenſæ eſt pure moralis tendentia in Deum, quem vt ſic moraliter afficit, tanquam ſubiectum offenſæ, & propterea illi, & non principio elicienti debet commenſurari: præterquamquod ſicut actualis offenſa eſt infinita in actu peccaminoſo, ita in habitu vitioſo à quo ellicitur correſpondet ei habitualis quędã auerſio offẽſiua gaudens ſua infinitate, cui proinde actualis commenſuratur.

Dices in peccato non aliam eſſe rationem offenſę, niſi quia eſt contra legem Dei, ſicut enim cum quis tranſgreditur prę ceptum Regis, non aliter illum offendit, neque alia ratione, niſi quia eius præceptum transgreditur, ita dum quis peccat nõ aliter, neque alia ratione Deum offendit, niſi quia eius legẽ, vel ſuæ Eccleſiæ mãdáta transgreditur. Tranſgreſsio autem legis, aut non tendit directe in perſonam ſtatuentem legem, aut tantum tendit in illam in ratione legislatoris: ergo peccatum, aut non eſt ſpecialis offenſa Dei directe tendens in illius maieſtatem infinitã, aut tantũ tendit in illã ſub ratione legislatoris, quæ ratio vt ſic non habet maiorẽ

D ex-

excellentiam, quam lex, a qua proinde nequit peccatum infinitari, vt dictum eſt. Sed hæc obiectio non eneruat noſtram ſolutionem: eo quod licet lex ſit conditio ſine qua peccatũ nõ eſt offenſa Dei, quia ſic neq; eſſet legis præuaricatio, neq; eſſet peccatum, tamen hac ſuppoſita conditione peccatum non tantum eſt transgreſsio legis, neque tantum eſt offenſiuum Dei vt legislatoris formaliter, ſed eſt Dei vt vltimi finis, & infinitæ maieſtatis ipſius, propter duo. Tum quia lex ipſa diuina, & æterna a qua omnis alia lex naturalis, humana, & eccleſiaſtica deriuatur, & exemplatur eſt ipſe Deus, teſte Diu. Thom. 1. 2. quæſt. 93. art. 1. & 3. & ſic contempta lege æterna in quolibet peccato mortali contemnitur ipſe Deus. Tum etiam quia huic conuerſioni, qua homo conuertiur in obiectũ diſſonum legi annexa eſt auerſio à Deo nedum vt legislatore, ſed vt à ſummo bono, & vltimo fine, quem homo peccando poſtponit creaturæ iuxta illud Ieremiæ 2. *Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſsipatas, &c.*

Ad ſecundam probationem reſpondetur actum qui attingit obiectum, vel quantum attingibile eſt, vel afficiendo illud per modum ſubiecti, nedũ eſſe digniorem, aut grauiorem cæteris paribus, quia dignius obiectum attingit, ſed abſolute tãto digniorem, aut grauiorem eſſe ceteris actibus, quantum eius obiectum præſtat obiectis aliorum.

Ad tertium principale reſpõdetur, quoad ſingula inconuenientia, & quidem quantum ad primum D. Tho. videtur ſibi contrarius, nam in 4. diſt. 46. qu. 1. art. 2. quæſtiuncula 6. & q. 2. art. 2. quæſtiuncula 1. ad 4. inquit: peccatum mortale de ſe, & ſecundum rigorem iuſtitiæ diuinæ promereri anihilationem peccantis quia eſt pœna quodammodo infinita. Ex diuina tamẽ miſericordia non infligi huiuſmodi pœnã peccati, iuxta illud Thrænorum 3. *Miſericordia Domini quod non ſumus conſumpti.* Sed in 1. 2. quæſtion. 87. art. 4. ad 1. dicit quod redigi in nihilum, cum quis peccat, non conuenit iuſtitiæ diuinæ, quia repugnat perpetuitati pœnæ, quæ ſecundum diuinam iuſtitiam in inferno infligitur peccatori, quam tamen contrarietatem ad concordiam reducit Caietan. ibidem dicens: peccatum mortale poſſe conſiderari dupliciter. Vno modo quãtum eſt ex proprio demerito, & ex rigore iuſtitiæ: alio modo vt ſtat ſub ſtatuto ordine à diuina prouidentia, & iuſtitia quę perpetuam ſtatuit pœnam peccatoribus, & ſic peccatum non incurrit reatũ anihilationis, quia pœna anihilationis repugnat pœnę perpetuitatis: bene autem primo modo ſecundũ quem Diu. Thom. loqutus fuerat de peccato in quarto ſententiarum. Nihilominus quamuis peccatum ſecundum ſtatutum ordinem non incurrat pœnam anihilationis incurrit tamen ex parte auerſionis, & offẽſę pœnam damni, quæ eſt quodammodo infinita quatenus eſt amiſsio boni infiniti, vt docet Diu. Thom. in eodem art. 4. quæſtion. 87. & 2. 2. quæſtion. 79. art. 4. ad 4. ſicut ex parte conuerſionis ad bonum commutabile, quæ finita eſt correſpondet ei pœna ſenſus quæ etiam eſt finita.

Deinde quoad ſecundum inconueniens dicendũ eſt: quod licet infinitum in genere entis ſimpliciter contineat omniũ entium perfectiones, ac proinde incompatibile ſit cũ alio infinito in genere entis tamen infinitũ ſimpliciter in tali genere: neque opportet, vt pręhabeat ſui totius generis perfectionem, neque vt ſit cũ alio infinito eiuſdem generis incõpatibile, vt ſi linea aliqua eſſet infinita quia eius infinitas tantum eſſet in genere longitudinis, nõ eſſet incompatibilis cũ alia etiam infinita, & propterea cũ infinitas vnius peccati tantũ ſit in ratione offenſę, & in genere moris non eſt incõpatibilis cũ infinitate alterius peccati numero, vel ſpecie diſtincti: neque oppoſitũ habet D. T. in illa ſolut. ſed potiꝰ expreſsè aſſerit poſſe intelligi vnum infinitum maius alio in his quę tantum ſunt infinita in tali genere, vt corpus infinitũ eſſet maius linea infinita, & numerus rerum ad quas extenditur ſcientia *Dei* ſimplicis intelligentiæ eſt infinitus, & maior numero rerum, quas attingit ſcientia ſimplicis intelligentiæ Chriſti, qui eſt etiam infinitus.

Denique circa ſolutionem tertij inconuenientis duplex eſt modus dicendi inter *Thæologos*, & vterque fundamentũ habens in Diu. Thom. Primus eſt, quem ſequuntur Vincentius vbi ſupra q. 5. pag. 399. & Vazqu. 1. 2. diſputat. 100. cap. 5. & 6. aſſerentes offenſas poſſe conſiderari dupliciter, Vno modo formaliter, & ſecundum illam moralitatem conuenientem peccato ratione auerſionis, ratione cuius dicitur vnaquæque malum Dei, & ſic

& ſic omnes eſſe æquales. Alio modo fundamentaliter, ſiue per ordinem ad ſuas cauſas, hoc eſt, ad conuerſiones, & ſic eſſe inæquales iuſta inæqualitatem, qua gaudent inter ſe ipſe conuerſiones. Qui modus dicendi habet fundamentum in Diu. Thom. 1.2. quæſtion. 72. articul. 1. & 73. articul. 1. vbi aſſerit peccata differre inter ſe ſecundum conuerſionem ad obiecta diſtincta, habere tamen conuenientiam ex parte auerſionis ratione cuius per quodlibet peccatum contẽnitur Deus, & incurritur reatus penæ, & ibidem, art. 2, dicit priuationes quæ conſiſtunt veluti in corruptum eſſe non ſuſcipere magis, aut minus, peccatum autem ratione auerſionis eſt pura priuatio, & nihil teſte eodem Diu. Thom. in 2. diſtinction. 36. artic. 1. ad 1. & de malo quæſtion. 2. art. 1. ad 4. & tandem 1.2. quæſt. 86. art. 1. ad 3. aſſerit ex diuerſis peccatis induci diuerſas maculas per ordinem ad ſuas cauſas, denotans maculas formaliter ſumptas, eoquod priuationes ſunt nitoris gratiæ non aliter diuerſificari, niſi quatenus ad diuerſas conuerſiones conſequuntur. Probabiliter ergo dici poteſt in doctrina Diu. Thom. omnia peccata in ratione offenſæ formaliter æqualia eſſe, & non aliter diuerſificari niſi radicaliter, & per ordinem ad cauſam; nimirum ad conuerſionem ad quam ratio offenſæ conſequitur. Ad eum modum quo plures Theologi, de quorum numero ſunt Palud. & Durand. in 4. diſtinction. 22. quæſt. 1. & Capræol. ibidem, queſtion. 2. artic. 3. dicunt pœnam damni quæ eſt carentia diuinæ viſionis formaliter, & ſecundum ſe æqualem eſſe in omnibus damnatis licet radicaliter, & per ordinem ad ſuam cauſam, hoc eſt, peccatum inæqualis ſit, maior quidem in illo qui contraxit illam propter peccata maiora, & minor in illo, qui illam contraxit propter leuiora peccata, & ad eum modum, quo Methaphyſici dicunt veritatem formalem, quæ in relatione adæquationis illius ad obiectum conſiſtit æqualem eſſe in omnibus propoſitionibus veris; inæqualem autem per ordinem ad cauſas, & ſecundum eſſe radicale, quod habet in illis, quatenus ſcilicet, vna propoſitio maiores, vel plures cauſas habet ſuæ veritatis quam altera.

Sed nihilominus ſecundus, & verus modus dicendi, & vt exiſtimo menti Diu. Thom. conformior eſt aliorum aſſerentium rationem offenſæ formaliter ſumptam eſſe grauiorem in vno peccato, quam in altero proportionabiliter iuxta inæqualitatẽ vel diuerſitatem conuerſionis, quæ conſtituit diuerſificam rationem peccati & ex cuius diuerſitate cauſaliter pariformiter reſultat diuerſitas in offenſa, quod ſuadetur dupliciter.

Primo quia Diu. Thom. 1. 2, qu. 73. art. 2, inquirens an omnia peccata ſint paria. Reſpondet abſolute non eſſe paria propter duo: tum quia Ioan. 16. dixit Chriſtus ad Pilatum, *qui tradidit me tibi, maius peccatum habet*, quod abſolute non eſſet verũ niſi in ratione diuinæ offenſæ peccatũ Iudæorum eſſet maius peccato Pilati. Tũ etiam quia receſſus à ratione, & à debita rectitudine quæ eſt in peccato licet explicetur ad modum priuationis non tamen eſt pura priuatio in corrupto eſſe, ſicut mors, vel tenebrę, ſed eſt priuatio actualis, & veluti in fieri ſicut ægritudo, & aliæ ſimiles quę recipiunt magis, & minus: quapropter peccatum etiam ex parte receſſus ſuſcipit magis, & minus; receſſus autem à debita rectitudine, vel eſt ipſa auerſio, vel tenet ſe ex parte illius: ergo etiam quantum ad auerſionẽ, & offenſam non eſt in peccatis omnimoda æqualitas iuxta ſententiam Angelici Doctoris.

Secundo, quia ipſe in 4. diſtinctione 17. quæſtion. 1. articulo 2. quæſtiuncula 6. ad 2. ait quod quamuis omnia peccata læthalia conueniant in auerſione à Deo: differunt tamen in cauſa, & modo auerſionis propterea quod per vnum fit maior elongatio à Deo, quam per aliud. Et art. 3. quæſtiuncula 3. ad 2. ſubdit peccatorem magis debere conteri de vno peccato, quam de alio; eoquod Deus magis offenditur per vnum, quam per aliud. Igitur ſentit D. Thom. nedum in ratione conuerſionis, ſed etiam in ratione auerſionis, & offenſæ vnum peccatum eſſe maius altero. Et merito quidem quia cum auerſio pertineat ad ſpecificam malitiam peccati, hinc eſt, quod nedum conuerſio, ſed etiam auerſio ipſa quæ eſt conuerſiua auertens quidem ab incommutabili bono, & conuertens ad commutabile ſit inæqualis in diuerſis peccatis iuxta inæqualitatem conuerſionis, quæ etiam refunditur in offenſam. Quæ ratio amplius confirmatur ex probabiliori ſententia Theologorum aſſerentium pœnam damni eſſe inęqualem

in diſtinctis damnatis, nō quidem in ratione priuationis phyſicę, ſed in ratione morali pænæ, quę vt ſic reſpondet offenſæ vt videre eſt in Soto in 4. diſt. 16. quæſt. 1. artic. 1. ad 3. & Valent. hic diſputation. 7. puncto 2. Cuius indicium deſumunt ex eo quod pena damni maiori triſticia afficit damnatos propter grauiora peccata; quam damnatos propter leuiora.

Hinc reſpondetur ad primum fundamentum ſecundæ ſententiæ quod peccatum ratione priuationis coniunctionis cum Deo, immediatè & formaliter tantum opponitur donis gratiæ quæ finita ſunt: Deo autem opponitur priuatiue mediate, vel obiectiue duntaxat, à quo proinde, vt ſic ſolam infinitatem accepit extrinſecam, ſiue obiectiuam.

Ad ſecundum dicendum eſt Doctorem Angelicum attribuiſſe illam duplicem infinitatem peccato actuali non pariformiter, ſed iuxta modum vniuſcuiuſque: primam quidem vt obiectiuam; ſecundam verò vt formalem, & intrinſecam. Quemadmodum ibidem attribuit peccato originali aliam infinitatem per ordinem ad ſubiectum ex virtute, & efficacia, quā habet ad inficiendos homines infinitos ſi eſſent: quæ tamen infinitas ſecundum mē tem Auctoris non conſtituit originale peccatum infinitum ſimpliciter & in actu, niſi tantum ſecundum quid, & in potentia, vel ſyncathegorematice. Vnde neque vilitas perſonæ peccantis poteſt ſimpliciter infinitare peccatum, quia licet infinite diſtet à Deo offenſo, tamen finita eſt in ſe ſicut entitas, & bonitas creaturæ finita in ſe eſt, & infinite diſtans à bonitate creatoris.

Dubium quartum eſt. Quæ ſint conditiones ad conſtituendam ſatisfactionem veræ, ac rigoroſæ iuſtitiæ requiſitæ?

34 IN hoc dubio omnes Thæologi conueniunt in vno, & diſcriminantur in alio: conueniunt quidē in eo quod certæ, ac determinatę quædam conditiones ad conſtituendam ſatisfactionem in materia riguroſæ iuſtitiæ requirantur. In aſsignando tamē huiuſmodi conditiones valde diſcrimināntur, dum alij plures, alij verò pauciores aſsignant. Veruntamen fere omnes in his ſex conueniunt. Prima eſt quod reddat æquale debito, vel iniuriæ: ſecunda quod ſit ad alterum: tertia quod non fiat ex bonis fundatis in gratia creditoris: quarta, quod fiat ex proprijs debitoris, vel fideiuſſoris: deinde quinta eſt, quod fiat ex indebitis alio titulo iuſtitiæ particularis: & tandem ſexta quod offenſus, vel creditor ex iuſtitia teneatur illā acceptare, vel actu poſitiuo, vel ſaltē negatiue, ideſt non exigendo aliā maiorē: quarū ſingulę eōdē ordine ſingulis aſſertionibus ſunt examinandæ: igitur de priori conditione, ſiue æqualitate.

Dico primo. Illam requiri in omni cōpenſatione, & ſatisfactione verę ac riguroſę iuſtitiæ. Hæc concluſio communiter ab omnibus Thæologis recepitur, & merito quia huiuſmodi conditio eſt generalis, & generaliter requiſita pro omni actu cuiuſcunque perfectæ iuſtitiæ particularis, ſiue cōmutatiuę, ſiue diſtributiuæ, cuius eſt cōſtituere iuſtū, & facere æqualitatē rei ad rē ſecundū arithmeticam, vel geometricam proportionē, vt tradunt Phyloſ. 2. AEth. c. 6. & lib. 5. c. 1. & 2, & D. Th. 2. 2. q. 57. art. 1. & q. 58. art. 1. & 2. imò hæc eadē cōditio colligitur ex ipſa diffinitione iuſtitię tradita ab Ambr. lib. 1. de offic. c. 24. nimirum quod iuſtitia eſt virtus, quæ ius ſuum vnicuique tribuit, &c. Ius autem quod eſt obiectum iuſtitiæ, ſiue iuſtum, non alia ratione ſic appellatur, niſi quia conſtituit inter duas perſonas æqualitatem, ergo.

Secundo probatur ex diffinitione ſatisfactionis exhibita pro iniuria cōmuniter

ter accepta à D.T. in 4.d.15.q.1.ar.2. Durand. ibid. Scoto art. 1. deſumpta ex Anſelmo lib. 1. *cur Deus homo*: c. 19, & 20. quæ ſic habet: *Satisfactio eſt redditio æquiualentis voluntaria ex alias indebitis*: ęquiualentis in quam, quia debet cõſtituere ęqualitatẽ cũ iniuria, ceteras namque particulas expendendas inferius, relinquimus: ergo.

35 Dico ſecũdo. Etiã ſecũda cõditio, nimirũ, quod ſit ad alterũ vniuerſaliter, & intrinſecè requiritur ad ſatisfactionẽ in materia iuſtitiæ, ad hũc ſenſum quod inter ſatisfacientem, & eum cui fit ſatisfactio debet eſſe realis diſtinctio, ſaltẽ quoad naturas, & volũtates, licet nõ quoad ſuppoſita. Hæc concluſio quoad primã partem etiam communiter recipitur à Theologis, & merito quia teſte D.T. q.58. proxim. cit. a. 2. hæc eſt cõditio vniuerſaliter requiſita in quocunque actu iuſtitiæ. Et ſequitur ex prima cõditione æqualitatis: eo quod cum æqualitas nõ poſsit eſſe eiuſdẽ ad ſeipſum opportet vt ſit ad alterum.

Quoad ſecundam vero partẽ ſtatuitur aduerſus duas ſentẽtias extreme oppoſitas quarũ altera, vt refert Vincent. in relect. de grat. Chriſti q.5. art.2. dub.1. ad 2. illamque ſequitur Vazq. diſp.7. aſſerit inter ſatisfacientẽ, & eum cui fit ſatisfactio requiri realẽ diſtinctionem non ſolũ naturarum, & voluntatũ, ſed etiam ſuppoſitorũ, & propterea ſatisfactionem Chriſti non fuiſſe exhibitam ipſi Verbo diuino, ſed ſolum Patri, & Spiritui ſancto.

Cuius fundamentũ eſt, quia hoc conuincit ratio, qua vtitur D.Th. in prællegato, art.2. qu.58. nimirum quia actiones ſunt ſuppoſitorũ, ſed actio iuſtitiæ eſt ab vno ad alterũ: ergo ab vno ſuppoſito, ad alterũ ſuppoſitũ, ac proinde requirit alteritatẽ in ſuppoſitis. Altera verò ſentẽtia eſt Aluertini corol. 17. & 18. aſſerentis ad ſatisfactionẽ ex iuſtitia nõ requiri alteritatẽ realẽ in ſuppoſitis, ſiue in naturis, & volũtatibus, ſed ſufficere ſolã moralẽ diſtinctionẽ eiuſdẽ perſonæ, qui ſubeſt diſtinctis iuribus, ac dominijs, quod probat in tribus caſibus. Primus eſt, quãdo tutor gerens vicẽ pupilli ex bonis pupilli, ſibi vt creditori reſtituit, quod in conſeruãda hæreditate, vel in defendẽdo litẽ pupilli conſumpſerat. Secundus eſt quãdo pręlatus, vt perſona particularis ſe infamãs, poſtea ſibi vt perſonæ publicæ famã reſtituit. Tertius eſt quando quis propria auctoritate accipit rẽ ſuã, vel æſtimationẽ eius ab iniuſto detẽtore quod licitũ eſſe dũmodo, neque officio iudicis, neque alia via poſsit illã recuperare, & recuperatio fiat, abſque detrimẽto detẽtoris docent Nauarr. in Manu. c.17. n.12. Couarr. lib.2. var. c.2. Soto lib.5. de iuſtit. q.3. a.1. & Azor p.3. li.5. c.15. In omnibus his caſibus reſtitutio, ſiue ſatisfactio eſt actus iuſtitię, eo quod eſt actus honeſtus, ac proinde alicuius virtutis, & nõ niſi iuſtitię vt inductione facile probari poteſt: & tamẽ fit eiuſdẽ perſonæ ad ſe ipſam in eadem natura quatenus ſubeſt diſtinctis iuribus, ſiue dominijs: ergo.

Sed noſtra cõcluſio defenditur à Vincent. vbi ſupra Bañez 2.2. qu.58. art.2. ab Aluarez hic diſp.5. Suar. diſput.4. ſect.5. Peſant. diſp.2. & Nazar. in 3.p. controu. 2. & merito quia ablata diſtinctione reali naturarũ, & voluntatum nequit ſaluari æqualitas, & obligatio eiuſdem ad ſeipſum, quæ tamen ſunt cõditiones ad actũ riguroſæ iuſtitiæ requiſitæ: ergo huiuſmodi realis diſtinctio ſaltẽ quoad naturas, & volũtates requiritur. Quod autem hæc ſufficiat probatur; nam Chriſtus vere ſatisfecit de iuſtitia non ſolum Patri, & Spiritu ſancto, ſed etiã ſibi vt ſuppoſito diuino, & tamẽ in ipſo nõ fuit realis diſtinctio ſuppoſitorũ, ſed tantũ naturarũ, & voluntatũ: ergo. Minor eſt de fide, & maior probatur dupliciter. Tum quia ſatisfactio debet fieri ei qui per ſe primo fuit offenſus, ſed Deus vt cõmunis tribus perſonis quatenus ſũme bonus, & vltimus finis fuit per ſe primo offenſus per peccatũ hominis: ergo illi vt ſic debuit à Chriſto exhiberi ſatisfactio. Tũ etiã quia alias ſequeretur Patrẽ, & Spiritũ ſanctũ propter condignã ſatisfactionẽ ipſis oblatã, & ex iuſtitia remiſiſſe peccatum humano generi, filiũ vero ſolum ex miſericordia ſine vlla ſatisfactione ipſi oblata: cõſequẽs tamen eſt abſurdũ, vtpote cũ opera Triniat. ad extra, de quorũ num. eſt remittere peccatũ hominibus ex iuſtitia, vel ex miſericordia, ſint indiuiſa tribus perſonis: ergo. Ex quibus facile reſpõdetur ad fundamentũ pro prima ſententia, quod illo tantũ cõuincitur realis diſtinctio, quoad naturas, & volũtates, ſecus vero quoad ſupoſita.

Satisfactio in materia iuſtitia vltra æqualitatẽ petit, quod ſit ad alterum in natura.

Ad fundamentum verò pro ſecunda reſpondetur dupliciter. Primo negando maiorẽ: quia ſatisfactio, vel reſtitutio quam quis ſibi exhibet in prędictis caſibus non eſt actus iuſtitiæ, qui nequit eſſe eiuſdem ad ſe ipſum, ſed potius eſt actus charitatis, ad quam pertinet vt vnuſquiſque ſe ipſum ſicut & proximum diligat, ac proinde vt ſibi bona propria recuperet.

Reſpondetur ſecundo quod huiuſmodi ſatisfactio, ſiue reſtitutio in prædictis caſibus vere eſt actus iuſtitiæ non quidem per ordinem ad ipſum, cui exhibetur, ſed per ordinem ad alterum. Quod ſic oſtendo in primo namque caſu tutor ſeruans ſe indemnem aſſumptibus quos fecerat pro conſeruanda hæreditate, vel tuēda lite pupili exercet actum iuſtitiæ per ordinem ad pupilum reducens eum ad debitam æqualitatem, vt non plus habeat, quam debebat habere.

Deinde in ſecundo caſu Prælatus reſtituens ſibi famam exercet actum iuſtitiæ non quidem per ordinem ad ſe ipſum, ſed per ordinem ad communitatem, & ſubditos, quibus ex iuſtitia commutatiua tenetur ſuam famam illæſam tueri, & ſemel læſam reparare, vt docent Soto libr. 5. de iuſtitia, & iur. quæſt. 10. artic. 2. & Bañez 2. 2. quæſt 62. art. 2. dub. 11. eo quod ſubditi habent ius ad famam ſui prælati, cui iuri ipſe cedere nequit.

Denique in tertio caſu qui accipit rem ſuam ab iniuſto detentore in ordine ad ipſum detentorem exercet actum iuſtitiæ eum re aliena ſpoliando, & ad debitā æqualitatem reducendo: licet enim iuſtitia diffiniatur per ordinem ad actum præcipuum, qui eſt redere vnicuique quod ſuum eſt, tamen quia contraria ad idē genus pertinent & priuatio reducitur ad genus ſui habitus, ad eandem iuſtitiam pertinet etiā ab vnoquoque quod ſuum non eſt auferre legitima auctoritate, cuiuſmodi eſt in iudice, & in perſona priuata ad recuperanda propria bona ex quo illa miniſterio iudicis nequit recuperare.

Necnon quod fiat ex bonis excludētibꝰ gratiā actualē creditoris.

36 *Dico tertio.* Satisfactio rigurosæ iuſtitiæ, ita debet fieri ex bonis nō fundatis in gratia creditoris vt excludat omnem gratiam actualem, & concomitantem creditoris factam perſonæ ſatisfacienti: non tamen debet neceſſario excludere gratiam habitualem, ſiue antecedentē, quę non fuerit collata intuitu ſatisfactionis exhibendæ. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus duas ſententias extreme oppoſitas: alterā aſſerentem ſatisfactionem rigurosæ iuſtitiæ non lædi, etiam ſi fiat ex donis gratuito acceptis à creditore, & fūdatis in gratia actuali illius, ſiue collatis intuitu exhibendi ſatisfactionem ex illis: quam vt probabilem ſuſtinet Vega libr. 7. in Concil. c. 9. Peſant. hic diſp. 2. & Vazq. ſequitur vt verā hic diſp. 8. c. 2. & 3. motus duobus fundamētis: Tū quia gener ex bonis acceptis pro dote, pro debito, alique cōtracto cū ſocero, ipſi de iuſtitia, & ad æqualitatē ſatisfacere poteſt: quę tamē ſatisfactio fit ex bonis gratuito acceptis ab illo cui exhibetur: ergo. Tum etiā quia Chriſtus ſatisfecit ad æqualitatem pro offenſa generis humani, & tamē eius ſatisfactio fuit ex donis gratuito acceptis, & eius humanitati à Deo collatis, ergo huiuſmodi gratia cōcomitans non obſtat æqualitati ſatisfactionis. Alteram vero quorundam Iuniorum aſſerentium ſatisfactionem rigurosę iuſtitiæ debere excludere omnem gratiam creditoris, etiam antecedentem, eo quod opus innitens aliquomodo gratiæ, deficit à perfecto rigore iuſtitiæ. Sed noſtra concluſio defenditur à Caiet. hic & Soto lib. 3. de natura, & gratia c. 6. & in 4. d. 19. q. 1. art. 2. Dur. in 3. d. 20. q. 2. & in 4. d. 15. q. 1. Scoto & Cap. ibid. Medin. C. de pœnit. tract. 3. diſp. 5. c. 1. & alijs.

Ad cuius explicationem ſupponendum eſt gratiam à creditore dupliciter poſſe fieri debitori. Primo modo actualiter, & cōcomitāter, hoc eſt acceptando gratuito eius opus, dū per illud actu ſatisfacit, ac ſi eſſet condignū, cum tamen de ſe condignitatem non habeat, vel elargiendo ei gratis bona eo fine, vt ſibi per ſe, vel per alterum ſatisfaciat. Secundo modo antecedēter, & abſque intuitu ſatisfactionis exhibēdæ, quod contingit quādo creditor cōfert debitori aliquid beneficiū abſolute, in cuius dominio cōſtitutus debitor poſtea ex illo ſatisfactionē æqualem pro iniuria, vel pro debito exhibet creditori: quo ſuppoſito probatur prima pars noſtrę cōcluſionis.

Primo, quia ſatisfactio rigurosæ iuſtitiæ excludit gratiā qui tollit eius intrinſecā æqualitatem, ſed gratia actualis, & cōcomitans tollit illā: ſiquidē idem eſt ſatisfactionem inniti gratiæ actuali, & depēdere ab actuali acceptatione, & fauore: ac proinde nō eſſe de ſe condignam, & æqualem: ergo. Quę ratio amplius cōfirmatur, & declaratur, nam idem eſt ſatisfactionē, ſiue reſtitutionem fieri ex huiuſmodi gratia, atque fieri ex bonis creditoris, ſed quando ſic fit non ſeruatur æqualitas ad iuſtitiā requiſita, quia cum inæqualitas facta ſit per hoc quod aliquid propriū ablatū eſt à creditore, nequit tolli huiuſmodi inæqualitas, niſi bonum ablatū ei reſtituatur: hoc autem nō fit quando dantur creditori bona propria ipſius: ergo.

Secundo, quia ſi aliquis creditor ſciens à Petro, verbi gratia ſibi deberi centum,

tum, eidem, vel alteri tantundem tribuat gratis vt ipſe Petrus, vel alter pro illo ſoluat debitum, idem eſt atque ſi creditor gratis debitum remitteret, ac proinde talis ſolutio non eſſet actus rigoroſæ iuſtitiæ, & non alia ratione, niſi quia fit ex bonis creditoris, & fundatur in gratia actuali ipſius expræſſa, vel implicita: ergo hæc obſtat æqualitati, & iuſtitiæ rigori.

Huic argumento reſpondet Peſantius vbi ſupra in caſu poſito iam bona illa tranſire in dominium debitoris per liberalem condonationem creditoris, & propterea ex illis tanquam ex bonis proprijs æqualem, & iuſtam reſtitutionem exhiberet: ſed hæc ſolutio eſt inſufficiens, quia dum creditor tribuit huiuſmodi bona debitori eo fine vt ex illis ſoluat ipſi debitum non transfert abſolute dominium illorum in debitore, ſed tantũ ſub conditione, vt ſcilicet ex illis ſoluat ipſi debitum, ac proinde huiuſmodi reſtitutio non fit ſimpliciter ex proprijs bonis debitoris, ſed potius ex bonis proprijs creditoris, qui proinde ex vi illius non habet totum quod ex ſuis bonis debebat habere: ergo.

Deinde ſecunda pars probatur, primo quia gratia antecedens, ſiue bona qui debitor accipit antecedẽter à creditore non ſub conditione, vel eo fine, vt ex ipſis reſtituat, vel ſatisfaciat, tranſeunt abſolute in dominium illius, & fiunt ipſius propria: ergo qui reſtituit debitum ex illis, ex bonis proprijs reſtituit, & conſequẽter ſi tãtũ eidẽ ſoluat quantũ debet, ſoluet ad æqualitatem: antecedens patet in caſu quo aliquis à mercatore gratis pecuniam accipiat omnino antecedenter ad ſolutionem debiti faciẽdam eidem mercatori, cui erat aſtrictus, tunc enim illa pecunia gratis accepta abſolute tranſit in dominium debitoris, & fit propria ipſius, ita vt ex illa poſſit eidem mercatori, ſicut & cuilibet alteri ſoluere debitum ad æqualitatem commutatiuę iuſtitiæ, & eadẽ ratio eſt de illo qui ex bonis antecedenter acceptis ab offenſo ſatisfaceret ei pro iniuria; non enim minor æqualitas requiritur inter riguroſam reſtitutionem, & debitum, quam inter condignam ſatisfactionem, & iniuriam cum vtraque ſit æqualitas rei ad rem à iuſtitia commutatiua proueniens.

Secundo, nam homo iuſtus poteſt ſatisfacere *Deo* ad æqualitatem pro peccato veniali, & pro pœnis temporalibus relictis ex mortali, vt tenet probabilior ſententia Theologorum cum Diu. Thom. & quam tuentur Paluda in 4. diſtinct. 16. queſtion. 1. & Richard. diſtinction. 17. quæſtion. 7. articul. 1. eo quod tantum eſt malum ſecundum quid, & propterea poteſt homo iuſtus offerre Deo actũ qui tantum placeat, quantum diſplicuit veniale, vt docent Theologi, cum Diu. Thom. infra quæſtion. 87. articul. 3. & iuſtus, teſtè eodem *Diu.* Thom. 1. 2. quæſtion. 114. art. 3. de condigno promeretur vitam æternã; quia licet huiuſmodi ſatisfactio pro venialibus, & pro pœnis temporalibus, & meritum vitæ æternæ proueniant ex donis gratuito à Deo colatis, ſupponuntur tamen illa antecedenter colata, & iam abſolute in dominium hominis iuſti translata; ergo huiuſmodi gratia antecedenter colata non obſtat æqualitati, aut condignitati ſatisfactionis, & quamuis huiuſmodi actus non ſint à perfecta, & rigoroſa iuſtititia hominis erga Deum (hæc enim non eſt dabilis, vt infra patebit) hoc non prouenit ex defectu conditionis æqualitatis, vel condignitatis, ſed ex alio capite nimirum in ſatisfactione, quidẽ pro venialibus, & pro pœna temporali qui eſt actus virtutis pœnitentiæ, cuius principale munus eſt exhĩbere compenſationem pro mortalibus, & quia in huiuſmodi principali obiecto à quo ſpecificatur deficit à perfecta ratione iuſtitiæ, & æqualitatis, ideò licet in obiecto ſecundario quod eſt compenſare pro peccatis venialibus, & pœnis temporalibus conſtituat æqualitatem nequit ob hoc rationem perfectæ iuſtitię ſortiri, vt notauit Caietan. quęſtion. 85. art. 3. & propterea licet ſolutio decimarum ſit ad ęqualitatem illius quod debetur pro ſuſtẽtatione Sacerdotum tamen non ideo conſtituit propriam iuſtitiam, quia teſte Diu. Thom. 2. 2. quęſtion. 87. eſt actus ſecundarius Religionis, cuius primarius actus, qui eſt redere cultum Deo, non poteſt non defficere ab æqualitate. Neque obſtat quod Concilium Tridentinum ſeſsione ſexta capite vndezimo, vocat remiſsionem venialium beneficium Dei, quia nomine remiſsionis intelligit Concilium gratiam cum auxilio requiſitam per modum actus primi ad ſatisfaciendum pro illis, quam proinde remiſsionem petimus à Deo in oratione dominica dicentes; *Dimitte nobis debita noſtra*, tanquam gratuitum beneficium,

cui non obſtat quod actus ſatisfactorius ab hac gratia, & auxilio procedens de cõdigno aboleat offenſam venialis peccati independenter ab alia Dei extrinſeca acceptatione: in merito autem, teſtè eodem Diu. Thom. quæſtione citat. 114. art. 1. deficit ratio perfectæ iuſtitiæ, quia totum eſſe & bonum hominis eſt ſub actuali dominio Dei, ſicut filius, & ſeruus ſunt ſub actuali dominio parentis, & domini, vnde ſicut nec filij ad patrẽ, & ſerui ad dominũ, ita neque creaturæ ad creatorem poteſt eſſe perfecta iuſtitia, quia non ſunt extrema eiuſdem ordinis: præterquamquod Dominus in remuneratione noſtrorum meritorum non obſtante quod procedunt à gratia ipſius, antecedenter tamen collata, exercet veram rationem iuſtitię diſtributiuæ eminenter ſecluſis imperfectionibus cum quibus in hominibus huiuſmodi iuſtitia reperitur, vt 1. 2. quæſt. vltima art. 3. docuimus.

Ex quibus patet ad fundamenta primæ ſententiæ: ad primum enim dicendum eſt generum nõ accipere dotem vxoris gratuito, ſed ex iuſtitia pro oneribus matrimonij ſuſtentandis, ac proinde ex illis tanquam ex bonis proprijs poſſe ſatisfacere ſocero pro alio debito, tãquam creditori.

Ad ſecundum reſpondetur ſatisfactionem Chriſti non fuiſſe ex donis gratuito collatis ſuppoſito ſatisfacienti, ſed ex donis collatis humanitati quæ non fuit ſatisfaciens, vt quod; ſed vt quo vt dubio ſequenti contra Vazqu. oſtendemus, dum autem gratia creditoris, vel offenſi non fit immediate ſuppoſito ſatisfacienti, vt quod nihil obſtat conditioni perfectæ iuſtitiæ, & æqualitatis.

Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ etiam patet gratiam antecedentem, nõ lædere conditionem iuſtitiæ, & æqualitatis.

Quod debeat ſatisfactio æqualis fieri ex proprijs quæ nõ ſint aliqua ratione ſub dominio creditoris.

38 Dico quarto. Illa conditio quarta, ſcilicet, quod ſatisfactio fiat ex proprijs requiritur ad ſatisfactionem iuſtitiæ; ad hunc ſenſum quod fiat ex bonis quæ ſunt ſub dominio debitoris ſub aliqua ſpeciali ratione, ſub qua non ſunt ſub dominio creditoris.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus duas ſententias; alteram quorundam iuniorum aſſerẽtium ſufficere ad ſatisfactionem ex iuſtitia quod fiat ex proprijs bonis debitoris poſitiue, & non negatiuè, id eſt, cum excluſione dominij creditoris, eo quod ſatisfactio Chriſti fuit de rigore iuſtitiæ, & tamen fuit ex bonis proprijs quæ ſimul erant ſub dominio generali Dei, qui erat creditor, & offenſus, cuius generale dominium nullum donum, aut operatio Chriſti potuit ſubterfugere. Et alteram Vazqu. diſputat. 8. cap. 4. aſſerentis requiri ad rigorem iuſtitiæ quod ſatisfactio fiat ex proprijs bonis debitoris poſitiuè, & negatiuè, id eſt, quæ omnino, & ſub omni ratione ſubterfugiant dominium creditoris: eo quod exiſtimat propterea ſatisfactionem Chriſti non fuiſſe de rigore iuſtitiæ, quia fuit ex bonis, quæ aliquo modo erãt ſub dominio Dei.

Sed noſtra concluſio defenditur à Durando in 3. vbi ſupra Scoto in 4. diſtinction. 15. quæſtion. 1. Diu. Thom. ibidẽ diſtinction. 13. quæſtion. 1. art. 2. & in 3. diſtinction. 1. artic. 2. Valentia, Suarez, & Soto vbi ſupra, & Peſantio hic diſputat. 2.

Et probatur prima pars, quia ſatisfactio, & reſtitutio exhibetur, vt fiat ęqualitas inter deuitorem, & creditorem, ſi autem reſtituatur id quod eſt alias ſub dominio creditoris, non tollitur inæqualitas, vtpote quia creditor non habet totum quod de ſuis bonis debet habere ſi vero reſtitutio fiat ex bonis aliorum, tollitur quidem æqualitas reſpectu creditoris, ſed incurritur reſpectu aliorum à quibus accipitur quod reſtituitur: ergo reſtitutio vt fiat ſecundum rigorem iuſtitiæ debet fieri ex bonis proprijs debitoris, & non creditoris. Et eadem eſt ratio de ſatisfactione pro offenſa quantum ad hoc: licet enim in alijs diſcriminentur, nimirum quod reſtitutio oblati tendit ad hoc vt conſtituat rẽ ſub dominio creditoris, ſatisfactio vero iniurię ad hoc non tendit vt conſtituat actionem ipſam ſatisfaciendi, vel iniuriam ſub dominio offenſi, ſed potius ad hoc quod ei tribuamus honorem oblatum, quod quidẽ poteſt fieri per actionem quę non tranſit in dominium offenſi, & propterea illa nequit fieri, ex bonis quæ aliquo modo antecedenter ſint ſub dominio creditoris: iſta vero bene poteſt fieri ex bonis quæ ſub aliqua ratione cadunt ſub dominio offenſi, maxime quando illud eſt generale. Tamẽ parificantur, in hoc quod ſicut reſtitutio ablati debet fieri ex bonis proprijs debitoris ſubterfugientibus dominium creditoris: ita iſta debet fieri ex bonis proprijs ſatisfa-

tisfa-

Digitized by Google

tisfacientis ſubterfugientibus dominium offenſi ſub illa ratione, ſub qua à ſatisfaciẽte exhibentur.

Secundo probatur, nam nullus actus puri hominis ad Deum facit æqualitatem ex iuſtitia rigoroſa, & non ob aliam rationem, niſi quia fieri debet ex bonis cadentibus ſub ſub dominio Dei: ergo. Maior probatur, quia puri hominis ad Deum non eſt perfecta iuſtitia, ſicut nec ſerui ad dominum, nec filij ad parentes. Et probatur minor, nam propterea teſte D. Thom. vbi ſupra, meritum licet condignum ſit beatitudinis, non eſt actus à perfecta iuſtitia procedens, neque cultus à religione exhibitus Deo poteſt eſſe ad æqualitatem, neque ſatiſfactio exhibita pro offenſa mortali, vt dictum eſt: & quamuis pro venialibus, & pro pœnis temporalibus ſoluat pœnitentia ad æqualitatem, quia tamen hanc non conſtituit reſpectu primatij obiecti; ideò ſimpliciter deficit à ratione iuſtitiæ, & æqualitatis.

Deinde ſecunda pars, ſcilicet quod ad ſatisfactionem pro iniuria ſufficit vt opus ipſum non ſit ſub dominio offenſi ſub illa ratione, ſub qua eſt ſub dominio ſatisfaciẽtis, probatur ex diſcrimine inter reſtitutionem, & ſatisfactionem: ad illam enim requiritur translatio dominij, quia eſt in datis, & acceptis, & ordinatur ad conſtituendam rẽ reſtitutam ſub dominio creditoris. Ad iſtã vero quia eſt in actionibus libertatis ſufficit dominium intrinſecum operis liberi, cuius operans eſt dominus: ac proinde non obſtat æqualitati ſatisfactionis, quod ſit, vel non ſit ſub dominio creditoris, dummodo ſit ſpeciali ratione ſub dominio ſatisfacientis, nimirum quatenus ab illo elicitur libere, & ordinatur in vtilitatem, vel honorem offenſi. Neque valet ſolutio Vazquez vbi ſupra aſſerentis etiam in huiuſmodi ſatisfactionibus debere aliquid trasferri in domonium offenſi, nimirum honorem illum, & ſpiritualem vtilitatem ei prouenientem ex mea ſatisfactione, v. g. illius enim ipſe offenſus ſpirituale dominium adquirit: alioquin non heret ius ad huiuſmodi honorem, reuerentiam, vel vtilitatem: quod tamen eſt falſum: ergo non ſolum in reſtitutione, verum etiam in ſatisfactione interuenit alicuius dominij translatio, licet cũ hoc diſcrimine, quod hoc eſt incorporeum, nec manibus, nec oculis tangibile, aut apprehẽſibile, ſed tantum in iure ad honorem conſiſtit, & ſola animi cogitatione percipitur: illud vero eſt rerum corporalium, & tangibilium.

Non inquam valet, quia licet iſta iura, honoris, famæ, & aliarum rerum incorporalium nõ negemus, tamen ex huiuſmodi iure offenſus, non accipit dominium actionis meæ, qua illi ſatisfacio, cum omnino meæ libertati ſubdatur, neque alterius rei, honor enim, & fama, quæ in aliorum opinione conſiſtunt, ſupra quam nec ipſe offenſus habet dominium, ſed tantum ius illud, vt huiuſmodi bonis extrinſecè afficiatur: quod quidem ius, aliquale dominium poteſt appellari: ex quo fit vt æqualitas ſatisfactionis nõ lædatur per hoc quod ſit, vel non ſit ſub dominio creditoris: quo pacto vt infra dicendum eſt, ſatisfactio Chriſti fuit ſecundum perfectam iuſtitiam, non obſtãte quod fuerit ſub dominio generali Dei offenſi.

Dico quinto: illa quinta conditio, ſcilicet, quod fiat ex aliàs indebitis requiritur in hoc ſenſu ad iuſtam ſatisfactionem quod excludatur debitum, titulo alterius iuſtitiæ particularis, non autem debitum alterius iuſtitiæ, ſiue virtutis generalis. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Vazquiũ diſput. 8. cap. 6. aſſerentem nullatenus ex aliàs debitis poſſe fieri æqualem ſatisfationem: eoquod in vniuerſum impoſſibile eſt duplici debito ſatisfieri vnica ſolutione: ſi enim Petrus deberet Ioanni centum, & haberet equum eiuſdẽ valoris quem etiam deberet Ioanni alio titulo non poſſet redẽdo equum vtroque debito ſatisfacere, ſed neceſſario interuenirec vnius debiti condonatio, & pariformiter ſatisfactio debet eſſe ex non debitis, ideſt ex his quæ alio titulo nõ poſſunt exigi ab offenſo: ergo. *Nec non debet fieri ex indebitis titulo iuſtitiæ particularis.*

Sed noſtra cõcluſio in prædicto ſenſu defenditur ab auctoribus prꝗallegatis, & à Suar. diſp. 7. ſect. 7. à Lorca diſp. 3. & Peſan. diſp. 2. & pro prima parte eſt communiter recepta, & conuincitur argumento facto à Vazquio.

Quod amplius confirmatur, nam ſatisfactio rigoroſa debet eſſe æqualis debito; ſed obſtat eius æqualitati, ſi fiat ex aliàs debitis titulo iuſtitiæ particularis: quando enim concurrunt duo tituli duarum virtutum particularium iuſtitię concurrunt duo debita, ac proinde prætiũ equale vni nequit ambobus exæquari; verbi gratia, ſi quis loco ſacro debeat viginti aureos ex voto, ideſt, titulo religionis, quæ eſt particularis quædam iuſtitia licet potentialis illius pars,

& propter aliquem contractum emptionis debeat eidem loco viginti aureos titulo iuſtitiæ cõmutatiuæ, nõ ſatisfacit ad æqualitatẽ ſoluẽdo ſolũ viginti, quia ibi ſũt duo debita, quæ per pretium vni æquale nequeunt exolui, & exæquari, ac proinde vnica ſolutione viginti aureorum non manebit debitor liber ab vtraque obligatione: ergo.

Deinde ſecunda pars probatur, nã quando debitum ex iuſtitia fit materia obedientiæ, vel religionis, vel miſericordiæ, aut alterius ſimilis virtutis, quæ licet ſit ſpecialis in eſſendo; dicitur tamen generalis in imperando; tunc vnica ſolutione fit ſatis debito vtriuſque virtutis; eoquod ſicut tunc materia iuſtitiæ non ponit in numero cum materia obedientiæ, vel religionis, ita neque debitum, aut obligatio iuſtitię ponit in numero cum debito, & obligatione obediẽtiæ, vel religionis: debitum enim cadit ſupra materiam debitã, & non niſi ad huius multiplicationem multiplicatur: vnde ſiquis voueat non detinere rem alienam; aut ſi habeat præceptum ſuperioris illam reſtituendi: vnica ſolutione ſatisfacit debito iuſtitiæ, & obedientiæ, quia hic non eſt duplex debitum propriè loquendo, ſed tantum eſt duplex obligatio idem debitum reſtituẽdi: & eadẽ ratione, ſiquis extremè indigenti, deberet centum, v.g. titulo emptionis alicuius fundi, eorumdem centum vnica ſolutione vtrique titulo, ſcilicet iuſtitiæ, & miſericordiæ ſatisfaceret: ergo vera eſt ſecunda pars noſtræ concluſionis, quæ in hoc ſenſu eſt intelligenda.

Sed aduerſus illã ſiniſtre intellectam magis liuore contradicendi Franciſco Suarez quam inquiremdi veritatem affectus, inſurgit Vazquez vbi ſupra, dupliciter.

Primo, quia ſi aliquis deberet alicui pio loco centum præciſsè titulo religionis, v.g. ex voto, & eidẽ deberet etiã ex contractu v.g. emptionis centum, non poteſt ſatiſfacere vnica ſolutione vtrique debito, cuius ſignum eſt obligatio remanens: ſi enim ſolueret centum, quæ debet ex voto, adhuc pius locus poteſt arguere in iuditio contra debitorem ad recuperanda alia centum, quę debet ex contractu, & idem dicendum eſt quando aliquid deberetur aliàs ex titulo gratitudinis, vel liberalitatis, &c. ergo falſum eſt dicere quod ſatisfactio in materia iuſtitiæ poteſt eſſe ex aliàs debitis titulo religionis, vel liberalitatis, &c.

Secundo, quia etiam in caſu adducto de illo, qui ſoluit debitum ad quod aliàs tenetur ex obedientiã; & in alio qui adducitur de illo, qui ſoluit debitum extremè indigenti, non fit ſatisfactio vtrique debito vnica ſolutione: in primo quidem, quia ille qui ſoluit debitum, ad quod aliàs tenetur ex obediẽtia nõ debet ſoluere illlud quomodocumque vt ſatisfaciat vtrique titulo, ſed debet habere affectum ſubijciendi ſe voluntati ſuperioris, quod eſt motiuum obediẽtię, ac proinde non vnica, ſed duplici veluti ſolutione ſatisfacit. In ſecũdo vero, quia vel quando creditor eſt in extrema neceſsitate conſtitutus aduenerat terminus præfixus ſolutionis pretij pro fundo, vel nõ dum aduenerat, ſi primum nulla fit illi miſericordia ſiquidem precium illud erat ei debitum, quoad ſubſtantiam, & quoad temporis circunſtantiam: & eo ipſo quod ſoluitur illi debitum ceſſat eius extrema neceſsitas, ac proinde obligatio miſericordiæ in debitore: Si ſecundum, tunc ſolutio fit ex miſericordia, non quidem quoad quantitatem pretij, quæ ei debebatur ex iuſtitia, ſed quoad ad circunſtantiam temporis, in quo fit anticipata ſolutio, quæ ei nõ debebatur ex iuſtitia, vnde ſi tunc non ſolueret debitor ſolum contra miſericordiam peccaret, ac per conſequens non eadem omnino re ſatisfacit vtrique debito.

Ad hæc tamẽ facile reſpondetur, vt potẽ cum ex ſiniſtra intelligẽtia noſtræ concluſionis, & ſententiæ Suarij procedant.

Ad primum quidem admiſſo antecedenti, & conſequenti, nihil infertur contra noſtram concluſionem, quæ tantum procedit de ſatisfactione, quæ fit ex aliàs debitis titulo alicuius virtutis imperantis, cuius materia fit debitum ipſum ex iuſtitia: in caſu autem argumenti debitum religionis, vel gratitudinis eſt ſpeciale, & condiſtinctum omnino à debito iuſtitiæ; & ideò nequit vnica ſolutione ſatisfieri vtrique.

Ad ſecundum reſpodetur; quod cum obedientia ſit generalis virtus in cauſando, ſiue imperando, non poteſt eius motiuũ nõ aſſociari materiæ alterꝰ virtutis; & propterea non petit eius debitum ex parte rei exhibitæ diſtincti pretij ſolutionem, licet petat ex parte operantis peculiarem affectum ſubiectionis: quinimo cũ finis præcepti, nõ cadat ſub præcepto ſecundum veriorem ſententiam, quam tuetur D. Thom. pluribus in locis præſertim 1. 2. quæſt. 100 art. 1. in corpore, & ad ſecundum, & 2. 2. quæſt. 44 art. 1. ad 1. & in 3. d. 27. q. 3. a. 4. neutiquã affectus ille poteſt præcipi quan-

do

do [illegible] alterius virtutis eſt materia præcepti: & ſimiliter in ſecundo caſu de anticipata illa ſolutione, quæ fit extremè indigenti dicendum eſt, quod circunſtantia temporis non auget pretij quantitatem; & ideò non obſtat quominus eadē ſit quātitas rei, qua debitor ille ſatisfacit debito iuſtitiæ, & miſericordiæ.

39 Dico vltimo. Ad ſatisfactionem in materia iuſtitiæ conſtituendam, nō requiritur quod creditor actu poſitiuo teneatur illam acceptare, ſed negatiuè ad hūc ſenſū, quod iuſte non poſsit aliam exigere, & ſic intelligenda eſt ſexta conditio. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus ſententiā quorundam Theologorum, qui dicunt æqualitati, & rigori iuſtæ ſatisfactionis, non obſtare quod offenſus poſsit illā reſpuere, de quorum numero ſunt Vega in concil. lib. 7. cap. 9. & Vazq. diſp. 9. cap. 4. & Suar. opuſc. de iuſtitia ſect. 2. num. 12. qui probant ſuam ſententiam tripliciter.

Primo arguit Vega, quia ſatisfactio Chriſti fuit iuſta, & æqualis; & tamen Deus potuit illam reſpuere, vel non aceptare, & genus humanum pro offenſa punire, quia ob ſupremum dominiū nullis iuſtitiæ legibus obligatur, ſed eſt liber ab omni obligatione: ergo.

Secundo arguit Vazquius, quod ſatisfactio æqualis, & condigna eſt duplex altera exhibita ab eodem debitore, & altera exhibita ita ab aliquo tertio gerente vicē fideiiuſſoris. Ex quibus prima extinguit debitum independenter à nouo conſenſu creditoris: ſecus vero ſecunda, quia cum creditor habeat ius erga debitorem, vt per ſe ipſum ſatisfaciat, noua quędam gratia eſt creditorem contentum eſſe ſatisfactione alterus, qui non eſt debitor, ac proinde indiget nouo conſenſu, & acceptatione huiuſmodi ſecunda ſatisfactio: ergo. Tertio obijcit Suar. vbi ſupra, quod aliquando cōtingit vt aliquis redat alteri æqualem ſatisfactionem rei debitæ, quam tamen creditor non teneatur acceptare, vel reſpuere poſsit quod probat duobus exemplis: alterum eſt ſiquis furto abſtulit equum alterius, & velit redere pretium æquale: & alterum eſt ſiquis abſtulit honorem alteri per iniuriam, cui vellit ſatisfacere in pecunijs: in neutro caſu tenetur creditor acceptare ſatisfactionē quantumuis æqualem: non in primo, quia creditor habet ius vt ſibi redatur proprius equus in propria ſpecie, ac proinde non tenetur acceptare pretium illius quāuis aliàs ſit æquale: nec in ſecūdo, quia offenſus habet ſimiliter ius vt ſibi reſtituatur honor in bonis eiuſdem ordinis, ac per cōſequens nō tenetur acceptare ſatisfactionem, quæ fit in pæcunijs, quæ ſunt ordinis inferioris: ergo.

40 Sed his nō obſtantibus noſtra concluſio defenditur à Medina, cod. de pœnitentia tract. 3. quæſt. 1. Peſan. diſp. 2. Soto in 4. diſt. 19. quæſt. 1. art. 2. Bonau. in 3. diſt. 20. quæſt. 5. & Valentia hic diſp. 1. pūcto 5. quæſito 5. Et probtur, quia ſi ſatisfactio ſit iuſta neceſſe eſt vt de ſe ſit ſufficiēs tollere omnem inęqualitatem præcedentē, & illam reducere ad æqualitatem, & de facto ita illam tollat, vt nihil poſsit remanere inæqualitatis, ſed nulla remanente inæqualitate, nec in debitore poteſt manere aliqua obligatio, nec in creditore ius ad aliam ſatiſfactionem exigendam: ergo creditor, vel tenetur acceptare huiuſmodi ſatisfactionē, vel condonare debitum; ac per conſequens verum eſt nunquā poſſe creditorem reſpuere æqualem ſatisfactionem, & aliam exigere: licet illam actu poſitiuo acceptare nō teneatur, quia poteſt debitum remitere, & nullam ſatisfactionem exigere, ex quo reſpondetur ad obiectiones aduerſariorum.

Ad primam quidem duplex eſt modus dicendi, Valentia enim ſequens Bonauenturā, & Soto vbi ſupra vult non ſolum Deum, non potuiſſe reſpuere ſatisfactionē Chriſti, verum etiam tanti rigoris iuſtitiæ fuiſſe vt illam teneretur Deus acceptare poſitiuè, vel ex debito iuſtitiæ, vel ex debito fidelitatis orto ex promiſione, & pacto quod Deus cum Chriſto iniuit, vt oblatam ab ipſo pro offenſa hominis iuſtam ſatisfactionem poſsitiuè acceptaret, iuxta illud Iſai. 53. *Si poſuerit animam ſuam videbit ſemen longeuum, &c.* quod ſibi perſuadēt prædicti authores dupliciter. Tū quia indecens eſſet diuinam bonitatem, & iuſtitiam, vt ſuper abundantem à Chriſto oblatam ſatisfactionem Deus non acceptaret, negatiuè ſe habendo contra illam. Tū etiam, quia quòd aliqua ſatisfactio refutetur, vel non acceptetur à creditore prouenit, ex eo quod repreſentatur cum defectu alicuius circunſtantiæ. At ſatisfactio Chriſti ex nulla circunſtantia potuit repreſentari vt reſpuenda, vel vt non acceptanda, ſiquidem habuit omnes conditiones prædictas ſuperabundanter, ad rigorem iuſtæ ſatisfactionis requiſitas: ergo ad eius excellentiam pertinuit vt Deus teneretur poſitiue

Digitized by Google

ne illam acceptare ex obligatione iuſtitiæ, vel fidelitatis.

Sed licet hic modus dicendi probabiliter ſuſtineri poſsit, in dignitatemque ſatisfactionis Chriſti maximè cedere videatur. Verior modus dicendi eſt, quem ſequimur, nimirũ quod ſicut ad iuſtam ſatisfactionem in humanis non requiritur poſitiua aceptatio creditoris, vel offẽſi ex debito ſiue iuſtitiæ, ſiue fidelitatis; ita neque ad iuſtam in Chriſto ſatisfactionẽ ſaluandam pro peccatis hominũ requiritur, quod Deus, actu poſitiuo ex iuſtitia, vel fidelitate teneatur illam acceptare: ſatis eſt quod vt offenſus, & iudex ordinarijs legibus alligatus non poſsit aliam exigere: aut illam reſpuere, ſi aliquã vellit cõpenſationẽ pro iniuria ſibi illata. Dixi notãter vt offenſus, & vt ordinarius iudex: nam ſi conſideretur Deus vt ſupremus Dominus, & abſolutus à legibus ordinarijs, poteſt de potentia abſoluta aliam ſatisfactionem exigere, & oblatam ſibi à Chriſto non acceptare, ſicut & potuit alijs modis humanum genus reparare vt dub. 1. oſtendimus. Neque huic doctrinæ obſtant obiectiones allatæ à Valentia.

Ad primam enim dicendum eſt indecentiam illam tantum ſequi in caſu quo Deus de facto dum ſubeſt legibus ordinarijs iudicis, & offenſi ſatisfactionem Chriſti non acceptaret: ſecus autem in caſu quo ſua vteretur omnipotẽtia ab his legibus, & ab omni decreto, & promiſsione abſoluta.

Et ſimiliter ad ſecundam dicendum eſt, quòd in caſu quo Deus vterètur ſua abſoluta omnipotentia, poteſt Chriſti ſatisfactionem non acceptare, non quidẽ ob defectum alicuius circunſtantiæ, vel ob eius inſufficientiam; ſed ob ſuum liberum modum operandi, & congruentiam quam inueniret diuina prouidentia in alio ordine rerum, in quo alio modo, ideſt ſine vlla ſatisfactione, per gratuitam omnino condonationem, vel per alterius perſonæ ſatisfactionem, vellet humanum genus reparare.

Ad obiectionem principalem negandum eſt antecedens pro ſecunda parte; nam etiam ſatisfactio fideiuſſoris, qui ſpopondit ſe ſatisfacturum pro debitore, abſque nouo cõſenſu creditoris eſt condigna, & extinguit debitum: hæc enim duo ſimul ſtare non poſſunt, ſcilicet vt ſatisfactio ſit æqualis, & quod per ſe ipſam non ſit ſufficiens ad cõſtituendã æqualitatem, & extinguendum debitũ. Præterquã quod in omni fideiuſsione interuenit pactum, ſiue conſenſus inter creditorem, & fideiuſſorem, quo ille acceptat fideiuſſionem, & hic illam ſpondet, hoc tamen non obſtat quominus ſuppoſito huiuſmodi cõſẽſu poſtea exerceatur vera iuſtitia in ſatisfactione exhibita à fideiuſſore, ſi ęqualis ſit, ſiue pro iniuria, ſiue pro alio debito legali: quemadmodũ nec obſtat ęqualitati, & iuſtitiæ cuiuslibet cõtractus, quod prærequiratur voluntas contrahentis ad contractum celebrandum; deffectu enim illius, quantumuis pretium, v, g. pro redimendo captiuo, vel pro emenda re venali ſit æquale nunquam contractus redemptionis vel emptionis celebrabitur; & tamen illa ſuppoſita ſi exhibeatur pretium æquale, vere celebratur ſecundum iuſtitiam, & æqualitatem, quia conſenſus ille non requiritur ad ſuplendam inſufficientiam precij, ſed ex natura contractus, qui nequit fieri, ſine prę-uio conſenſu contrahentium.

Ad tertiam negatur aſſumptum, & ad primum exemplum de illo, qui abſtulit equm dicendũ eſt: dominum equi poſſe ſe habere dupliciter: aut enim non vult illum vendere, ſed ſibi reſtitui, & tunc ſolutio centum aureorum, licet equalis ſit equo ſecundum ſe, non tamen prout hic, & nunc aufertur à vero domino cum iniuria ipſius, qui vult rem ſuã habere in propria ſpecie, & cogitur non habere: aut vult illum vendere per contractum, & tunc æqualis compenſatio fieret per ſolutionem centum aureorũ, quia ceſſat ratio iniuriæ. Ad alterũ vero exemplum de illo, qui eſt læſus in honore dicendum eſt vno ex duobus modis, nimirum quod honor, & fama cum ſint bona ordinis ſuperioris, non poſſunt compenſari ad ęqualitatem per bona inferioris ordinis, iuxta illud prouerb. 22. *Melius eſt nomen bonum, quam diuitiæ multa*, vel quod ſi ſemel admitamus poſſe in tantum augeri bona inferioris ordinis cuiuſmodi ſunt pecuniæ, vt poſsint detrimentum honoris exæquare, tunc compenſatio facta in pecunijs quæ ſecundum prudentem æſtimationem fuerit æqualis, erit ſufficiens conſtituere æqualitatem, & extinguere iniuriam abſq; noua gratia, & acceptatione partis offenſæ.

Secundum modum ſequuntur, Soto lib. 4. de iuſtitia quæſt. 6. art. 3. Ledeſma in 4. p. 2. quæſt. 18. art. 2. dub. 8. & Couarruuias lib. 2. variarum cap. 10. Primum ve

ro

Digitized by Google

ſo ſequũtur alij relati ab Azorio, in quorũ ſententiam, & ipſe videtur inclinare 3. parte ſummæ moralis lib. 5. c. 10.

Dubitatur quinto. An aliqua ex his conditionibus defuerit ſatisfactioni Chriſti, ob quam non fuerit æqualis, vel ſuper abundans pro peccatis hominum?

Expenditur ſtatus quæſtionis, & id in quo doctores cõueniunt.

41 IN Hoc dubio fere omnes Theologi communiunt in vno, & diſcriminantur in alio: communiũt quidem circa quatuor conditiones ex aſsignatis ſeruari in ſatisfactione Chriſti eo modo quo à nobis diffinitum fuit dub. præcedenti illas ſeruari debere in omni ſatisfactione perfecta, & æquali, nimirum quia ſatisfactio Chriſti vere fuit ad alterum alteritate quidem non ſuppoſitorũ, ſed naturarum, & voluntatum, fuit enim exhibita Deo vt offenſo in ſe, cuius natura, & volũtas realiter diſtinguitur à natura, & volũtate creata Chriſti, medijs quibus ſuã exhibuit ſatisfactionem: fuit etiam ex proprijs donis poſitiuè ipſius Chriſti, licet nõ negatiue, eoquod non ſubterfugiebant vniuerſale dominium Dei, niſi ſecundum illã ſpecialem rationẽ, ſub qua ſubdebãtur Chriſto vt ſuppoſito elicienti, ſiue merenti, & ſatisfacienti, ſub qua non attribuebantur Deo vt communi tribus perſonis: fuit etiã ex aliàs indebitis à ſuppoſito, quia ſuppoſitum diuinum filij cum æquale eſſet Patri, & Spiritui ſancto nullius boni, aut gratiæ potuit eſſe debitor: & tandem Deus cui exhibebatur huiuſmodi ſatisfactio non potuit aliam exigere, vt dictum eſt. Cũ itaque omnes Theologi circa has quatuor conditiones conueniant, diſcriminantur circa alias, ſcilicet condignitatis, ſiue æqualitatis, & ex non aceptis, in quatuor ſententias.

Quarum prima negat ſatisfactionẽ Chriſti ex ſe, & ab intrinſeco fuiſſe perfectam, & æqualem pro hominum peccatis, niſi depẽdẽter ab acceptatione Dei offẽſi, ita docent Gabr. in 3. diſt. 19. q. 1. Almai. ibidem, Scot. ibidem quæſt. vnica, Durãd. q. 2. & in 4. diſt. 23. q. 1. & Medina Cõpl. C. de ſatisfactione quæſt. 1. qui probãt ſuã ſententiam tripliciter.

Primo, quia ſatisfactio perfecta, & æqualis ab inſtrinſeco eſt illa, quę offert offenſo tantum bonum, quantũ malum reputatur offenſa independenter ab extrinſeca acceptatione offenſi; ſed ſatisfactio Chriſti non fuit huiuſmodi: ergo. Neque fuit de ſe perfecta, & æqualis pro peccatis hominum. Minor probatur dupliciter. Tum quia de paſsione Chriſti ait Paulus ad Coloſen. 1. *Adimpleo ea, quæ deſſunt paſsionum Chriſti in carne mea pro corpore eius, quod eſt Eccleſia*: & tamẽ ſi eſſet de ſe tantæ, bonitatis, & valoris, quantũ fuit peccatum in ratione offenſæ, & iniuriæ, nihil illi deeſſet implendum: ergo. Tum etiam, quia peccatũ mortale magis diſplicet Deo, quam placeat ſatisfactio Chriſti, & tamen ſi eſſet æqualis de ſe; æqualiter etiam Deo placeret: ergo. Maior patet, quia peccatum diſplicet Deo tantum, quantum ei placet diuina bonitas, eoquod cũ peccatum opponatur priuatiuè dininæ bonitati in ſe, & priuatio alicuius formæ tantum diſpliceat, quantum placet forma oppoſſita, hinc eſt peccatum auertẽs à diuina bonitate tantum ei placere, quantum placet diuina bonitas; quod etiam manifeſtius colligitur ex charitate noſtra, quæ eſt exemplata à diuina, & tanto diligit Deum quanto odit peccatum: illum enim diligit ſuper omnia, & hoc etiam ſuper omnia deteſtatur: ergo, & diuina, ac increata charitas quanto diligit diuinam bonitatem tanto odit peccatum.

Secundo, nam valor ſatisfactorius, ſiue meritorius operum Chriſti non potuit eſſe ſimpliciter infinitus: ſed valor citra finitum, nequit exæquare offenſam peccati mortalis, ſiue quia hæc eſt infinita ſimpliciter, & ab intrinſeco, vt oſtendimus dub. 3. ſiue quia eſt ordinis ſuperioris, vt volunt iſti Authores cum alijs, quos ibidem retulimus: ergo ſatisfactio Chriſti non fuit ſecũdum ſe, & ex natura rei independenter ab extrinſeca Dei acceptatione æqualis pro offenſa humani generis. Maior probatur, ex triplici inconuenienti.

Primum eſt, quod Chriſtus magis meruiſſet quam Deus per ſuam omnipotentiam

tiam

tiam poſsit remunerare; ac proinde iniuria fuiſſet à Deo illata meritis, & ſatisfactioni Chriſti ſiquidem meruiſſet præmium infinitum, quod correſpondet merito infiniti valoris: quod Deus creare non poteſt: quod tamen abſurdum eſt, quia facit Deum iniuſtum remuneratorem.

Secundum eſt, quod nullum opus Chriſti fuiſſet, aut potuiſſet eſſe maioris valoris quam aliud ſiquidem omnia fuerunt infiniti valoris, & infinito in actu nequit dari maius: quod tamen eſſe falſũ patet, quia opus Charitatis in Chriſto fuit maioris bonitatis etiã moralis, ac proinde etiã valoris meritorij, & ſatisfatorij, quam opera aliarum virtutum: valor enim iſte moralis creſcit iuxta menſuram bonitatis actus, cui proportionatur, & in qua fundatur.

Tertium eſt, quod omnia opera Chriſti meritoria, & ſatisfatoria gauderent vnico, & eodem valore, ac proinde tantum eſſent vnum in ratione meriti, & ſatisfactionis: ſiquidem infinitum in actu intra idem genus cuiuſmodi eſſet prædictus valor nequit numero multiplicari, vel ſpecie; & etiã quia cum iſte valor non ſumatur ex natura humana Chriſti, aut ex donis gratiæ ipſius, quæ finita ſunt, ſed tantum ex perſonę infinita dignitate, quæ vnica numero eſt, quod tamen non eſt dicendum: ergo.

Tertio arguitur argumento *Durandi*, quia ex duplici capite, non potuit Chriſtus reddere æquiualens pro offenſis humani generis. Tum, quia non potuit reddere æquiualens pro beneficijs ab eius humanitate receptis: ergo multo minus pro offenſis aliorum hominum. Conſequentia patet à paritate rationis: & quia debitum offenſæ non eſt minus, quam debitum beneficij in humanitate aſſumpta recepti. Antecedens autem probatur, quia Chriſtus in humanitate accepit gratuito à Deo Patre naturam, & gratiam: Dijs autem, & parentibus, teſte Ariſt. 8. Ethycorum cap. 13. nõ poſſumus reddere æquiualens pro beneficijs acceptis. Tum etiam, quia ſatisfactio Chriſti facta fuit ex huiuſmodi bonis gratuito acceptis, & aliàs debitis: multis enim titulis poterat illã exigere à Chriſto vt homine: nã poterrat illã exigere titulo obediẽtiæ, quia ex præcepto erat ei mors debita, & in ſacrificium titulo Religionis, & titulo gratitudinis, atque creationis, vt author vitæ, & mortis tanquam ſupremus Dominus: quod tamen obſtat æqualitati ſatisfactionis, quia ſatisfactio, quæ ſecundum ſe totam eſt debita alijs titulis diſtinctis ab offenſa, non poteſt eſſe æquale pretiũ pro offenſę debito.

Secunda ſententia eſt, quam ſequũtur Suarius hic diſp. 4. ſect. 5. & in relectione de iuſtitia Dei ſect. 2. num. 51. & Lorca diſput. 8. aſſerentes ſatisfactionem Chriſti fuiſſe quidem ęqualem de ſe pro offenſa, non tamen fuiſſe completam, & perfectam independenter à promiſsione onerosa Dei obligantis ſe de iuſtitia illam acceptare, bene tamen dependenter ab huiuſmodi promiſsione, & pacto fuiſſe complete dignam.

42 Qui ſuam ſententiam probat. Tum argumento primo & tertio adductis pro primã ſententia: quatenus & illis conuincitur ſatisfactionem Chriſti ſecundum ſe excluſa omni promiſsione, & pacto non habere condignitatem æqualem ſiue completã cũ offenſis humani generis. Tum etiam alijs tribus argumentis ſpecialibus.

Primo quaſi à ſigno, & à poſteriori, nam opera Chriſti ex ſe habuerunt valorẽ infinitum, ac proindè ſufficientem ad promerendum premium infinitum, & ad ſatiſfaciendum pro peccatis Dæmonum, atque ad promerendam alterius naturæ creatæ vnionem hypoſtaticam; & tandem ſingula illorum, abſque paſsione, & morte fuerunt ſufficientia noſtram ſalutem operari: & tamen nihil horum contigit de facto ob defectum dumtaxat diuinæ ordinationis: ergo præter dignitatem operum Chriſti neceſſaria fuit diuina ordinatio, atque promiſsio ad complendã rationem meriti de condigno, & ſatisfactionis. Mai. eſt certa, & minor probatur, quia ex ordinatione Dei tantum debetur operibus Chriſti merces, & præmium finitum quod Deus pro illis promiſsit. Deinde quod Chriſtus non ſatisfecerit pro dæmonibus non prouenit ex inſufficientia meritorũ Chriſti: ſed quia Deus non ordinauit illa ad reparationem dæmonum, ſi enim illa ſic ordinaſſet reuera ſatisfeciſſet pro eis. Neque propterea in tali caſu paſsio Chriſti haberet aliquid amplius valoris quã nũc habet; ſed per ſolã ſuperaditam Dei ordinationem fieret perfecta redemptio, & ſatisfactio; & ſimiliter ſi ordinaretur paſsio Chriſti ad promerendam alterius naturæ vnionem hypoſtaticam, illam tanquam mercedem ſibi debitam promereretur: & tandem ſi Deus ordinaret per opera Chriſti antecedentia eius paſsionem, & mortem, pro illa vt ſic vtpotè cum eſſent valoris infiniti noſtram redem-

ptio

ptionem conſummaret: quam tamen de facto Deus ordinauit non niſi in morte ipſa Chriſti conſumare, ob quam rationem dicitur nos per Chriſti mortem eſſe redemptio; & Chriſtum vna oblatione conſumaſſe omnia: ergo.

Secundo, quia hoc verſatur diſcrimen inter ſatisfactionem quæ fit pro pecunia debita, & ſatisfactionem quæ fit pro iniuria, quod illa poteſt eſſe perfecta, quamuis non exhibeatur à debitore, ſed ab alio ſcilicet à fideiuſſore. Hæc vero cum poſſit exigi ab ipſo debitore non poteſt eſſe perfecta quando exhibetur ab alio, niſi interueniente pacto, & conſenſu perſonæ offenſę: quamdiu enim offenſor non retractat ſuam propriam voluntatem manet iniuria integra, & lęſus honor offenſi in ęſtimatione offenſoris, in cuius perſona propria dicitur, Pſalm. 68. *Quæ non rapui tunc exoluebam*: ergo ad ſui perfectionem, & cõplementum indiguit pacto, & diuina ordinatione.

Tertio probatur ratione, quã prędicti Auctores vocant à priori, & deſumitur ex duobus locis Diu. Thom. nimirum ex prima ſecundæ, quæſt. 114, art. 4. vbi aſſerit, requiri ordinationem Dei ordinantis mærita noſtra ad præmium, vt perfectè & de condigno illud promereantur, & 1. part. quæſt. 21. art. 3. ad 4. dicit Deum ſecluſa promiſsione non poſſe conſtitui debitorem, bene autem poſita illa.

Ex quibus ſic argumentãtur; ad hoc vt ſatisfactio, vel ratio meriti ſit completa requiritur, vt qui ſatisfacit, vel mæretur, habeat ius ad hoc vt ſibi reddatur merces, vel præmium ex iuſtitia, & ex illa teneatur offenſus ſatisfactionem, & remunerator mæritum acceptare, ſed ſecluſa promiſſione aut pacto Deus non tenebatur Chriſti ſatisfactionẽ acceptare, aut eius mæritũ remunerare: ergo.

43 Tertia ſententia eſt Vazqu. diſputatione citata per totam, maxime capit. 5. aſſerentis Chriſti ſatisfactionẽ fuiſſe æqualis, imò & ſuperabundantis valoris in ratione męriti: ſecus autem in ratione ſatisfactionis, ſeu in materia iuſtitiæ, quod perſuadet dupliciter.

Primo, quia meritum in ratione mæriti non opportet quod ſit in materia iuſtitiæ riguroſæ: eo quod quantumuis cõdignum ſit apud Deum; ſit tamen ex gratia Dei, & ex bonis quę manent ſub dominio ipſius Dei, quæ conditiones obſtant conditionibus iuſtitiæ riguroſæ: ſatisfactio autem ęqualis proprie ſumpta eſſe debet actus iuſtitiæ commutatiuę in reſarciẽdis iniurijs ad æqualitatem: ſed Chriſti ſatisfactio non fuit actus iuſtitiæ cõmutatiuæ, vt ex dicendis ſupponitur: ergo neque fuerunt eius actus æqualis valoris in ratione ſatisfactionis: quia vbi duæ rationes ſunt per ſe connexæ, deficiente vna, deeſſe alteram eſt neceſſe: ergo cum ratio ſatisfactionis æqualis, & ratio iuſtitiæ commutatiuę ſint per ſe connexæ, ſecluſa hac ab actibus Chriſti Domini; illa quoque ſęcludi debet, maior admittitur ab illis. Minor verò probatur, quia deſſunt illi omnes cõditiones aſsignatæ quæ ad ſatisfactionem de rigore iuſtitiæ requiruntur; quod probat per ſingulas diſcurrendo.

Prima enim, quod ſit ad alterum deficit; Chriſtus enim non ſolum Patri, ſed etiam ſibi ſatisfecit, ac proinde inter ipſum, vt ſatisfacientem, & vt eum cui fit ſatisfactio, non reperitur diſtinctio realis ad iuſtitiam requiſita. Neque ſufficit diſtinctio ſecundum naturam, & voluntatem, quia etiam Chriſtus ſatisfecit ſibi pro peccato crucifigentium eum contra eius humanitatem commiſſum: ergo ſecundum eandem naturam fuit offenſus, & ſatisfaciens.

Deinde de alia conditione æqualitatis, tertia, & quarta; ſcilicet quod debeat eſſe ex bonis proprijs, & non acceptis à creditore, & aliàs indebitis; id ipſum conuincitur ſufficienter argumentis factis pro ſecũda ſententia.

Denique de quinta probatur, quod Deus ſecluſa promiſsione non tenebatur acceptare Chriſti ſatisfactionem, vel illam remunerare cum ſit incapax obligationis, & debiti legalis ad rationem propriæ iuſtitiæ requiſitæ: ex promiſsione autem non contraxit Deus debitum iuſtitiæ, ſed tantum fidelitatis, quia licet inter homines ex promiſsione facta alteri homini, & ab illo acceptata nedum fidelitatis, ſed etiam iuſtitiæ reſultet obligatio: ſecus autem ex promiſsione facta inter Deũ & homines, quia nulla promiſsio etiam acceptata inducit obligationem iuſtitiæ, niſi fiat inter extrema, quæ alias ſecluſſa ipſa promiſsione ſint capacia, obligationis iuſtitię: vnde ſi dominus promittat veſtem ſeruo manente in ſeruitute, tenebitur quidem ex fidelitate, aut religione, non tamen ex iuſtitia: ergo.

Secun-

Secundo, quia Chriſtus ſatisfecit vt inferior: inferioris autem ad ſuperiorem nequit eſſe æqualitas iuſtitiæ: ergo. Minor probatur, quia teſte D. Thom. 1.2. quæſt. 114. art. 1. ſerui ad dominum, vxoris ad virum, & creaturæ ad Creatorem, non poteſt eſſe vera ratio iuſtitiæ.

Maior autem probatur dupliciter, quia Chriſtus ſatisfecit vt ſeruus, verè enim fuit ſeruus Dei ſecundum humanitatem, ſecundum quam habebat veram relationem ſubiectionis, & ſeruitutis reſpectu Dei, ob quā dicitur in perſona Patris ad ipſum Iſai. 41. *Seruus meus es tu, elegi te, & non abieci te, &c.* & cap. 42. ſubditur: *Ecce ſeruus meus ſuſcipiā eum, electus meus complacuit ſibi in illo anima meā*: quem locum ipſe Chriſtus de ſe ipſo intelligendum eſſe dixit Matth. 12. ſatiſfecit autem vt homo, ſiquidem vt Deus erat offenſus, & cui fiebat ſatisfactio: ergo. Tum etiam, quia Chriſtus in quantum ſatiſfaciens erat filius Dei naturalis per vnionē hypoſtaticam: ergo non erat ſui iuris, ſiquidem non magis inter ipſum, & Deum poterat eſſe iuſtitia quam inter patrem, & filium ſub patris poteſtate conſtitutum, inter quos vt ſic iuſtitia nequit eſſe, eo quod filiꝰ non eſt ſui iuris, dum eſt ſub patris poteſtate conſtitutus. Neque propterea Chriſtus debet dici eſſe ſui iuris, quia libere ſuas operationes meritorias, & ſatisfactorias exercebat: ſic enim, & ſeruus, & filius in humanis eſſent ſui iuris: vterq; enim libere ſuas operationes exercet. Quod tamen proculdubio eſt falſum, quia ob ſubiectionem ſerui ad dominum, & filij ad parentem, neuter eſt ſui iuris: ergo neque Chriſtus ob ſimilē ſubiectionem.

Quarta ſententia aſſerit ſatisfactionem Chriſti, tàm in ratione meriti, quam in ratione ſatisfactionis eſſe de ſe, & excluſo omni extrinſeco pacto, atque promiſsione, nedum perfectam, ſiue æqualem, ſed ſuperabundantem pro omnibus peccatis totius generis humani, quam docet Diuus Thomas in hoc art. ad 2. & infra quæſt. 7. art. 10 & quæſt. 48. art. 2. in 3. diſt. 20. q. 1. art. 1. & quotlibeto 2. art. 2. Marſili. ibidē q. 12. Bonau. art. 2. quæſt. 3. Soto lib. 3. de natura & gratia cap. 6. Valent. diſp. 1. punct. 5. quæſito 4. Albar. diſp. 4. Peſantius diſp. 5. & Nazar. 1. p. cont. 2. & alij quos late refert Vazquius diſp. 5. cap. 2. & quia hæc eſt legitima ſententia D. Thom. Pro eius explicatione.

44 Dico primo. Satisfactio Chriſti Domini de ſe, & ab intrinſeco fuit ex natura rei condigna, ſiue æqualis, imò & ſuperabundans pro omnibus peccatis totius generis humani, & pœnis illis debitis.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus authores primæ ſentētiæ. Et probatur primo quoad vtranque partem ex teſtimonijs Scripturæ, in quibus huiuſmodi condignꝰ & ſuprabundans valor ſatisfactorius operibus Chriſti, præcipuè eius paſsioni attribuitur: de qua propterea dicitur Pſal. 129. *Copioſa apud Deum redemptio*: & Iob 6. in perſona Chriſti inquit: *Vtinam apenderentur peccata mea, & calamitas, quam patior in ſtatera, quaſi arena maris hæc grauior appareret, &c.* Vbi peccata ſua appellat Chriſtus peccata ſui corporis miſtici, ideſt populi, ſiue Eccleſiæ, per regulā primā Thiconij inter ſeptem adductas ab Auguſtino lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 31. tom. 3. ſecundum quam actiones vnius membri miſtici, ſiue corporis attribuūtur capiti, & ecōtra: iuxta quam Pſalm. 21. dicitur in perſona Chriſti: *Longe à ſalute mea verba delictorum meorum*, ideſt fidelium: & Actorū 9. Chriſtꝰ dixit ad Paulū, *quid me perſequeris?* attribuendo ſibi perſecutionem quam Paulus inferebat ſuis fidelibus. Et omniū hominum peccatis appenſis, inquit Chriſtus in præfato teſtimonio Iob ſuam paſsionem præpōderari, & 1. ad Cor. 6 *Empti eſtis pretio magno*, & propterea etiā appellatur ſāguis Chriſti pretiū. 1. Petri 1. & ad Hebr. 5. dicitur de Chriſto, *quod exanditus eſt pro ſua reuerētia*, ideſt pro ſua dignitate. Vt ex Græcis Patribus, Chriſoſtomus, Theophilactus, & Euchumenius ibidē, & ex Latinis, Ambroſ. lib. 6. de incarnatione cap. 6. interpretantur, & ibidem probat Paulus exceſſum Sacerdotij Chriſti ſupra Sacerdotiū antiquū, quia Chriſtꝰ cōſūmauit redēptionē vnica dūtaxat oblatione quaſi cōdigna, & ſuperabūdāti: & c. 10. proſequēs idē diſcrimē ait, Chriſtū ſe obtuliſſe pro peccatis hominū, quod nō potuerūt antiqua ſacrificia, & ad Ro. 5. hoc ipſū habetur expreſsiꝰ, dū dicitur: *non ſicut delictum, ita & donum, ſi enim vniꝰ delicto mortui multi ſunt, multo magis gratia vnius hominis Chriſti in plures abundauit*, ideſt in multos, hic enim ſumitur comparatiuū pro poſitiuo iuxta morē Scripturę, & fit ſenſus quod gratia Chriſti potentior eſt ad ſanandum homines à peccatis, quam fuerit peccatum Adami ad nocendum illis. Neque huic obſtat quod peccatum Adami omnes homines infecerit; non tamen omnibꝰ

profuſ

profuerit efficaciter gratia Chriſti, quia quoad ſufficiētiam omnibus profuit quātū eſt de ſe: quod autem nō profuerit omnib⁹ quantum ad efficatiam non fuit defectus ſatisfactionis Chriſti, ſed defectus proprię voluntatis, ſicut enim ad contrahendū peccatum Adami neceſſarium eſt ab illo naſci, ita etiam ad participandam gratiam Chriſti neceſſarium eſt renaſci ab illo per baptiſmum, aut per gratiam collatam extra Sacramentum, cuius receptio ſine propria diſpoſitione non fit: & licet de pœnis non fiat expreſsè ſermo in his teſtimonijs, nihilominus quia non eſſet perfecta redemptio, & liberatio à culpis, ſi maneret reatus alicuius pœnæ, propterea etiam de remiſsione pœnarum intelligenda ſunt.

Secundo probatur ex teſtimonijs Conciliorum, & ſanctorum Patrum id ipſum atteſtantium, quæ fuſſe recenſet Vazquius diſp. 5. cap. 3. nam propterea in Concilio Triburienſi cap. 19. dum redditur cauſa vſus Eccleſiæ, ſecundum quem modiciſsima aqua vino conſecrando admiſcetur, dicitur id fieri ad ſignificandum maiorē eſſe virtutem ſatisfactionis, & ſanguinis Chriſti quam fragilitatem toſius generis humani. Et in Concil. Trindent. eſt diffinita hęc veritas quātū adhoc quod ſatisfecerit Chriſtus ad æqualitatem pro peccatis hominum & pro pœnis temporalibus, multis in locis, ſcilicet in ſeſsion. 5. decreto de peccato originali, dum dicitur peccatum originale tolli à nobis per meritum Chriſti, qui factus eſt pro nobis iuſticia ſanctificatio, & redemptio: & ſeſs. 6. decreto de iuſtificatione cap. 2. 3. 7 & 14. dum dicitur, quod cauſa meritoria noſtræ iuſtificationis eſt Chriſtus, qui pro omnib⁹ noſtris peccatis ſatisfecit: & ſeſs. 14. cap. 8. dum dicitur, noſtris ſatisfactionibus non obſcurari, aut minui vim ſatisfactionis Chriſti in ordine ad pœnas temporales noſtris peccatis debitas: & Clem. 6. in extrauag *Vnigenitus*, de pœnitentijs, & remiſsionibus, ſic habet: *Timendum non eſt vt theſaurus Eccleſiæ deficiat, quia in eo continentur merita Chriſti infinita, quæ deficere non poſſunt.* Et ſtatim ſubditur filium Dei voluiſſe ſibi vnire humanitatem, vt poſſet pro peccatis ſatisfacere, & vnam gutam ſanguinis propter vnionem cum Verbo ſuffeciſſe pro redemptione totius generis humani. Fauent Chriſoſtom⁹ homil. 10. ſuper epiſtol. ad Roman. Anſelmus libr. 2. *Cur Deus homo*, cap. 14. Leo Papa ſerm. 1. de Natiuitate, Cirylus lib. 1. de fide ad Reginas, Nazianzen. oratione 44. Auguſt. de ſpiritu, & lit. cap. 6. & Athanaſius de Chriſti humanitate, qui omnes aſſerunt vnam gutā ſanguinis Chriſti ſufficere pro omnibus peccatis noſtris, eiuſque meritum, & ſatisfactionem infiniti, ac ſuperabundantis valoris fuiſſe propter infinitam diuini ſuppoſiti dignitatem.

Neque propterea noſtræ concluſionis ſecunda pars eſt de fide, ſicut prima, quia in prædictis teſtimonijs, neque expreſsè habetur, neque diffinitur opera Chriſti habere ſecundum ſe, & ab intrinſeco ex natura rei, huiuſmodi valorem ſuperabundantem, & infinitum: neque Clemens ſextus illud de infinitate meritorum Chriſti, dixit diffiniendo, ſed aducendo pro ratione ſuæ aſſertionis: eſt tamen conformior prædictis teſtimonijs, ac modo loquendi ſacræ Scripturæ Conciliorum, & Patrum, ac proinde à temeritatis nota non eſt prima ſententia excuſanda.

Tertio probatur ratione deſumpta ex prædictis Patrum teſtimonijs ad hanc formam reducta: ſatisfactio Chriſti Domini fuit valoris infiniti deſumpti ex infinita dignitate perſonæ ſatisfacientis, quæ dignificabat opera ſua, ea excellentia ad quam non potuit pertingere grauitas omnium peccatorum, & pœnarum quæ ipſis erant debitæ: ergo fuit nedum æqualis, ſed etiam ſuperabundans pro omnibus offenſis humani generis, & pœnis ipſis debitis. Conſequentia eſt nota: & antecedēs probatur, declarando ſingulas partes. Quarum prima, ſcilicet quod ſatisfactio Chriſti fuerit infiniti valoris, patet dupliciter.

Tum à poſteriori, quia ſi finiti valoris eſſet iure optimo poſſet timeri ne multitudine, & grauitate peccatorum, & pœnarum theſaurus meritorū Chriſti exhauriretur. Cuius tamen oppoſitum dicitur in prædictis teſtimonijs: ergo huiuſmodi valor eſt infinitus. Conſequentia patet, nam ex eo Theologi colligunt omnipotentiā Dei eſſe infinitā, quia eſt in exhauribilis, ſiquidē poſita quacūq; creatura poteſt aliā, & aliā perfectiorē producere, & ex eo Phiſici colligūt continuū eſſe diuiſibile in infinitum, quia nunquam diuiſione exhauriri poteſt: ergo ſi theſaurus ſatisfactionis Chriſti eſt inexhauribilis, vt Clemens VI. & prædicti Patres aſſerebant, ſigum eſt eius valorem eſſe infinitum, quia eadem eſt ratio in vtroque.

Tum etiam ratione à priori, nam ſatisfactio creſcit in valore ex dignitate offerentis, quæ ſe habet non tantum concõmitanter, ſed per ſe vt materia oblata, ſicut offenſa creſcit ex dignitate perſonæ, cui irrogatur, vnde ſecundum prudentem æſtimationem genuflexio Regis, v.g. alicui exhibita in ſatisfactionem pluris æſtimatur quã ſi à perſona inferiori exhiberetur, quia inter cæteras circunſtantias actus moralis in ratione meriti ſiue ſatisfactionis potiſsima eſt perſona, quæ meretur, vel ſatisfacit, cuius dignitas tantæ efficatiæ eſt ad dignificãdum opus meritorium, ſiue ſatisfactorium, vt actus aliàs ſupernaturalis, & verſans circa obiectum infinitũ, abſque dignitate perſonæ operantis nulliꝰ valoris ſit apud Deũ in ratione meriti, ſiue ſatiafactionis, quod patet in actibus fidei, ſpei, & timoris ſupernaturalis, qui quamuis ſint de obiecto infinito quod eſt Deus nõ efficiuntur meritorij de condigno vitæ æternæ, imò nec ſatiſfactorij pro offenſa, vel reatu pœnę temporalis, niſi quatenꝰ ſiũt ab homine iuſto per gratiam adoptionis dignificato. Cõſtat autem dignitatem perſonæ in Chriſto eſſe infinitam, quia eſt ipſa perſona diuina Verbi includens infinitam perfectionem Deitatis, & etiam conſtat ſanctitatem, ſiue gratiam perſonalem collatam humanitati Chriſti eſſe infinitã, quia eſt ipſa diuina perſona Verbi terminans humanitatem, in quo ſenſu D. Thom. quæſt. ſequẽti art. 11. dicit, gratiam vnionis eſſe infinitam, quia per huiuſmodi vnionem hypoſtaticam cõmunicauit Verbum diuinum humanitati aſſumptæ ſuam met Deitatem, & perſonalitatem infinitæ dignitatis, à qua proinde opera Chriſti Domini meritoria, & ſatisfactoria infinitũ valorem acceperunt.

Deinde ſecunda pars, ſcilicet, quod huiuſmodi infinitꝰ valor fuerit maioris excellentiæ quam grauitas omnium peccatorum, & pœnarum patet. Nã infinitas peccatorum deſumitur, vt dictum eſt ex obiecto infinito, quod moraliter reſpiciunt peccata in ratione offenſæ: infinitas autem pœnæ tantum poteſt eſſe ſecundum quid, quia vel ſumitur ex duratione, & perpetuitate, vel ex eo quod eſt carentia boni infiniti: infinitas autem valoris operum Chriſti deſumitur ex dignitate perſonę ſatisfacientis, quæ non tantum ſe habet, vt principium extrinſecũ, & veluti effectus, ſed etiã vt materia oblata per ſuos actus, quatenus ſunt humiliationis, & ſubiectionis, ſiquidem humiliatur per illos, & ſubijcitur ipſa perſona, ac proinde illa pertinet ad ſatisfactionem, vt materia oblata, & per modum intrinſeci conotati, ex quo fit vt ſatisfactio Chriſti, nõ ſolum ſit infinita obiectiuè, hoc eſt ex parte rei oblata, ſed etiã formaliter, & intrinſece in ratione oblationis per infinitatẽ ſuæ perſonæ, quod ſic oſtẽdo: opera Chriſti ſatisfactoria, non ſolum ſunt infinita, quia in illis oblata fuit Deo res infinita, alioquin quando Beata Virgo, & Simeon obtulerũt in Templo perſonam Chriſti infinitam, illorum actio eſſet infiniti valoris, ac proinde ex vi illius poſſent de condigno ſatisfacere pro culpis humani generis, quod non eſt dicẽdũ: & ſimiliter neque dicẽdũ eſt, quod actio qua Sacerdos in Sacrificio Miſſæ offert Chriſtum Deo ſit infiniti valoris: eo quod perſona Chriſti oblata Deo, comparatur extrinſece dumtaxat ad huiuſmodi actiones, ac proinde non tribuit illis totum ſuum valorem, niſi tantum ſecundum menſuram voluntatis offerentis: fuerunt igitur opera Chriſti infiniti valoris, quia perſonæ ſimul fuit operans, & oblata: cum enim perſona ſatisfaciens pro iniuria, ſeipſam alteri ſubiciat, & offerat, communicat ſatiſfactioni totam ſuam dignitatem, & cum perſona Chriſti ſit infinita, proptere illis actionibus, in quibus ſeipſam ſubiecit, cõmunicauit infinitã dignitatẽ ſuæ perſonæ.

Enodantur tres difficultates, quæ dictæ doctrinæ ſurgunt.

Sed tres ſunt difficultates hinc inſurgentes. Quæ proinde à nobis hic ſunt operoſius explicandæ. Prima eſt, quia ex hac ratione videtur colligi oppoſitum illius quod intenditur, nam intenditur Chriſti ſatisfactionem magis infinitam eſſe quã ſit omnis offenſa humani generis, & tamen ſolum colligitur eius infinitatẽ eſſe extrinſecam, & obiectiuam, quatenus ſcilicet inuoluit ex parte rei oblatæ perſonam infinitam Chriſti, & quatenus eandem conotat ex parte principij elicientis, quæ vt ſic ſolũ extrinſeca quadam denominatione poteſt afficere ipſam actionem ſatisfaciendi: cum tamen grauitas peccati intrinſece, & formaliter ſit infinita, vt dictum eſt.

Secunda eſt, quia non apparet, vnde ad actionem ſatisfactoriam deriuetur valor infinitus, qualiſcũq; ſit ille: nec enim à ſola perſona Verbi, quæ vt ſic, nõ eſt operatiua alicuius effectus, niſi per voluntatẽ diuinã, quæ ſicut eſt communis tribus perſonis, ita nõ extenditur, niſi ad effectus iſtis communes. Tum, quia eſt purè relatiua, & relatio, vt ſic, non eſt forma operatiua. Tum etiã, quia

quia ſolum habet terminare humanitatem, & terminare non eſt efficere: neque ab humanitate, aut eius potentijs naturalibus, imo nec à gratia, & virtutibus ſupernaturalibus, quia iſtæ ſunt formæ ſinitæ, & eiuſdē ſpeciei cum noſtris : ac perconſequens valorem infinitum operibus Chriſti cōmunicare non poſſunt.

Tertia difficultas eſt, quia ſi ex dignitate perſonæ ſatisfacientis creſcit valor ſatisfactionis, ſequitur quod quanto maior fuerit gratia habitualis, cæteris paribꝰ, tanto maior ſit ex parte operis valor meriti, & ſatisfactionis in puro homine iuſto, quod videtur inconueniens, propter duo. Tum, quia ſi purꝰ homo poſſet habere gratiam habitualem infinitam eius ſatisfactio eſſet ſufficiens ex natura rei, & ab intrinſeco pro offenſa contra Deum commiſſa. Tū etiam, quia opus eiuſdem bonitatis ex obiecto, & alijs circunſtantijs, ſolum quia eſſet in homine habente maiorem gratiam habitualem, eſſet magis ſatisfactorium, & meritorium.

Circa èxplicationem primæ triplex eſt modus dicendi inter Theologos. Primꝰ eſt eorum, qui aſſerunt huiuſmodi valorē infinitum in actionibus Chriſti, tam vt ſatisfactorijs, quam vt meritorijs conſideratis eſſe denominationem quandam extrinſecā ſiue reſpectum rationis ad perſonem infinitā, quæ in humanitate ſibi hypoſtaticè vnita illas eliciebat, de quorum numero ſunt Scot. in 3. d. 19. q. 1. Vazq. 1. 2. diſput. 95. cap. 10. & hic diſp. 6. cap. 2. & 3. & Suar. diſp. 4. ſect. 4. qui triplieiter probant ſuam ſententiam.

Primo, quia eodem modo proportionabiliter deriuatur valor infinitus ad operationes ſatisfactorias Chriſti, quò communicata fuit eius humanitati infinita dignitas ex vnione ad perſonam Verbi infinitā, ſed ex hac vnione non reſultauit in humanitate aliquis modus inhærens, & realis, ſed ſola denominatio extrinſeca ſumpta à Deitate vt forma extrinſeca ſantificante: hæc enim vt ſic vnita, & terminans humanitatem eſt eius infinita dignitas: ergo eadē eſt, quę per extrinſecam denominationē redit operationes Chriſti infiniti valoris.

Secundo, quia ad redendas has actiones infinitè dignas, & valoroſas ſufficit coniunctio perſonæ Verbi illas extrinſece denominans: ergo quæcumque alia realitas ſiue phyſica, ſiue moralis eſt ſuperflua, & fictitia. Antecedēs patet, quia eo ipſo quod perſona Verbi ſit cōiuncta humanitati, ſufficiens ratio eſt, vt eius operationes dicātur perſonales, & actiones Verbi diuini, & theandricæ, hoc eſt Dei viriles, & ex hoc præciſsè, ſine aliquo adito ſūt infinitæ ęſtimationis, quod non obſcure indicauit Petrus dum in 1. c. ſuæ 1. canon. dicit nos redemptos eſſe non corruptibilibꝰ auro, vel argento, ſed præcioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti, vbi precium, & valorē ſanguinis Chriſti in coniunctionem cum eius perſona refundit: ergo.

Tertio, nā denominatio extrinſeca eſt, quæ poteſt aduenire abſque ſubiecti mutatione, ſed valor iſte operum Chriſti eſt huiuſmodi: ergo. Minor patet, quia eadē operatio ſi pręceſsiſſet in humanitate, ante aſſumptionē, & perſeueraſſet poſtea, rederetur infiniti valoris abſque vlla intrinſeca mutatione quemadmodum idem numero actus contritionis in nobis antequam informatur gratia nō eſt condigne meritorꝰ vitæ æternæ, & poſtea informatus gratia fit condigne meritorius per ſolam extrinſecā denominationem, ſiue reſpectum rationis ad dignitatem perſonæ: ergo.

Secūdꝰ fuit Macharij, & aliorū Sectariorū tēporibꝰ ſextę Synodi general. ſub Agatone Papa, aſſerentiū actiones Chriſti Domini meritorias, & ſatisfactorias, eſſe compoſitas ex actionibus diuinis, & humanis: & propterea infiniti valoris eſſe, quia includunt operationes diuinas, vt pertinētes ad ipſarum conſtitutionem. Fundamentū horum erat deſumptum ex quibuſdā teſtimonijs Patrum, & Conciliorum, in quibꝰ admittunt Chriſtum habere operationem theandricam, ideſt Dei virilem, ſiue diuinam ſimul, & humanam: ita enim colligitur ex Dionyſio epiſt. 4. ad Gaiū, & c. 2. de diuinis nominibꝰ, & Leone Papa in epiſt. 10. c. 4. & Damaſc. lib. 3. de fide c. 15. aſſerēte operationes Chriſti fieri modo humano, & diuino, & c. 19. aſſerēte, operationes Chriſti eſſe deificatas. Idē docetur in Cōcil. Epheſino. c. 10. & Lateranenſi ſub Martino V. cōſultat. 5. canon. 5. ſed huiuſmodi operationes theādricas eſſe humanas & diuinas nihil aliud eſt, quā illas cōſtare ex humanis ac diuinis: ergo ſi quia ſunt Theādricæ ſunt infiniti valoris, quia ſūt cōpoſitæ perfecto modo gaudēt valore infinito.

42 Tertius & verus modus dicendi eſt, quem ſequitur Capreolus in 3. d. 20. quæſt. 1. art. 2. & Vincent. quæſt. 4. pag. 340. Lorca diſp. 7. num. 21. Peſantius diſ-

put. 5. Nazar. in 1. p. controu. 2. & Aluarez diſp. 4. & alij diſcipuli Diui Thomæ aſſerentes huiuſmodi valorem infinitum operationum Christi eſſe modum quendam realem, moralem, & perſonalem ipſas intrinſece afficientem: qui dupliciter ſolet explicari à ſuis Authoribus.

Infinitus valor operationum Chriſti eſt modus intrinſecus, & realis.

Primo à quibuſdam aſſerentibus, illum eſſe quandam relationem traſcendendentalem, vel prædicamentalem operationum Chriſti ad ſupoſitum diuinum, vt ad principium eliciens, & vt ad materiam oblatam per illas, quia relatio licet in eſſe entis phiſici ſit finita, tamen in eſſe moris, & valoris eſt infinita.

Secundo, & melius ab alijs aſſerentibus eſſe modum quendam omnino moralē conſiſtentem in æſtimabilitate, & dignitate, ratione cuius opera Chriſti habent fundamentum, vt ſecundùm prudentem æſtimationem reputentur digna quocumquè præmio etiam infinito, ſi dabile eſſet; & in hoc ſenſu probatur hic modus dicendi quo ad ſingulas partes.

Et quidem quoad primam, ſcilicet, quod ſit modus realis probatur, quia habet omnes conditiones entis realis, etenim habet effectus reales, ſcilicet redimere humanum genus, & conſtituere æqualitatem pro offenſa, denominatquè ſatisfactionem Chriſti valoroſam, & condignam præmio ante operationem intellectus, & æſtimabilem, atquè magis amabilē à Deo, quam omnis alia pura creatura, & quam diſplicuerit offenſa: ſed ens rationis formaliter hos efectus, & denominationes preſtare nō poteſt, vt perſpicuum eſt: ergo.

Secundo, nam ſicut bonitas moralis actuum humanorum eſt forma ſecundū ſe realis in poſitiua tendentia ad obiectum conſonum rationi conſiſtens, ita valor moralis ſatisfactorius, ſiue meritorius ſecundū ſe, & in ſua ratione formali eſt realis modus cōſiſtēs in quadā dignitate, ſiue æſtimabilitate deriuata ad illos, ab intrinſeca dignitate ſuppoſiti merētis, & ſatisfaciētis: ergo ratio iſta valoris ſatisfactorij, vel meritorij cōtracta per infinitatē ad operationes Chriſti etiā debet eſſe realis, quia infinitas nō extrahit illā à ratione valoris moralis, ſed potius perficit intra eundem ordinem, ſicut infinitas lineæ, vel qualitatis ſi eſſet dabilis non obſtaret quominus talis linea, vel qualitas infinita, eſſet realis, eo quod ipſa linea, & qualitas ſecundum ſe eſt ens reale.

Deinde quoad ſecundam partem, ſcilicet quod iſte valor ſit moralis, & non phiſicus probatur, quia teſte D. Thom. 1. p. quæſt. 7. nullum infinitum phiſicum à Deo produci poteſt: ergo neque valor phiſicus & infinitus. Confirmatur, nam eius principia proxima non ſunt infinitæ virtutis phiſicæ, quia ſunt humanitas, & eius potentiæ proximæ prout actuatæ per gratiam, & charitatem, & alias virtutes, quæ non habent virtutem phiſicam infinitam, ſed tantum finitam: effectus autem nequit excedere virtutem ſuæ cauſæ proximæ principalis: ergo neque iſte valor poteſt gaudere phiſica infinitate, & quia aliàs pertinet ad mores, nimirum ad æſtimationem, qua operationes Chriſti dignæ ſunt, vt in tanto prætio habeantur, ideò eſt moralis: neque nouum eſt, realitatem pertinentem ad gen⁹ moris condiſtinctam eſſe à realitate pertinente ad genus phiſicum, alijsquè cauſis, & modo producendi gaudere vnam, & aliam. Rurſus quod ſit perſonalis patet, quia cum deriuetur à perſona Verbi oblata & ſubiecta in huiuſmodi operib⁹, vt ſtatim dicemus debet dici perſonalis, vtpote à perſonæ dignitate deriuatus.

Denique quoad vltimam partem, ſcilicet quod intrinſece afficiat ipſas operationes Chriſti probatur dupliciter. Tum, quia ratione huiuſmodi valoris operationes Chriſti ſunt intrinſece æſtimabiles, & condignæ ſuperabundanter cuiuſcumque præmij redibilis pro illis; imò ſunt maioris æſtimationis, & magis amabiles à Deo quam odio habeatur offenſa, cuius infinita grauitas eſt intrinſeca in offēſa, & nō tantū extrinſeca, ſiue obiectiua, vt dictum eſt: ergo, & infinita dignitas operationum Chriſti eſt intrinſeca illis. Tum etiam, quia valor meritorius, & ſatisfactorius deriuat⁹ ad actus bonos ex dignitate ſubiecti, & ex imperio charitatis eſt modus intrinſecus illis, vt oſtendit Caiet. 2. 2. q. 23. art. 8. ratione cuius actus virtutum intrinſece ſunt condigni vitæ æternæ, & paſsiuè ordinati in Deū tanquam in vltimum finem, vel exhibent compenſationem ex imperio pœnitentiæ pro culpa, aut pro pœnis temporalibus ex illa relictis: ergo pariformiter ex dignitate perſonali Chriſti valor meritorius ad eius operationes deriuatus poteſt illas intrinſece afficere.

43 Ex quibus reſpondetur ad fūdamenta vtriuſque modi dicendi. Ad primum enim aductum pro primo, vel neganda eſt maior, quia dignitas infinita humanitatis

nitatis Chriſti tantùm eſt extrinſeca, & obiectiua, nimirum ex vnione ad perſonã infinitam, ſicut dignitas infinita maternitatis Beatæ Mariæ tantum eſt extrinſeca, & obiectiua; neque enim humanitas eſt capax alicuius infinitæ dignitatis, intrinſecæ prouenientis ex perſona Verbi; cũ non ſit operatio elicita à perſona Verbi ſubijciente ſe ipſam, ſicut neque valoris meritorij, aut ſatisfactorij in nobis eſt aliqua res capax, niſi operationes quæ eliciũtur, vel imperantur à charitate, ſiue à pœnitentia. Vel admiſſa maiori, neganda eſt minor, quia probabiliter dici poteſt etiam in humanitate ex vnione ad Verbum reſultare aliquem intrinſecum modum moralem infinitæ dignitatis, ratione cui⁹ humanitas reditur infinitè digna, & æſtimabilis ſupra omnes puras creaturas.

Ad ſecundum negandum eſt antecedens: nõ enim vt operationes Chriſti ſint infinitæ æſtimationis, & dignitatis ſufficit coniunctio perſonæ Verbi cum humanitate, niſi ad ipſas prædictus valor intrinſecus deriuetur, ratione cuius redantur infinitæ dignæ intrinſece, ſicut offenſa intrinſece eſt infinitæ grauitatis: vnde operationes Chriſti naturales ad animam vegetatiuam pertinentes vt decoctio, & nutritio eliciebantur à perſona Verbi vt coniuncta humanitati, & tamen ob defectum prædicti valoris ad ipſas deriuati nõ fuerunt infinitæ æſtimationis, imò neque meritoriæ, aut ſatisfactoriæ.

Sed contra eſt, quod etiam ipſa perſona Verbi vnita humanitati habet fundamentum, ratione cuius ſecundum prudentem æſtimationem cenſeatur digna infinito honore, & tamen hoc fundamentũ nõ eſt modus moralis realis intrinſecus, ſed tantum reſpectus rationis, aut extrinſeca denominatio, ſicut dominiũ in Deo, aliàs mutaretur perſona Verbi: ergo neque in operibus Chriſti ſimile fundamentum eſt modus realis intrinſecus. Rurſus perſona Verbi non habet intrinſecam realitatem moralem: ergo non dat illam actibus, quia nemo dat quod non habet.

Reſpondetur, perſonam Verbi nõ eſſe capacem ob ſuam immutabilitatem talis modi realis, qui infertur ex illo fundamento in ſubiecto capaci; ſicut ob eãdem rationem filiatio humana in Chriſto non eſt realis ſicut in nobis: dat autem illũ modum infinitatis moralis actibus: tum, quia concurrit vt obiectum, & materia oblata; tum quia prę habet illum eminenter, & radicaliter, licet non formaliter, quia nõ eſt formaliter infinita perſona Verbi in genere entis realis moralis, ſed tantum phiſici.

Ad tertium nego minorem. Ad cui⁹ probationem negatur antecedens pro ſecunda parte; in vtroq; enim caſu fieret mutatio intrinſeca in tali operatione, tam in illa quæ ſi præceſsiſſet in humanitate ante aſſumptionem, & poſtea perſeuerans redderetur infiniti valoris, quam in contritione hominis quæ eliceretur ante aduentũ gratiæ habitualis, & poſtea eius informationem ſuſciperet.

Ad fundamentum pro ſecunda, negãda eſt minor. Pro cuius declaratione ſciẽdum eſt, quod operationes Chriſti eſſe Theandricas non eſt eſſe mixtas, ſiue cõpoſitas ex diuinis, & humanis operationibus, hoc enim eſſet confundere diuinas actiones cum humanis: quod tamen eſt contra diffinitionem eiuſdem ſextę Synodi generalis decernentis actione 4. in epiſtol. 1. & 2. Agathonis, & actione 8. in epiſt. Sophronij, & actione 17. in confeſſione fidei contra Monotelitas, in Chriſto eſſe duas operationes realiter diſtinctas, humanã, ſcilicet, & diuinam; ſi tamẽ operationes Chriſti eſſent compoſitæ ex diuinis, & humanis, non eſſent duæ, ſicut neq; in homine ſunt duæ eſſentiæ, ſed vna compoſita ex anima & corpore: ſed tãtum eſt (vt ipſa Synodus explicat in actione 2. & 8. eidem argumẽto Macharij reſpondẽs) illas eſſe operationes Dei ſimul, & hominis propter communicationẽ idiomatum, qua factum eſt, vt ea quę ſunt hominis tribuantur Deo, & econtra, & ob eandem cõmunicationem dicitur actiones humanas Chriſti fuiſſe deificatas, atque fieri modo humano ac diuino, quia erant à ſuppoſito diuino refundente in illas ſuum valorem; imò ex hoc ſumitur eficax argumentum pro noſtra ſententia. Nã cum modus operandi ſit intrinſecus operationi, & non tãtum ſe habeat ad illam vt extrinſeca circũſtantia: ſi circunſtantia diuinę perſonę in Chriſto variat in genere moris modum operandi in humanis operationibus; reddit enim illas deificatus, & elicitas modo diuino, vt aſſeritur à Damaſceno, & alijs Patribus præallegatis: conſequens eſt, aliquod intrinſecum refundi in huiuſmodi actiones, ex eo quod fiant à ſuppoſito diuino, quod proinde erit va-

lor perſonalis, & infinitus ad illas deriuatus.

Qui deriuatur à perſona Verbi per quandam reſultantiam.

44 Circa exclicationem ſecundæ difficultatis omnes Theologi, qui admitunt in operibus Chriſti meritorijs, & ſatisfactorijs huiuſmodi valorem infinitum, pariformiter dicunt illum deriuari ex dignitate perſonæ diuinæ ſatisfacientis, ſiue merentis per quandam veluti reſultantiam, quod ſic declarant. Supponendo duo, ex Diuo Thoma quæſt. 19. art. 1. ad 4. huius tertiæ partis, quod inter ſuppoſitum, & naturam eſt naturalis ſubordinatio in ratione principij, *quo*, & *quod*, in ordine ad operationes, reſpectu quarum natura eſt principium *quo*, & ratio operandi: ſuppoſitum autem eſt principium *quod* media natura, quam ſuſtentat operatur eodem prorſus influxu, qui naturæ tribuitur, vt *quo*, & ſuppoſito vt *quod*.

Secundum eſt, quod conſtat ex dictis, nimirum in actionibus humiliationis, & ſubiectionis, quibus fit ſatisfactio, ſuppoſitũ ipſum ſubijci, ac proinde dupliciter vniri cum ſuis operationibus ſatisfactorijs: vno modo, vt principium quod influit in illas media natura, quæ eſt ei ratio agendi. Alio modo vt materia oblata, & ſubiecta per eaſdem operationes; ex qua duplici vnione præſuppoſita in operibus Chriſti cum perſona Verbi reſultat in ipſis operibus per moralem quandam reſultantiam valor ille intrinſecus, ſiue fundamentum, ratione cuius tales operationes ſecundum prudentem æſtimationẽ quocumque præmio cenſeantur dignæ.

Ex quo obiectiones in contrariũ adductæ facile ſoluuntur. Ad primam enim reſpondetur prædictum valorem deriuari à ſola perſona Verbi immediatè per naturalem veluti reſultantiam, vt dictum eſt: quamuis enim relatio non ſit propriè operatiua per veram eficientiam, tamen poteſt eſſe id ex quo aliquis modus reſultet ſaltem moralis. Neque eſt incõueniẽs huiuſmodi effectum modalem non eſſe cõmunẽ toti Trinitati, ſed ſoli perſonæ Verbi conuenire, à qua ſuppoſita prædicta duplici unione reſultat.

Ad ſecundum ſimiliter dicendũ eſt, quod licet perſonalitas verbi per ſe primo ſolum habeat terminare humanitatẽ, & terminare non ſit efficere; tamen ſuppoſita huiuſmodi terminatione bene poteſt eſſe principium modi moralis per naturalẽ reſultantiam, cuius tamẽ tota Trinitas eſt cauſa per efficientiam.

45 Circa explicationem tertiæ difficultatis duplex eſt modus dicẽdi. Primus eſt, quem ſequitur vt probabilẽ Suarius hic diſp. 4. ſect. 4. §. *Ad primum reſpõderi poteſt*, dicens, quod quanto maior eſt gratia habitualis, tanto cæteris paribꝰ eſt maior valor operis meritorij, ſiue ſatisfactorij, eo quod ſanctitas, & dignitas, quam homo iuſtus participat ex gratia non habet minorẽ vim ad augendũ meriti, aut ſatisfactionis valorẽ, quam reliquæ circunſtantiæ.

Secundus eſt, quem ſequitur Vaz qu. diſ. 6. cap. 2. & 4. qui conſtituit diſcrimen in eo quod opus hominis iuſti, licet ex gratia habituali fiat meritoriũ abſolute, tamẽ magis, vel minꝰ meritoriũ, nõ fit ex maiori vel minori gratia habituali; ſed ex maiori, vel minori bonitate obiectiua ipſiꝰ actus, ac proinde nõ eſſe valorẽ meriti, ſiue ſatisfactionis tanto maiorem, quanto maior eſt gratia habitualis: gratia vero vnionis in Chriſto ſine reſpectu ad bonitatem obiectiuam, redit omnes actꝰ infiniti valoris, quia datur ad eſſe, & nõ ad operari.

Sed vterq; modꝰ dicendi eſt deficiẽs. Primus quidẽ propter duo. Tum quia ſequuntur ex illo duo inconuenientia, nimirum quod ſi ex duobus hominibus habentibus æqualem gratiam habitualem, vnus eliceat actum charitatis, & alter temperantiæ æquale ſit meritum in vtroque, & ille qui haberet maiorem gratiam ſi eliceret actum inferioris virtutis plus mereretur: quæ tamẽ abſurda eſſe, patet quia in Scriptura merces promititur laborantibus, & vnicuique redenda ſecundũ id quod operatꝰ eſt, & prout geſſit in corpore ſuo. Tũ etiam, quia licet gratia habitualis ſit requiſita ad meritũ beatitudinis, tamen nõ ſola ſufficit, ſed etiã requiritur bonitas operis ex obiecto, & cæteris circunſtãtijs, ita vt qui habet gratiam vt quatuor, & operatur ex illa vt duo non meretur niſi vt duo, alijque duo gradus gratiæ tantum ſe habent concomitanter. Etſi duo habentes æqualem gratiam operentur ex illa cum æquali influxu, alter eliciendo actum temperantiæ, & alter eliciendo actum charitatis, magis meretur iſte, quia eius opus eſt maioris bonitatis obiectiuæ, vtpotè ab excellentiori virtute procedens.

Deinde

Digitized by Google

Deinde ſecundus modus, licet verꝰ ſit in eo quod aſſerit opus hominis iuſti meritorium non eſſe eò maioris valoris, quò gratia habitualis in illo homine eſt maior, tamen diminutus eſt in eo, quod non aſsignat legitimam rationem, ob quam eadem gratia habitualis non dignificat quodcunque opus bonum hominis iuſti neceſſario, & æqualiter iuxta intenſionem gratiæ ipſius, ſicut gratia vnionis neceſſario, & æqualiter dignificabat operationes liberas Chriſti communicando eis valorem meritoriū, & ſatisfactorium, & ob quam opus bonum hominis iuſti dignificatum à gratia, non dignificatur neceſſario iuxta menſuram intēſionis ipſius gratiæ à qua procedit, ſicut omnia opera meritoria Chriſti dignificabantur neceſſario iuxta menſuram, & proportionem dignitatis gratiæ vnionis, & valoris perſonæ, quam tamen rationem nō reddit: neque enim illa, quam inſinuat eſt ſufficiens, nam ſicut gratia vnionis, ita & gratia habitualis per ſe primo datur ad eſſe & non ad operari, quam propterea D. Th. 1.2. quæſt. 110. art. 3. & 4. inquit: non eſſe virtutem, neque potentijs animæ proxime operatiuis in eſſe, ſed immediate in ipſa eſſentia animæ ſubiectari: igitur aliud diſcrimen aſsignandum eſt, quod in his duabꝰ propoſitionibus conſiſtit.

Gratia habitualis nō neceſſario refūdit totum valorem in opera hominis iuſti ſicut gratia vnionis.

Prima eſt, gratia habitualis nō neceſſario per ſuum moralem influxum communicat valorem meritorium operibus bonis hominis iuſti, cuius euidens ſignum eſt, quod aliqua bona opera in homine iuſto, nō ſūt meritoria vitæ æternę, nimirum illa quæ à charitate, nec actualiter, nec virtualiter in vltimū finē ordinantur, vt tenet probabilis ſententia Theologorum in materia de merito. Gratia autē vnionis, & perſonalitas, Verbi neceſſario operibꝰ liberis Chriſti communicabat valorem meritorium ſuo influxu morali: eoquod gratia habitualis eſt habitus ſubditus quoad vſum, tam in phiſico influxu, quam morali noſtro libero arbitrio, quod vtitur habitibus quando & quomodo vult; vnde quando non vtitur tali habitu, tunc eius dignitas ſolum materialiter, & concomittanter ſe habet ad opus hominis iuſti, in quod propterea nō refundit ſuum valorem: gratia vero vnionis cum ſit ſubſtantialis, neque in phiſico, neque in morali influxu ſubordinatur libero arbitrio humanitatis aſſumptæ. Sed econtra hæc ſubordinatur illi ſicut natura ſuppoſito operanti.

Secunda propoſitio eſt: gratia habitualis, neque vnum, & idem opus, neque omnia opera bona hominis iuſti dignificat ęquali, aut totali valore, quem eis poteſt cōmunicare ſecundum vltimum ſuæ virtutis: bene autē perſonalitas, verbi & gratia vnionis omnibus operibus ſatisfactorijs, & meritorijs Chriſti æqualem, imò & totum valorem moralem communicabat, quem eis poterat communicare.

Huius ratio deducitur ex prima, nā ex eo quod gratia habitualis quoad influxum phiſicum, & moralem ſubordinatur libero arbitrio hominis iuſti, ſequitur non ſemper in eius opus refundere valorem ſecūdum menſuram totius ſuæ virtutis, & intenſionis, ſed aliquando maiorem, & aliquando minorem iuxta diuerſitatem bonitatis obiectiuæ vniuſcuiuſque virtutis, & inæqualitatem influxus ipſius gratiæ per imperium charitatis: perſonalitas tamen Verbi, quia in ſuo influxu morali non ſubditur libero arbitrio humanitatis aſſumptæ; ideò neque in quantitate, & modo influendi: & propterea in omnia opera meritoria Chriſti influit moraliter ſecundum vltimum ſuę potētiæ dignificatiuę, & communicat eis æqualem valorem perſonalem.

Ex quibus ad rationem dubitandi neganda eſt ſequela, neque enim quāto gratia habitualis eſt intenſior, tāto valor meriti eſt maior, ſed quò eius influxus per imperium charitatis fuerit maior, eo opus cæteris paribus erit maioris valoris: tunc enim verum eſt, quod cæteris paribus, quāto gratia habitualis fuerit maior, tanto valor meriti procedentis ab illa erit etiam maior, quia habebit magis de influxu gratiæ, & imperio charitatis. In quo ſenſu poteſt etiam admiti ſequela, & negari min. Ad cuius primam improbationem reſpondetur dupliciter.

Primo admittendo mai. Sed ſicut impoſsibile eſt gratiam habitualem eſſe infinitam ſecundum phiſicam, & moralem dignitatem, ita impoſsibile eſt, quod opus procedens ab illa ſit infinitæ dignitatis: ſed finitæ iuxtà menſuram gratiæ.

Secundo negando maiorem, quia cum dignitas gratiæ habitualis non cōmenſuretur intenſioni, ſed eſſentiæ, & naturæ gratiæ, licet gratia eſſet infinita in intenſione, tamen eſſet finita ſecundum eſſentiam, & conſequenter ſecundum dignitatem; ac proinde eius opus eſſet finitæ dignitatis, & inſufficiens pro offenſa.

Ad ſecundum negatur antecedens, quia niſi opus illud fieret ex in fluxu mora li gratiæ quantumuis eſſet bonum ex obie- cto, & circunſtantijs nō eſſet meritorium, vt dictum eſt: & ſi fieret ex maiori influxu gratiæ, quam opus alterius virtutis perfe- ctioris eſſet magis meritorium illo.

Ex quo patet, non eſſe adæquatū exē plum quod aducitur à quibuſdam neotericis de *ſigillo*, quo cuditur moneta quod licet ſit eiuſdem figuræ, & valoris ſecundum ſe, tamen eſt cauſa maioris, aut minoris valoris in moneta, iuxta diuerſitatem materiæ: ita licet dignitas gratiæ habitualis ſit eadem, & eiuſdem intenſionis in hoc iuſto, eſt tamen cauſa maioris, aut minoris valoris meritorij in actibus virtutum iuxta diuerſitatem bonitatis obiectiuæ vniuſcuiuſque: nam aliquando opus virtutis inferioris, ex maiori influxu gratiæ fit magis meritorium, quam opus virtutis ſuperioris, vt patet in actu martirij, qui eſt opus elicitum à fortitude; & nihilominus quia fit ex maiori imperio charitatis eſt magis meritoriū in ſe, quam opus alterius virtutis ſuperioris, ac proinde comparatio illa, vt verum teneat, debet intelligi, quando cætera ſunt paria, etiam ex parte influxus gratiæ, & imperij charitatis: tunc enim verum eſt opus quod preſtat alijs in bonitate obiectiua, prçſtare etiam in valore meritorio, ſiue ſatisfactorio.

Satisfactio Chriſti non indiguit noua promiſſione, aut pacto.

46 Dico ſecundo. Satisfactio Chriſti non indiguit noua promiſsione, aut pacto, ad complementum ſui in ratione cōdignæ ſatisfactionis.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus authores ſecundæ ſententiæ. Et probatur primo ſupponendo duo, quæ docuimus in materia de merito: alterum eſt, quod Deꝰ vt iuſtus remunerator remunerat iuſtorū merita, quæ ſunt condigna vitæ æternæ, teneturque ad huiuſmodi remunerationem ſecundum leges ordinarij iudicis, & remuneratoris ex vi, non gratitudinis, ſed cuiuſdam virtutis iuſtitiæ, quç eminenter præhabet, perfectiones iuſtitiæ commutatiuæ, ac diſtributiuæ ſecluſis imperfectionibus, cum quibus in humanis reperiuntur; & propterea vita æterna, quæ pro laboribus iuſtorum retribuitur appellatur in Scriptura, merces, ſtipendium, corona iuſtitiæ, & alijs nominibus ad iuſtitiam pertinentibus. Alterum eſt, quod ad completam rationem meriti de condigno, requiritur ordinatio operis in præmium, non tamen illa quæ eſt veluti extrinſeca ex promiſsione, vel pacto. quo de nouo promititur merces à Deo, ſub conditione operis exhibendi; ſed illa quæ eſt veluti intrinſeca, & conaturalis ipſi operi meritorio ſupernaturali, quod ex ipſa inclinatione gratiæ, & charitatis ordinatur in ſupernaturalis finis conſecutionem: vnde ſecluſa omni promiſsione extrinſeca, quam de facto Deus reuelauit in Scriptura, & ſecundum quam bene operantibus ex gratia promiſſit beatitudinem, illam teneretur vt ordinarius iudex reddere pro bonis operibus factis ex gratia, & in vltimum finē ordinatis.

Quibus ſuppoſitis, probatur cōcluſio, nam ſi ob aliquam rationem requireretur promiſsio, vel pactum ad complendam rationem meriti de condigno, vel ſatisfactionis in operibus Chriſti, maxime vt Deus, qui eſt remunerator, teneretur ex iuſtitia remunerare, ſed ad hoc non conducit promiſsio, vel pactum, quia ad iuſtum remuneratorem vt ſic, pertinet remunerare merita condigna: Deus autem ſecluſo extrinſeco pacto eſt iuſtus remunerator habens virtutem, ſiue iuſtitiæ in noſtra ſententia. ſiue gratitudinis in ſententia aliorum: ex cuius debito habet remunerare mærita de condigno iuſtorum, & maxime Chriſti: debitum vero ortum ex pacto, neque eſt iuſtitiæ, neque gratitudinis, ſed tantum fidelitatis: ergo non conducit per ſe, ad remunerationē meritorum Chriſti, ac proinde neque ad eorum complementum.

Secundo probatur, nam ſi Deus, nulla interueniente promiſsione, aut pacto, intuitu mæritorum Chriſti daret gratiam, & gloriam hominibus, vel daret illā ex liberalitate, vel ex gratitudine, vel ex iuſtitia, non primum quia daret intuitu operis æqualis, ſiue condigni; liberalis autē condonatio fit omnino gratis, ac proinde non intuitu operis in obſequium exhibiti: neque gloria daretur tunc vt beneficiū omnino gratuitum; imò neque vt hæreditas ratione filiationis adoptiuæ, qualiter datur paruulis baptizatis, ſed vt merces, & corona iuſtitiç, quia quod datur in gratiarum actionem non datur vt corona iuſtitiæ & vt merces laboris, & luctæ, ſed vt recōpenſatio gratuiti obſequij: ergo dicendum eſt tertium, ac proinde independenter à promiſsione, & pacto meritis Chriſti debita fuit noſtra gratia, & gloria à Deo, vt à iuſto remuneratore.

Tertio, nam vel nomine promiſſionis,

ſionis, & pacti intelligitur ab aduerſarijs, expreſſa conuentio inter Deum, & Chriſtum, qua vterque mutuo ſe obligauit; ille quidem acceptandi, & remunerandi mæri ta Chriſti, iſte vero exhibendi illa pro noſtra redemptione: & hoc non, quia Deus non dedit gratiam antiquis Patribus ex huiuſmodi obligatione, quia antequam Chriſtus exiſteret nullum pactum inire poterat; neque Deus ex vi pacti futuri præuiſi, obligari potuit, ſiquidem ex pacto futuro, quod nondum eſt, nulla poteſt oriri obligatio. Vel intelligitur decretum immanēs Dei, quo apud ſe decreuit dare remunerationem pro mæritis Chriſti; & hoc non, quia tale decretum internum Dei non innoteſcit promiſſario, neque obligat Deū ratione fidelitatis, aut iuſtitiæ, ſed tantum ratione immutabilitatis, quæ eſt diſtinctū attributum ab illis, ratione cuius Deus decretum ſuum retractare nō poteſt, & ſi per impoſsibile retractaret illud, nec iniuſtus, nec infidelis eſſet, ſed tātum mutabilis: de ratione autem conuentionis, ſiue expreſſæ, ſiue implicitæ cum ſit quidam contractus eſt, quod ſit nota, & acceptata ab vtraque parte, debet enim eſſe vltro citroque obligatio, & non qualiſcumque, ſed iuſtitiæ, vel ſaltem fidelitatis. Vel tandem intelligitur ordinatio illa, qua voluntas Chriſti voluit aplicare ſua merita pro illis hominibus, pro quibus Deus voluit illa aplicari: ſed hæc ordinatio qua voluntas merentis pro ſe, vel pro alijs vult ſua merita aplicare cum ſub ordinatione ad voluntatem remuneratoris nō poteſt dici propriè promiſsio, vel pactum, quia illa eſt veluti intranea ipſis meritis, & nō ponit in numero cū principijs proximis, ſiue intrinſecis & connaturalibus meritorum, vt dictum eſt: ergo etiam dependenter ab extrinſeca promiſsione, & pacto merita Chriſti fuerunt condigna, & efficatia pro hominum redemptione.

47 Dico tertio. Opera Chriſti meritoria non ſolum in ratione meriti, ſed etiam in ratione ſatisfactionis fuerunt cōdigni, & ſuperabundantis valoris pro noſtra redemptione.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Auctores tertiæ ſententiæ, & ex dicendis dubio ſequenti conſtabit vbi ex profeſſo oſtendemus opera Chriſti verè fuiſſe ſatisfactoria ſecundum æqualitatem iuſtitiæ commutatiuæ, ac proinde verè habuiſſe rationem iuſtę ſatisfactionis.

Ad primum pro prima ſententia nego minorem. Ad cuius primam probationem omiſsis varijs explicationibus illius teſtimonij reſpondetur, quod facilis & conſentanea explicatio textui eſt, ſi dicamus Paulum per ea quę deſunt paſsionū Chriſti nō intellexiſſe aliquid quod deficeret perficiendum pro hominum redemptione, ſed aliquid quod deeſſet ad abſoluēdum prædicationem Euangelij, quia cum Chriſtus in illa multos labores ſuſtinuiſſet, adhuc reſtabant plures alij tollerandi à Paulo, & à reliquis miniſtris Euangelij vt eius prędicatio conſummaretur, & ad omnes homines perueniret: vel Paulus loquitur de ſuis paſsionibus, quas iuxta regulam Thiconij ſupra aſsignatam appellat paſsionem Chriſti, eo vel maxime, quia Chriſtus eas ipſi prædixerat, & ipſe propter Chriſtum illas ſuſtinebat, iuxta illud Actorum. 9. *Ego oſtendam illi quanta oporteat eum pati pro nomine meo.*

Ad ſecundam nego maiorem. Ad cuius primam probationem nego antecedens, quia priuationes non graduantur ex formis quibus opponūtur priuatiuè obiectiuè, quo pacto peccatum in ratione auerſionis oponitur Deo, & ideo nō eſt tātū malum, quantum bonum eſt Deus, ſicut neque ignorancia, aut error circa Trinitatem eſt tantum malum quantum bonū eſt Trinitas, quia illi opponitur obiectiuè: ſed ex formis quibus opponūtur priuatiuè formaliter, quo pacto peccatū opponitur ſecundum maculam gratiæ habituali, & ſecundum auerſionem cōiunctioni ad Deū, & ſecundum indebitam conuerſionem rectitudini virtutis debitæ in eſſe actui; & ideò vt ſic erit tā ū malū, & tantum diſplicens Deo, quantum bonum, & quantum placet Deo gratia, vel coniunctio cū Deo vel rectitudo virtutis, cum quo ſtat quod in ratione offēſę ei⁹ malitia excedat huiuſmodi bonitatem, quibus vt ſic nullatenus opponitur priuatiuè, & excedatur à diuina bonitate, cui opponitur ſolum obiectiuè.

Ad ſecundam dicendum eſt, quod ex parte actus, & ſubiecti diligentis, tàm noſtra, quam diuina charitas increata diligit diuinam bonitatem, & odit peccatum eodem modo, & eadem intenſione, quia in Deo idē numero actus eſt quo diligit ſuam bonitatem, & odit peccatum: in nobis autem, vel etiam idē numero eſt actus quo charitas accedit ad diuinam bonitatem, &

recedit

Digitized by Google

recedit à peccato, vt eſt contra illã, vel ſaltem vnus ſequitur ad alterum, & proportionatur, atque connectitur illi; cum quo tamen ſtat, quod ex parte obiecti, maximè apud Deum qui eſt iuſtus rerum æſtimator magis diligibilis, & apretiabilis ſit diuina bonitas, quam odibilis ſit malitia offenſæ: qua etiam eſt magis diligibilis, & appretiabilis Chriſti ſatisfactorius valor, vt pote cuius infinitas eſt ordinis ſuperioris, ſcilicet hypoſtatici, & inuoluens radicẽ ſuę infinitatis ex parte prętij oblati, ſcilicet perſonalitatem diuinam magis intime, ac proinde maior eſt eius infinitas infinitate offenſæ.

Ad ſecundum principale poteſt admiſſa maiori negari minor, quia cum valor ſatisfactorius Chriſti ſit ordinis hypoſtatici, & ſuperioris ad offẽſam humani generis, etiam ſi finitus eſſet ille, huius infinitam grauitatem excederet: ſed negatur maior. Ad cuius probationem negatur ſequi illa tria inconuenientia, non enim ſequitur primum propter duo: tum quia ſicut potentię creatiuę Dei non correſpondet effectus creatus infinitus, neque hoc arguit deffectum in illa, ſed potius exceſſum perfectionis, ſolumque illi correſpondet creabile in infinitum ſyncathegorematice, ita neque valori meriti, & ſatisfactionis Chriſti reſpondet merces aliqua actu infinita, ſed tantum remiſsio debiti infiniti ſyncathegorematicè, ideſt non tot peccatorum quim pluriũ; quod autem nõ reſpondeat ei merces actu infinita, neque arguit deffectum in Deo, neque iniuriam, non deffectum, quia talis merces non eſt factibilis: neque iniuriam, quia Chriſtus libere voluit aplicare talem ac tantam ſatisfactionem; imò non potuit offerre æquiualentem debito, quin offerret infinitam, & ſuperabundantem, ſed ſuperabundans oblata fuit per accidens, & non vt per ſe requiſita ad remiſsionem debiti; ſciẽti autem, & volenti non fit iniuria. Tum etiam, quia ſicut terminus potentiæ creatiuę, quoadmodũ eſt infinitus, ſcilicet creatura vt producta ex nihilo, ſecundum totam ſuam entitatem; ita etiã terminus reſpõdens pro mercede ſatisfactioni Chriſti eſt qouad modum infinitus; quia eſt remiſsio peccati, ſecundum æqualitatem, & rigorẽ iuſtitiæ compenſati, quæ vt ſic nequit alteri ſatisfactioni, niſi infinitæ correſpondere.

Neque ſecundum, quia licet in infinitis ſecundum tale genus non ſit inconueniens vnum eſſe maius alio, tamen quia valor ſatisfactorius perſonalis per naturalem reſultantiam à perſona Verbi ad eius actiones deriuatur, neceſſe eſt illum æqualiter, & pariſormiter ad ſingulas deriuari; non obſtante, quod ipſę operationes Chriſti ſecundum bonitatem moralem, quam habebant ex obiecto, & circunſtantijs, & conſequenter ſecundum valorem moralẽ meritorium, quem à gratia habituali habebant eiuſdem ordinis cum valore noſtrorum mæritorum, eſſent inæquales.

Neque tertium ſequitur quia ſicut actiones erant diuerſæ, in diuerſoquè tempore, aut loco exercitæ, ita & valor refuſus intrinſecè in illas, diſtinctus numero erat, maiorque in omnibus, quàm in vna tantũ, extenſiue: ſed non intenſiue.

Ad tertium principale, nego antecedens pro vtraque parte: ad primam probationem primæ partis reſpondetur cum Caietan. hic in ſolutione tertij dubij, quod Chriſtus æquiualens reddit pro beneficijs acceptis ab eius humanitate, quia eius gratiarum actio etiam fuit infiniti valoris, beneficia autem eius humanitati collata finita fuerunt præter perſonalitatẽ Verbi, quę licet in ſe infinita ſit tamen non ſuppoſitat humanitatem, niſi modo finito, & mediante vnione finita, iuxta capacitatem humanitatis, quæ non eſt capax infinitæ ſuppoſitationis, ſũpta ſuppoſitatione pro ipſo exercitio ſuppoſitandi, & non pro perſona ſuppoſitante: neque obſtat teſtimonium adductum Phyloſ. quia vt aduertit Caiet. intelligitur de perſonis finitis, & creatis: quod colligitur ex ratione, quam ipſe Philoſoph. aſsignauerat cap. 12. præcedenti, ſcilicet quia libere, & non naturaliter, aut neceſſario parentes fuerunt nobis cauſa vt eſſemus, & vt poſtquam nati ſumus educaremur, & vt inſtitueremur; quæ ratio nõ habet locum in perſona Verbi incarnata, quia licet à Patre æternaliter procedat, ita tamen procedit naturaliter, vt non fuerit in patris poteſtate, quod non procederet.

Ad ſecundam probationem dicendum eſt, quod licet ſatisfactio fuerit facta ex bonis, quę erant beneficia reſpectu humanitatis non tamen reſpectu ipſius perſonæ ſatisfacientis quia ſicut erat perſona diuina æqualis Patri, & Spiritui Sancto, ita habebat plenum dominium omnium, ac proinde nullius beneſitij recipiendi e-

erat

Digitized by Google

rat capax, gratia autem quæ ſit naturæ, & nõ ſuppoſito ſatisfacienti non obſtat æqualitati, & condignitati ſatisfactionis.

Ad probationẽ ſecũdæ partis reſpondetur, quod licet ſatisfactio Chriſti debita eſſet Deo ex illis titulis recenſitis in argumento tamen hoc non obſtat æqualitati, & condignitati ſatisfactionis, quoad ſufficientiam, ſiue etiam quoad rigorem iuſtitiæ. Tum quia in Chriſto non erat debita à ſuppoſito ſatisfaciente ratione ſui, ſed tãtum ratione humanitatis. Tum quia quando multiplicantur tituli, & obligationes ſupra vnam, & eandem materiam debitam, vt dictum eſt dubio precedenti, bene poteſt eodem prætio ſatisfieri debito ſecundum plures titulos, & obligationes; vt ſi Petro, titulo iuſtitiæ cõmutatiuæ ex cõtractu aliquo emptionis, debeã cẽtum & titulo obedientiæ qua precipitur mihi à ſuperiori, vt ea ſoluam, & titulo miſericordiæ, quia Petr⁹ eſt in neceſsitate cõſtitutus propter defectũ huius ſolutionis, bene poſſumus ſatisfacere omnibus iſtis ſoluendo illa centũ, & eodem modo in operibus Chriſti quæ fuerunt debita titulo gratitudinis creationis obedientię, &c. nõ multiplicãtur debita, ſed ſolum tituli, & obligationes ſoluendi vnum, & idem debitum, nimirũ exhibendi eadem opera ratione multorũ titulorum, & ideo eiſdem operibus potuit Chriſtus ſatisfacere omnibus illis titulis. Tum etiam quia quando dicimus non poſſe eodem precio ſolui ad æqualitatẽ duo debita diſtincta; intelligitur quando illud preciũ ſecundum valorem non eſt æquale vtrique debito, ſed alteri ęorũ tãtũ, nã per precium valoris, vt quadraginta bene poteſt ſolui duplex debitum, ſi vnumquodque ſit tantum vt viginti, & cum opera Chriſti haberent infinitum valorem intẽſiue, æquiualens erat ſecundum valorem vnumquodque omnibus illis debitis, ſcilicet gratitudinis, obedientiæ, & iuſtitię, quia vnumquodque tantum valorem habebat intenſiue, quantum haberent omnia opera ſimul harum virtutum, & propterea quodlibet opus Chriſti ſingulis titulis ſecũdũ ſe totũ cathegorematicè, & quoad Phyſicam entitatem, & moralem bonitatem ſpecificam actus, licet eſſet debitum, non tamen ſecundum ſe totum ſyncathegorematicè, ideſt, ſecundum omnem rationem, & intenſionem valoris perſonalis, qui cum eſſet actu infinitus, ſuperabundanter ęquiualens erat omnibus titulis etiam collectiue ſumptis: quæ triplex ſolutio facile ad formam argumenti adaptari poteſt.

Ocurritur fũdamẽtis ſecũdæ ſententiæ.

Ad primum pro ſecunda ſententia admiſſa maiori, & minori nego conſequẽtiam quatenus in illa infertur requiri promiſsionem ſuperadditam illi ordinationi, qua Deus voluit mærita ſic applicari ad ſolam hominum redemptionem, & gloriam ſui corporis, atque ſui nominis exaltationem per Paſsionem, & mortem conſumandam, ad quos fines ex vi decreti prædeſtinationis Chriſti fuerunt aplicata, neque aliam potuit Chriſtus ex ſuppoſitione talis decreti facere applicationem. Hæc autem ordinatio, vt dictum eſt, nequit proprie dici pactum, aut promiſsio.

Ad ſecundum nego maiorem pro ſecunda parte, quia ſatisfactio pro iniuria exhibita à fideiuſſore non tollit, quominus ſi alias eſt æqualis ſit iuſta, atque perfecta, neque conſenſus offenſi acceptantis fideiuſsionem eſt promiſsio, vel pactum ſuperadditum, ſed eſt conditio expectans ad naturam contractus, qui nequit ſine cõſenſu partium conſumari.

Ad tertium nego minorem, quia ex vi ſolius ordinationis, qua Deus per gratiam, & bona opera ordinat iuſtos in beatitudinem, tenetur vt iuſtus remunerator ordinarius mærita iuſtorum remunerare: ſæcluſa quacunque alia extrinſeca promiſsione, & pacto iuxta probabilem ſententiam Theologorum, in loco adducto, licet talis promiſsio de facto ſit adiuncta, & hominibus patefacta in ſcriptura, vt magis ad certamen mæritorum inuitarentur.

Ad primum pro tertia ſententia nego minorem, quia dubio ſequenti conſtabit ſatisfactionem Chriſti fuiſſe actum iuſtitiæ commutatiuæ. Ad ſecundum, tres propoſitiones examinandæ ſunt, vt eius ſolutio patefiat; nimirum, *Chriſtus ſatisfecit vt homo, ac proinde vt inferior: Chriſtus vt ſatisfacientis, erat vere ſeruus: Chriſtus vt ſatisfaciens, erat Filius Dei.* Circa primam ſciendum eſt quod Vazqu. diſputat. 8. cap. 2, deceptus quibuſdam teſtimonijs, ſanctorũ Patrum, & Diu. Thom. male intellectis in quibus dicitur Corpus Chriſti factum fuiſſe noſtram redemptionẽ, & Chriſtum vt hominem fuiſſe redemptorem aſſerit quod humanitati Deitate perfuſſæ, non ſolum vt rationi agendi, ſed etiam vt principio proximo agenti, vt quod, tribui debet ſatisfactio, quam ſententiam latè refutat Aluarez diſputat. 5. Tum ex mo-

dolo-

do loquendi ſcripturæ quæ Chriſto,& nõ humanitati tribuit noſtram redemptionẽ vt 1. Ioann. 2. *Ipſe eſt propritiatio pro peccatis noſtris*, ad Hæbr.9. *Chriſtus ſemel oblatus,&c.* 1.ad Timoth.2. *Vnus mediator Dei & hominum Chriſtus Ieſus*,& ad Galat. 3. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis*, teſte autem Diu. Thom. infr. quæſt. 16. art. 9. ad 3.& ar.10.ad 2. Terminus poſitus à parte ſubiecti accipitur materialiter, ideſt pro ſuppoſito,& non pro natura: ergo. Tum etiam ex illo communi axiomate Phyloſ. 1, de anima, capit. 4. actiones ſunt ſuppoſitorum recepto à Damaſc. libr. 3. de fide c. 15,& approbato à Ioanne Theologo in Florentino ſeſsione 18. cuius rationem reddit Diu. Thom. in 2. diſtinct. 37. quæſt. 2. art. 2. quia operatio ſequitur eſſe,& eſſe per ſe primo conuenit ſuppoſito vt quod: ergo & operari. Tum denique quia valor ſatisfactionis ſumitur ex dignitate perſonæ ellicientis ſatisfactionẽ & pertinentis ad eius materiam vt dictum eſt: ergo ſi humanitas, vt principium, quod ſatisfecit eius ſatisfactio non fuit infiniti valoris, quod repugnat dictis eiuſdem auctoris.

Aliter igitur dicendum eſt cum Aluarez ibidem prænotando, quod in ſatisfactione Chriſti poteſt conſiderari, & ſubſtantia operis,& modus valoris perſonalis,& quod ly, *vt* poteſt accipi reduplicatiue; ſcilicet denotando terminum cui applicatur eſſe rationem formalem, vel ſpecificatiue; ſcilicet denotando terminum, cui applicatur, eſſe tantum conditionem ſatisfaciendi. Quo ſuppoſito dicendum eſt quod Chriſtus vt homo reduplicatiue fuit principium ſatisfactionis quoad ſubſtantiam, quia ratio formalis patiendi,& moriẽdi fuit natura humana,& ſic ſatisfecit vt inferior, vt ſubiectus patri, cui ex obedientia ſatisfecit, ſed Chriſtus vt homo ſpecificatiue fuit principium ſatisfactionis quoad valorem, quia vnio perſonæ ad humanitatem, ſiue humanitas vt vnita fuit conditio, vt perſona diuina, quæ eſt ratio formalis communicandi valorem perſonalem, illum communicaret: & tandem Chriſtus vt perſona diuina humanata, ſiue vt perſona, quæ eſt Deus homo reduplicatiue fuit integrum principium ſatisfactionis, quoad ſubſtantiam, & valorem, qui licet pendeat ab vnione humanitatis, vt à conditione quæ fuit finita; adhuc eſt infinitus, quia effectus nõ cõditioni ſed rationi formali agẽdi proportionatur, à qua etiam modificatur, & limitatur; maxime quãdo moralis eſt, qualis eſt iſte valor proueniens à perſona diuina ſeipſam in quolibet opere ſatisfactorio totaliter oferẽte, ac proinde influente influxu morali infinito: ex quibus patet quod Chriſtus ſatisfecit vt inferior, ly vt ſpecificãte conditionem valoris,& vt çqualis Deo offenſo, ly vt reduplicãte rationem formalem communicandi valorem ſatisfactorium.

De ſecunda propoſitione Chriſtus fuit ſatisfaciens vt ſeruus: Vazq. vbi ſupra, ſolũ illã admittit impropriè ſecundum quod nomine ſerui ſignificatur inferiori[illegible]as, & negat eam, infra diſputatio 80. per totam in ſenſu proprio, ſecundum quod nomine ſerui, vera ſeruitus importatur: ſubditque, teſtimonia ſcripturæ in quibus Chriſtus apellatur ſeruus intelligenda eſſe metaphorice, ſicut illa in quibus dicitur lapis, leo, & agnus: cuius fundamentum eſt quia hęc propoſitio Chriſt⁹ vt homo eſt ſeruus fuit damnata ab Eccleſia in duplici ſenſu; nimirũm contra Niſtoriũ, quatenus aſſerebat Chr ſtũ habuiſſe duo ſuppoſita humanũ, ſcilicet, & diuinũ, & ſecundũ illud fuiſſe ſeruum ſui ipſius, ſecundum illud,& ſic dãnata fuit in Concilio Alexand. in epiſtol. ſynodica Cyr. recepta in Concilio Epheſino in confeſsione fidei, & anathematiſmo 6. & etiam contra Elipandum, & Felicẽ aſſerentes Chriſtum in vno eodemque ſuppoſito ſecundum diſtinctas naturas fuiſſe dominũ, & ſeruum in Conc. Francofordi in epiſtol. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, & ab Adriano Papa in epiſt. ad Elipandum. Sed in hoc decipitur Vazqu. nam hæc propoſitio Chriſtus, vt homo fuit ſeruus in proprio ſenſu eſt Catholica, & vt Catholica defenditur à Diu. Thom. infr. quæſt. 20. art. 1. & 2. aſſerente Chriſtum ſecundum humanam naturam fuiſſe ſubiectum Deo triplici ſubiectione, ſcilicet bonitatis, obedientiæ, & ſeruitutis, & hanc vltimam colligit ex ſcriptura, quia Sapientiæ 16. dicitur, *creatura tibi factori deſeruiẽs* ſed Chriſtus vt homo eſt creatura, vt probauerat idem D. Thom. quæſt. 16. art. 8. Ergo vt homo eſt ſeruus, de quo propterea dicitur ad Philippenſ. 2. *Formam ſerui accepiſſe*, & Ioã 14. *Pater maior me eſt*, ſuper quem locum Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 7. ait, *Quod Chriſtus dicitur æqualis Patri propter formam Dei, & minor illo propter formam ſerui*, & Carolus Magnus in epiſt.

ad

ad Elipandum, ſic ait de Chriſto: *In forma Dei creator, in forma ſerui Redemptor*, quæ teſtimonia perperã, & contra regulam Auguſt. lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 10. intelligũtur metaphoricè à prędicto auctore. Neque in teſtimonijs adductis ab ipſo huiuſmodi vera ſeruitus in humanitate fũdata: fuit à Chriſto excluſa, ſed tantum illa quam Neſtor. in diſtincto ſuppoſito fundabat: nec aliam Elipandus, & Felix, qui Neſtoriani fuere Chriſto attribuebant: fuit igitur Chriſtus vt homo vere ſeruus non tamen expers ſui iuris, quia eius ſeruitus, non vilis, & abiecta cum coactione, ſed tãtum naturalis ſubiectionis fuit creatæ, ſcilicet naturæ ad creatorem.

De tertia tandem propoſitione ſimiliter dicendum eſt, quod eſt vera ly, vt, reduplicante principium formale ſatisfaciendi quoad valorem, ſed quia filiatio naturalis Dei non conſtituit filium expertem ſui iuris ſicut in humanis, eo quod in humanis poteſtas, & dominium eſt apud Patrem, & non apud filium quandiu manet ſub Patris poteſtate: in diuinis autem Filius gaudet eadem poteſtate, & dominio cum Patre, alioquim nõ omnia, quæ ſunt Patris eſſent Filij, quod eſt contra illud Ioann. 17. *Et tua mea ſunt*, &c. Propterea Chriſtus, vt Filius Dei ſatisfecit, & tamen vt ſic fuit ſui iuris vtpote æqualis Deo offenſo.

Dubitatur vltimo, vtrùm Chriſti ſatisfactio fuerit ſecundum æqualitatem iuſtitiæ commutatiuæ, & actus huiuſmodi virtutis ellicitus, vel ab illa regulatus?

47 IN hoc dub. duę verſantur ſẽtẽtię extremę. Prima negans eſt, quã tuentur Scot. Dur. & alij, quos retullimus pro prima ſententia dubij præcedentis, & Vazq. diſp. 4. c. 5. & diſp. 7. cap. 5. & diſp. 9. cap. 3. & Lorca diſput. 8. quanuis diuerſimode ab iſtis, atque ab illis defendatur illi enim ideò denegant æqualitatem, & rigorem iuſtitiæ commutatiuæ ſatisfactioni Chriſti, quia exiſtimant illam non fuiſſe ab intrinſeco, & ex natura rei æquiualentem offenſæ, ſed dependẽter à diuina acceptatione: iſti vero quia exiſtimãt illam æquiualentem quidem eſſe, & ſuperabundãtem ab intrinſeco, & ex natura ſua, atque independenter ab acceptatione Dei offẽſi: ſed nihilominus deficere à ratione riguroſæ iuſtitiæ ob defectum illarum quinque conditionum quas præter ęqualitatem ſiue condignitatem diximus dub. 4. requiri ad ſatisfactionem in materia iuſtitiæ conſtituendam.

Argumenta quibus vtuntur Dur. & Scot. ſunt eadem quæ aduximus dubio pręcedenti pro prima ſententia, & argumẽta quibus vtitur Vazq. ſunt illa quæ ibidẽ pro tertia ſententia aduximus, quæ omnia tribus fundamẽtis poſſunt confirmari, quibus ſpecialiter, probatur quod ſatisfactio Chriſti quantumuis ſufficiens, & condigna de ſe ſit, adhuc deficit à ratione verę iuſtitiæ.

Primum eſt quia in peccatis hominũ nõ eſt aliqua vera iniuſtitia, erga Deũ, nec fit læſio alicuius iuſtitiæ, aut iuris diuini, quod obiectum ſit veræ iuſtitiæ hominis ad Deum: ergo neque ad tollendum inęqualitatem alicuius peccati neceſſaria eſt ſpecialis iuſtitia, cuius actus fuerit ſatisfactio redemptoris: conſequentia probatur dupliciter. Tum quia ad illam virtutem cuius ius fuit lęſum pertinet illud reparare propterea enim ad iuſtitiam commutatiuã duntaxat pertinet ſatisfactio inter homines, tam in datis, & acceptis, quam iniurijs, quia in huiuſmodi eius ius violatur: ergo ſi per nullum peccatũ humani generis fuit violatum ius iuſtitiæ commutatiuę erga Deum non pertinebit ad illam reſarcire huiuſmodi debitum per Chriſti ſatisfactionem. Tum etiam quia ſicut in humanis fideiuſſor eandem ſuſcipit obligationem, & rationem debiti præciſſe, quam contraxerat principalis debitor, & ad quam tenebatur, ita Chriſtus, vt hominũ fideiuſſor eandem prorſus obligationem, & rationẽ debiti ſuſcepit, quam illi ex protoparẽtis, & proprijs peccatis contraxerant, & ad quam tenebãtur: ergo ſi hęc obligatio nõ fuit veræ iuſtitiæ, neque obligatio aut ſolutio Chriſti fideiuſſoris.

Antecedens verò probatur tripliciter. Tum impugnando exempla in qui-

Digitized by Google

bus Suarez reperit iniuſtitiam contra Deũ. Quia peccatum Adami tantum fuit inobedientiæ, intemperatæ comeſtionis, & ſuperbiæ, quæ longe diſtant à vitio in iuſtitiæ, à quo etiam longe diſtat affectus deſtruendi Deum ſi eſſet poſsibile, ſiue expreſſus, ſiue implicitus, & virtualis, qui inuibitur in omni peccato mortali, quia vera iniuſtitia, ſicut nec vera iuſtitia nõ cõſũmatur in affectu conditionato de obiecto impoſsibili, ſed in opere exteriori, & actu abſoluto, nec in blaſphemia contra Deum reperiri poteſt huiuſmodi iniuſtitia, quia blaſphemia quam agnoſcũt Theologi cum Diu. Tho. 2. 2. q. 13. & 14. aut eſt vitium contra fidem, vel contra religionem: ergo. Tum etiam quia aliàs dum homo non reconciliatur Deo aduertens ſe eſſe in peccato mortali, ſemper actu peccaret, ſicut peccat ille qui retinet rem alienam inuito domino, aut honori læſo offenſi non ſatisfacit, ac proinde teneretur iſte ſic exiſtens in peccato mortali ſemper & pro ſemper conteri de illo, aut confiteri illud: cum tamen certum dogma Theologorum ſit præcepta contritionis, & confeſſionis non obligare pro ſemper, quia affirmatiua ſunt: ergo. Tum denique quia alias per noſtra peccata inferretur damnum Deo, aut in bonis intrinſecis, aut extrinſecis honoris, & famæ: ſed neutro modo infertur damnum Deo; non primo quia bona intrinſeca Dei non ſunt auferibilia ab illo. Neque ſecundo, quia ex honore, & fama, quæ in aliorum æſtimatione conſiſtunt, nihil acreſcit Deo emolumenti, neque enim Deus eſt ſicut homo, qui ob ſui imperfectionem non ſibi ſufficit, ſed multis alijs indiget, & propterea Diu. Thom. 1. 2. quæſt. 114. art. 1. ait Deo ex noſtris obſequijs nihilum acreſcere, vbi loquitur de bonis extrinſecis: ergo.

Secundum eſt, quia ſi ſatisfactio Chriſti eſſet æqualis ſecundum rigorem iuſtitiæ proprie dictæ, aut eſſet opus iuſtitiæ legalis, aut diſtributiuæ, aut commutatiuæ, ſed nullius ex his fuit opus: ergo. Maior probatur quia iſtæ tãtũ ſpecies iuſtitiæ proprie dictæ numerantur à Phyloſo. 5. AEthic. cap. 3. & à D. Thom. 2. 2. q. 58. art. 5. & ſeqq. Minor autẽ probatur quod non fuerit opus iuſtitię legalis, quia teſte D. Thom. art. proxime citato proprium munus huius virtutis eſt dirigere, & rectificare actus aliarum virtutum in ordine ad bonum totius cõmunitatis, quod mun⁹ lõge diuerſum eſt à ſatisfactionẽ pro iniuria.

Deinde quod nec fuerit opus iuſtitiæ diſtributiuæ probatur, quia hæc verſatur circa diſtributionem bonorum communium inter eos qui alicui communitati, vel reipublicę coniunguntur, & verſatur etiã in retribuendo vnicuique præmium debitum pro qualitate meritorum ipſius: quorum neutrum in ſatisfactione Chriſti reperiebatur. Denique quod nõ fuerit op⁹ iuſtitiæ commutatiuæ patet: quia teſte Philoſopho vbi ſupra proprium munus huius virtutis eſt conſtituere æqualitatem inter eos qui ſunt lucri, & damni capaces, & ex conſequenti poſſunt carere dominio alicuius boni, & adquirere de nouo tale dominium, quæ de Deo, cui exhibita fuit ſatisfactio Chriſti, nequeunt verificari ſiquidem nec eſt lucri, aut damni capax, vt probatũ eſt in primo argumento, nec aliqua actio Chriſti cum creatura ſit poteſt ſubterfugere eius dominium, aut ipſe nouum illius dominium adquirere poteſt: ergo.

Tertium eſt, nam licet ſatisfactio Chriſti fuerit ęqualis, & ſuperabundãs pro debito offenſæ nõ tamẽ quæcunque æqualitas ſufficit ad conſtituendam ſatisfactionem in materia iuſtitæ, ſed tantum illa quæ fit inter perſonas æquales, & qua vna perſona ordinatur ad alterã ex debito legali, ſed huiuſmodi æqualitatem non habuit Chriſti ſatisfactio: ergo nec fuit in materia iuſtitiæ proprie ſumptæ: Maior pro prima parte patet quia ad iuſtitiam commutatiuã non ſufficit æqualitas inter id quod reditur, & id quod debetur, ſed etiam inter perſonas, vt inſinuat Phyloſophus loco citato, defectu cuius inquit Diu. Thom. 1. 2. q. 114. art. 1. filij ad parentes, & ſerui ad Dominum, & creaturæ, ad creatorem nequit eſſe iuſtitia proprie ſumpta.

Deinde pro ſecunda parte eſt eiuſdem Diu. Thom. 2. 2. quæſt. 80. vbi excludit partes potentiales iuſtitię, à perfecta ratione iuſtitiæ, quia deficiunt à ratione debiti, vel ęqualis, ita vt ſi aliqua virtus ordinet vnum ad alterum, vel ſine ęqualitate perfecta, vel non ex debito legali, ſed tãtum honeſtatis, non ſit propria, & ſpecialis iuſtitia: ergo. Min. autẽ probatur, quia vt dictũ eſt dub. præced. Chriſt⁹ ſatisfecit vt homo, vt ſeru⁹, & inferior: ergo vt ſatisfaciens nõ fuit æqualis Deo offenſo. Rurſus nec eius ſatisfactio fuit ab ipſo exhibita ex dibito legali, ſed libere iuxta illud

Eſai. 53. *Oblatus eſt quia ipſe voluit*, eo quod ſicut ipſe non commiſſerat offenſam Dei, ita nec contraxerat eius debitum: nec poteſt dici quod vt fideiuſſor deuouit, & promiſsit ſe ſatisfacturum pro offenſa ex qua promiſsione conſtitutus eſt debitor: quia teſte D. Thom. 2.2.q.88.art.4.ad 3. Chriſto non competebat vouere, aut promittere, etiã in quãtũ homo erat, quia habebat firmatã voluntatem in bono, vtpote compræhenſor votum autem & promiſsio ordinatur ad firmandam voluntatem in bono quamuis methaphoricè, & per quandã ſimilitudinem dicatur in perſona eius in Pſ. 21. *Vota mea reddeã in cõſpectu timentium eũ* &c. neque ex parte Dei acceptatio huius ſatisfactionis fuit ex debito legali propter duo. Tum quia ſi aliquod debitum fuit in Deo acceptans ſatisfactionem Chriſti tantum fuit fidelitatis, ortum ſcilicet ex promiſsione qua ipſe potius ſibi quam alijs ſit debitor. Tum etiam, quia eſſe debitorem ex iuſtitia, & obligatione legali eſt inferioris: Deo autem nec abſolute nec reſpectu alterus aliqua inferioritas conuenire poteſt: ergo nec obligatio iuſtitiæ.

Secunda ſententia affirmans eſt, quam tuentur Capræolus in 4. diſtinct. 15 quæſt. 1. art. 3. Soto ibidem diſtinct. 19. quæſt. 1. art. 2. Ferrera 4. contra Geneſ. c. 54. Vega in Concilium Tridentinum lib. 7. à cap. 1. Medina in hoc art. dub. 3. ad 2. pro 2. ſententia Vincent. quæſt. 5. art. 2. dub. 1. pag. 274. Aluarez hic diſput. 4. & infra quæſt. 7. art. 12. diſputat. 5. ad 2. Cabrera diſp. 7. Suarez diſput. 4. ſect. 5. Valentia punto 5. quæſito 4. Peſant. diſput. 6 & Nazar. in 3. p. controuerſiæ 2. & Mendoza quæſt. 10. Scolaſtica, & Luna in aditionibus ad 3. p. Med. dub. 8. in cuius ſententiæ explicatione diuidũtur prędicti auctores in quatuor modos dicendi: quidã enim, de quorũ numero ſunt, Medin. Suarius, Aluarez, & Nazar. docent, Chriſti ſatisfactionem fuiſſe actum iuſtitiæ commutatiue diſtinctè ſpeciei ab illa quæ facit æqualitatem inter homines: quod probant tripliciter. Suar. quidem quia huiuſmodi ſatisfactio fuit reparatio iuris diuini læſi per peccatum, cuius reparatio pertinet ad ſpecialem iuſtitiam commutatiuam infuſam exiſtentem in quolibet homine iuſto erga Deum, ac proinde à fortiori in Chriſto debuit ab huiuſmodi virtute ellici, ſiue regulari opus ſatisfactorium pro offenſis humani generis.

Ab alijs vero, qui in ſolo Chriſto huiuſmodi iuſtitiam cõmutatiuam erga Deũ admittunt. Probatur ſecundo, quia Chriſtus ſatisfecit ex iuſtitia commutatiua, ſiquidẽ eius ſatisfactio fuit ex affectu redendi æquale ex motiuo faciendi æqualitatem inter homines, & Deum vt offenſum, cum enim hoc ſit obiectum formale, & motiuũ iuſtitiæ commutatiuę honeſtum; & per ſe amabile nõ eſt cur negemus Chriſtum ex eius complacentia operatum fuiſſe: ſed huiuſmodi obiectum non fuit in Chriſto eiuſdẽ ſpeciei cum obiecto iuſtitiæ cõmutatiuę quæ verſatur inter homines: ergo nec illa iuſtitia fuit eiuſdem ſpei cum iſta: Minor probatur, quia obiectum iuſtitię commutatiuę Chriſti habuit diuerſam rationem æqualitatis, & debiti, quia nimirũ fuit ęqualitas hominis ad Deum offenſum pro debito diuino ad quod Deus ipſe ius habebat, & teſtè D. *Tho.* 2.2.q.101.ar.1. diuerſa ratio debiti ſpecificat diſtinctas virtutes iuſtitiæ: ergo.

Tertio, quia actus primarij per ſe intenti, & adequati diſtinctæ ſpeciei petũt virtutes diuerſas à quibus procedant: huiuſmodi autẽ ſunt actus noſtræ, & Chriſti iuſtitię commutatiuę: illius enim actus eſt actio pure humana faciens æqualitatem hominis ad hominẽ: iſtiꝰ autẽ eſt actio theãdrica hominis Dei pertinens ad ordinẽ hypoſtaticum, quæ ſoli diuino ſuppoſito in natura aſſumpta poteſt conuenire faciens que æqualitatem inter Deum, & homines: ergo & iuſticia cõmutatiua in Chriſto fuit diſtincti ordinis nedũ ſpeciei ab illa quę in alijs hominibus reperitur, cuius proinde opus fuit ſatisfactio infiniti valoris à Chriſto exhibita.

Alij verò, de quorum numero eſt Vincentius docẽt fuiſſe actum ellicitũ ſiue regulatum, ſimul à charitate, & religione, à charitate quidem radicaliter, & proxime à religione; quibus in hac parte etiam ſubſcribit Vazq. diſp. 7. c. 6. probat Vincentius tripliciter. Primo, quia in ſcriptura ſatisfactio Chriſti tribuitur charitati, vt ad Epheſ. 5. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea*, ad Galat. 2. *Chriſtus dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*, & Apocalypſ. 1. *Dilexit nos, & lauit nos â peccatis noſtris*: attribuit etiam religioni, propterea enim dicitur ad Hæbr. 10. *Vna oblatione cõſummauit Chriſtus ſanctificatos*, & ſubditur: *In qua voluntate ſanctificati ſumus*: Sumus autem ſanctificati illa voluntate

quã ingrediens mundũ recuſans ſacrificia
veteris legis, vtpote inefficacia ſe obtulit in
ſacrificium, dicens: *Ecce venio*, vt ibidem
arguit Paulus: ſacrificium autem, & obla-
tio eſt actus religionis: ergo.

Secundo, quia licet teſte D. Tho.
infra q. 48. paſsio Chriſti operata ſit no-
ſtram ſalutem quatuor modis, ſcilicet, per
modum meriti, redemptionis, ſacrificij, &
ſatisfactionis, ſecundum quod in peccato
generis humani erãt quatuor mala, duo ex
parte Dei, ſcilicet ſuperba elatio contra
Deum, quam abſtulit paſsio Chriſti ſub ra-
tione humilis ſacrificij, & offenſa, quã ab-
tulit ſub ratione ſatisfactionis: & duo ex
parte peccãtis, ſcilicet macula, ſiue carẽtia
donorum gratiæ, quam abſtulit ſub ratio-
ne meriti, & captiuitas ſub poſſeſsione dæ
monis, quam abſtulit ſub ratione redemp-
tionis. Inter quas rationes præcipua fuit
ratio ſacrificij, vtpotè quæ cæteras præha
bebat eminenter, ſicut malitia ſuperbiæ in
peccato Adami, gulæ, & inobedientiæ ma
litias præhabuit eminenter: ergo potiſsi-
ma ratio in ſatisfactione Chriſti, à qua ſpe-
ciem, & denominationem ſortitur, fuit ſa-
crificij, ac proinde religionis. Minor pa-
tet, quia ſatisfactio Chriſti incepit ex affe-
ctu, & motiuo religionis, ſcilicet offerendi
ſe in ſacrificium quando ingrediens mun-
dum iudicauit antiqua ſacrificia, vt inſuffi
cientia, & conſummata fuit in morte ex af
fectu offerendi ſe in ſacrificiũ in Ara Cru
cis: ergo.

Tertio, quia probabile eſt noſtram
ſatisfactionem eſſe actum religionis: ergo
idem dicẽdum eſt de Chriſti ſatisfactione,
Cõſequẽtia patet à paritate rationis, & an-
tecedens probatur dupliciter. Tũ, quia
probabilis eſt ſententia Caietani infra quę
ſtione 85. ar. 2. aſſerentis pœnitentiam, cu
ius actus proprius eſt ſatisfactio pro offen
ſa diuina, non diſtingui à religione. Tũ
etiam, quia proprius actus religionis eſt ſa
crificium ordinatum ad placãdum *Deum*,
teſte Diuo Thoma 2. 2. q. 32. art. 1. ad ſe-
cundum: placare autem Deum offenſum,
eſt exhibere ei ſatisfactionem pro offenſa
quod eſt munus pœnitentiæ: ergo ſecun-
dum D. Thom. virtus pœnitentiæ coinci-
dit cum religione.

Quæ omnia confirmat Vazquez, ex
eo quod ſatisfactio Chriſti in ratione me-
riti non procedit ab aliqua vna virtute de-
terminata, ſed à pluribus: eo quod nulla vir
tus determinata eſt principium merendi: er
go neque in ratione ſatisfactionis proce-
dit ab aliqua vna virtute, ſed à pluribus in
diſcriminatim, & maxime à charitate, & re
ligione ob rationes aſsignatas. Conſe-
quentia patet, quia non eſt maior ratio, ob
quam ad communicandum valorem ſatisfa
ctorium omnibus actibus virtutum exiga
tur aliqua determinata virtus, quam ad cõ-
municãdum eiſdem valorem meritorium,
cum vterque ſumatur à dignitate ſubiecti
operantis, & non ab obiecto.

Deinde alij, de quorum numero eſt
Luna, volunt Chriſti ſatisfactionẽ à nulla
virtute elici, aut regulari, proximè & imme
diatè, niſi à ſolo ſuppoſito diuino. Quo-
rum fundamentũ eſt, quia ſatisfactio Chri
ſti conſtituit æqualitatem iuſtitiæ ratione
valoris infiniti perſonalis, ſed vt ſic à nulla
virtute potuit proxime elici, aut regulari,
niſi à ſolo ſuppoſito diuino: ergo in ratio-
ne iuſtæ ſatisfactionis, ſolius ſuppoſiti,
& non alicuius virtutis fuit actus. Ma-
ior ſupponitur ex dictis, quia ſecluſo valo
re perſonali, nihil remanebat in operibus
Chriſti, quod non fuerit eiuſdem ſpeciei
cum noſtris, ac proinde finitum, & inæqua
le offenſæ. Minor vero probatur, quia
virtutes non poſſunt elicere, aut regulare
actus ſuos, niſi ſecundum illam bonitatem
& perfectionem, quam eis communicant,
& in ipſis cauſant, vt perſpicuum eſt, quia
ſicut habit⁹ operatiui, vt ſic, ſũt principia
ſuorum actuum: valor autem perſonalis
operum Chriſti à nulla virtute fuit cauſa-
tus, aut deriuatus. Tum, quia immediate
ex perſona Verbi reſultabat in actibus, vt
potè cum ſola illa eſſet infinita, ac proinde
potens infinitum valorem communicare.
Tum etiam, quia cũ virtutes nõ ſint princi
pia ſuorum actuum, niſi in ordine ad obie-
cta, ſolum eis communicare poſsũt bonita
tem in ordine ad obiectum deſumptam: va
lor autem ſatisfactori⁹ operum Chriſti, nõ
ab obiecto, ſed à perſona erat deſumptus:
ergo à nulla virtute potuit prouenire, niſi
à ſola perſona Verbi, quæ eſt principiũ, &
regula ſufficiens illius.

Denique alij de quorum numero ſunt
Soto, Capreolus, Ferrar. & Aluarez diſp.
4. Cabre. & Valentia vbi ſupra, neque
iuſtitiam commutatiuam in Chriſto diſtin
ctę rationis à noſtra, neque aliquam perfe-
ctam iuſtitiam in cæteris hominibus erga
Deum præter illam communem, quæ facit
æqualitatem rei ad rẽ, tam in pecunijs, quã
in iniurijs agnoſcentes: dicunt ſatisfactio-
nem

nem Chriſti ab hac virtute iuſtitię commutatiuæ infuſa, eiuſdem rationis cum noſtra fuiſſe elicitam, ſiue regulatam. Et merito quidem, quia actus ille conditionatus de obiecto impoſsibili non eſt ab eadem virtute, à qua eſſet actus abſolutus, alioquin propter ſimilem affectum conditionatum daretur in Chriſto pœnitentia, & in Angelis temperantia; vt arguit aduerſus Suarium Ranguſa diſputat. 20. §. 2. Sed in eo eius ſententiam non probamus, quod ſubdit, virtutem per quam ſatisfacimus Deo pro culpis venialibus, & pœnis temporalibus diſtingui ab illa per quã ſatisfacimus pro culpa læthali, quia hæc eſt pœnitentia, & iuſtitia imperfecta, illa verò eſt iuſtitia perfecta, & proprie commutatiua hominis erga Deum, eo quod cõſtituit æqualitatem. Sed fallitur; nam per eandem virtutem pœnitentiæ, per quam primario exhibemus Deo ſatisfactionem imperfectam pro culpa læthali, ſecundario exhibemus æqualem ſatisfactionem Deo pro culpis venialibus, & pœnis temporalibus: quæ æqualitas, tum quia eſt obiecti ſecundarij; tum etiam quia fundatur in gratia, & fit ex bonis creditoris ſiue offenſi, ſcilicet Dei, gratuito collatis, non valet ſpecificare virtutem perfectæ iuſtitiæ, vnde pro verioris ſententiæ declaratione.

Præfertur ſẽtẽtia dãs Chriſto ſatisfactionẽ de rigore iuſtitiæ.

49 Dico primo. Æqualitas ſatisfactionis Chriſti Domini fuit ſecundũ rigorem iuſtitiæ. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus auctores prioris ſententiæ, vt conformior modo loquendi ſacræ Scripturæ, & ſanctorum Patrum. Et ſuadetur primo, ex teſtimonijs Scripturæ quę illi attribuũt rigorem iuſtitiæ in ſenſu litterali, ac proinde non debent de minus propria iuſtitia interprætari, iuxta regulam Auguſtini, & Athanaſij ſæpius repetitam: dicitur enim ad Roman. 3. *Quem propoſuit Deus ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ*, & cap. 5. *Sicut per vnius delictum, ita per vnius iuſtitiam*, &c. id eſt, ſicut peccatum Adami de rigore iuſtitiæ cõſtituit poſteros peccatores, ita ſatisfactio Chriſti de rigore iuſtitiæ conſtituit homines iuſtos, quantum eſt de ſe, & 1. ad Corinth. 1. *Qui factus eſt pro nobis, ſanctificatio & iuſtitia*, & ad Colloſenſ. 2. *Delens, quod aduerſus nos erat Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tullit de medio affigens Cruci*, id eſt Chriſtus ſoluit debitũ, quod humanũ genus contraxerat ex peccato: vnde ſicut ſolutio debiti ſecũdum æqualitatem iuſtitiæ exhibitam, chyrographum, ſiue inſtrumentum obligationis rumpit, ita Chriſti ſatisfactio obligationem debiti aboleuit, vt Diu. Thom. ibi lection. 3. & Sixtus Senenſis lib. 2. Bibliothecæ, littera *Chyrographum* interprætãtur: ergo.

Secundo probatur, ex teſtimonijs Patrum, qui idem videntur ſignificare, vt Auguſt. in Enchirid. c. 49 dicit Chriſtum nos redemiſſe in veritate iuſtitiæ, & Greg. lib. 17. moralium cap. 15. dicit Chriſtum obtuliſſe victimam, ſine peccatoque ex iuſtitia nos potuit emundare, & Proculus in homil. de Natiuit. quæ habetur in Concil. Epheſino cap. 1. dicit Chriſtum ſoluiſſe noſtrum debitum ad ęqualitatem iuſtitiæ, & D. Th. in hoc art. in corpore adducens ſententiam eiuſdem D. Auguſt. lib. 13. de Trinitate cap. 13. inquit, quod liberatio generis humani à ſeruitute peccati fieri debuit ſic, vt Diabolus iuſtitia hominis Ieſu Chriſti ſuperaretur, quod factum eſt Chriſto ſatisfaciente pro nobis, &c. ergo.

Tertio probatur, tribus rationibus Thæologicis quarum prima deſſumitur ex oficio fideiuſſoris, quod Chriſtus adimplendum pro hominibus ſuſcepit in hunc modum: debitum fideiuſſoris eſt in materia iuſtitiæ, vtpote cum ex iuſtitia riguroſa obligetur fideiuſſor ad illud ſoluẽdum creditori, quod adeò verum eſt, vt etiam ſi obligatio principalis debitoris non ſit ex iuſtitia, ſed ex alia virtute, nihilominus reſpectu fideiuſſoris ſit ex iuſtitia, vt ſi quis loco pio debeat centum aureos ex voto, & alter ſpondeat eadem centum ſoluere pro illo: ille quidem ex ſola Religione: iſte vero ex iuſtitia tenetur ad ſolutionem. Sed paſsio, & mors Chriſti fuit debitum fideiuſſoris: ergo fuit in materia iuſtitiæ: Minor patet ex teſtimonijs ſacræ Scripturæ, in quibus ſignificatur Chriſtum paſſum fuiſſe mortem, & dolores propter peccata noſtra, & illa in ſe ſuſcepiſſe, quod cum non poſsit intelligi de peccatis quoad culpam, debet intelligi de illis, quoad pœnam debitam iuſtitiæ vindicatiuæ Dei ſoluendam ab ipſo Chriſto, vt fideiuſſore, propterea enim dicitur Eſai. 53. *Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, & propter ſcelus populi mei percuſſi eum*, & capite 58. *Diſciplina pa-*

cis noſtræ ſuper eum, ideſt caſtigationē peccatis noſtris debitam ipſe ſuſtinuit, & 1. Petri 3. *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuꝰ eſt*, & ſubditur *peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum*: ergo.

Secunda deſumitur ex D. T. inf. q. 48. art. 4. vbi aſſerit Paſsionē Chriſti operatam eſſe noſtram ſalutem per modū ſatisfactionis, & redemptionis, ex quo tale deducitur argumentum. Paſsio Chriſti non ſolum habuit infinitū, & ſuperabundantē valorem in ratione meriti, & ſacrificij, ſed etiam in ratione fatisfactionis, & redemptionis: at æqualitas ſatisfactionis, & redēptionis eſt in materia iuſtitiæ propriè dictę: ergo & talis fuit æqualitas Paſsionis Chriſti, vt erat ſatisfactio, & redēptio. Minor eſt nota, & admittitur ab aduerſarijs: propterea enim Vazqu. vbi ſupra negat opera Chriſti habuiſſe veram rationē ſatisfactionis, quantumuis infiniti, & ſuperabundantis valoris fuerit, ne cogatur admittere illā fuiſſe in materia iuſtitiæ, & eadē ratione negat habuiſſe veram & propriam rationē redemptionis, eo quod tam ſatisfactio, quā redemptio conſiſtit formaliter in exhibitione præcij debiti, vel pro compenſanda iniuria, vel pro recuperanda rę quę tranſierat in poteſtatem alterius: ergo neceſſe eſt vtranque rationem includere debitum legale, & conſequenter eſſe in materia iuſtitiæ.

Maior autem pro prima parte probatur teſtimonijs, & rationibus hucuſque adductis ad probandum, quod Chriſtus ſoluit ſuperabundanti precio ſui ſanguinis, & paſsionis, debitum noſtrorum peccatorum, quæ ſolutio non poteſt non eſſe formaliter ſatisfactio, cuius munus eſt exhibere precium ad compēſandam offenſam.

Deinde pro ſecunda parte, licet negetur à Vazq. in diſp. 5. c. 2. & à Suar. inf. q. 48. in annotatione art. 4. vbi exiſtimat paſsionem Chriſti metaphorice dumtaxat apellari redēptionē nihilominus eſt adeo certa, vt abſque temeritatis nota negari nō poſsit, & probatur. *T*ū ex teſtimonijs Scripturæ, & Cōciliorū adductis in primo dub. pro concluſione prima, vbi oſtendimus humanum genus ſecundum fidem fuiſſe ſub vera dæmonis poteſtate captiuū à qua captiuitate Chriſtus nos eripuit: huiuſmodi autem ereptio vera redemptio eſt. Tum etiā, quia ita expræſſe ſignificatur in alijs teſtimon. Script. dicitur enim Eſ. 52. *Gratis venundati eſtis, & ſine argento redimemini*, & Matth. 20. *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionē pro omnibus*, & Pſ. 53. *Cum conuerteret Dominus captiuitatem plebis ſuæ*, ideſt captiuitatē peccati per Chriſti redemptionē interprætatur Caiet. ibidem, & Trænor. 1. *Princeps prouinciarū ſub tributo*, vbi Paſchaſ. Abbas ſic habet: *Chaldæi captiuantes interprætantur hij ſunt Dæmones, qui deſolutio cæleſtis patriæ animā reuocant, & in poteſtatem ſuā captiuant*, cum igitur Chriſtus ſua paſsione vere nos eripuerit de tyranica Dœmonis poteſtate, ac ſeruitute: vere nos redemit, vtpote cum in huiuſmodi ereptione conſiſtat redemptio, & vtrūque eſt diſinitum in Concilio Tridentino ſeſ. 6. decreto de iuſtific. c. 2. 3. & 4. & alias cum valor redemptionis ſumatur ex quātitate pręcij oblati, quia cum ſit quædā ſpecies emptionis, ſicu[t] hæc ita, & illa à precio oblato ſumit valorem, quod in Chriſto fuit perſona ipſa infinitæ dignitatis, ideò, & ipſa redēptio fuit infiniti valoris, ac proinde vt ſic fuit æqualis æqualitate iuſtitię propriè dictæ.

Tertia deſumitur ex dignitate Chriſti Domini ad quam pertinet quod eius ſatisfactio fuerit excellentior, atque perfectiori modo exhibita, quo potuit cōgruēter exhiberi, quo enim illa fuerit excellentior, eò Chriſtus perfectiori modo cōſtituitur hominum mediator, atque redemptor, ſed eo ſatisfactio eſt excellentior, quo magis ſeruat conditiones perfectæ iuſtitię, ſic enim perfectior redditur actus ſatisfactionis, vtpote magis de perfectione ſuæ rationis formalis participans: ergo talis perfectio, alias poſsibilis, non eſt ſatisfactioni Chriſti deneganda.

Dico ſecūdo. Opera Chriſti quātꝰ ſatisfactoria fuerūt regulata, ſiue elicita à virtute infuſa iuſtitię cōmutatiuę eiuſdē ſpeciei cum noſtra. Hęc concluſio ſtatuitur aduerſus tres priores modos explicandi ſecūdā ſententiam, & probatur ſigillatim contra ſingulos. Cōtra primum quidem: quia vno ex duobus modis defendi poſſet in Chriſto iuſtitia cōmutatiua diuerſæ ſpeciei ab illa, quæ eſt inter homines, nimirū, vel quia præter huiuſmodi iuſtitiā cōmutatiuā hominis ad hominē datur alia tam in Chriſto, quam in nobis, quæ eſt hominis ad Deum, ſed hanc virtutem iuſtitiæ perfectæ hominis erga Deum non poſſe reperiri in puro homine oſtendimus contra Suar. dub. 2

Dices cuius virtutis eſt illæ affectus conditionatus, vellem ſatisfacere ad æqualitatem

Digitized by Google

litatem pro peccato mortali ſi poſſem? Reſpondet Ranguſa diſputat. 20. §. 2. nullius virtutis eſſe. Contra non ellicitur à nuda potentia. Reſpondetur à potentia cum auxilio vtatritio, & poteſt etiam dici eſſe à pœnitentia, vel eſſe à charitate, contra circa nullius virtutis obiectum verſatur (ait Ranguſa) ergo nullius eſt: Reſpondetur verſari reductiue circa obiectum pœnitentiæ quod eſt velle compenſare quantum poteſt, vel charitatis quia habet velle bonum Deo, ſed probabiliter dicit Ranguſa, vel quia in ſolo Chriſto dabilis eſt iuſtitia commutatiua ſpecialis diſtinctæ ſpeciei à noſtra, ſed nec hanc dabilem eſſe probatur ex triplici inconuenienti quod ſequitur ex eius poſitione.

Primum eſt quod etiam in Chriſto aliæ virtutes infuſſæ eſſent diſtributæ ſpeciei à noſtris, vt religio, quia in Chriſto redidit æqualem cultum Deo, & gratitudo, quia redidit æquiualens pro beneficijs acceptis diſtinguerentur ſpecie à noſtra religione, & gratitudine, quia nec cultum, nec gratiarum actionem ad æqualitatem Deo redere poteſt, quod tamen inconueniens eſſe patet quia cum gratia habitualis Chriſti, & noſtra ſit eiuſdẽ athomæ ſpeciei nõ eſt cur ab illa dimanent virtutes ſpecie diuerſæ in nobis, & in Chriſto.

Secundum eſt, quod ex gratia habituali Chriſti dimanaret aliqua virtus diſtinctæ ſpeciei ab illis quæ ex noſtra gratia habituali dimanarẽt; nimirum hæc iuſtitia commutatiua faciens æqualitatem inter homines, & Deum quod tamen eſſe inconueniens patet qui aſtant ante eodẽ principio dimanationis, licet poſsit ob incapacitatem ſubiecti impediri dimanatio alicuius virtutis quo pacto in Chriſto non dimanauit à gratia fides, & ſpeties formata, & ſicut pœnitentia in nobis, tamen nequit fieri vt noba virtus dimanet præter illas, quæ ſuapte natura ex tali principio dimanare poſſunt.

Tertium eſt, quod dimittente Verbo humanitatem aſſumptam, tunc maneret in illa huiuſmodi virtus iuſtitiæ commutatiuę, ſicut & maneret eadem gratia habitualis, quod tamen eſſe inconueniens patet quia inconueniens eſt in pura creatura eſſe iuſtitiam commutatiuam ſpecialem ad faciendam æqualitatem cum Deo pro offenſa: ergo. Talis virtus eſt fictitia, eo vel maxime, quod Diu. Thomas, qui omnium meminit virtutũ in 2. 2. huius ſpecialis iuſtitiæ commutatiuæ, ergà Deum nullam fecit mentionem.

Deinde contra ſecundum modum probatur dupliciter: tum quia implicat aliquem actum regulari ab aliqua virtute, cuius rationẽ formalem non participat, ſed potius oppoſitã ſubinduit: at opera Chriſti in ratione ſatisfactionis non participãt formalem rationẽ charitatis, aut religionis, ſed tantum rationem iuſtitiæ: ergo vt ſic non à charitate, aut religione ſed à iuſtitia poſſunt & debent regulari: tũ etiã quia implicat plures virtutes ſimul concurrere ad eũdẽ actũ ſecũdũ eãdẽ rationẽ formalẽ, niſi vna concurrat, vt exequens ſiue vt proxime elliciens, & altera, vt imperãs, ac proinde reſpiciendo aliam rationem formalẽ ſibi propriã. ergo opera Chriſti in quantũ ſatisfactoria, nequeũt ſub hac ratione formali à charitate ſimul, & religiõ. exhiberi.

Denique cõtra tertiũ probatur noſtra cõcluſio quia licet de potẽtia abſoluta ſuppoſitũ diuinum in humanitate aſſumpta, & ipſa humanitas per gratiã vnionis potuerit ellicere actus virtutũ: tamen vt connaturaliter illos ellicerec requirũtur in Chriſto virtutes, & habitus ad actus ipſis proportionatos: ergo quo pacto ponitur in Chriſto charitas ad amorẽ ſupernaturalem, & religio ad exhibendum cultũ Deo, eodem ponenda eſt aliqua virtus iuſtitię commutatiuæ ad opera ſatisfactoria ſub ratione iuſtæ ſatisfactionis, quia vt ſic ſub induunt formalitatẽ actus iuſtitiæ cõmutatiuæ, à qua proinde debent ellici, ſiue regulari, vt ſaluetur connaturalis modus operandi in Chriſto circa obiectum huius virtutis.

Secundo probatur conclusio ratione oſtenſiua: nam in ipſis operibus Chriſti in quãtũ ſatisfactorijs inueniebatur ratio iuſtitiæ commutatiuæ, & non diuerſæ rationis à noſtra: ergo eiuſdem cum illa, ergo procedebat à virtute infuſa iuſtitiæ cõmutatiuę eiuſdẽ rationis cũ noſtra: Maior probatur nã teſte Philoſ. 5. Ethic. c. 3. tũc ſeruatur propria ratio, & æqualitas iuſtitiæ cõmutatiuę in iniurijs quãdo id quod reditur pro iniuria eſt ęquale ſecundũ rẽ dãno illato per iniuriam, ſed valor ſatisfactionis Chriſti fuit ſecundũ rẽ ęqualis, imò ſuperabundans reſpectu offenſæ Deo irrogatę: ergo fuit in eo propria ratio iuſtitię cõmutatiuę: maximè cũ exhibitus fuerit cũ omnibus ſex cõditionibus requiſitis ad materiam iuſtitiæ in eo ſenſu in quo ad illam deſiderantur, vt facile diſcurrendo

per ſingulas, iuxta dicta in dub. 4. probari poteſt. Minor autem probatur dupliciter.

Tum quia eadem ratione repugnat æqualitatem iuſtitiæ commutatiuæ repertam in operibus ſatisfactorijs Chriſti eſſe diuerſæ ſpeciei à noſtra, qua repugnare oſtendimus virtutem ipſam iuſtitię commutatiuæ in Chriſto eſſe diuerſæ ſpeciei à noſtra. Tum etiam quia quod æqualitas, vel valor operum Chriſti ſit ordinis hyppoſtatici, vel quod ſit erga Deum offenſum, habet ſe materialiter, & per accidens ad ęqualitatem, quam per ſe, & formaliter reſpicit iuſtitia commutatiua noſtra, hæc enim per ſe nõ tãtũ reſpicit æqualitatem rei ad rem pro debito pæcuniæ, vel iniuriæ hominis ad hominem, ſed æqualitatem vt ſic rei ad rem faciendam pro debito quocunque reſultante ex pecunia, vel iniuria à quocunque accepta, vel cuicunque illata: huiuſmodi enim ratio ęqualitatis vt ſic, reſpectu illius, cui eſt poſsibilis, eſt obiectum honeſtum, & per ſe amabile, & vnius rationis formalis, quæ non diuerſificatur ex materialibus differentijs humani ſcilicet, & diuini iuris, ſiue debiti: ergo ab vna, & eadem virtute iuſtitiæ commutatiuę poteſt, & debet attingi, tam in nobis, quam in Chriſto, ex quo relinquitur manifeſta, prima conſequentia.

Secunda verò probatur quia operari ex habitu pertinet ad perfectionem operantis, ſicut & operari modo connaturali, ac proinde non eſt Chriſto deneganda huiuſmodi perfectio: ergo ſi in eius operibus ſatisfactorijs inueniebatur ratio obiectiua iuſtitię commutatiuę nõ eſt cur talis ratio nõ procederet & regularetur ex habitu iuſtitię commutatiuæ exiſtente in operante, & ſibi proportionato, qui proinde debebat eſſe infuſus, eo quod erat regula, & principium operum ſupernaturalium ſub ratione formali, & motiuo ſupernaturali, nimirum recompenſandi Deo offenſam generis humani ad æqualitatẽ, pro eius ſalute aſſequenda, & reconciliãda amicitia cum Deo.

Dices, ergo iuſtitia commutatiua noſtra infuſa reſpicit Deum tamquam obiectum materiale, & inclinat ad illi ſatisfaciendum, ſiquidem debet habere eadem obiecta materialia, quæ iuſtitia commutatiua Chriſti. Reſpondetur negando conſequentiam: ſicut obedientia mei Generalis non reſpicit ſuperiorem, quem reſpicit mea & fides habẽtis claritatẽm de *hac De*o *eſt*, non reſpicit idem obiectum materiale, quod reſpicit fides ruſtici, &c.

5 Ad primum pro prima ſententia, licet Suarez vbiſupra neget antecedens: eò quod exiſtimat in exemplis à ſe allatis veram commiti iniuſtitiam contra Deum: tamen verior ſententia eſt nullam iniuſtitiam cõmiti erga Deum, niſi impropriè dictam, quatenus omne peccatum dicitur iniquitas 1. Ioann. 3. quaſi contra iuſtitiam exiſtens, quia irrogat iniuriam Deo, & ipſum quoad affectum in bonis intrinſecis, & quoad effectum in extrinſecis bonis honoris, & famę damnificat. Neque de his loquitur D. Thom. in loco citato ex prima ſecundæ, ſed tantũ de illis, vt ex cõtextu patet, & in eodem ſenſu in quo omne peccatum dicitur iniquitas, omnis virtus dicitur iuſtitia, iuxta illud Matth. 3. *Sic decet nos implere omnem iuſtitiam*, ideſt *omnem virtutem*, vnde cum in antecedenti fiat ſermo de iniuſtitia propriè dicta admiſſo illo neganda eſt conſequentia.

Ad cuius primam probationem, nego antecedens ſi vniuerſaliter accipiatur, quia multoties ius læſum vnius virtutis pertinet ad alteram reparare, vt contingit in illo, qui ex iuſtitia diſtributiua tenetur elligere digniorem ad officium, cathedram, vel beneficium ſi huiuſmodi ius non ſeruet, iuſtitiam diſtributiuam violando, poſtea ex iuſtitia commutatiua tenetur damnum illatum reſarcire, & hoc maxime habet verum quando reparatio iuris læſi non fit à principali debitore, ſed à fideiuſſore. cuius obligatio poteſt eſſe alterius rationis, ac proinde ad alterã pertinere virtutem.

Ad ſecundam nego ſimiliter antecedens, quia licet materialiter, & ſecundum rem, fideiuſſor idem debitum ſuſcipiat ſoluendum, quod contraxerat principalis debitor, tamen formaliter, & quoad modum fit diuerſum, quia diuerſimode ſe obligat, obligatione, ſcilicet legali, quæ ſemper eſt in materia iuſtitiæ commutatiuæ, ad quam tamen non ſemper pertinet obligatio principalis debitoris, vt dictũ eſt in prima concluſione.

Ad ſecundum admiſſa maiori, pro tertia parte, nego minorem: ad cuius probationem reſpondetur Deum capacem eſſe lucri, & damni in bonis extrinſecis: cuius ſignum eſt, quod illis

val-

valde gloriatur in Scriptura, & pro opprobrio ducit illa amittere: propterea enim dicit Eſaiæ 48. *Gloriam meam alteri non dabo*, & Malach. 2. *Vt detis gloriam nomini meo*, & Pſalm. 113. *Ne quando dicant, gentes, vbi eſt Deus eorum*, & Numer. 20. & Ioſue 7. legimus oraſe Moyſen, & Ioſue vt ceſſaret murmuratio populi contra Deum, ne eius fama denigraretur: & quamuis nulla actio Chriſti potuerit ſubterfugere vniuerſale dominiũ Dei, tamẽ ad ſaluandam iuſtam ſatisfactionem pro iniuria ſufficit, quod ſub ſpeciali ratione ſit ſub dominio Chriſti ſatisfacientis, ſub qua nõ erat ſub dñio vniuerſali creditoris, & quod vt ſic de nouo à ſatisfaciente ſubijciatur creditori, & eius dominio, & hoc verum fuit in operationibus ſatisfactorijs Chriſti, quæ vt ſuppoſito libere, & vitaliter illas proxime ellicienti, non Deo ſed ſoli Chriſto ſubijciebantur, quas tamen Chriſtus elliciendo cum ipſo ſuppoſito elliciente Deo offfenſo de nouo ſubijciebat, ita vt ſi per impoſsibile Deus à ſe vniuerſale dominiũ creationis abdicaret, ex vi huiuſmodi ſubiectionis Chriſti, illarum Dominus efficeretur, ſpeciali titulo creditoris ſiue offenſi, cui humiliatur, & ſubijcitur perſona, & operatio debitoris, ſiue fideiuſſoris.

Ad tertium licet poſſet negari maior pro prima parte, eo quod iuſtitia commutatiua etiam noſtra, non perſonarum, ſed tantum rei ad rem poſtulat æqualitatẽ, ſecundum Phyloſophum in loco citato; alioquim agricolæ ad Regem non poſſet ſeruari æqualitas iuſtitiæ commutatiuæ in contractibus emptionis, locationis, & ſimilibus, quod abſurdum eſſe experientia teſtatur: tamen admiſſa maiori pro vtraque parte, nego minorem.

Ad cuius primam probationem patet ex dictis circa finem dubij præcedẽtis: Chriſtum etiam ſatisfeciſſe vt æqualem Deo offenſo ly, vt, reduplicante principiũ formale valoris ſatisfactorij, quod eſt ſuppoſitum diuinum.

Ad ſecũdã reſpõdetur quod licet Chriſtus abſolute volũtariè oblatus ſit, quatenus volũtarius fuit in acceptanda fideiuſſione pro debito alieno tamẽ, ſuppoſita ſemel hac volũtaria acceptatione legali obligatione mãſit aſtrictus, ſicut etiã in humanis quilibet fideiuſſor legalẽ ſuſcipit obligationem, non obſtante quod abſolute voluntarius fuerit in fideiuſsione ſuſcipienda, neque ex hoc ſequitur Chriſtum votum, aut promiſsionem emiſiſſe, quia non promiſsione, ſed conſtitutione factus fuit fideiuſſor.

Ad cuius explicationem ſciendum eſt ex iuriſperitis ad titulum. ff. de *fideiuſsionibus*, & ff. de *conſtituta pecunia*, & § de *conſtituta*, inſtituta, de *actionibus conſtituti*, duobus modis ſuſcipi ab aliquo fideiuſſoriam obligationem: vno modo verbis ſolemnibus, hoc eſt ſtipulatione, promittendo ſe ſoluturum pro debitore, alio modo conſtituendo ſe ſoluturum pro debitore, & huiuſmodi conſtitutio fit nudo conſenſu ex quo oritur obligatio fideiuſſoria eiuſdẽ rationis formaliter cũ prima licet materialiter ab illa diuerſa, & hoc ſecũdo modo Chriſtus ſuſcepit fideiuſſoriam obligationem pro debito humani generis. Ex parte autem Dei nullum fuiſſe debitum acceptandi, & remunerandi opera Chriſti ſatisfactoria, niſi tantum fidelitatis ortum ex promiſsione, quibuſdam placet, eo quod exiſtimant probabiliter ad rigorem, & æqualitatem iuſtitię, non requiri quod creditor teneatur ex debito legali, ſed ſufficere quod merces ſit debita ipſi operi: bene enim aliquid poteſt eſſe debitum alicui operi, quamuis à nullo debeatur, quia eſt tantũ quãtũ poſtulat tale opus ſecundũ ſuam naturam, vel intrinſecam condignitatem, vt patet in partibus, & proprietatibus, quæ dicũtur debitæ ſuis totis, & eſſentijs, & tamen à nullo debentur, & quando aliquis comittit delictum dignum tantæ pœnæ quamuis princeps non teneatur illam infligere, ſed poſsit eam condonare dicimus, quod illud delictum ſecundum rigorem iuſtitiæ meretur talem pœnam, & quod talis pœna ex iuſtitia eſt debita illi delicto.

Defenditur attributũ veræ iuſtitiæ in Deo præhabẽs formaliter eminẽter quidquid in omni virtute iuſtitiæ reperitur.

Sed probabilior ſententia eſt aliorum aſſerentium, Deum ex iuſtitiæ attributo, quod eminenter præhabet quidquid perfectionis eſt in iuſtitia commutatiua, & diſtributiua noſtra, ſecluſis imperfectionibus, teneri, & debitorem eſſe remunerationis operum Chriſti, quia actus huius iuſtitiæ eſt reddere quod vnicuique eſt debitum ex onerofa promiſsione, vel ex acceptata promiſsione.

Simulq; ponitur debitum in Deo ſine imperfectione.

Pro cuius declaratione ſciendum eſt, quod licet ſimplex promiſsio, tantum inducat debitum fidelitatis, tamen quando promiſsio eſt, aut acceptata

ab illo cui fit; vim habet ſtipulationis quæ eſt contractus ciuilis, ac proinde obligans ex iuſtitia, & ſimiliter, quando eſt promiſsio oneroſa facta alicui ſub conditione operis exhibēdi ab ipſo, vt illa qua dominus vineæ facta conuentione cum operarijs promittit ſe daturum illis denarium pro opere vnius diei, & illa, qua offenſus, ſiue creditor promittit ſe condonaturum offenſam ſub ea conditione vt alius diſtinctus ab offenſore exhibeat condignam ſatisfactionem. Tunc offenſus adimpleta conditione tenetur ex iuſtitia acceptare huiuſmodi ſatisfactionē, & remittere offenſam, & quia talis fuit promiſsio qua Deus promiſsit ſe condonaturū offenſam humani generis, & remuneraturū merita Chriſti, & aliàs habet attributum iuſtitiæ propriè dictæ eminenter diſtributiuæ, & commutatiuæ ſecluſis imperfectionibus, ideò duplici debito fuit adſtrictus ad acceptandam Chriſti ſatisfactionē & remuneranda eius merita: altero fidelitatis orto ex promiſsione præciſſe ſumpta, quam de facto interpoſuit: & altero iuſtitiæ orto ex attributo iuſtitię ſupoſita prædicta promiſsione cum conditione oneroſa, vel acceptatione ex parte Chriſti. Nec enim inconueniens eſt vtrique debito aliquem ſemel obligari, vt in humanis contingit, quando quis contractum ciuilem, & aliàs iuſtum iuramento, vel voto, vel promiſsione confirmat, tūc enim ſimul obligatur debito iuſtitiæ, & religionis, vel fidelitatis, nec Deum prædicto modo obligari, & conſtitui debitorem, vt ordinarium iudicem, & offenſum ſiue remuneratorem ex ſuppoſitione ſui liberi cōſenſus, decreti, & promiſsionis eſt maius inconueniens, quam ipſum neceſsitari ex ſuppoſitione, quia ſicut ſecluſa illa abſolute, manet liberrimus, ita etiam ſecundum ſuam potentiam abſolutam ab omni lege ordinaria, & libero decreto, ac promiſsione manet Dominus omnium plenam habens poteſtatem non acceptandi Chriſti ſatisfactionem, & eius merita relinquēdi irremunerata.

52 Ad primum pro primo modo defendendi ſecundam ſententiam, negandum eſt antecedens, quia virtus illa ſpecialis iuſtitiæ commutatiuæ hominis erga Deum impoſsibilis eſt in pura creatura, vt oſtendimus dub. 2.

Ad ſecundum nego minorem. Ad cuius probationem reſpondetur diuerſitatem illam æqualitatis, & debiti materialiter ſe habere ad rationē formalem æqualitatis, & debiti quam reſpicit noſtra iuſtitia commutatiua, ac proinde eademmet ſpecie manens in Chriſto poteſt reſpicere, vt formale motiuum æqualitatem faciendam inter Deum & homines pro eorum offenſa. Quod ſi in alijs puris hominibus non conſtituit æqualitatem cum Deo offenſo iuſtitia commutatiua, hoc prouenit ex incapacitate ſubiecti, cui impoſsibile eſt exhibere æqualem ſatisfactionem pro iniuria Deo irrogata; tamen in Chriſto cui poſsibilis eſt talis ſatisfactio, eademmet uirtus ſecundum ſpeciem eſt ſufficiens illam exhibere: & in illam inclinare: quo pacto eadem virtus iuſtitiæ commutatiuæ ad reſarciendas iniurias hominibus irrogatas eſt in illo, qui ob impotētiā ſubiecti nequit aliquam iniuriam ad æqualitatem reſarcire, & in illo qui illam poteſt compenſare.

Ad tertium admiſſa maiori, ſi intelligatur de diuerſitate formali actuum, nego minor. quia licet actiones theandricæ à pure humanis differant in eſſe entis, pluſquam genere, ſicut differunt ordo hypoſtaticus, & ordo naturæ, ſiue gratiæ: tamen in ratione exhibendi ęquale prætiū pro iniuria, ſunt eiuſdem rationis formalis, ac proiude ab eadem iuſtitia commutatiua reſpiciuntur: ſicut ab eadem Theologia ſecundum ſpeciem athomam reſpiciuntur Deus, ordo hypoſtraticus, & ordo gratiæ, quia licet in eſſe entis differant analogicè, tamen in eſſe ſcibilis per mediatā reuelationem conueniunt in eadem ratione formali, eadem enim Theologia eſt, quæ agit de Deo, de Chriſto, & de virtutibus, ac donis gratiæ.

Ad primum pro ſecundo modo dicendi Vincentij Reſpondetur: quod in illis locis fit ſermo de Paſsione Chriſti, prout imperata fuit à charitate, & prout regulata fuit à religione in ratione ſacrificij, cum quo ſtat, quod in ratione iuſtæ ſatisfactionis fuerit ellicita, vel regulata à iuſtitia commutatiua.

Ad ſecundum nego minorem, quia ſicut illa prima oblatio, qua ingrediens mundum ſe obtulit Chriſtus, fuit vt ſacrificium ex affectu religionis, ita vt ſatisfactio, fuit ex affectu reddendi æquale pro offenſis humani generis.

Digitized by Google

83 Ad tertium nego antecedens. Ad cuius primam probationem reſpondetur, quod illa ſentẽtia Caietani à nobis nõ approbatur. Ad ſecundam reſpõdetur, quod licet act⁹ religionis qui eſt ſacrificiũ ordinetur ad placandum Deum offenſum, vt vult D. Thom. in loco citato, hoc eſt, ob motiuum reuerentiæ illi exhibendæ: actus vero pœnitentiæ, qui eſt ſatisfactio pro offenſa Dei, ob diuerſum motiuũ formale ordinatur ad placandum Deum, ſcilicet propter compenſandum debitum offẽſæ, & recuperandam amicitiam cum Deo.

Ad confirmationem neganda eſt cõſequentia. Ad cuius probationem reſpõdetur quadruplicem differentiam verſari inter meritum, & ſatisfactionẽ, vt notat Nazarius in 1. p. 2. controu. Quarum prima eſt, quod ſatisfactio reſpicit malum, vt compenſandum: meritum vero reſpicit bonum operantis. Secunda eſt, quod ſatisfacimus alteri, ſcilicet offenſo, ſed meremur ab altero, ſcilicet à remuneratore. Tertia eſt, quod meritum comitatur omnia opera virtutum, quodcumque enim virtutis opus in homine iuſto poteſt eſſe meritoriũ vitæ ęternæ, & augmẽti gratiæ: ſatisfactio vero tantum comitatur opera pœnalia interiora, & exteriora elicita ex diſplicentia offenſę Dei: per huiuſmodi enim opera pœnalia dumtaxat poſſumus Deo ſatisfacere ex virtute pœnitentiæ. Quarta eſt, quæ ex tertia ſequitur, quod meritum non eſt actus alicuius determinatæ virtutis, quia cum comittetur omnia opera virtutum, & aliàs ſit conditio nõ ex obiecto, ſed ex dignitate ſuppoſiti operantis proueniens nequit ab aliqua determinata virtute regulari, aut illam ſpecificare, ſatisfactio vero eſt opus vnius determinatæ virtutis, quæ in nobis eſt pœnitẽtia, in Chriſto vero iuſtitia commutatiua, eoquod licet eius valor proueniat à dignitate ſuppoſiti ſatisfacientis tamen refunditur in formalem rationem obiecti, quia ordinatur ad conſtituendam ęqualitatẽ, quæ eſt obiectum iuſtitię, ſiue potentialis, ſi ęqualitas imperfecta fuerit vt in nobis, ſiue perfectæ, ſi æqualitas cõpenſationis fuerit perfecta vt in Chriſto.

Ad fundamentum pro tertio modo dicẽdi reſpondetur, quod licet aliquibus placeat valorẽ ſatisfactorium deriuari ad opera Chriſti ex perſona Verbi mediãte gratia habituali, & virtute infuſa iuſtitiæ commutatiuæ: tamẽ quia huiuſmodi habit⁹ nõ participant intrinſecã dignitatẽ infinitam, ſed tantum extrinſecã ex cõiunctione ad Verbum, ideò nequeunt cõmunicare operibus Chriſti valorem intrinſecũ infinitũ eo vel maximè quod huiuſmodi valor, vt dictũ eſt, à ſola perſona Verbi per naturalem reſultantiam, & nõ per veram actionẽ dimanat: verior ſententia eſt aſſerentium huiuſmodi valorẽ immediatè deribari ad opera Chriſti, ex eius perſonalitate, vt vnita, & nihilominus poſſe optimè huiuſmodi opera vt affecta hoc valore perſonali ſatisfactorio regulari à virtute iuſtitię cõmutatiuę, quia hæc regulatio nõ cõſiſtit in eo quod virt⁹ iuſtitię cõmunicet valorẽ ſatiſfactoriũ operib⁹, ſed in eo quod eliciẽdo, vel imperãdo ipſa opera quoad ſubſtãtiã ordinet illa cũ ſuo valore ad exhibẽdũ Deo ęquale pretium pro offenſa humani generis. Solet etiam hic diſputari à Theologis alia quæſtio circa efficatiam ſatisfactionis Chriſti. ſ. vtrum tanta ſit, vt noſtra ſatisfactio, quaten⁹ illi innititur ſit æqualis, & ſufficiẽs pro offenſa, de qua videndus eſt Caiet. circa finẽ cõmentarij huius art. cuius reſolutio eſt, quod ſi noſtra ſatisfactio ſumatur, vt includens ſatisfactionẽ Chriſti eſt etiã infiniti valoris, ac proinde æqualis eo quod ſicut ex perſona vnius fidelis, & perſona Chriſti efficitur vna perſona miſtica vnitate cõpoſitionis miſticæ, ita ex ſatisfactione vnius puri hominis iuſti, & ſatisfactione Chriſti efficitur vna ſatisfactio vnitate cõpoſitionis miſticæ, quę eſt infinita, quia totũ cuius vna pars eſt infinita poteſt dici infinitũ propter incluſionẽ illius partis: ſecus vero ſi noſtra ſatisfactio ſumatur ſeorſum, & vt cõdiſtincta, & condiuiſa à Chriſti ſatisfactione, vt ſic enim licet illi innitatur vt cauſæ noſtrę gratię ſemper eſt finiti valoris.

ARTIC. III.

Vtrum ſi homo non peccaſſet, Deus incarnatus fuiſſet?

3. d. 1. q. 1. a. 3. & 4. d. 43. a. 2. q. 1. 2. & ver. q. 29. a. 4. ad 3. & 1. Ti. 1. cor. 1. fi.

AD tertiũ ſic proceditur. Videtur, quod ſi homo nõ peccaſſet, nihilominus Deus incarnatus fuiſſet. Manente enim cauſa, manet effectus. Sed, ſicut Auguſt.

dicit 13. de Trinitat.* alia multa ſunt cogitãda in Chriſti incarnatione præter abſolutionem â peccato, de quibus dictum eſt †. Ergo etiam ſi homo non peccaſſet, Deus incarnatus fuiſſet.

† li. 3. c. 17. in pr. to. 3.
† ar. præc.

2 Præterea, ad omnipotentiam diuinæ virtutis pertinet, vt opera ſua perficiat, & ſe manifeſtet per aliquem infinitum effectum. Sed nulla pura creatura poteſt dici infinitus effectus, cum ſit finita per ſuam eſſentiam. In ſolo autem opere incarnationis videtur præcipuê manifeſtari infinitus effectus diuinæ potẽtiæ (per quam in infinitum diſtantia coniunguntur, in quantum factũ eſt, quod homo eſſet Deus) in quo etiam opere maximê videtur perfici vniuerſum, per hoc quod vltima creatura, ſcilicet homo, primo principio coniungitur, ſcilicet Deo. Ergo etiã ſi homo non peccaſſet, Deus incarnatus fuiſſet.

3 Præterea, humana natura per peccatum non eſt facta capacior gratiæ. Sed poſt peccatum capax eſt gratiæ vnionis, quæ eſt maxima gratia. Ergo ſi homo non peccaſſet, humana natura huius gratiæ capax fuiſſet, nec Deus ſubtraxiſſet humanæ naturæ bonum, cuius capax erat. Ergo ſi homo nõ peccaſſet, Deus incarnatus fuiſſet.

4 Præterea, prædeſtinatio Dei eſt æterna. Sed dicitur Roman 1. de Chriſto, qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute. Ergo etiam ante peccatum neceſſarium erat Filiũ Dei incarnari ad hoc quód Dei prædeſtinatio impleretur.

5 Præterea, incarnationis myſterium eſt primo homini reuelatum: vt patet per hoc, quod dixit, hoc nũc os ex oſsibus meis, &c. quod Apoſtolus dicit eſſe magnum ſacramentum in Chriſto & in Eccleſia, vt patet Epheſ. 5. Sed homo non potuit eſſe præſcius ſui caſus, eadem ratione, qua nec Angelus, vt Aug. probat ſuper Geneſ. ad litteram †. Ergo etiam ſi homo non peccaſſet, Deus incarnatus fuiſſet.

Lib. 11. c. 18. tom. 3.

Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit in lib. de verbis Domini *, exponens illud quod habetur Luc. 19. Venit filius hominis quærere, & ſaluum facere quod perierat. Ergo ſi homo non peccaſſet, filius hominis non veniſſet. Et 1. ad Timoth. 1. ſuper illud verbum, Chriſtus venit in hunc mundum, vt peccatores ſaluos faceret, dicit gloſſ. † Nulla cauſa veniendi fuit Chriſto Domino, niſi peccatores ſaluos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla eſt medicinæ cauſa.

In ſer. 36 & de verbis Apoſt. ſer. 8. to. 10
Aug. ſer. 9 de verb. Apoſ. in pri. tom. 10.

Reſpondeo dicendum, quód aliqui circa hoc diuerſimodê opinantur. Quidam enim dicunt, quód etiã ſi homo non peccaſſet, Dei filius incarnatus fuiſſet.

Alij verô contrarium aſſerunt. Quorum aſſertioni magis aſſentiendum videtur. Ea enim quæ ex ſola Dei voluntate proueniunt ſupra omne debitum creaturæ, nobis innoteſcere non poſſunt, niſi quatenus in ſacra Scriptura traduntur, per quam diuina voluntas nobis innoteſcit. Vnde cum in ſacra Scriptura, vbique incarnationis ratio ex peccato primi hominis aſsignetur, conuenientius dicitur incarnationis opus ordinatũ eſſe â Deo in remedium contra peccatum, ita quod peccato non exiſtente, incarnatio nõ fuiſſet: quamuis potentia Dei ad hoc non limitetur: potuiſſet enim etiam peccato non exiſtente Deus incarnari.

Ad primum ergo dicendum, quod omnes aliæ cauſæ, quæ ſunt aſſignatæ *, pertinent ad remediũ peccati. Si enim homo non peccaſſet, perfuſus fuiſſet lumine diuinæ ſapiẽtiæ, & iuſtitiæ rectitudine perfect⁹ â Deo ad omnia neceſſaria cognoſcend , &

arg. 1. & art. præc.

agen-

agenda. Sed quia homo deſerto Deo, collapſus erat ad corporalia, cõueniens fuit vt Deus carne aſſumpta etiam per corporalia ei ſalutis remedium exhiberet. Vnde dicit Auguſt. ſuper illud Ioan. 1. cap. * Verbũ caro factum eſt. Caro te obcæcauerat, caro te ſanat: quoniam ſic venit Christus, vt de carne, carnis vitia extingueret.

Tract. 2. in Ioa. circa fi. to. 9.

Ad ſecundum dicendum, quod in ipſo modo productionis rerum ex nihilo, diuina virtus infinita oſtenditur. Ad perfectionem etiam vniuerſi ſufficit, quod naturali modo creatura ordinetur in Deum ſicut in finem. hoc autem excedit limites perfectionis naturæ, vt creatura vniatur Deo in perſona

Ad tertium dicendum, quod duplex capacitas attendi poteſt in humana natura. Vna quidem ſecundum ordinem potentiæ naturalis, quæ â Deo ſemper impletur, qui dat vnicuique rei ſecundum ſuam capacitatem naturalem. Alia verô ſecundum ordinem diuinæ potentiæ, cui omnis creatura obedit ad nutũ; & ad hoc pertinet iſta capacitas. Non autem Deus omnem talem capacitatem naturæ implet: alioquin Deus nõ poſſet facere in creatura niſi quod facit: quod falſum eſt, vt in primo habitum eſt *. Nihil autem prohibet ad aliquid maius humanã naturam productam eſſe poſt peccatum: Deus enim permittit mala fieri, vt inde aliquid melius eliciat. Vnde dicitur Rom. 4. Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit, & gratia. Vnde & in benedictione cerei Paſchalis dicatur, O felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere redemptorem.

Pri. p. q. 105. a. 6.

Ad quartum dicendum, quod prædeſtinatio præſupponit præſcientiam futurorum. Et ideô ſicut Deus prædeſtinat ſalutem alicuius hominis per orationes aliorum implendam, ita etiam prædeſtinauit opus incarnationis in remediũ humani peccati.

Ad quintum dicendum, quod nihil prohibet alicui reuelari effectũ, cui non reuelatur cauſa. Potuit igitur primo homini reuelari incarnationis myſterium, ſine hoc quod eſſe præſcius ſui caſus. Non enim quicumque cognoſcit effectum, cognoſcit. & cauſam.

COnclusio eſt, quamuis Deus de potentia abſoluta non exiſtente peccato potuiſſet incarnari: tamẽ de facto illo non exiſtente nullatenus incarnatio fuiſſet.

Cum omnes Theologi conueniant circa primam partem concluſionis, nulluſque ambigat Deum abſolute potuiſſe incarnari, etiam ſi nullum eſſet peccatum ex parte hominum: & merito quidem quia neque occaſione peccati habuit Deus maiorẽ potentiam ad faciẽdum incarnationẽ, nec ſublata indigẽtia remedij ex parte hominum, deeſſent alij fines ſuperiores, propter quos incarnatio eſſet conueniens. Solum diſcriminantur circa ſecundam cõcluſionis partem, & ideò ſola hæc à Thelogis in hoc articulo controuertitur, & à nobis proinde venit examinanda ſub titulo ſequentis dubitationis.

* *
*

Du-

Dubitatur. An non exiſtente peccato humani generis futura eſſet diuini Verbi incarnatio?

Status, & titulus quæſtionis expẽditur.

52 PRO Huius tituli intelligentiæ notandũ eſt nomine peccati humani generis, nec ſolũ originale, quod ex primo parente contrahunt omnes homines: nec ſolum actuale, quod vnuſquiſque proprio actu, aut omiſsione actus debiti committit, ſed peccatum in communi intelligi, prout ſe extendit ad vtrumque, originale ſcilicet, & actuale, & pariformiter nomine incarnationis intelligi, non determinatum modum carnis aſſumendæ, qui conſiſtit in eo quod ſit paſsibilis determinate, aut impaſsibilis: ſic enim nullus ambigit Deum non fuiſſe aſſumpturum carnem paſsibilẽ peccato non exiſtente, quia tunc nulla eſſet neceſsitas, vel congruentia patiẽdi, aut moriendi; ſed accipi incarnationem quoad ſubſtantiã tantum; prout importat aſſumptionem carnis humanæ abſtrahẽdo à modis paſsibilitatis, & impaſsibilitatis: ita vt ſenſus totius tituli quæſtionis ſit, vtrum ſi nullum peccatum humani generis, tam originale, quam actuale exiſteret, adhuc Verbum diuinum aſſumeret carnem humanã, vel primo, vel ſaltem ſecundo modo, nimirum impaſsibilem, ex vi eiuſdem decreti, vel ſaltem eiuſdem intentionis?

Et in hoc ſenſu diſcriminantur Theologi in tres ſententias, quarum duæ extremæ ſunt, & alia eſt media. Prima illarum eſt affirmatiua, etiam ex vi præſentis decreti; ita Rupertus lib. de gloria, & honore filij hominis, in Matth. & lib. 13. de gloria Trinitatis cap. 20. citatque Auguſtinum lib. de peccatorum meritis cap. 38. ſed immerito vt poſtea videbimus: quam ſequitur Scotus in 3. diſt. 7. quæſt. 3. & diſt. 19. quæſt. 1. Lichet⁹ diſt. 7. quæſt. 3. Bonauentura diſt. 1. art. 2. quæſt. 2. Cart. in eodem 3. diſt. 1. quæſt. 2. Albertus diſtinct. 20. art. 4. quos ſequitur ex recent. Cather. lib. 1. de prædeſtinatione Chriſti, Guillelmus Pariſienſis lib. 2. de vniuerſo, Galati lib. 7. de arcanis cap. 3. Albertus Pygius lib. 8. de libero arbitrio cap. 1. & lib. 10. cap. 1. Iacobus de Vallentia ſuper Pſalm. 52. & 81. Melchior Flab. lib. de regno Chriſti à cap. 6. Claudius Taurin. lib. de prouidentia tract. 1. cap. 5. & Cartagena lib. de prædeſtinatione hominum. & Angelorum, diſcurſu 11. Mendoza quæſtion. 1. Scholaſtica, & Suar. diſp. 5. ſect. 2. & ſequentibus: qui in duos modos, dicẽdi diuiduntur. Omnes enim, excepto Magiſtro Suarez, diſtinguentes tria inſtantia, ſiue ſigna rationis in diuina voluntate dicunt, in primo Deum voluiſſe communicare ſe vniuerſo ſummo modo poſsibili, vel ſecundum omnem gradum poſsibilem cõmunicationis, ſcilicet naturæ, gratiæ, & vnionis hypoſtaticæ, ac proinde in hoc primo ſigno Deum voluiſſe Chriſtum cũ omnibus alijs prædeſtinatis, aut propter ſuam diuinam bonitatem tantum, aut ſimul propter exaltationem humanæ naturæ: in ſecundo verò præuidiſſe peccatum, tanquam defectum naturæ, & gratiæ, & voluiſſe eius permiſsionem: & tandem in tertio ordinaſſe Chriſtum, atque incarnationem ad peccati remedium, & in hominũ redemptionem.

Quorum fundamenta ſunt quinque. Primum deſumitur ex teſtimonijs Scripturæ, quæ ad duplicem ſeriem reducuntur. In prima ſunt illa, in quibus ſignificatur Chriſtũ habuiſſe aliquod eſſe glorioſum diſtinctum à paſsibili, & mortali, ac per conſequens non ordinatum ad hominum redemptionem, illudque extitiſſe ante mundi conſtitutionem, & ante peccatũ hominum, & Angelorum: quæ duo cum non poſsint intelligi ſecundum ordinem executionis, debent intelligi ſecundum ordinem diuinæ intentionis, & prædeſtinationis: cuiuſmodi eſt illud Lucæ 10. vbi Chriſtus teſtatur ſe vidiſſe Sathanam, *Tanquam fulgur de cœlo cadentem*, & Ioan. 6. *Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem vbi erat prius*, & cap. 12. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet*, & cap. 17. *Et nunc pater clarifica me claritate, quam habui, priuſquam mundus fieret, apud te*: & ad Philipenſes. 2. *Exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens*: & illud Prouerb. 8. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, &c.* quem locum de Sapientia

Digitized by Google

pientia incarnata interpretantur Clemens lib. 5. conſtitutionum cap. 19. Nazianzenus oratione 36. Hylarius libro. 12. de Trinitate, cum igitur Chriſtus dicatur cōditus in quantum homo ab æterno initio viarum Dei, & hoc non poſſit intelligi ratione durationis, conſequens eſt debere intelligi ratione prædeſtinationis, quia ſcilicet fuit primus in mēte Dei: & illud ad Coloſenſes primo, vbi Paulus appellat Chriſtum primogenitum omnis creaturæ: quæ verba de Chriſto ſecundum humanitatem interpretantur gloſſa, Cryſoſtomus, Diuus Thomas, Titelmanus, Eraſmus, Caietanus, & Concilium Sardicenſe in epiſtola ad omnes fideles: dicitur ergo Chriſtus in quantum homo primogenitus prioritate prædeſtinationis.

In ſecunda ſeriè ſunt alia teſtimonia in quibus ſignificatur Chriſtum veniſſe propter alios fines preter redemptionem: ac proinde ad huc neceſsitate illius ceſſante, propter illos veniret: ſic Ioan. 8 dicit Chriſtus de ſeipſo: *In hoc natus ſum, vt teſtimonium perhibeam veritati*; in quo ſignificat ſe veniſſe ad hunc finē, vt eſſet doctor veritatis: Ioan. 10. *Ego veni vt vitam habeant*, id eſt, non ſolum veni vt vitam deperditam hominibus reſtituā redimendo; ſed etiā vt eorum vitam donis ſpiritualibus cumularem, & 1. ad Corint. 7. ait Paulus: *Sapientiā loquimur, quæ in myſterio abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus in gloriam ſuam*: quo denotat Chriſtū, nō tantū in remedium peccati: ſed etiam in exaltationē, & gloriā Dei, & hominis prædeſtinationē fuiſſe: & ad Titum 2. *Apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria, ſobrie iuſte & piè viuamus, &c.* in quibus ſignificatur Chriſtum veniſſe non tātum vt eſſet redemptor, ſed etiam vt eſſet noſter doctor, vt exemplar noſtrarum actionum, quod etiam diffinitur ſub anathemate in Concilio Tridentino ſeſs. 6. in decreto de iuſtificatione canon. 21. & Ioannis 13. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*: ergo ceſſante fine redemptionis ex parte noſtra, ac proinde non exiſtente peccato, adhuc propter hos fines Verbum diuinum carnē impaſsibilem aſſumeret.

Secundum fundamentum deſumitur ex ordine, quo diuina voluntas ad ſua obiecta fuit terminata, inter quæ incarnatio habuit rationem finis, & permiſsio peccati rationē medij: ergo prius volita fuit incarnatio voluntate abſoluta. Conſequētia patet, quia ordinate, & prudenter volens, prius vult finem quam media, quia illum vult vt rationem volendi iſta.

Antecedens autem probatur tripliciter. Tum ex teſtimonijs aductis in prima ſeriè, in quibus Chriſtus dicitur initiū viarum Dei, & principium omnis creaturæ: cum enim non fuerit principium omnium creaturarum in executione, neque in genere cauſæ efficientis, debuit eſſe illarū initium in intentione, & in genere cauſæ finalis: quibus accedunt alia duo teſtimonia Pauli; nimirum illud ad Hebr. 2. vbi dicit: *Chriſtum eſſe eum propter quem omnia*: & illud 1. ad Corinth. 3. vbi loquens de electis ſic ait: *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti: Chriſtus autem Dei*, ſed omnia ſunt ellectorum vt finis: quia ſcilicet ordinātur vt deſeruiant eis ad beatitudinis conſequtionem: ergo pariformiter omnia, & ipſi electi ſunt Chriſti vt finis.

Tum etiam, quia in illa prima volitione qua Deus voluit ſe communicare creaturis omnibus vniuerſi, finis fuit gloria Dei conſiſtens in manifeſtatione diuinorum attributorum: ſed ad hunc finem, medium magis aptum, immediatū, & proportionatum fuit incarnatio, vt dictum eſt artic. 1. ergo incartio fuit volita vt finis reliquarum creaturarum, ac proinde prius illis in genere cauſæ finalis. Conſequentia hæc patet, quia ex pluribus medijs volitis propter aliquem finem: illud eſt prius volitum, & vt finis aliorum, quod illi fini eſt propinquius, & magis proportionatum.

Tum denique, quia per primam volitionem qua fuit volitus à Deo ordo naturæ, fuit etiam volitus ordo gratiæ, & gloriæ in hominibus, & vt finis ordinis naturæ: ergo etiam fuit volitus ordo vnionis hypoſtaticæ, vt finis cæterorum ordinum, ac proinde prius illis. Antecedens patet, quia ſicut in executione nunquam humana natura habuit ſtatum, in quo nō fuerit ordinata in finem ſupernaturalem ordinis gratiæ, ita neque in diuino decreto fuit volita, niſi vt ordinata ad beatitudinem ſupernaturalem, vt in finem. Conſequētia vero probatur, quia de facto in executione omnes effectus naturæ, gratiæ, & gloriæ ordinantur in Chriſtū, vt in finem, vtpote cum omnes cedant in gloriam, & honorem

rem Chriſti, & etiam id ipſum de effectib⁹ naturę patet, quia omnes ordinantur in bonum ſupernaturale gratiæ vt in perfectionem, ac proinde vt in finem: ergo ſi gratia ordinatur in Chriſtum vt in finem à fortiori natura. Deinde de effectibus gratiæ patet, quia propterea in Concilio Tridentino ſeſsione 6. decreto de iuſtificatione cap. 7. diffinitur Chriſtum eſſe cauſam finalem noſtræ iuſtificationis, nomine autem iuſtificationis comprehenduntur prima vocatio, & cæteræ diſpoſitiones.

Denique de glorificatione, quod ordinetur in gloriam Chriſti vt in finem, patet ex illo Ioannis 17. *Pater venit hora clarifica filium tuum*, & ſtatim quaſi explicans Chriſtus, in quo cōſiſteret hæc ſua glorificatio ſubdit: *Vt omne quod dediſti ei det eis vitam æternam*: ergo.

Tertium ſumitur ex ordine prædeſtinationis Chriſti ad aliorum hominum prædeſtinationem: nam Chriſtus fuit prædeſtinatus ante permiſsionem peccati originalis, ac proinde ante præuiſam eius futuritionem: & à fortiori ante præuiſam futuritionem alterius cuiuſcumque peccati actualis, vtpotè cum originale in hominibus ſit radix aliorum: ergo prædeſtinatio Chriſti intelligitur conſummata independenter à futuritione cuiuſcumque peccati hominum, ac perconſequens etiam ſi nullum eſſet peccatum hominum, illa poneretur in executione.

Conſequentia eſt nota, quia cum prædeſtinatio ſit efficax decretum, debet ei reſpondere executio, etiam ſi non ponatur in eſſe illud, à quo ipſa non dependet, vel cum quo non habet conexionem. Antecedens autem probatur, quia prædeſtinatio hominum fuit completa ante permiſſionem, & præuiſionem talis peccati, ſiquidem prędeſtinatio eſt decretum efficax dādi gratiam, & gloriam, & hanc prius Deus voluit dare hominibus efficaciter, quam certo præſciuerit illos peccaturos, & independenter à peccato permiſſo, ac præuiſo: & prædeſtinatio Chriſti eſt cauſa exemplaris, & finalis prædeſtinationis hominum: exemplaris quidem, quia ita probat D. Thom. infra quæſt. 24. art. 3. tū ex ſententia Auguſtini lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 5. tum etiam ex illo ad Romanos 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui*, &c. Finalis vero, quia propterea ad Epheſios 1. dicitur: *Quod Deus prædeſtinauit nos per Ieſum Chriſtū in ipſum*, vbi ſicut particula *pro*, importat cauſalitatem meritoriam, ita particula *in*, importat finalem.

Quartum deſumitur ex ſtatu iuſtitiæ originalis, illa enim cum omnibus ſuis donis fuit collata primo parenti propter merita Chriſti, & tamen independenter ab originali peccato, non ſolum in executione, ſed etiam in decreto efficaci dandi illa: ergo indepēdēter ab originali peccato veniret Chriſtus. Maior patet tripliciter. Tum, quia gratia Adami fuit effectus prædeſtinationis ipſius, & huius prædeſtinationis, ſicut & aliorum hominum fuit cauſa prædeſtinatio Chriſti: ergo de primo ad vltimum gratia Adam fuit effectus prædeſtinationis Chriſti. Tum etiam, quia teſte Diuo Thoma 2. 2. q. 2. artic. 7. Adamus ante peccatum habuit fidem infuſam Chriſti venturi vt conſummatoris gloriæ, & ex conſeqnenti vt authoris gratiæ, non enim ſperanda eſt gloria ab illo, qui non eſt author gratiæ, cum gratia ſit acceptatio ad gloriam: ergo in illo ſtatu Adam habuit gratiam ex meritis Chriſti, quod nō tantum de augmento, ſed etiam de prima gratia eſt intelligendum cum nullatenus dicendum ſit illum habuiſſe aliquos gradus gratię per merita Chriſti, & alios ſine illis: ergo.

Tum denique, quia aliquis gradus gloriæ in Adamo nunc reſpondet primæ gratiæ, & meritis, quæ in ſtatu innocentiæ habuit in virtute illius primæ gratiæ, ſiquidem per pœnitētiam eius prima gratia fuit recuperata, & cuncta merita antiqua per peccatum ſemel mortificata, poſtea reuixerunt: ergo ſicut gradus gloriæ eis correſpondens eſt effectus meritorum Chriſti, ita & ipſa prima gratia Adami, & merita ex illa procedentia, quæ contulerunt Adamo ius ad talem gradum gloriæ, debent eſſe effectus eorumdem meritorum Chriſti.

Minor vero eſt nota, quia voluntas dandi iuſtitiā originalem cū omnibus donis ad illas conſecutis Adamo, fuit in Deo ante præuiſionem peccati, & independens à permiſsione illius, ita vt etiam ſi Adam non peccaret, daretur ei iuſtitia originalis, & in poſteros transfunderetur; imo fuit ei collata ſub hac lege, vt ſi non peccaret in poſteros eſſet transfundenda: ergo.

Quintum deſumitur ex triplici inconuenienti, quod ſequitur oppoſita ſententia,

tentia. Primum eſt, quod Deus velit maius bonum dependenter à minori, & quod maius bonum ordinet ad minus, ſiquidem incarnationem, quæ eſt maximum bonum vniuerſi ordinaret in remedium peccati, quod eſt minus bonum, quod tamen eſſe inconueniens patet, quia eſt contra debitum ordinem, ſecundum quē imperfectiora ordinantur ad perfectiora, & non econtra: ergo.

Secundum eſt, quod intentio finis fieret depēdēter à præſciētia medij futuri, & conſequenter intentio dandi gloriam electis præſupponeret præſciētiā meritorū, quod tamen eſſe inconueniens patet, ex his quæ docuimus in materia de prædeſtinatione, vbi oſtendimus ex Scriptura, & Patribus, intentionem abſolutā, & efficacem dandi gloriam ellectis, nō fieri ex præuiſis meritis, ſed potius præſupponi ad futuritionem præuiſam illorum, ſicut in vniuerſum intentio finis præſupponitur ad electionem mediorum: ergo. Sequela patet, quia permiſsio peccati, & remedium illius eodem modo comparatur ad decretum incarnationis, quo merita prædeſtinati cōparantur ad intentionem, quam Deus habuit dandi illi gloriam, vtrobique enim eſt comparatio medij ad finem, & ſicut in Scriptura reuelatur de Chriſto, quod venit in remedium peccati, ita de prædeſtinatis dicitur, quod conſequentur gloriam propter merita. & quod vnicuique dat Deus ſecundum opera eius: ergo pariformiter præſciētia peccati ad decretum incarnationis, & præſciētia meritorum futurorum ad decretum prædeſtinationis debet præſupponi.

Tertium eſt, quod daretur cauſa prædeſtinationis Chriſti ex parte noſtra, nempe peccatum, quod tamen eſſe inconueniens patet, quia noſtræ prædeſtinationis, aut reprobationis inconueniens eſt dari cauſam ex parte noſtra, vt oſtendimus in materia de prædeſtinatione, & tamē vtriuſque daretur cauſa, admiſſa prædicta hypotheſi, illius quidem quia bene ſequitur, datur cauſa ex parte noſtra prædeſtinationis Chriſti, & prædeſtinatio Chriſti eſt cauſa noſtræ: ergo etiam datur cauſa noſtræ prædeſtinationis: iſtius vero, quia ſi peccatum præuiſum ſupponitur ad prædeſtinationē Chriſti à fortiori ſupponitur ad decreta prædeſtinationis, & reprobationis hominum, & vt ſic præſuppoſitum erit cauſa ſufficiens reprobationis: ergo.

Suarez vero aſſerit incarnationem fuiſſe volitam propter plures fines totales & principales, quorum vnus fuit remediū peccati, ac proinde adhuc iſto deficiente, fieret incarnatio propter alios ex vi præſētis volitionis, ſiue decreti; quod probat: quia non eſt inconueniens diuinam voluntatem velle aliquod obiectum ſimul propter diuerſos fines totales, & principales, ac proinde neque quod ſic voluerit incarnationē: & aliàs ſic ſaluantur teſtimonia Scripturæ, in quibus ſignificatur Chriſtum veniſſe propter plures fines, vt patet ex primo argumento pro prima ſententia: ergo. Maiorē probat hic auctor tripliciter.

Tum, quia de facto Deus duplici titulo, vult dare eandem gloriam ellectis adultis, ſcilicet vt hæreditatem filijs, & vt præmium laborantibus, & eandem gloriā corporis contulit Chriſto titulo vnionis, & merito paſsionis, quod eſt dare illā propter duos fines totales.

Tum etiam, quia Chriſtus de facto venit in remediū peccati originalis, & actualis, tanquam propter duo motiua totalia, quia veniret nihilominus propter remediū ſolius originalis.

Tum denique, quia etiam volūtas humana poteſt habere vnius volitionis duplex motiuum totale, vt quando quis vult dare eleemoſynam ex motiuo miſericordiæ, & pœnitētiæ ſimul, ita vt ex quolibet illorum eſſet daturus. Et ſimiliter quando Samuel 1. Reg. 16. propoſuit ire Bethleē ad vngendum Dauidem in Regem, habuit duplex motiuū illuc eundi, ſcilicet vngēdi Dauidem, iuxta Domini præceptum, & ſacrificandi Domino, & propterea dixit: *Ad imolandum Domino veni*: quorum motiuorum quodlibet fuit totale, & ſufficiens ad tale iter: ergo à fortiori diuina potuit habere plures fines totales incarnationis: ergo.

Secunda ſententia media aſſerit peccato hominum non exiſtente, Verbum diuinum adhuc aſſumpturum eſſe carnem, non quidem paſsibilem, aut ex vi decreti, quo de facto poſsita fuit in eſſe, ſed ex vi alterius, quo tunc Deus ſtatueret incarnationem facere aliter quā nunc, id eſt in carne impaſsibili, & glorioſa. Hæc ſententia tribuitur Alberto in loco citato: cuius fundamentum poteſt eſſe duplex.

Primum, quia Deꝰ potuit habere hoc decretum conditionatum, volo vt Verbū diuinum

diuinum aſſumat carnem impaſsibilē propter exaltationem naturæ humanæ, vel propter manifeſtationem ſuorum attributorum, vel propter alios fines ſi homo nō peccaſſet ſicut de facto habuit alia decreta conditionata, vt oſtendimus in materia de prædeſtinatione; imò illud ſic habere, eſt conueniens ſummæ bonitati Dei, quā etiam non exiſtente peccato decebat ſummo modo cōmunicari creaturis per incarnationem, vt oſtendit ratio D. Thom. in art. 1. quæ non minus probat conuenientiam incarnationis exiſtente, quam non exiſtente peccato, ex natura ſummæ bonitatis, quæ eadem omnino eſt, tam exiſtente, quam non exiſtente peccato: ergo ex vi huius decreti conditionati, ad impleta cōditione Chriſtus adueniret in carne impaſsibili.

Secundum eſt, quia non exiſtente peccato hominum, non ſolum ex parte Dei eſſet conueniens incarnatio, quia hoc medio ſume ſe communicaret, & oſtenderet ſuam bonitatem, ſed etiam ex parte hominum, quia natura humana ad tantam dignitatem ex tolleretur, & quia haberent homines caput homogeneum, quod in ipſos influeret dona gratiæ, & eis illa promereretur merito riguroſæ iuſtitiæ, & tandem eſſet etiā conueniens ex parte totius vniuerſi, quod vnione hypoſtatica valde perficeretur, & non ſolum tribus gradibus eſsē di, ſed etiam tribus ordinibus, naturæ, ſcilicet gratiæ, & vnionis hypoſtaticæ eſſet cōpletum: ergo propter has conuenientias, ſi homo non peccaret haberet Deus decretum incarnationis diſtinctum ab illo quo de facto incarnatio poſsita fuit in eſſe.

Tertia ſententia abſolutē negat peccato hominum non exiſtente futuram eſſe incarnationem, tam ex vi decreti quo poſsita fuit in eſſe, quā ex vi alterius. Hāc ſequitur D. Thom. in hoc articulo, & 4. contra gentes cap. 55. & in 3. diſt. 1. q. 1. art. 3. Capreolus ibidem art. 1. & 3. Ricar. Gabr. & Mai. ibidem, Caietanus in hoc art. Lorca, & Valentia puncto 7. Ranguſa diſp. 28. §. 9 diſput. 30. Cabrera diſput. 1. §. 2. Vazquez diſput. 10. cap. 4. Albar. diſp. 9. Peſant. diſp. 1. & Vinc. in relect. q. 6. pag. 683. In cuius ſententiæ explicatione diuidūtur diſcipuli D. Th. in tres modos dicendi.

Primus eſt Vincent. diſtinguentis tria inſtantia, ſiue ſigna rationis in voluntate diuina. In quorū primo cognouit Deus, vt poſsibiles tres illos modos communicationis, ſcilicet naturæ, gratiæ, & vnionis hypoſticę, & in ſecundo ſimul voluit ſe communicare iſtis tribus modis, nō tamen determinando perſonam Trinitatis, quæ eſſet vnienda, nec ſpeciem, aut indiuiduum naturæ aſſumendæ, ſed vage voluit aliquam diuinam perſonam aſſumere naturam creatam: & tandem in tertio permiſsit originale peccatum, & ſimul in remedium illius diſtinctè voluit talem perſonam, ſcilicet Verbi aſſumere talem naturam cū tali modo, ſcilicet humanam cum carne paſſibili in hoc indiuiduo.

Secundus modus eſt Capreoli vbi ſupra art. 3. in ſolutione ad 1. & Medinæ hic, & aliorum, & Cabrera, qui coniungunt iſta duo, nimirum quod Chriſtus nullatenus eſſet venturus, non exiſtente peccato, & quod nihilominus fuit prædeſtinatus in genere cauſæ finalis prius quam eſſet permiſſum, & præuiſum peccatum, eo quod licet aliquod ſit prius prædeſtinatū in genere cauſæ finalis, nō tamē ſtatim prę ordinatū eſt prioritate inſtantis, in quo ſed poteſt eſſe prædeſtinatum ſimul ſimultate ſubſiſtendi cōſequentia, quæ eſt oppoſita illi prioritati, in quo, ſeu à quo vt Philoſophus docet in poſt prędicam. c. de modis prioris, vbi inquit, quod inter ea quæ ſunt ſimul conſequentia contingit aliquando, quod vnū ſit prius alio cauſalitate: ſic ergo licet incarnatio fuerit prior in mente Dei in genere cauſæ finalis quam permiſſio peccati, tamen fuit ſimul cum illa ſimultate cōſequētiæ; & illa etiam fuit prior incarnatione in genere cauſæ materialis circa quam, & propterea non exiſtente peccato nullatenus Chriſtus veniret.

Tertius modus eſt Caiet. & Aluarez, & Ranguſę, & Vazq. qui conſtituunt prædicta inſtantia, & ſigna rationis hoc ordine, vt in primo Deus ſtatuerit producere in vniuerſo, ordinem naturæ cum ſuis debitis partibus, & defectibus: quorum alij ſunt purè naturales, vt monſtra, ægritudines, & ſimilia, & alij ſunt morales in creaturis intellectualibus, vt ignoràtia, & peccatum, licet enim aliqua peccata ſint ordinis gratiæ vt contraria illi, quia ſunt contra finem, & legem ſupernaturalem, tamē omnia ſunt ordinis naturæ ſubiectiue, vel effectiue, eo quod peccare non eſt gratiæ, ſed naturæ, nam ex nobis ſolis peccamus, iuxta illud Oſe. 13. *Perditio tua*

ex

Digitized by Google

ex te Iſraël. In ſecundo vero ſtatuit Deus perficere vniuerſum ſecundum ordinem gratiæ, eleuans ad illum rationales creaturas, tam Angelos, quam Adamũ. In tertio permiſsit Angelorum quorumdam, & Adami peccatum in detrimentum poſterorum. Ex quo tandem in quarto ſumpſit occaſionem mitendi Chriſtum, & perficiẽdi vniuerſum ſecundum ordinem vnionis hypoſtaticæ, in remediũ peccati, & ſic prædeſtinatio Chriſti præſuppoſuit præſcientiam futuri peccati, ſaluo eius primatu, ſcilicet, vt veniret in remedium peccati, & ſimul vt caput, & Princeps Eccleſiæ in genere cauſæ materialis, & quia hic modus dicendi eſt conformior, tum veritati, & doctrinæ Diui Thomæ, tum noſtris fundamentis, quæ docuimus in materia de prædeſtinatione. Pro eius declaratione.

Præfertur ſententia Thomiſtarum, quod non eſſet incarnatio non exiſtente peccato humani generis.

54 Dico primo: ſi non eſſet aliquod peccatum hominum, Verbum diuinum nullatenus carnem aſſumeret ex vi decreti, ex vi cuius de facto illam aſſumpſit. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus auctores primæ ſententiæ.

Et probatur primo ex teſtimonijs Scripturæ, in quibus ſignificatur vnicũ, & totale motiuum aſſumendi carnem fuiſſe remedium peccati, & nullum aliud: propterea enim dicitur Matth. 18. & Luc. 19. *Venit filius hominis quærere, & ſaluum facere, quod perierat*: ad Galat. 4. *Miſsit Deus Filiũ ſuum factum ex muliere factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant redimeret*: & 1. ad Timot. 1. *Fidelis ſermo, & omni aceptione dign⁹, quod Chriſtus Ieſus venit in hunc modum peccatores ſaluos facere, &c.* & 1. Ioan. 3. *Chriſtus apparuit, vt diſoluat opera diaboli*: & Ioan. 3. *Miſſit Deus Filium ſuum vt ſaluetur mũdus per ipſum*: & Matth. 9. *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores*: cuius rationem ſtatim ſubiecit, dicens: *Non opus eſt valentibus medico, ſed male habentibus*: quem locum explicans Auguſtin. lib. de verbis Apoſt. ſerm. 10. ait Chriſtum potiſsimè veniſſe vt officium medici exerceret reſpectu humani generis ægrotantis per peccatũ: & propterea Matth. 1. ab huiuſmodi officio, ad quod veniebat fuit illi impoſitum nomen ſaluatoris: *Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum*, dixit Angelus ad Ioſeph, & Luc. 2. dixerunt ad Paſtores, *Quia natus eſt vobis hodie Saluator*: & propterea etiam in veteri teſtamento quoties promittitur Chriſtus venturus fit mentio de indigentia humani generi s, & eius redemptione, vt Geneſ. 3. promittitur Chriſtus cum ponuntur inimicitię inter ſemen mulieris, & ſerpẽtis, teſte Rupert. lib. 3. de Trinitate cap. 19. & ſtatim ponitur finis, ſcilicet redemptio hominis, dum dicitur: *Ipſa conteret caput tuum*: & Iſai. 40. dum promittitur Chriſti aduentus, dicitur ad Eccleſiam, *Conſolamini conſolamini popule meus, &c. quoniam cõpleta eſt malitia eius dimiſſa eſt iniquitas illius, &c.* & cap. 52. ſimiliter dicitur ad Eccleſiam ſub nomine mulieris ægrotæ, viduæ, & captiuæ: *Conſurge, conſurge, induere fortitudine tua Sion, induere veſtimentis gloriæ tuæ Ieruſalem, ſolue vincula colli tui, &c.* ideſt ægrota eras, conſurge ab ægritudine per Chriſti aduentum, vidua eras, induere iam veſtimentis gloriæ tuæ, captiua eras, ſolue vincula colli tui, &. c. 61. promittitur Chriſtus, vt ſpecialiter vnctus, & miſſus ad anũtiandũ captiuis indulgentiã. & medẽdũ infirmis, quem locũ de ſe ipſo Chriſtus eſt interpretat⁹ Luc. 4. & quãuis in his teſtimonijs tantũ videatur fieri mentio de aduentu in executione, quia in illis redemptio hominum aſsignatur pro motiuo principali, & totali incarnationis, quoad executionem, rectè colligitur idem fuiſſe motiuum, vt incarnatio eſſet volita à Deo, quia idem motiuum habuit Deus reſpectu incarnationis, quãtũ ad executionem, & quatenus fuit obiectum ſui decreti, & volitionis: ergo.

Secundo probatur ex illis verbis Symboli Nizeni: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutẽ deſcẽdit de cœlis*, quę etiam habentur in Concil. Ephеſ. Calced. Tolet. 6 & 11. quibus accedunt teſtimonia Patrum, nimirum Atha. oratione de humanitate Verbi, Aug. lib. de natura, & gratia cap. 25. & in Enquir. cap. 61. & lib. 3. Hypognoſticon. & Greg. lib. 30. mor. cap. 11. Dion. de cœleſt. cap. 3. Hireneus lib. 3. cap. 20. Baſil. homil. de natiuitate Chriſti, & aliorum aſſerentium remedium peccati fuiſſe vnicum, & totale motiuum aduentus Chriſti, quos fuſſe refert Suar. diſp. cit. ſect. 2.

Tertio probatur ratione Theologica D. Thom. ex prędictis teſtimonijs deſumpta ad hanc formam reducta myſteriũ incarnationis cum ſit ſupra debitum naturæ, & à ſola voluntate diuina dependens, non poteſt nobis conſtare, propter quam rationem fuerit volitum à Deo, niſi ex Dei reuelatione, quæ continetur in Scriptura,

& in

& in doctrina Eccleſiæ, & Patrum, ſed ex Scriptura, & ex doctrina Eccleſiæ, & Patrum habemus rationem, própter quã hoc fuit volitum à Deo, fuiſſe noſtram redemptionem, & non aliam: ergo propter illam fuit myſterium incarnationis volitum à Deo, ac proinde illa deficiente etiam deficeret volitio illa prima incarnationis, & eius executio. Maior eſt nota, quia quæ ſunt Dei, nemo nouit niſi ſpiritus Dei, & cui ipſe voluerit reuelare, ſicut quæ ſunt hominis nemo nouit, niſi ſpiritus hominis &c. Et min. conſtat ex præallegatis teſtimonijs: vtraque conſequentia patet, quia quodcumque obiectum eſt volitum, propter illud quod eſt præcipua ratio, & motiuum volendi ipſum, & hoc deficiente neceſſe eſt ipſam volitionẽ, & eius executionem deficere: ergo.

Hijs tribus argumentis tripliciter reſpondent aduerſarij: Scotus enim, & ſequaces docent prædicta teſtimonia, & rationem ex eis deſumptam ſolum intelligi de incarnatione, quoad circunſtantiam carnis paſsibilis, atque de illa vt ſic conuincere, quod fuerit volita in remedium peccati: non vero de illa quoad ſubſtantiam. Suarez vero vbi ſupra ſect. 4. & 5. alias duas adhibet ſolutiones dicens, quod his argumentis, & teſtimonijs ſolum conuincitur incarnationem, ex vi illius primæ intentionis fuiſſe ordinatam in remedium peccati, vt in finem principalem negatiuè, hoc eſt non ſub ordinatum alteri, non tamen poſitiuè, hoc eſt in quem cæteri omnes fines ordinarentur, propter quos fuit volita incarnatio per illam primam intentionẽ, quę fuit volita propter rèdemptionem, & alios fines totales ſupra relatos.

Deinde ſubdit incarnationem, non fuiſſe ordinatam ſimiliter in noſtram redemptionem per primum actum intentionis, quo fuit volita, ſed per alium actum ellectionis, quo ſunt determinatæ eius circũſtantiæ, ſcilicet paſsibilitatis, vel impaſsibilitatis, & de hoc ſecundo actu poſſe, & debere diguitati prædicta teſtimonia, ſed omnes iſtæ ſolutiones ſunt inſufficientes.

Prima quidem, quia prædicta teſtimonia Scripturæ, & Conciliorum loquũtur de incarnatione abſolutè, & ſecundũ eius ſubſtãtiã, & de illa vt ſic docent factã fuiſſe propter noſtrã ſalutẽ: ergo non ſolum quoad circunſtantiam paſsibilitatis fuit ordinata in remedium peccati, ſed etiã quoad ſubſtantiam, eo vel maximè quod Chriſtus non ſolum ſecundum circunſtãtiam paſsibilitatis, ſed etiam ſecundum totam ſuam ſubſtantiam fuit redemptor noſter, & cauſa efficiens, & meritoria noſtræ ſalutis: ergo etiam ſecundum ſuam ſubſtantiam fuit ordinatus in noſtram ſalutem, & volitus propter illam, vt propter finẽ cui. Tum etiam, quia ſecundũ Scotum, Chriſtus ante præuiſsionem peccati, & omnes creaturas habuit aliquod eſſe glorioſum, & impaſsibile ipſi debitum ratione vnionis, & gloriæ animæ, & hoc probant adducta teſtimonia: ergo executio paſsibilitatis fruſtraret tale decretum primum.

Deinde ſecunda eſt inſufficiens, quia vel noſtra redemptio, & omnes alij fines, quos habuit pro obiectio illa prima volitio Dei comparantur ad eam, vt inter ſe ſub ordinati, hoc eſt vel redemptio, vt ſub ordinata alijs, vel alij, vt ſubordinati redemptioni, aut ſine vlla ſubordinatione inter ſe: ſed nec ſecundum dici poteſt, nec tertium: ergo dicendum eſt primum, nimirum quod noſtra redemptio fuit volita per illam intentionem, vt finis vltimus poſsitiuè reſpectu incarnationis cui cæteri fines ſubordinantur. Maior patet à ſufficiente connumeratione, & minor probatur, quod non poſsit dici ſecundum, qnia aliàs actus quo incarnatio fuit formaliter volita, & ordinata in noſtram redemptionem, non eſſet prima intentio, ſed alius actus habens modum ellectionis, ſiquidem eſſet actus terminatus ad finem ſubordinatum alijs, ac proinde habens rationem medij, quod tamen eſſe falſum ex impugnatione tertiæ ſolutionis conſtabit.

Rurſus quod non poſsit dici tertium patet dupliciter: tum, quia impoſsibile eſt eundem actum voluntatis intendere ſimul plures fines totales, & non ſubordinatos, ſicut eſt impoſsibile eundem effectum habere plures cauſas totales eiuſdẽ ordinis, & nullo modo inter ſe ſubordinatas: totalitas enim dependentiæ ab vna illarum excludit in effectu dependentiam ab altera: ergo. Tum etiam, quia impoſsibile eſt vnam intentionem ſecundum eandem rationem formalem eſſe principium elligendi media oppoſita, vel circunſtantias repugnantes, ſed in ſententia prædicti auctoris illa prima intentio ſub eadem ratione formali eſſet principium noſtro modo intelligi oppoſitas circunſtantias elligendi, ſiqui-

dem

Digitized by Google

dem vt intendens redemptionem noſtram erat principiũ elligendi carnẽ paſsibilẽ, & vt intendens alios fines totales, ac non ſub ordinatos redemptioni erat principium elligendi carnem impaſsibilem: ergo.

Tertia denique ſolutio eſt inſufficiens. Probaturque primo, quia non conſonat teſtimonijs Scripturæ, & Eccleſiæ, in quibus fit ſermo abſolutè de incarnatione, & quoad eius ſubſtantiam, de illaque vt ſic dicitur, quod fuit volita, & ordinata in noſtram redemptionem, ex quo extollitur maxime beneficiũ incarnationis, quod nobis contullit Deus, vt propter noſtram ſalutem voluerit carnem aſſumere, quæ omnia verificari nequeunt, ſi in primo actu, quo fuit volita incarnatio à Deo non fuerit ordinata in noſtram redẽptionem: ſi enim per primum actum fuit abſolutè volita, & per alium ſubſequentẽ fuit ordinata in redemptionem, neque modus loquendi Scripturæ, & Patrum eſſet adeo proprius, neque vere diceretur redẽptionem fuiſſe finem, propter quem abſolutè volita, & facta fuit incarnatio, neque hoc fuiſſet adeò magnum beneficium excitans nos eſficacius in amorem Dei: ergo.

Secundo, quia aliàs illa volitio eſſet inefficax: quod repugnat dictis pręfati auctoris: ergo. Sequela patet: nam intentio efficax eſt illa, quæ in ſuo genere, & ſe ſola inferre valet electionem: illa autem volitio ſi non habuit pro obiecto Chriſtum vt redemporem, niſi tantum quoad ſubſtantiam incarnationis, non eſſet ſufficienter illatiua ellectionis illius, quam de facto Deus habuit circa incarnationem, iuxta ſententiam huius auctoris: hæc enim ellectio fuit determinate de modo, ac circunſtantijs paſsibilitatis, loci, & temporis: huiuſmodi autem circunſtantiarum nequiuit eſſe principium volitio, qua fuit volita incarnatio quoad ſolam ſubſtãtiam: cum hæc indifferens ſit ad has circunſtantias, & oppoſitas: ergo.

Tertio, nam vel illud primum decretum habens modum intentionis, circa circunſtantiam paſsibilitatis fuit efficax, aut fuit mutatum, neutrum poteſt dici: ergo. Maior patet, quoniam aut Chriſtus ex vi illius veniret in carne paſsibili ante præuiſum peccatum, & ſic fuiſſet efficax, aut veniret in carne impaſsibili ante præuiſum originale peccatum, & poſt illud pręuiſum veniret in carne paſsibili ex vi eiuſdem decreti, vt vult dictus auctor: & ſic eſſet mutatum, quia ante præſcientiam peccati exigit diuerſam executionem ab illa, quam exigit poſt præſcientiã peccati: mutatio autem diuerſæ executionis petitæ, variat exigentiam executionis in decreto ipſo, quod ſufficit ad eius mutationem ſaltem moralem. Minor autem probatur, quia ſi eſt efficax, ex vi illius abſque alia ſuperueniente intentione, ordinante Chriſtum in remedium peccati veniret Chriſtus in carne paſsibili, quod aduerſatur præfato auctori: ſi vero dem9 ſecundũ, aduerſamur ſummæ Dei immutabilitati, de qua Iaco. 1. dicitur: *Apud quẽ nõ eſt tranſmutatio, nec viciſitudinis obũbratio.*

Quarto, nam vel talis impaſsibilitas in qua Chriſtus veniret ex vi illius decreti intendentis ſolam ſubſtantiam incarnationis, erat propria corporis glorioſi: vel proprietas naturæ ante peccatum, qualis fuit impaſsibilitas hominis in ſtatu innocentiæ: ſi primum, eſſet talis impaſsibilitas debita unioni hypoſtaticæ, ac proinde ſtatuta ex vi eiuſdẽ decreti cõdendi vnionem hypoſtaticam: ſi ſecundũ, talis impaſſibilitas eſſet debita naturæ humanæ ante peccatũ, ſiue in ſtatu integritatis: ergo eſſet decretata, ex vi eiuſdẽ decreti aſſumendi naturam humanam.

Conſequentia patet, quoniam idem decretum conſtituendi aliquod ſubiectũ, ſiue naturã, eſt ſimul dãdi paſsiones ad talem naturam conſequutas. Et propterea ex vi eiuſdem decreti condendi Adamum in natura integra, fuit volita conditio impaſsibilitatis propria illius ſtat9: ergo De9 poſt præuiſum peccatũ, non potuit elligere circunſtantiam carnis paſsibilis ex vi eiuſdẽ intẽtionis: alioquin hæc fruſtraretur, & redderetur inefficax quoad circunſtãtiã impaſsibilitatis. Reſpondet huic argumento Suar. ſect. 5. primã illã intentionẽ non fuiſſe fruſtratã quia Deus illa voluit ſubſtantiã incarnationis faciẽdã modo cõueniẽtiori, in quo virtualiter voluit cõditionẽ carnis paſsibilis, quoniã pro illo priori per ſcientiã cõditionatã præuidit futurũ peccatũ Adami ſub cõditione.

Sed hæc ſolutio eſt inſufficiens propter duo. Tum, quia hæc ſcientia de futuris condicionatis ante decretum diuinæ voluntatis de eorundem futuritione eſt fictitia, vt oſtendimus prima parte quæſtione 23. artic. 6. & pro nunc patet, quia Adamus poſitus ac conſideratus ſub quauis conditione, manſit li-

ber, ac indifferens ad peccandum, & non peccandum: ergo ex vi talis conditionis non potuit præſciri magis fore peccati, quam non fore: ergo præſcientia futuri peccati Adami non potuit eſſe regula huius electionis, ſcilicet, volo incarnationē fieri in carne paſsibili in remediũ peccati. Tũ etiã, quia iſte actus, volo ſubſtantiam incarnationis, vt exequendam modo conuenientiori includit duos virtualiter, & ſecundum rationem diſtinctos: quorum primus eſt intentio, & terminatur ad ſubſtantiam incarnationis abſolute: ſecundus vero habens modum electionis terminatur ad modum conuenientiorem, habetque pro obiecto, hoc quod eſt fieri modo conuenientiori, quod ſe habet ad ſubſtantiam incarnationis, vt medium ad finem: quemadmodum voluntas dandi gloriam electis modo conuenientiori includit proportionabiliter duos actus, videlicet intentionis, & electionis: & ſimiliter eoſdem pariter includit voluntas, quam quis haberet dandi eleemoſynam, aut peragendi aliquod iter modo conuenientiori: ergo cum primus actus terminatus ad ſolam ſubſtantiam incarnationis, nullatenus dicat ordinem ad remedium peccati; quia nullam habet connexionem cum illo, ſiquidem omnino indifferenter ſe habet ad illud: conſequens eſt illam primam intentionem reddi inefficacem: & ſolum ſecundum actum electionis dicere ordinem ad remedium peccati: & ſic non incarnatio quoad ſubſtantiam, ſed modus conuenientior dumtaxat eſſet in remedium peccati: quod non conſonat modo loquendi ſacræ Scripturæ, & ſanctorum Patrum: vnde manet ratio facta inconcuſa.

Neque fieret ex vi alterius decreti, non exiſtente originali.

55 Dico ſecundo. Neque fieret incarnatio ex vi alterius decreti, non exiſtente originali peccato. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus auctores ſecundæ ſētētiæ. Et ſuadetur primo, quia plures ex ſanctis Patribus allegatis docent, non ſolum motiuum præcipuum incarnationis fuiſſe peccatum, ſed etiam abſolute, ita vt hoc motiuo nõ exiſtēte, neutiquam fieret incarnatio: ita dicunt Athanaſius ſerm. 3. contra Arrianos, & Anſelmus in lib. de excellentia Virginis cap. 1. vbi ait: *Virginem factam fuiſſe Dei Matrem propter peccatores*: & cap. 12. illam hijs verbis affatur: *Cur non iuuabis nos peccatores, quando propter nos in tantam celſitudinem es leuata, vt te dominam habeat, & veneretur omnis pariter creatura*: idem habet Dioniſius lib. 3. de laudibus Virginis art. 5. & Abulenſis numerorum 23. quæſt. 9. & Nazianzenus oratio 32. vbi ſic ait: *Quæ humanitatis à Deo ſuſceptæ propter nos cauſa extitit? profecto, vt nobis ſalus pararetur, quod enim aliud cauſæ afferri poſſet?* & Auguſt. ſerm. 9. de verbis Apoſtoli, dicens: *Nulla cauſa fuit veniendi Chriſto, niſi peccatores ſaluos facere*: & Leo Papa ſerm. 3. de Penthecoſte, ait: *Si homo in ſua honore naturæ manſiſſet, neque à lege ſibi poſita deuiaſſet, creator mundi creatura non fieret, &c.* ergo iuxta horum Patrum ſententiam Verbum diuinum nullatenus carnem aſſumeret ſublato peccato.

Secundo probatur, quia ſublato præcipuo motiuo propter quod, aliquod obiectum eſt volitum, ipſe quoque actus aufertur, quo eſt volitum: ſed præcipuum motiuum vtriuſque actus, tam intentionis, quã electionis, quo incarnatio à Deo fuit efficaciter volita fuit remedium peccati originalis, vt oſtendit præcedens concluſio: ergo illo ſublato, defficeret incarnationis efficax volitio, quæ proinde non poneretur à Deo in executione.

Dico tertio. Deus in nullo ſigno rationis decreuit aliquam perſonam diuinã vagè aſſumere naturam creatam ante præuiſum peccatum. Hęc aſſertio ſtatuitur aduerſus primum modum defendendi tertiam ſententiam. Et ſuadetur primo, quoniam ſancti Patres in locis præallegatis affirmant Deum non fore aſſumpturum aliquam naturam creatam, niſi propter remedium peccati, quod præcipue conſtat ex illis verbis relatis ex citato ſermone Leonis, ſed Deus abſolute ſumptus ſupponit pro indiuiduo deitatis, quod eſt cõmune tribus perſonis: ergo ſentiunt Deum abſolute ſumptum, prout ſupponit pro iſta, ac illa perſona, vel prout abſtrait ab omnibus, non fore aſſumpturum naturam creatã, nõ exiſtente peccato.

Secundo conuincitur ratione articuli iſta concluſio non minus, quam prima: Deum nanque prout abſtrait ab iſta, aut illa perſona aſſumere naturã creatã, nõ minus pendet à ſola voluntate diuina, quã perſonam filij determinate aſſumere naturã humanam: ac proinde vtrumq; pariter debet per diuinam reuelationem innoteſcere nobis, vt iudicium de illo feramus: ſed nulla extat reuelatio Scripturæ

turæ

Scripturæ ſacræ, aut Eccleſiæ, in qua ſignificetur, quod non ſtante peccato hominum, hic Deus vt communis tribus perſonis, vel aliqua perſona Trinitatis aſſumeret aliquam naturam creatam: ergo ſine fundamento dicitur Deum habuiſſe tale decretum.

Tertio: nam vel huiuſmodi decretum fuit efficax, & per modum voluntatis conſequentis, vel inefficax, & per modum illius voluntatis antecedentis, qua Deus vult omnes homines ſaluos fieri: ſi primum derogat perfectioni intellectus, ac voluntatis diuinæ, cui nihil poteſt proponi prius ſecundum rationem communem, quam ſecundum rationem particularem: eo quod modus iſte intelligendi, & volendi eſt proprius intellectus, ac voluntatis procedentis de potentia ad actum. Si ſecundum: ergo tantum erit volitio ſecundum quid; qualis eſt illa qua Deus vult omnes homines ſaluos fieri: & hoc modo bene poſſumus intelligere Deum prius velle vnionem hipoſtaticam ſecundum rationem communem aſſumentis, & termini aſſumpti, quam ſecundum rationem particularem talis perſonæ aſſumentis, & talis naturæ aſſumptibilis: ſed hæc volitio non eſt iuxta mentem Vincentij, qui loquitur de decreto efficaci; quale exiſtimat illud quod Deus habuit circa vnionem hypoſtaticam ante præuiſum peccatum: ergo.

Quartò probatur: nam iuxta ea quæ docet Capreolus in tertio diſtinctione 1. quæſtione vnica articul. 3. prioritas ſecundum rationem, ſiue eminens, & virtualis in diuinis decretis prouenit ex ordine reali, quē inter ſe habent obiecta volita, ita vt obiectum, quod eſt prius altero in genere cauſæ efficientis, formalis, materialis, vel finalis actualiter ſecundum rem, in eodem genere virtualiter, & ſecundum rationem eſt à Deo prius volitum altero: & defficiente huiuſmodi ordine actuali ſecundum rem inter obiecta, defficit virtualis ordo in diuinis decretis: ſed inter rationem communem perſonæ aſſumentis, & naturæ aſſumptæ ex vna parte: & rationem particularem talis perſonæ, & talis naturæ ex altera non eſt ordo actualis ſecundum rem, ſiquidem iſtæ rationes comparantur, vt ſuperius, & inferius, ac proinde ſola ratione diſtinguntur: ergo vna ratio nequit eſſe prius volita efficaciter à Deo quam altera prioritate rationis, ac virtuali.

56 Dico quarto. Non compatiuntur hæc duo, nimirum quod Deus prius in genere cauſæ finalis ſimpliciter voluerit incarnationem Chriſti, quā præuiderit; & permiſerit peccatum; & quod non fieret incarnatio defficiente peccato.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus ſecundum modū defendēdi tertiam ſententiam: & ſuadetur primo, quia licet aliquid poſſet eſſe prius prioritate cauſæ, quam aliud, & ſimul cum illo ſimultate conſequentiæ iuxta doctrinam Ariſtotelis vbi ſupra, tamen ſi incarnatio eſſet prior in genere cauſæ finalis, quam permiſſio peccati, nulla ratione probari poteſt, quod ſit ſimul cum illa ſimultate conſequentiæ: ergo non eſt dicendum incarnationem prioritate cauſæ finalis præceſſiſſe permiſionem peccati.

Antecedens pro ſecunda parte patet, quia ſi aliqua ratione id probari poſſet, maxime quia Deus vtranque voluit eodem actu, & neutram ſine altera: ſed eadem ratione probari poſſet incarnationem non eſſe futuram, ſiue alia quacumque creatura vniuerſi, ſiquidem eodem actu Deus voluit incarnationem, atque omnes vniuerſi creaturas, neque illa ſine iſtis fuit volita, aut econtra: quod tamen non eſſe dicendum patet, quia alias incarnatio dependeret à qualibet creatura vniuerſi pariformiter, atque à peccato originali; fruſtraque à Theologis hæc quæſtio ſpecialiter de dependentia incarnationis à peccato Adami moueretur: ergo.

Secundo probatur ex doctrina Angelici Doctoris hic ad 4. dicentis, quod quia prædeſtinatio præſupponit præſcientiam futurorum, ideò prædeſtinatio incarnationis præſupponit præſcientiam peccati: hanc autem propoſitionem verificari non poſſe, ſi incarnatio fuiſſet volita prius vt finis, propter quem Deus voluit permiſsionem peccati, ſeu remedium illius, patet dupliciter.

Tum, quia propterea gloria dãda ellectis per merita, non præſupponit præſcientiam meritorum in intentione Dei, quia fuit volita prius prioritate cauſæ finalis, quam ipſa merita: ergo ſi incarnatio, vt finis fuit volita prius quam permiſsio peccati, neutiquam poteſt præſupponere præſcientiam illius: vel ſi eam præſupponit, non obſtante huiuſmodi prioritate, non eſt cur ellectio ad gloriam, non fiat ex meritis præuiſis, ſicut prædeſtinatio Chriſti fuit ex præuiſo peccato: quod tamen negat Schola Thomiſtarum cum ſuo Authore prima parte quæſtione 23. artic. 5.

Tum etiam, quia futura præſcita ante prædeſtinationem incarnationis debent habere ſuam futuritionem dependenter ab omnibus ſuis cauſis, ſcilicet efficiente, finali, materiali, & formali; & ex concurſu omnium illarum, vtpotè ad ipſum effectum futurum per ſe requiſito, alioquim eorum futuritio pro illo priori præuideri non poſſet: igitur ſi peccatum futurum præuidetur antecedenter ad decretum incarnationis, iam pro illo priori habet eſſe futurum cum omnibus ſuis cauſis, & ex concurſu illarum: ac proinde incarnatio, quæ pro illo priori non dum intelligitur, nequit eſſe cauſa finalis, propter quam futura ſit permiſsio peccati.

Tertio, nam vt aliqua duo, quorum vnum eſt prius altero in aliquo genere cauſæ, dicantur ſimul ſimultate conſequentiæ oportet, quod inter ſe habeant connexionem, & habitudinem, qualis eſt medij ad finem, vel cauſæ neceſſariæ ad effectum: huiuſmodi autem connexio, & habitudo non reperitur inter incarnationem, & permiſsionem peccati: ergo non poteſt dici illam fuiſſe volitam prius quam iſtam prioritate finis.

Minor patet, quia neque permiſsio peccati, eſt medium volitum propter incarnationem, neque ex incarnatione intenta, & prædeſtinata Deus infalibiliter permiteret peccatum, ſiquidem plura alia media potuiſſet ad hunc finem elligere: ergo.

Vltimo probatur; ab inconuenienti triplici quod ſequitur ex hac ſententia. Primum eſt, quod hæc mutua prioritas præter quam, quod confundit diuina decreta, deſtrueret aſſertionem Angelici Doctoris, nimirum quod incarnatio fuit volita propter remedium peccati, & ex occaſione illius: quam tamen iſti auctores connantur ſaluare: ſi enim fuit volita prius vt finis, quam permiſsio peccati, & eius remedium, iam hæc eſſent volita propter ipſam incarnationem.

Secundum eſt, quod voluntas redimendi, & reparandi, non eſſet ex preuiſo peccato, ſed ante illud, ſiquidem Chriſtus fuit prius volitus in genere cauſæ finalis, quam permiſsio peccati: quod tamen eſſe inconueniens patet, nam Deus non poteſt ex ſe velle voluntate efficaci, & abſoluta reparationem, ſiue remedium peccati, niſi ex occaſione peccati preſuppoſiti: alioquim etiam vellet peccatum, nam qui ex ſe efficaciter, & abſolutè vult aliquem finem, virtualiter vult omnia neceſſaria ad illum finem: vnum autem ex neceſſarijs ad munus redemptoris eſt peccatum.

Tertium eſt, quod Deus velet permiſionem peccati propter incarnationem: ſiquidem aut illa eſt medium ad iſtam, aut non: ſi primum, habemus intentum: ſi ſecundum, igitur incarnatio non fuit volita in genere cauſe finalis prius quam permiſio peccati, ſiquidem hec non eſt medium ad illam, neque illa eſt finis, propter quem iſtius; conſequens autem eſſe falſum patet, quoniam Deus non prediffiniuit incarnationem, vt futurum eſſet peccatum, imò neque huius permiſio ſequuta eſt vt effectus predeſtinationis Chriſti, ſicut docet probabilis ſententia Theologorum in tractatu de predeſtinatione, permiſiones peccatorum in vnoquoque electo eſſe effectus predeſtinationis ipſius: aliter enim de permiſione peccati originalis reſpectu predeſtinationis redemptoris eſt philoſophandum, vtpotè que non potuit non illam preſupponere.

57 Dico vltimo. Abſolutè, & ſimpliciter, atque ex vi alterius prouidentie Deus prius permiſsit peccatum humani generis, quam habuerit decretum efficax mitendi redemptorem.

Abſolutè, & ſimpliciter permiſio peccati originalis ex vi alterius prouidētiæ præceſsit decretū mitendi redēptorem.

Digitized by Google

Hæc concluſio ſtatuitur pro authoribus tertij modi defendendi noſtrã ſentẽtiam. Et ſuadetur primo à ſufficienti exclusione aliarum: nam cum Deus ante præuiſionem, & permiſionem peccati non habuerit decretum efficax incarnationis quoad ſubſtantiam, neque vnionis hypoſtaticæ vage, neque quoad circunſtantiam, etiam in genere cauſæ finalis, vt hucuſque probatum eſt, reſtat tenendus ille modus dicendi, qui ponit permiſionem, & præſcientiam peccati omnino præcedere prædeſtinationem Chriſti redemptoris: ſicut materia circa quam præſupponitur arti, quæ circa illam verſatur, ordo naturæ ordini gratiæ, ſubſtractum ſuæ formæ, & ſicut perfectibile ſuæ perfectioni.

Secundo, nam teſte Diuo Thoma hic ad quartum, prædeſtinatio Chriſti præſupponit præſcientiam peccati Adami, ac proinde eius permiſionem, & futuritionem: non autem præſupponit præſcientiam illorum futurorum quorum eſt cauſa, ob quam rationem, neque noſtra prædeſtinatio præſupponit præſcientiam meritorum, quorum eſt cauſa: ergo permiſsio peccati Adami præſupponitur ex vi alterius prouidentiæ diſtinctæ à prædeſtinatione Chriſti, nimirum ex vi illius quæ ſtatuit ordines naturę, & gratiæ cum ſuis deffectibus.

Tertio ſuadetur ratione deſumpta ex Auguſtino lib. 3. confeſsionum capit. 3. Ciryllo lib. 2. ad reginas. cap. de eoquod Chriſtus ſanctificatus eſt; & Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 29. dicentibus Deum non poſſe velle abſolutè, & ex ſe reparationem, ſiue redemptionem, niſi ex ſuppoſitione mali reparandi: eoquod Deus vult bona iuxta vnius cuiuſque naturam, ac proinde quæ ſunt bona non ſimpliciter, & independẽtia ab aliqua ſuppoſitione, neque à Deo ſunt volita, niſi dependenter à tali ſuppoſitione pręuiſa, cuius generis ſunt redemptio, reparatio, & ſanatio: ſed voluntas mitendi Chriſtum in redemptorem eſt voluntas reparationis, & redemptionis: ergo hęc pręſupponit peccatum pręuiſſum reparandum.

Quarto id ſuadet ordo quem docuimus in materia de prædeſtinatione ſeruari inter dereta diuina ad negotiũ Chriſti, & noſtrę prędeſtinationis pertinentia, quæ in his ſex ſignis rationis concluduntur. In primo, Deus perſcientiam ſimplicis intelligentiæ omnes creaturas poſſibiles, inter quas, & rationales, vt beatificabiles, & earum ſalutem, vt poſſibilem cognouit. Ex quibus omnibus in ſecundo aliquas decreuit producere, & rationales omnes voluit ſaluare voluntate antecedente, qua ſpecialiter Adamum per ſtatum innocientiæ, & iuſtitię originalis ordinauit in beatitudinem. Deinde in tertio permiſsit illum ab hoc ſtatu iuſtitiæ cadere per peccatum, cuius futuritionem ex vi huius permiſsionis præuidit. Et ſtatim in quarto decreuit incarnationẽ Chriſti in remedium huius peccati. Et in quinto, quoſdam homines ex meritis Chriſti ellegit ad gloriam, & alios quibus merita Chriſti noluit aplicari efficaciter, excluſit à regno: Tandem in ſexto ellectos ad gloriam præordinauit per media efficatia: alios vero ordinauit in pœnam æternam ob eorum demerita; in qua præordinatione, illorum prędeſtinatio, & horum reprobatio formaliter conſiſtit: ex quo ordine liquet prædeſtinationem Chriſti præſupponere præſcientiam peccati Adami in quodã priori ſigno rationis.

58 Aduerſus hanc aſſertionem aduerſarij, præcipuè Catherinus annotatione contra commentarium Caietani in hoc articulo, & Suarius diſputatione 5. ſectione 1. inſurgunt tripliciter.

Primo, quia in diuinis decretis, illud dicitur prius volitum ſecundum rationem, quod eſt prius ſecundum cauſalitatem: & econtra illud eſt poſterius volitum, quod ab alio dependet ſecundum rem: ſed Chriſti incarnatio non dependet ſecundum ordinem cauſalitatis à monſtruis naturæ, verbi gratia: adhuc enim iſtis non exiſtentibus illa foret: ergo totus ordo naturæ cum ſuis deffectibus non præſupponitur conſtitutus ad decretum incarnationis.

Secundo, quia peccata blaſphemantium, & crucifigentium Chriſtum præſupponunt ipſum tanquam obiectum, & materiam circa quam: ergo ſaltem hæc non potuerunt præuideri ante decretum incarnationis.

Tertio, quia Chriſtus verè eſt cauſa finalis noſtræ iuſtificationis: id enim decernitur in Trident. *ſeſs. 6. c. 7.* & denotatur Ioannis 12. ibi: *Venit hora vt clarificetur filius hominis:* vbi teſte Auguſtino tractatu 51. Chriſtus vocat conuerſationem gētiū ſuam glorificationem; imò Chriſtum eſſe cauſam finalem omnis creaturæ adſtruunt Ciryl. lib. 5. theſauri, & Chriſoſtom. hom. 76. quorum ille damnat errorem, quorundam hæreticorum aſſerentium Chriſtum fuiſſe propter nos factum, & non nos factos propter ipſum: iſte vero ait Deū omnia operari propter gloriam filij: ergo Chriſtus debuit prædeſtinari prius in genere cauſæ finalis ante ordinem naturæ, & gratiæ.

Vindicatur aſſertio ab obiectionibus Catherini, & Suarij.

Sed ab his obiectionibus facile vindicatur noſtra concluſio. Ad primam enim reſpondetur, quod nos non probamꝰ ſententiam Caietani, in eo quod aſſerit, ordinem naturæ cum omnibus ſuis defectibꝰ naturalibus, & moralibus pertinere ad idē ſignum rationis, & præſupponi in genere cauſæ materialis ad incarnationem: iam enim diximus peccati originalis permiſsionem fuiſſe in tertio ſigno: neque ob omnibus defectibus naturæ; imò neque ab omnibus partibus vniuerſi dependere incarnationem, vt à cauſa materiali: ſed quatenꝰ aſſerit ordinem naturæ cum omnibus ſuis deffectibus præſupponi cōſtitutū, ac diffinitum in mente diuina ante decretum incarnationis, ſiue in vno, dumtaxat, ſiue in pluribus ſignis rationis, id præſtitum fuerit: neque enim alterutram ex is partibus determinat Caietanus, ſed ſolum de eius mente eſt, quod totus ordo naturæ, & ordo gratiæ, quoad ſtatum innocientiæ, & iuſtitiam originalem fuerit ſtatutus in mente diuina prius quam incarnatio: quæ quia pendet à natura humana, quæ eſt pars vniuerſi, & ordinis naturalis, in cuius aſſumptione ad eſſe hipoſtaticum totus ordo naturæ categorematicè eſt exaltatus, licet non totaliter, & ſin categorematice, ideſt ſecundum omnes ſuas partes, ac deffectus: propterea vere dici poteſt, quod totus ordo naturæ cum ſuis deffectibus naturalibus conſtituit in mente diuina vnum ſignum rationis prius quam decretum incarnationis, illudque eſſe prouidentiæ naturalis, iſtud vero prouidentiæ ordinis hipoſtatici.

Ad ſecundam fatemur quidem peccata illa, vtpotè pertinentia reductiuè ad ordinem hipoſtaticū, ſicut priuatio reducitur ad genus ſui habitus nō præſupponi permiſſa, ac preuiſa ante decretum incarnationis: ſed in eodem ſigno rationis, quo Deus decreuit Chriſti incarnationem, voluit & illa permittere. De quorum proinde permiſsione congruenter dici poteſt eſſe effectum prædeſtinationis Chriſti, ſicut permiſsio peccatorum actualium in cæteris ellectis eſt effectus prædeſtinationis ipſorum volitus ſimul cum pœnitentia propter finem humilitatis, vel alterius virtutis. Niſi mauis dicere vtramque permiſſionem eſſe effectum generalis cuiuſdam prouidentiæ.

Ad tertiam reſpōdetur vno ex duobus modis: vel quod illis teſtimonijs conuincitur gloriam Chriſti eſſe finem noſtræ iuſtificationis, quæ fit per gratiam redemptiuam, ac proinde dependentem à Chriſto, vt à cauſa meritoria, & ſatisfactoria, atque ab eius gloria, vt à cauſa finali: quod nos non renuimus, ſed tantum adſtruimus illam non preuideri in mente diuina ante permiſsionem peccati originalis, vtpotè quod debuit tanquam materia circa quam præſupponi ad decretum redemptoris, & gloriæ ipſius. Vel ſecundo quod prædictis teſtimonijs tantum cōuincitur gloriam Chriſti eſſe finem ex quo rationalis creatura quantum ad bona ordinis gratiæ, & ſimul ordinis naturæ dependeat in fieri, ſed ad quem poſtquam facta eſt in executione ordinatur: quo pacto ſupernaturalis beatitudo dicitur finis rationalium creaturarum, non quidem ex quo ipſę dependeant in fieri, & eſſe, ſed ad quem poſtquam per vnum decretum conſtitutæ ſunt à Deo, per aliud ſuperueniens ordinantur. In quo ſenſu Cirylus damnans errorem hæreticorum exiſtimantium filium Dei eſſe creaturam inquit, omnia ordinari in gloriam filij: & Chriſoſtomus ſubdit Deum omnia operari ordinando illa in gloriam Chriſti, intellige in executione, vel per ly *omnia*, intellige hominem, qui propter conuenientiam in omnibus gradibus eſſendi appellatur omnis creatura: vel intellige opera religionis que verè dependent à Chriſto, vt à cauſa finali, & efficiente, vt amplius ex ſolutione ad primum patebit.

Occurritur argumentis Scotiſtarū, & ſequacium

49 Ad primum pro prima ſententia reſpōdetur, quod ex teſtimonijs primi ordinis, non colligitur Chriſtum vt hominem

nē habuiſſe aliquod eſſe glorioſū ante peccatū Angelorum, & ante mundi cōſtitutionē, nā in primis in primo teſtimonio Chriſtus non loquitur de ſe ipſo, quatenus homo, ſed quatenus Deus vt communis S. Patrū tenet expoſitio. In ſecūdo vero fit ſermo de aſcēſu Chriſti in cœlū ſecūdū humanitatē, & dicitur quod Chriſtus erat ibi prius nō ſecundū humanitatē, ſed ſecundū deitatē, & in tertio petit Chriſtus cōmunicari carni ſuæ eam claritatem, ſiue participationē illius claritatis, quā ipſe vt De⁹ habuerat apud Patrē ab æterno, & vt loc⁹ daretur noſtræ redēptioni cōſummandæ, per paſsionē impediebatur iſta claritas ne in carnē difunderetur. Deinde in quarto teſtimonio, aut fit ſermo de ſapiētia increata eſſentialiter ſumpta quatenus eſt cōmunis tribus perſonis, vt volūt Batab. Cai. Iāſe. ibidē, quę expoſitio conſonat cōtextui, in quo ſignatur ſapientiā, de qua ibi fit ſermo eſſe æternā, & nō cōprehendi numero illarū rerū, quæ factæ ſunt: quæ de ſapiētia eſſentialiter ſumpta verificatur, & nequeūt ſoli ſapiētiæ genitæ, ſiue perſonaliter ſūptæ adaptari, niſi per appropriationē: nullū autē eſt Verbū, quod nos cogat facere hāc appropriationē, illud enim verbum Dn̄s, non debet referri ad ſapiētiā, ſed ad creaturas, ad quas dirigebātur verba, quæ ibi loquitur ſapiētia, ita vt ſenſus ſit, De⁹, qui abſolutè eſt Dn̄s creaturarū poſſedit me, ideſt habuit me apud ſe in initio, vel tanquā initiū viarū ſuarū, per quod. ſ. & cū quo omnes crerturas produxit. Vel fit ſermo de ſapiētia diuina genita, & ſumpta perſonaliter pro Verbo diuino ante incarnationem, vt volūt Hieron. ibid. & Belar. tō. 1. lib. 1. de Chriſto. c. 8. & lib. 2. c. 16. & Val. lib. 1. de Trin. c. 21. iuxta quā explicationē ſenſus eſt, Dn̄s, ideſt, Pater diuin⁹ poſſedit me. ſ. per generationē æternā, iuxta morē Scripturæ, quæ generationē ſignificat per verbū poſsidēdi, iuxta illud Gen. 4. *poſſedi hominē per Deū*, ideſt genui, *in initiū viarū ſuarū*, ideſt, cū quo, & in quo cuncta omnia fecit: in quo ſenſu dicitur Ioan. 1. de diuino Verbo, *omnia per ipſum facta eſſe*. Cui expoſitioni adaptari etiā poteſt verſio 70. interpretū, qui pro poſſedit vertūt creauit, quaten⁹ hoc verbo ſignatur creatio, ſūpta large, prout ſignificat idē quod produci independenter à materia, atq; ſine mutatione, vt volūt Hilar. li. de ſynodis, D. T. 1. p. q. 41 ar. 3. ad 4. & lib. 4. cont. gen. c. 8. vel tādē fit ſermo de ſapientia diuina incarnata, de qua verificātur quędā verba illius cōtext⁹ ſecūdū diuinā naturā, qualia ſūt illa, quib⁹ ſignatur eius æternitas, & virtus ad creādū omnia, & independētia ab alio principio: quedā vero alia ſecundū humanitatē aſſūptā qualia ſunt illa, quibus ſignatur ei⁹ inferioritas, & inæqualitas reſpectu Dei, & ratio creaturæ, vt ſunt iſta, de quibus agimus. ſ. Dominus poſſedit me, vel ſecundū 70. Dominus creauit me in initio viarū ſuarū, & iuxta hanc tertiā expoſitionem, quā admitunt fere omnes antiqui Patres, vt reſpondeant Arrianis contendentibus probare hoc teſtimonio filium Dei eſſe creaturam, de quorum numero ſunt Aug. lib. 1. de Trin. c. 12. Athan. ſerm. 3. contra Arrian. Nazianz. oratione. 4. de Theologia, Baſ. in apologia ad Ceſſarianos, & Ciryl. lib. 5. theſauri cap. 7. adhuc nō colligitur incarnationem diuini Verbi fuiſſe volitā à Deo ante omnia eius opera, quia per vias Domini, non intelligūtur ab iſtis Pabrib⁹ opera, quibus Deus primo ſe communicauit creaturis per creationem, ſed opera redemptionis, quibus humanam naturam lapſam reparauit, de quibus operibus dixit Chriſtus Ioan. 4. *Vt perficiam opus eius*, & cap. 17. *Opus perfeci quod dediſti mihi vt faciam, &c.*

Et tandē in quinto teſtimonio, vel fit ſermo de Chriſto ſecundum deitatē, vt explicāt Patres Græci. ſ. Chriſoſt. Theophil. Eucum. & Theodoret. in commentarijs ad illum locum, & Cir. lib. 10. theſaur. cap. 5. quæ expoſitio conſonat contextui, in quo præmiſſerat Paulus de Chriſto, quod eſt imago Dei inuiſibilis, & quod in ipſo ſunt condita vniuerſa, & quod omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt, quæ omnia intelligi debent de Chriſto, quatenus eſt Deus, iuxta quā expoſitionē nō colligitur Chriſtum vt hominē fuiſſe genitum ordine intentionis ante omnem creaturā, & ante permiſsionem peccati: vel dicitur Chriſtus vt homo initium per excellentiā ſicu Vehemot, ideſt Lucifer, Iob 40. dicitur, principiū viarū Dei, quia fuit excellētiſsima omnium creaturarum in eſſe naturæ.

Neque obſtat huic expoſitioni, quod aduerſarij obijciunt, nimirum hoc verſari diſcrimen inter has voces vnigenitus, & primogenitus quādo attribuūtur Chriſto in ſacra ſcriptura, quod prior attribuitur illi quatenus eſt Deus, & poſterior quatenus eſt homo, idque colligūt

ex teſtimonio Concilij Sardicenſ. in epiſt. ad omnes Epiſcopos, & Auguſtini lib. cõtra epiſt. fundamenti cap. 367. & lib. q. ſuper Deuteron. cap. 23. & Atha. ſerm. 3. contra Arrianos. Non inquam obſtat, quia quando Concilium, & prædicti Patres aſsignant, illud diſcrimen nõ loquũtur de primogenito creaturarum, ſed de primogenito ex mortuis, aut in multis fratribus, quia filius etiam ſecluſa humanitate poteſt dici primogenit⁹ creaturarũ, nũ quaſi ſit de numero ipſarum, vt prius, aut perfectius factus inter illas, ſed quia genitus eſt ante quam vlla creatura fieret, in quo ſenſu dicitur Eccleſ. 24. ſub nomine ſapiẽtiæ genitæ: ego ex ore altiſsimi prodiui primogenita ante omnem creaturam, & in eodem ſenſu dicitur à Paul. primogenitus omnis creaturæ, ſed primogenitus ex mortuis, aut inter fratres non poteſt dici de Chriſto, niſi ſecundum humanitatẽ; in qua & reſurrexit, & habet fratres eiuſdẽ naturæ comparticipes. Vel admiſſo quod intelligatur teſtimonium hoc de Chriſto, quatenus eſt homo adhuc non colligitur ex illo Chriſtum fuiſſe prædeſtinatum ante permiſionem peccati, & ante decretum condendi vniuerſum, quia nomine creaturæ non intelligitur creatura, quãtũ ad eſſe naturę, ſed quãtũ ad ſpiritualẽ renouationẽ, & gratiã redemptiuam datam per Chriſtum, quæ ſolet appellari noua creatura, iuxta illud 2.ª ad Cor. 5. *Si qua igitur in Chriſto noua creatura, &c.* & reſpectu huius rectè dicitur primogenitus, quia fuit cauſa, & principium ſpiritualis renouationis noſtræ, & gratiæ redẽptiuæ, vel tandem fit ſermo de Chriſto, vt homo eſt, facta comparatione ad alios homines, reſpectu quorum dicitur primogenitus quaſi prior ſecundum excellentiam, & dignitatem, non autem ſecundum ordinem decreti, & intẽtionis in mẽte diuina: & propterea in hoc ſenſu appellatur primogenitus omnis creaturæ, quia homo Marc. vlt. dicitur: Omnis creatura propter omnium graduũ eſſendi incluſionem, ſecundum quos habet conuenientiam aliquam cum omnibus creaturis.

Ad teſtimonia autem ſecundi ordinis reſpõdetur ex illis ſolum colligi, incarnationem habuiſſe etiam illos fines præter redemptionem noſtram, non tamen ita quod illi fines fuerint intenti per ſe primo, & principaliter, & ſine ſubordinatione ad redẽptionem, aut conexionem cũ illa; ſed ita quod Deus ordinauit incarnationem in redemptionem noſtram, quam voluit eſſe tantæ excellẽtiæ, vt per ipſam non ſolum eſſent homines redempti; ſed etiam valde exaltati, & abundãtiæ vitæ ſpiritualis participes, atque inſtitutionem, eruditionẽ ad eam neceſſariam haberent; & omnia hæc in gloriam Dei, cederent.

Ad ſecundum principale nego antecedens. Ad primam probationem patet ex dictis, quid colligere liceat ex aductis teſtimonijs, & idem ſolum colligitur ex illo, quod aducitur ex cap. 2. ad Heb. nimirũ quod Chriſtus eſt propter quem omnia, id eſt ad cuius gloriam, vel omnes creaturæ ordinantur, licet non dependeant ab illo in fieri, vel propter quem ſunt omnia opera redemptionis.

Ad alterum vero, quod deſumitur ex 1. ad Cor. 3. dicendum eſt, quod mens Pauli, vt patet ex contextu eſt concludere, nullos miniſtros Euãgelij poſſe iure gloriari de his, quæ attinent ad ſalutem animarum, niſi in Chriſto ſalutis auctore, & ſtatim ſubdit Paulus verba relata in argumento, quorum hic ſenſus eſt, ideò omnib⁹ prohibeo gloriari, quia omnia, ſcilicet quę poſſunt eſſe vobis adminicula ad ſalutem, ſiue Apoſtoli, ſiue Doctores, ſiue mund⁹, &c. ſub hac ratione ad noſtram vtilitatem ordinantur, atque adeò poſsunt cenſeri veſtra, & vos eſtis Chriſti, vt redimentis, & vocantis ad ſe, & Chriſtus eſt Dei tanquam mitentis ipſum in hunc mundum propter veſtram ſalutem, ex qua explicatione communiter à Patribus recepta, non colligitur omnia ſecundum ſuum eſſe naturale fuiſſe volita, aut facta propter Chriſtum.

Ad ſecundam probationem admiſſa mai. vel diſtingo min. medium magis proportionatum fuit incarnatio ſuppoſito peccato, & ordinata in remedium illius concedo min. fuit incarnatio abſolutè, & ſimpliciter independenter à peccato nego mi. vel admiſſa mai. nego conſequẽtiam, quia ad prouidentiam Dei non pertinet elligere ſemper media efficatiora, & magis proportionata ad finem alioquin ſemper produceret perfectiſsimos effectus, quibus nõ poſſet alios perfectiores producere, quod eſt falſum, ſed tantum pertinet elligere media quæ ſunt magis immediata fini ſecundum ordinem cauſalitatis, & ordinariam legem, vel iuxta exigentiam rerum ordinatarum in talem finem, vnde quamuis incarnatio

abſolutè

abſolute aſſumpta ſit de ſe medium efficacius ad oſtenſionem diuinę bonitatis, tamen non ideo Deus illam elligeret, niſi ex ſuppoſitione peccati, & in remedium illius qua ſuppoſitione, facta immediatius ſecundum cauſalitatis ordinem ſe habuit ad hunc finem permiſsio peccati, & ita Deus ordinate volens prius ſecundum rationem debuit velle permiſsionem peccati, quam incarnationem.

Ad tertiam, nego antecedens, ad cuius probationem dicendū eſt quod licet ordo naturæ ſimul ſimultate conſequentiæ, & durationis fuerit volitus, & ordinatus in finem ſupernaturalem ordinis gratię tamen alio decreto fuit ſtatutus ſecundum ſuum eſſe naturale, & alio fuit ordinatus in talem finem, & ſecundum rationem prius fuit illud, quam iſtud, neque amplius probant teſtimonia ibi alata, quam illa quæ ex Catherino in tertia eius obiectione adduximus, & explicuimus.

Ad tertium nego antecedens, ad cuius probationem, nego ſimiliter antecedens: nullius enim hominis prædeſtinatio anteceſsit ſecundum rationem, præſcientiam, & permiſsionem peccati originalis: licet enim fuerit in Deo prius ratione decretum dandi gratiam ſtatus innocentię, & iuſtitiam originalem, primo homini, quam fuerit præuiſum, & permiſum originale peccatum: non tamen fuit prius decretū prædeſtinationis, quia hoc non incepit in hominibus, niſi à reparatione, & gratia redēptiua, quæ in executione, & intentione Dei fuit poſt præuiſam culpam originalem: & nullatenus ſtare poſſunt ſimul hæc duo, ſcilicet quod prædeſtinatio Chriſti fuerit ex præſuppoſito peccato Adami, aut ſimpliciter, aut in genere cauſæ materialis, & quod prædeſtinatio hominum non fuerit poſt idem peccatum præuiſſum à quo dependet Chriſti prædeſtinatio, quæ fuit cauſa exemplaris, & finalis prædeſtinationis hominum.

Ad quartum nego maiorem: ad cuius primam probationem, ſimiliter nego maiorem, quia gratia primo homini collata cum omnibus donis ſtatus innocentiæ fuit effect⁹ alterius prouidētiæ, ſed nō prędeſtinationis, cuius effectus non inceperūt in Adamo niſi à gratiæ reparatione, ſeu à gratia redemptiua, quæ fuit effectus prædeſtinationis Chriſti, & ſupponit peccatum.

Ad ſecundam, licet Ranguſa conuictus eodem argumento diſputat. 31. neget Adamum ante peccatum habuiſſe fidē Chriſti venturi: verùm quia id expręſsè admittit Diuus Thomas in loco citato, & hic ad quartum, dicendum eſt fidem Chriſti venturi in Adamo, pro illo ſtatu fuiſſe effectum dictæ ſpecialis prouidentiæ, ſed non prędeſtinationis Adami, neque meritorum Chriſti: neque Chriſtus per illam fidem attingebatur, vt auctor gratiæ redemptiuæ, ne Adamus eſſet pręſcius ſui caſus, ſed tantum vt gloriæ conſumator: & licet in re idem ſit conſumator gloriæ, & auctor gratiæ, & hęc prius detur in executione quam illa, tamen bene potuit fides infuſa Adami ad Chriſtum ſub vna, & non ſub altera ratione terminari.

Rogabis, quomodo Deus antecedenter ad præſcientiam peccati, ex vi ſolius decreti dandi Adamo iuſtitiam originalem potuit velle dare illi fidem Chriſti venturi, vt conſumatoris gloriæ, qui pro illo priori ſub nulla ratione adhuc repræſentabatur venturus? Huic interrogationi reſpondetur decretum illud dandi iuſtitiam originalem Adamo, poſſe conſiderari dupliciter: ſcilicet per modum intentionis, & per modum executionis; & primo modo, tantum decreuit illo Deus dare Adamo iuſtitiam originalem cum cæteris habitibus, & donis infuſis, & cum lumine, ſeu cognitione ſupernaturali, ſeu cum fide infuſa de ſupernaturalibus miſterijs reuelandis ipſi à Deo.

Secundo autem modo, Deus decreuit illo quòd in executione daretur Adamo cū iuſtitia originali, ſupernaturalis cognitio, quæ eſſet fides Chriſti venturi, vt cōſumatoris gloriæ, ſed licet decretum illud ſumptum per modum intentionis præceſſerit præuiſionem peccati, tamen per modum executionis, fuit poſterius præuiſsione peccati; non enim Chriſtus fuit infalibiliter futurus niſi poſt pręuiſsionem peccati, ac proinde neque fuit volitus, vt obiectū fidei Adamo conferendū, neque fides Adamo conferenda, fuit volita vt habens pro obiecto Chriſtum venturum, niſi poſt præuiſſum peccatum; alioquin cum fides infuſa ſit infalibilis, etiam Chriſtus infalibiliter eſſet venturus antecedenter ad peccatum, & independenter ab illo, ſi ex vi illius primę prouidentię decreta fuiſſet cum iuſtitia originali, fides Chriſti venturi: quod tamen eſt contra ſententiam D. Th. & ſanctorum Patrum, quam huc uſque ſequuti

quuti ſumus; Vnde ne ei cōtradicamus, dicē
dum eſt, Deum ex vi illius prouidētiæ pri-
mę ſiue decreti, tantum per modum inten-
tionis voluiſſe Adamo dare gratiam iuſti-
tię originalis cum ſuis donis quoad ſubſtā
tiam, non vero decreuit pro illo priori om
nes eorum circūſtantias in particulari, has
enim veluti reliquit decernendas pro alio
poſteriori ſigno pertinente ad ordinem
executionis, & tunc præuidit peccatum,
& illo præuiſſo decreuit mittere Chriſtū
in auctorem gratiæ reparatiuæ, & conſu-
matorem gloriæ; & ſtatim decreuit ad exe
cutionem illius primæ intentionis dan-
di Adamo dona gratiæ, quod fides, ſeu ſu-
pernaturalis cognitio comitans illam grá-
tiam ſtatus innocentiæ, terminaretur ad
Chriſtum venturum non ſecundum pri-
mam, ſed ſecundum circunſtantiam ſecun-
dā, ſcil. gloriæ cōſumatoris: neq; ex hoc li
cet inferre fidem illam debuiſſe dari ex me
ritis Chriſti, ſiquidem fuit poſt Chriſti
prædeſtinationē: ſicut neque ex hoc quod
prædeſtinatio Angelorū ſupponat Chri-
ſti prædeſtinationem, licet inferre: Ange
lorum gratiam eſſe effectum meritorum
Chriſti: non enim ſupponebat illam, vt
applicatam ad promerendum Adamo
dona ſtatus innocentię, aut gratiam Ange
lis; voluit enim Deus vt merita Chriſti ca-
pitis, tantum aplicarentur pro donis perti-
nentibus ad gratiam reſtaurationis, & vt
Chriſtus hac duntaxat dignitate exorna-
retur de facto, quæ cōſiſtit in munere redē
ptoris, hoc eſt auctoris gratiæ redemptiuæ
quæ cum omnibus ſuis effectibus præſup-
ponit peccatum Adami.

Ad tertiam probationem admiſſo
antecedenti; negāda eſt conſequentia, pro
cuius declaratione ſciendum eſt, quod gra
dus ille gloriæ correſpondens gratię repa
ratæ per pœnitentiam, & meritis reuiuiſ-
centibus in Adamo, correſpondebat gra-
tiæ, vt reſtitutę, & meritis vt viuificatis: &
quia alia numero gratia eſt quę deperditur
per peccatum, & quę reſtituitur per pœni
tentiam, hinc eſt, quod gloria collata Ada
mo nullaten⁹ correſpōdebat gratię infuſę
ante lapſum, ſed tota correſpondebat gra-
tię reſtitutę, quę pariter cum gloria fuit ex
meritis Chriſti reparatoris: merita verò,
quia eadē numero manent in diuina accep-
tatione, quandiu per peccatum mortificata
ſunt: hoc enim ſolum eſt illa eſſe impedita
ne huic homini peccanti in executione cō
ferant ius, & efficaciam ad gloriam; ac pro-
inde idē grad⁹ gloriæ qui correſpōdet me-
ritis viuificatis, correſpōdet eiſdē vt antecē
dētib⁹ ad peccatū cū hoc diſcrimine, quod
meritis correſpōdet tanquā rationi formali
tribuenti ius: reuiuiſcentię vero, ſiue pœ-
nitentiæ viuificanti illa, correſpondet vt
conditioni remouenti prohibens, quæ do-
ctrina verum habet in cæteris hominibus
præter Adamum, in quo merita per pecca-
tum non ſolum impedita, ſeu mortificatā
fuerunt, ſed etiam omnino extincta, ita vt
non manerent quātū ad ius ad gloriam in
diuina acceptatione, & ideò per pœniten-
tiam non ſolum ablatum fuit impedimen-
tum, ſed etiam reſtitutus fuit, & reparatus
valor illorum meritorum, Deo ſic ordinā-
te propter merita Chriſti, vt ei dona, quę a-
miſerat reſtituerentur, & inter illa valor
meritorum, ac ſi in diuina acceptatione
manſiſſet tanquam ſuus, ac proinde nullus
gradus gloriæ colatæ Adamo reſpondet
meritis, ſecundum quod pertinebant ad ſta
tum innocentiæ, ſed quatenus fuerunt re-
parata per pœnitentiam Adami, & ex me-
ritis Chriſti.

61 Ad quintum reſpondetur non
ſequi aliquod ex illis inconuenientibus, vt
patet diſcurrendo per ſingula: non enim ſe
quitur primum, quia Deus, vel tantum or-
dinauit Incarnationem in remedium pec-
cati, vt in effectum ſiue finem cui, quo pa-
cto non eſt inconueniens maius bonū or-
dinari in minus: ſic enim cauſa æquiuoca
ordinatur in ſuos effectus, quibus eſt nobi
lior, & regimē Ducis, ſiue Regis ordinatur
in bonum militis, ſiue agricolæ, quo tamen
illud eſt excellentius. Vel ſecundo dicen-
dum eſt quod licet incarnatio ordinetur in
remedium peccati tanquam in finem prop-
ter quem proximum, & immediatum, ſiue
cuius gratia; adhuc non eſt inconueniens;
quia huiuſmodi finis, cum conſiſtat in ope
ratione, non eſt neceſſe quod ſit perfectior
omnibus his, quę ordinantur ad ipſum, ſed
ſatis eſt quod ſit actualior, quo pacto gra-
tia habitualis ordinatur in viſionem bea-
tam tanquam in finem propter quem, licet
ſit forma nobilior ea; & vnumquodque a-
gens dicitur eſſe propter ſuam operatio-
nem, & ſimiliter cum remedium peccati ex
hibitum fuerit in Chriſti operationibus
meritorijs, & ſatisfactorijs, ideò potuit in-
carnatio conuenienter fieri propter reme-
dium peccati. Vel tandem tertio dicendum
eſt quod ſicut vnūquodque eſt propter ſuā
operationem, vt propter finem cuius gra-

tia,

ria, ideſt, non propter operationem condiuiſam ab ipſo, ſed propter ſe ipſum vt explicans ſe in operatione, & magis perfectũ per illam (conflatum enim ex ſuppoſito, & operatione perfectius eſt, quam ſolum ſuppoſitum) ita incarnatio, & Chriſtus fuit propter remedium peccati, vt propter finem immediatum cuius gratia, quia ſcilicet fuit propter ſe ipſam quatenus explicans ſe in ſuis operationibus ſatisfactorijs, & recipiens perfectionem illarũ, quod ſane conflatum perfectius eſt ſola operatione.

Neque ſecundum ſequitur, quia permiſsio peccati ex cuius præſcientia facta fuit incarnatio non ſe habuit vt mediũ ad Incarnationem, ſed vt materia circa quã præſuppoſita ex vi alterius prouidentiæ, & decreti ordine intentionis: merita autẽ habent ſe vt media ad gloriam, & effectus prædeſtinationis, ac proinde ſolo ordine executionis poſſunt ad illam præſupponi, ac proinde nequit fieri prędeſtinatio noſtra ex præſcientia horum meritorum ſumpta per modum intentionis, bene tamẽ ſi ſumatur, vt includit executionem.

Neque tandem ſequitur tertium, quia licet peccatum hominis fuerit præuiſſum ante prædeſtinationem Chriſti, & vt motiuum ſufficiens ad excitandam diuinã miſericordiã, tamẽ nõ fuit efficax motiuũ Incarnationis, niſi adiuncta diuina voluntate, quia ex illo voluit libere ocaſionẽ redemptionis ſumere, & ita potius diuina voluntas, & bonitas quam peccatum fuit cauſa ſiue ratio prædeſtinandi Chriſtum, & conſequenter alios homines per Chriſtũ. Reſpectu vero reprobationis hominum cũ præſupponatur originale peccatum ad illã præuiſſum, fuit cauſa ſine motiuum ſufficiens, vt propter illud Deus ſi vellet, homines reprobaret, & æternæ damnationi adiſceret, tamẽ nõ fuit cauſa efficax huiuſmodi reprobationis, niſi adiuncta voluntate diuina, quæ voluit illud in aliquibus hominibus relinquere irremiſſum, atq; propter illud eos damnare: in quibus hominibus dari cauſam reprobationis, nimirum originale peccatum ex adiuncta diuina voluntate diximus in materia de prædeſtin. non eſſe incõueniẽs, & in hoc veriſsima eſſe ſẽtẽtiã Auguſtin. qui reſpectu omnium hominum reproborum ponit cauſam reprobationis fuiſſe originale peccatum.

Ad fundamentum adductum pro Suar. reſpondetur negando maior. ad cuius primam probationem dicendum eſt, quod tituli ad conſequendum præmium non comparantur ad illud vt fines diuerſi, ſed vt media ad eundem finem: multiplicari autem media reſpectu eiuſdem intentionis finis non eſt inconueniens.

Ad ſecundam reſpondetur, quod intentio quam Deus habuit mittendi Chriſtum non fuit propter remedium peccati originalis, & actualis tanquam propter duo motiua totalia, & ex æquo ſe habentia, ſed remedium originalis fuit motiuum principalius, & remedium actualis fuit motiuum munus principale, & veluti ſecundarium, & reſpectu executionis. Vtrum autem veniret Chriſtus ex vi præſentis decreti propter ſolum remedium originalis peccati? dicemus articulo ſequenti.

Ad tertiam nego antecedens. In neutro enim caſu ibi adducto humana voluntas habet duos fines totales eiuſdem intẽtionis: non quidem, in primo quia tunc, aut motiũ miſericordiæ imperat pęnitẽtiæ & ſic hæc habet ſe vt medium reſpectu illius, aut motiuũ pœnitẽtiæ imperat miſericordiæ, et ſic hæc eſt mediũ, et illa eſt finis, aut motiuum vtriuſque concurrit ſimul, & ex æquo: & ſic ex vtroque integratur vnꝰ finis totalis, ita vt ſi deficeret alterum illorum non ſequeretur illa electio, ſicut quãdo concurrunt duæ cauſæ totales quoad ſufficientiam ex æquo ad eundem effectũ ambæ concurrunt vt cauſę partiales conſtituentes ſimul vnam totalem ita vt ſi altera illarum deficeret, ex vi cõcurſus quẽ altera concauſa præſtabat non ſequæretur talis effectus. Neque in ſecundo quia primarium motiuum itineris Samuelis in Bethleem fuit vnctio Dauidis in Regem, motiuum autem ſecundarium, & minus principale fuit immolare Domino vt ex contextu colligitur.

Ad primum fundamentum pro ſecunda: fateor Deum potuiſſe habere decretum illud conditionatum, ſed quia nobis non fuit reuelatum niſi decretum abſolutum de ſumenda carne paſsibili in remediũ peccati, ~~folũ~~ hoc debemus ponere in Deo circa incarnationem. Ad ſecundum dicendum eſt quod non exiſtente peccato hominum poſſet Deus de potentia abſoluta incarnari ex vi alterius decreti, quod ſi tunc illud haberet Deus, incarnatio eſſet conueniens propter illas, & alias plures conuenientias, ſed de facto non aliter fuit conueniens diuinæ bonitati incarnatio niſi in

ſi in remedium peccati, quia de facto ad hunc finem ordinata fuit incarnatio, & nõ aliter prona fuit de facto diuina bonitas ad communicationem ſui per incarnationem niſi ſecundum quod fuit ſimul cauſa noſtræ redemptionis: cuius ſignum eſt, quod in priori ſigno rationis ante præuiſsionẽ peccati non habuit Deus efficax decretũ Incarnationis, vt dictum eſt, & tamen ſi diuina bonitas de facto fuiſſet prona independenter à peccato ad carnis aſſumptionem, tale decretum haberet, ob adductas conuenientias in argumento.

ART. IIII.

Vtrùm principalius Chriſti incarnatio facta fuerit ad tollendum peccatum originale, quàm actuale?

3. d. 1. q. 1. a. 2. 6. Et opuſc. 10. a. 28. & opuſ. 11. a. 23. Et opu. 35. ar. 21

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quód Deus principalius incarnatus fuerit in remedium actualium peccatorũ, quam in remedium originalis peccati. Quanto enim peccatum eſt grauius, tanto magis humanæ ſaluti aduerſatur, propter quam Deus eſt incarnatus. Sed peccatum actuale eſt grauius, quâm originale peccatum: minima enim pœna debetur originali peccato, vt Auguſtin. dicit contra Iulianum †. Ergo principalius incarnatio Chriſti ordinatur ad deletionem actualium peccatorum, quam ad deletionem originalis peccati.

† li. 5. c. 8. circ. fin. to. 7.

2 Præterea, peccato originali nõ debetur pœna ſenſus, ſed ſolum pœna damni, vt in ſecundo habitum eſt *. Sed Chriſtus venit pro ſatisfactione peccatorum, pœnã ſenſus pati in cruce, non autem pœnam damni: quia nullum defectum habuit diuinæ viſionis, aut fruitionis. Ergo principalius venit ad deletionem pecati actualis, quam originalis.

* lib. 2. ſen. d. 33. q. 2. art. 2.

3 Præterea, ſicut Chryſoſt. dicit in 2. de compunctione cordis †. Hic eſt affectus ſerui fidelis, vt beneficia Domini ſui, quæ communiter omnibus data ſunt, quaſi ſibi ſoli præſtita reputet. Quaſi enim de ſe ſolo loquens Paulus ita ſcribit ad Galat. 2. Dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me. Sed propria peccata noſtra ſunt actualia: originale enim eſt commune peccatum. Ergo hunc affectum debemus habere, vt exiſtimemus eum principaliter propter actualia peccata veniſſe.

† lib. 2. inter ſi. & medium to. 5.

Sed contra eſt, quod ad Ioann. 1. dicitur, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Quod exponens Beda dicit †, peccatum mundi dicitur originale peccatum, quod eſt commune totius mundi.

† habetur in gloſ. ordinar. in hoc loco.

Reſpondeo dicendum, quòd certum eſt, Chriſtum veniſſe in hunc mundum non ſolum ad delendum illud peccatum, quod traductum eſt originaliter in poſteros: ſed etiam ad deletionem omnium peccatorum, quæ poſtmodum ſuperaddita ſunt. Non quod omnia deleantur (quod eſt propter defectum hominum, qui Chriſto non inhærent, ſecundum illud Ioann. 3, Venit lux in mundum: & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem:) ſed quia ipſe exhibuit, quod ſufficiens fuit ad omniũ peccatorum deletionem. Vnde dicitur Roman. 5. Non ſicut delictum, ita & donum: nam iudicium ex vno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem. Tanto autem principalius ad alicu-

ius

ius peccati deletionem Chriſtus venit, quanto illud peccatum maius eſt. Dicitur autem aliquid maius dupliciter. Vno modo intenſiue: ſicut eſt maior albedo, quæ eſt intenſior. Et per hunc modum maius eſt peccatum actuale, quam originale: quia plus habet de ratione voluntarij, vt in ſecundo habitum eſt*. Alio modo dicitur aliquid maius extenſiuê: ſicut dicitur maior albedo, quæ eſt in maiori ſuperficie. Et hoc modo peccatum originale (per quod totum genus humanum inficitur) eſt maius quolibet peccato actuali, quod eſt proprium ſingularis perſonæ. Et quantum ad hoc Chriſtus principalius venit ad tollendum originale peccatum: in quãtum bonum gentis diuinius, & eminentius eſt, quam bonum vnius, vt dicitur primo Ethicor.*

p 2.q.81. art.1.

c. 2. circa fin. tom. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit de intenſiua magnitudine peccati.

Ad ſecundum dicendum, quod peccato originali in futura retributione non debetur pœna ſenſus: pœnalitates tamen, quas ſenſibiliter in hac vita patimur, ſicut famem, ſitim, mortem, & alia huiuſmodi, ex peccato originali procedunt. Et ideô Chriſtus, vt plenê pro peccato originali ſatisfaceret, ſenſibilem dolorem pati voluit, vt mortem, & alia huiuſmodi in ſeipſo conſumeret.

Ad tertium dicendum, quod ſicut Chryſoſtom. ibidem dicit*, Verba illa dicebat Apoſtolus, non quaſi diminuere volens ampliſsima, & per orbem terrarum diffuſa Chriſti munera: ſed vt pro omnibus ſe ſolum indicaret obnoxium. Quid enim intereſt ſi & alijs præſtitit, cum quæ tibi ſunt præſtita, ita integra ſint, & ita perfecta, quaſi nulli alij ex his aliquid fuerit præſtitum? Ex hoc ergo, quod aliquis debet reputare ſibi beneficia Chriſti præſtita eſſe, non debet exiſtimare, quôd non ſint alijs præſtita. Et ideô non excluditur, quin principalius venerit abolere peccatum totius naturæ, quam peccatum vnius perſonæ. Sed illud peccatum naturæ ita perfecte curatum eſt in vnoquoque, ac ſi vno ſolo eſſet curatum. Et ideô propter vnionem charitatis, totum quod omnibus eſt impenſum, vnuſquiſque debet ſibi aſcribere.

Loco in argum. cit.

PRIMA Concluſio, Chriſtus venit in hunc mundum ad delendum, non ſolum peccatum originali, ſed etiam omnia actualia. Secunda concluſio, Chriſtus dicitur veniſſe ad delenda omnia peccata, non quia de facto omnia deleuerit, ſed quia exhibuit ſufficientiſsimum remedium quantum eſt ex parte ſua ad omnium deletionem. Tertia concluſio, Chriſtus principalius venit ad tolendum peccatũ originale, quatenus eſt malum vniuerſale totius naturæ, quam ad tolenda peccata actualia.

Circa has concluſiones conueniunt Theologi in duobus, & diſcriminãtur in alio, quod vocãt in controuerſiam: conueniunt quidem primo in eo quod tam veritas primæ quam ſecundæ concluſionis ſit dogma fidei: prima enim colligitur ex pluribus teſtimonijs ſcripturæ, in quibus ſignificatur Chriſtum eſſe cauſam vniuerſalem deletionis omnium peccatorum humani generis, nullamque ſine ſanguine ipſius fieri peccati remiſsionem, vt Eſai. 53. *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras*, & 1. Ioann, 3. dicitur quod Chriſtus venit, vt diſſoluat opera diaboli, ideſt, omnia peccata hominum, quæ opera diaboli ſunt; & Matth. 26. *Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum*, & à Diu. Thoma hic dicitur gratiam Chriſti abundantiorem eſſe quam peccatum Adami; in eo quod hoc, vnum cum fuerit, omnes condemnauit; illa vero ex multis delictis, ſcilicet originali, & actualibus in iuſtificationem abundauit in plures, ideſt multos, & 1. Ioann. 2.

Ipſe

Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum ſed pro totius mundi, cui cõſonat illud ad Roman. 3. *Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ipſius ſanguine ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ propter remiſsionẽ præcedentium delictorum*, &c. Ex quibus duobus teſtimonijs Concilium Trident. ſeſs. 6. c. 2. diffinit Chriſtum fuiſſe propoſitum à Deo, propitiatorem pro omnibus peccatis noſtris.

Secunda autem concluſio diffinitur ab eodem Concilio, cap. 3. ſequenti, vbi facta comparatione inter peccatum Adami, & Chriſti redemptionem: aſsignatur: Hæc concluſionis optima ratio: quia ſicut peccatum Adami licet de ſe fuerit ſufficientiſsimũ ad inficiendum omnes homines, nullus tamen illo inficitur, niſi media propagatione ex ſemine Adami, & naſcendo ex illo; ſic etiam quamuis meritum & ſatisfactio Chriſti habuerint ſufficientiſsimum valorem pro remitendis vniuerſis hominum peccatis, tamen niſi in Chriſto renaſcantur, nunquam iuſtificabuntur: huiuſmodi autem renaſcentia non fit poſt Euangelium niſi per regenerationis lauacrum in re ſuſceptum, vel in voto: quod autem fuerit valor iſte operum Chriſti ſufficientiſsimus de ſe, oſtendimus artic. 2. ſed quia fuit per modum cauſæ vniuerſalis, vt ſortiatur effectũ in ſingulis hominibus, indiget aplicatione actuali, quæ fit per baptiſmum, pœnitentiam, & alia ſacramenta, quæ habent virtutẽ ex paſsione Chriſti, vt oſtendit D. Th. quæſt. 49. art. 1. ad 4. Conueniunt ſecũdo Theologi in eo quod ſi originale peccatũ non eſſet, incarnatio non fieret ex vi eiuſdem decreti, ex vi cuius facta fuit, eo quod cum fuerit peccatum originale, ſi non totale, ſaltem principale motiuũ propter quod decreta, & facta eſt incarnatio, illo deficiẽte deficeret præſens decretum, ac proinde eius executio: vertitur autem in dubium à Theologis,

Vtrùm ita fuerit principale motiuum reſpectu diuinæ voluntatis ad incarnationem peccatum originale, vt propter ſolum, illud etiam ſi nullum actuale committeretur ab hominibus, fieret incarnatio, aut ex vi eiuſdem decreti, aut ſaltem ex vi alterius?

IN quo dubio tres verſantur ſententiæ. Prima aſſerit fore incarnationẽ & Chriſtum venturum ex vi eiuſdem decreti propter ſolum originale, etiam ſi nullum actuale peccatum exiſteret in hominibus: ita Suarius disput. 5. ſect. 6. & Ranguſa diſput. 33. Peſant. diſp. 2. art. præcedent. circa finem, & Albar. in expoſitione huius articuli Vazq. diſput. 13. cap. 2. Vincẽtius in relectione, quæſt. 6. pag. 695. ſequuti Alexãd. part. 2. q. 99. membro 7. & Ricardum in 2. d. 7. art. 2. q. 1. quorum fundamentum eſt: quia aduentus Chriſti in carne paſsibili fuit prædeſtinatus ante præuiſsionem peccatorum actualium, ita vt totale motiuum principale pro illo priori fuerit originale peccatũ, ſed manente motiuo principali totali maneret eadem volitio, ſiue decretum: ergo independenter omnino à peccatis actualibus veniret Chriſtus ex vi eiuſdem decreti.

Maior probatur dupliciter, tum quia peccata actualia non potuerunt præuideri à Deo niſi in voluntate permitendi illa tanquam in prima radice: hæc autem permiſsio fuit poſt decretum Incarnationis, eo quod conſiſtit in denegatione gratiæ conferendæ ex meritis Chriſti per quã talia peccata poſſent vitari, quæ gratia non potuit ante Chriſtum præcognoſci: ergo talia peccata præcognoſci non potuerunt ante decretum incarnationis Chriſti vt

aucto-

auctoris omnis gratiæ redemptiuæ. Tum etiam quia peccata blasfemantium, & crucifigentium Chriſtum non potuerunt prę uideri ante cognitionē incarnationis Chriſti in carne paſsibili à quo dependebat, vt ab obiecto; nullus autem actus cognoſci poteſt ſine obiecto præcognito, & nō eſt maior ratio, quare alia peccata actualia fuerint à Deo præuiſa ante Incarnationē potius quam iſta: ergo nulla fuerunt præuiſa.

Secunda ſententia huic extreme oppoſita eſt quam ſequuntur Valentia hic, punt. *6.* & 7. Cabrera diſp. vnica, & Medina hic, §. ad 2. quæſtionem aſſerentes peccata actualia pertinere ad decretum incarnationis, vt motiuum principale, ac proinde illis ſecluſis Chriſtum non fuiſſe venturum ex vi præſentis decreti propter ſolum originale, quam probant tripliciter.

Primo, ex teſtimonijs D. *T*hom. in hoc art. & opuſc. 1. 1. art. 23. in quorū primo aſſerit motiuum principalius incarnationis intenſiue fuiſſe peccatum actuale, extenſiue verò fuiſſe peccatum originale; denotans quod ſicut ſecundum extenſionem, maius malum eſt peccatum originale, vtpote commune toti naturę, ita pariformiter ſecundum intenſionem maius malū eſt peccatum actuale, vtpote habens magis de ratione voluntariæ auerſionis à Deo, ac proinde ſentit D. Th. quod vnūquodque in ſuo genere fuit æque principale motiuū diuinę voluntatis ad incarnationem.

In ſecundo verò, ait Chriſtum principaliter veniſſe ad introducendum homines in Vitam æternam ſicut dicit ipſe Ioan. 10. *Ego veni vt vitam habeant*, & ſubdit circa finem, *quod tollere actualia peccata pertinet ad principalem Chriſti intentionem, qua venit mundum ſaluare*, ſecundum illud Luc. 5. *non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pænitentiam*, ex quo teſtimonio, tale deducitur argumentū: ſublato, eo quod pertinet ad primarium, ſiue principale motiuū alicuius intentionis deficit talis intentio: ſed in primarium motiuum intentionis mitendi Chriſtum ingreditur non ſolum originalis peccati remedium, ſed etiam actualium: alioquin Chriſtus non veniret ex primaria intentione introducere homines in vitā æternam, & ſaluare mūdum perfecte ab omnibus peccatis: quod tamen eſt contra teſtimonia præallegata ſacræ Scripturæ: ergo. Secundo quia motiuum principale diuinæ miſericordiæ fuit ſanare grauius peccatum ſimpliciter: hoc enim colligitur ex fundamento Angelici præceptoris: grauius autem peccatum ſimpliciter eſſe actuale, quam originale conſtat dupliciter. *T*um quia de illo fatetur hic D. Thom. eſſe grauius intenſiue: perfectio autem intenſiua eſt maior ſimpliciter, quam extenſiua: tum etiam, quia teſte eodem ſancto Doctore 1. 2. q. 71. art. 3. actus excedit ſimpliciter habitum quoad perfectionem, licet ſecundū quid, & quoad modum permanentiæ, ac diuturnitatis excedatur ab illo: peccatum autem actuale ad originale comparatur ſicut actus ad habitum, vtpote quia illius maliti a eſt actualis, huius verò habitualis: igitur actuale peccatum in malitiæ grauitate ſimpliciter excedit originale: ac per conſequens debuit aſſumi à diuina voluntate, vt motiuum principalius aduentus redemptoris.

Tertio, nam illud fuit motiuum principalis incarnationis quod fuit à Deo principalius intentum, ideſt, per media præſtantiora, ſed prę ſtātiora media ordinauit Deus in remedium peccatorum actualium, quam in remediū originalis: ergo. Maior eſt nota, & minor probatur, quia Chriſtus in executione inſtituit pro remiſsione peccatorū actualium Sacramentū Euchariſtiæ, quod præſtantius eſt Sacramento Baptiſmi inſtituto in remedium peccati originalis: per quæ autem media finis executioni mandatur, per eadem eſt intētus: nam eadem ſunt media intentionis, & executionis.

Quarto, quia Chriſtus prædeſtinatus eſt, vt perfectus redemptor, ita vt motiuum adæquatum huius prædeſtinationis fuerit perfecta hominum redēptio per Paſſionem, & mortem Chriſti conſumanda: hoc autem eſſe non poteſt, niſi ſimul prædeſtinatus fuerit in remedium peccatorum actualium: igitur hoc motiuo deficiente, non ſubſiſteret idem decretum prædeſtinationis Chriſti. Maior ſupponitur: & minor patet dupliciter; tum quia perfecta redemptio eſt liberatio ab omni peccato. Tū etiam, quia eo ipſo quod Chriſtus fuit prædeſtinatus, ut redēptor per ſuā paſsionem, & mortem, exequendam quidem dependēter à peccatis occidētiū ipſum: hæc proinde fuerunt permiſa, & pręuiſa in eodem ſigno rationis, in quo Chriſtus prædeſtinabatur: ergo fuit prędeſtinatus, ſimul in remedium ſaltem huiuſmodi peccatorum actualium.

Tertia ſententia veluti media aſſerit motiuum principale prædeſtinationis Chriſti

Chriſti in ordine intentionis, ita fuiſſe ſolum peccatum originale, vt propter illud ſolũ, ad huc Chriſtus veniret in carne paſſibili ex vi eiuſdem decreti; in executione vero motiuum adæquatum fuiſſe integrã liberationem à cunctis peccatis, & pœnis debitis pro illis: ex quo inferunt auctores huius ſententiæ duo corolaria. Vnum eſt in quo conueniũt cum auctoribus primæ, nimirum quod deficiẽtibus peccatis actualibus adhuc propter ſolum originale peccatum Chriſtus veniret ex vi eiuſdem decreti ſecundum ordinem intentionis: alterum eſt in quo conueniunt cum auctoribus ſecundæ ſententię; nimirum quod Adamo non peccãte, propter actualia peccata poſterorum, etiam mortalia, Chriſtus non veniret ex vi eiuſdem decreti: veniret tamen ex vi alterius, quod tunc haberet Deus mittendi Chriſtum, vel propter vnum duntaxat lethale peccatum, ſiquidem priuat gratia, & amicitia diuina, vt inſinuant Chryſoſtom. & Theophylactus ad Galatas 2. ibi; *qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me:* vel ſaltem propter plura peccata mortalia, ſiue vnius ſpeciei, ſiue plurium, quibus maior pars poſterorum Adami inficeretur, vt volunt Medina, Valentia, & Cabrera, vbi ſupra, & quia hæc ſententia eſt, veritati cõformior, pro eius declaratione.

Stãte ſolo originali peccato veniret Chriſtus ex vi eiuſdẽ decreti ordine intẽtionis, ſecus ordine executionis.

63 Dico primo. Stante ſolo peccato originali non veniret Chriſtus ex vi eiuſdem decreti pertinentis ad ordinem executionis, bene tamen veniret ex vi eiuſdem decreti pertinentis ad ordinem intentionis. Hæc concluſio ſtatuitur pro prima parte aduerſus auctores primæ ſententię, & pro eius explicatione ſupponimus admittẽdũ eſſe in diuinis decretis duplicem ordinem, videlicet intentionis, & executionis: eo quod vt docuimus in tractatu de prędeſtinatione art. 2. & 3. Deus ſæpius ordine intentionis vult primo actu determinare aliquod obiectum preciſſe quoad ſubſtantiã, & per modum finis intenti, relinquendo circunſtantias cum quibus, & media per quæ debet poni in executione, difiniendas, ſiue eligendas pro alio ſigno rationis, & alio decreto includente ordinem executionis, & hoc modo Deus ſe geſsit in negotio noſtrę prædeſtinationis, nã voluit prima intentione dare gloriam electis per modum finis intenti; ſeu per modum regni, aut beneficij, indebiti, & alia volitione determinante executionem voluit pro alio ſigno rationis dare eandem gloriam per modum coronæ, & dependenter à talibus medijs, ſcilicet meritis, quo ſuppoſito probatur hęc prima pars concluſionis. Diuerſus modus executionis in tẽpore circa idẽ obiectum arguit diuerſitatem in decreto includente ordinem executionis; quoniã diuerſa executio in tempore correſpondet & ſubordinatur diuerſo decreto determinanti executionem, ſi autem deficerent in hominibus peccata actualia, incarnatio diuerſimode mandaretur executioni, quantũ ad circunſtantias redemptionis: ſiquidem tunc Chriſtus nõ redimeret nos à peccatis actualibus, neque inſtitueret ſacramẽta remiſsiua illorum, neque gratia Chriſti eſſet ex multis delictis in iuſtificationem, ſed tantum eſſet ex vno delicto, ſcilicet originali, ſicut & condemnatio: quod tamẽ eſt contra diſcrimen aſsignatum à Paulo ad Romanos 5. inter peccatum Adami, & gratiam Chriſti, prout contigit de facto in executione redemptionis; ergo ex vi diſtincti decreti pertinentis ad ordinem executionis veniret Chriſtus pro ſolo originali peccato. Quæ ratio amplius declaratur nullus modus realis inuenitur in executione, qui nõ fuerit volitus, ac præuiſus à Deo in aliquo eius decreto: alioquin eſſet præter intentionem, & fieret à caſu, & forte, reſpectu Dei; quod tamen derogat perfectioni diuinæ ſcientiæ, ac prouidentiæ: ſed ſi Chriſtus veniret in tempore pro remiſsione ſolius peccati originalis, præſeruarẽtur omnes homines à peccatis actualibus per merita Chriſti, qui modus eſt realis, & diſtinctus ab illo, quo incarnatio de facto fuit executioni mãdata: ergo & modus hic fuiſſet tunc à Deo volitus, ac diffinitus in aliquo decreto, quod cum non potuerit eſſe prima volitio intendens incarnationem in remedium peccati originalis, debuit eſſe ſecunda volitio, qua Deus per modum executionis decreuit aliquas circunſtantias redemptionis faciendæ per Chriſtum, poſtquã præuidit in hominibus peccata actualia.

Deinde pro ſecunda parte ſtatuitur contra auctores ſecundę ſententię, & conuincitur, tum eorum fundamento, tum etiam hac ratione: antecedenter ad Chriſti prædeſtinationem nõ fuerunt præuiſa expræſſe, & formaliter peccata actualia in hominibus, neque in ſingulari fuerunt poſteri Adæ præuiſsi vt infecti peccatis actualibus. Imò vt multis placet: neque vt infecti proprijs peccatis originalibus, origina-

tis ex

nis ex peccato Adami: alioquin non poſſet pie defendi Beatam Virginem fuiſſe præſeruatam ab originali peccato propter merita Chriſti, ſi antequam hæc præuiderentur iam fuiſſet illud præuiſum in ſingulis poſteris Adæ, ſed hęc opinio ſuſtineri non poteſt propter tria.

Tum quia motiuum incarnationis debuit eſſe peccatum commune totius naturæ, teſtè Diu. Thom. in corpore articuli: peccatum autem ſolum originans non totius naturæ, ſed ſolius Adæ fuit malum.

Tum etiam, quia huiusmodi motiuum fuit malum vergens in detrimentum poſterorum: ergo vt inficiens illos. Tum denique quia originale originatū eſt carentia iuſtitiæ originalis, cuius proinde permiſsio debuit eſſe effectus eiuſdē prouidentiæ, cuius & ipſa iuſtitia originalis fuit effectus, eo vel maximè, quod cū poſteri Adami fuiſſent iam præuiſi in ſecundo ſigno rationis, non eſt cur in tertio non poſſent præuideri infecti ante decretum incarnationis, quod cōſumatū fuit in quarto: cuius proinde motiuum fuit integrum peccatū originale, ſcilicet includens originās, & originatū, quia vtrūque pro illo priori fuit præuiſum. Tūc vltra, ſed ſtante motiuo adæquato, & totali, alicuius intentionis, ſufficienter ſaluatur talis intentio, etiam ſi quodcunque aliud deficiat: igitur manente ſolo huiuſmodi peccato originali maneret eadem intentio diuina mittendi Chriſtū: qui proinde deficiētibus peccatis actualibus adhuc veniret ex vi eiuſdem intentionis.

Dices, etiam pro illo priori ſigno fuiſſe præuiſum peccatum Euæ, ſine quo peccatū Adami, præuideri non poterat, vtpote cum fuerit effectus peccati Euæ moraliter depēdens, & ocaſsionatus ab illo, & effectus nō poſsit præuideri ſine ſua cauſa præuiſa: & tamen neque fuit originale originans, ſiquidē non fuit peccatum capitis, hoc enim ſolum fuit peccatum Adami: neque fuit originale originatum, ſiquidem neque fuit contractum per ſeminalem propagationem; neque ex voluntate Adami, ſed propria, & perſonali Euæ voluntate, & antecedenter ad peccatum Adami: ergo iam antecedenter ad decretum prædeſtinationis Chriſti fuit præuiſum vltra peccatum originale Adami, & poſterorum aliquod peccatū actuale, videlicet Euæ, quod, cum illo fuit ſimul motiuum talis decreti.

Huic obiectioni, dicendum eſt peccatum Euæ pertinere ad peccatum originale originans, vtpote cum fuerit radix, & occaſsio illius: & aliàs cum vtriuſque permiſsio fuerit volita ex vi alterius decreti, & prouidentiæ antecedenter ad decretum prædeſtinationis Chriſti: propterea vtrumque compræhenditur, ſub nomine originalis peccati; de quo aſſerimus in concluſione fuiſſe totale motiuum intentionis mittēdi redemptorem, ita vt illo ſolo manente veniret Chriſtus redemptor ex vi eiuſdem intentionis.

Vtrum autem deficiente huiuſmodi peccato originali, veniret Chriſtus ex vi alterius decreti propter ſola peccata actualia, quæ poſteri Adæ committerent? Res dubia, & incerta eſt, nam de his quæ dependent à ſola diuina voluntate, & ſunt ſupra naturam non eſt à nobis aliquid determinate aſſeuerandum, niſi iuxta ea quę diuina reuelatione manifeſtantur nobis: huiuſmodi autem decretum quo Deus determinaret mitere Chriſtum in remedium tantum peccatorum actualium à ſola libera voluntate Dei dependeret, eſſetque de obiecto ſuper excedente debitum naturæ, & alias nullibi facta eſt reuelatio quod in illo caſu Deus tale decretum eſſet habiturus: igitur non eſt determinate affirmandum Deum illud fore habiturū, quis enim vt inquit Paul. ad Roman. 11. cognouit ſenſum Domini aut quis conſiliarius eius fuit? ſed tantum certū eſt Deū habere infinitā miſericordiā qua ſufficiēter hominibus prouideret de remiſsione peccatorum actualiū. Nihilominus quia peccata actualia tripliciter excogitare poſſumus reperiri tunc in hominibus: aut enim eſſent in omnibus, vel vt in pluribus poſteris Adæ peccata actualia mortalia, aut eſſent in paucioribus, vt inſinuat D. Thom. in 2. diſtinction. 20. quæſtion. 2. articulo 4. & 1. part. quæſtion. 100. articulo 2. ex doctrina Gregorij lib. 4. moralium, capit. 36. & Anſelm. libr. 1. cur Deus homo cap. 18. aut tandem nullum peccatum mortale eſſet tunc in hominibus, eſſent tamen peccata venialia, eo quod vt inſinuant prædicti Patres in locis citatis Adamo non peccante eius poſteri, aut naſcerentur confirmati in gratia, ac proinde eſſent impeccabiles impeccabilitate, quæ opponitur peccato mortali, aut cito eſſent in gratia confirmandi; vt de his probabile iuditium feram.

Adhuc veniret Chriſtus, licet ex vi alterius decreti, ſi maior pars hominū peccato lethali actuali inficeretur.

64 Dico ſecundo. In primo caſu probabilius eſt Chriſtum eſſe venturum in carne paſsibili ex vi alterius, ſecus vero

in ſecundo, aut tertio. Prima pars huius cõcluſionis probatur, quia exiſtente peccato actuali mortali in omnibus, vel fere omnibus hominibus, eſſet eadem miſeria, & neceſsitas naturæ humanæ moraliter loquẽdo, atque fuit illa, quam ex peccato originali contraxit, quod enim ex voluntate vnius in alios omnes deriuetur, vel quod ad omnes extendatur mortalis culpa ex libero conſenſu vniuſcuiuſque peraccidens ſe habet ad malum, ſiue miſeriam naturæ humanæ, quæ diuinã miſericordiã excitauit ad incarnationem: ergo ſicut mortalis culpa extenſa primo modo ad omnes poſteros Adæ fuit ſufficiens motiuum præſentis decreti Incarnationis, ita extenſa ſecundo modo ad omnes, vel fere omnes poſteros Adæ eſſet vniuerſale malum humani generis, ac proinde ſufficiens motiuum alterius decreti Incarnationis, ex vi cuius Chriſtus veniret in carne paſsibili in remediũ huiuſmodi actualium peccatorũ.

Deinde ſecunda pars concluſionis probatur quia peccatum mortale repertum in vno, vel in pautioribus hominibus non eſt malum vniuerſale generis humani: ergo non eſt condignum, & ſufficiens motiuum incarnationis Chriſti, quæ non potuit fieri conuenienter, aut debuit niſi in remedium communis mali, cuiuſmodi eſt peccatũ mortale ad omnes, vel fere omnes homines deriuatum.

Denique pro tertia parte patet quia Chriſtus debuit prædeſtinari, vt redemptor, ideſt vt auctor gratiæ redẽptiuæ neceſſariæ ad remiſsionem peccatorum: venialia autem peccata non indigent gratia ad ſui remiſsionem multis enim alijs modis remiti poſſunt: ergo non eſſet conueniens Chriſtum venire in remedium dũtaxat venialium peccatorum.

Ad fundamentum adductum pro prima ſententia reſpondetur illo tantũ conuinci ſecundam partem primæ noſtræ concluſionis, & quatenus militat contra primã diſtinguenda eſt maior, & de motiuo totali decreti prædeſtinationis Chriſti per modũ intentionis concedendũ eſt illud fuiſſe ſolũ originale peccatũ, ſecus verò de motiuo totali decreti per modum executionis.

Ad cuius primam probationẽ dicẽdũ eſt quod voluntas permitẽdi peccata actualia in ſingulis hominibus fuit poſt decretũ incarnationis pertinens ad ordinẽ intentionis, et prior decreto, & antecedẽter ad aliud decretũ incarnationis pertinens ad ordinẽ executionis, hoc enim præſupponit peccata actualia præuiſa ſecus verò illud. Et ſimiliter ad ſecũdã probationẽ dicẽdũ eſt peccata crucifigẽtiũ Chriſtũ, & alia quæcũq; actualia pariformiter præſupponere intentionẽ incarnationis, & præſupponi ad eiuſdẽ incarnationis executionem præordinatam in illo ſecundo decreto pertinente ad ordinem executionis.

Ad primũ ex adductis pro ſecũda ſententia reſpondetur explicando ſingula teſtimonia. Et quidẽ in primo D. T. non parificat peccatũ originale, & actuale in ratione motiui principalis incarnationis, ſed aſſerẽdo quod originale eſt principalius extẽſiue denotat illud eſſe principalius motiuum abſolute, quia eſſe malũ extẽſiue maius eſt illud eſſe malũ commune, quod in ratione talis ſimpliciter excedit malũ particulare perſonæ: in ſecundo verò tãtũ vult vt ipſa verba cõtextus ſignificãt, quod ad principalẽ intẽtionẽ Chriſti prædeſtinati, hoc eſt ſecũdũ executionis ordinem pertinet remediũ vtriuſq; peccati, ſecus verò ad motiuũ principale intentionis Dei prædeſtinãtis, & ita negãda eſt minor ad argumẽtum ex eodem teſtimonio deductum.

Ad ſecundũ principale, nego minor. ad primam probationẽ dicẽdũ eſt quod perfectio intẽſiua cæteris paribus eſt maior, quã extẽſiua, ſecus verò quãdo cætera nõ ſunt paria, & quia originalis peccati extẽſio eſt adæquata naturã, eo quod eſt malũ naturæ, actuale verò quantũbis intenſius, tantũ eſt malũ perſonę, propterea illud eſt grauius ſimpliciter. Ad ſecundã admiſſa maior. de habitu propriè dicto, nego minor, quia originale peccatũ in poſteris Adami non eſt propriè habitus, ſed habet ſe ad modũ habitus relicti ex actu, quatenus ex actu inordinato Adami vt capitis, in eius poſteris reſultat habitualis quædã, ſiue inordinatio, ſiue priuatio iuſtitiæ originalis, quo pacto etiã actuale peccatum, quoad id quod relinquitur ex actu peccaminoſo, dici poteſt habitus, quia habet modũ formę permanẽtis. Vel ſecundo reſpondetur diſtinguẽdo maior. act⁹ excedit ſimpliciter in perfectione habitũ eiuſdem ordinis, & à quo proximè ellicitur cõcedo; excedit habitũ alterius ordinis, & qui per ſe non ordinatur ad talẽ actũ nego maior: & quia originale peccatum, licet ſit habitualis forma, non tamẽ ordinata per ſe ad actualia peccata, vt principiũ proximũ ellicitiuũ illorũ, ideo nõ eſt neceſſe vt ab illis excedatur ſimpliciter, niſi tan-

tantum ſecundumquid, ſcilicet quantum ad conditionem voluntarij ratione cuius peccatum actuale eſt grauius intenſiuequã originale.

65 Ad tertium aliqui reſpondẽt negando minorem, eò quod exiſtimant gratiam baptiſmalem poſſe conſiderari dupliciter. Vno modo, quoad intenſionẽ, & ſic ordinari ad gratià Euchariſtiæ: alio modo quoad extenſionem, & quatenus eſt remedium communis peccati naturæ, & ſic non ordinari ad gratiam Euchariſtiæ, ſed eſſe perfectiorem illa, & propterea vt ſic fuiſſe motiuũ principali⁹ diuinę miſericordiæ, vt propter illam venerit Chriſtus. Sed hæc ſolutio non poteſt ſuſtineri propter duo. Tum quia baptiſmus eſt Sacramentũ imperfectius Euchariſtia, & ad illã tanquã ad finem ordinatum, & alias in ratione talis Sacramenti eſt medium ordinatum ad remiſsionem peccati originalis, vtpote inſtrumentum ordinatum ad cauſandam gratiam remiſsiuam illius, & Euchariſtia etiã in ratione talis Sacramenti eſt medium ordinatum ad remiſsionum peccatorum actualiũ: ergo iam Deus ordinauit aliquod mediũ præſtãtius ad remiſsionẽ peccatorũ actualiũ quam ad remiſsionem originalis. Tum etiam quia gratia baptiſmalis ſecundum ſuam rationem formalem talis gratiæ Sacramentalis, hoc eſt regeneratiuę ordinatur ad gratiam Euchariſtiæ, quæ eſt augmentatiuæ vitæ ſpiritualis, & eſt imperfectior illa, vtpote cum ſit effectus ab imperfectiori Sacramento cauſatus: ergo falſum eſt dicere gratiam baptiſmalem, quoad modum extenſionis eſſe perfectiorẽ gratia Euchariſtiæ.

Quare aliter reſpondetur, vel quod baptiſmus, licet in ratione Sacramenti ſit imperfectior Euchariſtia tamen in ratione remedij communis naturæ humanæ eſt bonum quoddam ordinis ſuperioris, ſicut bonum gentis altioris ordinis eſt quam bonum particulare vnius perſonæ, & propterea vt ſic fuit aptius motiuum ad excitandam diuinã miſericordiã reſpectu decreti Incarnationis, vel quod in ordine ad principalius motiuum quale fuit remiſsio originalis peccati non oportuit Deum aſſumere media principaliora, ſed ſatis eſt illum aſſumpſiſſe media magis proportionata, ſicut neque oportuit, quod reſpectu motiui minus principalis, qualis fuit remiſsio peccati actualis mortalis, & venialis aſſumeret media minus principalia quinimo plura, & principaliora media aſſumpſit pro remiſsione venialiũ, quæ tamẽ fuit finis minus principalis, pro quo inſtituit Chriſtus omnia Sacramenta quæ appellantur viuorũ, de quorum numero eſt Euchariſtia, quæ proinde potius inſtituta eſt pro remiſsione venialium, quam pro remiſsione mortalium, eo quod per ſe primo cauſat augmentum vitę ſpiritualis per accidens vero cauſat primã gratiam remiſsiuam peccatorum mortaliũ.

Ad quartum admiſſa maiori, nego minorẽ, ſi intelligatur de decreto prædeſtinationis pertinente ad ordinem intẽtionis ſi autem intelligatur de prædeſtinatione Chriſti adæquate ſumpta prout includit ordinem intentionis, & executionis poteſt etiam admitti minor. & diſtingui conſequens ſub eadẽ diſtinctione: hoc enim modo prædeſtinatus eſt Chriſtus vt perfectus redemptor, & liberator ab omni peccato, tam mortali, quam veniali, & à pœnis debitis pro illis, & tamen ex hoc non licet inferre, quod in ordine intentionis liberatio à venialibus, & à pœnis pertinuerit ad motiuum adæquatum talis decreti, alioquin deficientibus venialibus, ſiue pœnis non veniret Chriſtus ex vi eiuſdem intentionis, quod nullus Theologorum admittit: ſed ſatis eſt quod pro illo priori fuerit prædeſtinatus vt perfectus redemptor & liberator à peccato tũc præuiſſo, quod fuit originale. ex quo patet ad primam probationẽ minoris.

Ad ſecundam vero reſpondetur quod pro illo priori tantum fuit præuiſa paſsio, & mors Chriſti quoad ſubſtantiam, & vt cauſanda à Deo, non vero quoad circunſtãtiam, & formalitatem moralis malitiæ, quo ad hanc enim fuit præuiſſa ſimul ſimultate cõſequẽtiæ, poſterius vero ſecũdũ rationẽ hoc eſt poſt intentionem mitendi Chriſtũ in carne paſsibili, nõ enim intelligitur fuiſſe per illam intentionem prædeterminata paſsio, & mors quaten⁹ erat executioni mandanda medijs peccatis hominum.

ART. V.

Vtrùm conueniens fuerit Deum incarnari ab initio mundi?

1.2.q.98. ar.6.cor. & 3.d.1. q.1.ar.4. & 4. cont. cap.55. et Iſa. 2. co. 1. & Gal. 4. co. 3. fi.

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quod conueniens fuiſſet Deũ incarnari â principio humani generis. Incarnationis enim opus ex immẽſitate diuinæ charitatis proceſsit, ſecundũ illud Epheſ. 2. Deus, qui diues eſt in miſericordia propter nimiã charitatẽ ſuam, qua dilexit nos, & cũ eſſemus morui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto. Sed charitas non tardat ſubuenire amico neceſsitatẽ patienti: ſecũdũ illud Prouerb. 3. Ne dicas amico tuo, vade & reuertere: cras dabo tibi, cum ſtatim poſsis dare. Ergo Deus incarnationis opus differre non debuit, ſed ſtatim â principio per ſuam incarnationẽ humano generi ſubuenire.

2 Præterea, 1. Timot. 1. dicitur, Chriſtus venit in hunc mundũ, peccatores ſaluos facere. Sed plures ſaluati fuiſſent, ſi â principio humani generis Deus incarnatus fuiſſet: plurimi enim ignorantes Deũ, in ſuo peccato perierunt in diuerſis ſæculis. Ergo cõuenientius fuiſſet, quod â principio humani generis Deus incarnatus fuiſſet.

li. 3. proſ. 10. parum â princ.

3 Præterea, opus gratiæ non eſt minꝰ ordinatũ, quã opus naturæ. Sed natura initiũ ſumit â perfectis, vt dicit Boet. in lib. de cõſol. * Ergo opus gratiæ â principio debuit eſſe perfectum. Sed in opere incarnationis conſideratur perfectio gratiæ ſecundum illud, Verbum caro factum eſt: & poſtea ſubditur, plenum gratiæ & veritatis. Ergo Chriſtus â principio humani generis debuit incarnari.

Eſt gl. Amb. in hũc locum, to. 5.

Sed çontra eſt, quod dicitur ad Galathas 4. At vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege. Vbi dicit gloſ. † quod plenitudo temporis eſt, quod pręfinitum fuit â Deo patre, quando mitteret filium ſuum. Sed Deus ſua ſapiẽtia omnia diffiniuit. Ergo cõuenientiſsimo tempore Deus eſt incarnatus. Et ſic conueniens non fuit, quod â principio humani generis Deus incarnaretur.

Inf. q. 4. a. 1. ca. Et q. 43. a. 3. 2. & q. 44. a. 3. co. et ver. q. 29. a. 4. ad 5.

Reſpondeo dicendum, quod cũ opus incarnationis principaliter ordinetur ad reparationẽ humanæ naturæ per peccati abolitionem: manifeſtum eſt, quod non fuit conueniens â principio humani generis ante peccatũ Deum incarnatum fuiſſe: nõ enim datur medicina niſi iam infirmis. Vnde ipſe Dominus Matt. 9. dicit, nõ eſt opus valentibus medico, ſed male habentibus: non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores.

gl. ord. ibi.

Sed nec etiam ſtatim poſt peccatum conueniens fuit Deum incarnari. Primo quidem, propter conditionem humani peccati, quod ex ſuperbia prouenerat. Vnde eo modo erat homo liberandus, vt humiliatus recognoſceret ſe liberatore indigere. Vnde ſuper illud Galat. 3. Ordinata per angelos in manu mediatoris, dicit gloſ. * Magno Dei conſilio factum eſt, vt poſt hominis caſum non illico Dei Filius mitteretur. Reliquit enim Deus prius hominem in libertate arbitrij in lege naturali, vt ſic vires naturæ ſuæ cognoſceret: vbi cũ deficeret,

legem

legẽ accepit, qua data, inualuit morbus non legis, ſed naturæ vitio: vt ita cognita ſua infirmitate, clamaret ad medicũ, & gratiæ quęreret auxilium. Secũdo, propter ordinem promotionis in bonum, ſecundũ quẽ ab imperfecto ad perfectũ proceditur. Vnde Apoſt. dicit 1. Cor. 15. Non prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpirituale. Primus homo de terra terrenus: ſecũdus homo de cœlo cœleſtis. Tertio propter dignitatem Verbi incarnati quia ſuper illud Galat. 4. at vbi venit plenitudo tẽporis, dicit gloſ. † Quanto maior iudex veniebat, tanto præconũ ſeries longior præcedere debebat. Quarto, ne feruor fidei tẽporis prolixitate tepeſceret: quia circa finem mundi frigeſcet charitas multorum. Vnde Luc. 18. dicitur, cum filius hominis veniet, putas inueniet fidem in terra?

Aug. tra. 31. in Io. ante med. tom. 9.

Ad primũ ergo dicendũ, quod charitas non differt amico ſubuenire, ſalua tamen negotiorũ opportunitate, & perſonarũ conditione. Si enim medicus ſtatim â principio ægritudinis medicinã daret infirmo, minus proficeret, vel magis læderet, quã iuuaret. Et ideô etiam dominus non ſtatim â principio incarnationis remediũ humano generi exhibuit, ne illud contẽneret ex ſuperbia, ſi prius ſuam infirmitatem non cognoſceret.

Ad ſecundum dicẽdũ, quod Aug. ad hoc reſpõdet in lib. de ſex quæſtionibus paganorũ*, dicẽs q. 2. quod tũc voluit Chriſtus hominibus apparere, & apud eos prædicari ſuã doctrinam, quando & vbi ſciebat eſſe, qui in eum fuerãt credituri. his enim tẽporibus, & his in locis, quibus Euangeliũ eius non eſt prædicatũ, tales homines in eius prædicatione futuros eſſe præſciebat, quales nõ quidẽ omnes, ſed tamẽ multi in eius corporali præſentia fuerunt, qui nec in eũ ſuſcitatis ab eo mortuis credere voluerunt. Sed hanc reſponſionẽ reprobans idẽ Auguſt. in lib. de perſeuerãtia dicit †, nũquid poſſumus dicere Tyrios, & Sidonios talibus apud ſe virtutibus factis credere noluiſſe, aut credituros non fuiſſe ſi fierent: cũ ipſe Deus atteſtetur eis, quod acturi eſſent magnę humilitatis pœnitẽtiã, ſi in eis facta eſſent diuinarũ illa ſigna virtutum? proinde, vt ipſe ſoluens ſubdit, ſicut Apoſtolus ait: non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerẽtis Dei, qui his, quos præuidit, ſi apud eos facta eſſent, ſuis miraculis credituros, quibus voluit ſubuenit: alijs autẽ non ſubuenit, de quibus in ſua prædeſtinatione occulte quidem, ſed aliud iuſtê iudicauit: ita miſericordiam eius in his, qui liberantur, & veritatem in his, qui puniuntur, ſine dubitatione credamus.

** In ep. 49. q. 2. â med tom. 2.*

c. 9 nõ procul â fi. to. 7.

Ad tertium dicẽdũ, quod perfectũ quidem eſt prius imperfecto, in diuerſis quidẽ tempore & natura: (oportet enim quôd perfectum ſit quod alia ad perfectionẽ adducit) ſed in vno & eodẽ imperfectũ eſt prius tẽpore, etſi ſit poſterius natura. Sic ergo imperfectionem naturæ humanæ, duratione præcedit æterna Dei perfectio: ſed ſequitur ipſam conſummata perfectio eius in vnione ad Deum.

Concluſio eſt, non fuit conueniens Deum incarnari à principio humani generis ante peccatum, neque ſtatim poſt peccatum.

ART. VI.

Vtrùm incarnatio differri debuerit vſque ad finem mundi?

Ad ſextum ſic proceditur. Videtur,

locis ſup. art. 5. cit.

tur, quod incarnationis opus differri debuerit vſque in finem mundi. Dicitur enim in Pſal. Senectus mea in miſericordia vberi, ideſt, in nouiſsimo, vt gloſ. dicit †. Sed tempus incarnationis eſt maximè tẽpus miſericordiæ, ſecundum illud Pſa. Quoniã venit tẽpus miſerendi eius. Ergo incarnatio differri debuit vſque in finem mũdi.

gloſ. ord. ſuper illud, Ab inſurgẽtibus in me.

2 Præterea, ſicut dictum eſt †, perfectum in eodem, tempore eſt poſterius imperfecto. Ergo illud quod eſt maxime perfectum, debet eſſe omnino vltimum in tempore. Sed ſumma perfectio humanæ naturæ eſt in vnione ad verbum: quia in Christo cõplacuit, omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare, vt Apoſt. dicit Coloſ. 1. Ergo incarnatio differri debuit vſque in finem mundi.

ar. præc. ad arg. 3.

3 Præterea, non eſt conueniens fieri per duo, quod per vnum fieri poteſt. Sed vnus Chriſti aduentus ſufficere poterat ad ſalutem humanæ naturæ; qui erit in fine mundi. Ergo non opportuit, quod antea veniret per incarnationem. Et ita incarnatio differri debuit vſque in finẽ mundi.

Sed contra eſt, quod dicitur Abachuc 3. In medio annorum notum facies. Non ergo debuit incarnationis myſterium, per quod mundo innotuit, vſque in finem mundi differri.

Reſpondeo dicendum, quôd ſicut non fuit conueniens Deum incarnari â principio mundi, ita nõ fuit conueniens, quod incarnatio differretur vſque in finem mundi. Quod quidem apparet, primo ex vnione diuinæ, & humanæ naturæ. Sicut enim dictum eſt *, perfectum vno modo, tempore præcedit imperfectum: alio modo ẽ conuerſo, imperfectum tempore præcedit perfectum. In eo enim, quod de imperfecto fit perfectum, imperfectum tempore præcedit perfectum: in eo vero quod eſt cauſa perfectionis efficiens, perfectum tempore præcedit imperfectũ. In opere autem Incarnationis vtrumque concurrit, quia natura humana in ipſa incarnatione eſt perducta ad ſummam perfectionem. Et ideo non decuit quod â principio humani generis incarnatio facta fuiſſet. Sed ipſum Verbum incarnatum eſt perfectionis humanæ naturæ cauſa efficiens, ſecundum illud Ioann. 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus. Et ideo non debuit incarnationis opus vſque in finem mundi differri: ſed perfectio gloriæ, ad quam perducenda eſt vltimo natura humana per Verbum incarnatum, erit in fine mundi. Secundo ex effectu humanæ ſalutis. Vt enim dicitur in libr. de qq. vet. & noui teſtam. † in poteſtate dantis eſt, quando vel quantum velit miſereri. Venit ergo quando & ſubueniri debere ſciuit, & gratum futurum beneficium. Cum enim languore quodam humani generis, aboleſcere cepiſſet cognitio Dei inter homines, & mores immutarentur, eligere dignatus eſt Abraham, in quo forma eſſet renouatæ notitiæ Dei, & morum, & cum adhuc reuerentia ſegnior eſſet, poſtea per Moyſem legem litteris dedit. Et quia eam gentes ſpreuerunt, non ſe ſubijcientes ei, neque hi qui acceperunt, eam ſeruauerunt; motus miſericordia Dominus, miſit filium ſuũ, qui data omnibus remiſsione peccatorũ, Deo patri illos iuſtificatos offerret Si autem hoc remediũ differretur vſque in finẽ mundi, totaliter Dei notitia & reuerentia, & morũ honeſtas abolita fuiſſet in terris. Tertio apparet hoc fuiſſe cõueniens ad manifeſtationẽ diuinæ virtutis: quæ pluribꝰ modis homines ſaluauit, nõ ſolũ per fidẽ futuri, ſed etiam per fidẽ præſentis, & præteriti.

Ar. præc. ad 3.

Aug. li. 2. q. 83. cir. pri. tom. 4.

Ad primum ergo dicendum, quod gloſ. illa exponit de miſericordia perducente ad gloriam. Si tamen refe-

referatur ad miſericordiam exhibitã humano generi per incarnationem Chriſti, ſecundũ eſt, quod ſicut Aug. dicit in lib. retract. * (*li. 1. c. 26. non multũ ante med. tom. 1.*) Tempus incarnationis poteſt cõparari iuuẽtuti humani generis, propter vigorem, feruorẽ que fidei, quæ per dilectionem operatur; ſenectuti autem, quæ eſt ſexta ætas, propter numerum temporũ, quia Chriſtus venit in ſexta ætate. Et quãuis in corpore non poſsit ſimul eſſe iuuentus, & ſenectus, poteſt tamen ſimul eſſe in anima, illa propter alacritatem, iſta propter grauitatẽ. Et ideô in lib 83. qq. alicubi dicit Auguſtin. * (*qu. 44. in med. to. 4.*) quod non opportuit diuinitus venire Magiſtrum, cuius imitatione humanum genus in mores optimos formaretur, niſi tempore iuuentutis. Alibi autem dicit†, (*libr. 1. de gen. cont. Mant. ca. 23. to. 1.*) Chriſtum in ſexta ætate humani generis, tanquam in ſenectute veniſſe.

Ad ſecundum dicendum, quod opus incarnationis non ſolum eſt cõſiderandum vt terminus motus de imperfecto ad perfectum, ſed etiam vt principium perfectionis in humana natura, vt dictum eſt*. (*In corp. art.*)

Ad tertium dicendum, quod ſicut Chryſoſt. dicit ſuper illud Ioan. † (*Hom. 27. in Ioan. inter med. & fin. tom. 3.*) Nõ miſit Deus filiũ ſuum in mundum, vt iudicet mundum; duo ſunt Chriſti aduẽtus. Primus quidẽ vt remittat peccata; ſecundus, vt iudicet mundũ. Si enim hoc non feciſſet, vniuerſi ſimul perditi eſſent; omnes enim peccauerũt, & egent gloria Dei. Vndê patet, quod non debuit aduentũ miſericordiæ differre, vſque in finem mundi.

CONCLVSSIO eſt negatiua; de his duobus articulis vidẽdus eſt D. Th. qui plures congruentias adducit ob quas Chriſtus debuit differrè ſuum aduentum in carne; plures etiam alias aſsignant Gregor. Nyſſenus orat. de natiuit. Auguſt. lib. 83. qq. q. 43. & lib. qq. ex nouo teſtamento, q. 83. & lib. de prædeſtinatione ſanctorum cap. 9.

QVAESTIO II.

De modo vnionis Verbi incarnati, in duodecim articulos diuiſa.

67 PERTRACTA iam quæſtione: an eſt? reſpectu incarnationis, & aſsignata cauſa principali, propter quam facta eſt in tempore conuenienti, in quæſtione præcedenti. In hac ſecunda, vt determinet quæſtionem quid eſt? explicat quidditatem incarnationis, quæ in modo ſubſtantialis vnionis conſiſtit, & quia ratio alicuius vnionis, nequit explicari, niſi prius explicetur terminus ex ipſa reſultans; propterea in ſex prioribus articulis agit Diu. Thom. determino huius vnionis quæ dicitur incarnatio: & in ſex poſterioribus agit de eſſentia ipſius vnionis.

ART. I.

Vtrùm vnio Verbi incarnati ſit facta in natura?

*Inf. a.2.et 6.c.11.et 12. ad 1. & q.50.a. 2.& 3.d. 1.q.2 a.1 & d. 5.q. 1.a.2.et 3 Et 4.cõt.c. 35.37.et 41.& ver q.20.ar.1 co.et vn.a. 1.& op.3. c.211.212. & 225. * Act.1. poſt ep.Cyril.ad Ioa. ep.Antioc. † In ſymb. fidei ſuæ. *in epiſ.1. 1. ad Celidonum. †li.3.orth. fi c.6.& 7 à med. In ſymb. fi. reperies id to.1, conc. 4.general. Coloniæ impræſſorum anno 1530*

AD primum ſic proceditur. Videtur, quód vnio verbi incarnati ſit facta in natura. Dicit enim Cyrillus, & inducitur in geſtis Concilij Calcedon.* Non oportet intelligere duas naturas, ſed vnam naturam Dei verbi incarnatã. Quod quidem non eſſet niſi vnio fieret in natura. Ergo vnio verbi incarnati facta eſt in natura.

2 Præterea, Athanaſ. dicit†, ſicut anima rationalis, & caro vnus eſt homo: ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus. Sed anima rationalis, & caro cõueniunt in conſtitutione vnius naturæ humanæ. Sic ergo Deus, & homo conueniunt in conſtitutione alicuius vnius naturæ. Ergo vnio facta eſt in natura.

3 Præterea, duarum naturarũ vna non denominatur ex altera, niſi aliquo modo in inuicẽ tranſmutentur. Sed diuina natura & humana in Chriſto ab inuicem denominatur. Dicit enim Cyrillus diuinã naturam eſſe incarnatã: & Gregor. Nazianz. dicit humanam naturã eſſe deificatam, vt patet per Damaſ.† Ergo ex duabus naturis videtur eſſe facta vna natura.

Sed contra eſt, quod dicitur in determinatione cõcilij Calcedon. *cõfitemur in nouiſsimis diebus filium Dei vnigenitũ in duabus naturis inconfusê, immutabiliter, indiuisê, inſeparabiliter agnoſcendum, nũquam ſublata differentia naturarum propter vnionem. Ergo vnio non eſt facta in natura.

Reſpondeo dicendum, quod ad huius quæſtionis euidentiam oppor tet conſiderare, quid ſit natura. Sciendum eſt ergo quod nomen naturæ â naſcendo eſt dictũ, vel ſumptum. Vnde primo eſt impoſitum hoc nomen ad ſignificandum generationem viuentium: quæ natiuitas vel pullulatio dicitur, vt dicatur natura, quaſi naſcitura. Deinde translatum eſt nomen naturæ, ad ſignificandum principiũ huius generationis. Et quia principium generationis in rebus viuentibus eſt intrinſecũ, vlterius deriuatũ eſt nomen naturæ ad ſignificandum quodlibet principiũ intrinſecũ motus: ſecundũ quod Philoſoph. dicit in 2. phyſic.* quod natura eſt principium motus in eo in quo eſt per ſe, & non ſecũdũ accidens. Hoc autẽ principium vel forma eſt, vel materia: vnde quandoque natura dicitur forma, quãdoque vero materia. Et quia finis generationis naturalis eſt in eo quod generatur, ſcilicet eſſentia ſpeciei, quã ſignificat difinitio: inde eſt, quôd huiuſmodi eſſentia ſpeciei vocatur etiam natura. Et hoc modo Boetius naturâ diffinit in lib. de duabus naturis, dicens. Natura eſt vnamquamque rẽ informãs ſpecifica differentia, quę ſcilicet complet diffinitionẽ ſpeciei. Sic ergo nunc loquimur de natura, ſecũdũ quod natura ſignificat eſſentiã, vel quod quid eſt, ſiue quidditatẽ ſpeciei. Hoc autem modo accipiendo naturam, impoſsibile eſt vnionẽ Verbi incarnati eſſe factam in natura.

li.2.phyſ. text.3.u.2.

in 2. pag. à prin.lib.

Tripliciter enim aliquid vnum ex duobus vel pluribus cõſtituitur. Vno modo ex duobus integris, perfectis remanentibus. Quod quidẽ fieri non poteſt niſi in his, quorũ forma eſt cõpoſitio, vel ordo, vel figura; ſicut ex multis lapidibus abſque aliquo ordine adunatis, per ſolã cõpoſitionẽ fit aceruus: ex lapidibus autẽ, & lignis ſe-

cun-

Digitized by Google

cundum aliquem ordinem diſpoſitis, & etiam ad aliquam figuram redactis, fit domus. Et ſecundum hoc poſuerunt aliqui vnionē eſſe per modum confuſionis, quæ ſcilicet eſt ſine ordine: vel per modum commenſurationis, quæ ſcilicet eſt cum ordine. Sed hoc non poteſt eſſe. Primo quidem, quia compoſitio, vel ordo, vel figura non eſt forma ſubſtantialis, ſed accidentalis. Et ſic ſequeretur, quod vnio incarnationis non eſſet per ſe, ſed per accidens. quod infra improbabitur *. Secundo, quia ex huiuſmodi non fit vnum ſimpliciter, ſed ſecundum quid: remanent enim plura actu. Tertio, quia forma talium non eſt natura, ſed magis ars: ſicut forma domus. Et ſic non conſtitueretur vna natura in Chriſto vt ipſi volunt.

ar. 6. hui9 q.

Alio modo fit aliquid vnum ex perfectis, ſed tranſmutatis: ſicut ex elementis fit miſtum. Et ſic aliqui dixerunt vnionem incarnationis eſſe factam per modum commiſtionis. Sed hoc non poteſt eſſe. Primo quidem, quia natura diuina eſt omnino immutabilis, vt in prima parte dictū eſt: † vnde nec ipſa poteſt conuerti in aliud, cum ſit incorruptibilis: nec aliud in ipſam, cum ipſa ſit ingenerabilis. Secundo, quia id quod eſt commiſtum, nulli miſcibilium eſt idem ſpecie: differt enim caro à quolibet elementorum, ſpecie. Et ſic Chriſtus non eſſet eiuſdem naturæ cum patre, nec cum matre. Tertio, quia ex his quæ plurimum diſtant, non poteſt fieri commiſtio: ſoluitur enim ſpecies vnius eorum, puta ſi quis guttam aquæ, amphoræ vini apponat. Et ſecundum hoc, cum natura diuina in infinitum excedat humanam naturam, non poteſt eſſe miſtio: ſed remanebit ſola natura diuina.

1. p. q. 9. ar. 1.

Tertio modo fit aliquid ex aliquibus non permiſtis, vel permutatis, ſed imperfectis: ſicut ex anima, & corpora fit homo, & ſimiliter ex diuerſis membris vnum corpus conſtituitur. Sed hoc dici non poteſt de incarnationis myſterio. Primo quidem, quia vtraque natura eſt ſecūdum rationem ſuam perfecta, diuina ſcilicet, & humana. Secundo, quia diuina natura, & humana non poſſunt conſtituere aliquid per modum partium quantitatiuarum, ſicut membra conſtituunt corpus: quia natura diuina eſt incorporei. Neque per modum formæ, & materiæ: quia diuina natura nō poteſt eſſe forma alicuius, præſertim corporei. Sequeretur enim quod ſpecies reſultans eſſet communicabilis pluribus: & ita eſſent plures Chriſti. Tertio quia Chriſtus non eſſet humanæ naturæ, neque diuinæ naturæ. Differentia enim addita variat ſpeciem, ſicut vnitas numerum: ſicut dicitur in 8 Metaphyſicorum. †

li. 8. te. 10

Ad primum ergo dicendum, quod auctoritas illa Cyrilli exponitur in quinto Synodo * ſic. Si quis vnam naturam Verbi Dei incarnatā dicens, non ſic accipiat, ſicut Patres docuerunt, quia ex diuina natura, & humana, vnione ſecundum ſubſiſtentiam facta, vnus Chriſtus factus eſt, ſed ex talibus vocibus naturam vnā, ſiue ſubſtantiam diuinitatis, & carnis Chriſti introducere conetur: talis anathema ſit. Non ergo ſenſus eſt, quod in incarnatione ex duabus naturis ſit vna natura conſtituta: ſed quod natura verbi Dei, carnē vniuit ſibi in perſona.

in Concil. Conſtant. cā. 8. fuit iſtud conc. 5. gener.

Ad ſecundum dicendū, quod ex anima & corpore conſtituitur in vnoquoque noſtrum duplex vnitas, naturæ, & perſonæ. Naturæ quidem, ſecundum quod anima vnitur corpori, formaliter perficiens ipſum vt ex duobus fiat vna natura, ſicut

ex actu, & potentia, vel materia, & forma. Et quantum ad hoc nõ attenditur ſimilitudo: quia natura diuina non poteſt eſſe corporis forma, vt in primo probatum eſt *. Vnitas vero perſonæ conſtituitur ex eis, in quantum eſt vnus aliquis ſubſiſtẽs in carne, & anima. Et quantum ad hoc attẽditur ſimilitudo: vnus enim Chriſtus ſubſiſtit in diuina natura, & humana.

1.p. q. 3. ar. 8.

Ad tertium dicendum, quod ſicut * Damaſcenus dicit, Natura diuina dicitur incarnata, quia eſt vnita carni perſonaliter, non quod ſit in naturam carnis conuerſa. Similiter & caro dicitur deificata (vt ipſe dicit) non per conuerſionem, ſed per vnionem ad Verbum, ſaluis ſuis proprietatibus naturalibus, vt intelligatur caro deificata, quia facta eſt Dei verbi caro, non quia facta ſit Deus.

Li. 3. orth. fid. c. 6.

CONCLVSIO eſt, impoſsibile eſſe vnionem Verbi incarnati factam eſſe in natura.

Dubitatur. An hæc concluſio ſit certà ſecundum fidem?

IN Hoc dubio antequam conſtet, qua certitudine tenenda ſit concluſio D. Thom. operepretium eſt ſcire tres fuiſſe errores circa huiuſmodi vnionem incarnationis, ſecundum quod tripliciter fieri poteſt aliqua vnio, ſcilicet aut per compoſitionem vnius tertij, ex duobus manentibus in per mixtis, aut per commixtionem pluriũ in vnum tertium, aut per conuerſionem vnius in alterum.

Quorum primus fuit Euthichetis, & Dioſcori, qui, vt refert D. Thom. 4. contra gentes cap. 35. ponebãt vnionem incarnationis factã fuiſſe ex duabus naturis inter ſe diſtinctis antecedenter ad incarnationem, ſcilicet ex diuina, & humana: quas tamen dicebat non manſiſſe diſtinctas poſt vnionem, ſed vnam tantum naturam ex earum vnione reſultaſſe, non quidem per compoſitionem vnius tertiæ naturæ ex duabus, vt voluit Caſtro lib. 4. aduerſus hæreſes verbo, *Chriſtus*, hæreſi. 3. exiſtimaſſe Euthichetem, & Dioſchorũ, neque per mixtionem, & tranſmutationẽ vtriuſque naturæ in vnam tertiam, vt alij exiſtimarunt ſenſiſſe prædictos hæreticos, ſed per conuerſionem humanitatis in diuinitatem: ſic enim explicant errorem Euthichetis, & Dioſc. Damaſc. lib. 3. de fide dicens Euticheten in Chriſto poſuiſſe vnam naturam ſecundum maſam, aut confuſionem, quia ſcilicet duas illas naturas antecedenter ad vnionem diſtinctas poſtea in vnam confundebat per conuerſionem humanitatis in diuinitatem, & Niceph. lib. 14. hiſtoriæ Eccleſi. cap. 47. & Ambr. lib. de incarn. cap. 6. & Belarm. lib. 3. de Chriſto cap. 3. Cuius ſignum euidens eſt, quod Euiches dicebat tantũm diuinitatem fuiſſe paſam, & mortuã, quod tamen affirmare non poſſet ſi diuinitas per vnionem hypoſtaticam fuiſſet in carnẽ conuerſa, aut ſi aliqua tertia natura fuiſſet ex illis conſtituta, igitur iſte fuit error Eutichetis, quem etiam ſecuti fuere Monotelitæ, vt refert Nicephorus lib. 18. cap. 43. & Ioannes cognomento philoponus, vt refert Nicephorus lib. 18. hiſtoriæ Eccleſiæ cap. 48.

Cuiꝰ fundamẽta ſunt duo. Primũ deſumebat Eutiches ex teſtimonijs Sãctorũ Patrum, præcipue Cir. & Athanaſij, quorũ ille in epiſt. ad Ioann. Antiochẽſem, quæ habetur in Concil. Calcedon. actione 1. & in epiſtola ad Succeſum, dicit, quod nõ oportet intelligere in myſterio incarnationis duas naturas, ſed vnam tantum naturam incarnatam, & ſimilia verba habet epiſt. 30. dũ dicit: *Attamen dũ vnitatem cõfitemur non ſeparantur amplius quæ ſunt vnita, ſed vnus eſt iam Chriſtus, & vna eſt ipſius eadẽque incarnati Verbi natura*: iſte vero in lib. de incarnatione, ait, *in Chriſto non eſſe conſtituendas duas perfectitudines*, ideſt perfectiones, ſiue naturas, ſed vnam tantum: ergo ſentiunt per huiuſmodi vnionẽ fuiſſe humanam naturam in diuinam conuerſam.

Secun-

Secundum, quia teſte Damaſceno lib.3.de fide cap.6.concedendum eſt naturam diuinam eſſe incarnatam,& per incarnationem humanitatem fuiſſe deificatã, quas propoſitiones admittunt etiã Nazianzen.in epiſt.1.ad Clidonium,& Diuus Thomas ex eorum auctoritate hic ad tertium, ſed non poſſet fieri huiuſmodi denominatio vnius naturæ, ex altera niſi vna fuiſſet in aliam conuerſa: ergo.

Secundus error fuit Polonij,& Iacobitarum, qui vt referunt Nicephorus proxime lib.citato cap.45.& Belarm.lib.3.de Chriſto cap.2. aſſerebant ex humana natura,& diuina conſtitutam fuiſſe tertiam naturam cõpoſitam ex vtraque, quorum fundamentum erat deſumptum ex Athanaſio in Symbolo,& Iuſtino Martyre in expoſitione fidei,& Auguſt. epiſtol.3.& tract.47.in Ioan. & Leone Papa in epiſt.11.comparantibus iſtam vnionem humanitatis cum Verbo vnioni corporis cum anima, ac proinde ſicut ex anima,& corpore componitur vna tertia natura ſcilicet humana, ita in incarnatione ex diuina,& humana reſultauit compoſita alia tertia natura. Quod amplius poteſt confirmari, quia nulla eſt repugnantia in hoc, quod ex natura diuina ſimul cum humana reſultet vnum tertium, quod ſit perſona compoſita, vt dicemus infra articul.4. Neque in hoc, quod ex natura diuina ſimul cum intellectu beati reſultet vnũ tertium, quod ſit principium operationis, ſiue viſionis beatificæ: ergo nec erit repugnantia in hoc, quod reſultet vnum tertiũ quod ſit natura.

Tertius error fuit aliorum ex Iacobitis,& Acephalis, qui in duodecim ſectas diuiſi fuerunt aſſerentium per huiuſmodi vnionem fuiſſe commixtas,& tranſmutatas duas naturas humanam & diuinam in vnam tertiam: quorum fundamentum deſumi poteſt ex teſtimonijs Cipriani in libro de vanitate idolorum, Niſeni oratione Chatechetica,& Irenei lib.2.cap.21. aſſerentium incarnationem eſſe mixtionem diuinæ,& humanæ naturæ: fauent Auguſt.lib.4.de Trinitate cap.13. Tertullianus in lib.de carne Chriſti,& Nazianzenus oratione 24. qui vocant Chriſtum mixturam, ſiue temparaturam: in mixtione autem neutrum extremum permanet, ſed vtrumque cõfunditur in aliud tertium: ergo.

2 Sed contra hos omnes errores ſtatuitur tanquam dogma fidei noſtra cõcluſio aſſerens vnionem incarnationis, neque fuiſſe factam, neque potuiſſe fieri in natura aliquo ex prædictis modis. Et ſuadetur primo ex diffinitionibus Conciliorum, nam diffinita eſt ſpecialiter contra Eutichetem,& Dioſcorum in Concilio Calcedonenſi actione 1.2.& 3.& in Hiſpalenſi 2.cano.3.& in Toletano 4.6.& 11.& in Lateranenſi ſub Martino primo conſultatione 5.& in Lateranenſi ſub Innocentio tertio,& refertur in cap.*firmiter*, de ſumma Trinitate, & in Concilio Frãcofordienſi in epiſt.ad Epiſcopos Hiſpaniæ,& in Florentino ſub Eugenio quarto, in litteris ſanctæ communionis: damnatur etiam eadem hæreſis à Leone primo in epiſtola 10.& à pluribus Eccleſiæ Patribus, ſcliicet, Theodoreto, Vigilio, & Gelaſio, qui contra hos errores ſcripſerunt, quorum tractatus habentur tomo 5. bibliotecæ veterum Patrum.

Secundo probatur ex teſtimonijs Scripturæ, in quibus ſignificatur Chriſtũ eſſe verum Deum,& etiam verũ hominẽ nobis conſubſtantialem, vt Ioan.1.dum dicitur: *Verbum caro factum eſſe*, quod non debet intelligi per cõuerſionem carnis in Deũ, vt falſo exiſtimauit Eutichetes, ſed per vnionẽ carnis ad Verbum,& ad Philippenſ.2.dicitur: *Qui cum in forma Dei eſſet non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinnaniuit formam ſerui accipiens habitu inuentus, vt homo*: & iterũ: *peccata noſtra pertulit in corpore ſuo*: & 1.Petri 1. *In carne paſſus eſt.* & Ioann.10.dicitur: *Quod eſt vnum cum Patre*, ſcilicet ſecũdum diuinitatem: & Ioan.14.dicitur, *minor Patre*, ſcilicet ſecundum humanitatẽ: & idem habetur in multis alijs teſtimonijs quæ referunt Suar.& Belarm. vbi ſupra, Valentia quæſt.2.punct.1.Peſ. hic diſp.1.& Albar.diſp.10.

Tertio probatur ratione Theologica, qua vtitur Diuus Thomas in art. ad hanc formam reducta: fieri vnionem in natura, idem eſt atque poſt incarnationẽ manere in Chriſto vnam dumtaxat naturam, ſed hoc eſt impoſsibile: ergo. Minor probatur, quia vel hæc natura reſultãs ex vnione eſſet vna per conuerſionem, vel per mixtionem, vel per compoſitionem ex duabus: ſed nullo ex his modis poteſt reſultare vna natura: nõ primo, quia id in quod aliquid conuertitur, aliter ſe habet, vel ſubſtancialiter, vt contingit in generatione

tione ſubſtantiali vnius ex altero, vel accidẽtaliter, ſiue modaliter, vt cõtingit in tranſubſtantiatione totius in totum, qualis eſt illa, qua panis conuertitur in corpus Chriſti, & cum Deus ſit omnino immutabilis implicat, quod ſit terminus cõuerſionis, vt oſtendimus quæſtione præcedenti art. 1. Nec ſecundo, quia in mixtione mixtibilia non manent integra, & perfecta, ſed ex illis alteratis, & corruptis reſultat aliud tertium, quod eſt mixtũ, alterari autem, aut corrumpi repugnat naturæ diuinæ: ergo & miſceri, eo vel maxime quod cum ſit infinita cõſummeret naturã humanam, & illam in ſe cõuerteret, quod etiam deſtruit mixtionem. Et tandem nec tertio modo, quia compoſitio, aut eſt ex duabus naturis perfectis, & totalibus cuiuſmodi ſunt natura humana, & diuina in Chriſto, & ſic implicat reſultare vnum per ſe, aut fit ex duabus naturis partialibus, & incompletis, & ſic bene poteſt reſultare vnum per ſe ſi huiuſmodi naturæ partiales ordinentur per modum formæ, & materiæ, quæ tamen ordinatio repugnat naturæ diuinæ, quæ nec formæ informantis, nec materiæ munus ſubire poteſt: ergo.

Ex quibus facile reſpondetur ad fundamenta aduerſariorum. Ad fundamentum enim primum ſectariorum primi erroris reſpondetur, quod ſenſus verborum Ciri. in primo teſtimonio eſt, non quod ex duabus naturis vna fuerit conſtituta, ſed quod natura Verbi diuini carnẽ ſibi vniuit, & ita explicantur in 5. Synodo generali actione 5. Vel ſẽſus eſt, quod nomine naturæ intellexit Cir. ſubſiſtentiam, ita vt idem ſit in Chriſto non fuiſſe duas naturas, atque non fuiſſe duas perſonas, & ita explicantur verba Cir. à Iuſtiniano Imperatore in edicto contra hæreſes miſſo ad Ioan. ſecundum, quod habetur in 2. Concil. Toletan. & ſimiliter. Reſpondetur ad ſecundum, quod propterea ait vnã eſſe incarnati Verbi naturam, non vt neget duas eſſe naturas in Chriſto, ſed vt contra Neſtorium defendat vnitatem perſonæ ex duabus naturis conſtitui. Ad Athanaſ. vero dicendum eſt, quod ibi non negat abſolutè duas perfectitudines in Chriſto, ſed ſeorſum, ſiue diuerſas contra Neſtorium, id eſt ſecundũ duas hypoſtaſes, quia in vna hipoſtaſi ſũt duæ naturæ.

Ad ſecundum fundamentum dicẽdum eſt, abſolute illas propoſitiones eſſe concedendas, & illas concedit D. Tho. in ſolutione ad tertiũ, eo quod ex communi Patrum acceptione, non faciunt hunc ſenſum, quod caro ſit in deitatem conuerſa, aut ecõtra, ſed hunc, quod deitas eſt vnita carni, qui ſenſus eſt verus.

Ad fundamentum pro ſecundo errore reſpondetur illam comparationem factam à Sanctis Patribus, non importare omnimodam ſimilitudinem, ſed quãtũ ad tria dumtaxat comparari vnionem humanitatis ad verbum vnioni animæ cum corpore.

Primo, quia ſicut fit vnum per ſe ex anima, & corpore, ita ex verbo, & humanitate: licet cũ hoc diſcrimine, quod ibi fiat vna natura, hic autem vna perſona. Secundo, quia ſicut per vnionem animæ cum corpore hoc fit inſtrumentum illius, ita in vnione incarnationis humanitas facta eſt inſtrumentum verbi. Tertio, quia ſicut anima, & corpus adunantur in vno ſuppoſito, ita verbũ, & humanitas ſunt in vna Chriſti perſona.

Ad confirmationem admiſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia, & ratio diſcriminis eſt, quod ad hoc vt reſultet tertia natura per compoſitionem ex humana, & diuina oportet diuinam naturam ſubire munus partis dependentis à toto, & rationẽ formæ informantis, vel perſonę actuabilis, quæ conditiones omnino illi repugnant, vt autem Verbum diuinũ fiat perſona cõpoſita in incarnatione ſufficit quod gerat munus ſubſiſtentiæ, & terminĩ terminantis creatam, naturã quod nullã inuoluit imperfectionem Deo repugnãtem: neq; illã inuoluit quod eſſentia diuina determinet intellectũ beati per modũ ſpecieĩ, ſiue formæ intelligibilis hoc enim exequĩ poteſt ſine dependentia, mutatione, aut informatione, neque ex huiuſmodi determinatione intelligibili conſtituitur in intellectu beati tertium principium, ſed idemmet intellectus elleuatus per lumẽ gloriæ, & determinatus, ſiue completus per ſpeciem fit principium viſionis beatæ.

Ad fundamentum pro tertio errore dicendum eſt, Sãctos Patres ibi citatos eo modo loquendi tantum ſignificare voluiſſe, non quidem veram mixtionem, ſed veram, & realem vnionem naturæ diuinæ Verbi cum natura humana, vt oſtenderent ex his duabus naturis non fieri ali-

quod

quod agregatum per accidens, ſed vnum per ſe, & ideò eorum modus loquendi potius eſt interpretandus, quam immitandus.

ARTIC. II.

Vtrum vnio Verbi incarnati ſit facta in perſona?

3 *loc. ſupra artic. 1. inductis. p. p. q. 3. a. 3.* †*p. p. q. 29 ar. 8.* **aliquantulũ à prin. lib. videlicet in 3. pagin.*

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod vnio Verbi incarnati non ſit facta in perſona. Perſona enim Dei non eſt aliud â natura ipſius: vt habitum eſt in primo †. Si ergo vnio non eſt facta in natura, ſequitur quod nõ ſit facta in perſona.

2 Præterea. Natura humana nõ eſt minoris dignitatis in Chriſto, quã in nobis. Perſonalitas autem ad dignitatem pertinet, vt in primo habitum eſt †. Cum ergo natura humana in nobis propriam perſonalitatẽ habeat, multo magis habuit propriã perſonalitatem in Chriſto.

†*l. 3. c. 11 & l. 1. ca. 11. ad ſenſum ſaltem.*

3 Præterea, ſicut Boet. dicit in lib. de dua. nat. * perſona eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia. Sed verbum Dei aſſumpſit naturam humanam indiuiduam: natura enim vniuerſalis non ſubſiſtit ſecundum ſe, ſed in nuda contemplatione conſideratur: vt Damaſc. dicit †. Ergo humana natura habet ſuam perſonalitatem in Chriſto. Non ergo videtur quod ſit facta vnio in perſona.

* *habetur in cõcil. 1. Epheſ. in epiſt. Synodi. ad Neſtorium: et etiam in loco cita. ar. præce. in argu. Sed contra ar. præced.*

Sed contra eſt, quod in Chalcedon. * Synodo legitur, Non in duas perſonas partitum, aut diuiſũ, ſed vnum & eundem filium vnigenitum Deum Verbum, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum confitemur. Ergo facta eſt vnio Verbi in perſona.

Reſpondeo dicendum, quod perſona aliud ſignificat, quam natura. Natura enim, vt dictum eſt, * ſignificat eſſentiam ſpeciei, quam ſignificat diffinitio. Et ſiquidem his, quæ ad rationem ſpeciei pertinent, nihil aliud adiunctum inueniri poſſet, nulla neceſsitas eſſet diſtinguendi naturam â ſuppoſito naturę, quod eſt indiuiduum ſubſiſtens in natura illa: quia vnumquodque indiuiduũ ſubſiſtens in natura aliqua, eſſet omnino idem cum ſua natura. Contingit autem in quibuſdã rebus ſubſiſtentibus inueniri aliquid, quod nõ pertinet ad rationem ſpeciei, ſcilicet accidentia, & principia indiuiduantia (ſicut maxime apparet in his, quę ſunt ex materia & forma compoſita.) Et ideò in talibus etiam ſecũdum rem differt natura, & ſuppoſitum, non quaſi omnino aliqua ſeparata, ſed quia in ſuppoſito includitur ipſa natura ſpeciei, & ſuperadditur quædam alia, quæ ſunt præter rationem ſpeciei: vnde ſuppoſitum ſignificatur vt totum, habens naturam ſicut partem formalem, & perfectiuam ſui. Et propter hoc in cõpoſitis ex materia & forma, natura non prædicatur de ſuppoſito: non enim dicimus, quod hic homo ſit ſua humanitas. Si qua vero res eſt, in qua omnino nihil aliud eſt præter rationem ſpeciei, vel naturæ ſuæ, (ſicut eſt in Deo) ibi non eſt aliud ſecundum rem, ſuppoſitum, & natura, ſed ſolum ſecundum rationem intelligendi: quia natura dicitur ſecundum quod eſt eſſentia quædam: eadem vero dicitur ſuppoſitum, ſecundum

Digitized by Google

cundum quod eſt ſubſiſtens. Et quod eſt dictum * de ſuppoſito, in *In iſto met art.* telligendum eſt de perſona in creatura rationali, vel intellectuali, quia nihil aliud eſt perſona, quam rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia, ſecundum Boetium †. Omne igitur quod ineſt alicui perſonæ, ſiue per- *in lib. de dua naturis, aliquã tulum à princ.* tineat ad naturam eius, ſiue non, vnitur ei in perſona. Si ergo humana natura verbo Dei non vnitur in perſona, nullo modo ei vnitur: & ſic totaliter tollitur incarnationis fides, quod eſt ſubruere totam fidem Chriſtianam. Quia ergo Verbum habet naturam humanam ſibi vnitã; non autem ad ſuam naturam diuinam pertinentem: conſequens eſt, quod vnio ſit facta in Verbi perſona, non autem in natura.

Ad primum ergo dicendum, quod licet in Deo non ſit aliud ſecundum rem natura, & perſona; differt tamen ſecundum modum ſigni- *in cor. ar.* ficandi (ſicut dictum eſt *) quia perſona ſignificat per modum ſubſiſtentis. Et quia natura humana ſic vnitur Verbo, vt Verbum in ea ſubſiſtat, non autem vt aliquid addatur ei ad rationẽ ſuæ naturæ, vel vt eius natura in aliud tranſmutetur, ideo vnio humanæ naturæ ad verbum Dei, facta eſt in perſona, non in natura.

Ad ſecundum dicendũ, quod perſonalitas in tantum pertinet ad dignitatem alicuius rei, & perfectionem, in quantum ad dignitatem alicuius rei, & perfectionem eius pertinet, quod per ſe exiſtat, quod in nomine perſonæ intelligitur. Dignius autem eſt alicui, quod exiſtat in aliquo ſe digniori, quam quod exiſtat per ſe. Et ideo ex hoc ipſo humana natura dignior eſt in Chriſto, quã in nobis, quod in nobis quaſi per ſe exiſtens propriam perſonalitatem habet, in Chriſto autem exiſtit in perſona Verbi. Sicut etiam eſſe completiuum ſpeciei, pertinet ad dignitatem formæ: tamen ſenſitiuum nobilius eſt in homine propter coniunctionem ad nobiliorem formam cõpletiuam, quam ſit in bruto animali, in quo eſt forma completiua.

Ad tertium dicendum, quod Verbum Dei non aſſumpſit humanã naturam in vniuerſali, ſed in atomo, ideſt, in indiuiduo (ſicut Damaſcenus dicit †) alioquin oporteret, quod cuilibet homini cõueniret eſſe Dei *l. 3. orth. fid. c. 11.* verbum, ſicut conuenit Chriſto. Sciẽdum eſt tamen, quod non quodlibet indiuiduum in genere ſubſtantiæ etiam in rationali natura habet rationem perſonæ, ſed ſolum illud, quod per ſe exiſtit, non autem illud quod exiſtit in alio perfectiori. Vnde manus Sortis quamuis ſit quoddam indiuiduum, non tamen eſt perſona, quia non per ſe exiſtit, ſed in quodam perfectiori, ſcilicet in ſuo toto. Et hoc etiam poteſt ſignificari in hoc, quod perſona dicitur ſubſtantia indiuidua; non enim manus eſt ſubſtantia completa, ſed pars ſubſtantiæ. Licet ergo hæc humana natura ſit quoddam indiuiduum in genere ſubſtantiæ, quia tamen nõ per ſe ſeparatum exiſtit, ſed in quodam perfectiori, ſcilicet in perſona Dei verbi, conſequens eſt, quod non habeat perſonalitatem propriam. Et ideo facta eſt vnio in perſona.

CONCLVSIO eſt affirmatiua.

ART.

ART. III.

Vtrum vnio Verbi incarnati facta ſit in ſuppoſito, vel hypoſtaſi?

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod vnio Verbi incarnati non ſit facta in ſuppoſito, ſiue in hypoſtaſi. Dicit enim Auguſtinus in Enchir. † Diuina ſubſtantia, & humana, vtraque eſt vnus Dei filius; ſed aliud propter verbũ, & aliud propter hominem. Leo Papa etiam dicit in epiſtola ad Flauianum *, Vnum horum coruſcat miraculis, aliud ſuccumbit iniurijs. Sed aliud, & aliud differt ſuppoſito. Ergo vnio verbi incarnati, non eſt facta in ſuppoſito.

3. d. 6. q. 1 a. 1. & d. 7. q. 1. a. 1 co. & d. 10 q. 1. a. 2. q 3. & 4. cõ. c. 34. 38. & 39. & vnio: a. 1. 2 & 3. ad 4. & 5. ad 9 & quol. 4. art. 8. & quo. 9. q 2 a. 1. & 3. c. & op. 1. c. 21. & 22. & op. 3. c. 217. 218 219. & 220.

2 Præterea, Hypoſtaſis nihil aliud eſt, quam ſubſtantia particularis, vt Boetius dicit in libro de duabus naturis †. Manifeſtum eſt autem quod in Chriſto eſt quædam alia ſubſtantia particularis præter hypoſtaſim verbi, ſcilicet corpus, & anima, & compoſitum ex eis. Ergo in ipſo eſt alia hypoſtaſis præter hypoſtaſim verbi.

† c. 36. â med. to. 3.

** eſt epiſt. 10. cap. 4. aliquant. â prin lib. in 3. pag. p. p. q. 3. a. 5.*

3 Præterea, Hypoſtaſis verbi nõ continetur in aliquo genere, neque ſub ſpecie: vt patet ex his, quæ in prima parte dicta ſunt *. Sed Chriſtus, ſecundum quod eſt factus homo, continetur ſub ſpecie humana. Dicit enim Dionyſ. † 1. cap. de diuinis nominibus, Intra naturæ noſtræ terminos venit, qui omnem totius naturæ ordinem ſupereminenter excedit, Non autem continetur ſub ſpecie humana, niſi ſicut hypoſtaſis quædam humanæ ſpeciei. Ergo in Chriſto eſt alia hypoſtaſis præter hypoſtaſim verbi Dei. Et ſic idem quod prius.

cap. 1. non multũ ant. med.

Sed contra eſt, quod Damaſcenus dicit in 3. libro, In Domino Ieſu Chriſto duas naturas cognoſcimus, vnam autem hypoſtaſim.

** l. 3. orth fi. c. 3. 4. 5 inf. arti. 6. c. & q. 15 a. 1. cor.*

Reſpondeo dicendum, quod quidam ignorantes habitudinem hypoſtaſis ad perſonam, licet concederent in Chriſto vnam ſolam perſonam, poſuerunt tamen aliam hypoſtaſim † Dei, & aliam hominis, ac ſi vnio ſit facta in perſona, non in hipoſtaſi.

Quod quidem apparet erroneum tripliciter. Primo ex hoc, quod perſona ſuper hypoſtaſim non addit niſi determinatam naturam, ſcilicet rationalem, ſecundum quod Boetius dicit in lib. de duabus naturis *, quod perſona eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia, & ideo idem eſt attribuere propriam hypoſtaſim humanæ naturæ in Chriſto, & propriam perſonam. Quod intelligentes ſancti patres, vtrumque in Concilio 5 apud Conſtantinopolim † celebrato damnauerunt, dicentes, Si quis introducere conetur in myſterio Chriſti duas ſubſiſtentias, ſeu duas perſonas, anathema ſit: nec enim adiectionem perſonæ, vel ſubſiſtentiæ ſuſcepit ſancta Trinitas, incarnato vno de Trinitate Deo verbo. Subſiſtentia autem idem eſt, quod res ſubſiſtens, quod eſt proprium hypoſtaſis, vt patet per Boetium in lib. * de duabus naturis, Secundo, quia ſi detur, quod perſona aliquid addat ſuper hypoſtaſim, in quo poſsit vnio fieri, nihil aliud eſt, quam proprietas ad dignitatem pertinens: ſecundum quod à quibuſdã dicitur, quod perſona eſt hypoſtaſis proprie-

in 3. pag. â princ.

in conc. 2. Conſtant. quod eſt 5. gener can. 5. to. 1. cõcil.

in 3. pag. â prin. li.

proprietate diſtincta, ad dignitatem pertinente. Si ergo facta ſit vnio in perſona, & non in hypoſtaſi: conſequens erit, quod non facta ſit vnio, niſi ſecundum dignitatem quādam. Et hoc eſt approbante ſynodo Epheſina damnatum â Cyrillo † ſub his verbis: Si quis in vno Chriſto diuidit ſubſiſtentias, poſt adunationem ſola copulans eas coniunctione, quę ſecundum dignitatem quandam, vel auctoritatem eſt, vel ſecundum potē tiam, & non magis concurſu ſecundum adunationem naturalem: anathema ſit. Tertio, quia tantum hypoſtaſis eſt, cui attribuuntur operationes, & proprietates naturæ, & ea etiam, quæ ad naturæ rationem pertinent in concreto. Dicimus enim, quod hic homo ratiocinatur, & eſt riſibilis, & eſt animal rationale. Et hac ratione hic homo dicitur eſſe ſuppoſitum: quia ſcilicet ſupponitur his, quæ ad hominem pertinēt, eorum prædicationem recipiēs. Si ergo ſit alia hypoſtaſis in Chriſto præter hypoſtaſim verbi, ſequitur quod de aliquo alio, quam de verbo verificentur ea quę ſunt hominis, putâ eſſe natum de Virgine, paſſum, crucifixum, & ſepultum. Et hoc etiā damnatum eſt approbante Concilio Epheſino ſub his verbis: Si quis perſonis duabus, vel ſubſiſtētijs eas, quæ ſunt in Euangelicis, & Apoſtolicis ſcripturis, partitur voces, aut de Chriſto â ſanctis dictas, aut ab ipſo de ſe: & quaſdam quidem velut homini præter illud ex Deo verbū ſpecialiter intellecto applicat: quaſdam vero velut Deo decibiles, ſoli ex Deo patre verbo anathema ſit. Sic ergo patet eſſe hæreſim olim ab Eccleſia damnatam, dicere, quod in Chriſto ſunt duæ hypoſtaſes, vel duo ſuppoſita: ſiue quod vnio non ſit facta in hypoſtaſi, vel ſuppoſito. Vnde in eadem ſynodo legitur, Si quis non confitetur carni ſecundum ſubſtantiam vnitum ex Deo patre verbum, vnumque eſſe Chriſtum cum ſua carne, eumdem ſcilicet Deum, & hominem: anathema ſit.

in Epheſyn. 1. ſyno. can. 3. to. 1. concil.

in Epheſ. ſyn. 1. canō. 4. to. 1 conc.

in can. 2. Epheſ. 1. ſyno. quæ fuit vna ex 4. principalib

Ad primum ergo dicendum, quod ſicut accidentalis differentia facit alterum, ita differentia eſſentialis, facit aliud. Manifeſtum eſt autem, quod alteritas, quę prouenit ex differentia accidentali, poteſt ad eandem hipoſtaſim, vel ſuppoſitum pertinere in rebus creatis: eo quod idem numero poteſt diuerſis accidentibus ſubeſſe. Non autem contingit in rebus creatis, quod idem numero ſubſiſtere poſsit diuerſis eſſentijs, vel naturis: ſed vnus, & idem Chriſtus ſubſiſtit in duabus naturis. Vnde ſicut quod dicitur alterum, & alterum in creaturis, non ſignificat diuerſitatem ſuppoſiti, ſed ſolum diuerſitatem formarum accidentaliū: ita quod dicitur Chriſtus aliud, & aliud, non importat diuerſitatem ſuppoſiti, vel hypoſtaſis, ſed diuerſitatē naturarum. Vnde Gregorius Nazianzenus dicit in epiſtola ad Didymum, Aliud & aliud ſunt ea, ex quibus Saluator eſt, non autem alius, & alius. Dico vero aliud, & aliud e cōtrario, quam in trinitate habet: ibi enim alius, & alius dicimus, vt nō ſubſiſtentias confundamus, non autem aliud & aliud.

in epi. 1. ad Celidoniū, inter princ. & med. incipit, Honorandiſsimo.

Ad ſecundum dicendū, quod hypoſtaſis ſignificat ſubſtantiam particularem, non quocumque modo, ſed prout eſt in ſuo complemento. Secundum vero quod venit in vnionem alicuius magis completi, non dicitur hypoſtaſis ſicut manus, vel pes. Et ſimiliter humana natura in Chriſto quamuis ſit ſubſtantia particularis: quia tamen venit in vnionē cuiuſdam completi, ſcilicet totius Chriſti, prout eſt Deus & homo, nō poteſt dici hypoſtaſis, vel ſuppoſitū.

Sed

Sed illud completum, ad quod concurrit, dicitur eſſe hypoſtaſis, vel ſuppoſitum.

Ad tertium dicendum, quod in rebus creatis res aliqua ſingularis non ponitur in genere, vel in ſpecie, ratione eius, quod pertinet ad eius indiuiduationem: ſed ratione naturæ, quæ ſecundum formam determinatur: cum indiuiduatio magis ſit ſecundum materiam in rebus compoſitis. Sic ergo dicendum eſt, quod Chriſtus eſt in ſpecie humana, ratione naturæ aſſumptæ, non ratione ipſius hypoſtaſis.

4 CONcluſio eſt afirmatiua, & eſt certa ſecundum fidem, continetque eandem veritatem, quam continet concluſio articuli præcedentis: propoſuit enim D. Thom. in hoc articulo eandem quæſtionem, ſub alijs terminis, propter quoſdam hæreticos, qui exiſtimantes ſuppoſitum, vel hypoſtaſim in natura intellectuali, non eſſe idem cum perſona, negabant in Chriſto eſſe duas perſonas, & cōcedebant eſſe duo ſuppoſita ſiue hypoſtaſes, ac proinde aſſerebant vnionem incarnationis fuiſſe factam in perſona, non vero in ſuppoſito, ſiue hypoſtaſi, quorum errorem referunt, & refutant Magiſter, & Durand. in 3. diſtinctione 6. & Diuus Thomas in hoc articulo, & 4. contra gentes cap. 34. ſed quia perſona nihil aliud eſt quam intellectualis naturæ ſuppoſitũ, ſiue hypoſtaſis, vt oſtendimus ex D. Th. in materia de Trinitate quæſt. 29. idem eſt vnionem incarnationis fieri in perſona, atque fieri in ſuppoſito, ſiue hypoſtaſi, propterea vtriuſque articuli veritas ſub hoc vnico dubio examinanda eſt.

* * *

Vtrum ſcilicet vnio Verbi incarnati facta ſit in perſona, vel ſuppoſito, vel hypoſtaſi, ita vt terminus ex hac vnione reſultans ſit vna, & eadem perſona, vel hypoſtaſis Verbi in duabus naturis ſubſiſtens?

CIRCA quod à tempore Apoſtolorum incepit error quorumdam ſectariorum, qui aſſerebant in Chriſto duas eſſe perſonas, aliam Verbi Diuini, & aliam puri hominis Chriſti, vt referunt Euſebius lib. 3. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 27. Iren. lib. 1. cap. 25. Theodoretus lib. 2. hæreticarum fabularum circa principium, & Caſianus libr. 1. de incarnatione, quem errorem poſtea ſecutus fuit Neſtorius, qui dicebat Chriſti humanitatem habere propriam perſonalitatem creatam, ac proinde eſſe purum hominem ex illis conſtitutum Virginemquè purum hominem peperiſſe: cui tamen vnitus eſt Filius Dei, non ſubſtantialiter, ſed accidentaliter, quatuor modis. Primo ſecundum habitationem, qua in illo vt in templo habitabat. Secundo per vnionem, & reformationem voluntatum, qua homo ille ſemper erat conuenientiſſimus Filio Dei, & propterea vterque dicebatur vnum, ſicut vir, & vxor dicuntur vna caro. Tertio ſecundum operationem, qua homo ille ſubordinabatur Filio Dei in ſuis operationibus, vt inſtrumentum artifici, & vt mobile ſuo motori. Et quarto ſecundum participationem honoris, & dignitatis, quam Filius Dei communicabat illi homini, vt propter ipſum adoraretur, & veneraretur, ſicut imago adorari, & venerari ſolet, propter exemplar, quod repreſentat. Ita referunt errorem Neſtorij D. Thom. articulo ſequenti, & Belarminus lib. 3. de Chriſto capite. 5. ex Theodoreto lib. 4. hæreticarum fabula-

rum, ex Auguſtino hæreſi 89. & ex epiſtola Cyrilli coutra Neſtorium recepta in Concilio Epheſino.

Fundamentum Neſtorij deſumebatur ex inconuenienti, quod ex catholica ſententia, videtur ſequi. Nimirum, quòd concedendæ eſſent iſtæ præpoſitiones: *Natura diuina eſt paſſa, & mortua*: ſiquidē conceditur iſta, quæ eſt ſimilis formæ: *natura diuina eſt incarnata.* Tum etiā, quia perſona eſt idem formaliter cum natura diuina: ergo ſi de perſona Verbi dicitur fuiſſe paſſam, & mortuàm, cur idem de natura diuina dici non poterit? Rurſus hæc propoſitio eſſet admittenda: *Vnus de Trinitate eſt paſſus, & mortuus*: nam bene ſequitur: Chriſtus eſt paſſus, & mortuus & Chriſtus eſt vnus de Trinitate, ſiquidē eſt filius Dei: ergo vnus de Trinitate eſt paſſus, & mortuus; quam tamen propoſitionē poſtulās Leonci⁹ cū alijs Monachis Scitæ admitti, & addi Cōcilio Calcedonēſi ab Hormiſda Papa, Pontifex neque admittere, neque addere voluit actis dicti Concilij: vt referunt Baronius in vita Hormiſdæ circa annum Chriſti 519. & Ferrandus Diachonus in epiſtola ad Anatholium.

Quod amplius poteſt confirmari, ex eo quod in Deo perſona eſt idem realiter cum natura, ſed vnio incarnationis, non eſt facta in natura, vt oſtenſum fuit articulo præcedenti: ergo neque eſt facta in perſona.

Inter Catholicos autem ſolus Durandus fabet huic errori in tertio diſtinctione 5. quæſtione 2. negans vnionem incarnationis fuiſſe factam in perſona, licet alio ductus fundamento: nimirum, quia terminus alicuius actionis nō poteſt ipſi actioni præexiſtere: ut per ſe notum eſt, & admittit Diuus Thomas quæſtione 4. ſequenti articulo 2. actioni autem vnitiuæ incarnationis præexiſtit perſona Chriſti: propterea enim ille de ſe ipſo dixit Ioannis 8. *Antequam Abraham fieret, ego ſum*: ergo perſona non fuit terminus huius actionis: ac per conſequens neque hæc vnio facta eſt in perſona.

5 Sed contra hunc errorem ſtatuitur concluſio Angelici Doctoris, tanquam certa ſecundum fidem, nimirum quod vnio Verbi incarnati facta eſt in perſona, ad hunc ſenſum, quod per vnionem incarnationis factum eſt vt perſona Filij Dei, quæ anteà erat ſolius naturæ diuinæ modo ſit perſona, vtriuſque naturæ, ſcilicet diuinæ, & humanæ, & quod per hac vnionem non reſultauit alia perſona, ſed eadē quę erat Filius Dei modo eſt ſimul Filius Virginis. In quo ſenſu aſſertio diffinita eſt in pluribus Cōcilijs contra Neſtorium, vt in Epheſino capite primo & ſecundo, vbi Patres diffinierunt Beatiſsimam Virginem eſſe nominandam *Theotocos.* ideſt veram Dei, & hominis genitricem, in Calcedonenſi actione quinta, & in quinta ſynodo generali canone quarto, & quinto, & in ſexta ſynodo actione quarta, in Concilio Lateranenſi ſub Martino primo, conſultatione vltima, & canone 6. & refertur in capite *firmiter*, de ſumma Trinitate, in Hiſpalenſi ſecundo capite vltimo, & Toletano ſexto cap. 1.

Deinde probatur eiſdem teſtimonijs ſacræ Scripturæ aductis articulo præcedenti, in quibus ſignificatur eundē Chriſtum eſſe verum Deum, & hominē. Tum & alijs quæ in confirmationem huius veritatis, videre licet apud Cyrillum lib. de incarnatione cap. 12. Athanaſiū lib. eiuſdem argumenti, ſcilicet de incarnatione Verbi, & Galatinū lib. 4. de arcanis cap. 2. & 3. quæ & referunt Belarminius vbi ſupra, Suarius diſput. 7. ſect. 3. Valentia puncto 2. & Aluarez diſputatione 11.

Denique probatur ratione Theologica, qua hic vtitur D. Thom. ad hanc formā reducta: quidquid ineſt alicui perſonæ, ſiue pertineat ad eius naturam, ſiue non, dummodo intrinſece vniatur illi, & non tanquam adiacens, vnitur ei in perſona: ſed humana natura intrinſece eſt vnita Verbo diuino: ergo vnitur ipſi in perſona. Maior probatur, nam quidquid vnitur per ſe, & intrinſece alicui perſonæ non ſubſiſtit per ſe, ſed in alio, ſcilicet in tali perſona cui vnitur: alioquim non conſtitueret cum illa vnum per ſe, ſed per accidens: quo pacto pars integralis hominis non ſubſiſtit per ſe, ſed trahitur ad ſubſiſtētiam ſui totius, per quam totus homo ſubſiſtit, & ſic de alijs. Minor vero ſupponitur à Diuo Thoma, tanquam certa ſecundum fidem, ex qua habemus Verbū diuinum ratione huius vnionis eſſe verum hominem, quod non poſſet intelligi niſi hæc vnio eſſet intrinſeca, & ſubſtātialis, quod probādum relinquit D. Thom.

in ſequentem articulum ſextum. Habemus quoque ex fide ſolum filium inter perſonas Trinitatis eſſe hominem, eiuſq; operationes in humanitate aſſumpta elicitas, eſſe *Theandricas*, ſiue Dei viriles, infinitique valoris ſuperabundanter pro offẽſis hominum ſatisfactorias: quæ tamen verificari non poſſent, niſi hæc vnio eſſet intima, & ſubſtantialis: eoquod ſi humanitas adiaceret Verbo, ſicut veſtimentum homini, neque eſſet verus homo, neque operationes humanitatis aſſumptæ eſſent operationes Dei, ſed tantum puri hominis: & ſi hæc vnio eſſet per inhabitationem, aut per affectum non magis filius eſſet homo, quam Pater, aut Spiritus Sanctus: vtpotè cum talis vnio pariformiter ſit communis tribus perſonis, ſicut quælibet alia operatio ad extra: ergo.

Quod amplius confirmatur ex eo, quod ſequeretur Chriſtum poſſe dici deiferum, ſi Deus in illo tamquam in templo habitaret: quam tamen propoſitionem damnat Cyrillus anathematiſmo. 5. contra Theodoretum, qui Chriſtum deiferũ appellabat, in reſponſione ad anathematiſmum quintum, vbi, & citat pro ſe Baſilium in ſermone de Spiritu ſancto, & in explanatione Pſalmi 59. cum tamen dicta propoſitio abſolutè ſit neganda, & nõ niſi large, & cum addito admittenda: in quo ſenſu fortè à Baſilio admittitur.

Ex his reſpondetur ad fundamentum Neſtorij, diſcurrendo per ſingulas eius propoſitiones. Et de prima quidem dicendum eſt, nullatenus eſſe admittendam, quia ex communi modo concipiendi importatur ex parte ſubiecti deitas, tanquam ſubiectum paſsionis, & mortis: & ſit ſenſus deitatem ipſam in ſe fuiſſe paſsã, & mortuam, qui ſenſus eſt hæreticus: ſecus vero iſtius, *Deitas eſt incarnata*, quia in illa importatur Deitas non vt ſubiectũ incarnationis, ſed tantum vt terminus ad quem facta eſt incarnatio: qui ſenſus eſt catholicus.

De ſecunda vero propoſitione dicendum eſt cum Baronio vbi ſupra, quod licet in ſe vera, & catholica ſit, iuſtis de cauſis ab Hormiſda, non fuit addita Concilio Calcedonenſi, non ſolum quia non eſt conſuetum addere aliquid diffinitionibus Conciliorum generalium, niſi id poſtulet noui erroris ocaſio, aut ne iudicaretur à catholicis inſufficiens diffinitio Concilij Calcedonenſis, vt vult Vazquiz vbi ſupra. Sed etiam propter latentem hæreſim, quam præfati Monachi in illis verbis ſubintelligebant, renuentes enim confiteri vnam perſonam Trinitatis eſſe paſſam in carne, conabãtur doloſe explodere receptum in Eccleſia perſonæ nomen: & cum Eutichianis per vnitatem, ſubſtantiam diuinam, & non perſonam intelligebant, ac proinde ſicuti Deum, ita & ſubſtantiam ſiue naturam diuinam paſſam, & mortuam aſſererent.

Ad confirmationem reſpondetur, quod ex identitate inter perſonam diuinam, & naturã ſolum colligi poteſt, quod ſi humanitas eſt vnita perſonæ, ſit etiam vnita naturæ: non tamen ſequitur vnionem factã in perſona debuiſſe fieri in natura, quia non ſequitur quod ſi ex hac vnione reſultauit in Chriſto vna perſona ſubſiſtens in duabus naturis, reſultauerit etiam in illo vna tantum natura.

Ad fundamentum Durandi reſpõdetur, quod terminus reſultans ex vnione incarnationis, non eſt perſona Verbi abſolutè ſumpta, vel quatenus diuina, ſecundum quam rationem præexiſtit vnioni, ſed eſt perſona Verbi, vt ſubſiſtens in duabus naturis, & ſic non præexiſtit vnioni: vnde admiſſa majori diſtinguenda eſt minor ſub hac diſtinctione.

ART. IV.

Vtrum perſona, vel hypoſtaſis Chriſti poſt incarnationem ſit compoſita?

3.d.6.q. 2.ar.3. AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod perſona Chriſti non ſit compoſita. Perſona enim Chriſti non eſt aliud, quam perſona, vel hypoſtaſis verbi: vt ex dictis patet *. Sed in verbo non eſt aliud perſona, & natura, vt patet ex dictis in prima parte †. Cum ergo natura verbi ſit ſimplex, (vt in primo * oſtenſum eſt) impoſsibile eſt, quod perſona Chriſti ſit compoſita.

* artic.2. p.p.q.2.a.3. p.p.q.3.a.7. & per tot.q.

2 Præterea, Omnis compoſitio videtur eſſe ex partibus. Sed diuina natura non poteſt habere rationẽ partis, quia omnis pars habet rationem imperfecti. Ergo impoſsibile eſt, quod perſona Chriſti ſit compoſita ex duabus naturis.

3 Præterea, Quod componitur ex aliquibus, videtur eſſe homogeneum eis: ſicut ex corporibus non componitur niſi corpus. Si ergo ex duabus naturis aliquid ſit in Chriſto compoſitum, conſequens erit, quod illud non erit perſona, ſed natura: & ſic in Chriſto erit facta vnio in natura: quod eſt contra prædicta *.

artic.2.

Sed contra eſt, quod Dam. dicit in tertio lib. † In Dño Ieſu Chriſto duas naturas cognoſcim⁹, vnã autem hypoſtaſim ex vtraque compoſitam.

li.3.or.fi. c.3.4.& 5

Reſpondeo dicendum, quod perſona ſiue hypoſtaſis Chriſti dupliter poteſt conſiderari. Vno modo ſecundum illud, quod eſt in ſe: & ſic eſt omnino ſimplex, ſicut & natura Verbi. Alio modo ſecundum rationem perſonæ, vel hypoſtaſis, ad quam pertinet ſubſiſtere in aliqua natura: & ſecundum hoc perſona Chriſti ſubſiſtit in duabus naturis. Vnde licet ſit ibi vnum ſubſiſtens, eſt tamẽ ibi alia, & alia ratio ſubſiſtendi. & ſic dicitur perſona compoſita, in quantum vnum duobus ſubſiſtit.

Et per hoc patet reſponſio ad primum.

Ad ſecundum dicendũ, quod illa compoſitio perſonæ ex naturis, non dicitur eſſe ratione partium; ſed potius ratione numeri: ſicut omne illud, in quo duo conueniunt, poteſt dici ex eis compoſitum.

Ad tertium dicendum, quod non in omni compoſitione hoc verificatur, quod illud quod componitur, ſit homogeneum componentibus: ſed ſolum in partibus continui. Nam continuum non componitur niſi ex continuis: animal vero componitur ex anima, & corpore, quorũ neutrum eſt animal.

PRIMA cõcluſio: perſona Chriſti ſecundum id quod eſt in ſe eſt omnino ſimplex, ſicut & natura Verbi.

Secunda concluſio: perſona Chriſti ſecundum rationem perſonæ, vel hypoſtaſis, ad quam pertinet ſubſiſtere in aliqua natura eſt perſona compoſita.

* * *

Digitized by Google

Dubium eſt. An perſona Chriſti ſit verè compoſita, & quo genere compoſitionis?

Proponitur ſtatus quæſtionis & id in quo Doctores conueniũt.

IN Hoc dubio omnes Theologi cõueniunt in duobus, & diſcriminantur in alio. Conueniunt quidem primo cum Angelico Doctore in eo quod perſona Chriſti ſecundum perſonalitatẽ, & naturam diuinam quam in ſe habet, nõ eſt verè compoſita, ſed omnino ſimplex: ſiquidem vera, & realis compoſitio petit realem extremorum diſtinctionem, quę neque eſt perſonalitatis Verbi ad ipſam perſonam, neque ad naturam diuinam: ac proinde neque vnius cum altera poteſt eſſe realis compoſitio. Et hoc innuit Diuus Thomas in prima concluſione dicens perſonam Chriſti ſecundum id quod habet in ſe eſſe ſimplicem: eoquod nomine perſonæ Chriſti ſumptæ ſecundum ſe intellexit, aut ipſam diuinam perſonam, quoad illa quæ ei conueniunt ad intra, cũ quibus nequit veram facere compoſitionem: aut intellexit modum ipſum perſonalitatis, & incommunicabilis ſubſiſtentiæ, qui etiam vt ſic ſimpliciſsimus eſt. Conueniunt ſecundo in eo quod perſona Chriſti ſumpta ſecundum rationẽ perſonæ, id eſt prout exercet munus ſuſtentantis naturam, & perſonantis illam, non eſt compoſita verè, & propriè ex duabus habitudinibus, ſiue relationibus ad duas naturas, in quibus ſubſiſtit.

6 Pro cuius declaratione ſciendũ eſt compoſitionem hanc perſonæ Chriſti poſſe ex cogitari fieri vno ex tribus modis: nimirum vel ex duabus rationibus ſubſiſtẽdi, ſiue habitudinib⁹ ſubſiſtentis, quas habet perſona Chriſti, alteram reſpectu diuinæ, & alteram reſpectu humanæ naturæ. Vel ex duabus naturis in quibus ſubſiſtit, ita vt ipſæ naturæ intrent formaliter, & directè huiuſmodi compoſitionem, & non ſolum in obliquo, ſiue terminatiuè, hoc eſt tanquam termini illarum habitudinum. Vel tertio ex ipſa perſona diuina ex vna parte, & ex natura humana ex alia. Igitur cuncti Theologi vnanimiter negant cõpoſitionẽ perſonæ Chriſti fieri primo modo, eoquod vera, & realis cõpoſitio, qualis eſt, quam Concilia, & Patres attribuunt perſonæ Chriſti debet ſupponere realem diſtinctionem extremorũ: hæc autem non ſaluatur in ſolis habitudinibus ad naturas: ergo extrema huius compoſitionis, non ſunt huiuſmodi habitudines, ſecluſis naturis.

Maior eſt nota, & minor patet, quia habitudo verbi ad humanitatem tantum eſt relatio rationis: Deus enim ad creaturam neque ſecundum eſſentiam, neque ſecundum proprietates perſonales poteſt refferri relatione reali. Deinde habitudo ad naturam diuinam, etiam eſt reſpect⁹ rationis, vtpotè cum qua realiter, & formaliter perſona Verbi identificatur, & relatio realis, nequit eſſe niſi inter extrema realiter diſtincta, quam obrem licet perſonalitas Verbi in ſe ſit relatio realis per ordinem ad Patrem generantem, tamen reſpectu naturæ diuinæ, à qua realiter non diſtinguitur tantum importat habitudinẽ rationis.

Sed huic communi ſuppoſitioni duo videntur obſtare teſtimonia Angelici Doctoris. Primum habetur in corpore huius articuli, dum ait, perſonam Chriſti eſſe compoſitam, in quantum in illa eſt alia, & alia ratio ſubſiſtendi: licet enim perſona Chriſti ſit vnum ſubſiſtens, habet tamen diuerſas rationes ſubſiſtentiæ, ſcilicet diuinæ, & humanę: ex quibus proinde poteſt fieri compoſitio. Secundũ habetur in 3. d. 6. q. 2. a. 3. ad 2. vbi ait, perſonam Chriſti dici compoſitam, non quaſi eius eſſe ſit ex multis conſtitutũ: hoc enim eſt contra rationem æterni, ſed quia ad plura ſe extendit, quæ aſſumuntur ad illud eſſe: igitur ſentit perſonam Chriſti eſſe compoſitam, quia ſe extendat per terminationem ad plures naturas: non autem quia intrinſece illas includat.

Sed neutrum teſtimoniũ officit, non primum, quia in illo ipſe D. Thom. ſufficienter ſe explicat in fine corporis, dum ſubdit, quod licet in Chriſto ſit vnũ ſubſiſtens, eſt tamen ibi alia, & alia ratio ſubſiſtendi, & ſic dicitur perſona cõpoſita, in quantum vnum duobus ſubſiſtit, quibus verbis denotat has duas rationes ſubſiſtendi non componere perſonam Chriſti, niſi quatenus includunt duas naturas: ita vt idem ſit dicere perſonam Chriſti eſſe compoſitam, in quantum ſubſiſtit

in duabus naturis, atque dicere eſſe compoſitam, in quibus includit duas naturas, tanquam rationes ſubſiſtēdi, quælibet enim natura ſubſtantialis eſt ratio, ſiue cauſa ſubſiſtendi, vel ſimpliciter, vel ſaltem determinate in tali natura, & in ſolutione ad ſecundum, hoc ipſum repetit D. Tho. appellans hanc compoſitionem perſonæ Chriſti ex naturis, tanquam ex componētibus, ſed non tanquam ex partibus.

Neque ſecundum teſtimonium, quia eadem gaudet explicatione, nam dum in illo dicit D. Thom. perſonam Chriſti eſſe compoſitā, quia ad multa ſe extēdit, quæ aſſumuntur ad eius eſſe, & non quia eius eſſe componatur ex multis, ſolum intendit excludere ab iſta compoſitione partes, non autem extrema componētia, quę ſunt ipſæ naturæ per perſonalitatem terminatę.

Cum igitur in his duabus ſuppoſitionibus conueniant omnes Theologi, ſolum diſcriminantur circa alios duos modos, quibus excogitari poteſt fieri huiuſmodi compoſitionem nimirum.

Vtrum verè, & propriè fiat compoſitio ex natura diuina, & humana, vel ex perſona diuina cum natura humana?

In cuius explicatione tres verſantur ſententiæ. Prima abſolutè negans perſonam Chriſti, eſſe verè, & propriè compoſitam eſt Scoti in tertio diſtinctione 3. quæſt. 3. Ricardi ibidem, Gabrielis quæſt. 1. artic. 2. Almayni, & Marſilij artic. 3. Alberti art. 6. & Cartuſian. quæſt. 8. & Alenſis 3. part. quæſt. 6. membro 2. art. 2. à qua parum recedit Caietan. in hoc artic. & 1. part. quæſt. 3. art. 8. quatenus ait hanc compoſitionem perſonæ Chriſti ſolum poſſe dici compoſitionem cum addito, ſcilicet ineffabilem ad excludendum imperfectionē ex parte componentium, quam ipſe putat eſſe de intrinſeca ratione compoſitionis propriè ſumptæ.

Quorum fundamenta ſunt tria. Primum deſumitur ex quatuor conditionibus recenſitis à Caietano vbi ſupra ad cōpoſitionem requiſitis, quæ important imperfectionem perſonæ, & naturæ diuinæ repugnantem: requiruntur enim diſtinctio realis inter extrema componentia, & eorum realis coniunctio, vt diſtinguitur à coniunctione ſecundum rationem, necnon coniunctio ſecundum eſſe, prout diſtinguitur à coniunctione ſecundum ſitum, vel ſecundum aliquem extrinſecum reſpectum: & tandem quod ex componentibus, vnum ſit actus, ſiue forma alterius, aut vtrumque reſpectu tertij, & in hac quarta conditione includuntur aliæ duæ, nimirum quod componentia ſint partes, ex quibus fiat, ac dependeat compoſitum, vnde quamuis tres perſonæ diuinæ vniantur in vna deitate, non vniūtur per compoſitionem ob deffectum ſolius quartæ conditionis: eſt enim inter illas realis diſtinctio, & coniunctio in eadem natura diuina, & ſecundum idem eſſe: & tamen huiuſmodi vnio non eſt compoſitio, quia nulla perſona eſt pars, aut actus, ſiue potentia reſpectu alterius: ex quo principio probat Diuus Thomas in artic. 8. citato, Deum non poſſe venire in alicuius compoſitionem: ſed hæc quarta conditio nequit reperiri in vnione incarnationis: ergo.

Minor probatur dupliciter. Tum quia naturæ, & perſonæ diuinæ repugnat ſubire munus partis, ſiue actus informantis, ſiue potentiæ informabilis. Tum etiā, quia perſonæ Chriſti, cum ſit increata, & æterna, repugnat fieri, ac dependere ex cōponentibus.

Secundum deſumit Dionyſius Cartuſianus, ex eo quod in Chriſto, non eſt duplex ratio ſubſiſtendi: ergo neque ipſa eſt perſona compoſita. Conſequentia patet, nam cum fundamentum huius compoſitiſionis ſit, quod in Chriſto eſt alia, & alia ratio ſubſiſtendi ſublato illo neceſſe eſt, & auferri compoſitionem à Chriſto.

Antecedens autem probatur. Tum quia ſi in Chriſto eſſet duplex ratio ſubſiſtendi, etiam eſſet duplex ſubſiſtentia, & conſequentet duplex perſonalitas, ſiquidē ratio ſubſiſtēdi formaliter eſt ipſa ſubſiſtētia, & ſubſiſtētia in natura rationali eſt perſonalitas: quod tamē eſt hæreticū & damnatū in Concilijs Epheſin. can. 2. Calc. actione 2. Later. ſub Martino primo can. 2. Hiſpal. 2. cap. 13. in 5. & 6. ſynodo generali can. 5. & actione 4. in quibus anathema dicitur Neſtorio, & omnibus ponentibus cum illo in Chriſto dupli-

çem

dem perſonam, ſiue perſonalitatem: ergo.

Tum etiam, quia perſona Chriſti non accepit ſubſiſtentiam à natura humana, ſed potius traxit naturam humanam ad ſuam ſubſiſtentiam, vt etiam fatetur Diuus Thomas quarto contra gentes cap. 49. ad tertium, & ad quintũ: ergo in Chriſto non eſt alia & alia ratio ſubſiſtẽdi, ſed tantum vna, ſcilicet diuina.

Tertium deſumitur ab inconuenienti, quod ſequitur ex oppoſita ſententia, nimirum quod iſtæ duæ propoſitiones eſſent concedendæ, Chriſtus eſt duæ naturæ, ſcilicet diuinitas, & humanitas, & è conuerſo, diuinitas, & humanitas ſunt Chriſtus, quod tamen non eſt dicendum: ergo. Sequela patet, quia omne compoſitum prædicatur de ſuis componentibus ſimul ſumptis, & è conuerſo, vt homo eſt corpus, & anima, & e conuerſo corpus, & anima ſunt ipſe homo. Minor autem probatur dupliciter. Tum, quia inter articulos Ioannis Hus damnatos in Concilio Conſtantienſi ſeſsione 15. proponitur num. 4. hæc propoſito: duæ naturæ, ſcilicet diuinitas, & humanitas ſunt vnus Chriſtus. Tum etiam, quia ex prima propoſitione ſequitur diuinitatem in abſtracto, non poſſe prædicari de Chriſto, & ex ſecunda ſequitur Chriſtum nõ poſſe prædicari de diuinitate, eoquod quando cõpoſitum eſt idem cum ſuis componentibus vnitis, & ſimul ſumptis, neutrum illorum ſeorſum poteſt prædicari de tali compoſito, neque tale compoſitum poteſt prædicari de altero, extremorum componentium ſeorſum ſumpto: qua ratione nec dici poteſt, quod homo eſt materia, neque quod materia eſt homo, & tamen hoc non eſt admittendum, quia iſtæ ſunt propoſitiones veræ, & catholicæ: Chriſt⁹ eſt diuinitas, & diuinitas eſt ipſe Chriſtus, ſicut iſtæ: Chriſt⁹ eſt Deus, & è cõuerſo, Deus eſt Chriſtus: ergo.

Secunda ſententia, licet admittat perſonam Chriſti eſſe vere, & propriè cõpoſitam, negat tamen eſſe compoſitam cõpoſitione ex his, ſiue ratione vnionis duarum naturarum in ipſa perſona Verbi, ſiue ratione humanitatis cum ipſa, ita Durand. in 3. diſtinctione 6. quæſtione 3. cui expreſsè ſubſcribit Nazarius hic controuerſia vnica concluſione 6. Vincent. in relectione quæſt. 7. pag. 872. vbi licet admittat in Chriſto reperiri compoſitionem ex duabus naturis, vt ex duobus extremis: negat tamen ex perſona Verbi, & humanitate fieri compoſitionem, vt ex duobus extremis, ex quibus reſultet vnũ compoſitum conſtans ex duobus, & ſubdit ex perſonalitate Verbi ſumpta in abſtracto quatenus diſtinguitur ratione ab ipſa perſona Verbi ſumpta in concreto, nullanus fieri compoſitionem propriam, vt ex duobus extremis: fundamentũ Durandi eſt, quia ex duplici genere compoſitionis dabili in rebus compoſitis, nimirum ex his, & cum his, ſiue huius ad hoc, vel cum hoc, illud diſtinguitur ab iſto, in eoquod terminus illius compoſitionis eſt vnum ſimpliciter conſtans ex duobus, cuiuſmodi eſt compoſitio hominis ex anima & corpore: terminus vero iſtius eſt vnum alteri compoſitum cuiuſmodi eſt compoſitio accidentis cũ ſubiecto, verbi gratia albi, non enim componitur albedo ex albedine, & ſubiecto, neque e conuerſo ſubiectum ex albedine, & ſubiecto, ſed vnum eſt alteri compoſitum, ſiue cum altero poſitum, ſed huiuſmodi eſt compoſitio perſonæ Chriſti: non enim eſt compoſita primo modo, ſed ſecundo, non quidem per in hærentiam humanitatis in perſona Verbi, ſed per terminationem humanitatis, quatenus ſcilicet perſona Verbi ſu a ſubſiſtentia terminat humanitatis dependentiam: ergo.

Minor patet, quia in hac compoſitione non reſultauit vnum tertium, quod ſit compoſitum per modum naturæ, aliàs fuiſſet facta vnio in natura, cuius oppoſitum oſtendimus articulis præcedentibus. Neque quod ſit vnum per modum perſonæ, quia ex concurſu naturæ diuinæ, ſiue perſonæ Verbi, & humanitatis non reſultat vnum tertium, alioquim eſſet in Chriſto duplex perſona: altera quidẽ eſſet perſona Verbi componens: & altera eſſet perſona illa tertia compoſita, ad quam terminatur huiuſmodi compoſitio ex perſona Verbi, & humanitate, quod tamen eſt abſurdum: ergo.

Fundamentum autem Vincent. pro prima parte ſuæ ſententiæ eſt idem, cum fundamento Durandi, & pro ſecunda parte eſt hoc: quia ſcilicet, medium in quo aliqua extrema vniuntur, non poteſt habere rationem extremi componẽtis, quo pacto quantitas, quia eſt id mediante quo albedo vnitur corpori, non eſt extremum huius com-

compoſiti, ſcilicet albi, eo quod extremū compoſitionis componit, & terminat, vt quod, medium autem ſolum vt quo, ſiue vt ratio componendi, & terminandi, ſed perſonalitas verbi eſt medium, in quo, & mediante quo humanitas vnitur diuinitati, & perſonæ Verbi, eſt enim ratio terminandi humanitatem: ergo nequit eſſe extremum huius compoſitionis, ac proinde compoſitio hæc non fit ex perſonalitate, & humanitate, vt ex duobus extremis.

Tertia ſententia abſolutè affirmat in perſona Chriſti compoſitionem propriè ſumptam, non ſolum ex naturis, ſed etiam ex perſona, ſiue ex perſonalitate verbi, & humanitate aſſumpta fieri, tanquam ex duobus extremis componentibus: ita Medina hic. Suarez diſput. 7. ſectione 2. & Lorca diſp. 13. Aluarez diſput. 12. Valentia diſp. 2. puncto 4. & Vazquez diſp. 16 cap. 2. & 3. & quia hæc ſētentia eſt conformior Conciliorum diffinitionibus, & modo loquendi ſanctorum Patrum: pro eius declaratione:

Defēditur vera compoſitio in perſona Chriſti.

7 Dico primo. Perſona Chriſti verè, & propriè eſt compoſita ex duabus naturis diuina, & humana. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus auctores primæ ſententiæ, tanquam certa ſecundum fidē, licet enim illi in re non diſentiant à doctrina catholica, cum fateantur contra Neſtoriū, duas naturas in vna perſona Chriſti, & contra Eutichetem duas naturas impermixtas, & incōfuſas: tamē in modo loquēdi cōtradicunt Concilijs, & ſanctis Patribus expreſſe aſſerentibus perſonam Chriſti abſolutè, & ſine addito eſſe compoſitam ex duabus naturis.

Quod probatur primo ex teſtimonijs Conciliorum. nam in primis in 5. ſynodo Conſtantinop. actione 8. cap. 4. tèr diffinitur vnionem incarnationis factā eſſe compoſitionem, & perſonam Chriſti eſſe compoſitam, cuius hæc reditur ratio à Concilio: vnio enim per compoſitionē in myſterio Chriſti, non ſolum inconfuſo ea, quæ conuenerunt conſeruat, ſed nec diuiſionem ſuſcipit, & cap. 7. damnantur, qui tantummodo differentiam excipit in Chriſto earū naturarū, ex quibus eſt compoſitus: cuius capitis decretum refertur, & approbatur in 6. ſynodo Conſtantinop. actione 4. in epiſt. Agatonis Pap. ad Imperatores Heracli, & Tiber. & actione 11. in epiſt. Sophronij, & actione 13. can. 6. ſæpè diffinitur compoſitio in Chriſto ex duabus naturis, & dānatur, qui non confitetur vnam ſubſiſtentiam ex duabus naturis compoſitam: & idem confitentur Patres Concilij Later. ſub Martino primo conſultatione 2. in expoſitione fidei facta ab Heraclio Imperatore, & conſultatione 4. & 5. referuntur, & approbantur diffinitiones ſuperius relatæ ex 5. ſynodo, & Petrus Diaconus lib. de incarnatione, & gratia cap. 3. refert damnatum fuiſſe Paulum Samoſetanum, in quodam Concil. Antiocheno ſub Dionyſ. Pap. eo quod negaret compoſitionem in Chriſto, cuius diſputationis, & Concilij fit mentio, in quadam epiſtola, quæ extat tomo primo Conciliorum, & meminit Euſeb. lib. 7. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 22.

Deinde idem ſignificatur in modo loquendi Concil. in locis citatis cum docent Chriſtum ſubſiſtere in duabus, & ex duabus naturis: fruſtra enim poſtquam dictum eſt Chriſtum ſubſiſtere in duabus naturis ſubderetur, ſubſiſtere ex duabus, niſi vt ſignificaretur aliqua cōpoſitio fieri ex illis: ergo.

Secundo probatur ex modo loquendi Sāctorū Patrum, qui abſolutè appellant vnionem duarum naturarum in Chriſto compoſitionem: hoc enim modo loquendi vſi ſunt Dion. Areopag. lib. de cœleſti. part. 3. circa finem, & cap. 1. de diuinis nomini. circa medium, Athan. in oratione, cui titulus eſt vnum eſſe Chriſtum, Damaſcen. lib. 3. de fide cap. 4. & 5. Auguſt. lib. 13. de Trinitat. cap. 7. & Gregor. hom. 38. in Euangelia, vnde in 5. ſynodo generali actione 8. citata, ſic dicitur, qui non confitetur vnionē verbi Dei ſecundum compoſitionem, ſiue ſecundum ſubſiſtentiam factam eſſe, ſicut ſancti Patres docuerunt, &c. anathema ſit.

Tertio probatur ratione Theologica, nām de ratione compoſitionis, nihil aliud eſt, quam quod plura extrema componentia conueniant ſimul, nō quidem inordinate, aut confuſſe, ſed ordinate ad cōſtitutionem vnius entis per ſe: ſed natura diuina, & humana conueniunt ad conſtituendum ſimul vnum Chriſtum: ergo vnus Chriſtus componitur ex illis. Maior patet, quia omnis compoſitio propriè ſumpta terminatur ad vnitatem alicuius compoſiti a qua ſumit ſuam ſpeciem, ita vt

ſi ali-

Digitized by Google

ſi aliqua extrema vniantur, ſine compoſitione, eorum vnio non terminatur ad aliquod vnum per ſe, ſed tantum ad aliquod agregatum peraccidens. Minor autem probatur quia natura diuina, & humana vniũtur in perſona Verbi ſeruato ordine inter ſe, ita vt humanitas non vniatur perſonalitati Verbi, niſi ſupponendo in illa ſubſiſtẽtiam, & naturam diuinam, & terminus huius vnionis eſt Chriſtus, qui eſt vnum cõpoſitum per modum perſonę, ſiue ſecundũ ſubſiſtentiam: ergo.

8 Dico ſecundo. Chriſtus vere, & proprie eſt perſona compoſita ex perſona, ſiue etiam ex perſonalitate Verbi, & humanitate, tãquam ex duobus extremis. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus auctores ſecundæ ſententiæ, licet non in eodem gradu certitudinis atque prima, tamen vt conformior eiſdem teſtimonijs. Ex quibus educitur prima concluſio.

Et probatur quoad primam partem. Primo quia licet in illis teſtimonijs adductis ex Concilijs, & Patribus expræſſe tãtum fiat mentio compoſitionis ex duabus naturis, tamen non poteſt hæc compoſitio admitti in Chriſto quim præſuponatur in illo compoſitio naturæ humanæ cum perſona Verbi, eoquod prius, & immediatius vnitur humanitas perſonæ Verbi quam diuinitati, ſiquidem ratio, quare vnitur diuinitati eſt quia vnitur perſonæ: ergo prius vnio habet rationem compoſitionis quatenus terminatur ad vniendam humanitatem cum perſona Verbi, quam quatenus terminatur ad vniendam humanitatem cum natura diuina: ergo etiã vnitũ ex humanitate, & perſona Verbi quatenus intelligitur vt prius terminans illã vnionẽ, intelligitur vt prius cõpoſitum. Maior, & minor ſunt notæ, & prima conſequentia patet: quia tã actio vnitiua, quam vnio reſpectu vtriuſque termini, ſcilicet proximi & medeati eſt eadem, ac proinde reſpectu vtriuſq; debet ei conuenire ratio compoſitionis quæ pertinet ad eius ſpeciem. Secunda vero conſequentia probatur quia cum actio vnitiua ſumat ſpeciem à termino, ſicut illa eſt compoſitio, ita iſte, qui eſt vnitum debet habere rationem compoſiti.

Secundo probatur, nam vnio humanitatis ad Verbum ſimpliciter appellatur compoſitio in Concilijs, & Patribus de illa enim loquens Dioni lib. de diuinis nominib. cap. 1. inquit, humanã Chriſti naturam eſſe humanã humilitatem, ex qua ſimplex Ieſus eſt ineffabiliter, compoſitus ſimplex quidem, ideſt quatenus ipſe Dei Verbum eſt, compoſitus vero quatenus ex humanitate, & diuina perſona factus eſt hic homo, & lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 3. inquit Verbum factum eſſe ſine mutatione ſui cõpoſitum, & viſibile quatenus factum eſt hic homo, & Leo Papa in epiſtol. ad Iulium ait, Chriſtum conſtare ex tribus ſubſtantijs Verbo, anima, & carne, vbi particula *ex*, denotat compoſitionẽ & in 5. ſynodo generali, citata actione 8. cap. 3. dicitur ſancta Eccleſia vnionẽ Verbi Dei ad carnem ſecundum compoſitionem confitetur: idem autem eſt vnio Verbi cum humanitate, atque vnio perſonæ cum humanitate: ergo ſi illa dicitur cõpoſitio etiam & iſta.

Vltimo probatur, nam cum vnio aliquorum ad conſtitutionem vnius per ſe ſit compoſitio vt dictũ eſt, eadem, quę ſunt extrema vnionis ſunt etiam extrema compoſitionis, ſed huius vnionis extrema non ſolum ſunt humanitas, & diuinitas, ſed etiam humanitas, & perſona Verbi ſiquidẽ hæc inmediatius fuit vnita humanitati, quam diuinitas, non enim hic Deus eſſentialiter ſumptus fuit immediate incarnatus ſed perſona Verbi fuit quę immediate aſſumpſit humanitatem: ergo vere eſt extremum huius compoſitionis.

Deinde pro ſecunda parte, nimirum quod vnio ex perſonalitate, & humanitate ſit etiam compoſitio probatur primo: ex dffinitione compoſitionis, componere enim eſt ſimul ponere vnum cum alio, ſed actio vnitiua humanitatis cum perſonalitate vere coniungit humanitatem perſonalitati, ſimulque ponit illam cum iſta imò immediatius vnit humanitatem perſonalitati Verbi, quam naturæ diuinæ, huic enim vnit illam quaſi media perſonalitate vt dictum eſt: ergo vere eſt actio cõpoſitiua humanitatis cum perſonalitate, ac proinde immediatus terminus huius actionis erit compoſitus ex humanitate, & perſonalitate ſiquidem omnis actio ſpecificatur a ſuo termino immediato, & cõpoſitiua actio à termino compoſito illã immediate terminante.

Secundo probatur, ex formali identitate quæ verſatur inter perſonalitatem, & perſonam Verbi, ex qua fit vt omnis actus qui vni tribuitur, debeat alteri tribui, niſi ſit actus repugnans ex modo ſignificandi formæ in abſtracto, qua ratione

teſte Diu. Thom. 1. p. quæſt. 40. art. 1. ad 3. Licet pater, & paternitas in Deo idem ſint formaliſsime, & ſolum differant penes modum ſignificandi, iſte ſufficit vt actus generandi tribuatur patri, & non paternitati, quia notionalis eſt, & proprius ſuppoſiti, & repugnans formæ ſignificatæ in abſtracto: ſed componere non eſt magis propriũ ſuppoſiti quam formæ, ſed vtriq; conueniens, vt patet in alijs compoſitionibus; & alias conuenit perſonæ Verbi: ſiquidem hæc vere componit cum humanitate, vt dictum eſt: ergo etiam debet perſonalitati verbi conuenire; ac proinde Concilia, quæ expræſſe diffiniunt humanitatem cõponere Christum cum diuinitate, implicite diffiniunt, vel ſupponũt illam immediatius componere cum perſonalitate, vtpote cum hæc ſit ratio ob quam illi vnitur humanitas.

Tertio probatur, ex conditionibus, & legibus cõpoſitionis proprie ſumptæ: omnes enim ſeruantur pariformiter in vnione humanitatis cum perſonalitate, atque in vnione eiuſdem humanitatis cum perſona, ſiue diuinitate: ergo vere eſt compoſitio illa vnio ſicut iſta.

Antecedens patet, nam humanitas, & perſonalitas Verbi ſũt duæ ratione s realiter diſtinctæ, & coniunguntur realiter ad conſtituendam vnam Chriſti perſonam in ratione ſubſiſtentis in natura humana, eſt enim Chriſtus ratione huius vnionis perſonalitatis cũ humanitate vere hic homo, ſicut Petrus ratione vnionis perſonalitatis creatæ cum humanitate formaliter eſt hic homo: ergo ſicut Petrus ob hanc vnionẽ eſt perſona compoſita, ita Chriſtus ob hãc vnionem ex perſonalitate increata, & humanitate eſt perſona compoſita.

Denique quoad vltimam partem, nimirum quod hæc compoſitio fiat ex perſonalitate, & humanitate, vt ex duobus extremis, probatur. Tum quia eadem omnino eſt compoſitio perſonæ Chriſti quatenus in illa vniuntur duæ naturę, atque quatenus vnitur perſonalitas, ſiue perſona Verbi cum humanitate, ſicut & vnio vtroque modo explicata eſt eadem: ſed qua ratione eſt vnio duarum naturarum eſt compoſitio ex duabus naturis, per quam reſultat vnum tertium conſtans ex illis, vt ex duobus extremis: ergo etiam qua ratione eſt vnio perſonę Verbi cum humanitate fit compoſitio, per quam reſultat vnum compoſitum ex illis, vt ex duobus extremis.

Maior eſt nota: Minor autem probatur ex Concilijs præallegatis, in quibus Chriſtus dicitur compoſitus ex duabus naturis, & ſubſiſtẽs in duabus, & ex duabus naturis: vbi particula *ex*, importat habitudinem in termino compoſitionis ad extrema componentia, vt ex quibus componitur. Tum etiam quia in omni compoſitione *ex his*, reſultat aliquis terminus vnus & compoſitus ex extremis componentibus, quę in eius eſſe communicent: ſed perſona Chriſti eſt terminus compoſitionis perſonæ Verbi cum humanitate, quarum vtraque communicat in eodem eſſe ſubſiſtentiæ, & exiſtentię diuinæ, teſtè Diu. Thom. infra quæſtion. 17. art. 2. igitur perſona Chriſti quatenus terminus huius cõpoſitionis eſt aliquod vnum reſultans ex huiuſmodi extremis. Maior declaratur exemplo compoſitionis ſubiecti cum accidente, quæ propterea non eſt, *ex his*, ſed *cum his*, ſiue *huius cum hoc*, vt loquitur Durandus, quia aggregatum ex vtroque reſultans neque eſt aliquid vnum compoſitum ex illis, neque ambo communicant in eodem eſſe: aliud enim eſt eſſe ſubiecti, ſcilicet ſubſtantię, vtpote quod eſt per ſe de genere ſubſtantiæ: & aliud eſt eſſe accidentis, quod eſt in alio pertinens ad idem genus accidentis, neque enim accidentia exiſtunt per exiſtentiam ſubſtantiæ, ſed per propriam: vt patet ex pluribus locis Angelici Doctoris, nimirum 4. contra gẽt. cap. 14. 1. part. quæſt. 77. art. 1. ad 5. & in hac quæſt. artic. 6. ad 2. vbi ait albedinem non trahi ad idem eſſe ſubiecti, quia aliud eſt eſſe albi, & aliud eſſe hominis, cui aduenit albedo, & infra quæſt. 17. art. 2. ait in Chriſto tantum dari vnum eſſe ſubſtantiale, quod pertinet ad hypoſtaſim, poſſe tamẽ in vna hypoſtaſi multiplicari eſſe, quod pertinet ad formam accidentalem. His & alijs teſtimonijs hanc ſententiam conteſtãtur, vt legitimam ſui authoris, Caietan. 1. part. quæſt. 28. art. 2. & cap. 7. de ente, & eſſent. Soncinas lib. 7. Methaphyſ. quęſt. 5. Flandria, quæſt. 1. art. 5. & Bañeſius 1. part. quæſt. 3. art. 4. dub. 5. æditionis ſecũdæ: retractando oppoſitam opinionem, quam in prima æditione ſecutus fuerat cũ Soto lib. 1. Phyſico. q. 6.

Deinde quia alias remanentibus accidentibus panis, & vini in Sacramento Altaris remaneret quoque exiſtentia vtriuſque ſubſtantiæ, ſcilicet panis, & vini actuans illa: quod tamen non cohæret cũ

exclu-

excluſiuam quā diffinit Tridentina ſynodus, ſeſsione 13. can. 2. dicens poſt conſecrationem remanere duntaxat accidentia panis & vini, ideſt nihil aliud remanere, quod ſit de genere ſubſtantiæ. Tum denique idem probat modus loquendi Dionyſij, & Leonis Papæ vbiſupra, quatenus dicunt Chriſtum eſſe compoſitum ex Verbo & anima ſiue humanitate; & Verbum factum eſſe hunc hominem: quo loquendi more ſignificatur terminum huius compoſitionis eſſe hunc hominem, & extrema ex quibus componitur eſſe perſonā Verbi, & humanitatem.

9 Ex quibus facile reſpondetur ad fundamenta aduerſariorum. Ad primum enim pro prima ſententia dicendum eſt illam quartam conditionem non requiri neceſſario ad compoſitionem vt ſic, niſi tantum ad compoſitionem entis naturalis.

Pro cuius declaratione notandā eſt doctrina à Auguſtini lib. 3. contra Maximum, cap. 14. Baſilij lib. 2. contra Eunomium, & Damaſceni lib. 3. de fide, cap. 8. aſſerentium de ratione compoſiti vt ſic nō eſſe vt conſtituatur ex partibus, ſed tantū vt ſit vnum ex multis extremis componentibus; & propterea hanc compoſitionem perſonæ Chriſti non eſſe ſecundum quantitatem continuam, ſed diſcretam. Quam doctrinam ſecutus fuit Diu. Thom. hic ad ſecundum dicens, hanc compoſitionem nō eſſe in ratione partium, ſed in ratione numeri, ſcilicet ex diuinitate, & humanitate, quæ verè numerari poſſunt: quo pacto etiam ex eſſentia diuina in ratione ſpeciei intelligibilis, & intellectu beati illuſtrato lumine gloriæ conſtituitur vnum principium integrum viſionis beatæ: & ſimiliter ſi Deus poſſet vniri potentijs animæ per modum auxilij operatiui, vt multis Theologis placet, tunc ex potentia, & Deitate aſsiſtente conſtitueretur vnum principiū operatiuum talis operationis, non ſimplex ſed ex illis compoſitum: & tamen Deitas, nullatenus eſt pars. Quod ſi aliquando Patres, vt Damaſcenus lib. 3. de fide, cap. 4. Nizetas ſcoliaſtes Nazianzeni ad orationem ſecundam in Paſchate, & Iuſtinianus Imperator, in ædicto ſuæ fidei appellant diuinitatem partem in hac Chriſti cōpoſitione, laxiori vocabulo vtuntur ſignificantes illam eſſe extremum huius compoſitionis, neque Diu. Thom. in loco citato, primæ partis negauit Deum poſſe venire in compoſitionem alicuius mirabilis compoſiti, cuius extrema componētia vindicantur ab imperfectione partis, potētiæ, vel formæ informantis, ac dependentiæ à toto, quod manifeſte colligitur ex eodem contextu, in quo tantum negat Deum poſſe venire in compoſitionem alicuius, in eo ſenſu, in quo articulis præcedentibus negauerat ipſum eſſe compoſitum: ex eorum autem titulis conſtat, quod tantum negauerat in Deo compoſitionem naturalem, quæ ſolet fieri cū prædictis imperfectionibus. Tum etiam ex eo quod in illo articulo 8. refert, & refutat tres errores antiquorum aſſerentium Deum habere rationem componētis; vel per modum formæ intrinſecæ, vel per modum animæ totius mundi, vel per modum materiæ: quod quidem non obſtat quominus Deitas poſsit ingredi hanc compoſitionē perſonæ Chriſti: quæ neque eſt naturalis, neque ex partibus, neque terminatur ad vnum in ratione naturæ, ſed ad vnum in ratione perſonæ. In quo nihilominus cautè dici poteſt, quod perſona habet rationem actus terminantis, & humanitas gerit vicem ſubiecti terminabilis; ſecluſa imperfectione partis informantis, aut informabilis.

Ad ſecundum, nego antecedens: ad cuius primam probationem, nego maiorem, quia licet ratio ſubſiſtendi ſumpta ſimpliciter, & abſolute ſit ipſa ſubſiſtentia, & perſonalitas, ac proinde multiplicata illa multiplicetur, & iſta, verumtamen ſumpta tali modo, & ſecundum talem denominationem, ideſt, quatenus exercet munus ſubſiſtendi in tali natura, & terminandi illam, bene poteſt in vna, & eadem ſubſiſtentia, ſiue perſonalitate multiplicari duplex ratio ſubſiſtendi, quatenus poteſt ſubſiſtere in duabus naturis, vnde in hoc ſenſu dixit Diu. Thom. in articulo, dari in eadem perſona Chriſti aliam, & aliam rationē ſubſiſtendi.

Ad ſecundā, admiſſo antecedente nego conſequentiam, quia Diu. Thom. loquebatur ibi de ſubſiſtentia ſimpliciter, & abſolute ſumpta: & ſic verum eſt perſonā Chriſti non accepiſſe ſuam ſubſiſtentiam à natura humana: cum quo tamē ſtat quod acceperit à natura humana rationem ſubſiſtendi: quantum ad talem denominationē vel determinationem ad talem naturam: nā quod perſonalitas Chriſti ſit ratio ſubſiſtēdi in natura humana, vel quod ſit ſubſiſtētia naturæ humanæ, vel perſona humana, habet ex ipſa natura humana, quā aſſūpſit.

Ad

Ad tertium reſpondetur, non ſequi illud inconueniens propter duo: tum quia non eſt neceſſe omne compoſitū prædicari de ſuis componentibus ſimul ſumptis, aut è conuerſo, niſi quando eſt compoſitum ex partibus eſſentialibus, vel integralib⁹: vt patet in albo, quod nec dicitur corpus & albedo ſimul, neque è contra, licet ex illis componatur: ſed tãtum dicitur corpus habens albedinem. Tum etiam, quia licet dictæ propoſitiones ſint falſæ, ac damnatæ ſummēdo naturas diuiſim, tamē ſummendo illas collectim, ſunt veræ in ſenſu identico, & poſſunt admitti cum addito denotante ſenſum identicum, & explicante ſimultatem naturarum ſine excluſione perſonalitatis incluſæ in Chriſto vltra duas naturas, & in eo ſenſu conceduntur in pluribus Concilijs, vt in 5. ſynodo generali, colatione 8. & in 6. ſynodo, actione 18. vbi dicitur: *Duæ namque naturæ concurrentes ad inſeparabilem vnitatem, vnum quidem Emanuel nobis perfecerunt: neque enim perſona aliquid eſt quam ipſæ naturæ*: & in ſymbolo Athanaſij dicitur: *Sicut anima rationalis, & caro vnus eſt homo ita Deus, & homo vnus eſt Chriſtus*, & Damaſcenus lib. 3. de fide cap. 18. fatetur duas naturas eſſe vnum Chriſtum, & vnum Chriſtum duas naturas, quoniam autem huiuſmodi propoſitiones prolatæ abſolute, & ſine aliquo addito denotant naturas ſummi diuiſim, ideo non ſunt concedendæ.

Ad fundamentum autem Durandi reſpondetur in quacunque compoſitione, etiam ſi ſit huius ad hoc, debere reſultare vnum quod ſit terminus illius, vt dictū eſt, & propterea, vel admiſſa maiori, & minori neganda eſt conſequentia: vel neganda eſt minor pro ſecunda parte, quatenus negatur in illa terminum compoſitionis incarnationis eſſe vnam perſonam compoſitam ex Verbo, & humanitate, aut *ex his*: ſatis enim eſt ad huiuſmodi compoſitionem, quod terminus illius extendat ſuum eſſe ad vtrumque extremum: ac proinde neque ex hoc quod per hanc vnionem reſultauit vna perſona compoſita, & diſtincta realiter à ſingulis componentibus; licet inferre in Chriſto reperiri duplicem perſonam: nam quamuis perſona Chriſti vt compoſita diſtinguatur realiter à perſona Verbi abſolute ſumpta, vt includens ab incluſo, eo quod includit humanitatem, quam non includit perſona Verbi ſecundum ſe, tamen hoc non obſtat quominus perſona Chriſti materialiter ſit eadem perſona Verbi.

Ad fundamentum Vincentij negãda eſt maior, quia nihil obſtat quominus idem ſit medium, & extremum alicuius cõpoſitionis, quantitas enim ſimul eſt mediū quo albedo vnitur corpori, & extremum proximum huius compoſiti *album*: ſicut enim eſt extenſa nedum vt quo, ſed etiã, vt quod, ita poteſt dici alba nõ ſolum, vt quo ſed etiam vt quod: maxime quando exiſtit ſeparata, & licet hoc deficeret in naturalibus, ſecus tamen in diuina, & increata perſona in qua concretum, & abſtractum ob ſummam eius ſimplicitatem, & infinitatem ſola ratione differunt: ac proinde eadem perſona Verbi, quæ eſt ſua perſonalitas poteſt vt perſonalitas eſſe medium vnionis, ſiue ratio terminandi humanitatē, & vt perſona poteſt ſimul eſſe extremum quod proxime illam terminat, & ſibi vnit.

Ex hucuſque dictis duo corollaria inferenda ſunt. Primum eſt quo pacto intelligendus ſit Diu. Thom. in 3. diſtinction. 6. quæſt. 2. artic. 6. & in 3. ad Annibaldum eadem diſtinctione quæſtion. 1. artic. 3. & in quęſtione diſputata de vnione Verbi incarnati artic. 1. ad 6. in quibus locis aſſerit Diu. Thom. in Chriſto non eſſe veram compoſitionem in ratione perſonæ, ſed tantum eſſe ibi vnam conditionem ex requiſitis ad compoſitionem quia ſcilicet eſſe diuinæ perſonæ pertinet ad vtranque naturam in qua perſona Verbi ſubſiſtit. Aut enim Diu. Thom. ſolum negauit in perſona Chriſti compoſitionem in ratione partium, ſecundum quam eſſe totius compoſiti cauſatur ex partibus, non tamen compoſitionem in ratione numeri, quam hic concedit: aut quod verius exiſtimo, & litteræ Diu. Thomæ conformius dicendum eſt illum in hoc articulo locutum fuiſſe magis iuxta doctrinam Concil. & ideò correxiſſe ſentētiam quam in illis locis docuerat exiſtimans de ratione cõpoſitionis eſſe imperfectionē partiū, & dependentię totius compoſiti ab illis, repugnantem perfectioni, & ſimplicitati perſonæ Verbi diuini.

Secundū eſt circa modum loquendi à Theologis ſeruandum in hac compoſitione, quod ſcilicet abſolute, & ſine addito concedi poſsit perſonam Chriſti eſſe compoſitam: quamuis enim Caiet. hic, §. ad 3. dub. dicat non debere concedi prædictam propoſitionem abſque addito ex parte

prædi-

prædicati tollente imperfectionem huius cōpoſitionis, ſcilicet perſonæ ſiue naturæ diuinæ, aut etiam ex parte ſubiecti ne videatur attribui compoſitio Chriſto ratione perſonæ diuinæ in ſe, cui ſubſcribunt Suarez diſputat. 7. ſect. 9. & Nazar. hic controuerſia vnica, concluſ. 5. Nihilominus quia ab eoquod res eſt, vel non eſt propoſitio dicitur vera, vel falſa, & in re Chriſtus verè ſit perſona compoſita, vt probatum eſt, ideo abſolute, & ſimpliciter concedi poteſt de Chriſto quod ſit perſona compoſita, eò vel maximè quod Concilia abſolute, & ſimpliciter docent perſonam Chriſti eſſe compoſitam ex duabus naturis: ac proinde neque opportet ponere additum ex parte prædicati, vt dicendo perſonam Chriſti eſſe compoſitam, cōpoſitione ineffabili, & ſecluſis imperfectionibus, &c. Quia iam ex communi vſu Eccleſiæ, & Patrum, huiuſmodi imperfectio ſubintelligitur remoueri ab hac compoſitione perſonæ Chriſti, maxime cū ratio veræ compoſitionis vt ſic ſaluètur abſque vlla imperfectione: neque ex parte ſubiecti, vt dicendo perſonam Chriſti, vt hominem eſſe cōpoſitam, quia ex appellatione prædicati determinatur ſubiectū adſtandū non pro ſolo materiali hui9 nominis Chriſtus quod eſt diuinum ſuppoſitum, ſed pro formali quod eſt ſuppoſitum Verbi, vt ſubſiſtens in duabus naturis, cui vt ſic attribuitur cōpoſitio ex modo ſignificādi prædictę propoſitionis: ſecus tamen dicendū eſt de iſta filius Dei eſt perſona compoſita, quæ conſultius neganda eſt, eoquod prædicatū ex modo ſignificandi attribuit ſuum formale ſignificatum ſupra formale ſubiecti, & fit ſenſus: filio Dei ſecundum quod talis eſt in ſe, ſiue ſecundum Deitatem conuenit compoſitio, qui ſenſus eſt hæreticus.

ARTIC. V.

Vtrùm ſit facta aliqua vnio animæ, & corporis in Chriſto?

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quod in Chriſto non fuerit vnio animæ & corporis. Ex vnione enim animæ, & corporis in nobis cauſatur perſona vel hypoſtaſis hominis. Si ergo anima & corpus fuerunt in Chriſto vnita, ſequitur quod fuerit ex vnione eorum aliqua hypoſtaſis conſtituta: non autem hypoſtaſis Verbi Dei, quæ eſt æterna. Ergo in Chriſto erit aliqua perſona vel hypoſtaſis præter hypoſtaſim Verbi: quod eſt contra prædicta*.

inf. q. 16. a. 1. c. et 4 cōt. c. 37. & 41. co. 2. & op. 3. c. 225.

a. 2. & 3. præced.

2 Præterea, ex vnione animæ & corporis conſtituitur natura humanæ ſpeciei. Damaſc. autem dicit in 3. lib. † quod in Domino Ieſu Chriſto non eſt communem ſpeciem accipere. Ergo in eo non eſt facta animæ & corporis vnio.

l. 3. ort. fi. c. 3. circa med.

3 Præterea, anima non coniungitur corpori, niſi vt viuificet ipſum. Sed corpus Chriſti poterat viuificari ab ipſo Verbo Dei, quod eſt fons, & principium vitæ. Ergo in Chriſto non fuit vnio animæ, & corporis.

Sed contra eſt, quod corpus non dicitur animatum niſi ex vnione animæ. Sed Corpus Chriſti dicitur animatum: ſecundum illud, quod

quod Eccleſia * cantat, animatũ corpus ſumens, de Virgine naſci dignatus eſt. Ergo in Chriſto fuit vnio animæ, & corporis.

** in feſto circũc. Domini in laudibus.*

3.d.2.q 1 a.3.q.3.e d.7.q.1.a 1.co.prin. Reſpondeo dicendum, quod Chriſtus dicitur homo vniuoce cum alijs hominibus, vtpote eiuſdem ſpeciei exiſtens ſecundum illud Apoſtoli Philippenſ. 2. In ſimilitudinem hominum factus. Pertinet autem ad rationem ſpeciei humanæ, quod anima corpori vniatur: non enim forma conſtituit ſpeciem, niſi per hoc, quod ſit actus materiæ. Et hoc eſt, ad quod generatio terminatur, per quam natura ſpeciem intendit. Vnde neceſſe eſt dicere, quod in Chriſto fuerit anima corpori vnita, & cõtrarium eſt hæreticum: vtpote derogans veritati humanitatis Chriſti.

Ad primum ergo dicendum, quod ex hac ratione moti videntur illi, qui negauerũt vnionem animæ, & corporis in Chriſto: ne per hoc ſcilicet cogerentur perſonam nouã, vel hypoſtaſim in Chriſto inducere: quia videbant, quod in puris hominibus ex vnione animæ ad corpus conſtituitur perſona. Sed hoc ideo in puris hominibus accidit: quia anima & corpus ſic in eis coniunguntur, vt per ſe exiſtant. Sed in Chriſto vniuntur ad inuicem, vt adiuncta alteri principaliori, quod ſubſiſtit in natura ex eis compoſita: & propter hoc ex vnione animæ, & corporis in Chriſto non conſtituitur noua hypoſtaſis, ſeu perſona, ſed aduenit ipſum coniunctum perſonæ, ſeu hypoſtaſi præexiſtenti. Nec propter hoc ſequitur, quod ſit minoris efficaciæ vnio animę, & corporis in Chriſto, quam in nobis: quia ipſa coniunctio ad nobilius non adimit virtutẽ, aut dignitatem, ſed auget. Sicut anima ſenſitiua in animalibus conſtituit ſpeciem, quia conſideratur vt vltima forma: non autem in hominibus, quamuis in nobis ſit virtuoſior, & nobilior, & hoc propter adiunctionem vlterioris, & nobilioris perfectionis, ſcilicet animæ rationalis, vt etiam ſupradictum eſt †. *† a.2 huius q.ad 2.*

Ad ſecundum dicendum, quod verbum Damaſceni †, poteſt intelligi dupliciter. *† Citatum in arg.* Vno modo, vt referatur ad humanam naturam: quæ quidem non habet rationem cõmunis ſpeciei, ſecundum quod eſt in vno ſolo indiuiduo: ſed ſecundum quod eſt abſtracta ab omni indiuiduo prout in nuda contemplatione conſideratur: vel ſecundum quod eſt in omnibus indiuiduis. Filius autem Dei non aſſumpſit humanam naturam, prout eſt in ſola conſideratione intellectus, quia ſic non aſſumpſiſſet ipſam rem humanæ naturæ: niſi forte diceretur, quod humana natura eſt quædam idea ſeparata, ſicut Platonici * poſuerunt hominem ſine materia. *vt pat. in Ariſt. 1. metæ. 6. et 25. per multum text.* Sed tunc Filius Dei non aſſumpſiſſet carnem: contra illud quod dicitur Luc. vltim. Spiritus, carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Similiter etiam non poteſt dici quod Filius Dei aſſumpſerit humanam naturam, prout eſt in omnibus indiuiduis eiuſdem ſpeciei: quia ſic omnes homines aſſumpſiſſet. Relinquitur ergo, vt Damaſcenus * poſtea dicit in eodem libro, *l. 3. c. 11.* quod aſſumpſerit naturam humanam in atomo, ideſt, in indiuiduo: non quidem in alio indiuiduo, quod ſit ſuppoſitum, vel hyppoſtaſis illius naturæ, quam in perſona Filij Dei. Alio modo poteſt intelligi dictum Damaſceni †, *l. 3. ca. 11.* vt non referatur ad naturam humanam, quaſi ex vnione animæ, & corporis non reſultet vna communis natura, quæ eſt humana: ſed eſt referendum ad vnionem duarum naturarum, diuinæ ſcilicet, & humanę, ex quibus non componitur aliquid

quid

quid tertium quod ſit quædam natura communis: quia ſic illud eſſet natũ prædicari de pluribus*: & hoc ibi intendit. Vnde ſubdit, neque enim generatus eſt, neque vnquam generabitur alius Chriſtus, ex deitate & humanitate, in deitate & humanitate Deus perfectus, idem & homo perfectus.

l. 3. c. 3. in med.

Ad tertium dicendum, quôd duplex eſt principium vitæ corporalis. Vnum quidem effectiuum: & hoc modo Verbum Dei eſt principiũ omnis vitæ. Alio modo eſt aliquid principium vitæ formaliter. Cum enim viuere, viuentibus ſit eſſe (vt dicit Philoſoph. 2. de anima*) ſicut vnumquodque formaliter eſt per formam ſuam: ita corpus viuit per animam. Et hoc modo non ponitur corpus viuere per verbum, quod non poteſt eſſe corporis forma.

l. 2. te. 37. tom. 2.

10 CONCLVSSIO eſt affirmatiua, & certa, ſecundum fidem, quam probat Diu. Thom. in hoc articulo, ex eoquod Chriſtus eſt vniuocè homo, cum alijs hominibus, quæ propoſitio de fide cõſtat ex omnibus illis teſtimonijs Scripturæ, in quibus ſignificatur Chriſtum eſſe verum hominem; ſed niſi animam rationalẽ haberet vnitam corpori vnione ſubſtantiali, non eſſet homo vniuoce cum alijs, eo quod non eſſet eiuſdem naturæ; cum natura humana ex anima rationali, & corpore vnitis cõſtet, & in 3. diſtin. 6. q. 3. artic. 1. probat illam ex eoquod vnio animę ad carnem conſtituit veram rationem hominis, & omnium partium eius: vnde remota anima neque dicitur homo, nec oculus, nec caro, niſi æquiuocè ſicut homo pictus ergo ſi tolatur vnio animæ Chriſti ad eius carnem, ſequitur quod nõ ſit verus homo, & quod eius caro non ſit vera: quæ opinio eſt hæretica, & fuit damnata in Concilio Epheſin. ſub Cæleſtino primo, notat autẽ ibi D. Th. quod Auctores huius opinionis ex eodem prio ocaſionem ſumpſerunt ſuæ aſſertionis, ex quo alij ſectarij ſumpſerant etiam occaſionem àſſerendi Verbum diuinum aſſumpſiſſe hominem quia nimirum dicebant omne compoſitum ex anima rationali, & corpore habere rationem hominis, & ideo ne illi cogerentur aſſerere Verbum aſſumpſiſſe hominem, ſed ſolam naturam poſuerunt animam & corpus aſſumpta fuiſſe nõ vnita: ſed vtrumque errorem vitat Catholica ſententia quæ ponit animam, & corpus aſſumpta fuiſſe vnita, & non hominem, ſed ſolam humanam naturam ex illis conſtitutam aſſumptam fuiſſe à Verbo.

ART. VI.

Vtrùm natura humana fuerit vnita Verbo Dei accidentaliter?

AD ſextum ſic proceditur. Videtur, quod humana natura fuerit vnita Verbo Dei accidentaliter. Dicit enim Apoſt. Philippenſ 2. de Filio Dei, quod habitu inuentus eſt vt homo. Sed habitus accidentaliter aduenit ei, cuius eſt: ſiue accipiatur habitus, prout eſt vnũ de decem prædicamentis, ſiue prout eſt ſpecies qualitatis. Ergo humana natura accidentaliter vnita eſt filio Dei.

1. q. 17. a. 1. c. et 3. d. 6. q. 3. a. 2. & 4. con. c. 37. 41. et 49. Et vnio a. 1. cont. et 13. & op. 3. c. 215. Et Phil. 2. col. 5.

2 Præterea, omne quod aduenit alicui poſt eſſe completum, aduenit ei accidentaliter: hoc enim dicimus accidens, quod poteſt & adeſſe, & abeſſe alicui præter ſubiecti corruptionem. Sed natura humana aduenit ex tempore Filio Dei, habenti eſſe perfectum ab æterno. Ergo aduenit ei accidentaliter.

3 Præ-

3 Præterea, quicquid non pertinet ad naturam ſeu eſſentiam alicuius rei, eſt accidens eius: quia omne quod eſt, aut eſt ſubſtantia, aut accidens. Sed humana natura non pertinet ad eſſentiam, vel naturam diuinam Filij Dei: quia non eſt facta vnio in natura, vt ſupra dictum eſt †. Ergo opportet quod natura humana accidentaliter Filio Dei aduenerit.

art. 1. huius. q.

4 Præterea, inſtrumentum accidentaliter aduenit. Sed humana natura in Chriſto fuit diuinitatis inſtrumentum. Dicit enim Damaſc. * in 3. lib. quod caro Chriſti inſtrumentum diuinitatis exiſtit. Ergo videtur quod humana natura fuerit Filio Dei vnita accidentaliter.

l. 3. ort. fidei. c. 15. poſt med.

Sed contra eſt, quod illud, quod accidentaliter prædicatur, non prædicat quid, ſed quantum vel quale, vel aliquo alio modo ſe habẽs. Si ergo humana accidentaliter aduenirет: cum dicitur, Chriſtus eſt homo, non prædicaretur quid: ſed quale, aut quantum, aut aliquo alio modo ſe habens. Quod eſt contra decretalem Alexand. Papæ dicentis: cum Chriſtus ſit perfectus Deus, & perfectus homo, qua temeritate audent quidam dicere, quod Chriſtus ſecundum quod eſt homo, non eſt quid?

Reſpondeo dicendum, quod ad huius quæſtionis euidentiam ſciẽdum eſt, quod circa myſterium vnionis duarum naturarum in Chriſto, duplex hæreſis inſurrexit. Vna quidem confundentium naturas: ſicut Eutychetis, & Dioſcori, qui poſuerunt quod ex duabus naturis eſt conſtituta vna natura: ita quod confitentur Chriſtum eſſe ex duabus naturis, quaſi ante vnionem diſtinctis: non autem in duabus naturis, quaſi poſt vnionem naturarum diſtinctione ceſſante.

Alia vero fuit hæreſis Neſtori, & Theodorij Mopſueſteni, ſeparantium perſonas. Poſuerunt enim aliam eſſe perſonam Filij Dei, & filij hominis, quas dicebant ſibi inuicem eſſe vnitas. Primo quidem ſecundum inhabitationem, in quantum ſcilicet Verbum Dei habitauit in illo homine ſicut in templo. Secundo per vnitatem affectus, in quantum ſcilicet voluntas illius hominis eſt ſemper conformis voluntati Verbi Dei. Tertio ſecundum operationem, prout ſcilicet dicebant hominem illum eſſe Verbi Dei inſtrumentum. Quarto ſecundum dignitatem honoris, prout omnis honor, qui exhibetur Filio Dei, coexhibetur filio hominis propter coniunctionem ad filium Dei. Quinto ſecundum æquiuocationem, id eſt communicationem nominum: prout ſcilicet dicimus illum hominem eſſe Deum, & filium Dei. Manifeſtum eſt autem iſtos omnes modos accidentalem vnionem importare. Quidam autem poſteriores magiſtri putantes ſe has hæreſes declinare, in eas per ignorantiam inciderunt. Quidam enim eorum conceſſerunt vnam Chriſti perſonam, ſed poſuerunt duas hypoſtaſes ſiue duo ſuppoſita: dicentes hominem quendam cõpoſitum ex corpore & anima â principio ſuæ conceptionis, eſſe aſſumptum â Dei Verbo. Et hæc eſt prima opinio, quam Magiſter ponit in ſexta diſtinct. tertij libri ſententiarũ. Alij vero volentes ſeruare vnitatem perſonæ, poſuerunt Chriſti animam non eſſe corpori vnitã: ſed hæc duo ſeparata ab inuicem, eſſe vnita verbo accidentaliter, vt ſic non creſceret numerus perſonarum. Et hæc eſt tertia opinio, quam Magiſter ibidem * ponit. Vtraque autem harum opinionum incidit in hæreſim Neſtorij. Prima quidem, quia idem eſt ponere duas hypoſtaſes, vel duo ſuppoſita

d. 6. § 2. li. 3. ſent.

in lit. di. 1. &c.

in

Digitized by Google

in Chriſto, quod ponere duas perſonas: vt ſupradictum eſt *. Et ſi fiat vis in nomine perſonæ, conſiderandum eſt, quod etiam Neſtorius vtebatur vnitate perſonæ propter vnitatem dignitatis & honoris. Vnde etiam quinta ſynodus definit anathema eum †, qui dicit vnam perſonam ſecundum dignitatem, & honorem & adorationem; ſicut Theodorus, & Neſtorius inſanientes conſcripſerunt. Alia vero opinio incidit in errorem Neſtorij, quantum ad hoc, quod poſuit vnionem accidẽtalem Non enim differt dicere, quod Verbum Dei vnitum eſt homini Chriſto ſecundum inhabitationem, ſicut in templo ſuo (ſicut dicebat Neſtorius); & dicere, quod vnitum fuit Verbum Dei homini ſecundum indutionem, ſicut veſtimento: ſicut dicit tertia opinio, quæ etiam peius dicit aliquid, quam Neſtorius, ſcilicet quod anima & corpus non ſunt vnita. Fides autem Catholica medium inter prædictas poſitiones tenens, non dicit vnionem factam Dei & hominis ſecundum eſſentiam vel naturam, neque etiam ſecundum accidens: ſed medio modo ſecundum ſubſiſtentiam, ſeu hypoſtaſim. Vnde in quinta ſynodo * dicitur. Cum multis modis vnitas intelligatur, qui iniquitatem Apollinarij, & Eutychetis ſequũtur interemptionem eorum quæ conuenerunt colentes (ideſt interimentes) vtramque naturam, vnionem ſecundum confuſionem dicunt: Theodori autem & Neſtorij ſequaces, diuiſione gaudentes, affectualem vnitatem introducunt. Sancta vero Dei Eccleſia, vtriuſque perfidiæ impietatem reijciens, vnionem Verbi Dei ad carnem ſecundum compoſitionem confitetur: quod eſt ſecundum ſubſiſtentiam. Sic ergo patet, quod ſecunda trium opinionum,

art. 3. huius q.

habetur in ſynodo 2. Conſtantin can. 4.

habetur in cõc. 2 Cõſt. can. 4.

quas Magiſter † ponit, quæ aſſerit vnam hypoſtaſim Dei & hominis, non eſt dicenda opinio, ſed ſententia Catholicæ Fidei: ſimiliter etiam prima opinio, quæ ponit duas hypoſtaſes, & tertia, quæ ponit vnionem accidentalem, non ſunt dicendæ opiniones, ſed Hæreſes in Concilijs ab Eccleſia damnatæ.

lib. 3. ſent. d. 6.

Ad primum ergo dicendum, quod ſicut Damaſc. † dicit in 3. lib. non neceſſe eſt omnifariam, & indefectiue aſsimilari exempla. Quod enim eſt in omnibus ſimile, idem vtique erit, & non exemplum, & maxime in diuinis: impoſsibile enim eſt ſimile exemplum inuenire in omnibus; & in Theologia, ideſt in deitate perſonarum; & in diſpenſatione, ideſt in myſterio incarnationis. Humana ergo natura in Chriſto aſsimilatur habitui, ideſt veſtimento, non quidem quantum ad accidentalem vnionem: ſed quãtum ad hoc, quod Verbum videtur per humanam naturam ſicut homo per veſtimẽtum. Et etiam quantum ad hoc, quod veſtimentum mutatur: quia ſcilicet formatur ſecundum figuram eius, qui induit ipſum, qui à ſua forma nõ mutatur propter veſtimentum. Et ſimiliter humana natura aſſumpta à Verbo Dei eſt meliorata: ipſum autẽ Verbum Dei non eſt mutatum, vt Aug. exponit in lib † 83. quæſt.

l. 3. ort. fid. c. 25. in fi.

l. 83. q. q. 73. non lõge à fi. t. 4.

Ad ſecundũ dicendũ, quod illud quod aduenit poſt eſſe completum, accidentaliter aduenit, niſi trahatur in cõmunionem illius eſſe cõpleti. Sicut in reſurrectione corpus adueniet animæ præexiſtenti: nõ tamẽ accidẽtaliter, quia ad idem eſſe aſſumetur, vt ſcilicet corpus habeat eſſe vitale per animam. Non eſt autem ſic de albedine: quia aliud eſt eſſe albi, & aliud eſt eſſe hominis, cui aduenit albedo. Verbum autem Dei ab æterno, eſſe comple-

tum habuit ſecundum hypoſtaſim ſiue perſonam: ex tempore autem aduenit ei natura humana non quaſi aſſumpta ad vnum eſſe, prout eſt naturæ, ſicut corpus aſſumitur ad eſſe animæ: ſed ad vnum eſſe, prout eſt hypoſtaſis vel perſonæ. Et ideo humana natura non vnitur accidentaliter filio Dei.

Ad tertium dicendum, quod accidens diuiditur contra ſubſtantiam. Subſtantia autem (vt patet 5. metaph. *) dupliciter dicitur. Vno modo pro eſſentia ſiue natura: alio modo pro ſuppoſito ſiue hypoſtaſi. Vnde ſufficit ad hoc, quod non ſit vnio accidẽtalis, quod ſit facta vnio ſecundum hypoſtaſim, licet non ſit facta vnio ſecundum naturam.

lib. 5. met. te. 15. t. 3

Ad quartum dicendum, quod non omne quod aſſumitur vt inſtrumentum, pertinet ad hypoſtaſim aſſumentis, ſicut patet de ſecuri, & gladio. Nihil tamen prohibet, illud quod aſſumitur ad vnitatem hypoſtaſis, ſe habere vt inſtrumentum: ſicut corpus hominis vel membra eius. Neſtorius ergo poſuit, quod natura humana eſt aſſumpta à Verbo ſolum per modum inſtrumenti; non autem ad vnitatem hypoſtaſis. Et ideo non concedebat, quod homo ille verè eſſet filius Dei: ſed inſtrumentum eius. Vnde Cyrillus dicit in epiſt ad Monachos AEgypti, hunc Emanuelem, ideſt Chriſtum, non tanquam inſtrumenti officio aſſumptum dicit Scriptura: ſed tanquã Deum verè humanum, ideſt, hominem factum. Damaſcenus * autẽ poſuit, naturam humanam in Chriſto eſſe, ſicut inſtrumentum ad vnitatem hypoſtaſis pertinens.

l. 3. or. fid. c. 15. ãme dio.

* * *

CONCLVSIO eſt vnio humanitatis ad Verbum diuinũ non eſt facta ſecundum eſſentiam, aut naturam, nec ſecundũ accidens, ſed ſecundum ſubſtantiã, ſeu hypoſtaſim, quibus verbis denotat D. Th. hãc vnionem non fuiſſe accidentalẽ, ſed ſubſtantialem, vt ſic eius terminum exactius explicatum relinqueret, cum enim terminus cuiuslibet vnionis ſit aliquid vnum, & de termino huius vnionis, docuiſſet in articulis præcedentibus nõ eſſe vnũ in natura, ſed in perſona quatenus eſt vna perſona compoſita ex duabus naturis, vnam autem perſonam, & ex concurſu duarum naturarum ſtare poteſt dupliciter, vel accidentaliter, vel ſubſtantialiter ſecundum quod aliqua natura, ſiue forma poteſt vniri alicui in ſuppoſito, ſiue perſona, aut accidentaliter, qualis eſt vnio quantitatis, ſiue albedinis in ſuppoſito ſubſtantiæ, aut ſubſtantialiter, qualis eſt vnio humanæ naturæ cum propria perſonalitate, ideò D. Thom. in hoc art. in controuerſiam vocat, an ſuppoſito quod vnitas perſonæ Chriſti ſit non ſecundum vnionem in natura, ſed in perſona, fuerit accidentalis, vel ſubſtantialis, & determinat illam fuiſſe non primo, ſed ſecundo modo, quæ controuerſia non eſt cum Hæreticis, ponentibus in Chriſto duas perſonas, ſiue hypoſtaſes: & communiter affirmantibus vnionem Incarnationis non fuiſſet factam in perſona, ſiue hypoſtaſi, contra quos iam egerat Diu. Thom. in articulis præcedentibus: certum enim eſt hos aſſerere hanc vnionem fuiſſe accidentalem. Sed cum Catholicis duntaxat admittentibus hanc vnionem fuiſſe factam non in natura, ſed in perſona, & in hoc ſenſu ad concluſionis Diu. Thom. explicationem.

ART.

Dubitatur. An ſuppoſitis his duobus quod vnio Incarnationis fuerit facta non ſecūdum eſſentiam, aut naturam, ſed ſecundum perſonam, ſtare aut defendi poſsit illam eſſe accidentalem?

11 IN quo dubio Catholici diuidūtur in tres ſententias. Prima eſt Durandi in 3.d.6.q.4. aſſerentis abſolute, & ſimpliciter hanc vnionem eſſe accidentalem, & humanitatem vnitam fuiſſe Verbo Dei accidentaliter, & in eandem inclinat Palud.ibid. q.1.art.2.& Bonauent.q.3, Fundamentum Durandi eſt, quia licet natura humana in ſe ſit ſubſtātialis, & vnita fuerit Verbo diuino, ſine inhærentia coincidendo in idem ſuppoſitum tamen aduenit enti in actu habenti eſſe perfectū, & cōpletū ab æterno: ſed quidquid aduenit enti in actu, completo, & perfecto, aduenit ei accidētaliter, vt colligitur ex Philoſoph. 1.phyſico cap.8. ergo humanitas vnita fuit Verbo diuino accidentaliter quod amplius poteſt confirmari dupliciter.

Primo ex teſtimonio Pauli ad Philippenſ. 3. quia de Chriſto loquēs ait, *habitu inuentus vt homo*, ſed veſtis per quā intelligitur humanitas aſſumpta, aduenit accidentaliter: ergo, & humanitas.

Secundo, nam nulla ratione Theologica efficaciter probari poteſt humanitatem fuiſſe vnitam Verbo diuino ſubſtātialiter: ſi enim aliqua, ea eſſet ratio Diu. Thomæ in art. quia nimirum vnitur ei ſecundum ſubſiſtentiam: at bene poteſt aliqua forma vniri in perſona, vel ſubſiſtentia quin ſit ſubſtantialis: ergo. Min. hæc patet dupliciter. Tum quia Verbum diuinum poteſt immediate aſſumere accidentia ſeparata à ſubſtantia creata, vt q.4. ſequenti art. 1. dicemus, ſed hæc vnio non eſſet ſubſtantialis, ſed accidentalis: ergo. Tum etiam quia accidentia humanitatis Chriſti vnita ſunt Verbo diuino, & non aliter quam in perſona ſiquidē non ſunt illi vnita in natura, & tamē nō ſunt vnita illi ſubſtantialiter, ſed accidentaliter, ſiquidē non prædicantur de Chriſto tanquā ſubſtantia, aut in eo quod quid: ergo non omne quod vnitur alicui in perſona, vnitur ei ſubſtialiter.

Secunda ſententia eſt Scoti in 3, d.7.q.1.§. *vidēdū eſt*, aſſerentis quod licet hæc vnio abſolute ſit ſubſtantialis, & nullatenus appellāda ſit abſolute, & ſine addito accidentalis ne videamur conſentire cum Hæreticis, qui hoc modo loquendi vtuntur ad ſignificandum illam non fuiſſe factā in perſona, ſiue hypoſtaſi, tamē aliquo modo poteſt dici accidentalis, accidētis quinti prædicabilis: cui ſententiæ ſubſcribunt Medina, hic concluſione 3, & alij recencior. in quam etiam inclinat Palatius in 3.d.3.q.5. quatenus aſſerit hāc vnionem eminenter eſſe ſubſtantialem, atque accidentalem, quorum fundamentum eſt quia humanitas ita eſt vnita Verbo diuino, vt antecedenter ad vnionem poſſet non vniri, & poſtquam eſt vnita poſsit ſeparari abſque Verbi diuini diſtructione: ergo eſt vnita accidentaliter: antecedens eſt notum, & conſequentia patet quia vt diffinit Porf. in prædicabilibus, cap. de accidenti, accidens dicitur illud quod poteſt adeſſe, & abeſſe ſubiecto præter ſubiectij corruptionem. Quod amplius poteſt confirmari ex eo quod alioquin hæc vnio dicenda eſſet naturalis, & eſſentialis & humanitas prædicaretur naturaliter, & eſſentialiter de Verbo diuino, idem enim eſt aliquid vniri ſubiecto ſubſtantialiter, & non accidentaliter, atque vniri ei tanquam pertinens ad eius naturam, & eſſentiam conſequens tamen non eſſe admittendum, patet quia hoc modo loquendi faueremus Eutichianis aſſerentibus hanc vnionem fuiſſe factam in eſſentia, ſiue natura: ergo.

Tertia, & communis ſententia tenet hāc vnionē eſſe omnino ſubſtātialem, & nullaten⁹ accidētalē, ita D.Th. & Cai. in hoc a. Suar. diſ.7.ſect.1, Vazq. diſ.17.c. 2. Lorca diſp, 14. Belarmin. to.1.lib.3. de incarnat. Aluarez, Siluius, & Nazarius in expoſit. articul. & quia hæc eſt vera, & catholica ſententia, pro eius declaratione.

Vnionē hāc eſſe ſubſtā tialem abſtruit verior ſētētia

12 Dico primo. Neq; humanitas eſt vnita Verbo diuino per modū accidētis prędicamētalis, neque eius vnio appellanda eſt in eodem ſenſu accidentalis. Hæc

concluſio ſtatuitur aduerſus auctores primæ ſententiæ tanquã certa ſecundũ fidẽ.

Et pro prima parte probatur ex teſtimonijs Conciliorum in quibus diffinitur humanitatem vnitã eſſe Verbo Dei ſecũdũ ſubſtantiam, ideſt ſubſtantialiter, vt in Epheſ. cap, 2. dicitur anathema in confitentibus vnitum eſſe Dei Patris Verbum carnis ſecundum ſubſtantiam, & idẽ habetur in Concil. Calced. action. 1. & in Concil. Conſtantinopol. 5. action. 8. dicitur hanc vnionem factam eſſe ſecundum hypoſtaſim, quod idem ſignificat atque ſecundum ſubſtantiam, & in Concil. Lateran. ſub Martino primo, conſultatione 5. diffinitur Chriſtum ex duabus, & in duabus exiſtere naturis, ſubſtantialiter vnitis, & can. 1. damnatur qui non cõfitetur Chriſtum conſubſtantialem eſſe homini, & matri ſecundum humanitatem; & canon. 8. vnitio duarum naturarum in Chriſto appellatur ſubſtantialis, ſed implicat eandem rem reſpectu eiuſdem vniri ſubſtantialiter, & accidentaliter: ergo cũ concilia diffiniant humanitatem eſſe vnitam Verbo diuino ſubſtantialiter, ſimul diffiniunt illam non fuiſſe vnitam accidẽtaliter. Neque valet dicere in his Cõcilijs non damnari ſententiam Durand. eoquod ipſe fateatur hanc vnionem factam eſſe ſecundum hypoſtaſim, & nihil amplius definiant prædicta Concilia: propter duo. Tum quia licet Durandus non cõtradicat Concilijs in eoquod aſſerit hanc vnionẽ factã eſſe ſecundũ hypoſtaſim cõtradicit tamen illis in eoquod aſſerit eſſe vnionẽ non ſubſtantialem, ſed accidentalem, nã in prædictis teſtimonijs Conciliorũ vtrũque habetur, & quod hæc vnio ſit facta ſecundum ſubſiſtentiam, & quod ſit ſubſtãtialis imò quod hæc ſit communis ſententia Patrum, vnde in can. 8. citat. Concilij Lateranenſ. ſub Martino 1. dicitur, ſi quis ſecundum S. Patres non confitetur propriè, & ſecundũ veritatẽ naturarum ſubſtantialem vnionem anathema ſit. Tum etiam quia licet Durand. in re non diſſentiat à ſententia Catholica, vtitur tamen Verbis deſtruentibus illam ex modo loquendi, & aſtruẽtibus errorem Neſtorij: idem enim eſt dicere hanc vnionẽ eſſe accidentalem, atque negare illam eſſe factam ſecum hypoſtaſim: ergo.

Secundo probatur, ex c. *cum Chriſtus*, de hæreticis, lib. 5. decretalium, quod deſumptum eſt ex epiſt. Alexand. tert. ad Archiepiſcopum Remen. quæ refertur in Concilio Later. ſub eodem Alex. p. 49. c. 20. vbi Pontifex diffinit Chriſtum ſecundum quod eſt homo eſſe aliquid, ideſt eſſe quid ſubſtantiale, vt diſtinguitur contra aliquale, ſiue contra concretum accidẽtale: ergo Chriſtus quantum ad vnionem humanitatis cũ perſona Verbi eſt aliquid ſubſtantiale, ac proinde humanitas eſt vnita Verbo per modum ſubſtantiæ, & nõ per modum accidentis: ſed ad hoc argumẽtum reſpondent aduerſarij illam vocem aliquid non ſumi, vt opponitur contra aliquale, ſed vt opponitur contra nihil, vel contra ens ſecundũ apparentiã cuius duplex ſignum eſt: tum quia in illa decretali ſolũ damnatur error quorundã Hæreticorum ex Stirpe Manichei aſſerentiũ Chriſtum non eſſe verum, ſed apparentẽ hominẽ, ac proinde in ratione hominis eſſe nihil, vel ens ſecundũ apparẽtiã dumtaxat. Tũ etiã, quia Pontifex hãc rationẽ aſsignat ſuæ diffinitionis, nimirum quod ſicut Chriſtus verus eſt Deus, ita verus eſt homo, ex qua ratione ſequitur manifeſte errorẽ in illa decretali damnatũ fuiſſe quod Chriſtus non eſſet verus homo, & ideo ſecundum quod eſt homo diceretur nihil. Sed hæc ſolutio eſt inſufficiens propter duo: tũ quia Pontifex in illa decretali cõdiſtinguit hęc duo, nimirũ quod Chriſtus ſit verus homo, & quod Chriſtus ſecundũ quod eſt homo ſit aliquid, & primũ aſsignat verũ, & cauſam ſecundi: ergo per eſſe aliquid in ratione hominis nõ intellexit præciſſe, eſſe verũ, ſiue non apparẽtẽ hominẽ, ſed aliquid aliud. Tum etiã quia Doctores communiter ex hac decretali colligũt Chriſtũ non eſſe hominẽ ſecundum habitũ, ſicut diceretur veſtitus, ſed ſecũdũ ſubſtantiã, ut videre eſt in Abbate, & Ioãne Andræa: cuius expoſitionẽ ſuper dicto cap, *cũ Chriſtus*, referens Franciſc. à Peña 2. p. directorij pag. 180, ait dãnari in illo errorẽ relatũ à Magiſt. in 3. d. 6. quorũdã Hæreticorũ Pariſienſiũ, & Remenſium, qui dicebant Verbũ diuinũ aſſumpſiſſe humanitatẽ, vt habitũ, ratione cuius proinde potius erat in prædicamẽto habitus, quã ſubſtantiæ. Ex quo patet quã immerito Suar. & Vazq. attribuunt huic auctori quod dixerit argumentũ huius decretalis ſolũ eſſe dãnare antiquatum errorẽ Manichæorũ denuo à prædictis Pariſiẽſib⁹, & Remenſibus ſuſcitatum: cùm plane oppoſitum dicat referendo Ioannis Andreæ expo-

expoſitionem, necnon Diu. Thom. in argument. *ſed contra*, huius articuli hanc decretalem adducit in eodem ſenſu ad probandum humanitatem fuiſſe vnitam Verbo diuino ſubſtantialiter, & Chriſtum eſſe quid vnum ſubſtantiale: ergo.

13 Neque obſtat fundamentum adductum pro prima expoſitione, quia neque error damnatus in illa decretali erat antiquus manicheorum negantium Chriſtum eſſe verum hominem: neque enim fas eſt credere nouos Doctores in tã antiquatum errorem incidiſſe, ſed fuit alius nouus eorũm qui temporibus Alexãdri tertij dixerunt hominem prædicari de Chriſto in quale, & non in quid, & humanitatem fuiſſe illi vnitam extrinſece duntaxat ad inſtar indumenti. Neque ex eo quod Chriſtus ſit verus homo colligitur ſolum quod ſit aliquid verum, vt diſtinguitur contra ens apparens, ſed etiã quod ſit aliquid ſubſtantiale, vt diſtinguitur cõtra accidentale: ſicut colligitur de Petro ex eo quod ſit verus homo, quia eſſe verũ hominem eſt prædicatum ſubſtantiale.

Tertio probatur: ratione Theologica: nam ſi eſſet vnio accidentalis, vel eſſet quia eſt vnio accidentis, vel quia eſt vnio ſubſtantiæ coniunctæ modo accidẽtali, ſicut veſtimentum accidentaliter adiacet homini veſtito, & ſubſtantia argenti, accidentaliter vnitur figuræ vaſis: ſed humanitas Chriſti, neque eſt accidens, cum ſit natura ſubſtantialis, neque vnitur Verbo diuino modo accidentali: vtpote quia conſtituit ipſum in aliquo eſſe ſubſtantiali, ſcilicet in eſſe hominis ratione cuius Chriſtus collocatur in prædicamento ſubſtantiæ, vt indiuiduum illius: ergo.

14 Dico ſecundo. Humanitas non eſt vnita Verbo Dei per modum accidẽtis quinti prædicabilis, neque eius vnio in hoc ſenſu appellanda eſt accidentalis. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Auctores ſecundæ ſententiæ.

Et probatur primo, ex teſtimonijs aductis pro prçcedẽti cõcluſione, quæ nõ magis ſignificant hanc vnionem, non eſſe accidentalem per modum accidentis aduenientis Verbo diuino cõſtituto in actu completo, quam per modum accidentis 5. prædicabilis, quod poteſt abeſſe, & adeſſe Verbo diuino, abſque eius deſtructione: ergo non minus eſt contra prædicta teſtimonia ſecunda ſẽtẽtia quàm prima.

Secundo probatur, quia numquam aliquod prædicatum prædicatur per modum accidentis quinti prædicabilis de ſubiecto: niſi aut verè ſit accidens, vt in hac prædicatione homo eſt albus, aut niſi prædicetur denominatiuè, vt in iſta, vas eſt aureum, vel lapideum: ſed humanitas, nec eſt verum accidens, neque prædicatur de Verbo diuino denominatiuè, ſed potius prædicatur de illo in concreto ſubſtantialiter, vt in quid vt patet in hac Verbum diuinum eſt homo, quæ non eſt minus formalis, & eſſentialis, quam iſta Petrus eſt homo, vtraque enim eſt, in quid & ſpeciei ſecũdi prædicabilis de indiuiduo: ergo non eſt accidentis quinti prędicabilis. Hæc quidem, Chriſtus eſt homo, eſt ſpeciei de indiuiduo: hæc vero *Verbum abſolutè eſt homo*, eſt ſubſtantialis, & hypoſtatica, & reductiuè eſt ſpeciei indiuiduo.

Tertio probatur, nam accidens quinti prædicabilis, licet ſecundum rem poſsit eſſe ſubſtantia, nunquam tamen vnitur alteri extremo ſubſtantialiter, & ſecundum ſubſiſtentiam, neque pertinet ad eſſe ſubſtantiale hypoſtaticum illius, neque per illud reſpondetur ad quæſtionem *quid* de ſubiecto, ſed ad quæſtionem *quantum*, vel *quale*, *&c.* Sed humanitas vnitur Verbo Dei ſubſtantialiter, & ſecundum ſubſiſtentiam, pertinetque ad eſſe hypoſtaticum illius, & ad quæſtionem *quid* ſit Verbum reſpondetur optime quod eſt homo: ergo ſicut realis vnio humanitatis ad Verbum non eſt accidentalis ſecundum eſſe, ita neque vnio, ſeu habitudo prædicationis, & Logica, qua humanitas vnitur Verbo diuino, vt prædicatum, poteſt eſſe accidentalis quinti prædicabilis.

15 His ſuppoſitis reſpondetur ad fundamentum primæ ſententiæ diſtinguendo minorem: duobus modis quibus illam diſtinguit Diu. Thom. nam hic ad ſecundum dicit illam eſſe veram quando id quod aduenit enti completo non trahitur in cõmunionẽ eiuſdẽ eſſe entis completi quo pacto in reſurrectione corpus aduenit animæ præexiſtenti non quidem accidentaliter, ſed ſubſtantialiter, quia aſſumitur ad idem eſſe, vt ſcilicet habeat eſſe vitale per animam, & quia humanitas

Digitized by Google

Chriſti aſſumpta eſt ad vnum eſſe cũ Verbo non quidem eſſentiæ, aut naturæ ſicut aſſumitur corpus ad eſſe animæ in exemplo allato, ſed ad vnum eſſe hypoſtaſis, ſiue perſonæ quatenus aſſumpta eſt ad ſubſiſtendum per ipſam Verbi ſubſiſtẽtiam, ideo non eſt vnita accidentaliter, ſed ſubſtantialiter: vnde in merito hoc exemplũ Diu. Thomæ reijcit Belarminus vbi ſupra vt deficiens; illud tamen defendit Caietanus tom. 4 opuſcul. tractatu 1, oratione 2. & ſimul alijs exemplis illuſtrat vnionẽ Verbi hypoſtaticam cum humanitate.

Deinde 4 contra gentes cap. 49. in ſolutione ad vltimum dicit illam propoſitionem eſſe veram quando id quod aduenit enti iam completo non confert illi eſſe ſubſtantiale, ſed accidentale quale eſt illud quod albedo; v. g. confert corpori, & quia humanitas adueniens Verbo diuino habet eſſe completum & cõtulit ei eſſe ſubſtantiale, ſcilicet eſſe verum hominem de prædicamento ſubſtantię ideo nõ aduenit ei accidentaliter.

Ad primam confirmationem reſpondetur cum Diu. Thom. hic ad primum & Auguſtin. lib. 83. quæſtionum quæſt. 73. humanitatem vocari à Paulo methaphorice veſtem non quidem ad ſignificãdam accidentalem vnionem, ſed ad denotandum quod ſicut per veſtimẽtũ ſolet videri homo, ita Verbũ diuinũ per humanitatẽ: vel ad hoc quod ſicut homo intrinſeca ſui mutatione veſtitur, ita & Verbum humanitatem ſine mutatione aſſumpſit. Poteſt etiam dici cum Ambroſi. & eodem Diu. Thom. in commentario illius loci Pauli, quod per habitum non intellexit Paulus humanitatem, ſed modum exterioris conuerſationis. Et tertio poteſt dici cum Chryſoſtom. & Theophylact. Adamo, & Titelm. quod per habitũ intellexit Pauli non humanitatem ſed formam, ſiue modum operis quo Chriſtus vtebatur.

Ad ſecundam nego minorem. Ad cuius primam probationem dicẽdum eſt: admiſſa poſſibilitate illius caſus de quo ſuo loco diſputabimus quod tũc accidẽtia ſeparata à ſubiecto conſeruarentur à Deo ſupplente concurſum ſubiecti ſine imperfectione cauſæ materialis, ſicut nunc quantitas panis exiſtit in Sacramento altaris, & haberent hoc amplius quod communicarentur perſonæ Verbi, ita vt de ipſa verè affirmaretur eſſe albam, aut nigram, &c. Non tamen ſubſiſterent per ſubſiſtentiam Verbi; quoniã huiuſmodi vnio ad ſubſiſtendum, vel ſecundum ſubſiſtentiam nequit conuenire niſi naturæ ſubſtantiali, quæ ſola capax eſt huius quod eſt ſubſiſtere ſiue eſſe per ſe.

Ad ſecundam dicendum eſt ſimiliter quod licet accidentia humanitatis Chriſti ſint vnita in perſona, ita vt vere conueniant illi, & de ea prædicentur ſaltem mediante humanitate non tamen ſunt vnita ſubſtantialiter quia cum ſint accidẽtia nõ poſſunt vniri ad ſubſiſtendum per eamdẽ Verbi ſubſiſtentiam: Ratio autem Diu. Th. procedit ex ſuppoſitione quod natura vnita ſit ſubſtantialis, & capax ſubſiſtẽdi: ſic enim optime ſequitur humanitatem vnitam fuiſſe ſubſtantialiter Verbo diuino, ex eo quod eſt ei vnita in perſona ſecundum ſubſiſtentiam, & conſequenter ad ſubſiſtendum per ipſam Verbi ſubſiſtentiam.

16 Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ, admiſſo antecedenti, nego conſequentiam, & ad probationem reſpondetur quod quando dicitur accidens eſſe illud quod poteſt adeſſe, & abeſſe ſubiecto debet intelligi dummodo non trahatur ad idem eſſe ſiue eſſentiæ ſiue ſubſiſtẽtiæ ſubiecti, quo pacto ſi animæ informãti vnum corpus vniretur aliud, vt informandum per ipſam, neque eſſet accidens, neque vniretur accidentaliter, ſed ſubſtãtialiter, quia traheretur ad cõmunicationẽ eiuſdem eſſe ſubſtantialis eſſentiæ, & naturæ, & quia humanitas aſſumpta, tracta fuit ad communicationem eiuſdẽ eſſe ſubſtantialis perſonalis, ſiue ſubſiſtẽtiæ ideo neque colligitur illam aut eſſe accidens, aut vnitam eſſe accidentaliter.

Ad confirmationẽ reſpondetur hãc vnionẽ duarũ naturarũ in Chriſto poſſe etiam proprie, & cũ rigore loquendo appellari naturalẽ, eo quod à Cõcilijs & Patribus ſic appellatur: nam in primis in Cõcil. Epheſ. can. 3. damnatur qui non confitetur duas naturas, id eſt diuinã, & humanã fuiſſe coniunctas in Chriſto eo cõuentu qui per vnitatẽ fact⁹ eſt naturalis, & in 6. ſynodo generali, act. 11. in ep. Sophronij, dicitur Verbũ ſibi carnẽ adunaſſe vnitate naturali, & in ep. Cyrilli ad Neſtor. quæ habetur, & aprobatur in Cõc. Alex. anathematiſmo 3. Calced. & in 5. ſynodo generali proponitur, & approbatur diffinit. cit. ex Cõcil. Epheſ, & Ioan. Maxẽt.

in

in confeſsione ſuæ fidei quæ habetur tomo 5. bibliothecæ S. Patrum, & Petrus Diaconus iu lib. de incarnat. & gratia c. 2 quę habetur in eodem tomo bibliothecæ appellant hanc vnionẽ naturalem, & Nazianz. in epiſt. 1. ad Cl don. & Damaſce lib. 3. de fide cap. 3. vtuntur eodem modo loquendi, & docent hanc vnionem fuiſſe factam naturaliter, & eſſentialiter: cum ergo in Concil. Lateran. ſub Mart. 1. cōſultat. 5. can. 17. diſfiniatur proprie, & ſecūdum veritatem accipienda eſſe, ea quæ tradita ſunt a Concilijs generalibus, & à S. Patribus, recipere debemus hunc modum loquendi quo prædicta Concil. & Patres hanc vnionem appellant naturalem, ſiue eſſentialẽ. Quod amplius confirmatur hac ratione quia quod aliqua vnio dicatur naturalis, vel eſſentialis nō ſolum prouenit ex eoquod reſultet ex illa vna natura ſiue eſſentia, ſed etiam quia extrema vniuntur non ſecundum ſolam apparientiam, aut affectum, ſed vere, & ſecundum proprias naturas ſiue eſſentiam, cum ergo in Christo vniantur duæ naturæ vere, & ſubſtantialiter ſecundum ſuas eſſentias congruẽter dici poteſt talis vnio naturalis, ſiue eſſentialis, ideſt vnio naturarum, & eſſentiarum, vt condiſtinguitur ab vnione ſecundum apparentiam, vel ſecundum ſubordinationem aut conueniẽtiam operationis, vel affectuum quam adſtruebat Neſtorius ne tamen detur occaſio errandi ignorantibus nō debemus vti hoc modo loquendi abſolute, & ſine aliquo adito tollente ambiguitatem, & denotante ſummi vnionem naturalem, ſiue eſſentialem in ſenſu explicato, quod colligitur, tum ex eoquod in teſtimonijs adductis nunquam à Concilijs, aut Patribus appellatur hæc vnio naturalis, niſi appoſitis verbis, quibus explicatur illam ſic appellari ad explodendum errorem Neſtorij, & Sequacium, qui aſſerebant eam conſiſtere dūtaxat in cōueniētia affectuū, aut in ſubordinatione, ſecundum operationem, ſiue ſecundum dignitatem, aut inhabitationẽ; & hoc explicuit Cyrillus in libro, cui titulus eſt *declaratio* 12. anathematismorum, in declaratione anathematis tertij dicens: *Verum ſunt qui hominem naturalibus ſeorſim eum ſeparatim ſtatuentes Dei Patris illum Verbo, ſecundum ſolam dignitatem, vel auctoritatem non naturali, ideſt vera vnione, ſicut nos credimus, coniunctum eidem.* Tum quia Diu. Thom. fidelis ſanctorum Patrum interpres, in hoc art. docet negandū eſſe quod hæc vnio ſit facta in natura, ſiue in eſſentia: vel quod idem eſt ſecundum naturam, aut eſſentiam: ac proinde quod non ſit abſolute appellanda naturalis, ſiue eſſentialis, quia hoc hoc modo loquendi denotatur illam habuiſſe pro termino vnitatem in natura, ſiue eſſentia: & fauemus errori Eutichetis.

17 Tum denique, quia Angelicus Doctor articulo 8 ſequenti aſsignās tres differentias inter aſſumptionem, & vnionem verſantes ait ſecundam in eo conſiſtere quod aſſumptio ſignificat vnionem vt in fieri, vnio vero vt in facto eſſe: inepte autem diceretur terminus huius vnionis vnitas naturalis, nam cum hoc nomine importetur vt in facto eſſe, denotaretur terminum illius eſſe aliquam vnam naturam: & licèt iuxta Latinam æditionem antiquam habeatur in Concilio Epheſino capite 3. & in epiſtola 10. Cyrilli anathematiſmo 3. Vnitas naturalis: tamen nouus interpres vertit vnionem: igitur cum nomen vnionis ſignificet terminum Incarnationis, vt in facto eſſe, eadem ratione neganda eſt vnio naturalis, qua negatur, & vnitas naturalis: niſi apponatur additum aliquod excludens vnitatem in natura, ac denotans naturas fuiſſe coniunctas ſecundum hypoſtaſim.

ARTIC. VII.

Vtrùm vnio naturæ diuinæ, & humanæ ſit aliquid creatum?

inf.a. 8.c. et 3.d.1.q 2.a,2.q.3 ad 2. et d. 5.q.1.a. 1.q.1.et d. 7.q.1. ar. 2.c.et 4 c. ca. 39. & 40.

AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur, quod vnio naturæ diuinæ & humanę, non ſit aliquid creatum Nil enim creatum in Deo poteſt eſſe : quia quicquid eſt in Deo, Deus eſt. Sed vnio eſt in Deo : quia ipſe Deus eſt humanæ naturæ vnitus. Ergo videtur, quod vnio non ſit aliquid creatum.

2 Præterea, finis eſt potiſsimum in vnoquoque. Sed finis vnionis eſt diuina hypoſtaſis, ſiue perſona, ad quam terminata eſt vnio. Ergo videtur, quod huiuſmodi vnio maximé debeat iudicari, ſecundum conditionem diuinæ hyppoſtaſis, quæ non eſt aliquid creatum. Ergo nec ipſa vnio eſt aliquid creatum.

3 Præterea, propter quod vnumquodque tale, & illud magis, vt dicit Philoſoph. * Sed homo dicitur eſſe creator propter vnionem. Ergo multo magis ipſa vnio nõ eſt aliquid creatum, ſed creator.

Poſt. text. 5. nõ lõge à fin. tom. 1.

Sed contra, omne quod incipit eſſe ex tempore, eſt creatum. Sed vnio illa ab æterno non fuit, ſed incepit eſſe ex tẽpore. Ergo vnio eſt aliquid creatum.

Reſpondeo dicendum, quod vnio, de qua loquimur, eſt relatio quædam, quæ conſideratur inter diuinam naturam, & humanam, ſecundum quod conueniunt in perſona Filij Dei. Sicut autem in prima prima parte dictum eſt †, omnis relatio, quæ conſideratur inter Deum, & creaturam, realiter quidẽ eſt in creatura: (per cuius mutationem talis relatio innaſcitur) non autem eſt realiter in Deo : ſed ſecundum rationem tantum : quia non innaſcitur ſecundum mutationem Dei. Sic ergo dicendum eſt, quod hæc vnio, de qua loquimur, non eſt in Deo realiter; ſed ſecundum rationem tantũ: in humana autem natura, quæ creatura quædam eſt, realiter eſt : & ideo oportet dicere quod ſit quiddã creatum.

1. p. q. 13. art. 7.

Ad primum ergo dicendum, quod hæc vnio non eſt in Deo realiter, ſed ſecundum rationem tantum. Dicitur enim Deus vnitus creaturæ, ex hoc quod creatura eſt realiter vnita Deo abſque eius mutatione.

Ad ſecundum dicendum, quod ratio relationis ſicut & motus depẽdet ex fine vel termino: ſed eſſe eius dependet â ſubiecto. Et quia vnio talis non habet eſſe reale niſi in natura creata (vt dictum eſt *) conſequẽs eſt quod habeat eſſe creatum.

in corpore art.

Ad tertium dicendum, quod homo dicitur creator, & eſt Deus propter vnionem, in quãtum terminatur ad hypoſtaſim diuinam. Non tamen ſequitur quod ipſa vnio ſit creator vel Deus : quia quod aliquid dicatur creatum, hoc magis reſpicit eſſe ipſius, quam rationem.

CON-

CONCLVSIO eſt: bimembris nimirum vnio iſta inter naturam diuinam, & humanam eſt quædam relatio, quæ ex parte naturæ humanæ eſt realis, ac proinde aliquid creatum: ex parte autem naturæ diuinæ eſt relatio rationis, ac proinde nihil creatum.

ART. VIII.

Vtrum vnio verbi incarnati ſit idem quod aſſumptio?

AD octauum ſic proceditur. Videtur, quod idē ſit vnio quod aſſumptio. Relationes enim ſicut & motus, ſpecificantur ſecundum terminum. Sed idē eſt terminus aſſumptionis, & vnionis, ſcilicet diuina hypoſtaſis. Ergo videtur quod non differant vnio, & aſſumptio.

3. d. 5. a. 1 q. 3.

2 Præterea, In myſterio incarnationis, idem videtur eſſe vniens, & aſſumens, vnitum, & aſſumptum. Sed vnio & aſſumptio videntur ſequi actionem, & paſsionem vnientis, & vniti, vel aſſumentis, & aſſumpti. Ergo videtur idē eſſe vnio quod aſſumptio.

3 Præterea, Damaſc. dicit 3. lib. Aliud eſt vnio, aliud incarnatio: nā vnio ſolam demonſtrat copulationem; ad quid autem facta eſt copulatio, non adhuc: humanatio autem, & incarnatio determinant, ad quem ſit facta copulatio. Sed ſimiliter aſſumptio non determinat, ad quem facta ſit copulatio. Ergo videtur vnio idem eſſe quod aſſumptio.

lib. 3. orth. fid. c. 11.

Sed contra eſt, quod diuina natura dicitur eſſe vnita, non autem aſſumpta.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut dictum eſt, * vnio importat relationem quandam diuinæ naturæ, & humanæ, ſecundum quod conueniunt in vna perſona. Omnis autem relatio, quæ incipit eſſe ex tempore, ex aliqua mutatione cauſatur. Mutatio autem conſiſtit in actione, & paſsione.

art. præc.

Sic ergo dicendum eſt, quod prima, & principalis differentia inter aſſumptionem, & vnionem eſt, quod vnio importat ipſam relationem. Aſſumptio autem actionem, ſecundum quam dicitur aliquis aſſumens: vel paſsionem, ſecundum quam dicitur aliquid aſſumptum.

Ex hac autem differentia accipitur ſecundo alia differentia. Nam aſſumptio dicitur ſicut in fieri, vnio autem ſicut in facto eſſe: & ideo vniens dicitur eſſe vnitum, aſſumens autem non dicitur eſſe aſſumptum. Natura enim humana ſignificatur, vt in termino aſſumptionis ad hypoſtaſim diuinam, per hoc, quod dicitur homo. Vnde verè dicimus, quod Filius Dei, qui eſt vniens ſibi humanam naturam, eſt homo. Sed humana natura in ſe conſiderata, id eſt in abſtracto, ſignificatur vt aſſumpta. Non autem dicimus quod Filius Dei ſit humana natura.

Ex eadem etiam ſequitur tertia differentia, quod relatio præcipue æquiparantiæ non magis ſe habet ad vnum extremum, quam ad aliud: actio autem, & paſsio diuerſimode ſe habent ad agens, & patiens, & ad diuerſos terminos. Et ideo aſſumptio determinat terminum à quo, & ad quem: dicitur enim aſſumptio quaſi ab alio ad ſe ſumptio. Vnio autem nihil horum determinat: vnde indifferenter dicitur, quod

humana natura eſt vnita diuinæ, & ê conuerſo. Non autem dicitur diuina natura aſſumpta ab humana, ſed ê conuerſo: quia humana natura adiuncta eſt ad perſonalitatem diuinã, vt ſcilicet perſona diuina in humana natura ſubſiſtat.

Ad primum ergo dicendum, quod vnio & aſſumptio non eodem modo ſe habent ad terminum, ſed diuerſimode, ſicut dictum eſt *.

in corp. artic.

Ad ſecundum dicendũ, quod vniens, & aſſumens non omnino ſũt idem: nam omnis perſona aſſumens eſt vniens, non autem ê conuerſo. Nam perſona patris vnit naturam humanam filio, non autem ſibi. Et ideô dicitur vniens, non aſſumens, quaſi ad ſe ſumens. Perſona autem filij, quæ ſibi humanam naturam vniuit, eſt vniens, & aſſumens. Et ſimiliter non eſt idem vnitum, & aſſumptum: nã diuina natura dicitur vnita, & non aſſumpta.

Ad tertium dicendum, quod aſſumptio determinat, cui facta eſt copulatio ex parte aſſumẽtis, in quãtum aſſumptio dicitur quaſi ad ſe ſumptio: ſed incarnatio, & humanatio ex parte aſſumpti, quod eſt caro, vel natura humana. Et ideô aſſumptio differt ratione, & ab vnione, & ab incarnatione, ſeu humanatione.

18 CONCLVSIO eſt negatiua, propter tria diſcrimina quibus differunt vnio, & aſſumptio. Differunt enim primo, quod vnio importat relationẽ ęquiparantiæ, aſſumptio vero ſignificat actionem, vel paſsionem, ad quam ſequitur relatio. Secundo, quod aſſumptio ſignificat vt in fieri, vnio vero vt in facto eſſe. Tertio, quod vnio indifferenter denominat vtrumque extremum vnitum: ſecus autem aſſumptio.

Quoniam tria ſunt, quæ in vnione incarnationis includuntur. Primum eſt actio ipſa vnitiua, quę poteſt dici vnio in fieri, ſiue vnitio, ſicut & in alijs cõpoſitis naturalibus, in quibus coniungitur forma materiæ ſolet huiuſmodi actio, ſic appellari, ſpeciali autẽ ratione actio, quę vniuit humanitatem perſonæ Verbi diuini dicitur aſſumptio. Secundum eſt vnitas ſubſtantialis, ſiue vnio in facto eſſe: & tertium eſt relatio ad hanc vnitatem ſubſtantialem conſequuta, ideò ſingula ſunt ſingulis dubijs examinanda.

Dubitatur primo. An aſſumptio, ſiue actio vnitiua humanitatis ad Verbum ſit eadem cum actione creatiua animæ Chriſti, vel humanitatis productiua?

IN Hoc dubio non inquirimus, vtrũ hæc actio vnitiua, vt immanẽs in Deo ſit aliquid creatum, quia hoc dependet, ex his quæ alibi docuit Diuus Thomas de actionibus, quibus Deus operatur ad extra, nam 1. p. q. 25. art. 1. & quæſt. 45. art. 3. & 2. contra gentes cap. 16. & cap. 35. ad 2. & de potentia quęſt. 3. art. 3. ad 2. docet actionem qua Deus producit res ad extra eſſe actũ formaliter immanentem ſuæ voluntatis, aut intellectus, & virtualiter dumtaxat tranſeuntem, iuxta quam ſententiam ſupponit hic D. Tho. huiuſmodi actionem vnitiuam aliquid increatũ eſſe, vt ipſe actus intellectus, & voluntatis in Deo eſt aliquid increatum, quam ſententiam tuentur Capreolus in 2. diſt. 1. quęſt. 2. concl. 1. Caiet. 1. p. quęſt. 25. art. 1. Ferrara cap. 16, & 35. 2. contra gentes, & communiter defenditur à Thomiſtis. Tamen iuxta ſententiam minus probabilẽ aliorũ, qui dicũt Deũ producere res ad extra media actione formaliter tranſente, de quorum numero ſunt Molina quæſt. 25. art. 1. citato, 1. part. diſp. 2. Vazquius ibidem cap. 6. & Suarius hic diſp. 8. ſect. 2. ſequuti Aureolum in 1. diſtin. 27. & 42. dicendum eſt, quod hæc actio vnitiua eſt aliquid creatum, & receptum

Digitized by Google

tum in humanitate aſſumpta, vel in termino talis actionis, quicũque ſit ille, quia tamẽ nos ſupponimus priorẽ ſententiã magis conformẽ D. Th. ideò nõ inquirim⁹ hic. An actio vnitiua ex parte Dei ſit aliquid creatum, ſed ſupponimus cum ipſo illam eſſe aliquid increatũ; & ſolũ agimus de illa, vt eſt paſsio recepta in ſubiecto, vel vt tenet ſe ex parte termini, & idẽtificatur cũ illo, ſicque ad eius propriã rationẽ cõſtitutiuam examinandam inquirimus. An & per quod diſtinguatur ab actione creatiua animæ, & productiua humanitatis etiam paſsiue ſumptis. In quo duæ verſantur ſententiæ.

19 Prima eſt, quorumdam recẽtiorum aſſerentium aſſumptionem, ſiue actionem vnitiuam eſſe altioris ordinis identificantem ſibi creationem animæ Chriſti, & productionem humanitatis, ſicut forma ordinis ſuperioris identificat ſibi, & vnitè præhabet eminenter formas inferiores: ita tamen vt ipſa quatenus vnitiua ſuponat ſeipſam, prout eſt creatiua animæ, & generatiua humanitatis, ſicut anima noſtra, vt rationalis ſupponit ſeipſam, vt ſenſitiuam, & vegetatiuã, & intellectio, vt cognitio ſupponit ſeipſam vt dictionem.

Cuius fundamenta ſunt tria: Primũ deſumitur ex teſtimonijs Patrum, qui dicunt ipſam aſſumptionem eſſe actionẽ creatiuam animæ, & generatiuam humanitatis, ſic enim loquitur Auguſtinus lib. de fide ad Petrum cap. 17. dicimus ipſum ſuæ carnis acceptione conceptum, ipſamque carnem vera incarnatione conceptã: & eodem modo loquendi vtitur Gregor. lib. 9. epiſtolarum, epiſtola 61. Leo Papa epiſtola 11. ad Iulianum Fulgentius lib. de incarnatione cap. 3. ergo.

Secundum eſt, quia actio creatiua eſt ſimul communicatiua exiſtentiæ, & ſubſiſtentiæ: & ſimiliter actio generatiua humanitatis, ſimul eſt communicatiua ſubſiſtentiæ, & exiſtentiæ: ſed per aſſumptionem accepit humanitas ſubſiſtentiam, & exiſtentiam: ergo per eandem actionem fuit producta humanitas, & terminata per ſubſiſtentiam, ac proinde aſſumpta.

Maior pro prima parte patet, quia teſte Diuo Thoma 1. part. quæſt. 45. art. 4. creatio non terminatur, niſi ad rem ſubſiſtentem, & exiſtentem: ergo per eandẽ actionem anima Chriſti fuit creata, & accepit ſubſiſtentiam, & exiſtentiam.

Deinde pro ſecunda parte etiam patet, quia generatio humanitatis eſt productio illius, ac proinde eſt poſitio illius extra cauſas: ſed idem eſt poni extra cauſas, atque exiſtentiam recipere effectiuè ab agẽte, & aliàs humanitas, nequit exiſtẽtiã ſuſcipere, niſi media ſubſiſtẽtia, per quam fit ſuſceptiua exiſtentiæ: ergo idem eſt humanitatem produci, atque recipere exiſtentiam, & ſubſiſtentiam. Minor autem probatur, quia teſte Diuo Thoma infra quæſt. 17. humanitas Chriſti non habet niſi diuinam ſubſiſtentiam, & exiſtentiam, & hanc accepit per aſſumptionẽ: ergo.

Tertium deſumitur ab inconuenienti quia aliàs Beata Virgo, neque concepiſſet, neque genuiſſet filium Dei, ſiue Chriſtum: quod tamen eſt hæreſis Neſtoriana: ergo. Sequela patet, quia ſi conceptio, & generatio ſunt actiones diſtinctæ ab aſſumptione præſupponuntur ad illam, ac proinde priuſquam humanitas aſſumatur à Verbo, & vniatur illi perſonaliter fuiſſet conceptio, & generatio terminata complete ad humanitatem: ergo nullatenus terminaretur ad Deum ſiue Chriſtum: iſta conſequentia patet, quia ſi ignis v.g. vna actione produceret calorem, & alia vniret illum ſubiecto, ex vi prioris actionis, non produceret calidum, quia nequit intelligi productio calidi, niſi in actione vniente calorem ſubiecto: ergo neque B. Virgo genuit Chriſtũ, ſi tãtum cõcurrit ad actionem generatiuam humanitatis, & non ad vnitiuam, quæ ab illa eſt diſtincta.

20 Secunda ſententia aſſerit aſſumptionem, ſiue actionem vnitiuam humanitatis, eius productionem, & animæ creationem eſſe actiones formaliter diſtinctas. Hanc communiter tuentur Theologi, præcipuè Alen. 3. p. ſummæ quæſt. 8 memb. 2. Scot. in 3. diſt. 1. q. 1. Dur. diſt. 5. q. 2. Gabr. & Ochan. ibidem quæſt. 1. art. 1. Capreol. d. 6. quæſt. 1. ad 3. contra primam. Nazar. hic controuer 1. & Albar. quæſt. 6. ſequenti diſp. 3. & quia colligitur ex D. Thom. quæſt. 4. ſequenti artic. 2. & quæſt. 6 art. 4 ad 3. vbi docet humanitatem præſupponi productam, & animam Chriſti præſupponi vnitam carni ad aſſumptionem, quod verum non eſſet ſi humanitas produceretur, aut ſi anima crearetur per aſſumptionem, ideò à nobis ſtatuitur pro concluſione,

Et

Et probatur primo ex terminorum diſtinctione, iuxta quam pariformiter inuenitur diſtinctio in actionibus, terminus enim generationis eſt humanitas, & terminus creationis eſt ſola anima rationalis: terminus vero actionis vnitiuæ eſt perſona Verbi, vt vnita humanitati, conſtat autem hos terminos, non ſolum formaliter, ſed etiam realiter eſſe diſtinctos: ergo.

Secundo probatur ex modis diuerſis tendēdi ipſarum operationum, ex quibus etiam contingit, & ipſas operationes diſtingui, creatio enim animæ eſt productio ipſius animæ ex nihilo procedens à Deo, vt ab agente naturali, ac proinde etiam eſt naturalis; ſimiliter generatio humanitatis naturalis eſt, quia procedit ex Virgine Matre, vt à cauſa naturali, & aliàs ex præſuppoſito, & cum trāſmutatione materiæ: aſſumptio autem humanitatis ad Verbum, neque eſt ex nihilo, ſed potius præſupponit ſaltem ordine naturæ humanitatem aſſumendam, & terminū ad quem fit aſſumptio, & aliàs eſt actio procedens à Deo, vt ab auctore ſupernaturali, ac proinde eſt omnino ſupernaturalis: ergo.

Tertio probatur, à poſteriori, & ab effectu ſeparationis, qui eſt manifeſtū ſignum realis diſtinctionis: ea enim quæ ad inuicē poſſunt ſeparari neceſſe eſt reali gaudere diſtinctione, ſed huiuſmodi operationes ſeparari poſſunt ab inuicem, ita vt quælibet ſine alia reperiri poſſit: ergo realiter diſtinguntur. Minor patet, nā in primis creatio animæ poteſt reperiri ſine generatione, & aſſumptione humanitatis, vt ſi anima ſeparata à corpore crearetur à Deo, cuius proculdubio creatio eiuſdem eſſet ſpeciei cū illa, quæ de facto creatur, quando infunditur corpori.

Deinde etiam generatio humanitatis eiuſdem ſpeciei inuenitur in vno quoque noſtrum ſine aſſumptione: & tandem aſſumptio humanitatis ad Verbum inueniri potuit ſeparata, & non ſimultanea cū creatione animæ, & productione humanitatis, ſiquidem Verbum potuit aſſumere animam multo tempore ante creatam, & humanitatem antea productam: ergo.

21 Ad primum reſpondetur dupliciter, intelligi poſſe locutionem illam Sanctorum Patrum. Primo quidem per actionum concomitantiam, ita vt propterea dicatur Verbum ſuæ carnis acceptione conceptum, quia actio gratiua, & aſſūptiua fuerunt ſimul in eodem inſtanti temporis cum actione creatiua animæ, vt teſtatur D. Thom. infra quæſtione 33. artic. 3.

Secundo cauſaliter, & completiuè, ita ut creatio animæ. & productio humanitatis, quia fuerunt cōpletæ per actionē aſſumptiuam, ideò appellantur à prædictis Patribus nomine aſſumptionis, non autē quia formaliter in illa conſiſtat.

Ad ſecundum diſtingo maiorem de actione creatiua animæ, & productiua humanitatis, quæ relinquitur ſuæ naturæ, & non eſt impedita, vel de illa, quæ impeditur, vt totum ſuum effectum quem ſuapte natura præſtare poterat, per ſe ipſam ſortiatur, & de illa quidem concedenda eſt maior: de iſta vero eſt neganda, & quia creatio animæ Chriſti impedita fuit ne ei communicaret propriam, & connaturalē exiſtentiam, & ſimiliter generatio humanitatis Chriſti impedita fuit ne communicaret illi, & communicando produceret propriam ſubſiſtentiam, & exiſtentiam, eo quod aſſumenda erat ad idem eſſe ſubſiſtentiæ, & exiſtentiæ diuini Verbi, ideò neque creatio animæ, nec productio humanitatis fuit de facto in Chriſto communicatio, aut productio propriæ ſubſiſtentiæ, aut exiſtentiæ, ſed tantum fuit altera productio entitatis animæ ex nihilo, & altera productio humanitatis ex præſuppoſito ſubiecto, & quia in eodem inſtanti temporis per actionem aſſumptiuam communicata fuit animæ, & humanitati hypoſtaſis, & exiſtentia diuini Verbi per hanc actionem illæ duæ priores fuerunt completæ dum in ſuis terminis formalibus acceperunt eorum complementum per aduentum ſuperioris ſubſiſtentiæ, & exiſtentiæ, ex quo etiam fit vtramque terminatā fuiſſe ad rem ſubſiſtentem, & exiſtentem, eo quod cum in eodem inſtanti temporis, in quo fuit exercita terminatio, & generatio tam animæ quam humanitas fuerit aſſumpta ad eſſe hypoſtaticum, ideò & creatio fuit terminata ad animam exiſtentem, & generatio ad humanitatem ſubſiſtentē, & exiſtentem, vt ſic ſaluetur tam creationem quom generationem eſſe rei ſubſiſtētis: & exiſtentis.

Ad tertium nego ſequelam, quia ad hoc ut Beata Virgo verè dicatur genitrix Dei, ſufficit quod eius actio genera-

tiua

tiua terminata fuerit ad humanitatem in eodem inſtanti temporis, in quo erat aſſumpta ad eſſe hypoſtaticum. Tunc enim humanitas iam eſſet perſonata per perſonalitatem diuinam talis actio terminata fuit ad humanitatem in perſona diuina, & cum alias actiones ſint ſuppoſitorum, & attribuantur ipſis vt agentibus, & vt terminantibus, ideò terminatio talis actionis in rigore attribui debet diuino ſuppoſito ſuſtentanti humanitatem pro illo inſtanti, pro quo humanitas terminabat illam, ac proinde in rigore dicendum eſt, non ſolum humanitatem, ſed potius Chriſtum, ſiue ſuppoſitum Verbi diuini, ſecundum naturam humanam fuiſſe genitum à Virgine Matre, quo etiam pacto, & rigore Iudæi crucifigentes Chriſtum, vt ait Bernardus in ſermone de paſsione fuerunt deicidæ, & verè, ac propriè Filium Dei occiderunt ob ſimilem rationem, nimirum quia quamuis eorum actio per ſe primo fuerit terminata ad diſoluendam vnionem partium humanitatis, tamen quia illa humanitas pro illo inſtanti, pro quo patiebatur à Iudæis erat ipſius Dei tanquã ſuppoſiti, & paſsiones ſunt ſuppoſitorum, ideò talis paſsio vere, & propriè terminabatur ad ipſum diuinum ſuppoſitum, ad quod tamen minime terminaretur ſi humanitas in illo inſtanti fuiſſet à ſuppoſito diuino dimiſa.

Ad probationem autem ſequelę ſimiliter dicẽdum eſt, quod ſi actió illa qua ignis produceret calorem eſſet de ſe vnitiua illius ad ſubiectum, & ſimul terminaretur ad illum vnitum in ſubiecto pro eodem inſtanti temporis quamuis hæc vnio fieret ex vi alterius actionis, reuera illa prior actio produceret calidum: ſecus vero ſi de ſe non eſſet vnitiua caloris, aut in eodem inſtanti temporis, non vniretur calor ſubiecto per aliam actionem, & quia actio qua Beata Virgo formauit humanitatem Chriſti ex natura ſua erat vnitiua humanitatis ad proprium, & connaturale ſuppoſitũ, quę tamẽ diuina virtute ab hac vnione fuit præuenta, & impedita, & in eodem inſtanti fuit vnita ſuppoſito diuino, ideò hoc ſufficit, vt Beata Virgo dicatur Deum genuiſſe, & eſſe Mater Dei.

* * *

Dubitatur ſecundo. Vtrum per aſſumptionem, vel actionẽ vnitiuam producatur aliquid abſolutum in humanitate præter relacionem ipſam formalem, vel vnionis, qua humanitas refertur ad Verbum?

22 IN Hoc dubio vt ſeparemus certa ab incertis, duo ſunt: in quibus fere omnes Theologi conueniunt, & non niſi in verbis, & modo loquendi, differunt: primo namq; conueniunt, in eoquod terminus totalis, ſiue qui aſſumptionis eſt ſecundum rationem quid creatum hoc eſt productum de nouo in rerum natura, quia terminus totalis huius actionis nihil aliud eſt, quam Chriſtus vt homo, vel Chriſtus in duab⁹ naturis, vel hoc quod eſt Deum eſſe hominem, ſed hoc quouis modo ſignificetur de nouo incepit eſſe ſaltim quantum ad aliquod, nimirum quantum ad vnionem, & ipſam humanitatem aſſumptam, licet quantum ad alterum extremum componens, quod eſt perſona Verbi fuerit ab æterno: ergo eſt quid creatum in hoc ſenſu, quod totum hoc complexum, Deus homo, vel Chriſtus in duabus naturis cathegorematice ſumptum fuerit factum de nouo per actionem Dei, licet non in eo ſenſu, quod totum hoc ſin cathegorematice ſumptum, ideſt, quoad omnia concurrentia ad eius compoſitionem fuerit factum, imò etiam ſi vtrumque extremum componens fuiſſet ab æterno, nimirum Verbum, & humanitas, tamen ſi coniungerentur in tempore vere totum compoſitum in ſenſu prædicto inceperunt eſſe, ſicut & coniunctio ipſa, quæ conſtituit ipſum in ratione compoſiti eſſet de nouo adeum modũ, quo licet materia prima, & anima rationalis eſſent ab ęterno, ſi tamen coniungeruntur in tẽpore, verè compoſitum in ratione compoſiti inciperet eſſe, & non poſſet dici æternum

num. Id ipſum ſuadet modus loquendi Scripturæ, in quibus opus incarnationis dicitur factum in tempore à Deo, vt Hierem. 33. *Creauit Dominus nouum ſuper terram, fœmina circundauit virum*: & Ioan. 1. *Verbum caro factum eſt*: & Actorum 2. *Certiſsimè ſciat omnis domus Iſrael, quia & Dominum eum, & Chriſtum fecit Deus hunc Ieſum, quem vos crucifixiſtis, &c.* & ad Hebr. 3. *Conſiderate Apoſtolum, & Pontificem Confeſſoris noſtræ Ieſum, qui fidelis eſt ei, qui fecit illum.* Quæ duo teſtimonia explicant Beda, Theoph. Chriſoſt. Gloſſ. & D. Thomas de Chriſto ſecundum humanitatem, ſecundum quam factus Deus in tempore, ſicut & in ſymbolo Nizeno dicitur: *Et homo factus eſt*: ac proinde ex illis conuincantur Chriſtum fuiſſe factum, & incepiſſe eſſe in vnione ſuppoſiti. Fauet etiam teſtimonia Conciliorum, in quibus vnio duarum naturarum in perſona Verbi dicitur, abſolutè & ſimpliciter facta: nam in 5. ſynodo generali colatione 8. canon. 3. damnatur, qui non confitetur vnionem Verbi Dei ad carnem ſecundum compoſitionem, ſiue ſecundum ſubſiſtentiam factam eſſe, & can. 7. & 8. iterum hæc vnio appellatur facta, eodem modo appellatur in epiſtola Agatonis Papę ad Conſtantinum Imperatorem, & in 6. ſynodo generali actione 4. & à Ioan. Maxi. in confeſſione ſuæ fidei, & à Nazianz. in epiſtola ad Clidon. appellatur hæc vnio ſubſtantialiter facta, quæ teſtimonia non poſſunt intelligi de vnione ſumpta pro relatione, quia relatio neque poteſt dici vnitas ſecũdum ſubſiſtentiam, & compoſitionem, neque per ſe primo facta cum ad relationem, non detur per ſe motus, nec ſubſtantialiter facta, cum relatio ſit de genere accidentis: ergo debent intelligi de vnione ſubſtantiali, quæ eſt fundamẽtum relationis, & terminus totalis actionis vnitiuæ.

Et tandem probatur manifeſtè hęc ſuppoſitio duabus rationibus, quibus vtitur D. Thom. in hoc art. 7. Prima in argumento ſed contra, quæ ad formam reducta ſic habet: quidquid incepit eſſe de nouo, aut in tempore eſt factum, ſiue creatum, quia debet incipere media aliqua actione qua fiat, ſed hoc quod eſt naturã humanam, & diuinam eſſe vnitas in vna perſona Verbi incepit eſſe in tempore: ergo eſt aliquid factum, ſiue creatum, ac proinde terminus huius actionis vnitiuæ, qui eſt illud vnitum ſiue compoſitum eſt aliquid factum. Neque valet dicere hanc actionem tantum eſſe vnitiuam, & non productiuam, ac proinde eius terminum non debere eſſe productum, aut factum, ſed dumtaxat quid vnitum: nam licet verum ſit aliquas actiones tantum eſſe vnitiuas, & non productiuas, cuiuſmodi ſunt actiones ſenſuum exteriorum, quæ nullum producunt terminum ab ipſis diſtinctum, ſed ſolum vniunt potentias cum obiectis conſtituendo ex potentia, & obiecto vnum non ſimpliciter, ſed tantũ vnitate ordinis, tamen actio vnitiua humanitatis ad Verbum, eſt vera actio Dei tranſiens ſaltim virtualiter, ſed nequit habere rationem tranſeuntis, niſi quatenus producit aliquid extra Deum: ergo reuera producit extra Deum, hoc quod eſt humanitatem eſſe vnitam Verbo diuino, quod quidem eſt terminus actionis huius extra Deum, non ſolum vt volitus, aut cognitus, ſed etiam vt incipiens eſſe.

23 Secunda ratio in corpore articuli ad hanc formam reduci poteſt, relatio realis non cõſequitur in tempore ad id, quod eſt increatum, vt ſupponitur ex eodem D. Thom. 1. part. quæſt. 13. art. 7. ſed ad hoc quod eſt humanitatem eſſe vnitam perſonæ Verbi conſequuta fuit in tempo relatio vnionis, quæ eſt realis ex parte humanitatis: ergo. Humanitatem eſſe vnitam Verbo ſumpta hac vnione pro fundamento relationis, non eſt aliquid increatum. Neque ab hac ſuppoſitione in re exiſtimo Caietanum, aut quempiam ex Theologis deuiaſſe, ſed tantum in modo loquẽdi eſt inter ipſos varietas ex diuerſa acceptione huius nominis, vnio, proueniens: Caietanus enim quem ſequitur Medina in hoc artic. 7. intelligentes nomine vnionis ipſam vnitatem perſonæ Verbi, in qua vnitæ fuerunt duæ naturæ, quæ eſt increata, & terminus aſſumptionis dicunt terminum huius actionis abſolutè, & ſimpliciter appellandum eſſe quid increatum.

Alij vero; de quorum numero ſunt Vincentius in relect. quæſt. 7. pag. 869. & Albar. hic diſp. 13. & Nazar. controuerſ. 4. intelligentes ſub nomine vnionis quæ eſt terminus totalis aſſumptionis omnia, quæ concurrunt ad compoſitionem perſonæ Chriſti dicunt, neque eſſe quid creatum, nec quid increatum determinatè, eoquod creatũ propriè eſt illud, quod

ſecun-

ſecundum ſe totum, & omnia quæ includit habet eſſe dependens, & ſimiliter increatū dicitur illud, quod ſecundum nihil ſui eſt dependens ab alio, ſiue productum, quorum neutrum contingit in Chriſto, cuius vna natura eſt producta, & altera improducta.

Alij vero, de quorum numero ſunt Suar. diſp. 7. ſect. 5. & Vazq. diſput. 18. cap. 5. & Siluius in expoſitione articuli 7. intelligentes ſub nomine vnionis cōiunctionem ipſam paſsiuè ſumptam duarū naturarum in vna perſona Verbi, quæ reuera incepit eſſe, & fuit facta in tempore dicunt terminum huius vnitatis ſimpliciter appellandum eſſe creatum, ſiue factū, propter duo. Tū, quia ſi diceretur increat⁹ ſignificaretur omnino; & ſecundum ſe totum independens, quia hoc nomen increatus dicit negationem omnis dependentiæ in ſubiecto, cui conuenit. Tum etiam, quia ab eo quod res eſt, vel nō eſt dicitur, propoſitio vera, vel falſa, ſed vnio humanitatis, & diuinitatis in Verbo a qua denominatur, & conſtituitur compoſitum, quod eſt terminus vnitionis vere fuit facta in tempore, vt probatum eſt: ergo ſimpliciter appellanda eſt facta, ſiue creata. Poſſuntque omnes iſti modi loquendi ad verum ſenſum reduci, & ſecundum illum retineri.

Primus enim Caietani, licet deficiat à mente D. Tho. in eo quod aſſerit nomine vnionis intelligi ipſam vnitatem perſonæ Verbi, quia D. Thom. in art. 7. inquit vnionem hanc naturæ diuinæ, & humanæ, de qua eſt ſermo ex parte humanitatis eſſe, quid reale, & creatum, & ex parte perſonæ Verbi eſſe relationem rationis; vnitas autem perſonæ Verbi, neque eſt creata, nec eſt relatio rationis: ergo nō eſt vnio, de qua loquitur D. Thom. eo vel maximè quod vnio, de qua eſt ſermo eſt terminus actionis vnitiuæ, cum quo proinde identificari debet huiuſmodi actio paſsiue conſiderata, ſed huiuſmodi actio non identificatur cum perſona Verbi, vt ſic niſi vt eſt homo, ſiue ſubſiſtens in natura humana, ac proinde hoc concretum ſubſiſtens in natura humana, ſiue Verbum eſſe hominem eſt terminus totalis actionis vnitiuæ intelligendus nomine huius vnionis, tamen in eo quod aſſerit huiuſmodi terminum ſimpliciter appellandum eſſe increatum verū dicit, quia de hoc termino ſi ſignificetur, nomine in complexo abſolutè debet dici, quod eſt increatus, vt in his propoſitionibus Chriſtus, vel hic homo eſt increatus, & perſona Chriſti eſt increata, quia ſubiectum in illis, nō ſupponit pro humanitate, nec pro compoſito ex vtraque natura, ſed tantum pro ſuppoſito Verbi, quod eſt increatum.

Secundus etiam ſuſtineri poteſt ſi ad hunc ſenſum reducatur, quod dicamus de huiuſmodi termino totali vnitionis includere, aliquid creatum, & aliquid increatum, vel non eſſe totaliter creatum, nec increatum: nec enim ſic oportet, quod omne ens in ſingulari ſit determinate creatū, aut increatum, quia poteſt aliquod cōpoſitum, vt hoc quod eſt Chriſtus, & hoc quod eſt intellectus beati, conſtitutum ex lumine, & ſpecie increata eſſe ſecundū aliquid, creatum, & ſecundum aliquid increatum.

Et tandem tertius ſuſtineri poteſt quoties nominibus complexis ſignamus hunc terminum totalem, vt Deum fieri hominem, vel hoc quod eſt diuinitatem eſſe coniunctam humanitati in perſona Verbi: ſic enim verū eſt dicere, quod eſt, quid creatum, quia totum hoc complexum incepit eſſe in tempore, & de nouo fuit factum.

24 Secundo conueniunt omnes Theologi contra Aureolum in 3. diſt. 5. quæſt. 1. art. 1. in eo quod ad hanc coniūctionem duarum naturarum in Chriſto, conſecuta fuit quædam relatio vnionis, quæ ex parte humanitatis eſt realis, & ex parte Verbi tantum rationis, & à qua extrema huius oppoſitionis formaliter, & relatiuè denominantur vnita, humanitas quidem vt dependens à terminatione Verbi in ſubſiſtendo. Verbum autem denominatur vnitum per modum termini terminantis humanitatis dependentiā, & quod hæc relatio etiam appelletur, & ſignificetur nomine vnionis patet, nam D. Thom. in hoc art. 7. in corpore inquit, quod vnio, de qua loquitur eſt relatio quædam, quæ in humanitate eſt realis, & in Verbo eſt rationis, & in ſolutione ad 3. ſubdit, hominem dici Deum propter vnionem, quæ terminatur ad hypoſtaſim: vnio autem quæ terminatur ad hypoſtaſim eſt relatio, & infra quæſt. 16. ar. 4. dicit, hoc nomen *homo* prædicari de Deo ratione vnionis, quæ importat relationem, & idē repetit art. 6. ad 2.

Sed

Sed ex hac ſuppoſitione duo inconuenientia vidẽtur ſequi. Primum infert Aureolus, nimirum quod omnis vnio inter aliqua extrema importaret relationem realem, quod tamen eſſe falſum patet in continuo, cuius partes ſunt vnitæ inter ſe, & tamen ſine relatione reali, alioquin ſicut inquolibet continuo ſunt infinitæ partes vnitæ, ita eſſent infinitæ relationes reales, quod eſt abſurdum: ergo.

Secundum eſt, quod ſcilicet Deus non eſſet homo ſubſtantialiter, ſed accidẽtaliter, & relatiuè, ſiquidem huiuſmodi relatio vnionis eſt ratio, ob quam Deo conuenit eſſe hominem, teſte Diuo Thoma in locis citatis: conſequens tamen eſſe abſurdum patet, quia incidit in hæreſim Neſtorij ſuperius confutatam: ergo. Sed neutrum ex his inconueniẽtibus ſequitur ex noſtra ſuppoſitione: non quidem primũ, quia relatio realis vnionis, non conſurgit inter quæcumque extrema vnita, niſi inter illa, quæ realiter diſtinguntur, eiuſdem enim ad ſe ipſũ nequit eſſe relatio realis, & quia partes continui, prout ſunt in continuo, non ſunt actu, & realiter diſtinctæ inter ſe, propterea non eſt realis relatio vnionis inter ipſas, ſicut eſt inter perſonã Verbi, & humanitatem, quia ſunt realiter diſtinctæ. Neque ſecundum, quia quando D. Thom. dicit, vnionem eſſe rationẽ, propter quam Deus eſt homo, vel propter quam homo prædicatur de Deo, non loquitur de vnione ſumpta pro relatione prædicamenti, alioquin vt conuincit argumẽtũ talis vnio accidẽtalis eſſet, & Deũ eſſe hominem potius eſſet in genere ad aliquid, quam in genere ſubſtantiæ, quod eſt abſurdum, ſed loquitur de vnione ſumpta, vel pro relatione tranſcentali, vel ſumpta pro relatione fundamentali, hoc eſt pro fundamento ad quod relatio formalis conſequitur: fundamentum autem hoc eſt ipſa ſubſtantialis vnio, quã D. Thom. voluit à poſteriori explicare per relationem, & huiuſmodi vnio, licet quãdo vnit extrema, quæ ſunt partes non ſit ratio vt vna prædicetur de altera, tamen quando vnit integras naturas in vna perſona, tunc eſt ratio vt vna integra natura in concreto prædicetur de altera, & è contra vt contingit in Chriſto.

25 His igitur ſuppoſitis in explicãdo, in quo cõſiſtat hæc ſubſtantialis vnio: an ſcilicet ſit aliquis modus ſubſtãtialis productus in humanitate abſolutus, vel relatiuus: vel an ſit ſola humanitas, vt terminata per Verbi perſonalitatem, abſque additione alicuius nouæ realitatis modalis? Diſcriminantur Theologi in tres ſententias.

Prima eſt Scoti in 3. diſt. 1. quæſt. 1. & Gabr. ibidẽ, atque in 1. diſtinct. 30. quæſt. 4. art. 2. aſſerentium hanc vnionẽ, quæ producitur per actionem vnitiuam eſſe formam quandam accidentalem, quã tamen diuerſimode conſtituunt prædicti Auctores. Gabr. vult illam eſſe qualitatem abſolutam ſupernaturalem in humanitate, quam appellat gratiam vnionis: Scotus vero cui ſubſcribit Rada in ſua 3. part. controuerſia. 3. art. 4. dicit, illam eſſe formalem relationem dependentiæ humanitatis ad Verbum, tanquam ad ſuppoſitum ſuſtẽtans ipſam. Fundamenta huius ſentẽtiæ ſunt, quæ affert, & ſoluit Caietan. hic dub. 5. & D. Thom. art. 10. ſequenti, vbi inquirit an vnio duarum naturarum in Chriſto ſit facta per gratiam, quæ omnia eò tẽdunt, vt probẽt per actionem aſſũptiuam ſolum potuiſſe produci in humanitate, aut gratiam quandam vnionis, quæ proinde videtur eſſe qualitas, aut hoc quod eſt humanitatem eſſe terminatam à Verbo, quod nullatenus eſt entitas abſoluta, ſed tantum relatiua.

Secunda ſententia aſſerit per huiuſmodi actionem aſſumptiuam nihil fuiſſe productum in humanitate diſtinctum ab ipſis extremis vnitis, ita vt coniunctio humanitatis cum Verbo nihil aliud ſit quam vtriuſque indiuiſio in eſſe perſonali Filij Dei, & nullum ens reale interuenit præter extrema, & mutationem, ac relationem in humanitate reſultantem, hanc tuẽtur Gregor. in 1. diſt. 28. quæſt. 2. Bacon. in 3. diſt. 1. quæſt. 1. art. 1. Caiet. in hoc art. 7. & art. 10. ſequenti, Valentia puncto 5. Albar. diſp. 13. & Nazar. controuerſ. 3.

Quorum fundamenta ſunt tria. Primum deſumitur ex quibuſdam teſtimonij D. Thom. in quibus inſinuat humanitatem ſine aliquo inter medio vniri perſonalitati Verbi: nam in hac quæſtione artic. 1. ad 1. & ad 3. dicit vnionem carnis ad Verbum factam fuiſſe in perſona: & idem habet infra q. 16. artic. 6. ad primũ, dicẽs, hac vnionem fuiſſe ſecũdũ eſſe perſonale, quod non dependet ab aliquo habitu, ſcilicet inter medio, & artic. 10. ſequenti

ſequenti huius quæſtionis dicit naturam habere eſſe in ſuppoſito, ſine aliquo medio habitu, & in tertio diſtinctione 2. quęſtione 2. articul. 1. & articul. 2. ſæpius dicit in vnione humanæ naturæ ad diuinam non cadere medium formaliter vnionem cauſans, cui per prius humanitas coniungatur quam diuinæ perſonæ, ſicut nec inter materiam, & formam, nec inter naturam ſubſtantialem, & ſuppoſitum cadit medium cum vtraque coniunctio ſit ad eſſe ſubſtantiale, alioquin eſſe accidentale præſuppponeretur ad eſſe ſubſtantiale, quod eſt impoſsibile, &c. ergo, in ſententia Diui Thomæ, non debet poni aliquod medium productum, quo formaliter vniantur natura humana, & diuina in Chriſto præter extrema ipſa, quæ vniuntur.

Secundum deſumitur ex ratione, quam inſinuat Diuus Thomas in locis citatis, nimirum quia vnio humanitatis ad verbum eſt ſimilis vnioni humanitatis ad propriam ſubſiſtentiam, & etiam vnioni animæ cum corpore: propterea enim à Patribus illa vnio, non niſi cum iſta comparatur, vt ſupra vidimus, ſed neque inter humanitatem, & propriam ſubſiſtentiam, neque inter animam, & corpus mediat aliqua entitas abſoluta diſtincta ab ipſis extremis vnitis: ergo nec inter Verbum, & humanitatem. Minor patet pro prima parte, quia in rebus creatis ſubſiſtentia immediate, id eſt ſine aliquo vinculo inter medio vnitur naturę ſubſtantiali.

Deinde pro ſecunda parte etiam patet, quia vt anima informet corpus, & vniatur illi, non requiritur aliquod medium, quod prius ſit in materia quam forma ſubſtantialis: hæc enim immediate, & per ſeipſam informat corpus, & exercet in illud ſuam cauſalitatem formalem: ergo.

Tertium deſumitur ab inconueniẽti triplici, quod ſequitur ex oppoſita ſententia. Primum eſt, quod ſi in humanitate eſſet modus abſolutus, & ſubſtantialis medio quo vniretur Verbo, prius & immediatius humanitas vniretur illi modo quam Verbo, & vt vniretur illi indigeret alio modo inter medio, & ſic daretur alius, & alius inter medius in infinitum.

Secundum eſt, quod cum modus iſte eſſet ſubſtantialis, & ſupernaturalis, atque identificatus realiter cum humanitate, iam daretur ſubſtantia ſupernaturalis creata, quod eſſe impoſsibile oſtendunt Theologi. 1. part. quæſt. 12. articul. 5.

Tertium eſt, quod iſte modus vnionis præſupponeret humanitatem vnitam perſonæ Verbi, & ab illa terminatam, ac proinde omnino eſſet ſuperfluus, & inutilis: quod ſic patet, nam neque humanitas, nec aliquod exiſtens in illa poteſt intrinſece denominare perſonam Verbi, niſi ratione ſuppoſitationis naturæ humanæ in eadem perſona Verbi: ergo vt perſona Verbi denominetur vnita neceſſe eſt, quod humanitas præſupponatur ſuppoſitata, ac proinde aſſumpta à Verbo, & conſequenter prius eſt humanitatem eſſe ſuppoſitatam, & aſſumptam à Verbo quã denominari vnitã à modo exiſtente in humanitate, & quia myſterium incarnationis conſiſtit in ſola ſuppoſitatione naturæ humanæ, prius eſſet completum hoc myſterium, quam modus iſte intelligeretur in humanitate, ac proinde ſuperfluus eſſet.

26 Tertia ſententia aſſerit, quod humanitatem eſſe vnitam Verbo diuino, ſcilicet in facto eſſe importat duo, ſcilicet ipſa extrema vnionis, & quodam vinculum inter medium, quo formaliter ſunt vnita, & in hoc cõueniunt Auctores huius ſententiæ cum auctoribus primæ, à quib⁹ tamen diſcriminantur in eo quod dicunt huiuſmodi vinculum vnionis productum per actionem aſſumptiuam eſſe modum quendam ſubſtantialem, & ſupernaturalem diſtinctum, etiam ab humanitate ex natura rei: ita Suarius hic diſputatione. 8. capite. 2. & Vazquius diſputatione 18. cap. 5. & Siluius in artic. 7. & alij iuniores, qui diuerſimode defendũt hanc ſententiam: Vazq. enim ait, hunc modum ſubſtantialem productum in humanitate per actionem aſſumptiuam ratione cuius humanitas eſt vnita Verbo, & ab illo ſuppoſitata eſſe ſuapte natura relatiuum, ita vt relatio dependentiæ quam humanitas dicit ad Verbum, vt ad ſuppoſitum a quo ſubſtentatur, non diſtinguatur ab ipſo modo.

Suarius vero ait hunc modum ſubſtantialem eſſe abſolutum, & ſolum

dicere tranſcendentalem habitudinem ad Verbum, eſſeque fundamentum proximum prædicamentalis relationis vnionis ad Verbum, & identificari entitatiue cum humanitate, licet ab illa formaliter ex natura rei diſtinguatur. Alij vero recentiores dicunt hunc modum ſubſtantialem, & ſupernaturalem, atque abſolutum eſſe, realiter tamen entitatiue modaliter diſtinctum ab humanitate: & quia hæc ſententia ſic explicata eſt veritati, & doctrinæ Diui Thomæ conformior: pro eius declaratione.

Dico primo. Vinculum vnionis, quo humanitas in facto eſſe manet vnita Verbo, nequit eſſe accidēs aliquod abſolutum, vel relatiuum. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Auctores primæ ſententiæ.

Et probatur primo, quia non poteſt ſaluari vnionem fuiſſe ſubſtantialem ſi medio aliquo accidenti facta fuiſſet, eo quod qualis eſt vnio, & ratio formalis vniendi talis eſt eius effectus formalis: ergo ſi ratio vniendi eſt accidentalis eius formalis effectus, nimirum vnionis in facto eſſe accidentalis eſſet, & non ſubſtantialis, quod tamen eſt contra teſtimonia Conciliorum, & Patrum adducta in art. 6.

Secundo probatur, quia vnio eſt de eſſentia cōpoſiti, ſed nullū accidēs poteſt eſſe de eſſentia compoſiti ſubſtantialis, qualis eſt Chriſtus: ergo nullum accidens, poteſt eſſe ratio vnionis in Chriſto. Maior patet, quia propterea anima eſt de eſſentia animati, verbi gratia, quia animatum nequit concipi ſine anima, ſed etiam compoſitum, vt ſic nequit concipi ſine vnione compoſitionis, cuius effectus formalis eſt compoſitum, ſiue vnitum: ergo. Minor autem probatur, quia omnia quæ ſunt de eſſentia, & integritate compoſiti ſubſtantialis ſunt ſubſtantialia: & propterea ſubſiſtētia eſt modus ſubſtantialis, quia pertinet ad integritatem ſuppoſiti, & hoc argumentum in vniuerſum habemus ad diſcernendum modum, ſiue partem ſubſtantialem ab accidentali, quod hæc non eſt de integritate ſubſtantiæ, bene tamen illa: ergo.

Tertio probatur, nam huiuſmodi accidēs, nec poteſt eſſe abſolutū, nec poteſt eſſe pura relatio: ergo nullo modo, poteſt eſſe accidens. Antecedens pro prima parte patet, quia modus iſte fuit per ſe productus per actionem vnitiuam humanitatis ad Verbum, ſed terminus huiuſmodi actionis non potuit eſſe aliquod accidens, quantumuis abſolutum, quia cum actio hæc ſubſtantialis ſit, hoc eſt productiua compoſiti, vt dictum eſt in prima ſuppoſitione, non potuit terminus productus per ipſam, nō eſſe aliqua forma ſubſtantialis.

Deinde pro ſecunda parte probatur, quia relatio nequit per ſe, & immediate produci cum ad relationem, non detur per ſe motus; imò illa fuit immediate, & per ſe producta. Tum etiam, quia omnis relatio prædicamentalis ſupponit fundamentum: ac proinde etiam iſta relatio vnionis in Chriſto ſupponere debet ſuum fundamentum, quod nullum aliud eſt, quam extrema eſſe vnita ſubſtantialiter: ergo prius vnio ſubſtantialis producta fuit, quam relatio in illa fundata. Tum, quia aliàs poſſet, & deberet admitti, hanc vnionem eſſe factam ſecundum relationem, quod tamen negat & damnat quinta ſynodus generalis collatione 6. c. 4 ergo.

27 Dico ſecundo Neceſſario fatendum eſt aliquem modum ſubſtantialis vnionis produci per actionem aſſumptiuam in humanitate. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Auctores ſecundæ ſententiæ.

Et probatur quoad primam partem. Primo, quia noua actio nouum terminum productum debet habere; ſed aſſumptio eſt noua actio: ergo habet aliquem terminum de nouo productum; tunc vltra ſed iſte terminus nouus, neque eſt Verbum, quod ab æterno exiſtit, neque humanitas, quia hæc producta eſt per generationem à Virgine Matre, quæ eſt diſtincta actio ab aſſumptione: ergo eſt aliquis modus vnionis in humanitate.

Huic argumento dupliciter reſpondent aduerſarij. Primo negando maiorem, quia non omnis actio habet terminum productum, ſed tantum omnis actio productiua: actio autem quæ tantum eſt vnitiua non producit aliquem terminum, & cum aſſumptio ſit actio tantum vnitiua non oportet, quod habeat terminū productum.

Secundo reſpondent diſtinguendo maiorem, & admittunt illam de termi-

no

no producto, *qui*, ſiue totali, negant tamen illam de termino formali, ſeu *quo*: Et ſub eadem diſtinctinctione diſtingunt conſequens, & admittunt aſſumptionem habuiſſe terminum totalem productum, ſcilicet Chriſtum, negant tamen habuiſſe terminum partialẽ, ſiue *quo* productum.

Sed neutra ſolutio eneruat vi argumenti facti: non prima, quia omnis actio quãuis tantum vnitiua ſit, ſi tamen ſit formaliter, aut virtute tranſiens, ſaltem ipſam vnionem debet producere; & talem eſſe aſſumptionem oſtendimus in prima ſuppoſitione, vbi etiam oſtendimus ex ſcriptura illam nomine, ac proprie eſſe factiuam, & ſic appellari in ſcriptura.

Neque ſecunda, quia actio quæ eſt factiua alicuius termini totalis, aliquem etiam terminum partialem debet producere medio quo conſtituatur terminus totalis: alioquin termini totalis productiua non eſſet, cuius neutrum extremum producit vt ſi generatiua actio hominis, neque materiam, neque anima producit, nihil in homine produceret, neque ipſius hominis eſſet productiua: ergo vt ſaluetur, quod aſſumptio eſt actio factiua alicuius termini totalis, nimirũ huius, quod eſt hominẽ eſſe Deũ, vel humanitatem vnitam eſſe Verbo Dei, neceſſario fatendum eſt illam producere aliquod in humanitate ſaltem vnionem ipſorum extremorum.

Secundo probatur, quia vnio humanitatis ad Verbum in facto eſſe ſumpta eſt producta, vt docet D. Thomas in articulo ſeptimo, & vt ſic condiſtinguitur à relatione, & ab actione ipſa aſſumptiua: ergo aliquis modus vnionis diſtinctus à relatione, & actione productus eſt in humanitate.

Minor probatur ex doctrina eiuſdem Diui Thomæ, qui in articulo ſeptimo, ait, relationem vnionis eſſe inter naturam diuinam, & humanam, ſecundum quod conueniunt in vna perſona filij: ac proinde ſentit conuenientiam, ſiue vnionem duarum naturarum eſſe priorem relatione, vtpote illius fundamentum: & in articulo nono ait, vnionem importare communicationẽ aliquorum in aliquo; quod neque poteſt intelligi de relatione quę ſupponit extrema coniuncta; neque de actione, quæ eſt productiua cõiunctionis, & maxime actio aſſumptiua ſubiectiue eſt in Deo, coniunctio vero naturarum eſt in Chriſto: & ibidem inquirit an hæc vnio ſit maxima vnionum, quod tamen de actione, aut relatione inquiri non poterat. Et in articulo 10. ait hanc vnionem fuiſſe factam per gratiam, quod intelligendum eſt per gratiam intrinſecam humanitati, & minimè actioni, aut relationi adaptari poteſt: non actioni, quia eſt extra humanitatem, ſcilicet in Deo, neque relationi, quia relatio maxime creata non eſt forma ſanctificans. Et tandem in articulo 12. ad tertium, ait, gratiam vnionis fieri effectiuè à Deo, quod etiam minus propriè de relatione intelligi poſſet, de actione vero minimè: ergo.

28 Tertio probatur, quia implicat aliquod prædicatum reale conuenire de nouo humanitati, quod antea illi non conueniebat, niſi facta aliqua mutatione in ipſa per aduentum, alicuius nouæ realitatis, aut modi producti de nouo, ſed humanitati aſſumptæ conuenit hoc prædicatum reale de nouo, ſcilicet eſſe vnitam realiter, & ſubſtantialiter verbo Dei, quod illi ante incarnationem non conueniebat: ergo facta eſt in humanitate aliqua mutatio per aduentum alicuius nouæ realitatis, aut modi.

Maior patet, quia implicat aliquod ſubiectum tranſire de non eſſe tali, ad eſſe tale realiter, quin realiter aliter ſe habeat, ac proinde quin nouam realitatem ſuſcipiat intrinſecè: alioquin de eodem immoto manente duo contradictoria prædicata per ſolam temporis mutationem verificarentur, quod eſt omnino impoſsibile: ergo.

Huic argumento dupliciter reſpondent Auctores ſecundæ ſententiæ. Primo quidem negando maiorem, quia ſimiliter de Verbo diuino prædicatur eſſe vnitum realiter, & ſubſtantialiter, atque de humanitate, & tamen hoc fit abſque ei intrinſeca mutatione, ſufficit enim fieri mutationem in aliquo tertio: quo pacto Deus dicitur etiam Dominus, & creans in tẽpore per ſolius creaturæ mutationem.

Secundo reſpondent admitten-

do maiorem pro prima parte, & negando illam pro ſecunda, admittunt enim in humanitate fuiſſe factam realem, & intrinſecam mutationē, per aduentum, vel ſolius relationis, vel ipſius perſonalitatis diuinæ, quæ humanitati per modum termini illam terminantis, ac ſuppoſitantis, aduenit, vel tandem per receptionem ipſius actionis vnitiuæ in humanitate.

Sed neutra ſolutio eneruat vim noſtri argumenti, non prima, quia Verbum non eſt capax mutationis ob eius ſummam actualitatem expertem potentiæ paſsiuæ, vt dictum eſt ſupra quæſtione prima articulo primo. Et propterea eſſe vnitum realiter, & ſubſtantialiter non dicitur de illo ſubiectiuè, ſicut de humanitate, ſed ſolum terminatiuè, ideſt de termino terminante ſine informatione; quod non arguit in illo realem mutationem, ſed ſolam rationis relationem.

Neque ſecunda, quia neque per ſolam relationem, neque per ſolam perſonalitatem diuinam, neque per receptionem actionis vnitiuæ poteſt fieri mutatio in humanitate, ratione cuius humanitas, quæ antea non erat vnita, ſi præexiſteret aſſumptioni, modo ſit vnita ſubſtantialiter Verbo diuino: non quidem propter duo. Tum, quia cum ſit accidens, nequit eſſe ratio conſtituendi, & denominandi humanitatem ſubſtantialiter vnitam. Tum etiam, quia cum ſupponat fundamentum, & ſit poſterior illo: fundamentum autem huius relationis nullum aliud ſit quam humanitatem eſſe vnitam Verbo, ex eo enim quod eſt vnita reſultat relatio, qua refertur ad Verbum, propterea prius eſt vnio; ſiue ratio vniendi humanitatem Verbo, quam huiuſmodi relatio.

Neque per ipſam perſonalitatem Verbi, quia hæc ſe ſola, ſine aliquo modo ſuperadito, nequit conſtituere, & denominare humanitatem vnitam, ac proinde ex vi ſolius perſonalitatis humanitas, non poteſt tranſire de non vnita in vnitam reali mutatione, alioquin manentibus ſolis extremis huius compoſitionis, ſcilicet humanitate, & perſonalitate Verbi ſemper humanitas diceretur vnita realiter Verbo, quod tamen eſſe falſum patet in caſu in quo Verbum dimitteret humanitatem, quæ conſeruaretur ſic dimiſſa in rerum natura: ergo vt perſonalitas Verbi immutet realiter humanitatem, aliquid aliud debet poni in illa, ratione cuius dicatur intrinſece vnita Verbo.

Neque tandem per receptionem actionis vnitiuæ: hæc enim vt ſupponimus ex dubio præcedenti eſt formaliter immanens, & conſequenter ſubiectiue eſt in Deo, ac proinde non recipitur formaliter in effectu quem producit extra Deum.

Quarto probatur, nam effectus formalis permanens in rerum natura petit formam, ſiue rationem formalem, etiam permanentem a qua proueniat, qua ratione probant Theologi in materia de iuſtificatione gratiam iuſtificantem eſſe habitum, & formam permanentem, quia homo tranſacto motu iuſtificationis permanenter denominatur iuſtus, ac proinde ab aliqua forma permanenti: ſed tranſacta actione vnitiua humanitas permanenter denominatur, & eſt vnita realiter Verbo diuino: ergo ab aliqua forma realiter permanenti.

Tunc vltra, ſed denominatio, & effectus formalis, nequit præſtari à ſola perſona Verbi, neque à relatione prædicamētali ob rationes aſsignatas in præcedenti argumento: neque ab actione vnitiua, quæ iam tranſacta eſt, & iſte effectus formalis, modo manet in facto eſſe: ergo prouenit ab aliquo modo ſubſtantiali vnionis in humanitate recepto.

29 Huic argumento reſpondent aduerſarij hunc effectum formalem in humanitate permanentem in facto eſſe prouenire immediate ab ipſa perſonalitate Verbi, non ſe ſola, aut abſolute ſumpta, ſed vt ſubeſt actioni vnitiuæ applicanti, & vnienti illam humanitati, & quamuis fieri huius actionis tranſactum fuerit, tamen in virtute illius manſit perſonalitas Verbi applicata humanitati: & vt ſic applicata conſtituit, & denominat illam permanēter vnitam, quod dupliciter ſuadent.

Primo, quia humanitatem eſſe vnitam nihil aliud eſt quam eſſe terminatam, & perſonatam à perſonalitate Verbi, ſicut perſonalitatem Verbi eſſe vnitam humanitati, nihil eſt aliud quam il-

lam

lam terminare, & perſonare ſua terminatione, quæ eſt ipſa perſonalitas, vt applicata humanitati; ergo ad huiuſmodi effectum præſtandum ſufficit perſonalitas Verbi ſuppoſita applicatione facta per actionem vnitiuam.

30 Secundo, quia id conſtituit humanitatem vnitam, & terminatam quod tollit eius in differentiam quam de ſe habet, vt poſsit terminari iſta, vel illa perſonalitate, ſed hanc indifferentiã tollit immediate ipſa perſonalitas Verbi, vt applicata reducit potentiam, & aptitudinem humanitatis in ratione terminabilis ad actum: veluti ſecundum actualis terminationis: ergo non indiget alio ſuperadito, &c.

Sed neutra ex his obiectionibus eneruat vim argumenti facti: non prima, quia licet humanitatem eſſe vnitam perſonæ Verbi in re ſit idem, atque illam eſſe terminatam, & perſonatam per eam: tamen ex hoc, non licet inferre ſufficere ſolam perſonalitatem Verbi ſuppoſita applicatione actionis vnitiuæ, adhunc effectum præſtandum, quia aut hæc applicatio actionis vnitiuæ ponit aliquid abſolutum in humanitate præter perſonalitatem, vel non. Si primum, ergo vel hoc abſolutum diſtinctum à perſonalitate; eſt aliquis modus vnionis, & ſic habemus intentum, vel eſt ipſa actio vnitiua formaliter recepta in humanitate. Et hoc eſt contra hypoſtaſim; quam fecimus ex doctrina Diui Thomæ, nimirum quod actiones Dei, etiam ſi operentur ſuos effectus, ad extra tamen formaliter manent in Deo. Si ſecundum, ergo manente ſola perſona Verbi, & humanitate ſemper denominarentur vnitæ, ſicut modo etiam ſi humanitas dimiteretur à Verbo, quod eſt abſurdum.

Neque ſecunda, quia licet perſonalitas Verbi ſit, quæ immediate tollit indifferentiam, & reducit ad actum potentiam, quam habet humanitas ad terminationem, vt ratio formalis terminandi illam, tamen non ſe ſola, ſed vt aſſotiata conditioni vnionis ſubſtantialis: quemadmodum licet anima ſit quæ actuat corpus hominis, vt ratio formalis tamen indiget vnione, vt conditione intrinſeca, & inſupplebili, eo quod nequit actuare corpus, niſi vt vnita illi, ſiue vt informans illud, & ſic nec perſonalitas Verbi terminat humanitatem, niſi vt ei vnita, ly, vt dicentente conditionem intrinſecam, & inſupplebilem, ac proinde humanitatem eſſe terminatam, ſiue perſonatam à perſona Verbi dicit duo de formali, nimirum ipſam perſonalitatem, vt rationem formalem per ſe terminandi, & perſonandi, & modum ſubſtantialis vnionis, vt conditionem requiſitam, & veluti mediante qua fit huiuſmodi terminatio, ſicut corpus eſſe animatum dicit duo de formali, ſcilicet, ipſã animam, vt rationem formalem animandi, & vnionem vt intrinſecam conditionẽ animationis.

31 Quinto probatur, nam in omnibus compoſitis actio vnitiua vere producit aliquam vnionem inter ipſas partes compoſiti, etiam ſi nullam ex partibus producat: ergo in hoc compoſito quod eſt Chriſtus actio vnitiua debuit producere aliquam vnionem inter humanitatem, & Verbum. Conſequentia patet, apparitate rationis, & quia ratio quæ poſtulat vnionem productam in allijs compoſitis etiam eam poſtulat in iſto, nimirum quia ſine tali vnionẽ producta, & diſtincta ab actione vniente, neque compoſitum, nec extrema vnita in facto eſſe intelligi poſſunt.

Antecedens autem probatur inductione, nã in primis in continuo partes vniuntur, & copulantur aliquo termino communi, qui vel eſt punctus, vt in continuo permanenti, vel eſt inſtans, aut mutatum eſſe, vt in ſucceſsiuis.

Deinde in alijs compoſitis naturalibus tam ſubſtantialibus vniuntur partes media aliqua vnione, quæ eſt cauſalitas in actu ſecundo vniuſcuiuſque partis. Quod ſic oſtendo: quando anima rationalis informat materiam aliquam cauſalitatem exercet in naturam, quæ eſt actus ſecundus virtutis informatiuæ; quam de ſe habet ipſa anima ſecundum eſſentiam ſuam, à quo actu ſecundo deſiſtit quando ſeparatur à corpore, & ſimiliter materia quando actu recipit animã exercet cauſalitatẽ ſuã, quæ eſt actus ſecundus ſuæ virtutis receptiuæ,

a quo etiam deſiſtit quando amittit animam: eoquod, tunc licet ſit receptiua in actu primo animæ rationalis, tamen non recipit illam in actu ſecundo, & idem contingit in albedine quando informando corpus in actu ſecundo conſtituit illud album: mediante enim hac actuali informatione vnitur illi, & corpus mediante actuali receptione vnitur albedini; in hoc enim diſcriminantur partes continui à partibus aliorum compoſitorum, quod illæ copulantur vnico termino communi, quia vna pars non exercet in aliam aliquam cauſalitatem per modum materiæ, aut formæ, nec per modum actus, aut potentiæ: iſtæ vero copulantur proprijs modis vnionis, qui conſiſtunt in proprijs cauſalitatibus, quas in ſe inuicem exercent dum comparantur in ſe inuicem, & copulantur per modum formæ, aut materiæ, ſiue per modum actus, aut potentiæ, & quia generans, ſiue agens in huiuſmodi compoſitis per ſolam actionem facit, quod forma actu informet ſubiectum, & quod ſubiectum actu recipiat formam, ideò dicitur efficere vnionem partium, in quo ſenſu Diuus Thomas tertia de potentia artic. 9. ad ſextum, ait, quod homo generans eſt cauſa vnionis animæ rationalis ad materiam, quia nimirum ſua actione generatiua diſponendo vltimo materiam ad receptionem animæ rationalis facit, quod hęc actu informet illam, & quod illa actu recipiat iſtam, & quamuis inter ſubſtantialem naturam, & connaturalem eius ſubſiſtētiam, non ſit vera cauſalitas, tamen quia eſt quaſi connaturalitas, eoquod natura habet ſe per modum terminabilis, ſubſiſtentia vero per modum terminantis, & complentis naturam; propterea etiam hęc vnio fit mediante aliquo vinculo vnionis, qui eſt modus huius quaſi connaturalitatis ex parte vtriuſq; extremi, quod ſic oſtendo.

32 Supponamus diſputationis gratia humanitatem Chriſti dimitti à Verbo, & vnire ſibi connaturalem perſonalitatem, quam à principio, niſi fuiſſet impedita habuiſſet. Tunc quidem humanitas eſſet actu terminata per propriā perſonalitatē, & hęc eſſet actu terminans illam, quæ actualis terminatio comparatur ad terminabilitatem humanitatis, tanquam actus ſecundus ad actum primum, ſiue tanquam actualis cauſalitas ad ſuam cauſam, & ſimiliter terminare actu comparatur ad aptitudinem, quam ſubſiſtentia de ſe habet ad terminandum, vt actus ſecundus ad actum primum. Neque enim de intrinſeca ratione ſubſiſtentiæ eſt actu terminare naturam, ſed tantum eſſe aptam in actu primo ad terminandum, ſicut & de eſſentia albedinis non eſt conſtituere actu album, ſed eſſe aptam in actu primo ad conſtituēdum album: vnde ſi huiuſmodi propria ſubſiſtentia humanitatis Chriſti, verbi gratia conſeruaretur à Deo ſeparatæ, vel cum alia humanitate coniuncta eſſet apta in actu primo ad terminandum humanitatem Chriſti, quæ aptitudo in caſu poſito quando vniretur illi, reduceretur veluti ad actum ſecundum, ac proinde aliquem modum quaſi cauſalitatis ſubindueret medio quo vniretur humanitati in facto eſſe. Alioquim manentibus extremis huius compoſitionis, ſcilicet humanitate, & propria ſubſiſtentia in rerum natura manerent ſemper vnita, quod tamen eſſe falſum patet in data hypoteſi, quod vtrumque extremum conſeruaretur à Deo in rerum natura, & vnum eſſet ſeparatum ab alio, quæ nullam inuoluit repugnantiam.

33 Dico tertio. Modus iſte vnionis ſubſtantialis eſt abſolutus, & realiter entitatiue ab humanitate diſtinctus. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Vazquez, & Suarez, & modum quo tertiam defendunt ſententiam.

Et pro prima parte probatur, quia implicat aliquid de prædicamento ſubſtantiæ eſſe formalem relationem cum omnis relatio formalis ſit de prædicamento accidentis: ergo cum modus iſte vnionis ſit ſubſtantialis, vtpote cum ſit de integritate compoſiti ſubſtantialis, quod eſt Chriſtus, nequit eſſe formaliter relatiuus eo vel maxime quod cum ſit terminus immediate productus per actionem vnitiuam, & ad relationem non detur immediate motus, propterea nequit eſſe formalis relatio, ſed potius eſt fundamentum relationis inde reſultantis, quod quidem abſolutum eſt in ſe, licet conſiſtat in habitudine tranſcēdētali ad Verbum.

Deinde pro ſecunda parte probatur dupliciter. Tum, quia modus

iſte vnionis producitur actione diſtincta realiter ab illis, quibus producuntur extrema, Verbum enim eſt productum per diuinā generationē: humanitas vero per naturalem generationem, ſed modus iſte eſt productus per actionem aſſumptiuam, quæ ab illis terminatiuè realiter diſtinguitur, vt oſtendimus dub. 1. ergo.

Tum etiam, quia modus iſte ſupernaturalis omnino eſt ab auctore ſupernaturali productus: ergo nequit identificari realiter cum entitate naturali humanitatis. Antecedens ſupponitur ab omnib⁹, & cōſequētia patet, quia effect⁹ ſupernaturalis entitatiue ſupernaturali debet gaudere entitate, ratione cui⁹ terminet actionē, & depēdentiā auctoris ſupernaturalis.

Neq; obſtat, quod iſte mod⁹ nō poſsit ab humanitate ſeparatus cōſeruari: multi enim ſunt modi, qui ſeparari non poſſunt etiam per Dei potentiam à rebus, quarum ſunt modi, à quibus tamen realiter diſtinguntur, vt exiſtentia ſeparari nequit à re cuius eſt exiſtentia, à qua tamen realiter entitatiuè diſtinguitur, & id ipſum de ſubſiſtentia dici debet, & de relatione, iuxta probabilem ſententiam aſſerentium illam realiter entitatiue diſtingui à ſuo fundamento, à quo tamen ſeparata nequit cōſeruari.

Ex his facile ſolui poſſunt argumenta primæ ſententiæ hic aducta à Caietano.

Ad primum vero pro ſecunda ſententia dicendum eſt D. Tho. in illis locis non velle excludere medium inter humanitatem, & perſonam Verbi, quod ſit modus vnionis ſubſtantialis; ſed tantum medium illud quod eſt entitas, aut realitas completa, aut forma aliqua accidētalis deſtruens ſubſtantialem vnionem humanitatis ad Verbum, quod patet ex inconueniēti, quod infert D. Thom. in vltimo loco, dicens alioquin eſſe accidentale præſupponeretur ad eſſe ſubſtantiale, quod incōueniens non colligeret niſi ſupponeret ſe loqui de forma inter media accidentali, aut completa entitate ſubſtantiali, quæ impediret vnionem entis per ſe incompoſito ſubſtantiali.

Ad ſecundum admiſſa maiori, nego minorem. Ad cuius probationem patet ex dictis in ſecunda concluſione.

Ad tertium reſpondetur, nullum ex illis inconuenientibus ſequi: non primum, quia cum modus iſte vnionis ſubſtantialis ſit ratio formalis vniendi humanitatem cum Verbo ſe ipſo vnitur humanitati ſine alio inter medio, ſicut & actio ſe ipſa emanat ab agente, & lux ſe ipſa eſt lucida, & quantitas ſe ipſa eſt extenſa, quia huiuſmodi formæ ſunt rationes formales communicandi hos effectus formales alijs, & ſibi ipſis. Neque ſequitur ſecundum, quia cum iſte modus ſit ens incompletum, non inconuenit eſſe ſupernaturalem, & ſubſtantialem, quia non inconuenit dari ſupernaturalem ſubſtantiam modalem, & incompletam: hæc enim cum modalis ſit etiam dicit tranſcēdētalem habitudinem ad ſupernaturalitatem increatam aqua, vt à termino extrinſeco ſpecificatur non minus, quam accidētia: ſecus tamē contingeret in ſubſtantia ſupernaturali completa, cuius ſpecifica ratio non poteſt non eſſe abſoluta, etiam ab ordine tranſcendentali, ac proinde ab extrinſeco ſpecificari non poteſt, ex quo colligunt Theologi illam non eſſe factibilem.

Nec tandem ſequitur tertium, quia modus iſte vnionis, neque præſupponit humanitatem terminatam à Verbo, neque præſupponitur ad eius terminationem, ſed concomitāter ſe habet ad illam, vt conditio intrinſece requiſita ad huiuſmodi terminationē: ſimul enim eſt ratio formalis vniendi humanitatem Verbo, & intrinſeca conditio, ſiue modus mediante, quo Verbum terminet humanitatem, & humanitas reditur perſonata, & terminata à Verbo, quemadmodum exiſtentia ad conſtitutionē cauſæ efficientis in actu primo concurrit, vt intrinſeca conditio, & complementum, neque ſupponens, nec præcedens ipſum actum primum conſtitutum, ſed complens illum concommitanter ſe habet: poteſt etiam dici, quod quemadmodum vnio animæ ad materiam, nec ſubſequitur, neque præcedit eius informationem, ſed eſt ipſa actualis informatio media qua anima informat materiam, ita vnio humanitatis ad Verbum, neque præcēdit, neque ſubſequitur ad eius terminationem, ſed eſt ipſa actualis terminatio, vt paſsiue recepta in humanitate: quamuis enim ratio terminandi ſit ipſa perſonalitas Verbi, & eius actualis terminatio, prout ſe tenet veluti actiue ex parte perſonalitatis

Verbi nihil adat ſupra ipſam perſonalitatem, niſi reſpectum rationis, tamen vt ſe tenet ex parte humanitatis, & prout paſsiuè recipitur in illa eſt quidam modus ſubſtãtialis vnionis in humanitate receptus à quo proinde humanitas denominatur ſubſtantialiter vnita, vt à ratione formali vniendi, & denominatur actu terminata, nõ quidem vt à ratione formali terminandi: ſic enim denominatur immediate ab ipſa Verbi perſonalitate, ſed vt ab actuali terminatione, ſicut & effectus quicumque productus à virtute alicuiꝰ agẽtis media actione tranſeunte in ipſo recepta dicitur productus ab vtraque, licet diuerſimode, ab illa quidem vt à ratione formali agendi: ab iſta verò vt ab actuali productione ſiue cauſalitate agentis.

Dubium tertium eſt. Quis ſit terminus formalis, ad quem huius actionis aſſumptiuæ, & conſequenter quis ſit terminus a quo?

34 IN Hoc dubio quia quatuor ſũt quæ concurrunt, & inueniuntur in compoſitione perſonæ Chriſti, nimirum ipſa perſona Verbi, humanitas, modus vnionis ſubſtãtialis, & relatio ex illo, reſultans ideò diuiſi ſunt Theologi in quatuor ſententias, vt explicẽt quod nã ex his quatuor ſit terminus formalis, & ſpecificatiuus, ſiue *quo* aſſumptionis (terminum enim totalẽ, ſiue qui eſſe ipſum Chriſtum, ſiue Deum eſſe hominem, ſupponimus ex dictis.)

Quare prima ſententia aſſerit terminum formalem, & ſpecificatiuum hujus actionis eſſe ipſam vnitatem perſonæ Verbi, prout connatat vnitam humanitatem, li, vt dicente conditionem; ita Capreolus in 3. diſt. 15. quæſt. 1. Caietan. in hoc art. & Medina, Albar. diſp. 13. Vincen. in releѕt. quæſt. 7. pag. 863. Valentia puncto 5. & Nazarius hic controuerſ. 2. qui conſequenter docent terminũ à quo eſſe negationem perſonalitatis Verbi in humanitate.

Quorum fundamentum eſt triplex. Primum, quia teſte Diuo Thoma. art. 6. & 8. aſſumptio reſpicit duo extrema, quorum vnum ad aliud trahitur: eſt enim aſſumptio, qua ſi ab alio ad ſe ſumptio, ſed humanitas eſt vnum ex his extremis, quod trahitur ad alterum, ſcilicet ad perſonam Verbi, vt per eam ſubſiſtat, & habeat eſſe: ergo perſona Verbi eſt terminus formalis, & ſpecificatiuus aſſumptionis. Conſequentia patet, nam formalis terminus, & ſpecificatiuus productionis cuiuſcumque compoſiti eſt illud, quod eſt magis actuale, & habet ſe ad inſtar actꝰ, & formæ perficientis, & communicantis eſſe alteri extremo, quod habet ſe per modũ ſubiecti, & perfectibilis, vt inductione probari poteſt in omni generatione ſubſtantiali, & accidentali productione, ſed perſonalitas Verbi in hac compoſitione habet ſe ad inſtar actus perficientis humanitatem, & dantis illi eſſe perſonale, & exiſtentiæ: ergo eſt terminus formalis.

Secundum eſt, quia idem nequit eſſe ſubiectum mutationis, & terminus formalis eiuſdem, ſed humanitas eſt ſubiectum actionis vnitiuæ, de qua loquimur; ſaltem paſsiue ſumptæ: ergo.

Tertium eſt, quia ſi Deus vniret humanitatem Petri v. g. & eius connaturalẽ perſonalitatem poſtquam præexiſterent ſeparatæ à ſe inuicem, terminus totalis huius actionis vnitiuæ eſſet petrus: formalis vero eſſet eius perſonalitas: humanitas vero eſſet quaſi ſubiectum, & materia, in qua talis actio reciperetur: ergo parimodo cum perſonalitas Verbi præexiſtens ante hanc actionem, per illam vnitur debet eſſe eiꝰ terminus formalis, & humanitas terminus quaſi materialis.

35 Secunda ſentẽtia aſſerit huiuſmodi terminum formalem, & ſpecificatiuum eſſe vnionem humanitatis cum Verbo ſumptam pro relatione prædicamentali, ita Scot. in 3. diſt. 1. q. 1. art. 3. & Rada in 3. p. controu. 3. artic. 4. eo quod exiſtimant nihil aliud fieri immediate in humanitate per

per actionem vnitiuam niſi vnionem quæ in humanitate eſt relatio actualis dependẽtiæ, ad Verbum, & terminus formalis actionis vnitiuæ Dei eſt illud quod fit per illam immediatè, & quia terminus à quo debet eſſe cõtrarius termino ad quem conſequenter dicunt iſti auctores terminum à quo huius actionis eſſe negationem talis relationis in humanitate.

Fundamentum huius ſententiæ, nullum aliud eſt, quã illud quod ſuperius adduximus quia ſcilicet exiſtimant iſti auctores nihil produci in humanitate per actionem vnitiuam niſi totam relationem & terminus formalis ſpecificatiuus actiones debet eſſe id quod per illam immediate producitur.

Tertia ſententia eſt aliorum recẽtiorum, de quorum numero eſt Ranguſa diſput. 40. aſſerentium terminum formalem, & ſpecificatiuum, ſiue ad quem huius actionis eſſe modum vnionis ſubſtantiatialis in humanitate productum, & conſequẽter, quia terminus à quo debet eſſe illi contrarius erit negatio huius vnionis ſubſtãcialis in humanitate. Quæ ſentẽtia probatur à ſuis auctoribus quia hæc actio ſecundum ſuam ſpecificam rationem eſt vnitiua humanitatis ad Verbum, ſed vt ſic tãtum ſpecificatur, vt à termino formali ab vnione immediate producta quæ eſt modus iſte vnionis ſubſtantialis in humanitate productus: ergo hic eſt terminus formalis ſpecificatiuus talis actionis: minor, patet dupliciter. Tum quia actio vnitiua vt vnitiua à ſola vnione ſpecificatur, eo vel maxime, quod natura ſiue forma quã vnit nõ terminat talem actionem niſi ſub ratione vnius: ergo hæc eſt ratio formalis terminandi actionem. Tum etiam quia propria productio hominis; verbi gratia, eſt actio diſtincta à creatione materiæ & à creatione animæ rationalis quia eſt productio modi vnionis inter materiam, & animam educendo illum de potentia ſubiecti: ſupponimus namque in homine eſſe tres realitates, nimirum materiam, animam rationalem, & modum vnionis ſubſtantialis, & ſimiliter tres actiones, nimirum creationem materiæ, & creationem animæ, & eductionem vnionis de potentia ſubiecti quæ quidem nec poteſt habere pro termino formali materiam, nec animam, ſed ipſum præciſſe modum vnionis, idemque contingeret in quocumque alio compoſito ſiue ſubſtantiali, ſiue accidentali, cuius forma produceretur à Deo per diſtinctam actionẽ ab illa qua vnitur ſubiecto: hęc enim non poteſt habere pro termino formali talem formam, ſiquidem illa eſſet formalis terminus alterius actionis, quæ eſſet productio ipſius: ergo.

Quarta ſententia aſſerit actionem hanc vnitiuam ſecundum varias eius conſiderationes, varios etiam habere terminos formales, ad quos, & ſimiliter varios proportionaliter habere terminos à quibus: nam ſi hæc actio conſideretur vt incarnatio, vel humanatio terminus eius formalis ad quem eſt humanitas vnita, ſi autem conſideretur, vt aſſumptio eſt vnitas diuinæ ſubſiſtentiæ, vt communicata humanitati, ſi vero conſideretur, vt vnitio terminus eius formalis eſt modus ſubſtantialis vnionis productus in humanitate, ita Suar. diſp. 8. ſeſs. 2. & 3. qui ſic exiſtimat ſe oppoſitas Theologorum ſententias ad concordiam reducere.

humanitas eſt terminꝰ formalis actionis aſſũtiua.

Cuius fundamenta nulla alia ſunt pręter illa quæ ſinguli auctores prællegati pro ſuis ſententijs adducunt. Sed his non obſtantibus vera ſententia quæ à nobis ſtatuitur pro concluſsione aſſerit terminum formalem ad quem aſſumptionis eſſe duntaxat humanitatem, vt vnitam Verbo ita vt terminus iſte formalis compleatur ex duobus, nimirum ex humanitate, & ex vnione, vt ex modo intrinſeco adiũcto, & ſimiliter terminum à quo eſſe negationem diuinæ ſubſiſtentiæ, & vnionis illius in humanitate, qui poteſt explicari per hoc quod eſt Deum non eſſe hominem.

36 Hæc defenditur à Vazq. diſputat. 19. capit. 2. & 1. part. diſputation. 162. cap. 3. Et pro prima parte probatur primo, quia natura conſtituens terminum totalem, & vt *qui* alicuius actus eſt terminꝰ formalis ſiue vt quo eiuſdẽ actionis, ſed humanitas eſt, quæ conſtituit terminũ totalem actionis vnitiuæ, ſcilicet hũc hominem: ergo eſt terminus formalis, ſiue vt quo illius. Maior patet inductione in terminis omnium actionum vnitiuarum tam ſubſtantialium, quam accidentalium, & minor probatur, quia terminus totalis, & vt qui huius actionis eſt perſona Verbi, quatenus eſt hic homo, cuius vt ſic humanitas eſt formaliter conſtitutiua: ergo cũ alias non ſit formaliter conſtitutiua huius ſuppoſiti diuini in ratione hominis ſumpta abſolute, & ſecundum ſe, niſi vt vnita

tali ſuppoſito hinc eſt quod humanitas vt ſic vnita eſt terminus formalis actionis vnitiuæ.

Secundo probatur, nam formalis terminus alicuius actionis eſt ille à quo formaliter talis actio ſpecificatur, & denominatur; ab humanitate autem aſſumpta actio aſſumptionis ſpecificatur, & denominatur aſſumptio ſiue incarnatio: ergo illa eſt eius terminus formalis: minor probatur dupliciter. Tum quia incarnatio eſt actio diſtincta ſpecie ab aſſumptione naturæ Angelicæ, & non alia ratione niſi quia natura aſsũpta eſſet diuerſa: ergo. Tũ etiã quia eodẽ modo terminat humanitas aſſumptionẽ quo terminat alias actiones terminatas ad hominẽ; v.g. formationẽ, generationẽ, & reſurrectionẽ, ſed has terminat vt terminus ſpecificus, & formalis: ergo etiam aſſumptionem terminat, vt terminus ſpecificus, & formalis, licet ſecũdũ diuerſas rationes: formationẽ enim terminat quatenus fit ex alia natura præſuppoſita, generationem vero quatenus forma communicatur materiæ, reſurrectionẽ autem quatenus eadem forma revnitur materiæ, & tandem aſſumptionem terminat quatenus vnitur diuino ſuppoſito.

Tertio, & vltimo probatur, impugnando cæteras ſententias, & in primis prima ſuſtineri non poteſt propter tria. Tum quia cum incarnatio ſit actio quædã factiua, vt dictũ eſt & in tempore exercita de nouo nõn potuit diuinum Verbum eſſe terminus formalis ſpecificus illius, eo quod æternum increatum, & immutabile eſt. Tum etiam quia variata actione aſſumptiua ſecundum ſpeciem, vt contingeret in aſſumptione naturæ Angelicæ, & in aſſumptione naturæ humanæ non poteſt manere idem terminus formalis, & ſpecificus, & tamen manet eadem prorſus perſona Verbi. Tum denique quia iuxta doctrinam Diu. Thom. infr. quæſt. 16. articul. 7. & 9. quando hoc nomen, Chriſtus, ponitur à parte ſubiecti non tenetur formaliter pro natura, ſed materialiter pro ſupoſito, ac propterea perſona habet locũ materialis in Chriſto, & humanitas habet locũ formalis. Ex quo etiam fit quod falſum ſit dicere quod hic homo demõſtrato Chriſto eſt creatura, aut incepit eſſe, aut eſt factus Deus: quæ omnia ruerent, ſi perſona Verbi teneret ſe formaliter, & humanitas materialiter in Chriſto: ergo nullatenus admittendum eſt in ſententia Diu. Thom. perſonam Verbi eſſe terminum formalem actionis vnitiuæ.

Deinde nec ſecunda ſententia ſuſtineri poteſt, quia vt ſupradictum eſt neque vnio humanitatis ad Verbum facta eſt accidentaliter, neque ſecundum relationem, neque ad relationem datur immediate motus, & minus ſubſtantialis actio qualis eſt incarnatio potuit terminari immediate ad relationem prædicamentalem quæ omnia ruerent ſi prædicamentalis relatio eſſet terminus formalis, & vt quo huius actionis: ergo. Rurſus quod tertia ſententia ſuſtineri non poſsit, probatur dupliciter. Tum quia variatis actionibus ſecundum ſpeciem neceſſe eſt variari, & terminos formales illarum, ſed eiuſdẽ ſpeciei eſſet modus vnionis hypoſtaticæ, etiam ſi produceretur per actiones ſpecie diſtinctas cuiuſmodi eſſent aſſumptio humanitatis, aſſumptio naturæ Læonis, & aſſumptio naturæ Angelicæ: ergo. Tum etiam quia ſic cõparatur modus iſte vnionis ad actionem aſſumptiuam, ſicut modus vnionis animæ rationalis ad generationem hominis, ſicut enim iſta eſt productio naturalis hominis, & illa eſt ſupernaturalis quædam productio huius hominis quę eſt Chriſtus, ſed terminus formalis generationis hominis non eſt vnio animæ, teſte Phyloſoph. 2. Phyſic. textu 14. & lib. 1. de partibus anim. capit. 1. aſſerente terminum formalem generationis eſſe ipſam naturam, ſiue formam, vt communicatam materiæ: ergo neque terminus formalis aſſumptionis poteſt eſſe vnio, ſed debet eſſe natura, vt vnita.

Denique quod tertia ſententia ſuſtineri non poſsit, probatur dupliciter. Tum quia iſta actio quocunque nomine ſignificetur eſt prorſus eadem numero, & ſecundum ſpeciem, vt docet Diu. Thom. artic. 8. & ipſe Suar. admittit: ergo impoſsibile eſt quod habeat diuerſos terminos formales, ſiquidẽ ex horũ diuerſitate neceſſe eſt in actionibus conſurgere ſpecificam diuerſitatem. Tum etiam, quia hæc actio quouis nomine ſignificata habet eundẽ terminũ totalem quæ eſt vnus Chriſtus, ſed vnitas termini totalis ſumitur ex vnitate termini formalis ſicut vnitas compoſiti ex vnitate formæ, ſiue naturæ, per quam formaliter conſtituitur in eſſe talis: ergo etiam habet eundem terminum formalem. Reiectis igitur his ſententijs, nihil aliud reſtat in Chriſto,

quod

quod ſit terminus formalis actionis aſſumptiuæ præter humanitatem ipſam vt vnitam perſonæ Verbi. Ex hac concluſione colligitur, etiam quis ſit terminus à quo actionis vnitiuæ, nam ſi fiat comparatio ad terminum totalem huius actionis, qui eſt Deus homo ſiue Deum eſſe hominem terminus à quo ei oppoſitus debet eſſe negatio huius quod eſt Deum eſſe hominē, cum enim hæc actio non habeat rationē motus, ſed potius ſimplicis, & inſtātaneæ productionis nō debet verſari inter duos terminos poſsitiuos, ſed inter negationem vt terminum à *quo*, & poſitiuum terminū ad *quem*, ſi autem fiat cōparatio reſpectu termini formalis ad *quem*, huius actionis, quem diximus eſſe humanitatem, vt vnitā perſonæ Verbi, terminus à quo ei oppoſitus debet eſſe negatio humanitatis vnitæ in perſonæ Verbi, eo quod antecedenter ad aſſumptionem verū erat dicere humanitatem non eſſe in perſona Verbi, ac proinde negatio quæ fundat veritatē huius propoſitionis fuit terminꝰ à quo actionis vnitiuæ. Cōſulto autē dixi in perſona Verbi, & non in humanitate, quia licet etiam in humanitate prius natura quam aſſumeretur præceſſerit negatio vnionis cū Verbo tamen hæc non potuit eſſe terminus à quo huius actionis propter duo. Tū quia eadē humanitas eſt terminus ad quē cui debet opponi terminus *à quo*, & implicat eandem naturā ſubire munus vtriuſq; termini oppoſiti. Tum etiam, quia negatio vnionis in humanitate ſoli vnioni opponitur, ac proinde ſola vnio eſſet terminus ad quem: quod tamen oſtendimus eſſe falſum.

37 Ad primum igitur pro prima ſententia nego maior. quod enim aliquid in aliqua vnione ſit principalius, & actualius non ſufficit vt habeat rationem termini formalis quod patet in productione cōpoſiti accidentalis; v. g. albi in quo ſubſtantia eſt quid principalius, actualius, & magis intentum quam albedo, & tamen hæc habet locum termini formalis, ac proinde quamuis humanitas eleuata ad perſonalitatem Verbi accipiat ab illa dignitatem, & perfectionem, tamen quia totalis terminus qui eſt compoſitum ipſum, ſcilicet Chriſtus, non conſtituitur à perſonalitate, vt à forma, ſed vt à ſuppoſito ſuſtentante humanitatem, & ab hac potius conſtituitur, tanquam à forma dante ſuppoſito formalitatem humani ſuppoſiti, & humanæ perſonæ, ideo potius ſuppoſitum Verbi habet vicem, quaſi ſubiecti, & humanitas habet vicem quaſi formæ.

Ad ſecundum diſtinguenda eſt maior ſi enim intelligatur de mutatione phyſica, & formaliter tranſeunte, ac recepta in paſſo, ſiue mutatione ſubiecti ab vnico termino poſsitiuo in alterum eſt concedenda: ſi autem intelligatur de mutatione ſumpta pro ſimplici productione, ſiue adquiſitione alicuius termini eſt neganda: eo quod in huiuſmodi actionibus bene poteſt idem eſſe ſubiectum, & terminus quo pacto reſpectu creationis paſsiue ſumptæ, (actiue enim ſumpta eſt formaliter in Deo, vt ſupponimus) eadem entitas eſt terminus productus, & eſt ſubiectū in quo recipitur creatio paſsiue ſumpta quæ vt ſic importat fieri creaturæ, ſiue hoc fieri ſit ſola relatio formalis dependētiæ, quā creatura dicit ad creatorem, vt ſecundum expoſitionem aliquorum interpretum ſenſit Diu. Thom. in materia de creatione, ſiue importet præter relationē ipſam aliquem modum abſolutum dependentiæ rei creatæ à creatore, in quo fundetur huiuſmodi relatio, vt ſecundum aliorum interpretationem, ſenſit D. Thom. & ſimiliter reſpectu huius actionis vnitiuæ paſsiue ſumptæ, quia non eſt phyſica tranſmutatio, ſed duntaxat ſimplex affectio, vel impreſsio modi vnionis in humanitate eadem humanitas poteſt eſſe formalis terminus, & ſubiectum.

Ad tertium nego antecedens quia etiam in illo caſu natura haberet locum termini formalis talis actionis vnitiuæ eo quod potius conſtitueret perſonam, ſiue compoſitum illud per modum formæ, quā perſonalitas, ex quibus manent etiam ſoluta fundamenta tertiæ, & quartæ ſententiæ.

Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ, nego minor. Ad cuius primam probationem dicendum eſt quod natura vnita terminat actionem vnitiuam vt ratio formalis terminandi, dependenter tamen ab vnione, vt à cōditione ſine qua nō. Ad ſecundam, nego iterum minorem, nā in generatione hominis, quæ ſimul eſt actio vnitiua animæ ad materiam, anima eſt quæ terminat formaliter, non ſecundum ſuam entitatem ſeorſum ſumptam quo pacto terminat creationem, ſed vt informans materiam, & vt illi vnita, ly, vt denotante conditionem intrinſecam, ex cuius adiunctione ſuf-

ne ſufficienter variatur anima in ratione termini formalis, licet nõ in ratione entis, aut animæ, ſicut eadẽ eſſentia diuina, prout eſt in filio eſt terminus formalis, generationis diuinæ, & eadem eſſentia prout eſt in Spiritu Sancto eſt terminus formalis ſpirationis, quæ eſt actio diſtincta formaliter à generatione, non diſsimiliter eadem humanitas, quæ ſecundum ſe fuit terminus formalis generationis, potuit vt vnita eſſe terminus formalis aſſumptionis.

ART. IX.

Vtrum vnio duarum naturarum in Chriſto ſit maxima vnionum?

[3. d. 5. q. 1 ar. 1. q. 2. & 4. con. cap. 41.]

AD nonum ſic proceditur. Videtur, quôd vnio duarum naturarum in Chriſto non ſit maxima vnionum. Vnitum enim deficit in ratione vnitatis ab eo quod eſt vnum: eo quod vnitum dicitur per participationem, vnum autem per eſſentiam. Sed in rebus creatis aliquid dicitur ſimpliciter eſſe vnum: ſicut præcipuê patet de vnitate ipſa, quæ eſt principiũ numeri. Ergo huiuſmodi vnio, de qua loquimur, non importat maximam vnitatem.

2 Præterea, Quanto ea, quæ vniuntur, magis diſtant; tanto minor eſt vnio. Sed ea quæ ſecundũ hanc vnionem vniuntur, maximê diſtant, ſcilicet natura diuina, & humana: diſtant enim in infinitum. Ergo huiuſmodi eſt minima vnio.

3 Præterea, per vnionem fit aliquid vnum. Sed ex vnione animæ & corporis in nobis ſit aliquid vnũ in perſona & natura: ex vnione autem diuinę, & humanæ naturæ fit aliquid vnum ſolum in perſona. Ergo maior eſt vnio animæ ad corpus, quam diuinæ naturæ ad humanam, Et ſic vnio de qua loquimur, non importat maximam vnitatem.

Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit 1. de Trinitat. † quod homo potius eſt in Filio Dei, quam Filius in patre. Filius autem eſt in patre per vnitatem eſſentiæ: homo vero eſt in Filio per vnionem incarnationis. Ergo maior eſt vnio incarnationis, quam vnitas diuinæ eſſentiæ, quæ tamen eſt maxima vnionum. Et ſic perconſequens vnio incarnationis importat maximam vnitatem. [c. 10. ante med. to. 3.]

Reſpondeo dicendum, quod vnio importat coniunctionem aliquorum in aliquo vno. Poteſt ergo vnio incatnationis dupliciter accipi. Vno modo ex parte eorum, quæ coniunguntur. Alio modo ex parte eius, in quo coniunguntur. Et ex hac parte, huiuſmodi vnio habet præeminentiam inter alias vniones: nam vnitas perſonæ diuinæ, in qua vniuntur duæ naturæ, eſt maxima. Non autem habet præeminentiam ex parte eorum, quæ coniungũtur.

Ad primum ergo dicendum, quod vnitas diuinæ perſonæ eſt maior, quam vnitas numeralis, quæ ſcilicet eſt principium numeri. Nam vnitas diuinæ perſonæ, eſt vnitas increata, per ſe ſubſiſtens, non recepta in aliquo per participationem. Eſt etiam in ſe completa, habens in ſe quicquid pertinet ad rationem vnitatis: & ideo non competit ſibi ra-

vnio

Digitized by Google

tio partis, ſicut vnitati numerali, quę eſt pars numeri, & quæ participatur in rebus numeratis. Et ideo quantum ad hoc, vnio incarnationis præeminet vnitati numerali, ratione ſcilicet vnitatis diuinæ perſonæ: non autem ratione naturæ humanæ, quæ non eſt ipſa vnitas diuinæ perſonæ, ſed eſt ei vnita.

Ad ſecundum dicendum, quod ratio illa procedit ex parte coniunctorum: non autem ex parte perſonæ, in qua eſt facta vnio.

Ad tertium dicendum, quod vnitas diuinæ perſonæ eſt maior vnitas, quam ſit vnitas & perſonæ, & naturæ in nobis. Et ideô vnio Incarnationis eſt maior, quam vnio animæ, & corporis in nobis.

Quia vero illud quod in contrarium obijcitur, falſum ſupponit, ſcilicet quod maior ſit vnio incarnationis quam vnitas perſonarum diuinarum in eſſentia: dicendum eſt ad auctoritatem Auguſtin. † quod humana natura non eſt magis in Filio Dei, quam Filius Dei in patre, ſed multo minus. Sed ipſe homo quantum ad aliquid, eſt in filio magis, quam filius in patre: in quantum ſcilicet idē ſupponitur in hoc quod dico, homo, prout ſumitur pro Chriſto; & in hoc quod dico, filius Dei: non autem eſt idem ſuppoſitum patris, & filij.

poſitā in ar gu. ſed co.

PRIMA concluſio eſt, vnio duarum naturarum in Chriſto conſiderata ex parte eius in quo cō iunguntur, ſcilicet ex parte diuini ſuppoſiti eſt maxima inter omnes vniones, ſcilicet creatas quia vnitas diuini ſuppoſiti in quo vniuntur diuinæ naturæ eſt maxima.

Secunda concluſio ſi hæc vnio conſideretur ex parte extremorum quæ vniuntur, ſcilicet duarum naturarum non eſt maxima inter omnes vniones etiā creatas quia maior eſt vnio duorum in eadem natura, & quia extrema huius vnionis, minorem proportionem, & coaptationē habent de ſe, vt vniantur: quam alia vnibilia creata, ad quarum concluſionum intelligentiam.

Dubitatur. An hæc vnio Incarnationis ſumpta in facto eſſe, abſolute, & ſimpliciter in ratione vnionis ſit maxima omnium vnionum creatarum?

AD tituli intelligentiam explicādi ſunt tres termini poſiti in illo, vt ſenſus quęſtionis patefiat. Prim⁹ eſt *vnio in facto eſſe*, per quem denotamus hic non eſſe controuerſiam de vnione in fieri, ſumpta pro actione vnitiua, neque de vnione ſumpta pro relatione, ſed de vnione quę eſt terminus actionis vnitiuæ, & fundamentum relationis, cuius vnionis quiditas fuerat explicata in articulis præcedentibus à Diu. Thom. & in iſto explicatur gradus perfectionis.

37 Secundus eſt *in ratione vnionis*, quo denotatur, hic non conſiderari gradum perfectionis huius vnionis in ratione entis aut doni, ſed in ratione veluti ſpecifica vnionis, poteſt enim aliqua vnio in ratione entis eſſe maior, quam altera, & minor illa in ratione vnionis, vt vnio animæ cum gratia iuſtificāte eſt maior in primo ſenſu quam vnio eiuſdem animæ cum corpore, & minor illa in ſecūdo ſenſu, quapropter hic tantum comparatur vnio incarnationis ad alias in ſecundo ſenſu, nam in primo agitur de illa à D. Thom. quæſt. 7. art. 11. & 12.

Tertius terminus eſt, *maxima omnium creatarum*, ad denotandum hic à nobis comparari vnionem incarnationis ſolum

lum autem vnionibus creatis, nam vt docet Diu. Thom. in ſolutione ad argumentum, *ſed contra* vnio diuinarum perſonarum in vnitate eſſentiæ ſimpliciter eſt maior vnione incarnationis: quare ſenſus quęſtionis eſt, an vnio facta in Chriſto qua duæ naturæ ſunt vnitæ, in vna perſona Verbi; ſit ſimpliciter maxima ſecundũ ſuam rationem ſpecificam vnionis, inter omnes vniones creatas, in quo ſenſu, tres ſunt ſententię Theologorum.

Prima eſt Durandi in 3. diſtinct. 5. quæſt. 3. aſſerentis hanc vnionem eſſe quidem dignisſimam, non tamen eſſe maximam omnium creatarum in ratione intrinſeca, & formali vnionis: cuius fundamentum eſt quia materia, & forma magis efficiũtur vnum quam extrema huius vnionis, ſed vnio illa eſt maior cuius terminus eſt magis vnum, vel cuius extrema efficiunt, ſiue efficiuntur magis vnum, & in diuiſum: ergo materiæ, & formæ eſt maior, quam iſta: minor patet quia vnio conſiſtit in vnitate, & in indiuiſione extremorum: maior vero probatur dupliciter: tũ quia materia & forma cõſtituũt vnũ ſecũdũ naturã, & ſecundum ſuppoſitum, quod quidem eſt magis vnum quam vnum, ſecundum ſuppoſitum duntaxat, quale eſt illud, quod reſultat ex vnione incarnationis. Tum etiam, quia materia, & forma non poſſunt exiſtere ſeparatæ à ſe inuicẽ, ſicut poſſunt extrema huius vnionis; quod tamen eſt ſignum maioris vnionis: ergo.

Confirmari poteſt amplius vis huius argumenti, ex eo quod ratio qua D. Thom. probat in articulo hanc vnionem eſſe maximam omnium non videtur efficax propter duo. Tum quia ex illa ſequitur vnionem hanc non eſſe minorem ſimpliciter vnione Trinitatis ſiquidem non eſt minor vnitas perſonæ Verbi in qua vniuntur natura diuina, & humana, quam vnitas eſſentiæ diuinę in qua vniuntur tres perſonæ, & eo aliqua vnio eſt maior, quo eius extrema vniuntur in aliquo tertio magis vno; cuius tamen oppoſitũ docet Diu. Thom. in ſolutione ad argumentum, *ſed contra*: ergo. Tum quia ſequeretur vnionem accidentium in Chriſto, & ſimiliter vnionem iuſtorum in Deo per gratiam, ſiue per beatitudinem eſſe maximam omnium creatarum quia vtraque fit in re maxime vna, illa quidem in perſona Verbi hæc vero in Deitate quod tamẽ eſt manifeſte falſũ: ergo & antecedẽs.

Secunda ſententia eſt Palud. in 3. diſtinct. 5. quæſt. 3. artic. 3. aſſerentis hanc vnionem eſſe maximam nõ ſolum ex parte eius in quo fit vnio quia ſcilicet fit in perſona Verbi, quæ eſt maxime vna, ſed etiam ex parte extremorum, quia cum hæc ſint inter ſe magis diſtincta, vnione magis indiſſolubili vniuntur.

Tertia ſententia aſſerit hanc vnionem eſſe maximam omnium creatarũ in ratione intrinſeca vnionis ſimpliciter, & abſolute, licet hæc maior perfectio in ratione vnionis proueniat illi non ex parte extremorum, ſed tãtum ex parte illius, in quo fit, vt expreſſe vult D. Thom. in hoc articulo, cuius ſententiam ſequitur Alenſ. 3. part. quæſt. 7. memb. 2. Caietan. & Medin. hic, Suar. diſput. 9. ſect. 1. Vazq. diſputat. 20. cap. 2. & Nazar. controuerſ. vnica, quæ proinde à nobis ſtatuitur pro concluſsione.

Et probatur primo, contra duas priores ſententias, contra primam quidem pro prima parte ex Cyrill. lib. de incarnation. cap. 7. aſſerente hunc modum adunationis duarum naturarum in Chriſto ſuperiorem eſſe omni adunatione quam homo excogitare poteſt creata, vel creabili, & ex Bernard. lib. 5. de conſideratione cap. 8. vbi ſic habet, *Inter omnia quæ recte vnum dicuntur, arcem tenet vnitas Trinitatis, qua tres perſonæ, vna ſubſtantia ſunt, ſecundo loco illa præcellit, qua è conuerſo tres ſubſtantiæ, vna in Chriſto perſona ſunt*: ergo.

Secundo probatur, ratione articuli ad hanc formã reducta: quanto id in quo aliqua extrema vniuntur eſt magis vnum, quatenus ex talibus extremis componitur, tanto vnio eſt maior, ſed id in quo vniuntur natura diuina, & humana, quatenus componitur ex ipſis eſt maxime vnũ ergo vnio duarum naturarum in Chriſto eſt maxima ſimpliciter: minor patet quia iſtæ naturæ vniuntur in perſona Verbi, quatenus eſt ſubſiſtens in illis, ſed prout ſic ſubſiſtens in duabus naturis eſt magis vna, quam omne aliud compoſitum, ſiue accidentale, vt album, ſiue ſubſtantiale ſecundum naturam, vt humanitas, ſiue ſecũdum ſuppoſitum, vt hic homo: ergo.

Deinde pro ſecunda parte aduerſus ſecundam ſententiam probatur: quia extrema huius vnionis conſiderata ſecundum ſe, & prout antę actualem vnionem

ſunt

Digitized by Google

ſunt vnibilia; habent minorem proportionem, & coaptationem, vt vniantur, quam quæcunque alia vnibilia creata: ergo ex parte extremorum non quidem, vt ſubſunt actuali vnioni, ſed vt ſecundum ſe ſunt vnibilia in actu primo hæc non eſt maxima inter omnes vniones.

Ex quibus patet ſolutio ad argumenta aduerſariorum. Ad fundamentum enim Durandi, nego maior. & ad vtramque probationem neganda eſt minor. Ad confirmationem pro prima parte patet ex teſtimonio Bernardi quod eſſentia diuina licet ſecūdum ſenō ſit magis vna quam perſona Verbi, bene tamen quatenus cōiungit, & compulat ſibi tres perſonas, & communicat eis ſuam vnitatem: coniungit enim illas ſibi per formalem identitatem, quo pacto perſona Verbi non coniungit, ſibi naturam aſſumptam, ſed tantum per terminationem.

Pro ſecunda vero parte, neganda eſt cōſequentia quia accidētia nō vniūtur Verbo immediate, ſed mediante humanitate, iuſti verò per gratiam etiam cōſumatam non vniuntur Deo ſubſtantialiter, aut perſonaliter, ſed tantum accidentaliter, accipiendo, ſcilicet, ab illo non eſſe ſubſtantiale, aut perſonale; ſed aliud eſſe accidentale, quod eſt, diuini eſſe quædam participatio.

Ad fundamentum vero Paludan. Reſpondetur illo tantum conuinci vnionem hanc eſſe maximam ex parte extremorum prout actu ſunt comuncta in vna perſona Verbi, vnione indiſſolubili ab intrinſeco; vtpote nullum habēre contrarium: niſi ex parte extremorum, pro vt conſiderantur ſecundum ſe, & in actu primo vnibilia.

ARTIC. X.

Vtrùm vnio duarum naturarum in Chriſto ſit facta per gratiam?

AD decimum ſic proceditur. *Inf. q 6. a*
Videtur, quod vnio incar- *6. et ver. q*
nationis non ſit facta per *29. a 2. et*
gratiam. Gratia enim eſt accidens, *3. d. 13. q*
quoddam: vt in ſecunda parte habi- *3. art. 1.*
tum eſt†. Sed humanæ naturæ vnio *1. 2. q. 110*
ad diuinam, non eſt facta per accidēs: *a 2. & 3.*
vt ſupra oſtenſum eſt†. Ergo vide- *a. 6. hu. q.*
tur quod vnio incarnationis non ſit facta per gratiam.

2 Præterea, gratiæ ſubiectum eſt anima. Sed ſicut dicitur Coloſſ. 2. In Chriſto inhabitauit omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Ergo videtur quod illa vnio non ſit facta per gratiam.

3 Præterea, quilibet ſanctus Deo vnitur per gratiam. Si igitur vnio incarnationis fuit per gratiam, videtur quod non aliter dicatur Chriſtus eſſe Deus, quam alij ſancti homines.

Sed contra eſt quod Augu-
ſtin dicit in libr. 2. de prædeſtinat.* *c. 15. ante*
ſanctorum. Ea gratia fit ab initio *med. to. 7.*
fidei ſuæ homo quicumque Chriſtianus, qua gratia homo ille ab initio ſuo factus eſt Chriſtus. Sed homo ille factus eſt Chriſtus per vnionem ad diuinam naturā. Ergo vnio illa fuit per gratiam.

Reſpondeo dicendum, quod *3. d. 13. q.*
ſicut in ſecunda parte dictum eſt†, *3. a. 1. † 1.*
gratia dupliciter dicitur, vno modo *2. q. 110. a*
ipſa *1.*

Digitized by Google

ipſa voluntas Dei gratis aliquid dantis. Alio modo ipſum gratuitum donum Dei. Indiget autem humana natura gratuita Dei voluntate ad hoc, quod eleuetur in Deum, cum hoc ſit ſupra facultatem ſuæ naturæ. Eleuatur autem humana natura in Deum dupliciter. Vno modo per operationem, qua ſcilicet ſancti cognoſcunt, & amant Deum. Alio modo per eſſe perſonale. Qui quidem modus eſt ſingularis Chriſto, in quo humana natura aſſumpta eſt ad hoc, quod ſit in perſona Filij Dei. Manifeſtum eſt autem quod ad perfectionem operationis requiritur quod potentia ſit perfecta per habitum: ſed quod natura habeat eſſe in ſuppoſito ſuo, non fit mediante aliquo habitu.

Sic ergo dicendum eſt, quod ſi gratia accipiatur ipſa Dei voluntas gratis aliquid faciens, vel gratum ſeu acceptum aliquem habens, vnio incarnationis facta eſt per gratiam: ſicut & vnio ſanctorum ad Deum per cognitionem, & amorem. Si vero gratia dicatur ipſum gratuitū Dei donum, ſic ipſum, quod eſt, humanam naturam eſſe vnitam perſonæ diuinæ, poteſt dici quædam gratia, in quantū nullis præcedentibus meritis hoc eſt factum: non autē ita quod ſit aliqua gratia habitualis, qua mediante talis vnio fiat.

3.di.4.q.3.a.2.& q.2.et col.2.l.2.c.3

Ad primum ergo dicendum, quod gratia, quæ eſt accidens, eſt quædam ſimilitudo diuinitatis participata in homine. Per incarnationem autem humana natura non dicitur participaſſe ſimilitudinem aliquam diuinæ naturæ: ſed dicitur eſſe coniuncta ipſi diuinæ naturæ in perſona Filij. Maius autem eſt ipſa res, quam ſimilitudo eius participata.

Ad ſecundum dicendū, quod gratia habitualis eſt ſolum in anima: ſed gratia, ideſt gratuitū Dei donū, quod eſt vniri diuinæ perſonæ, pertinet ad totam naturam humanā, quæ componitur ex anima, & corpore. Et per hunc modum dicitur plenitudo diuinitatis in Chriſto corporaliter habitaſſe; quia eſt vnita diuina natura non ſolum animæ, ſed etiā corpori quāuis etiam poſsit dici, quod dicitur habitaſſe in Chriſto corporaliter, ideſt non vmbraliter: ſicut habitauit in ſacramentis veteris legis, de quibus ibidem ſubditur, quod ſunt vmbra futurorum; corpus autem eſt Chriſtus: prout ſcilicet corpus contra vmbram diuiditur. Dicunt etiam quidam, quod diuinitas dicitur in Chriſto habitaſſe corporaliter, ideſt tribus modis ſicut corpus habet tres dimenſiones. Vno modo, per eſſentiam, præſentiam, & potentiam: ſicut in cæteris creaturis. Alio modo per gratiam gratum faciētem: ſicut in ſanctis. Tertio modo, per vnionem perſonalem, quod eſt proprium ſibi.

Vnde patet reſponſio, ad tertium: quia ſcilicet vnio incarnationis non eſt facta ſolum per gratiam habitualem, ſicut alij ſancti vniūtur Deo, ſed ſecundum ſubſiſtentiam, ſiue perſonam.

39 **CONCLVSIO eſt affirmatiua, quam iterum proponit D. Thom. infr. quæſt. 6. art. 6. & quæſt. 7. art. 13. licet ob diuerſum motiuum, quæ proinde à nobus ibi eſt examinanda.**

ART. XI.

Vtrùm vnionem Verbi incarnati aliqua merita præceſſerint.

Ad

1.2.q.98 ar.4.c. & 3.d.4.q. 3.d.1. & Ro.1.l.3. col.2.fin. & Heb.1 l.4.col.3.
** innuitur in gl. inter. ibid.*

AD vndecimum ſic proceditur. ~~Videtur, quod vnio~~ incarnationis fuerit aliqua merita ſubſecuta. Quia ſuper illud Pſalmi 32. Fiat miſericordia tua ſuper nos, quemadmodum, &c. dicit gloſſ. * Hic inſinuatur deſideriũ Prophetæ de incarnatione, & meritum impletionis. Ergo incarnatio cadit ſub merito.

2 Præterea, quicumque meretur aliquid, meretur illud, ſine quo illud haberi non poteſt. Sed antiqui Patres merebantur vitam æternam, ad quam peruenire non poterant, niſi per incarnationem. Dicit enim Gregor. * in lib. 13. moral. Hi qui ante Chriſti aduentum in hũc mundum venerunt, quantamlibet iuſtitiæ virtutem haberent, ex corporibus educti, in ſinum cœleſtis patriæ ſtatim recipi nullo modo poterant: quia nondum ille venerat, qui iuſtorum animas in perpetua ſede collocaret. Ergo videtur quod meruerint incarnationem.

li.13.c.20 circa fin.

in offic. illius ad mat.

3 Præterea, de * beata Virgine cantatur, quod Dominum omnium meruit portare. Quod quidem factũ eſt per incarnationem. Ergo incarnatio cadit ſub merito.

c.15. nõ procul à fi. t.7

Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit in libro * de prædeſtinatione ſanctorum, quiſquis in capite noſtro præcedentia merita ſingularis illi[?] generationis inuenerit, ipſe in nobis membris eius præcedentia merita multiplicatæ regenerationis inquirat. Sed nulla merita præceſſerunt regenerationem noſtram: ſecundum illud ad Titum 3. Non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos: ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis. Ergo nec illam Chriſti generationem aliqua merita præceſſerunt.

Reſpondeo dicendum, quod quantum ad ipſum Chriſtum, manifeſtum eſt * ex præmiſsis, quod nulla eius merita potuerunt præcedere vnionem. Non enim ponimus, quôd ante fuerit purus homo, & poſtea per meritum bonæ vitæ, obtinuerit eſſe filius Dei, ſicut poſuit Photinus: ſed ponimus quod â principio ſuæ conceptionis ille homo verê fuerit filius Dei, vtpoté non habens aliam hypoſtaſim, quam filij Dei: ſecundum illud Luc. 1. Quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur filius Dei. Et ideo omnis operatio illius hominis ſubſecuta eſt vnionem: Ergo nulla eius operatio potuit eſſe meritum vnionis.

art. præc.

Sed neque etiam opera alterius cuiuſcunque hominis potuerunt eſſe meritoria huius vnionis excõdigno. Primo quidem, quia opera meritoria hominis propriê ordinãtur ad beatitudinem, quæ eſt virtutis præmium, & conſiſtit in plena Dei fruitione. Vnio autem incarnationis cum ſit in eſſe perſonali, tranſcẽdit vnionem beatæ mentis ad Deũ, quæ eſt per actum fruentis. Et ideo non poteſt cadere ſub merito.

Secundo, quia gratia non poteſt cadere ſub merito: quia eſt merendi principium. Vnde multo minus incarnatio cadit ſub merito, quæ eſt principium gratiæ: ſecundum illud Ioann. 1. Gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.

Tertio, quia incarnatio Chriſti eſt reformatiua totius humanæ naturæ; & ideô non cadit ſub merito alicuius hominis ſingularis: quia bonum alicuius puri hominis non poteſt eſſe cauſa boni totius naturæ.

Ex congruô tamen meruerunt ſancti Patres incarnationẽ, deſiderãdo, & petendo: congruũ enim erat vt Deus exaudiret eos, qui ei obediebãt

Et per hoc patet reſponſio ad primum.

Ad ſecundum dicendum, quod hoc eſt falſum, quod ſub merito cadit omne illud, ſine quo præmium eſſe non poteſt. Quædam enim ſunt, quæ non ſolum requiruntur ad præmium, ſed etiam præexiguntur ad meritum: ſicut diuina bonitas, & eius gratia, & ipſa hominis natura: Et ſimiliter incarnationis myſterium eſt principium merendi: quia de plenitudine Chriſti omnes accepimus, vt dicitur Ioan. 1.

Ad tertium dicendum, quod beata Virgo dicitur meruiſſe portare Dominum omnium: nō quia meruerit ipſum incarnari: ſed quia meruit ex gratia ſibi data illum puritatis & ſanctitatis gradum, vt cōgruê poſſet eſſe mater Dei.

PRima cōcluſ. nulla operatio Chriſti potuit eſſe meritoria vnionis hypoſtaticæ. Secunda concluſio nulla operatio cuiuſcunque alterius hominis potuit eſſe meritoria de condigno huius vnionis. Tertia cōcluſio Sancti Patres de congruo meruerunt incarnationem. Quarta concluſio in ſolutione ad 3. Beata Virgo meruit illum ſanctitatis gradum vt eſſet congruenter Mater Dei.

Quia ex his concluſionibus prima ex profeſſo diſputatur inf. q. 19. illuc eſt remittenda, & quia in ſecunda omnes Theologi conueniunt nullus enim eſt qui admitat de facto, aut de lege ordinaria poſſe puram creaturam de condigno incarnationē, aut eius circunſtantias promereri; immo nec de potentia abſoluta id aliquis aſſeuerat niſi ſolus Medin. hic dub. 2. quare duæ duntaxat poſteriores concluſiones ſpetiali diſcuſione indigent, ideoque ſingulis dubijs examinandæ ſunt.

Dubitatur igitur primo. An Patres antiqui iuſti, tam naturalis, quam moſaycæ legis de congruo meruerint incarnationem, vel quoad eius ſubſtātiam, vel quoad aliquam eius circunſtantiam, ſiue effectum?

40 IN hoc dubio quatuor ſententiæ verſantur duæ extremę, & duæ mediæ, prima aſſerit antiquos Patres meruiſſe de congruo incarnationem ipſam, non ſolū quoad executionē, ſed etiam quoad præ ordinationē, & prędeſtinationē in intētione diuina, ita Valentia hic punto 8. & Vazq. diſp. 23. cap. 5. & 22. cap. 4. licet non admittat hoc meritum extēdi ad prædeſtinationem ſubſtantiæ incarnationis, bene tamen ad prædeſtinationem circunſtātiarū illius.

Quorum fundamenta ſunt tria. Primum quia eodem modo philoſophandum eſt, de meritis reſpectu executionis, atque reſpectu prædeſtinationis: ergo ſi antiqui Patres meruerunt incarnationis, & eius circunſtantiarum executionem, etiam meruerunt earundem prædeſtinationem: antecedens patet, nam Deus nō aliter res exequitur, quam eas prędiffiniuit, ac proinde ſi incarnatio fuit mandata executioni dependenter à meritis etiam fuit prædifinita dependenter à meritis.

Secundum eſt, quia ſi myſterium incarnationis fuiſſet prædiffinitum nō intuitu aliquorum meritorum, ſed omnino gratis, & ex ſola gratuita Dei voluntate; non poſset in tempore fieri dependenter à meritis, ſed neceſſario deberet fieri, abſque vllo intuitu meritorum: eo quod cum illa prima voluntas prædeſtinandi, ſine meritis eſſet efficax, illa ſola ſufficeret ſine alia cauſa, vt haberet effectum in tēpore: ergo.

Tertium

Tertium deſumit Vazq. ex diſcrimine quod inter media phyſica, & moralia verſatur, illa enim cum ſint media phyſica, & reali actione conducãt ad conſecutionē finis intēti prius eſt efficacitas illorũ in executione, quã conſecutio finis, ſecus verò in intentione: iſta autem quia ſolum ſunt cauſa conſequendi finē per modũ impetrationis, & moralis motus relata ad volũtatē eius qui cõfert alteri finē ideo nõ poſſunt in executione eſſe media ad cõſecutionē finis niſi in intentione moueant voluntatē alicuius ad cõferendũ finē, ſed merita ſunt media moralia, & non Phyſica: ergo ſi Deus in tēpore operatus eſt miſterium incarnationis propter merita Patrũ, nonniſi ex præuiſone eorum, operari illud prædiffiniuit ab æterno in intētione.

Secunda ſententia aſſerit Patres antiquos, neque incarnationis ſubſtãtiã, neque eius circunſtantias promeruiſſe, ſed tãtum vnum eius effectum ſecundarium, qui fuit apertio regni cœlorum, ita Bonauent. in 3. d. 3. art. 2. q. 2. & eidē fauet D. T. ibid. d. 4. q. 3. ar. 1. ad 2. vbi in 2. ſolut. explicãs Verba gloſſæ ſuper illud Pſ. 32. *Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos*, vbi, inſinuatur deſiderium Prophetæ de incarnatione, & meritum impletionis: inquit, quod cõpletio incarnationis cõſiſtit in vltimo eius effectu, ſcilicet in vltima reparatione humani generis cuius terminus cõſiſtit in peruētione ad vitã æternã, & quãtum ad hoc aliquo modo cadebat ſub merito, cuius ratio eſſē poteſt, quia incarnatio quãtũ ad hunc effectũ non fuit cauſa meritorũ Patrũ antiquorũ, & nõ repugnat ex alio cap. quod, cadat ſub meritis illorum: ergo.

41 Tertia ſententia aſſerit antiquos Patres meruiſſe quidē de congruo aliquas circunſtantias incarnationis, ſed non eius ſubſtantiã. Ita Bonauent. vbi ſup. Marſil. in 3. d. 3. q. 5. Gabriel ibid. q. 1. quibus ſubſcribunt Neoter. Siluius, & Peſant. diſp. 3. & Petrus Caniſius lib. 2. de B. Virgine, c. 6. Quorum fundamenta ſunt tria. Primum deſumitur ex ſolutione D. T. hic ad 3. vbi concedit B. Virginē meruiſſe maternitatē, & negat meruiſſe incarnationē, ſed nõ cõcedit in B. Virgine meritũ condigni reſpectu maternitatis, ſed tãtũ meritũ cõgrui: ergo negat etiã meritũ congrui in B. Virgine reſpectu incarnationis, ac per conſequēs à fortiori illud negat in antiquis Patribus.

Secundũ eſt; quia ſi antiqui Patres meruiſſent miſterium incarnationis in executione, vno ex duobus modis illud meruiſſent, aut ex gratia ad hoc acceptã ex ſola liberalitate Dei, & nõ intuitu meritorũ Chriſti, aut ex gratia acepta a Deo intuitu Chriſti, ſed neutro modo illud potuerunt mereri etiã de congruo: non primo modo, quia nihil gratiæ fuit cõceſsũ Patribus antiquis niſi ex meritis Chriſti. Neque ſecundo quia alias principiũ meriti caderet ſub ipſum meritũ, quod eſſe abſurdum, docet D. Th. 1. 2. q. vlt. art. 5. ergo.

Tertium deſumitur ex triplici inconuenienti quod ſequitur ex prima ſententia. Primũ eſt quod Deus non habuerit præſciētiã meritorũ Chriſti antecedēter ad merita præuiſa ſanctorũ Patrũ, & independenter ab illis ſiquidē in executione incarnatio fuit effectus illorũ, & id quod eſt poſterius in aliquo genere cauſæ nequit in eodē genere etiam quoad executionem eſſe prius, & indepēdēs, vt patet in medicina, quæ in genere cauſę finalis eſt poſterior ſanitate, tã in intentione, quã in executione, licet in genere cauſę efficientis, vtroq; modo ſit prior quã illa: conſequens tamē eſſe falſum patet, quia Deus propter merita Chriſti motus fuit ad dãdã gratiã antiquis Patribus, merita autē illa nonniſi, vt exiſtentia in præſcientia diuina fuerunt ad id motiuũ diuinæ voluntatis: ergo. Secundũ eſt quod antiqui Patres poſt lapſum, primi hominis ſibi meruiſſent redēptionē, & cõſequenter, primũ principiũ redēptionis nõ eſſet ex ſolo Deo, ſed ex nobis, quod eſt Pelagianiſmus: ergo. Tertiũ eſt quod miſterium incarnationis fieret aliquo modo ex meritis, & non omnino gratis, cõſequēs tamē eſt cõtra ſanctos Patres oppoſitũ aſſerentes Auguſt. enim lib. de prædeſt. Sãctorum c. 15. ait: *Incarnationē ita factam eſſe gratis ſicut gratis datur gratia*, id eſt *ſine vlis meritis*; idem habet Hier. Dialogo 1. cont. Pelag. Fulgen. lib. de incarnat, c. 7. & gloſ. in Pſalm. 73. ergo.

Quarta ſententia aſſerit antiquos Patres de congruo meruiſſe miſterium incarnationis, & eius circũſtãtias, quãtũ ad executionē: ita docent Cai. & Med. hic, & Sot. in 4. d. 2. q. 1. Vincent. in relect. q. 5. pag. 478. Suarez hic, diſp. 10. ſect. 5. & 6. Albar. diſp. 17. & Nazar. controu. 2. & quia hæc eſt expræſa ſententia D. Th. pro eius explicatione.

42 Dico primo. Antiqui Patres, nec de facto, neque de lege ordinaria promereri potuerunt prædeſtinationē, ſiue electionē incarnationis, vel eius circũſtãtias ſecũdũ ordinē intentionis. Hæc concluſio ſtatui-

tuitur aduerſus auctores primæ ſententiæ.

Et probatur primo quia prædeſtinatio Chriſti eſt cauſa prædeſtinationis, & electionis omniũ hominũ ſaluãdorũ efficiẽs, exemplaris, & finalis: ergo antiqui Patres, neque meruerunt, neque mereri illã potuerunt: alioquin idẽ reſpectu eiuſdẽ, & in eodẽ genere eſſet cauſa, & effectus quod eſt abſurdũ, antecedẽs probatur: tũ ex illo ad Epheſ. 1. Prædeſtinauit nos in adoptionẽ filiorũ per Ieſum Xpm, vbi dictio præ denotat cauſam efficientẽ, & ad Rom. 8. quos prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui, & ad Epheſ. 4. vnicuique autẽ noſtrũ data eſt gratia ſecundũ menſurã donationis Chriſti, &c. Tũ etiã quia expreſſe aſſeritur à D. T. infra q. 24. art. 4. & expreſſius in 3. d. 10. qu. 3. a. 1. q. 3. vbi ex adductis, & alijs teſtimonijs Scripturæ probat prædictũ antecedens, & ex quibus omnibus cõcludit in hæc verba, *prædeſtinationis noſtræ cauſa efficiens eſt prædeſtinatio Chriſti in quantum ipſe eſt mediator noſtræ ſalutis, & formalis in quantum in filios Dei ad imaginem eius prædeſtinamur, & finalis in quantum noſtra ſalus in eius gloriam redundat*, &c.

Secundo, quia incarnatio Chriſti cũ omnib⁹ ſuis circũſtãtijs, fuit volita, & præuiſa à Deo prius ſecundum rationem quã gratia, & merita antiquorũ Patrũ prioritate quidẽ veluti cauſæ finalis: ergo non potuit eſſe aliquo modo effectus taliũ meritorũ in ordine intentionis: conſequentia patet ex doctrina tradita à nobis q. 1. a. 3. nimirũ quod non ſtant hæc duo ſimul idest aliquid eſſe abſolute volitum prius in genere cauſæ finalis, quã aliud, & quod dependeat ab illo alio maxime in ordine intentionis: antecedens autẽ probatur dupliciter. Tum ex ordine ſignorũ rationis ſecundũ quem diſpoſuimus diuina decreta in eodẽ art. 3. circa negotiũ prædeſtinationis Chriſti, & noſtræ: ex quo liquet illã præcedere iſtam. Tũ etiã quia incarnatio Chriſti non quatenus poſita in executione, & exiſtens à parte rei, ſed vt præuiſa, volita, & acceptata in intentione Dei fuit cauſa finalis gratiæ ſanctorũ, & bonorũ operum in antiquis Patribus: propterea enim Apocal. 13. dicitur Chriſtus *agnus occiſus ab origine mundi*, quia iã tunc, imo ab æterno eius mors fuerat præuiſa à Deo, & acceptata: & propterea etiã dicitur à Theologis Chriſtũ meruiſſe Patribus antiquis gratiã, tantũ per modũ cauſæ finalis, eo quod ad inſtar cauſæ finalis ſe habuit in huiuſmodi merito, mouẽdo ſcilicet voluntatẽ Dei, vt præ cõceptus, & exiſtens tantũ in intentione, vt etiam explicat D. T. inf. q. 61. ar. 3. ad 1. & q. 62. art. 6 ergo, vt ſic fuit prior, & independens à meritis antiquorum Patrum.

43 Dico ſecundo. Antiqui Patres, nõ ſolũ meruerunt de cõgruo ſecundariũ effectũ incarnationis qui fuit apertio regni cœleſtis, ſed etiã alias circunſtantias. Hæc cõcluſio ſtatuitur aduerſus auctores ſecũdæ ſententiæ, & habet tres partes probandas. Prima eſt quod antiqui Patres non meruerunt merito ſimpliciter tali, aut condigni hunc effectũ, qui eſt apertio regni cœleſtis, & hæc præter quã quod eſt expræſſa D. T. in 3. ſentent. d. 18. q. 1. art. 6. q. 2. & 3. conuincitur tribus rationibus huius articuli, quæ pariformiter de huiuſmodi effectu, atque de ipſa ſubſtantia incarnationis demonſtrant non cadere ſub merito ſimpliciter S. Patrũ. Prima eſt quia nimirũ virtus merendi puri hominis limitatur ad bonum proprij ſuppoſiti ſicut gratia adoptionis à qua tale meritum procedit: mereri autem apertionẽ regni cœleſtis eſt mereri alijs. Secunda eſt, quia huiuſmodi effectus aperiendi regnũ cœleſte eſt ordinis hypoſtatici, ac proinde eſt ſuperioris ordinis quã meritũ cuiuſcunque puri hominis procedens à gratia adoptionis. Tertia eſt quia etiam incarnatio conſiderata, quoad iſtũ effectũ tenet ſe ex parte principij meriti, quia vt ſic tolli peccata, ſcilicet originale, & actualia, & remiſsio pecati pertinet ad principiũ meriti: ergo etiã ex hoc c. repugnat illi cadere ſub meritũ condigni antiquorũ Patrũ. Neque oppoſitũ docet D. T. in illo loco citato ex 3. ſent. ibi enim poſtquã in prima ſolutione admiſſerat in antiquis Patrib⁹ meritũ congrui reſpectu incarnationis, poſtea in ſecũda ſubdit dictũ illud gloſſ. ſuper Pſ. 32 nimirũ in antiquis Patribus fuiſſe meritũ impletionis incarnationis, debere intelligi de vltimo cõplemẽto apertionis regni cœlorũ quod eſt cõſecutio beatitudinis, hãc enim meruerunt antiqui de cõdigno ſicut alij iuſti merentur ſuam gloriam.

Deinde ſecunda pars cõcluſionis eſt, quod antiqui meruerunt de congruo hũc effectũ apertionis regni cœlorũ, & tertia quod meruerunt etiam de congruo alias circunſtãtias incarnationis, quæ duæ partes conſtabunt eiſdem rationibus, quibus oſtendemus tertiam concluſionem.

44 Dico tertio. Antiqui Patres meruerunt de congruo myſterium incarnationis cum omnibus eius circunſtantijs in executione. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus

Digitized by Google

uerſus auctores tertiæ ſententiæ, & pro eius explicatione ſciendũ eſt, quid ſit meritum cõgrui, & in quo diſcriminetur à merito condigni: meritũ enim condigni tres poſtulat cõditiones: prima eſt, quod ſupponat gratiam, & amicitiam Dei in operante, vt habet D. T. 1. 2. q. vlt. art. 3. Secũda cõditio eſt, vt op⁹ meritoriũ formaliter, aut virtualiter fiat propter Deum ſume dilectũ, & tertia eſt vt fiat libere & ex inclinatione gratiæ, & charitatis dirigatur in præmium, ad quod aſſequendum ordinatur.

Ex quibus conditionibus duæ dũtaxat priores ſufficiunt, & requiruntur ad meritum congrui, quod licet minus proprie rationẽ meriti ſortitur, eo quod non petit dirigi in præmiũ ſupernaturale ex inclinatione gratiæ, & charitatis, ſed ex libera ſolum operantis voluntate, ac proinde, neq; eſſe omnino proportionatũ premio, neque illud ex condignitate meriti, ſed ex congruitate termini petit fieri à ſubiecto grato, & amico, & referri formaliter, vel virtualiter in Deum ſumme dilectũ, congruitas enim quæ fundat meritum cõgrui magis ſtricte dictũ, non eſt illa quæ tantũ ſe tenet ex parte Dei, & eius materiæ: hæc enim nullã habet meriti rationem, ſed eſt mera congruitas, & decentia ſecũdũ quã decet Deũ, vt homini operãti ſecũdũ ſuã virtutem recõpenſet ſecundũ excellentiã ſuę virtutis: quo pacto inquit D. T. in 3. d. 4. q. 3. art. 1. omnem etiã præparationem ad aliquid habendũ meritũ apellari, & ſic congruum eſt quod facienti quod in ſe eſt Deus non deneget gratiã, & in 2. ad Anibal. d. 27. q. 1. a. 4. inquit: quod meritũ improprie ſumptũ poteſt dici diſpoſitio, ſiue præparatio ad aliquid accipiẽdum, quo pacto explicat teſtimoniũ Aug. in li. de præde ſt. ſanct. c. 5. & in præfat. ad Pſ. 31. ſcilicet quod motus fidei meretur iuſtificationem, id eſt quatenus eſt quædã diſpoſitio ad illã: ſed eſt congruitas tenens ſe ex parte Dei, & ex parte hominis operantis quã conſtituit lex amicitiæ, & ſecundũ quam congruũ eſt vt amicus amicum, & Pater filiũ ſibi obedientem exaudiat: & de hoc merito congrui loquitur D. T. in hoc art. dũ ait antiquos Patres meruiſſe de cõgruo incarnationẽ, quia cõgruũ erat vt De⁹ amicos ſuos, & filios ſibi obediẽtes exaudiret & ſimiliter in 3. ad Anibal. d. 4. q. vn. ar. 4 dũ ait ſãctos Patres in carnationẽ meruiſſe merito congrui, ſcilicet ſe ad ſuſcipiẽdũ tantũ beneficiũ pręparando, & nõ merito condigni quia per ſua merita non fecerunt incarnationem ſibi debitam, vbi à merito congrui antiquorũ PP. non excludit amicitiã, ſed ſolũ condignitatẽ, & rationẽ debiti. Quo ſuppoſito primum deducimus argumentũ pro noſtra concluſione. Meritũ congrui ſtricte dictũ prout differt à merito condigni, & prout diſtinguitur à mera diſpoſitione, ſiue impetratione, quę poteſt eſſe in homine inimico reſpectu Dei, eſt quædã amicabilis præparatio ad cõſequẽdũ aliquod beneficiũ à Deo fundata in lege amicitiæ, ſed huiuſmodi amicabilẽ præparationem fuiſſe in antiquis Patribus ad recipiendũ beneficiũ incarnationis teſtatur D. Th. in locis citatis: ergo.

Secundo probatur cõcluſio, quia antiqui PP. petierunt, & deſiderauerunt incarnationẽ, vt patet ex teſtimonijs Sacræ Scripturæ, quibus huiuſmodi petitiones, & deſideria exprimuntur: propterea enim Geneſ. 49. vocatur Chriſt⁹ à Iacob expectato gentiũ, & deſideriũ collũ æternorũ. & Ageus c. 2. vaticinando de Chriſto venturo dixit: *& veniet deſideratus cũctis gentibus*. diſtribuendo, ſcilicet pro generibus ſingulorũ quia in omni natione, & gẽte fuerũt aliqui iuſti, à quibus aduẽt⁹ Chriſti fuit poſtulatus, & deſideratus, vt interpretãtur Rich. de ſanct. Vict. in lib de incarnat. c. 8. Galatin. lib. 4. de arcanis c. 3. & Genebrard. lib. 1. chronolog. pag. 108 & propterea etiã dicitur Eſai. 45. *Rorate cœli deſuper, & nubes pluãt iuſtũ aperiatur terra, & germinet Saluatorẽ*, & Pſ. 84. *Salutare tuũ da nobis*, & Pſ. 105. *Viſita nos Domine in ſalutari tuo*: ſed huiuſmodi petitiones, & deſideria habebant rationẽ meriti de congruo reſpectu incarnationis propter duo: Tũ quia oratio, teſtẽ D. T. 2. 2. a. 15. q. 83 eſt meritoria illi⁹ quod petitur à Deo ſi fundetur in charitate, alioquin tãtũ eſt impetratoria cũ ergo huiuſmodi orationes Patrũ fundarentur in charitate, habebãt vim merendi, & quia incarnationis non erant condignæ habebant vim merendi illã de congruo. Tũ etiã, quia per illas amicabiliter diſponebantur ad recipiẽdũ Chriſtũ; amicabilis autẽ diſpoſitio eſt meritũ congrui apud Deũ cuius bonitatẽ decet non fruſtrari amicorum preces, & deſideria.

45 Tertio probatur, ſpecialiter concluſio, quantum ad circunſtantias incarnationis: nam ſancti PP. eo modo meruerunt de congruo Christum, quo eum deſiderabant, & poſtulabant; ſiquidem eorum

meritum in deſiderijs, & precibus potiſsime conſiſtebat: ſed deſiderabant, ac poſtulabant Chriſtũ non abſtractũ à circunſtantijs, ſed in ſingulari, vt Saluatorẽ per Paſsionẽ, & mortem, & vt natũ ex talibus parentibus in tali tẽpore ac loco: ergo has circũſtantias decongruo meruerunt: minor patet nã in primis Eſaiæ 16. explicatur deſideriũ quod Chriſtus naſcatur ex Virgine Matre, cũ dicitur: *Emitte agnũ Domine dominatorẽ terræ de petra deſerti ad montem Filiæ Sion*, ideſt de Virgine, & in populo Iudaico, qui pro Synedochem appellatur mons Sion: & ſimiliter Gen. 22. cum dicitur Abrahæ, *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes, quia obediſti voci meæ.* Significatur Abrahã meruiſſe propter factũ illud offerendi Deo Filiũ ſuum in holocauſtum, vt Filius Dei naſceretur ex eius ſemine: quod denotat particula *quia*, quæ cauſalis eſt, vt docent Cregor. lib. 1. Reg. c. 9. & Caietan. in dict. c. Geneſis 22. Deinde quod meruerint accelerationẽ, ſiue tẽporis circunſtantiã ſignificatur Eſai. 64. dum dicitur: *Vtinã diſrumperes cœlos, & deſcenderes*, & Pſal. 11. *Propter miſeriam inopũ, & gemitũ pauperum, nunc exurgam* (*dicit Dominus*) & Pſal. 78. *Cito anticipent nos miſericordiæ tuæ, Domine*, &c. & Daniel. 9. *Septuaginta hebdomades abreuiatæ ſunt vt vngatur ſanctus ſanctorum*, &c. Quo ſignificatur propter deſideriũ Danielis facta acceleratio incarnationis, quod quidem non eſt ita intelligendum quaſi antiqui Patres meruerint quod Verbum Diuinũ aſſumeret carnem citius quã decreto diuino fuerat prę diffinitũ ante eorum merita præuiſa, hoc enim derogat tũ immutabilitati diuini decreti, tum etiam Paulo ad Galatas 4. aſſerenti quod vbi venit plenitudo tẽporis miſit Deus Filiũ ſuũ ideſt in tẽpore à Deo diffinito: neque intelligendũ eſt ad hũc ſenſum quod Deus in priori ſigno rationis decreuerit incarnationẽ non prædiffinita tẽporis circũſtãtia, quã præuiſis meritis Patrũ in alio ſigno rationis ſubſecuto determinauerit, iſte enim ſenſus licet approbetur à Vazquio diſp. 23. cap. 5. falſus omnino eſt propter duo. Tum quia derogat diuinæ prouidentiæ perfectioni, quæ quãlibet rẽ futurã decernit ſecundũ omnes eius indiuiduas circunſtantias loci, & tẽporis, &c. ac proinde incarnatio futura ſic decreto diuino fuit diſpoſita ante præſcientiã meritorum Patrũ à Deo præuiſa. Sed accipiendũ eſt in eo ſenſu quod Deus in ſecundo rationis ſigno, in quo prædiffiniuit ordinem executionis incarnationis decreuit ſimul merita Patrũ tanquam diſpoſitiones congruentes ad hoc myſteriũ in tali tempore obtinendũ, & propterea dicuntur accelerationem incarnationis meruiſſe quia meruerunt, vt eo tẽpore fieret quod ab æterno erat prædiffinitũ neque longiori tẽpore detineretur, in quo ſenſu dicitur Math. 24. teſte Hieron. Dies tribulationis AntiChriſti breuiandos fore propter electos: ſcilicet Deo ab æterno, ita diſponẽte propter merita electorũ; cum ergo huiuſmodi circunſtantias antiqui Patres deſiderauerint, & petierint, illas ſuis deſiderijs & petitionibus quoad executionem decongruo promeruerunt.

46 Ex his patet ſolutio ad fundamẽta primæ, & ſecundæ ſententiæ illis enim ſolũ conuincitur merita Patrũ fuiſſe præuiſa ante decretum incarnationis pertinẽs ad ordinẽ executionis; nõ tamen ante decretũ intẽtionis. hæc autem duo decreta circa eandẽ rem nõ repugnare in diuina voluntate oſtendimus ſup. q. 1. art. 3 & in materia de prædeſtin. art. 4. Ad 1. pro tertia ſententia reſpondetur quod D. Th. in illa ſolutione ad tertium, non concedit quod B. Virgo meruerit decongruo maternitatẽ, ſed tantũ quod meruerit decondigno illũ ſanctitatis gradum, vt congruè poſſet eſſe Mater Dei: nam cũ huiuſmodi ſanctitatis gradus pertineat ad augmentũ gratię, & hoc poſsit cadere ſub merito cõdigni hominis iuſti, etiã, & ille gradus potuit à B. Virgine cõdigne promereri: quę tamẽ dignitatẽ Matris ſicut & incarnationẽ nonniſi decongruo promeruerit: quẽadmodũ, & Ioſeph decongruo promeruit eſſe nutritius, & cuſtos Chriſti: & Simeõ, & Anna quibus facta erat promiſsio, vt viderent Chriſtũ, vt dicitur Luc. 2. meruerunt decongruo videre illũ, qui tamen decondigno meruerũt illũ ſanctitatis gradũ qui huic beneficio ſuſcipiẽdo cõgruꝰ eſſet

Ad ſecundum ex varijs ſolutionibus quas referunt, & refutant Vincent. Suar. & Vazq. in locis præallegatis duas probabiliores adducam: prima quam ipſi approbant eſt quod Chriſtus cum ſuis meritis poteſt comparari ad gratiam, & merita antiquorum Patrum in duplici ſtatu, nimirũ, vel in æterno decreto intentionis, vel in decreto executionis, ſiue in tẽpore: & quidẽ in primo ſtatu Chriſtꝰ cũ ſuis meritis

ritis fuit cauſa duntaxat finalis gratiæ, & meritorũ in antiquis Patribus mouens diuinã voluntatẽ per modum finis, vt huiuſmodi gratiã, & merita Patribus communicaret: in ſecundo autẽ fuit terminus, & effectus meritorũ Patrũ, & ſic in diuerſo genere merita P.P. cauſauerũt incarnationẽ atque fuerunt ab ipſa cauſata: cauſauerunt enim illã in executione in genere cauſæ efficientis moralis, hoc eſt meritoriæ; & fuerunt ab illa cauſata in genere cauſæ finalis mouentis in executione.

47 Secunda eſt, quã approbant idem Vincẽt. vbi ſup. pag. 495. Nazar. in loco citat. & Aluar. diſp. 17. aſſerẽtes, quod in primo ſtatu incarnatio vltra cauſalitatẽ finis, exercuit etiã circa gratiam, & merita Patrum cauſalitatẽ meritoriam, ſeu efficiẽtiæ moralis, vtpote quæ tantũ petit exiſtẽtiam in intentione, & non phyſicã, ac realem. in ſecundo autẽ non exercuit nouam cauſalitatẽ, ſed tantũ præbuit complementũ vtrique cauſalitati antiquæ: finali quidẽ quatenus realis executio finis eſt cõplementũ cauſalitatis finalis: effectiuæ autẽ, quatenus gratia, & merita Patrũ in Chriſto acceperunt conſumationẽ, & cõplemẽtum, dum ad ſuũ terminũ peruenerunt: & ſic etiã in diuerſo genere, & ſub diuerſa ratione merita Patrũ cauſauerunt incarnationẽ, & fuerunt ab illa cauſata: cauſauerunt enim illam in executione quoad ſubſtantiã, & circunſtantias, & fuerunt cauſata ab illa in intentione, atque in executione tantũ completiue id eſt quoad cõplementũ, quod ab ipſa acceperunt modo explicato. Sed hęc poſterior ſolutio ſuſtineri non poteſt propter tria. Tũ quia D. T. in duobus locis adductis in prima concluſione ex q. 61. & 72. hui⁹ 3. p. docet Chriſtum, vt præ conceptũ, & volitũ in intentione Dei: tantũ per modũ finis fuiſſe cauſam gratiæ, & meritorũ in antiquis Patribus: Tum etiam quia Chriſtus poſitus in intentione Dei antequã realiter exiſteret à parte rei neque potuit habere efficientiã moralẽ quæ in omniũ ſententia pertinet ad cauſalitatẽ meritoriã, neque potuit acceptare pactũ quod iuxta ſententiã probabilẽ requiritur ad meritũ: qui enim nondũ exiſtit quo modo efficere, aut acceptare poteſt? Tũ denique quia alias merita Patrũ, & Chriſtus in eodẽ genere cauſæ mutuo ſe præcederent, & cauſarent: quod eſt incõueniens, ob quod vitandũ ait D. Th. principiũ meriti non poſſe cadere ſub ipſum meritũ: ſiquidẽ merita Patrum cauſarent Chriſtũ in genere cauſæ efficiẽtis moralis, hoc eſt meritoriæ, & Chriſtus etiam cauſaret illa, vt cauſa meritoria: ſolũque eſſet diſcrimẽ quod Patres meruerint de congruo: Chriſtus verò de cõdigno; quæ tamen conditiones non variãt genus cauſæ: ergo ſtandum eſt in priori ſolutione.

Dices ex illa ſequi, quod Christus nũquã, atque in nullo ſtatu promeruerit gratiã antiquis Patribus, quia nõ in primo intentionis: ſiquidẽ tunc non exiſtebat realiter, ac proinde neq; efficientiã, neq; acceptationẽ pacti ad meritũ requiſitam potuit habere, neque in ſecũdo executionis aut tẽporis, quia tunc iam præceſſerat gratia in antiquis Patribus, & meritũ eſt motus moralis, & veluti via ad acquiſitionem præmij: ergo nequit eſſe reſpectu præmij iã exiſtentis, & aſſecuti ſicut neq; motus poteſt eſſe ad terminũ iã acquiſitũ, vtpotè cũ dicat carentiam illius. Reſpondetur quod Chriſtus nõ meruit in primo ſtatu intentionis, propter rationẽ aſsignatam: ſed in ſecundo executionis, & temporis; exhibendo pretiũ pro præmio iam dato anticipata ſolutione, & de ratione meriti, vt ſic tantũ eſt quod ſit pretium, pro præmio, ſiue dando, ſiue iã dato per modum anticipatę ſolutionis.

Ad tertium reſpõdetur nullum ſequi ex illis inconueniẽtibus; non quidem primũ quia nihil obſtat quomin⁹ id quod eſt prius in intentione, & independens ab aliquo, ſit poſterius, & dependens in executione, gloria enim volita electis in intẽtione independẽter à meritis præuiſis, dependenter ab illis datur adultis in executione, & ſanitas quã infirmus in intẽtione vult ante præuiſã medicinã, nõ cõfertur illi in executione niſi dependenter ab eadẽ medicina. Neque ſecũdum, quia ex eo quod Patres meruerint de congruo redẽptionẽ, neque tollitur neq; minuitur ratio gratiæ in beneficio redẽptionis, quia meritum illud erat ex gratia collata propter Chriſtũ, & non innitebatur iuſtitiæ, ſed beneuolentiæ Dei. Neque tertiũ quia in illis teſtimonijs Patres citati non excludũt meritũ cõgrui. ſed tantũ meritũ condigni, & ſimpliciter tale reſpectu beneficij redẽptionis: hoc enim dũtaxat opponitur cõditioni gratiæ: vel dicendum eſt quod tantũ excludunt meritũ in Chriſto reſpectu incarnationis, ſecus vero in alijs hominibus iuſtis præcedẽtibus Chriſtũ.

Digitized by Google

Dubium ſecundum eſt. An Beata Virgo meruerit de condigno dignitatem Matris Dei?

48 IN hoc dubio tres ſunt ſententiæ. Prima aſſerit B. Virginem de facto meruiſſe nõ quidem incarnationem, ſed dignitatem Matris Dei: ita Bonauent. in 3. diſtinct. 4. art. 2. quæſt. 2. Gabr. quæſt. vnica art. 3. dub. 3. Richard. art. 3. quæſt. 1. Marſilius ibidem Almaynus quæſt. 1. dub. 3. & Abulenſis paradoxa 1. cap. 34. & 38. quorum fundamentum deſumitur ex duplici capite. Tum ex parte ipſius maternitatis quæ neque eſt dignitas infinita, neque excellentior augmento gratiæ, & gloriæ: ergo ſicut reſpectu huius B. Virgo habuit meritum condigni, ita & reſpectu illius. Tum etiam ex parte meriti, quia potuit interuenire pactum, & promiſsio à Deo quod ſuppoſita futuritione incarnationis B. Virgo eſſet Mater Verbi incarnati: potuit quoque dari principium ſufficienter proportionatum cum tali dignitate Matris ſiquidẽ gratia B. Virginis non fuit min⁹ perfecta quã talis dignitas: ergo.

Secunda ſententia aſſerit B. Virginem de potẽtia abſoluta potuiſſe decõdigno promereri maternitatẽ, licet eam de facto non promeruerit niſi tantum decongruo. Ita Suar. diſp. 10. ſect. 7. motus argumento facto, nimirum quia hæc dignitas Matris non eſt infinita, ac proinde neque petit meritum infiniti valoris: & facta ſuppoſitione quod Deus carnẽ aſſumpſerit, eſt præſcindibilis à beneficio incarnationis, ac proinde meritũ vnius eſt præſcindibile à merito alterius: & potuit à Deo promitti B. Virgini ſub conditione operis exhibẽdi, quæ eſt vna ex conditionibus ad meritum condigni requiſitis: ergo.

Tertia ſententia, vtroque modo, ſcilicet, tam de facto, quam de potentia abſoluta, negat in B. Virgine, meritũ condigni reſpectu maternitatis, & admittit meritũ duntaxat decongruo, quã ſequuntur Soto lib. 2. de iuſtit. & iur. q. 2. art. 3. Vega q. 4 de iuſtificat. art. 1. Vincent. in loco citat. Valent. punct. vlt. Medin. dub. 2. Vazq. diſp. 23. c. 4. Nazar. controu. 3. Aluarez diſp. 17. Pelant. diſp. 3. & Siluius circa ſolutionem ſexti argumenti, vt autem explicent in quibus actibus fuit huiuſmodi meritum decongruo B. Virginis, in duos modos dicendi diuiduntur: Valẽtia enim, & Vazquius aſſerũt meritũ hoc fuiſſe in bonis operationibus B. Virginis nõ quaten⁹ procedebant à donis gratiæ, & ab ipſa incarnatione præuiſa in mente Dei, ſed quatenus procedebãt à libero arbitrio B. Virginis. Cœteri autem hoc meritum conſtituunt in bonis operationibus ſupernaturalibus B. Virginis quatenus procedebãt ex donis gratiæ collatis ex meritis Chriſti preuiſsi, & voliti in intentione Dei. Et quia hac eſt ſẽtẽtia D. T. hic ad 3. & in 3. d. 4. q. 3. a. 1. ad 6. pro eius declaratione.

49 Dico primo. B. Virgo, neque de facto meruit, neque de potentia abſoluta potuit decondigno promereri dignitatẽ Matris Dei. Hęc concluſsio ſtatuitur aduerſus Auctores primæ, & ſecũdũ ſententiæ. Et pro prima parte probatur primo, quia maternitas hæc prout eſt cõſanguinitas cum Chriſto eſt excellentior omni actu gratiæ adoptionis: ergo nequit cadere ſub meritum condigigni proueniens à gratia adoptionis. Conſequentia eſt nota & antecedens probatur dupliciter. Tum quia ita aſſeritur ab Auguſt. in lib. de aſſumptione, ab Anſelmo in lib. de excellẽtia Virginis, ab Orig hom. 1. ex diuerſis in ſerm. de natiuitate Virginis, & Laurẽtio Iuſtin. ſerm. 2. de iuſtific. Tum etiam quia B. Virgini propter excellentiam huiuſmodi conſanguinitatis cum Deo homine debetur excellentior adoratio (ſcilicet hyperduliæ) quam cuilibet alteri ſancto exornato gratia adoptionis, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 103, art. 4. ad 2. ergo.

Secundo probatur, nam cum meritum B. Virgin. procedat à gratia adoptionis, nequit extendi decondigno niſi ad augmentum gratiæ, & conſecutionẽ gloriæ in proprio ſubiecto: hæc enim ſunt ad quæ ſe extendit gratia adoptionis ex propria, & connaturali inclinatione, vt ſupra oſtẽdimus ex ratione Conc. Francoford, ſed dignitas Matris Dei pertinet ad ordinẽ hypoſtaticum, & ad bonum commune reparationis totius generis humani: ergo nequit gratia B. Virginis extendi ad pro-

me-

merendum iſtam dignitatem decondig-no. Minor ſic oſtenditur, in hoc quod eſt Beatam Virginem eſſe Matrem Dei includitur hoc, quod eſt Deum naſci ex illa: eſt enim mater correlatiuum filij, ac proinde poſitio vnius adducit ſecum poſitionem alterius: Deum autem naſci ex virgine matre, idem eſt atque ipſum ſumere carnem ex ea, quod eſt idem atque incarnari: igitur de primo ad vltimum dignitas Matris Dei includit incarnationem, & ordinem hypoſtaticum, ac perconſequens meritum illius eſt meritum iſtius, neque illud eſt ſeperabile ab iſto. Vnde eadẽ prorſus eſt impoſsibilitas in Beata Virgo ad hanc dignitatem matris, atque ad incarnationem de condigno promerendum.

Sed dices quo pacto, aut in quo ſenſu verum habeant verba illa, quæ de Beata Virgine profert Diuus Bernardinus Senenſis ſermone 51. dicens, Beata Virgo per conſenſum quem præbuit conceptioni Verbi plus meruit quam omnes homines, & Angeli ſimul ſuis actibus meritorijs promeruiſſent?

Reſpondetur verba hæc, aut intelligi de merito condigno reſpectu proprij augmenti gratiæ, & gloriæ, & ſic probabiliter verificari, quod in Beata Virgine fuit maius meritum quam in omnibus Sanctis etiam collectiuè ſumptis: aut intelligi de merito congrui, quod mihi probabilius eſt, & ſic verificari de dignitate Matris Dei, quæ fuit prerogatiua ſuper excedens omnes, quas alij ſancti ſuis actibus promeruerunt.

Deinde pro ſecunda parte probatur concluſio argumento ſecundo facto pro prima parte, quo manifeſtè conuincitur meritum maternitatis Dei eſſe meritum incarnationis: ac proinde cum reſpectu incarnationis, neque de potentia abſoluta poſsit dari in pura creatura meritum condigni, vtpotè quod deberet eſſe infinitũ, ita neque reſpectu maternitatis.

Dixi in concluſione *hanc dignitatẽ matris Dei*, quia maternitas in Beata Virgine ſumi poteſt dupliciter: vno modo vt eſt conſanguinitas, ſiue coniunctio cum Chriſto ratione ſolius humanitatis, & ſic eſt dignitas finita, & minoris valoris, quã gratia adoptionis, & gloria, teſte Auguſtino cap. 38. & lib. de ſancta Virginitate, c. 3. Alio modo vt eſt cõſanguinitas, ſiue coniunctio cum Chriſto ratione humanitatis, ſimul & ſuppoſiti diuini, & ſic maternitas eſt infinitæ dignitatis, teſte D. Thoma 1. p. quæſt. 25. art. 6. ad 4. & ex hoc capite prouenit, vt per nullam potentiam poſsit pura creatura illam de cõdigno promereri.

50 Dico ſecundo. Meruit tamẽ Beata Virgo de congruo dignitatem Matris Dei ſuis operibus ſupernaturalibus, vt procedentibus ex gratia collata ex meritis Chriſti præuiſi in mente Dei. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Auctores primi modi defendendi tertiam ſententiam.

Et pro prima parte probatur, quia Beata Virgo ex ſua libera voluntate cooperante gratiæ Dei habuit plures operationes, quibus amicabiliter diſponebatur ad conceptionem diuini Verbi: ſed in huiuſmodi diſpoſitione amicabili conſiſtit meritum congrui reſpectu incarnationis, quod admiſsimus in antiquis Patribus: ergo ſimiliter admittendũ eſt in Beata Virgine, tam reſpectu incarnationis, quam reſpectu conceptionis, & maternitatis, & eo excelẽtiori modo, quo excellentiores, & feruentiores fuerunt operationes Beatæ Virginis operationibus antiquorum Patrum.

Deinde pro ſecunda parte ſuadetur tripliciter. Tum ex proportione, quæ interquodcumque meritum, & præmium reperiri debet. Tum etiam ex eoquod meritum congrui debet eſſe amicabilis diſpoſitio, quæ proinde ſupernaturalis debet eſſe, vtpote ex amicitia diuina ex charitate procedens, & in illa fundata. Tum denique, quia propterea D. Thom. docet 1. 2. quæſt. 109. art. 5. hominem nõ poſſe per ſua naturalia, niſi tantum per gratiam mereri nullo modo, ideſt de congruo, nec de condigno vitam æternam, quia vita æterna eſt finis excedens virtutem, & proportionem humanæ naturæ, ſed etiam dignitas Matris Dei eſt ſuper excedens virtutem naturalem liberi arbitrij: ergo non poteſt promereri, niſi per actus ſupernaturales procedentes ex gratia.

Sed dices, ex hac doctrina ſequi, quod Chriſtus fuerit præuiſus, & volitus in intẽtione antequam eligeret Deus Beatam Virginem ad dignitatem Matris: ſiquidem hoc beneficium, & dona gratiæ, quibus illud promeruit Beata Virgo fuerunt illi collata intuitu Chriſti venturi, & propter eius merita ſaltẽ in genere cau-

ſæ finalis: conſequens autem eſſe falſum patet, quia Chriſtus non potuit præuideri, niſi per notitiam intuitiuam, ac proinde vt exiſtens: ergo vt productus extra cauſas, quia fieri, & produci habet pro termino exiſtentiā: ergo vt productus à genitrice.

Dices, vt productus à Deo, contra hoc eſt, quia non potuit præuideri, vt productus à Deo per concurſum generalem, qui eſt indifferens: ergo vt productus ex vi conuerſus particularis, & determinati per concurſum cauſæ ſecundæ, ſcilicet genitricis.

Reſpondetur huic obiectioni admittendo ſequelam, & negando minorem, quia ſicut gloria danda electis fuit præuiſa, & volita ante præuiſa merita, à quibus tamen dependet in executione, quia non per ſe, & eſſentialiter, ſed per accidens, & in fieri tantum dependent ab illa, ita Chriſtus vt Redemptor potuit præuideri in intentione Dei ante præuiſam matrē, à qua tamen dependet in executione, quia ab illius actione non dependet per ſe, & eſſentialiter, niſi tantum in fieri, fuit ergo Chriſtus ſecundum ſuum eſſe tunc præuiſſus in intentione, vt dependens à cauſis eſſentialibus, & maxime à concurſu diuino: quem docuimus in tractatu de auxilijs eſſe determinatum: non quidem excludente, ſed pro illo ſigno rationis præcedente concurſum cauſæ particularis ei aſſociando in executione. Ex his patet ſolutio ad fundamenta aduerſariorum.

ART. XII.

Vtrum gratia vnionis fuerit homini Chriſto naturalis?

Inf. q. 7. a. 13. ad 2. & qu. 34. ar. 1. 2. & 3. d. 4. q. 3. ar. 2. q. 1.

AD duodecimū ſic proceditur. Videtur, quod gratia vnionis non fuerit homini Chriſto naturalis. Vnio enim incarnationis non eſt facta in natura, ſed in perſona: vt dictum eſt *. Sed vnumquodque denominatur â termino. Ergo gratia illa magis debet dici perſonalis, quam naturalis. ** a. 1. huius q.*

Præterea, Gratia diuiditur cōtra naturam: ſicut gratuita, quæ ſunt â Deo, diſtinguntur cōtra naturalia, quæ ſunt â principio intrinſeco. Sed eorum quæ ex oppoſito diuidūtur, vnum non denominatur ab alio. Ergo gratia Chriſti non eſt ei naturalis.

3 Præterea, Naturale dicitur quod eſt ſecundum naturam. Sed gratia vnionis non eſt naturalis Chriſto ſecundum naturam diuinā (quia ſic conueniret etiam alijs perſonis.) Nec etiam naturalis eſt ei ſecundum naturam humanam: quia ſic conueniret omnibus hominibus, qui ſunt eiuſdem naturæ cum ipſo. Igitur videtur, quod nullo modo gratia vnionis ſit Cgriſto naturalis.

Sed contra eſt, quod Auguſti. dicit in Enchirid. * Humanæ naturæ ſuſceptione fit quodam modo ipſa gratia illi homini naturalis, quia nullum poſsit admittere peccatum. *c. 40. poſt med. to. 3.*

Reſpondeo dicendum, quod ſecundum Philoſ. in 5. Metaph. * Natura vno modo dicitur ipſa natiuitas, alio modo eſſentia rei. Vnde naturale poteſt aliquid dici dupliciter. Vno modo, quod eſt tantū ex principijs eſſentialibus rei: ſicut igni naturale eſt ſurſum ferri. Alio modo dicitur eſſe homini naturale, quod ab ipſa natiuitate habet: ſecundum illud Epheſ. 2. Eramus natura filij iræ. Et Sapient. 12. Nequam eſt natio eorum, & naturalis malitia ipſorum. Gratia igitur Chriſti, ſiue vnionis, ſiue habitualis nō poteſt dici naturalis, quaſi cauſata ex principijs humanæ naturæ in Chriſto; quamuis poſsit dici naturalis, quaſi proue- ** text. 5. to. 3.*

prouenìens in naturam humanam Chriſti, cauſante diuina natura ipſius.

Dicitur autem naturalis vtraque gratia in Chriſto, in quantum eã â natiuitate habuit: quia ab initio cõceptionis fuit natura humana diuinæ perſonæ vnita, & anima eius fuit munere gratiæ repleta.

Ad primum ergo dicendum, quod licet vnio non ſit facta in natura, eſt tamen cauſata ex virtute diuinæ naturæ, quæ eſt verê natura Chriſti: & etiam conuenit Chriſto â principio ſuæ natiuitatis.

Ad ſecundum dicendũ, quod non ſecundum idem dicitur gratia, & naturalis. Sed gratia quidem dicitur, in quantum non eſt ex merito; naturalis autem dicitur, in quantum eſt ex virtute diuinæ naturæ in humanitate Chriſti ab eius natiuitate.

Ad tertium dicendum, quod gratia vnionis non eſt naturalis Chriſto ſecundum humanam naturam, quaſi ex principijs humanæ naturæ cauſata: & ideo non oportet quod conueniat omnibus hominibus. Eſt tamen naturalis ei ſecundum humanam naturam propter proprietatem natiuitatis ipſius: prout ſic conceptus eſt ex Spirituſancto, vt eſſet idem naturalis filius Dei, & hominis. Secundum vero diuinam naturam eſt ei naturalis, in quantum diuina natura eſt principium actiuum huius gratiæ. Et hoc conuenit toti trinitáti, ſcilicet huius gratiæ eſſe actiuũ principium.

DE materia huius articuli agendum eſt infra quæſt. 7. artic. 1. vbi ſimilis quæſtio de gratia habituali diſputari ſolet.

QVAESTIO III.

De modo vnionis ex parte perſonæ aſſumentis, in octo Articulos diuiſa.

EXplicatis iam eſſentia huius vnionis, & eius termino, conſequenter agit Diuus Thomas de eius duobus extremis, ſcilicet, de extremo aſſumente, quod eſt perſona diuini Verbi, & hoc præſtat in hac quæſtione: in ſequenti vero tractat de altero extremo aſſumpto, quod eſt natura humana, quã ad ſe ſumpſit diuinum Verbum.

ART.

ARTIC. I.

Vtrum perſonæ diuinæ conueniat aſſumere naturam creatam

(?)

3.d.5.q.2 art.1.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod perſonæ diuinæ non conueniat aſſumere naturam creatam. Perſona enim diuina ſignificat aliquid maxime perfectum. Perfectum autem eſt, cui non poteſt fieri additio. Cum igitur aſſumere ſit quaſi ad ſe ſumere, ita quod aſſumptum addatur aſſumẽti: videtur quod perſonæ diuinæ nõ conueniat aſſumere naturam creatam.

2 Præterea, Illud, ad quod aliquid aſſumitur, communicatur quodammodo ei, quod in ipſum aſſumitur: ſicut dignitas communicatur ei, qui in dignitatem aſſumitur. Sed de ratione perſonæ eſt, quod ſit incommunicabilis, vt in prima parte dictum eſt *. Ergo perſonæ diuinæ non conuenit aſſumere, quod eſt ad ſe ſumere.

p.p. q.29. art.1.

3 Præterea, Perſona conſtituitur per naturam. Sed inconueniẽs eſt, quod conſtitutum aſſumat conſtituens; quia effectus non agit in ſuam cauſam. Ergo perſonæ non cõuenit aſſumere naturam.

Sed contra eſt, quod Auguſtinus dicit de fide ad Petrum, *Formã ideſt naturam ſerui, in ſuam accepit Deus, ille ſcilicet vnigenitus, perſonam. Sed Deus vnigenitus eſt perſona. Ergo perſonæ competit accipere naturam, quod eſt aſſumere.

in lib. de fide ad Pet. c.2. à med. tom.3.

Reſpondeo dicendum, quod in verbo aſſumptionis duo importantur, videlicet principium actus, & terminus. Dicitur enim aſſumere, quaſi ad ſe aliquid ſumere. Huius autem ſumptionis, perſona eſt & principium & terminus. Principium quidem, quia perſonæ proprie competit agere: huiuſmodi autem ſumptio carnis per actionem diuinã facta eſt. Similiter etiam perſona eſt huius ſumptionis terminus. quia ſicut ſupra dictum eſt, Vnio facta eſt in perſona non in natura. Et ſic patet quod proprijſsimé competit perſonæ, aſſumere naturam.

q. præced. 1. & 2.

Ad primum ergo dicendum, quod cum perſona diuina ſit infinita, non poteſt ei fieri additio. Vnde Cyrillus dicit in epiſt. ſynod. Epheſ. Concil. Non ſecundum appoſitionem coniunctionis intelligimus modum. Sicut enim in vnione hominis ad Deum, quæ eſt per gratiam adoptionis, non additur aliquid Deo: ſed illud quod diuinum eſt, apponitur homini. Vnde non Deus, ſed homo perficitur.

in epiſt. 13 ad Neſt. cir. med. illius.

Ad ſecundum dicendũ, quod perſona dicitur incommunicabilis, in quantum non poteſt de pluribus ſuppoſitis prædicari: nihil tamẽ prohibet plura de perſona prædicari. Vnde non eſt contra rationem perſonæ ſic communicari, vt ſubſiſtat in pluribus naturis: quia etiam in perſonam creatam poſſunt plures naturæ concurrere accidentaliter: ſicut in perſona vnius hominis inuenitur quantitas, & qualitas. Hoc autem eſt proprium diuinæ perſonæ, propter eius infinitatem, vt fiat in ea cõcurſus naturarum: non quidem accidentaliter, ſed ſecundum ſubſiſtẽtiam.

Ad tertium dicendum, quod ſicut

Digitized by Google

ſicut ſupra dictum eſt, natura humana non coſtituit perſonam diuinam ſimpliciter, ſed conſtituit eam ſecundum quod denominatur à tali natura. Non enim ex natura humana habet filius Dei quod ſit ſimpliciter, cum fuerit ab æterno: ſed ſolũ quod ſit homo. Sed ſecundum naturam diuinam conſtituitur perſona diuina ſimpliciter. Vnde perſona diuina non dicitur aſſumere diuinam naturam, ſed humanam.

CONcluſio eſt, perſonæ diuinæ propriſsimè conuenit aſſumere naturam creatam, ideſt magis proprie, quam eſſentiæ diuinæ.

Sed ad huius concluſionis exactam intelligentiam.

Dubitatur. An hoc ita ſit proprium perſonæ diuinæ, vt nulli perſonæ creatæ etiam de potentia abſoluta poſſit conuenire?

1 IN Hoc dubio tres verſantur ſententiæ. Prima fuit eorum, qui exiſtimarunt de facto Angelos aſſũpſiſſe naturas corporeas aſſumendo eas, ſibi hypoſtatice: de quorum numero fuere Tertullianus in lib. de carne Chriſti cap. 4. & lib. 3. contra Marcionem cap. 9. & Origenes relatus à Hieronymo in præfatione ſuper Malachiam, & ſuper Ageum cap. 1. dixit, Malachiam fuiſſe Angelum incarnatum, & idem Origenes tom. 2. ſuper Ioannem exponẽs illa verba Ioannis cap. 1. *Hic venit in teſtimonium, &c.* ait plures Angelos olim fuiſſe incarnatos ex eiſque vnum fuiſſe Ioannem Baptiſtam; ſed quia hæc ſententia quoad factum ſufficienter impugnatur à Theologis. 1. p. quæſt. 51. art. 1. & à Suarez in hac 3. p. tom. 2. diſputat. 54. ſectione 2.

2 Inter Scolaſticos fuit ſecunda ſentẽtia recepta à Nominalibus, quod perſona creata humana, ſiue Angelica poſsit de potentia Dei abſoluta alienam naturam ſuppoſitare: ita Ochamus in 3. diſt. 1. q. 1. dub. vltim. Gabr. ibidem quæſt. 2. articul. 3. dub. 5. Mai. quæſt. 5. Almainus quæſt. 2. dub. vlt. Baſol. quæſt. 6. eandem ſequitur vt probabilem Scotus ibidem diſtinct. 12. quæſt. 4. Peſantius in hac 3. part. & Valentia puncto vlt. licet diuerſimode. Alij enim omnes excepto Valentia, id affirmant de perſona, ſiue humana, ſiue Angelica iam creata: ipſe vero ſecundũ hoc affirmat poſsibile de perſona creabili, quæ tanta perfectione eſſentiali prædita poſſet à Deo creari, vt alienam naturam, ſibi vnire hypoſtatice poſſet. Igitur id in quo iſti auctores conueniunt probãt tripliciter.

Primo, quia nulla implicatio contradictionis inuoluitur in hoc, quod Deꝰ vniat perſonalitati Petri, v. g. alienam naturam ſubſtantialem: ergo nõ eſt Deo deneganda potentia ad hoc faciendum. Conſequentia eſt nota, quia non eſt denegandum, quidquid non implicat contradictionem. Antecedens probatur, quia neque ex parte virtutis Dei repugnantia inuoluitur, vtpote cum ſit omnipotentia, reſpectu cuius nihil eſt impoſsibile, niſi quod ſecundum ſe repugnat fieri, neque ex parte naturæ aſſumptæ, quia poteſt cõſeruari ſeparata à propria perſonalitate, & ſic ſeparata vniri alienæ, alioquin neque humanitas poteſt vniri perſonalitati Verbi: neque ex parte ipſius perſonalitatis creatæ, propter duo. Tum, quia etiam hęc eſt ſeparabilis à natura, ſibi propria, & naturali: ergo natura eſt ſeparabilis ab illa, magis enim dependet natura à propria perſonalitate, quam è conuerſo; ſiquidem natura dependet à perſonalitate vt ab actu; perſonalitas vero dependet à natura, vt à potentia: & aliàs cum dependentia perſonalitatis à natura, neque ſit cauſæ formalis, neque materialis, eſt ſuplebilis à Deo, ac per conſequens ſine illa poterit perſonalitas creata conſeruari à Deo ſine propria natura: ergo ſic ſeparatam cur non poterit Deus vnire alienæ naturæ? Tum etiã,

quia

quia perſonalitas minus diſtat à natura aliena creata, quam perſonalitas increata Verbi: ergo ſi huic potuit vniri natura aliena creata, à fortioti & illi.

3 Secundo, quia terminare plures naturas non petit infinitam perfectionem in termino terminante: ergo poteſt conuenire perſonalitati creatæ, aut creabili. Conſequentia patet, quia adid ad quod non requiritur perfectio, aut virtus infinita, poteſt creatura aliqua concurrere ſaltem virtute diuina. Antecedens autem probatur tripliciter. Tum, quia ratio terminandi de facto alienam naturam in Verbo, eſt ſola relatio perſonalis ſecundum proprium conceptum talis perſonæ, quæ vt ſic non includit eſſentiam, ac perconſequens neque aliquod genus infinitatis, ſiue perfectionis communis tribus perſonis. Tum etiam, quia terminare naturam alienam, non eſt infinite maius, quam terminare propriam: ergo ſi non requiritur infinita perfectio ad propriam, ita neque ad alienam terminandam. Tũ denique, quia idem punctum centri terminat plures lineas pro tractas à circunferentia, neque hoc arguit in illo infinitam perfectionem: ergo neque eam arguet in perſonalitate creata, quod actu terminet plures naturas.

Tertio arguunt à ſimili, ducto ex eodẽ numero accidenti quod virtute diuina poteſt inherere diſtinctis ſubiectis, & ex eadem numero anima, quæ per virtutẽ infinitam non ipſius, ſed Dei, poteſt informare plura corpora: & ex eodem numero corpore, quod ſimiliter per virtutem infinitam in Deo exiſtentem, poteſt duas pręſentias locales in ordine ad diſtincta loca ſimul habere: ergo proportionabiliter perſonalitas cteata, licet in ſe finitæ virtutis ſit, poterit nihilominus plures naturas per virtutem infinitam Dei, ſuppoſitare.

4 Tertia ſententia aſſerit ita proprium eſſe perſonæ diuinæ poſſe terminare naturam alienam, vt nec per potentiam Dei abſolutam perſonalitas creata, aut creabilis poſsit alienæ naturæ vniri perſonaliter, ita Du. in 3. diſt. 1. quæſt. 5. Palud. q. 1. art. 2. Sot. in 4. diſt. 9. q. 2. art. 2. Enrr. quodlib. 11. q. 10. Caiet. & Medina in hoc art. Suar. diſp. 13. ſect. vlt. Vazq. diſp. 25. Aluar. diſp. 18. Nazar. controuerſ. vnic. & alij Recen. & quia hæc ſententia eſt expreſſa D. Thom. hic in ſolutione ad 2. aſſerẽtis: Proprium eſſe diuinæ perſonæ, propter eius infinitatem, vt fiat in ea concurſus naturarum, non quidem accidẽtaliter, ſed ſecundũ ſubſiſtentiã: in quibus verbis ſignificat per nullam potentiã poſſe hoc communicari perſonæ creatæ. Tum, quia proprium ſimpliciter, & abſolutè dicitur, quòd nullo modo poteſt eſſe cõmune. Tũ etiã, quia infinitas quã D. T. aſsignat pro ratione per nullã potẽtiã cõuenire poteſt creaturę, ideò ſtatuitur à nobis pro cũcluſione, & ex eadẽ auctoritate D. Thomæ ſumitur fundamentalis ratio concluſionis, quia nimirum requiritur infinita perfectio, ſiue virtus in quacumque perſonalitate ad terminãdam naturam alienam ſubſtantialem, & quamuis omnes auctores huius ſententiæ vnanimiter admittant, aut ſupponant hanc rationem, vt certam, non tamen conueniunt in explicanda radice vnde proueniat, quod in perſonalitate ad terminandam alienam naturam requiratur, infinita virtus, ſiue perfectio, ſed tribus modis illud explicant.

5 Primus eſt Dur. & Palud. vbi ſupra, qui ſic argumentatur: virtus quam habet perſonalitas creata ad terminandam dependentiam alienæ naturæ, non eſt cõmunicata ei à Deo ſupernaturaliter, ſed eſſet ipſi connaturalis: ergo infinita. Antecedens patet, quia perſonalitas concurrere debet ad terminandam quamcumque naturam ſibi vnitam perſonaliter virtute propria, & connaturali, quia concurrit veluti in genere cauſæ formalis principalis, ac proinde per communicationem ſuæ propriæ virtutis: eãdem rationem Durandi ſic format Vazquez: ſi perſonalitas creata terminare poteſt naturam alienam: vel hoc poſſet virtute propria, vel vt eleuata per virtutem Dei.

Sed neutro modo id poteſt: nõ primo, quia aliàs quęlibet perſonalitas naturaliter poſſet ſuſtentare naturã alienã, & quilibet Angelus lumine naturali poſſet cognoſcere hoc genꝰ vnionis, & diſcernere an in Chriſto eſſet ſuppoſitum creatum, vel diuinũ, & aliqua creatura virtute propria, & naturali poſſet præſtare effectum miraculoſum, quæ ſunt abſurda. Neque ſecundo, quia vel hæc eleuatio fieret per virtutem intrinſecam ſuperadditam accidentalẽ, & hoc non, quia hæc vnio eſt ſubſtãtialis, vel per virtutem ſuperaditam ſubſtãtialem, & hoc non, quia modo ſubſtantiali, & vltimo complemento naturæ, qualis

eſt

eſt perſonalitas, nequit fieri additio alterius modi ſubſtãtialis, neque alicuius ſubſtantialis perfectionis ſuperadditæ, etiam modalis eſt capax natura iam vltimo completa, vel tãdẽ fieret ſine illa intrinſeca virtute adinſtar inſtrumenti extrinſece eleuati: & neque hoc poteſt dici, quia terminare non eſt agere, neque ad terminandum poteſt concurrere ſubſiſtentia vt inſtrumentum motũ ab alio agente, ſed propria virtute, & per ſe ipſam ſuſtentando naturam. ergo virtus ad terminandam alienam naturam eſſet infinita, & increata. Contra hunc modum obicit Suar. argumentũ tertio loco factum, ex cuius tamen ſolutione patebit nihil conuincere contra Vazquium.

6 Secundus modus eſt quem ſequitur ipſe Suar. diſp. citata, ſect. 4. qui ſic argumentatur, modus alicuius rei ab ipſa realiter indiſtinctus non poteſt ſeparari ab illa re cuius eſt modus, neque poteſt aliam modificare, quod probat inductione in figura, v. g. quæ inſeparabilis eſt à quantitate, cum qua identificatur, neque poteſt aliam quantitatem afficere, idem contingit in relatione, & ſeſsione, &c. ſed ſubſiſtentia creata eſt modus quidam naturæ ab ipſa realiter indiſtinctus: ergo non poteſt à natura quã terminat ſeparari, neque poteſt aliquam naturam terminare, & proprerea neque diuina perſonalitas poſſet alienam naturam terminare, ſi tantum eſſet modus naturæ diuinæ, ſed quia eſt perfectiſsima, & infinita, propter identitatem realem, & formalem cum ipſa diuina eſſentia, ideò poteſt terminare alienam naturam, ac proinde ex hoc quod aliqua perſonalitas poſsit terminare alienam naturã colligitur, quod habeat infinitatem, & quod non ſit preciſſe modus.

Sed hic modus dicendi deficit, propter duo. Tum, quia ſupponit ſubſiſtentiam & perſonalitatem eſſe mõdum indiſtinctum realiter à natura ſubſtãtiali, & non gaudere propria, & totali realitate in ſuo genere, quod tamen eſſe falſum in doctrina D. Thom. oſtendit Caietan. q. ſequẽti art. 2. Tum etiam, quia etiã ſi inſeparabilis eſſet, & indiſtinctus realiter à natura cuius eſt modus, adhuc non probatur efficaciter à Suar. illum non poſſe vniri alienæ naturæ ſimul terminando propriam naturam, quemadmodum perſonalitas diuina, quæ eſt veluti modus eſsẽtiæ diuinæ, ſimul cum illa communicatur humanitati aſſumptæ. Tum denique, quia accidenti ſeparato poteſt conuenire, & de facto conuenit quantitati in Sacramẽto altaris modus eſſendi per ſe, ſcilicet ſine dependentia actuali à ſubſtantia, qui nõ ſit ipſi connaturalis, & proprius: ergo naturæ ſubſtantiali poteſt conuenire modus eſſentiæ per ſe, & incomunicabiliter, qui non eſſet ipſi conaturalis, & proprius ac proinde poſſet ſubſiſtere per alienam ſubſiſtentiã quamuis finita eſſet, & per ſe modus identificatus cum propria natura.

7 Quare tertius, & verior modus colligendi hanc infinitatem eſt, quo vtuntur Caiet. & Medina, dum ſic argumentãtur: ſi perſonalitas creata poſſet terminare alienã naturam, poſſet etiam terminare infinitas, ſi aliàs poſsibiles eſſent, ſed ad terminandum infinitas requiritur virtus infinita in perſonalitate: ergo. Maiorem probant ex illo axiomate Philoſ. 4. phiſ. tex. 76. ſcilicet vbi pluralitas non facit differentiam, neque infinitas illam faceret, ſi aliàs infinitas ſit poſsibilis, ex quo arguit ibidem Philoſophus, quod ſi duo corpora poſſunt eſſe ſimul in vno loco, neque etiam plura, aut infinita ſimul eſſe prohiberetur. Hoc enim axioma ſemper eſt verum quãdo ex eodem principio naſcitur poſsibilitas, aut impoſsibilitas pluralitatis, & infinitatis: vt contingit in noſtro caſu. Minor autem probatur, quia cum concurſus quem exercet perſonalitas reſpectu naturæ non ſit inſtrumentalis, neque poſsit ei conuenire per eleuationem Dei, ſed ex propria, & connaturali eius virtute idem eſt perſonalitatem aliquam poſſe terminare infinitas naturas, atque poſſe illas terminare ex propria ſua & connaturali virtute: ſed poſſe ſic terminare infinitas naturas, ſiue eiuſdem ſpei, ſiue diuerſæ, ſiue ſimul, ſiue ſucceſsiuè, idem eſt non tot quin plures petit infinitatem in ipſa perſonalitate, eo quod poſſet extẽdere ſuum concurſum extra naturalem, & intrinſecam adequationem, quam habet in terminando vnaquæque perſonalitas cum propria, & connaturali ſibi natura, & terminando infinitas, exerceret munera infinitarum perſonalitatum, præberetque effectus veluti formales illarũ, quod non poſſet fieri niſi præhabẽdo eminẽter per modum formæ infinitas aliarum perſonalitatũ indiuiduales, ſiue ſpecificas perfectiones, quæ continentia proculdubio

arguit

arguit infinitam virtutem, ſiue perfectionem in tali perſonalitate.

8 Ad primum in contrarium reſpondetur negando antecedens. Ad cuius probationem nego antecedens pro tertia parte, quia repugnantia hæc oritur ex parte perſonalitatis creatæ, eoquod haberet infinitatem, vt dictum eſt. Et ad primã huius probationem reſpondetur dupliciter iuxta ſententiam Caiet. & aliorum diſcipulorum Diui Thomæ admittentium realem diſtinctionem inter naturam, & eius perſonalitatem.

Primo quidem, quod adhuc admiſſa hac diſtinctione, non poteſt perſonalitas conſeruari ſeparata à natura, quia licet ſit actus realiter diſtinctus ab illa, tamen non eſt entitas completa, & tanquam id quod eſt, ſed eſt entitas in completa, & tanquam id quo aliud eſt, & talis entitas nequit conſeruari ſeparata a re, cuius eſt actus, & modus: quo pacto, neque exiſtentia ſeparabilis eſt à natura, cuius eſt exiſtẽtia, neque cauſalitas in actu ſecundo materiæ, ſiue formæ, in qua, docuim⁹ quæſtione præcedenti cõſiſtere nexũ, & vnionem vtriuſque in compoſito ſubſtantiali eſt ſeparabilis ab ipſis, propter dependentiam intrinſecam, quam habet exiſtentia à ſubiecto exiſtente, & cauſalitas à cauſa, & ſubſiſtentia creata à natura ſubſiſtente.

Secundo reſpondetur, quod admiſſo perſonalitatem poſſe ſeparari à natura, adhuc ſic ſeparata, non poſſet terminare alienam naturam, propter rationem adductam.

Ad ſecundam probationem dicendum eſt, quod licet in ratione entis diſtet magis natura creata à perſonalitate Verbi quã à perſonalitate creata aliena, tamen in ratione terminabilis maiorẽ habet proportionẽ cum iſta, quã cum illa, quia reſpectu illius habet potentiam obediẽtialem, reſpectu vero iſtius nullam potentiam habet: propter rationes aſsignatas, nec ex minori, aut maiori diſtantia in ratione entis, ſed ex maiori, vel minori proportione inter perſonalitatem, & naturam iudicanda eſt poſsibilis, aut impoſsibilis vnio vtriuſque: ſtante enim maiori diſtantia eſt vnio poſsibilis inter Verbum, & humanitatem, & ſtante minori diſtantia eſt impoſsibilis vnio inter humanitatem, & alienam perſonalitatem creatam; propterea quod ibi eſt proportio, quæ hic non reperitur, quemadmodum ſtante maiori diſtãtia inter intellectum creatum, & Deum quam inter potentiam viſiuam, & ſonum, iſte poteſt eleuari ad vidẽdum Deum, iſta vero non poteſt eleuari, ad percipiendum ſonum, quia intellectus habet aliquam proportionem cum Deo, vt cum obiecto quam non habet potentia viſiua cum ſono.

9 Ad ſecundum nego antecedẽs. Ad primam probationem reſpondetur iuxta ea, quæ docuimus in materia de Trinitate q. 28. art. 1. & 2. quod relatio perſonalis ſumpta ſecundum proprium conceptũ, licet non dicat propriam perfectionem relatiuã, tamen in præſcindibilis eſt ab abſoluta perfectione eſſentiæ ratione cuius, habet perfectionem infinitam in terminãdo, & admiſſo, quod præſcindibilis eſſet à perfectione eſſentiæ, aut ex illa non haberet perfectionem infinitam in terminãdo: adhuc ſecundum proprium conceptum relationis perſonalis, haberet non quidem perfectionem, quæ in Deo abſoluta debet eſſe, ſed infinitatem relatiuam in terminando, ratione cuius poſſet alienam naturam terminare.

Ad ſecundam reſpondetur, quod terminare naturam alienam non ſit infinite maius quam terminare propriam ex parte terminationis paſsiuæ, bene tamen ex parte modi terminandi, quoad numerum naturarum ſine numero, & quoad propriã virtutem terminatiuam præſtantem miraculoſe eſſentias formales aliarum perſonalitatum: ſicut producere ex nihilo aliquã rationem, licet non ſit infinite maius ex parte rei factæ, quam producere eandem ex præſuppoſita materia, tamen ex parte modi faciendi eſt infinite maius, & propterea arguit increante virtutẽ infinitam.

Ad tertiam dicendum eſt, quod pũctum centri, aut non eſt terminatiuum, ſed tantũ continuatiuum linearum, aut ſi illarum eſt terminatiuum, hoc eſt, quia intrinſece terminat vnam, & extrinſece alias quibus coniungitur vnitate accidentali, quo pacto etiam eadem ſubſiſtentia creata, quæ intrinſece terminat vnam naturam ſubſtantialem, extrinſece & accidentaliter terminat plura accidentia, quæ ſunt tamen in eodem ſuppoſito.

Ad tertium negandum eſt antecedens, quoad omnes illos caſus; impoſsibile enim eſt idem numero accidens, & eãdẽ

numero

numero animam informare diſtincta ſubiecta: imò & eandem numero portionem materiæ informari pluribus formis ſubſtantialibus, propter eandem rationẽ, propter quam oſtendimns eſſe impoſsibile, eandem ſubſiſtentiam creatam, terminare plures naturas ſubſtantiales: impoſsibilitas autem tertij caſus, ſcilicet duarũ preſentiarum localiũ, ſimul in eodem corpore ſemel poſito in duobus locis diſtinctis, vt reuera ponitur ab aduerſarijs: nulla eſt, quia cum localis preſentia dependeat à loco per modum naturalis adequationis, & reſultãtiæ; vnicuique loco reſpõdet ſua præſentia localis: tamen quia ex alio capite docet Philoſophia repugnare quod vnũ corpus ſit ſimul in duobus locis adequatis: ex eodem iudicanda eſt impoſsibilis ſi multas duarum præſentiarum locali um in illo.

ART. II.

Vtrum diuinæ naturæ conueniat aſſumere?

2. d. 5. q. 2. a. 2.

AD ſecundum ſic proceditur, Videtur, quod naturæ diuinæ non conneniat aſſumere. Quia ſicut dictum eſt, aſſumere dicitur quaſi ad ſe aliquid ſumere. Sed natura diuina non ſumpſit ad ſe humanam naturam, quia non eſt facta vnio in natura, ſed in perſona, ſicut ſupra dictũ eſt. Ergo naturæ diuinæ non competit aſſumere naturam humanam.

ar. præce. q. 2. a. 1. & 2.

2 Præterea, Natura diuina communis eſt tribus perſonis. Si ergo naturæ conuenit aſſumere, ſequitur quod conueniat tribus perſonis. Et ita pater aſſumpſit naturam humanam, ſicut & filius: quod eſt erroneum.

3 Præterea, Aſſumere eſt agere. Agere autem conuenit perſonæ, non naturæ, quæ magis ſignificatur vt principium, quo agens agit. Ergo aſſumere non conuenit naturæ.

Sed contra eſt, quod Auguſtinus dicit in libro de fid. ad Petrum, Illa natura quæ ſemper genita maner ex parte, ideſt, quæ eſt per generationem æternam accepta â patre, naturam noſtram â matre ſine peccato ſuſcepit.

c. 2. inter princi. & med. c. t. 3.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut dictum eſt, in verbo aſſumptionis duo ſignificantur, ſcilicet principium actionis, & terminus eius. Eſſe autem aſſumptionis principium, conuenit naturæ diuinæ ſecundum ſeipſam: quia eius virtute aſſumptio facta eſt. Sed eſſe terminum aſſumptionis non conuenit diuinę naturæ ſecundum ſeipſam: ſed ratione perſonæ, in qua conſideratur. Et ideo primo quidem, & proprijſsimê perſona dicitur aſſumere: ſecundario autem poteſt dici, quod etiam natura aſſumpſit naturam ad ſui perſonam. Et ſecundum etiam hunc modum dicitur natura incarnata: non quaſi ſit in carnem conuerſa: ſed quia naturam carnis aſſumpſit. Vnde Damaſc. dicit, Dicimus naturam Dei incarnatã eſſe, ſecundum beatos Athanaſium & Cyrillum.

ar. præced.

li. 3 ort. fid. c. 6. ad fin. Athan. in ſymbol. ſuæ fid.

Ad primum ergo dicendum, quod ly ſe, eſt reciprocum, & refert idem ſuppoſitum. Natura autem diuina non differt ſuppoſito â perſona verbi: & ideo in quantum natura diuina ſumit naturam humanam ad perſonam verbi, dicitur eam

Cyril. in Cõcil. Cal. act. 1. poſt epiſ. Cyril. ad Io. Epiſ. Anti.

ad ſe ſumere. Sed quamuis pater ſumat naturam humanam ad perſonam verbi: non tamen propter hoc ſumit eam ad ſe: quia non eſt idem ſuppoſitum patris, & verbi. Et ideo non poteſt dici proprié, quod pater aſſumat naturam humanam.

Ad ſecundum dicendum, quod illud quod conuenit naturę diuinę ſecundum ſe, conuenit tribus perſonis: ſicut bonitas, ſapientia, & huiuſmodi. Sed aſſumere conuenit ei ratione perſonę verbi, ſicut dictum eſt. Et ideo ſoli illi perſonę conuenit.

In cor. art.

Ad tertium dicendum, quod ſicut in Deo idem eſt quo eſt, & quod eſt. ita etiam in eo idem eſt quod agit, & quo agit, quia vnumquodque agit in quantum eſt ens. Vnde natura diuina eſt illud quo Deus agit, & eſt ipſe Deus agens.

10 Prima concluſio: conuenit diuinæ naturæ eſſe ſecundũ ſeipſam principium aſſumptionis, quia eius virtute aſſũptio facta eſt: tamen eſſe terminum aſſumptionis non conuenit ſecundum ſeipſam, ſed ratione perſonæ in qua conſideratur.

Secũda vero cõcluſio, abſolutè dicẽdũ eſt, quod primo, & propriiſsimè perſona dicitur aſſumere: ſecundario autẽ dici poteſt, quod natura diuina aſſumpſit naturã ad ſui perſonam.

Circa has concluſiones tria dubia examinari ſolent à Theologis.

Primũm circa primam. An per Dei potentiã potuerit aliqua creatura ad vnionem Verbi cum humanitate inſtrumentaliter concurrere?

Secundum circa ſecundam. An cõcedendum ſit diuinam naturam mediatè, & ſecundario aſſumpſiſſe humanitatẽ, & ex hoc ſequatur, quod ratione vnionis naturæ diuinæ, Pater, & Spiritus ſanctus habeant modum aliquem exiſtendi in humanitate diſtinctũ ab illo quo ſũt in omnibus rebus per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, & ab illo quo ſunt in iuſtis per gratiam?

Tertium eſt circa eandẽ cõcluſionẽ. An perſona ita primario, & propriiſsimè dicatur aſſumere, quod formalis, & proxima ratio terminandi vnionem humanitatis ad Verbum, ſit aliquid abſolutum, vel ſola proprietas relatiua? Ad quæ ſuo ordine eſt reſpondendum.

11 Ad primũ Suarez reſpondet affirmatiue diſputatione 10. ſectione prima dicens: nedum de potentia abſoluta id poſſe fieri, ſed etiam de facto Beatam Virginem ad dictam vnionem inſtrumentaliter concurriſſe, & humanitatem ipſam Chriſti, ad vnionem partialem materiæ in nutritione inſtrumentaliter concurriſſe: vt ſic ſaluetur proprie Virginem eſſe Matrem hominis Dei, & Chriſtum vt hominem nutritum vitaliter fuiſſe.

Sed quidquid ſit de potentia abſoluta: hoc enim ex dicendis quæſtione 13. conſtabit, tamen nullam creaturam de facto ad vnionem hypoſtaticam effectiuè etiam inſtrumentaliter concurriſſe, vt verius defendunt, & ſolidioribus rationibus probant Vazquez diſputatione 25. cap. 1. & Aluarez diſputatione 19. neque hoc requiri, vt ſaluetur in Beata Virgine maternitas reſpectu Dei, & in Chriſto veritas nutritionis, ex dictis quæſtione præcedenti articulo 8. dub. 1. conſtat.

12 Ad ſecundum dubium Suar. diſputatione 12. ſect. 1. & Vazq. diſputatione 28. cap. 2. reſpondent affirmatiue. Quorum fundamentum eſt, quia eſſentia diuina ex eo quod ſecundario, & mediante perſonalitate Verbi aſſumpſit naturam humanam, & vnita fuit illi ſubſtantialiter, habet ſpecialem modum exiſtendi in humanitate diſtinctum ab illis, nimirum ratione vnionis huiuſmodi ſubſtantialis: ergo, & perſonæ Patris, ac Spiritus ſancti, propter identitatem cum eſſentia habebunt eundem modum ſpecialem exiſtẽdi in humanitate ſaltem per concommitantiam.

Sed verior ſententia eſt negatiua, quam ſequuntur Aluar. diſputat. 20. & Nazarius hic controuerſ. 1. circa finem, quorum ratio eſt, quod licet tota Trinitas ſit præſens humanitati aſſumptæ ſpecialiori modo quã reliquis creaturis, tamen

hoc

hoc non habet ex vi vnionis ſubſtantia-lis, ſiue immediate cum humanitate, ſed ratione effectuum ſpecialium, quos in ipſa humanitate omnes tres perſonæ efficiunt, quia cum perſonæ Patris, & Spiritusſancti nullam habeant, vnionem ſubſtantialem cum humanitate, neque aliquo modo illam terminent, ideò neque habent modum præſentialitatis fundatum in tali vnione.

Ex quo patet ſolutio ad fundamentum aduerſariorũ, ex identitate enim formali inter perſonas, & eſſentiam, non licet colligere, quod ſi eſſentia ſubſtantialiter vnitur humanitati, etiam perſonæ Patris, & Spiritus ſancti debeant vniri eidẽ humanitati, multa enim verificantur de eſſentia diuina, quæ negantur de perſonis ob diſtinctionẽ virtualem, quæ inter illas reperitur, vt oſtendimus in materia de Trinitate.

13 Ad tertium dubium omnes Theologi conueniunt in vno, & diſcriminantur in alio, conueniunt quidem in eo, quod ſi fiat ſermo de eo ad quod facta fuit hæc vnio tanquam ad terminans, vt *quod* primarius terminus fuerit perſona filij, & ſecundarius eſſentia diuina, ſiue Deus in filio, & ratio primi eſt, quia fides Catholica docet verbũ carnem factum fuiſſe, ideſt humanitatem vnitam fuiſſe perſonæ filij, & non alteri ex diuinis perſonis. Et ratio ſecundi eſt, quia etiam docet fides Catholica Deum factum fuiſſe hominem, & naturam diuinam mediante perſona filij incarnatam eſſe, non quaſi fuerit in carnem conuerſa, ſed quia naturam carnis aſſumpſit: vt docet hic D. Th ex ſententia Damaſcen. lib. 3. de fide cap, 6 Athan. & Ciryl. in Concil. Calcedon. actione 1. & in epiſtol. ad Epiſcopum Anthiochenum.

Diſcriminantur autem in aſsignãda ratione formali terminandi hanc vnionem humanitatis ex parte Verbi, & quia in Verbo reperiuntur tria, nimirum relatio perſonalitatis filij, & eſſentia, quæ eſt ſuum eſſe, & ſecundum aliquos eſt etiam ſubſiſtentia abſoluta, quæ eſt communis tribus perſonis, & tandem eſt veluti conflatum ex omnibus iſtis, in quo conſiſtit adequate perſona filij: ideò iuxta horum numerũ diuiduntur Theologi in quatuor ſententias.

Prima fuit Durandi in tertio diſtinctione 1. quæſtione 2. aſſerentis duplicem eſſe vnionem humanitatis ad Verbum; vnam quidem cum eſſentia diuina, & ſubſiſtentia abſoluta, & alteram cum perſona filij determinate, ex quibus inquit Durandus, quod illa ſecundum rationem præſupponitur ad iſtam, & ratiõ formalis proxima terminandi illam, fuit eſſentia diuina, vt ſubſiſtens ſubſiſtentia abſoluta: ratio autem formalis proxima terminãdi iſtã fuit relatio perſonalitatis filij, à qua ſententia parum differunt illi, qui exiſtimarunt rationem formalem terminandi hanc vnionem fuiſſe ſubſiſtentiam abſolutam, relationem vero perſonalem fuiſſe conditionem neceſſario requiſitam ad hoc, vt ſubſiſtentia eſſentialis terminaret, de quorum numero teſte Medina hic fuerunt Marſil. in tertio quæſtione 2. articul. 1. Victoria, & Soto.

Quorum fundamenta ad hæc duo reduci poſſunt. Primum eſt Durandi, nimirum quia illud eſt formalis ratio immediata terminandi vnionem humanitatis, quod eſt formalis ratio terminãdi eius dependentiã, ſed dependentia humanitatis primo terminata eſt per ſubſiſtentiam eſſentialem, per quam datum eſt illi, quod ſubſiſtat: ergo.

Minor patet ex diſcrimine, quod Durandus aſsignat inter ſuppoſitum creatum, & diuinum, quod illud, & eſt id quod ſubſiſtit, & ex propria ratione ſuppoſiti habet, quod ſit formalis ratio ſubſiſtendi, at vero iſtud, quamuis ſit id quod ſubſiſtit tamen formalis ratio ſubſiſtendi, & ipſa ſubſiſtentia non eſt propria ratio ſuppoſiti, ſed eſſentia diuina, & ratio propria ſuppoſiti ſolum eſt ratio incommunicabilitatis, quam perſona in diuinis addit ſupra rationem ſubſiſtendi, quę eſt eſſentialis, & abſoluta.

14 Secundum eſt aliorum, quia perſona Verbi terminat humanitatem cõmunicando formaliter eſſe, & ſubſiſtere, dependet enim humanitas à Verbo quãtũ ad actum exiſtendi, & ſubſiſtendi, ſed ratione eſſentiæ, & non ratione proprietatis perſonalis, niſi vt conditionis requiſitæ, tribuit humanitati eſſe, & ſubſiſtere: ergo etiam ratione eſſentiæ immediate terminat illam.

Maior eſt nota, & minor probatur, quoad ſingulas partes. Quoad primam quidem, quia exiſtentia in Deo eſt eſſentialis, & abſoluta.

Quoad ſecundam vero, quia ſubſiſtentia, ſiue ratio formalis ſubſiſtendi, etiam eſt eſſentialis, vt conſtat ex diſcrimine aſsignato à Dur. inter Deum, & creaturas.

Quoad tertiam denique probatur, quia ſubſiſtentia ſumpta abſolute, & ſecundum ſe non eſt ratio terminandi hanc vnionem, ſed prout modificata, & à ſociata perſonalitati filij, alioquin terminare humanitatem, & eſſe hominem eſſet commune tribus perſonis, quod eſt contra fidem quemadmodum ergo, vt generare in diuinis ſit actus ſolius Patris: dicimus quod eſſentia diuina eſt ratio formalis, & principium quo generandi, non abſolutè ſumpta, ſed prout adiuncta paternitati, vt conditioni, ita vt ſaluetur veritas fidei, quod ſolus filius ſit homo, debemus dicere perſonam fuiſſe rationem terminandi vnionem humanitatis, non abſolute ſumptam, ſed adiunctam filiationi vt conditioni.

15 Secunda ſententia eſt Capreoli diſtinctione citata quæſt. 1. art. 3. ad argumentum Dur. contra quartam; conſtituentis, ſimiliter cum Durando duplicē dependentiam, ſiue vnionem humanitatis cum Verbo, alteram quidem quantum ad ſuppoſitationem, & ſubſiſtentiam, & alteram quantum ad exiſtentiam diuerſimode tamen, & diuerſo ordine à Dur. nam cum natura fiat capax exiſtentiæ per ſubſiſtentiam inquit, quod dependentia humanitatis in ſubſiſtendo præſupponitur ad depēdentiam in exiſtendo, & quod reſpectu primæ, ratio formalis terminandi hanc vnionem eſt proprietas perſonalis filij: reſpectu vero ſecundæ ratio formalis immediata terminandi eſt eſſentia diuina. Fundamentum dicti primi ſumit Capreolus ex principio oppoſito, quia nimirum perſonalitates diuinæ ſunt veræ ſubſiſtētiæ relatiuæ, & rationes formales ſubſiſtendi. Fundamentum vero ſecundi dicti eſt idem prorſus cum fundamento primæ ſententię, quia nimirum exiſtentia eſt in Deo eſſentialis.

Tertia ſentia aſſerit rationem formalem terminandi hanc vnionem eſſe totam entitatem, ſiue integram perſonam Verbi, prout includit abſolutum, & relatiuum: ita Ocham in tertio diſtinctione prima quæſtione prima articul. 2. & Gabriel. ibidem, qui auctores ex eo quod non diſtinxerunt inter terminum *qui*, & terminum, ſiue rationem formalem terminandi, & cum aliàs terminus proxime terminans huiuſmodi vnionem humanitatis cum Verbo, vt *qui*, ſit ipſa perſona Verbi. quæ conſtituitur integre ex relatione perſonali, & eſſentia, propterea indiſtincte dixerunt terminum proximum, ſiue rationem formalem terminādi hanc vnionem eſſe totam entitatem, ſiue integram perſonam verbi.

16 Quarta ſententia aſſerit formalem rationem qua verbum proxime, & immediate terminat vnionem humanitatis, eſſe ſolam relationem perſonalem; hanc docent Diuus Thomas in hoc articulo, & omnes eius expoſitores, vt Caietanus, & Medina, Suarez diſputat. 12. ſect. 2. Vazquez diſputat. 26. cap. 2. Valentia puncto. 1. Aluarez diſputatione 21. Nazarius controuerſia vnica, & ex Scolaſticis antiquis in tertio diſtinctione 1. Bonauentura artic. 1. quæſtione 2. & Marſil. quæſt. 2. artic. 1. immerito relatus à Medina pro prima ſententia. Paludanus quæſtione 2. artic. 3. Scotus, & Ricardus ibidem, & Alexander 3. part. quæſtione 4. membro primo, quæ proinde à nobis ſtatuitur pro concluſione.

Et quia excluſiua eſt, reſoluitur in has duas exponentes, nimirum quod relatio perſonalis filij ſit ratio formalis proxima terminandi, & non conditio; & quod nihil aliud, ideſt nihil abſolutum, ſcilicet nec eſſentia, nec ſubſiſtentia eſſentialis, neque exiſtentia ſit formalis ratio proxima terminandi hanc vnionem, quæ ſuo ordine ſunt probandæ.

Prima itaque pars, ſiue propoſitio probatur primo, quia ratio formalis terminandi humanitrtemi n Chriſto eſt prorſus eadem, quæ noſtro modo intelligendi eſt ratio formalis terminandi naturam diuinam; ſed hæc eſt proprietas perſonalis: ergo eadem eſt ratio formalis terminandi humanitatem in Chriſto. Maior eſt nota: & probatur minor, quia eſſentia diuina cum omnibus rationibus abſolutis, vt pręintelligitur proprietatibus perſonalibus, non intelligitur vt vltimo terminata, ſed vt terminanda per proprietates perſonales: ergo intelligitur abſque ratione formalis ſuæ terminationis, ac proinde hæc ſaluatur in proprietatibus perſonalibus.

Secundo, quia ſi perſonalitas filij tātum eſſet conditio vt eſſentia diuina terminaret formaliter humanitatē, aut hoc

haberet

Digitized by Google

haberet ex natura rei, aut ex libera voluntate Dei, ſed neutrum dici poteſt: non primum, quia ex natura rei nihil habet perſonalitas filij, propter quod cõueniat ei eſſe huiuſmodi conditionẽ potius, quã perſonalitatibus Patris, & Spiritus ſancti. Neque ſecundum, quia ſi eſſentia diuina eſſet ratio formalis terminandi humanitatem, vt volunt auctores contrariæ ſententiæ, non poteſt fieri ex libera voluntate Dei, quod perſonalitas filij excluſis cæteris, ſit conditio ſine qua non terminandi humanitatem, ſicut quia eſſentia diuina eſt ratio formalis creandi, ad quod requiritur, proprietas perſonalis vt cõditio, ideo nõ poteſt fieri ex libera voluntate Dei, quod vna perſonalitas excluſis alijs, ſit conditio ſine qua non creandi, ob quam rationem neceſſe eſt opera ad extra eſſe in diuiſa, & communia toti Trinitati.

17 Deinde ſecunda propoſitio probatur primo ex teſtimonijs Conciliorum, in quibus dicitur hanc vnionem immediate terminari ad perſonalitatem Verbi, non ſolum vt ad terminum *quod*, ſed etiam *quo*, & vt rationem formalem terminandi naturam: nã in Concilio Tolet. 6. cap. 1. in confeſsione fidei ſic habetur: cũ tota cooperata ſit Trinitas formationem ſuſcepti hominis, quia inſeparabilia ſunt opera Trinitatis, ſolus tamẽ filius ſuſcepit humanitatem in ſingularitatem perſonæ, non in vnitate diuinæ naturæ, id eſt in eo quod proprium eſt filij, non quod commune Trinitati, &c. Et eadem verba repetuntur in Concilio Toletano 11. in profeſsione fidei, in quibus habẽtur duo, nimirum quod filius in perſonalitate ſibi propria tanquam in ratione formali terminandi (hoc enim denotat præpoſitio *in*) terminauit vnionem humanitatis: & quod non terminauit illã ſecundum aliquam rationem abſolutam, & communem toti Trinitati, ſed ſecundum id, quod eſt proprium Verbi, idem habet etiam Dionyſius cap. 2. de diuin. nomin. cuius auctoritas approbatur in ſexta ſynodo generalis acti. 18. ergo.

Secundo probatur ratione deſumpta ex eodem Concil. Tolet. ſexto loco citato, vbi poſt illa verba relata ſubdit hanc cauſalem: nam ſi naturam nati hominis Dei natura aſſumpſiſſet, & non perſona, tota Trinitas corpus aſſumpſiſſet, &c. ex qua tale formatur argumentum: ſi ratio formalis proxima terminãdi vnionẽ humanitatis eſſet eſsẽtia, talis vnio immediate eſſet facta cũ ipſa natura diuina, & ſecundario, ſiue mediate cũ tribus perſonis, quod tamen eſt erroneum: ergo.

Ad hoc argumentum dupliciter reſpondet Durandus vbi ſupra. Primo negando ſequelam, nam cum ipſe diſtinguat in humanitate Chriſti duas vniones, vnam cum eſſentia diuina, & alteram cum perſonalitate Verbi, negat ſequi ſecundã ex prima: ac proinde ex eo quod humanitas ſit vnita ſubſtantialiter eſſentiæ diuinæ, non ſequitur (inquit ille) quod ſit vnita ſubſtantialiter etiam mediate perſonalitatibus Patris & Spiritus ſancti. Secundo reſpondet queſtione 4. ſequenti numero 7. concedendo ſequelam, & negando minorem, quia nullum reputat inconueniens admittere humanitatem fuiſſe vnitam ſubſtantialiter perſonalitatibus Patris, & Spiritus ſancti, & conſequenter fatetur concedendas eſſe has propoſitiones cum addito denotante ſumi diuinas perſonas ſecundum rationem deitatis, & non ſecundum proprietates relatiuas: vt ſi dicamus: Pater, vel Spiritus ſanctus in quãtum Deus, eſt incarnatus: aut eſt homo.

Sed vtraque ſolutio eſt inſufficiens. Prima quidem propter tria. Tũ, quia perſonalitates diuinæ intrinſece, & ſine vlla compoſitione includuntur in conceptu eſſentiæ: vt oſtendimus in materia de Trinitate quæſtione 28. igitur implicat humanitatem aſſumptam vniri ſubſtantialiter diuinæ eſſentiæ, quin ſaltim mediate, & ſecundario vniatur ſubſtantialiter diuinis perſonalitatibus ipſi identificatis formaliter.

Tum etiam, quia propter huiuſmodi formalem identitatem in eo quod hæc vnio fuerit terminata primario ad perſonalitatem Verbi colligit Angelicus Doctor ex doctrina Sanctorum Patrum ſecundario fuiſſe terminatam ad naturam diuinam. & has propoſitiones eſſe concedendas. Natura diuina aſſumpſit humanitatem: & deitas eſt incarnata: ſiue deitas eſt homo: ergo propter eandem formalem identatem, & intrinſecam incluſionem perſonalitatum in eſſentia, ſi vnio humanitatis terminata fuit ad illam primario, ad has fuit terminata ſecundario.

Tum denique, quia antecedenter ad vnionem humanitatis cum perſonalitate Verbi concedendum eſſet, Deum eſſe hominem, ſcilicet ex vi prioris vnionis cum deitate, quod tamen eſt contra communem modum loquendi Conciliorum, & Sanctorum Patrum, qui vnionem cum perſonalitate Verbi aſsignant pro ratione ob quam Deo conuenit eſſe hominem, & quidquid pertinet ad humanitatem.

Deinde ſecunda ſolutio etiam deſficit propter tria. Tum, quia quidquid conuenit naturæ diuinæ ſecundum ſe, & ratione ſui, ſaltem ſecundario, debet conuenire omnibus perſonis, vt inductione probari poteſt: ergo ſi ſubſtantialis vnio cum humanitate conuenit naturæ diuinæ ſecundum ſe, & ratione ſui ſaltem ſecundario conueniret omnibus perſonis, & conſequenter ex vi illius, non ſolum Deus, ſed etiam Pater fuiſſet incarnatus, & ſimiliter Spiritus ſanctus.

Tum etiam, quia ea, quæ cōueniūt Patri quatenus eſt Deus conueniunt ei ſimpliciter, & ſine adito, ſiquidem eſſe Deum, non eſt conditio diminuens reſpectu Patris, ac proinde etiam ſunt cōmunia tribus perſonis, ſicut creare, quia conuenit Patri quatenus eſt Deus, ſimpliciter ei conuenit, & alijs perſonis: ergo ſimiliter ſicut Dur. concedit, quod Pater eſt homo quatenus eſt Deus, tenetur concedere illum eſſe hominē ſimpliciter, & ſine adito, ſimul cum alijs perſonis.

Tum denique, quia propter vnionem immediate factam cum perſonalitate Verbi concedimus ſimpliciter, & ſine adito, quod Deus eſt homo: ergo pariformiter vnio immediate facta cum diuina natura ſufficit, vt quælibet perſona diuina ſimpliciter, & abſolutè dicatur homo: eo vel maximè, quod in huiuſmodi prędicato nō eſt oppoſitio relatiua, quæ ſolum impedit in diuinis, ne propria vnius perſonæ prædicentur de alia.

18 Ex quibus facile reſpondetur ad fundamenta aduerſariorum. Ad primum enim pro prima ſententia nego minorem. Ad cuius probationem nego antecedens pro ſecunda parte, quia licet ratio ſubſiſtendi radicaliter proueniat ab eſſentia diuina ſecundum rationem noſtram; tamen proxime formaliter conuenit diuinis perſonalitatibus à ſe ipſis, ita vt quælibet perſonalitas diuina ſit formalis ratio ſubſiſtendi, & incommunicabiliter ſubſiſtendi, ac proinde humanitatis aſſumptæ dependentia in ſubſiſtendo terminatur immediate per perſonalitatem Verbi.

Ad ſecundum nego minorem pro ſecunda parte: licet enim humanitas ab eſſentia accipiat eſſe exiſtentiæ in doctrina Diui Thomæ, qui infra quæſtione 17 artic. 2. docet. humanitatem Chriſti carere propria exiſtentia, & aſſumptam eſſe ad exiſtendum per exiſtentiam eſſentialem Dei, vtpote cum in doctrina eiuſdem Diui Thomæ, quam explicuimus in materia de Trinitate, quæſtione 28. non ſint admittendæ in Deo exiſtentiæ relatiuæ, tamen à perſonalitate immediate accipit ſubſiſtere, & mediante illa ſuſcipit exiſtentiam, quia natura creata conſtituitur proxime capax, & ſuſceptiua exiſtentiæ mediante ſubſiſtentia, ſiue perſonalitate, & propterea quamuis humanitas fuerit aſſumpta ad communicationem ſubſiſtentiæ perſonalis, & exiſtentiæ diuinæ eſſentialis, non ideò fuit vnita duplici vnione perſonalitati Verbi, & exiſtentiæ eſſentiali, ſed eadē omnino vnio fuit vtriuſque ordine quodam. ſ. perſonalitati immediate, & mediate exiſtentiæ, quemadmodum eadem vnione ſecundum rem vnitur humanitas perſonalitati Verbi, & diuinæ naturæ, quia illi vnitur immediate, & huic vnitur mediante illa, & ſecundario. Ex quo manet pariter ſolutum fundamentum ſecundæ ſententiæ Capreoli: fatemur enim quod perſonalitas diuina eſt ſubſiſtentia relatiua, & ratio formalis terminandi hanc vnionem immediate ad ſubſiſtentiam filij, & mediate ad exiſtentiam eſſentialem terminatam.

* * *

ART.

ART. III.

Vtrum abſtracta perſonalitate per intellectum, natura poſſit aſſumere?

3. d. 5. q. 3. ar. 3.

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod abſtracta perſonalitate per intellectum, natura non poſsit aſumere. Dictũ

ari. præc.

eſt enim, quod naturæ conuenit aſſumere ratione perſonę. Sed quod conuenit alicui ratione alicuius, remoto eo, non poteſt ei eonuenire: ſicut corpus quod eſt viſibile ratione coloris, ſine colore videri non poteſt. Ergo abſtracta perſonalitate per intellectum, natura aſſumere nõ poteſt.

2 Præterea, Aſſumptio importat terminum vnionis, vt dictum

art. 1. huius quæſt.

eſt. Sed vnio non poteſt fieri in natura, ſed ſolum in perſona. Ergo abſtracta perſonalitate, natura diuina non poteſt aſumere.

3 Præterea, In prima parte dictum eſt, quod in diuinis abſtracta

p. p. q. 40. ar. 3.

perſonalitate, nihil manet. Sed aſſumens eſt aliquid. Ergo abſtracta perſonalitate, non poteſt diuina natura aſſumere.

Sed cõtra eſt, quod in diuinis perſonalitas dicitur proprietas per-

1. p. q. 30.

ſonalis: quæ triplex eſt, ſcilicet paternitas filiatio & proceſsio: vt in prima parte dictum eſt. Sed remotis his per intellectum, adhuc remanet Dei omnipotentia per quam eſt facta incarnatio: ſicut Angelus dicit Lucæ primo, Non erit impoſsibile apud Deum omne verbum. Ergo videtur, quod remota perſonalitate, natura diuina poſsit aſumere.

Reſpondeo dicendum, quod intellectus dupliciter ſe habet ad diuina. Vno modo vt cognoſcat Deũ ſicuti eſt: & ſic impoſsibile eſt, quod circumſcribatur per intellectum aliquid â Deo, & quod aliud remaneat: quia totum, quod eſt in Deo, eſt vnũ; ſalua diſtinctione perſonarum. Quarum tamen vna tollitur ſublata alia: quia diſtinguuntur ſolis relationibus, quas oportet eſſe ſimul. Alio modo ſe habet intellectus ad diuina, non quidem quaſi cognoſcens Deũ vt eſt: ſed per modum ſuum, ſcilicet multipliciter, & diuiſim, id quod in Deo eſt vnum. Et per hunc modum poteſt intellectus noſter intelligere bonitatẽ, & ſapientiam diuinã, & alia huiuſmodi, quæ dicuntur eſſentialia attributa, non intellecta paternitate, vel filiatione, quæ dicuntur perſonalitates. Et ſecundum hoc abſtracta perſonalitate per intellectum, poſſumus adhuc intelligere naturam aſſumentem.

Ad primum ergo dicendum, quod quia in diuinis idẽ eſt quo eſt, & quod eſt, quicquid eorum, quæ attribuntur Deo in abſtracto, ſecundũ ſe conſideretur alijs circunſcriptis, erit aliquid ſubſiſtẽs, & per cõſequẽs perſona: cũ ſit in natura intellectuali. Sicut igitur nunc poſitis proprietatibus perſonalibus in Deo dicimꝰ tres perſonas: ita excluſis per intellectum proprietatibus perſonalibꝰ, remanebit in cõſideratione noſtra, natura diuina, vt ſubſiſtens, & vt perſona. Et per hũc modũ poteſt intelligi, quod aſſumat naturã humanã ratione ſuæ ſubſiſtentiæ, vel perſonalitatis.

Ad ſecundum dicendũ, quod etiam circũſcriptis per intellectũ perſonalitatibus triũ perſonarũ, remanebit in intellectu vna perſonalitas Dei vt Iudæi intelligũt, ad quã poterit terminari aſſumptio, ſicut nunc dicimꝰ eam terminari ad perſonam Verbi.

Digitized by Google

Ad tertium dicendum, quod abſtracta perſonalalitate per intellectum, dicitur nihil remanere per modum reſolutionis: quaſi aliud ſit quod ſubijcitur relationi, & aliud ipſa relatio; quia quicquid conſideratur in Deo conſideratur vt ſuppoſitum ſubſiſtens. Poteſt tamen aliquid eorum, quæ dicuntur de Deo, intelligi ſine alio, non per modum reſolutionis, ſed per modum iam dictum.

in cor. ar.

19 CONcluſio eſt, abſtracta per intellectum noſtrum (ſuo modo diuina apprehendentem) perſonalite, adhuc poteſt natura diuina intelligi, vt aſſumens aliam naturam.

Cuius concluſionis ſenſus duplex eſſe poteſt. Primus, quod natura diuina, quæ modo eſt coniuncta relatiuis perſonalitatibus poteſt aſſumere aliam naturam, per ea quę precisſe illi conueniunt vt abſtrahitur à perſonalitatibus, ſiue vt illis præ intelligitur.

Secundus ſenſus eſt, quod natura diuina ſi intelligeretur eſſe ſine relatiuis perſonalitatibus qnas de facto agnoſcit fides Catholica (quo modo Etnici, & Iudæi imaginantur Deum exiſtere) adhuc poteſt aſſumere. Ex quibus primus eſt abſolutus, ſecundum quem interpretantur concluſionem D. Thom. Medina, Suar. & Nazar. in comment. articuli. Secundꝰ vero eſt veluti conditionatus, & ſecundũ illum interpretantur concluſionem Diui Thom. Caiet. & Silu. in expoſitione articuli, & Valentia pũct. 5. qui ſenſus proculdubio eſt intentus à D. Tho. & ab omnibus Theologis admittitur, quia ſic excluſis per intellectum proprietatibus perſonalibus à natura diuina, adhuc ipſa manet in conſideratione noſtra, vt ſubſiſtẽs, & vt perſona, & etiam vt omnipotens: ergo poterit ad illam vt ſic terminari aſſumptio alienæ naturæ. In primo vero ſenſu vertitur in dubium à Theologis, qui in tres ſententias diuiduntur.

Prima eſt eorum, qui ponũt in Deo præter tres ſubſiſtentias relatiuas, aliam communẽ, & abſolutam ratione diſtinctã ab illis, ſecundum quam diuina eſſentia, ſiue hic Deus vt præ intellectus perſonis poſsit proxime, & immediate aſſumere naturam alienam, de quorum numero ſunt Durand. in 3. d. 1. q. 2. Ricard. art. 1. q. 4. Gabr. & Ocham. q. 1. Caiet. Med. & Nazar. in hoc articulo, & Suarez diſp. 13. ſection. 1. & Peſan. diſp. 1. qui probant ſuã ſententiam dupliciter.

Primo. quia ſubſiſtentia accipitur ab Auguſt. 7. de Trinitate eſſentialiter: *Omnis enim res* (ait Auguſtinus) *ad ſe ipſam ſubſiſtit, quanto magis Deus?* & in ſexta ſynodo act. 4. ſancta Trinitas dicitur eſſe vnius ſubſiſtentiæ: ergo Deus vt præ intellectus perſonis eſt ſubſiſtens, ſubſiſtentia eſſentialiter, qua inde poterit terminare naturam alienam.

Secundo, quia hic Deus creat non ratione perſonalitatis, ſed ratione eſſentiæ, & alias operatio, eſt rei ſubſiſtentis: ergo hic Deus ratione eſſentiæ eſt ſubſiſtẽs, & potens creare: ergo, & potens aſſumere: hæc vltima conſequentia patet, quia non maior ad aſſumendum, quam ad creãdum potentia requiritur.

20 Secunda eſt, veluti media Valentiæ, qui prima parte diſp. 15. puncto 5. improbabilem iudicauit ſententiam, quæ admittit in Deo ſubſiſtentiam abſolutam, & eſſentialem, & tamen in hac quæſt. 3. punct. 5. ait, naturam diuinã ratione ſui, poſſe aſſumere naturam creatam, eoquod ratione ſui eſt infinita, & habet exiſtentiam eſſentialem. Quę duo ſufficiunt ad hoc vt poſsit terminare naturam alienam, neque perſonalitas relatiua, aut ſubſiſtentia abſoluta poteſt alienam naturam terminare niſi ob ſuam infinitatem, & actualitatem.

Sed tertia ſententia negans Deum ratione ſubſiſtentiæ communis, & eſſentialis poſſe aſſumere naturam creatam ſicut his, quæ 1. p. q. 29 art. 2 & q. 39. art. 4. docuimus, ita & veritati eſt cõformior: ac proinde à nobis amplectenda, quam ſequuntur Bonau. in 3. diſt. 1. art. 1. q. 3. Capreolus ibi. q. 1. ad argumenta cõtra 4. Alenſis 3. p. q. 2. membro 3. Enriq. quodlib. 5. q. 8. Vazquez diſp. 27. c. 2. & Siluius in expoſitione articuli, qui auctores duobus modis defendunt ſuam ſententiã. Capreolus enim, & Vazq. quod etiam ſi in Deo ſit huiuſmodi ſubſiſtẽtia communis, & eſſentialis, adhuc Deus ratione illius non poſſet terminare naturam creatam, eoquod vel illa ſubſiſtentia communis,

& eſſen-

& eſſentialis ſupleret officium propriæ, vel non, neutrum dici poteſt, non primum quia nõ redderet naturam in cõmunicabilẽ, ac proinde ſtare poteſt cũ propria ſubſiſtẽtia, ſicut & in Deo non reddit naturã diuinam in cõmunicabilem, ſed ſtat ſimul cum ſubſiſtentijs relatiuis trium perſonarũ, quibus cõmunicatur: ergo non ſuppleret officium propriæ ſubſiſtentiæ. Neque ſecundum quia ſi non ſupleret officium propriæ ſubſiſtentiæ, neque faceret naturã ſubſiſtentem, ſiquidem compatibilis eſſet cum propria ſubſiſtentia, quod tamen eſt contra rationem naturæ terminatę propria ſubſiſtentia, ſcilicet quod poſsit terminari aliena: ergo.

21 Ab alijs verò auctòribus probatur hæc ſententia, quia talis ſubſiſtentia communis, & eſſentialis nõ datur; ac proinde nequit in natura diuina præintellecta perſonis, intelligi aliquid quo impediatur propria ſubſiſtẽtia naturæ creatæ, aut quo ſupleatur munus illius, ſiquidem in illa, vt ſic non manet aliqua ratio ſubſiſtendi, ſed ſola exiſtentia abſoluta: ergo natura diuina, vt ſic præciſsis relationib⁹, nequit terminare dependentiam naturæ creatæ in ſubſiſtendo.

Neque Diu. Thom. oppoſitum docet in hoc art. quando ait naturam diuinã abſtractis perſonalitatibus relatiuis, adhuc intelligi poſſe, vt aſſumentem, naturã alienã; nã legitimus ſenſus huius propoſitionis eſt, quod ſecluſis perſonalitatib⁹ relatiuis ſub expreſſo cõceptu relationis ab eſſentia diuina; id eſt, abſq; cognitione expræſſa relationis adhuc eſſentia diuina concipi poteſt, vt aſſumens naturam alienam; quia adhuc vt ſic concipitur, vt ſubſiſtens, & vt ſuppoſitum qualiter concipitur à Iudæis, hic Deus, abſque cognitione Trinitatis perſonarum, ex quibus patet ſolutio ad fundamenta aduerſariorum.

Ad primum pro prima ſententia reſpondetur quod nomine ſubſiſtentiæ Auguſtinus accepit exiſtentiam, ſiue hoc quod eſt, per ſe eſſe, in actione autem quarta, ſancta Trinitas dicitur eſſe vnius ſubſtãtiæ, non verò vnius ſubſiſtentiæ.

Ad ſecundum dicendum eſt, quod in hac propoſitione, hic Deus creat, ly hic Deus importat cõcretum ex Deitate, quę eſt ratio formalis creandi, & ex perſonalitate relatiua quæ eſt conditio connotata; ita vt ſuppoſitum huius Verbi *creat*, ly hic ſit Deus, ſuponẽs indifferẽter pro Patre, Filio, & Spiritu Sancto, non autem abſtrahens ab illis.

Ad fundamentum ſecundæ ſentẽtiæ, nego minorẽ, quia licet ad producẽdũ naturã alienã in ratione principij actiui, ſufficiant illa duo, ſcilicet quod natura diuina ſit exiſtens, & infinite perfecta, nõ vero ſufficient ad aſſumendum per modum termini quia ad hoc requiritur aliqua ratio ſubſiſtendi in compoſibilis cum propria ſubſiſtentia quam tamen non habet natura diuina, vt præintellecta perſonis.

ARTIC. IIII.

Vtrùm vna perſona poſsit ſine alia, naturam creatam aſſumere?

AD quartum ſic proceditur, Videtur, quod vna perſona non poſsit aſſumere naturam creatam, alia non aſſumente. Indiuiſa enim ſunt opera Trinitatis, vt dicit Auguſtin. * in Enchirid. Sicut autem trium perſonarum eſt vna eſſentia, ita & vna operatio. Sed aſſumere eſt operatio quædam. Ergo non poteſt conuenire vni perſonæ diuinæ, quin conueniat alij. *3. d. 1. q. 2. art. 1.* *Ench. c. 38 à med. to. 3.*

2 Præterea, ſicut dicimus perſonam Filij incarnatam, ita & naturam: tota enim diuina natura in vna ſuarum hypoſtaſum incarnata eſt, vt dicit Damaſc. in 3. lib. * Sed natura communis eſt tribus perſonis. Ergo & aſſumptio. *l. 3. ort. fid. c. 6.*

3 Præterea, ſicut humana natura in Chriſto aſſumpta eſt â Deo, ita etiam, & homines per gratiam aſſumuntur ab ipſo, ſecundum illud Roman. 14. Deus illum aſſump-

Digitized by Google

ſit. Sed hæc aſſumptio communiter pertinet ad omnes perſonas. Ergo & prima.

Sed contra eſt, quod Dionyſ. 2. cap. de diuin. nomin. * Incarnationis myſterium dicit pertinere ad diſcretam Theologiam: ſecundũ quam ſcilicet aliquid diſtinctim dicitur de diuinis perſonis.

c.2.p.1.a. med. & ante medium

Reſpondeo dicendum, quod (ſicut dictum eſt *) aſſumptio duo importat, ſcilicet actum aſſumentis, & terminum aſſumptionis. Actus autem aſſumentis procedit ex diuina virtute, quæ communis eſt tribus perſonis: ſed terminus aſſumptionis eſt perſona, ſicut dictum eſt *. Et ideo id quod eſt actionis in aſſumptione, commune eſt tribꝰ perſonis: ſed id quod pertinet ad rationẽ termini, cõuenit ita vni perſonæ, quod non alij. Tres enim perſonę fecerũt, vt humana natura vniretur vni perſonæ Filij.

art. 1. huius q.

Ibidem.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit ex parte operationis. Et ſequeretur concluſio, ſi ſolam illam operationẽ importaret abſq; termino, qui eſt perſona.

Ad ſecundum dicendum, quod natura dicitur incarnata, ſicut & aſſumens, ratione perſonę ad quã terminata eſt vnio (ſicut dictũ eſt) non autẽ prout eſt communis tribus perſonis. Dicitur autẽ tota natura diuina incarnata, nõ quia ſit incarnata in om̃nibꝰ perſonis: ſed quia nihil deeſt de perfectione diuinæ naturæ, perſonæ incarnatæ.

art. 1. huius q.

Ad tertium dicendum, quod aſſumptio quæ fit per gratiam adoptionis, terminatur ad quãdam participationem diuinæ naturæ ſecundũ quandam aſſimilationem ad bonitatem illius; ſecundum illud 2. Pet. 1. Vt diuinæ conſortes naturæ, &c. Et ideo huiuſmodi aſſumptio communis eſt tribus perſonis, & ex parte principij, & ex parte termini. Sed aſſumptio, quæ eſt per gratiam vnionis, eſt communis ex parte principij, non autem ex parte termini, vt dictum eſt *.

art. 2. huius q.

CONCLVSIO eſt, ſi aſſumptio ſumatur ex parte termini poteſt: ſecus verò ſi ſumatur ex parte principij quia opera à dextra ſunt communia tribus perſonis.

ART. V.

Vtrùm qualibet perſona diuina potuerit humanam naturam aſſumere?

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quod nulla alia perſona diuina potuerit humanam naturam aſſumere, præter perſonam Filij. Per huiuſmodi enim aſſumptionem factum eſt, quod Deus ſit filius hominis. Sed inconueniens eſſet, quod eſſe Filium hominis conueniret Patri, vel Spiritui ſancto: hoc enim vergeret in confuſionem diuinarum perſonarum. Ergo Pater, vel Spiritus ſanctus carnem aſſumere non potuit.

3. d. 1. q. 2. art. 3.

2 Præterea, per incarnationem diuinam, homines aſſecuti ſunt adoptionem filiorum, ſecundum illud Roman. 8. Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed Spiritum adoptionis filiorum. Sed filiatio adoptiua eſt participata ſimilitudo filiationis naturalis, quæ non conuenit nec Patri, nec Spiritui ſan-

ſancto. Vnde dicitur Roman. 8. Quos præſciuit, & prædeſtinauit, cõformes fieri imaginis Filij ſui. Ergo videtur, quod nulla alia perſona potuerit incarnari, præter perſonam Filij.

3 Præterea, Filius dicitur miſſus, & genitus natiuitate temporali, ſecundum quod incarnatus eſt. Sed Patri non conuenit mitti, qui etiam eſt innaſcibilis: vt in prima parte habitum eſt *. Ergo ſaltem perſona Patris non potuit incarnari.

1.p.q. 43. a. 4. & q. 32.a.3.

Sed contra eſt, quod quicquid poteſt Filius, poteſt Pater, & Spiritus ſanctus: alioquin non eſſet eadem potentia trium perſonarum. Sed Filius potuit incarnari. Ergo ſimiliter Pater, & Spiritus ſanctus.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut dictum eſt *, aſſumptio duo importat, ſcilicet ipſum actum aſſumentis, & terminum aſſumptionis: principium autem actus eſt virtus diuina: terminus autem eſt perſona. Virtus autem diuina communiter, & indifferenter ſe habet ad omnes perſonas: eadem etiam eſt communis ratio perſonalitatis in tribus perſonis, licet proprietates perſonales ſint differentes. Quandocumque autem virtus aliqua, indifferenter ſe habet ad plura, poteſt ad quodlibet eorum ſuam actionem terminare: ſicut patet in potentijs rationalibus, quæ ſe habent ad oppoſita, quorum vtrumque agere poſſunt. Sic ergo diuina virtus potuit naturam humanam vnire perſonæ Patris, vel Spiritus ſancti, ſicut vniuit eam perſonæ Filij. Et ideo dicendum, quod Pater, vel Spiritus ſanctus potuit carnem aſſumere, ſicut & Filius.

art. 1. huius q.

Ad primum ergo dicendum, quod filiatio temporalis, qua Chriſtus dicitur Filius hominis, non conſtituit perſonam ipſius, ſicut filiatio æterna: ſed eſt quiddam conſequens natiuitatem temporalem. Vnde ſi per hunc modum nomẽ Filiationis ad Patrem vel Spiritum ſanctum transferretur, nulla ſequeretur confuſio diuinarum perſonarum.

Ad ſecundum dicendum, quod filiatio adoptiua eſt quædam participata ſimilitudo filiationis naturalis. Sed fit in nobis appropiate à Patre, qui eſt principium naturalis filiationis: & per donum Spiritus ſancti, qui eſt amor Patris, & Filij: ſecundum illud ad Galatas quarto, Miſit Deus Spiritum Filij ſui in corda noſtra clamantem, Abba pater. Et ideo ſicut Filio incarnato, adoptiuam filiationem accepimus ad ſimilitudinem filiationis naturalis eius: ita Patre incarnato adoptiuam filiationem reciperemus ab eo, tanquam à principio naturalis filiationis, & Spiritu Sancto, tanquam à nexu communi Patris, & Filij.

Ad tertium dicendum, quod Patri conuenit eſſe innaſcibilem ſecundum natiuitatem æternam: quod non excluderet natiuitas temporalis. Mitti autem dicitur Filius Dei ſecundum Incarnationem, eo quod eſt ab alio, ſine quo Incarnatio non ſufficeret ad rationem miſſionis.

CONCLVSIO eſt affirmatiua cuius ratio eſt, quia in qualibet diuina perſona eſt infinita virtus, ſiue perfectio potens, ad aſſumendum, ſiue terminandum alienam naturam.

AR-

Digitized by Google

ARTIC. VI.

Vtrùm plures perſonæ diuinæ poſsint aſſumere vnam numero naturam?

3.d. 1. q. 2. art. 4. AD ſextum ſic proceditur. Videtur, quod duæ perſonæ diuinæ non poſsint aſſumere vnam, & eandem numero naturam. Hoc enim ſuppoſito, aut eſſent vnus homo vel plures. Sed non plures: ſicut enim natura diuina in perſonis pluribus non patitur eſſe plures Deos, ita vna natura humana in pluribus perſonis non patitur eſſe plures homines. Similiter etiam non poſſent eſſe vnus homo; quia vnus homo eſt iſte homo, qui demonſtrat vnam perſonam: & ſic tolleretur diſtinctio trium perſonarum diuinarum: quod eſt inconueniens. Non ergo duæ, aut tres perſonæ poſſunt accipere vnam naturã humanam.

2 Præterea, aſſumptio terminatur ad vnitatem perſonæ: vt dictum eſt *. Sed non eſt vna perſona Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Ergo non poſſunt tres perſonæ aſſumere vnam naturam humanam. *art.2. huius q.*

3 Præterea, Damaſcen. * dicit in 3. lib. & Auguſtin. in 1. de Trinitat. * quod ex incarnatione Filij Dei conſequitur, quod quicquid dicitur de Filio Dei, dicitur de Filio hominis, & é conuerſo. Si ergo tres perſonæ aſſumerent vnam naturam humanã, ſequeretur quod quicquid dicitur de qualibet trium perſonarum, diceretur de illo homine: & ê conuerſo, quæ dicerentur de illo homine, poſſent dici de qualibet triũ perſonarum. Sic ergo id quod eſt proprium Patris, ſcilicet generare filium ab æterno, diceretur de illo homine: & per conſequens diceretur de Filio Dei, quod eſt inconueniens. Nõ ergo eſt poſsibile, quod tres perſonæ diuinæ aſſumant vnam naturã humanam. *Dam. l. 3. c. 3. & 4. *lib. 1. ex c 11. 12. & 13. col lig. tom. 3*

Sed contra, perſona incarnata ſubſiſtit in duabus naturis, diuina ſcilicet, & humana. Sed tres perſonæ poſſunt ſubſiſtere in vna natura diuina. Ergo etiam poſſunt ſubſiſtere in vna natura humana, ità ſcilicet, quod ſit vna natura humana â tribus perſonis aſſumpta.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut ſupradictum eſt *, ex vnione animæ, & corporis in Chriſto, non fit neque noua perſona, neque noua hypoſtaſis: ſed fit vna natura aſſumpta in perſonam, vel hypoſtaſim diuinam. Quod quidẽ non fit per potentiam naturæ humanæ; ſed per potentiam diuinæ perſonæ. Eſt autem talis diuinarum perſonarum conditio, quod vna earum non excludit aliam â communione eiuſdem naturæ, ſed ſolum â communione eiuſdem perſonæ. Quia igitur in myſterio Incarnationis tota ratio facti eſt potentia facientis (vt Auguſtinus dicit in epiſtola * ad Voluſianum) magis circa hoc eſt iudicandum ſecundum conditionem diuinæ perſonæ aſſumentis quam ſecũdum conditionem naturæ humanæ aſſumptæ. Sic ergo non eſt impoſſibile diuinis perſonis, vt duę vel tres aſſumant vnam naturam humanam. *q. 2. ar. 3. ad 1.* *eſt epiſt. 3. nõ multum a. med. t. 2*

Eſſet

Eſſet tamen impoſsibile, vt aſſumerent vnam hypoſtaſim, vel vnam perſonam humanam: ſicut & Anſelm,* dicit in lib. cur Deus homo, quod plures perſonæ non poſſunt aſſumere vnum eundemque hominem: ſcilicet in vnitatem perſonæ.

lib. 2. cur Deus homo c. 9. cir princ.

Ad primum ergo dicendum, quod hac poſitione facta, ſcilicet quod tres perſonæ aſſumerent vnam humanam naturam, verum eſſet dicere, quod tres perſonæ eſſent vnus homo, propter vnam naturam humanam. Sicut enim nunc verum eſt dicere, quod tres perſonæ ſunt vnus Deus propter vnam diuinam naturam: ſic verum eſſet dicere, quod eſſent vnus homo propter vnam naturam humanam. Nec ly vnus, importaret vnitatem perſonę, ſed vnitatem in natura humana. Non enim poſſet argui ex hoc, quod tres perſonæ ſunt vnus homo, quod eſſent vnus ſimpliciter: nihil enim prohibet dicere, quod homines, qui ſunt plures ſimpliciter, ſint vnus quantum ad aliquid: puta vnus populus. Et ſicut Auguſtin.† dicit 6. de Trinitat. diuerſum eſt natura Spiritus Dei, & ſpiritus hominis, ſed inhærendo fit vnus Spiritus: ſecundum illud 1. Cor. 6. Qui adhæret Deo, vnus Spiritus eſt.

li. 6. ca. 3. ante med. to. 3.

Ad ſecundum dicendum, quod illa poſitione facta, humana natura eſſet aſſumpta in vnitate, non vnius perſonæ, ſed in vnitatem ſingularum perſonarum: ita ſcilicet quod ſicut diuina natura habet naturalem vnitatem cum ſingulis perſonis: ita natura humana haberet vnitatem cum ſingulis per aſſumptionem.

Ad tertium dicendum, quod circa myſterium incarnationis fit cōmunicatio proprietatum pertinentium ad naturam: quia quæcumque conueniunt naturæ, poſſunt prædicari de perſona ſubſiſtente in natura illa, cuiuſcumque naturæ nomine ſignificetur. Prædicta igitur poſitione facta, de perſona Patris poterunt prædicari, & ea quæ ſunt humanæ naturæ, & ea quæ ſunt diuinæ: & ſimiliter de perſona Filij, & Spiritus ſancti. Non autem id quod conueniret perſonæ Patris ratione propriæ perſonæ, poſſet attribui perſonæ Filij, aut Spiritus ſancti, propter diſtinctionem perſonarum, quæ remaneret. Poſſet ergo dici, quod ſicut Pater eſt ingenitus, ita homo eſſet ingenitus, ſecundum quod ly homo ſupponeret pro perſona Patris. Si quis autem vlterius procederet, homo eſt ingenitus, Filius eſt homo: ergo Filius eſt ingenitus; eſſet fallacia figuræ dictionis, vel accidentis. Sicut, & nunc dicimus Deum eſſe ingenitum, quia Pater eſt ingenitus; nec tamen poſſumus concludere, quod Filius ſit ingenitus, quamuis ſit Deus.

CONCLVSIO eſt affirmatiua.

ART. VII.

Vtrùm vna perſona diuina poſsit aſſumere duas naturas humanas?

AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur, quod vna perſona diuina non poſsit aſſumere duas naturas humanas. Natura enim aſſumpta in myſterio Incar-

3. d. 1. q. 2 art. 5.

carnationis non habet aliud ſuppoſitum præter ſuppoſitum perſonæ diuinæ: vt ex ſupradictis patet *. Si
ar.præc. et a.2 hui.q. & q.2.a.2 & 3. ergo ponatur eſſe vna perſona diuina aſſumens duas humanas naturas, eſſet vnum ſuppoſitum duarum naturarum eiuſdem ſpeciei: quod videtur implicare contradictionem. Nō enim natura vnius ſpeciei multiplicatur niſi ſecundum diſtinctionem ſuppoſitorum.

2 Præterea, hac ſuppoſitione facta, non poſſet dici, quod perſona diuina incarnata, eſſet vnus homo: quia non haberet vnam naturam humanam. Similiter, etiam non poſſet dici, quod eſſet plures: quia plures homines ſunt ſuppoſito diſtincti, & ibi eſſet tantum vnum ſuppoſitum. Ergo prædicta poſitio eſt omnino impoſsibilis.

3 Præterea, in incarnationis, myſterio tota natura diuina eſt vnita toti naturæ aſſumptæ, ideſt cuilibet parti eius: eſt enim Chriſtus perfectus Deus, & perfectus homo, totus Deus & totus homo: vt Damaſcen. dicit in * 3. lib.
ort.fid.c.7 Sed duæ humanæ naturæ non poſſent totaliter ſibi inuicem vniri: quia oporteret, quod anima vnius eſſet vnita corpori alteri⁹, & quod etiam duo corpora eſſent ſimul: quod confuſionem induceret naturarum. Non ergo eſt poſsibile, quod vna perſona diuina, duas humanas naturas aſſumat.

Sed contra eſt, quod quicquid poteſt Pater, poteſt Filius. Sed Pater poſt incarnationem Filij poteſt aſſumere naturam humanam aliam numerô ab ea, quam Filius aſſumpſit in nullo enim per incarnationem Filij eſt diminuta potentia Patris, vel Filij. Ergo videtur quod Filius poſt incarnationem poſsit aliā humanam naturam aſſumere præter eam, quam aſſumpſit.

Reſpondeo dicendum, quod illud quod poteſt in vnum, & non in amplius, habet potentiam limitatam ad vnum. Potentia autem diuinæ perſonę eſt infinita, nec poteſt limitari ad aliquid creatum. Vnde non eſt dicendum quod perſona diuina, ita aſſumpſerit vnam naturam humanam, quod non potuerit aſſumere aliam. Videretur enim ex hoc ſequi, quod perſonalitas diuinæ naturæ eſſet ita comprehenſa per vnam naturam humanam, quod ad eius perſonalitatē alia aſſumi non poſsit. Quod eſt impoſsibile. non enim increatum â creato comprehē di poteſt. Patet ergo, quod ſiue conſideremus perſonam diuinam ſecundum virtutem, quæ eſt principium vnionis, ſiue ſecundum ſuam perſonalitatem, quæ eſt terminus vnionis: opportet dicere, quod perſona diuina præter naturam humanam, quam aſſumpſit, poſsit aliam numero naturam humanam aſſumere.

Ad primum ergo dicendum, quod natura creata perficitur in ſua ratione per formam, quæ multiplicatur ſecundum diuiſionem materiæ. Et ideo ſi compoſitio materiæ, & formæ conſtituat nouum ſuppoſitum, conſequens eſt, quod natura multiplicetur ſecundum multiplicationem ſuppoſitorum. Sed in myſterio incarnationis vnio formæ, & materiæ, ideſt, animæ & corporis, non conſtituit nouum ſuppoſitum, vt ſupradictum eſt *. *art. præc.* Et ideô poſſet eſſe multitudo ſecundum numerum ex parte naturæ propter diuiſionem materiæ, abſque diſtinctione ſuppoſitorum.

Ad ſecundum dicendum, quod poſſet videri dicendum, quod prædicta poſitione facta ſequeretur, quod eſſent duo homines propter duas naturas, abſque hoc, quod eſſent ibi duo ſuppoſita: ſicut ê conuerſo

uerſo tres perſonæ dicerentur vnus homo, propter vnam naturam humanam aſſumptam, vt ſupradictum eſt

art. præo. ad 1.

* Sed hoc non videtur eſſe verum: quia nominibus eſt vtendum, ſecundum quod ſunt ad ſignificandum impoſita: quod quidem eſt ex conſideratione eorũ, quæ apud nos ſunt. Et ideo oportet circa modum ſignificandi, & conſignificandi conſiderare ea quæ apud nos ſunt: in quibus numquam nomen ab aliqua forma impoſitum pluraliter dicitur, niſi propter pluralitatem ſuppoſitorum. Homo enim, qui eſt duobus veſtimẽtis indutus, non dicitur duo veſtiti, ſed vnus veſtitus duobus veſtimentis: & qui habet duas qualitates, dicitur ſingulariter aliqualis ſecundum duas qualitates. Natura autem aſſumpta quantum ad aliquid, ſe habet per modum indumenti, licet nõ ſit ſimilitudo, quantum ad omnia: vt ſupra dictum eſt *. Et ideo ſi perſona diuina aſſumeret duas naturas humanas, propter vnitatem ſuppoſiti diceretur vnus homo, habens duas naturas humanas. Contingit autem quod plures homines dicuntur vnus populus, propter hoc, quod conueniunt in aliquo vno: non autem propter vnitatem ſuppoſiti. Et ſimiliter ſi duæ perſonæ diuinæ aſſumerent vnam numero humanã naturam, dicerentur vnus homo (vt ſupradictum eſt *) non vnitate ſuppoſiti, ſed in quantum conueniunt in aliquo uno.

q. 2. art. 6 ad 1.

q. 2. art. 6 ad 1.

Ad tertium dicendum, quod diuina, & humana natura non eodẽ ordine ſe habent ad vnam perſonam diuinam, ſed per prius comparatur ad ipſam diuina natura, vtpote, quę eſt vnum cum ea ab æterno. Sed natura humana comparatur ad perſonam diuinam per poſterius, vtpote aſſumpta ex tempore â diuina perſona: non quidem ad hoc, quod natura ſit ipſa perſona; ſed quod perſona Dei in humana natura ſubſiſtat; filius enim Dei eſt ſua deitas, ſed non eſt ſua humanitas. Et ideo ad hoc, quod natura humana aſſumatur â diuina perſona, requiritur quod diuina natura vnione perſonali vniatur toti naturæ aſſumptæ, ideſt, ſecundum omnes partes eius. Sed duarum naturarum aſſumptarũ eſſet vniformis habitudo ad perſonam diuinam, nec vna aſſumeret aliam. Vnde non opporteret, quod vna earum totaliter alteri vniretur, ideſt omnes partes vnius omnibus partibus alterius.

CONCLVSIO etiam eſt affirmatiua. Ad harum duarum concluſionum exactam intelligentiam.

Dubitatur. An eadem natura creata poſsit ſimul terminari à tribus perſonis, vel plures naturæ ab eadem perſona?

22 QVAMVIS circa ſecundam partem dubij communiter Theologi vnanimiter ſuſtineant partem affirmatiuam, nimirũm poſsibile eſſe plures naturas creatas terminari ab eadem perſona diuina propter eius infinitatem interminando: Tamen circa primam partem diſcriminantur in duas ſententias, quarum prima negat eandem naturã creatam, ſimul terminari poſſe à tribus perſonis, quam ſequuntur Scot. in 3. diſtinct. 1. quæſt. 2. Alber, art. 1. ad 2. quæſtiunculam, Ricard. art. 2. quæſt. 4. & Rada in 3. part.

part. controuerſ. 1. art. 4. qui probant ſuã ſententiam, tripliciter.

Primo, quia implicat idem dependere à multis totaliter maiori genere depẽdentiæ, vt inductione probari poteſt in cauſis efficientibus, & finalibus, nec enim idem effectus dependere poteſt à pluribus agentibus totalibus, nec eſſe poteſt propter plures fines totales nõ ſubordinatos ſed eandẽ naturã terminari à pluribus perſonis eſt illam dependere in ſubſiſtendo à pluribus terminis totalibus: ergo.

Secundo, quia in illo caſu, vel tres perſonæ diuinæ eſſent vnus homo, vel tres homines; neutrum dici poteſt: nõ primum quia eſſent tria ſuppoſita habentia humanitatem, ad vnitatem autem hominis requiritur vnitas naturæ, & ſuppoſiti. Nec ſecundum quia Diu. Thom. in hoc artic. 6, ad primum expræſe aſſerit quod in illo caſu tres perſonæ eſſent vnus homo propter vnam humanitatẽ ſicut modo ſunt vnus Deus propter vnam naturam diuinam: ergo.

Tertio argunt ex triplici inconuenienti quod ſequitur ex oppoſita ſententia. Primum eſt, quod humanitas eſſet infinita, ſiquidem ex eo quod eadem natura diuinina ſit in pluribus ſuppoſitis diſtinctis colligitur illã eſſe infinitæ perfectionis. Secundum eſt, quod etiam poſſet humanitas terminari ſubſiſtẽtia propria & aliena ſubſiſtentia, ſi enim poteſt terminari ſemel duabus ſubſiſtentijs, parum refert quod vna ſit propria, & altera aliena, vel quod vtraque ſit aliena. Tertium eſt quod detur confuſio diuinarum perſonarum per communicationem idiomatum, vt quod Pater ſit Filius, bene enim ſequitur hic homo eſt Filius, & hic homo eſt Pater: ergo hic Pater eſt Filius, quiæ tamen non ſunt admittenda: ergo.

23 Sed ſecunda, & vera ſententia eſt affirmatiua, quæ aſſerit eandem naturam à pluribus perſonis diuinis, & plures naturas ab eadem perſona poſſe terminari, quam ſequuntur Durand. in 3. diſtinction. 1. quæſt. 3. Argent. & Marſil. ibidem quæſt. 2, art. 3. Ocham. Gabr. & Almain. quæſt. 1. art. 3. Capreol. quæſt. 2. Alenſ. 3. part. quæſt. 2. membr. 4, Enriqu. quodlibet. 6. quæſt. 7 Caietan. & Medina in hoc art. Valentia puncto 3. Suar. diſputat. 13. ſect. 2. Vazquez diſputat. 29. cap. 2. & Nazar. controuerſ. vnic. & alij expoſitores Diu. Thom. quæ proinde à nobis ſtatuitur pro concluſione.

Et pro prima parte probatur ratione, qua vtitur Diu. Thom. in artic. 6. quæ talis eſt: nulla eſt repugnantia ex parte perſonæ aſſumentis, aut ex parte naturæ aſſumptibilis, in hoc quod eadem natura pluribus perſonis terminetur: ergo nõ eſt omnipotentiæ diuinæ denegandum: antecedens patet, quod non ſit repugnantia ex parte perſonæ, quia conditio perſonarũ diuinarum eſt, vt nõ ſe excludant à communione eiuſdem naturæ, ſiquidem omnes communicant in vna natura diuina: & quod non ſit ex parte naturæ creatæ patet, quia hucuſque non eſt demonſtrata repugnantia ex parte illius, & aliàs in myſterio incarnationis, teſtè Auguſtin. in epiſtol. ad Voluſian. tota ratio facti eſt potentia facientis, & ideò poſsibilitas huiuſmodi terminationis potius iudicanda eſt, ſecundum conditionem diuinæ perſonæ aſſumẽtis, quam ſecundum conditionẽ naturæ aſſumptæ.

Deinde pro ſecunda parte probat illam Diu. Thom. in art. 7. ex infinitatẽ diuinæ perſonæ cum enim quælibet diuina perſona ſit infinita in actu, & aliàs nulla ſit repugnantia ex parte naturę creatæ, quia hactenus non eſt demonſtrata, ideò eius infinita virtus aſſumptiua eſt in exauribilis à naturis creatis, ac proinde poterit plures, ſine numero terminare.

24 Ad primum in contrarium; ommiſſis varijs ſolutionibus, reſpondetur cum Caietano maiorem non eſſe verã niſi triplici addita limitatione, prima quo ad dependentiam, vt intelligatur de depẽdentia proprie dicta, quę eſt effectus à cauſa. Secũda, vt intelligatur de dependentia eiuſdem omnino rationis, & athomæ ſpeciei. Tertia, quoad ly totaliter, vt intelligatur, tam intenſiuè, quam extenſiuè: in hac autem dependentia naturæ aſſumptæ, nulla eſt cauſalitas propriedictæ ſuppoſiti reſpectu naturæ. Deinde dependentia vnius naturę à tribus diuinis perſonalitatibus, non eſt eiuſdem athomæ ſpeciei, quælibet enim ſecundum propriam rationem perſonalitatis terminaret naturam aſſumptam, ſecundũ quã eſt diuerſæ rationis, & diſtinguitur eminenter ſpecie ab altera perſonalitate, vt oſtendimus in materia de Trinitate quęſtion. 27. art. 4. Poſtremo natura illa, licet eſſet terminata totaliter intenſiuè à qualibet diuina perſona, quia quælibet

Digitized by Google

libet eſt ſufficiens ſupplere munus ſubſiſtentiæ propriæ, & illam excludere; tamen non eſſet terminata totaliter extenſiue, quia adhuc poſtquam eſt terminata per vnam diuinam perſonalitatem, habet potentiam obedientialem, vt terminetur per aliam, ſiue ſucceſsiue, ſiue ſimul; eadem enim eſt ratio poſsibilitatis, ſucceſsiuæ, atque ſimultaneæ terminationis à pluribus diuinis perſonis, ſiquidem ipſæ non ſunt incompoſsibiles in communicatione eiuſdem naturæ, & cuiuſcumque alterius prædicati abſoluti, & eſſentialis, in quo non ſit oppoſitio relatiua; cuiuſmodi eſt, hominem eſſe, quia ſi illa natura dimitteretur ab vna perſona, adhuc maneret ſufficienter terminata per alias, ſub hac igitur diſtinctione diſtinguenda eſt maior, & neganda, aut ſimiliter diſtinguenda minor.

Ad ſecundum, vt reſpondeamus, prius examinandum eſt, quid contingeret, in caſu argumenti, & ſexti articuli; quod tres perſonæ ſimul aſſumerent eandem humanitatem; deinde examinandum eſt, quid contingeret in caſu articuli ſeptimi, ſcilicet quod eadem perſona ſimul terminaret duas humanitates.

25 Circa primum caſum, triplex eſt modus dicendi. Primus eſt Gabrielis, Marſilij, vbi ſupra Caietan. & Medinæ hic aſſerentium, tunc tres perſonas diuinas, fore tres homines; eo quod Diu. Thom. hic ad primum ait, quod licet tunc tres perſonæ eſſent vnus homo, non tamen eſſent vnus ſimpliciter, vel quia non eſſet ſignabilis vnus homo communis tribus perſonis, ſicut datur vnus numero De⁹ cõmunis tribus perſonis, propter ſubſiſtentiam abſolutam, & communẽ, qua gaudet, vel propter formalẽ identitatem Deitatis cum perſonis, quam tamen non habet humanitas aſſumpta.

Secundus eſt Richardi, & Durandi in locis præallegatis aſſerentiũ, quod tunc tres perſonæ eſſent vtrumque ſecundum quid, ſcilicet plures homines, propter pluralitatem ſuppoſitorum, & vnus homo propter vnitatem naturæ.

Si tres diuinæ perſonæ aſſumerent eãdẽ humanitatẽ, eſſẽt vnus homo

Tertius & verior eſt D. Thom. in dicta ſolutione ad primum, quem ſequuntur Bonauentura, Capreolus vbi ſupra, Ferrara 4. contra gent. cap. 12. Suarez diſputat. citata, Valent. puncto 3. & Cabrera in expoſitione artic. 6. Cuius fundamentalis ratio ſumitur ex regula, quam tradit Diu. Thom. 1. part. quæſt. 36. art. 4. & quæſtione 39. art. 3. de nominibus ſubſtantiuis, ſcilicet quod ad vnitatẽ nominis ſubſtantiui ſufficit vnitas formæ, ob quam rationem, tres perſonæ diuinæ ſunt vnus Deus, & non plures dij: ergo ob eandem in caſu poſito, tres perſonæ eſſẽt vnus homo, & nõ tres homines: cõſequẽtia patet, quia homo eſt nomẽ ſubſtantiuum, vtpote ſignificans concretum ſubſtantiale per modum per ſe ſtantis, licet aliquas habeat conditiones nominis adiectiui reſpectu Filij Dei.

Ex quibus patet ad fundamenta Caietani. Ad primum enim reſpondetur quod mens Diu. Thomæ non eſt, negare quod in illo caſu eſſent vnus homo ſimpliciter; ſed ſolũ eſt negare quod eſſent vnus ſimpliciter, ideſt omnibus modis, tàm in eſſe hominis, quam in eſſe perſonæ: vt idem auctor ſe explicat propter diſcrimen aſsignatum à Diu. Thom. 1. part. quæſt. 31. artic. 2. ad 4. inter hæc nomina, *vnus*, & *vnum*, dicente quod *vnus* maſculine vnitatem perſonæ, & *vnum*, denotat vnitatem eſſentiæ: ſicut ly, *aliud*, alietatem eſſentiæ, & ly, *alius*, alietatem perſonæ ſignificat.

Ad ſecundum dicendum eſt, quod ſicut *hic Deus* (reiecta ſubſiſtentia abſoluta) importat de formali vnam Deitatem, & veluti de materiali tres perſonas: ita & in dicto caſu, *hic homo*, de formali importaret vnam humanitatem communem, & de materiali tres perſonas.

26 Circa ſecundum caſum, tres quoque verſantur modi dicendi. Primus Scoti in 3. diſtinctione citata, quæſtion. 3. Richardi articul. 1. quæſtion. 5. Altiſiodorenſ. lib. 4. ſummæ, tractatu 1. capit. 5. quæſtion. 5. & Vazquij 1. parte diſputat. 155. capite 5. aſſerentium quod tunc illa perſona, ſimpliciter eſſet plures homines: quam ſententiam ſecutus fuit Diu. Thom. in 3. diſtinctione 1. quæſtione 2. articulo 5. ad ſecundum, & ad tertium.

Secundus eſt Durand. in eodem tertio diſtinctione prima, quæ-

quæſtion. 3. & Nazarij, hic controuerſia 1. aſſerentium illam perſonam eſſe, tunc ſecundum quid vnum hominem, & ſecundum quid plures.

Si vna diuina perſona aſſumeret tres humanitates eſſet vnus homo.

Sed tertius, & verus modus dicendi eſt Angelici Doctoris in hoc articulo 7. *ad ſecundum*: aſſerentis in eo caſu illam perſonam, tantum eſſe vnum hominem ſimpliciter, & abſolute loquendo, cum illo conſentiunt Nominales, Ferrara 4. contra Gent. cap. 11, Caietanus, & Medina in hoc art. Valentia puncto 4. Suarius diſputat. 13. ſect. 3. & Cabrera diſputat. 1.

27 Eſuadetur primo. Quia teſte eodem Diu. Thom. 1. part. quæſtion. 36. art. 4. ad ſecundum: Pater diuinus eſt vnum principium Filij, & Spiritus ſancti, propter vnitatem ſuppoſiti, licet habeat plures relationes principij reſpectu eorum: ergo ſimiliter, licet vna perſona diuina haberet plures humanitates, nihilominus propter vnitatem ſuppoſiti diceretur vnus homo.

Secundo, quia hoc verſatur diſcrimen inter nomen ſignificans vnitatem, & nomen ſignificans pluralitatem quod illud dicit in diuiſionem, ſeu vnionem, iſtud vero dicit diuiſionem, ſeu carentiam vnionis: & ideò vt pluraliter dicatur requirit pluralitatem ſuppoſitorum, implicat, enim multiplicari aliquod concretum ſine multiplicatione ſuppoſiti, quod eſt de ratione illius: ergo eadem perſona habens duas naturas humanas, nō poteſt dici plures homines, propter vnitatem ſuppoſiti, quamuis propter vnitatem naturæ tres perſonæ, diceretur vnus homo,

Tertio, quia quæcunque identificantur vni tertio, identificantur inter ſe: facta autem hac ſuppoſitione, quod illa perſona diuina in vna humanitate diceretur Petrus, & in alia diceretur Paulus, tunc Petrus, & Paulus identificarentur vni tertio, ſcilicet Verbo diuino, ſiquidem tunc, verum eſſet dicere, quod Petrus eſt Verbum diuinum, & ſimiliter Paulus: ergo ſunt idem inter ſe, ac per conſequens eſſent idem homo, & non plures,

Neque oppoſitum conuincit regula tradita à Diuo Thoma 1. parte, quæſtion. 36. articulo 4. & 39. articulo 3. de nominibus ſubſtantiuis, quod plurificantur penes, pluralitatem formarum ſubſtantialium: nam vel illa regula; vt interpretatur Caietanus, intelligitur de nominibus ſubſtantiuis ſignificantibus formas ſubſtantiales non in concreto, ſed in abſtracto. Vel intelligitur de eo quod requiritur, vt pluraliter dicantur, non autem de eo quod ſufficit: requiritur enim pluralitas formarum, ſiue naturarum, non tamen hæc ſola ſufficit, vt huiuſmodi nomina concreta ſubſtantiua pluraliter dicantur, ſed inſuper requiritur diſtinctio; & pluralitas ſuppoſitorum, vt dictum eſt. Et ex doctrina tradita, circa hos duos caſus iudicium facies, circa alios tres in eadem materia poſsibiles diuinæ omnipotentiæ.

Quorum primue eſt, ſi tres perſonæ diuinę aſſumerent permixtim tres humanitates, ita vt quælibet humanitas aſſumeretur ab omnibus perſonis.

Secundus eſt, ſi Verbum diuinum humanitatem aſſumptam dimittat, & illa ſic dimiſſa aſſumatur à Patre vel Spiritu ſancto, vel reuniatur propriæ ſubſiſtentiæ.

Tertius eſt, ſi Verbum dimittat hanc humanitatem, & aliam aſſumat. Igitur in primo caſu dices, quod eſſent vnus homo, & tres homines ſecundum diuerſas comparationes: vnus quidem facta comparatione trium perſonarum ad eandem humanitatem, tres vero, facta comparatione ſingularum perſonarum ad ſingulas humanitates.

In ſecundo vero dicendum eſt, quod Pater, & Verbum, tunc eſſent idem homo ſucceſsiuè: nam ſicut terminando ſimul eandem humanitatem, eſſent idem homo, quia eſſent idem Deus ſubſiſtens, & exiſtens in eadem humanitate: ita etiam terminando eandem humanitatem ſucceſsiue, eſſent idem homo ſucceſsiuè. Imò etiam ſi talis humanitas tranſiret ad perſonalitatem creatam: quoniam etiam tunc natura eſt vna ſignificata per modum per ſe ſtantis.

Neque obſtat quod hoc ſecundum concretum diceretur creatura, & nō primum: nam ad hoc ſufficit variatio ſuppo-

ſuppoſitorum, quorum primum eſt increatum, & ſecundum eſt creatum. Denique in tertio dicendum eſt, quod Verbum eſſet idem homo: nam terminando ſimul duas humanitates eſſet idem homo propter vnitatem ſuppoſiti: ergo eadem ratione terminando illas ſucceſſiue eſſet idem homo.

28 Ad tertium principale reſpondetur nullum ſequi ex illis inconuenientibus. Non primum, quia infinitas non arguitur in vna natura quomodolibet exiſtente in pluribus ſuppoſitis, niſi exiſtat in illis per connaturalem habitudinē, aut per formalem identitatem cum illis, quod inuenitur quidem in natura diuina. Secus autem in humana aſſumpta à tribus perſonis; in quibus eſſet tantum per ſui obedientialem, & extrinſecam Dei potentiam.

Neque ſecundum, quia natura terminata per propriam ſubſiſtentiam, nequit à ſummi, quin ſimul aſſumatur cum propria ſubſiſtentia: quam tamen eſſe inaſſumptibilem oſtendemus quæſtione ſequenti. Dum autem eſt terminata per vnam perſonam diuinam, bene poteſt aſſumi ab alia, quin aſſumatur perſona terminans, eoquod diuinæ perſonæ ſecundum proprias rationes terminatiuas opponuntur relatiuè, ac proinde vna non poteſt formaliter eſſe in alia, aut identificari cum illa.

Neque tertium, quia ex identitate ſolius naturæ aſſumptæ, non rectè colligitur confuſio proprietatum relatiuarum, ſicut neque colligitur ex identitate naturæ diuinæ. Vnde quo defectu laborat iſte diſcurſus: *Hic Deus eſt Pater, & hic Deus eſt Filius, ergo Pater eſt Filius*: eodem laborat diſcurſus adductus in argumento.

(?)

ART. VIII.

Vtrùm fuerit magis conueniens, quòd perſona Filij aſſumeret humanam naturam, quam alia perſona diuina?

AD octauum ſic proceditur. Videtur, quod non fuerit magis conueniens Filium Dei incarnari, quam Patrem, vel Spiritum ſanctum. Per myſterium enim incarnationis, homines ad veram Dei cognitionem ſunt perducti: ſecundum illud Ioann. 18. In hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati. Sed ex hoc, quòd perſona Filij Dei eſt incarnata, multi impediti fuerunt à vera Dei cognitione, ea quæ dicuntur de Filio ſecundum humanam naturam referentes ad ipſam Filij perſonam: ſicut Arrius, qui poſuit inæqualitatem perſonarum propter hoc, quod dicitur Ioann. 14. Pater maior me eſt. Qui quidem error non prouenifſet, ſi perſona Patris incarnata fuiſſet: nullus enim æſtimaſſet Patrem Filio minorem. Magis ergo videtur fuiſſe conueniens, quod perſona Patris incarnaretur, quam perſona Filij.

inf. q. 39 art. 8. ad 3. & 3. d. 1. q. 2. a. 2. & 4. cōtr. c. 39. ſi. & 42.

2 Præterea, incarnationis effectus videtur eſſe recreatio quædam humanæ naturæ: ſecundum illud Galat. vltim. in Chriſto Ieſu,

neque circumciſio aliquid valet, nec præputium, ſed noua creatura. Sed potentia creandi appropriatur Patri. Ergo magis decuiſſet Patrem incarnari, quam Filium.

3 Præterea, incarnatio ordinatur ad remiſsionem peccatorum: ſecundum illud Matth. 1. Vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum â peccatis eorum. Remiſsio autem peccatorum attribuitur Spiritui ſancto: ſecundum illud Ioann. 20. Accipite Spiritum ſanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Ergo magis congruebat perſonam
Cap. 1. Spiritus ſancti incarnari, quam perſonam Filij.

Sed contra eſt, quod Damaſc. dicit in 3. * lib. In myſterio incarnationis manifeſtata eſt ſapientia, & virtus Dei: ſapientia quidem, quia inuenit difficillimi pretij ſolutionem quam decentiſsimam: virtus autem quia victum fecit rurſus victorem. Sed virtus, & ſapientia appropriantur Filio, ſecundum illud primæ Corinthior. 2. Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam. Ergo conueniens fuit perſonam filij incarnari.

Reſpondeo dicendum, quod conuenientiſsimum fuit perſonam Filij incarnari. Primo quidem ex parte vnionis. Conuenienter enim ea, quæ ſunt ſimilia, vniuntur. Ipſius autem perſonæ Filij, qui eſt Verbum Dei, attenditur vno quidē modo communis conuenientia ad totam creaturam; quia verbum artificis, ideſt. conceptus eius, eſt ſimilitudo exemplaris eorum, quæ ab artifice fiunt. Vnde Verbum Dei, quod eſt æternus conceptus eius, eſt ſimilitudo exemplaris totius creaturæ. Et ideo ſicut per participationem huius ſimilitudinis creaturæ ſunt in proprijs ſpeciebus inſtitutæ, ſed mobiliter: ita per vnionem Verbi ad creaturam, non participatam, ſed perſonalem, conueniens fuit reparari creaturam in ordine ad æternam, & immobilem perfectionem. Nam & artifex per formam artis conceptam, qua artificiatum condidit, ipſum ſi collapſum fuerit, reſtaurat. Alio modo habet conuenientiam ſpecialiter cum humana natura, ex eoquod Verbum eſt conceptus ęternæ ſapiētiæ, â qua omnis ſapientia hominum deriuatur. Et ideo per hoc homo in ſapientia perficitur, quæ eſt propria eius perfectio, prout eſt rationalis, quod participat Verbum Dei: ſicut diſcipulus inſtruitur per hoc, quod recipit Verbum magiſtri. Vnde Eccleſiaſt. 1. dicitur, Fons ſapientiæ Verbum Dei in excelſis. Et ideo ad conſummatam hominis perfectionem conueniens fuit, vt ipſum Verbum Dei humanæ naturæ perſonaliter vniretur.

Secundo poteſt accipi ratio huius congruentiæ ex fine vnionis, qui eſt impletio prædeſtinationis, eorum ſcilicet, qui præordinati ſunt ad hæreditatem cœleſtem, quæ non debetur niſi filijs eius: ſecundum illud Roman. 8. Si filij, & hæredes. Et ideo congruum fuit, vt per eum qui eſt filius naturalis, homines participarent ſimilitudinem huius filiationis ſecundum adoptionem: ſicut Apoſt. ibidem dicit, quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui.

Tertio poteſt accipi ratio huius congruentiæ ex peccato primi parentis, cui per incarnationem remedium adhibetur. Peccauerat enim primus homo, appetendo ſcientiam: vt patet ex Verbis ſer-

pen-

Digitized by Google

pentis promittentis homini ſcientiam boni, & mali. Vnde conueniens fuit, vt per Verbum veræ Sapientiæ homo reduceretur in Deum, qui per inordinatum appetitum ſcientiæ receſſerat â Deo.

Ad primum ergo dicendum, quod nihil eſt, quo humana malitia non poſsit abuti, quando etiam ipſa Dei bonitate abutitur, ſecundum illud Roman. 2. An diuitias bonitatis eius contemnis? Vnde etiam ſi perſona Patris fuiſſet incarnata, potuiſſet ex hoc homo alicuius erroris occaſionem ſumere: quaſi Filius ſufficere non potuiſſet ad humanam naturam reparandam.

Ad ſecundum dicendum, quod prima rerum creatio facta eſt â potētia Dei patris per Verbum. Vnde & recreatio per verbum fieri debuit â potentia Dei patris, vt recreatio creationi reſponderet, ſecundum illud 2. Corinthior. 5. Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi.

Ad tertium dicendum, quod Spiritui ſancto proprium eſt, quod ſit donum Patris, & Filij. Remiſsio autem peccatorum fit per Spiritum Sanctum tamquam per donum Dei. Et ideô conuenientius fuit ad iuſtificationem hominum, quod incarnaretur Filius, cuius Spiritus Sanctus eſt donum.

29 CONCLVSIO eſt affirmatiua, quam ſuadet ſanctus Doctor tribus cōgruētijs, quarum primam deſumit ex parte vnionis, vt ſcilicet homo in ſapientia, quæ eſt propria eius perfectio, inſtrueretur per Verbum diuinum, cui appropiatur ſapientia. Secundam ſumit ex fine vnionis, vt ſcilicet efficeremur Filij adoptiui per eum qui erat Filius Dei naturalis: non quod Pater, aut Spiritus Sanctus non adoptet, ſed quia conueniens fuit ſolum Filium eſſe adoptionis mediatorem. Tertiam, denique ſumit ex peccato primi parentis, vt ſcilicet qui appetendo inordinate ſcientiam, & Dei ſimilitudinem peccauerat, per Verbum, quod eſt ſapientia, & naturalis Patris imago, ſanaretur.

De his, & alijs congruentijs videatur Richardus de ſancto Victore, lib. de Verbo incarnato â capite 9. Bernardus, ſermone 1. de aduentu, Damaſcenus libro 4. de fide, capite 4. & Anſelmus libro de incarnatione, capite 4. & libro 2. cur Deus homo cap. 9.

QVAESTIO IIII.

De modo vnionis ex parte naturæ humanæ aſſumptæ, in ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum natura humana fuerit magis aſſumptibilis à Filio Dei, quàm aliqua alia natura?

3.d.2.q.1 a.1.& 4. cō.c.55.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod humana natura non fuerit magis aſſumptibilis â Filio Dei, quam quælibet alia natura. Dicit enim Auguſtin. * in epiſtol. ad Voluſianum, in rebus mirabiliter factis, tota ratio facti, eſt potentia facientis. Sed potentia Dei facientis incarnationem, quæ eſt opus maxime mirabile, non limitatur ad vnam naturam, cum potentia Dei ſit infinita. Ergo natura humana non eſt magis aſſumptibilis â Deo, quam aliqua alia creatura.

3 & 4. in ep 3. nō multū ant. med. to. 2.

2 Præterea, Similitudo eſt ratio faciens ad congruitatem incarnationis diuinæ perſonæ: vt ſupra dictum eſt *. Sed ſicut in creatura rationali inuenitur ſimilitudo imaginis, ita in creatura irrationali inuenitur ſimilitudo veſtigij. Ergo creatura irrationalis aſſumptibilis fuit, ſicut humana natura.

q. pr. ar. 8.

3 Preterea, in natura Angelica inuenitur expreſsior Dei ſimilitudo, quam in natura humana: ſicut Gregor. * dicit in homil. de centum ouibus, introducens illud Ezech. 28. Tu ſignaculum ſimilitudinis: Inuenitur etiam in Angelo peccatum, ſicut in homine: ſecundum illud Iob 4. In Angelis ſuis reperit prauitatem. Ergo natura Angelica fuit ita aſſumptibilis, ſicut natura hominis.

eſt ho. 34 in Euang. ant. med. illius.

4 Præterea, cum Deo competat ſumma perfectio, tanto magis eſt Deo aliquid ſimile, quāto eſt magis perfectum. Sed totum vniuerſum eſt magis perfectum, quam partes eius, inter quas eſt humana natura. Ergo totū vniuerſum eſt magis aſſumptibile, quam humana natura.

Sed

Sed contra eſt, quod dicitur Prouerb. 8. ex ore ſapientiæ genitæ, delitiæ meæ ſunt eſſe cum filijs hominum. Et ita videtur eſſe quædam congruentia vnionis Filij Dei ad humanam naturam.

Reſpondeo dicendum, quod aliquid aſſumptibile dicitur quaſi aptum aſſumi à diuina perſona. Quæ quidem aptitudo non poteſt intelligi ſecundum potentiam paſsiuam naturalem, quæ non ſe extendit ad id quod tranſcendit ordinem naturalem, quem tranſcendit vnio perſonalis creaturæ ad Deum. Vnde relinquitur, quod aſſumptibile aliquid dicatur ſecundum congruentiam ad vnionem prædictam. Quæ quidem congruentia attenditur ſecundum duo in humana natura, ſcilicet ſecundum eius dignitatem, & neceſsitatem. Secundum dignitatem quidem: quia humana natura, in quantum eſt rationalis, & intellectualis, nata eſt attingere aliqualiter ipſum Verbum per ſuam operationem, cognoſcendo ſcilicet, & amando ipſum. Secundum neceſsitatem autem: quia indigebat reparatione, cum ſubiaceret originali peccato. Hæc autem duo ſoli humanæ naturæ conueniunt: nam creaturæ irrationali deeſt congruitas dignitatis: naturæ autem Angelicæ deeſt cõgruitas prædictæ neceſsitatis. Vnde relinquitur, quod ſola natura humana ſit aſſumptibilis.

Ad primum ergo dicendum, quod creaturæ denominãtur aliquales ex eoquod competit eis ſecundum proprias cauſas; non autem ex eoquod conuenit eis ſecundum cauſas primas, & vniuerſales. Sicut dicimus aliquem morbum eſſe incurabilem, non quia non poteſt curari â Deo: ſed quia per propria principia ſubiecti curari non poteſt. Sic ergo dicitur aliqua creatura non eſſe aſſumptibilis, non ad ſubtrahendũ aliquid potentiæ diuinæ: ſed ad oſtẽdendum conditionem creaturæ, quæ ad hoc aptitudinem non habet.

Ad ſecundum dicendum, quod ſimilitudo imaginis attenditur in natura humana, ſecundũ quod eſt capax Dei, ſcilicet ipſum attingẽdo propria operatione cognitionis, & amoris. Similitudo autem veſtigij attenditur ſolum ſecundum repræſentationem aliquam, ex impræſsione diuina in creatura exiſtentem: non autem ex eo quod creatura irrationalis, in qua eſt ſola talis ſimilitudo, poſsit Deum attingere per ſolam ſuam operationem. Quod autem deficit á minori, non habet congruitatem ad id quod eſt maius: ſicut corpus quod non eſt aptum perfici anima ſenſitiua, multo minus eſt aptum perfici anima intellectiua. Multo autem maior, & perfectior eſt vnio ad Deum ſecundum eſſe perſonale, quam quę eſt ſecundum operationem. Et ideo creatura irrationalis, quæ deficit ab vnione ad Deum per operationem, non habet congruitatem vt vniatur ei ſecundum eſſe perſonale.

Ad tertium dicendum, quod quidam dicunt Angelum non eſſe aſſumptibilem: quia á principio ſuæ creationis eſt in ſua perſonalitate perfectus, cum non ſubiaceat generationi, & corruptioni. Vnde non poſſet in vnitatem diuinæ perſonæ aſſumi, niſi eius perſonalitas deſtrueretur: quod neque conuenit incorruptibilitati naturę eius, neque bonitati aſſumentis: ad quam non pertinet, quod aliquid perfectionis in creatura aſſumpta corrumpat. Sed hoc non videtur excludere totaliter congruitatem aſſumptionis Angelicę naturę. Poteſt enim Deus producendo nouam Angelicam naturam, copulare eã ſibi in vnitate per-

ſonæ: & ſic nihil præexiſtens ibi corrumperetur. Sed ſicut dictum eſt

in corp. art †, deeſt congruitas ex parte neceſsitatis: quia etſi natura angelica in aliquibus peccato ſubiacet; eſt tamen eius peccatum irremediabile, vt in prima parte habitum eſt†.

1. p. q. 64. art. 2. Ad quartum dicendum, quod perfectio vniuerſi, non eſt perfectio vnius perſonæ, vel ſuppoſiti: ſed eius quod eſt vnum poſitione, vel ordine, cuius plurimæ partes non ſunt aſſumptibiles, vt dictum eſt

in corp. art *. Vnde relinquitur, quod ſola natura humana ſit aſſumptibilis.

1 CONCLVSIO eſt, ſola natura humana eſt aſſumptibilis, non quidem ſecundum potentiam naturalẽ, quia ſic nulla eſt aſſumptibilis: nec ſecundum obedientialem, quia ſic quælibet natura eſt aſſumptibilis, ſed ſecundum potentiam congruitatis propter duas conditiones, ſcilicet dignitatem, & neceſsitatẽ: quarum prior in nulla natura inferiori ad humanam, poſterior vero, neque in Angelica reperiebatur.

Ad exactam huius doctrinæ intelligentiam, operepratium eſt examinare quę natura ſit aſſumptibilis; & quia plures ſunt naturæ, de quibus controuertitur à Theologis, videlicet natura completa ſubſtantialis, vt humanitas, & partialis integralis vt manus, & forma ſubſtantialis, vt anima, materia prima, & forma accidentalis, vt albedo: propterea de his omnibus

---

Dubium eſt. An ſint aſſumptibiles à perſona diuina?

Varia Theologorũ placita, circa naturas aſſũptibiles à diuina Perſona.

AD hoc dubium reſpondendum eſt per ſingulas partes: & circa primam triplex verſatur ſententia. Prima, negat naturam Angelicam eſſe aſſumptibilem à diuina perſona, etiã de potentia Dei abſoluta, quam tuetur Albertus in 3, diſtinct. 2. art. 2. & eandem Vazquius hic, diſput. 30. c. 4. tribuit Angelico præceptori: eo quod in aliquibus locis præſertim, 1. part. quæſtion. 3. art. 3. & 4. contra gentes cap. 55. ad 3. adſtruit in Angelis non diſtingui realiter naturam à ſuppoſito. Ex quo pro hac ſentencia deſumitur potiſsimum fundamentum: implicat enim aſſumi naturã, quæ eſt ſuum ſuppoſitum, vel non diſtinguitur ab illo: ergo ſi natura Angeli non diſtinguitur realiter à ſuo ſuppoſito, neutiquam eſt aſſumptibilis.

2 Secunda ſententia, negat naturam irrationalem, etiam de potentia abſoluta eſſe aſſumptibilem à perſona diuina, niſi habeat ordinem ad rationalem naturam, vt ſic excipiant auctores huius ſentẽtiæ, corpꝰ Chriſti in triduo mortis, quod Fides Catholica docet in illo triduo vnitum manſiſſe cum diuina perſona, ita Bonauent. in 3. d. 2. art. 1. q. 1. Aleuſ. 3. part. quæſt. 2. memb. 7. & quæſt. 11. memb. 1. Enriq. quodlib. 13. quæſt. 5. Picus, Mirandul. in apolog. de defenſione quartæ propoſitionis.

Quorum fundamenta ad hæc duo reduci poſſunt. Primum eſt, quia natura irrationalis non eſt capax operationum ad quas ordinatur vnio hypoſtatica, neque effectuum, quos præſtat diuina perſonalitas, nec tandem eſt capax diſpoſitionum, quæ ad vnionem hypoſtaticam ordinantur: ergo nec eſt capax aſſumptionis in vnitatem diuinæ perſonæ. Conſequẽtia patet, quia ex naturalibus cõſtat quod ſubiectũ capax alicuius formæ debet conſequenter eſſe capax operationum effectuum, & diſpoſitionum talis formæ. Antecedens autem probatur, quoad ſingulas partes, nam in primis vnio hypoſtatica eſt propter viſionem, & delectationem Dei, quæ conſequuntur ipſam vnionem quarum operationum natura irrationalis eſt incapax. Deinde quia etiam eſt incapax ſanctificationis, & iuſtificationis, & perſonabilitatis, ſola enim natura rationalis eſt perſonabilis, & iſti ſunt effectus formales hypoſtaticæ vnionis, & perſonę diuinę, vt terminãtis naturam creatam. Denique etiam eſt incapax gratiæ habitualis, & donorum Spiritus ſancti quę ſunt diſpoſitiones ad vnionem hypoſtaticam; ergo.

Secun-

Digitized by Google

Secundum deſumitur ex indecentia, quæ Deo per nullam potentiam conuenire poteſt indecens autem eſſet Deum aſſumere naturam irrationalem, & dici irrationalem, & hoc etiam teſtari videtur D. Thom. in hoc art. vbi diſtinguēs duos modos aſſumptibilitatis vnum ſecundum potentiam paſsiuam naturalem, & alium ſecundum congruentiam, ait primo modo nullam naturam eſſe aſſumptibilem, & ſecundo modo non eſſe aſſumptibilem naturam irrationalem, quia ex parte illius nulla eſt congruentia vt aſſumatur ſed ex huiuſmodi incongruētia manifeſte ſequitur indecentia in Deo, ſi talem naturam aſſumat: ergo.

Quancūq; naturam cōpletam aſſumptibilē adſtruit vera ſentētia

Sed tertia & vera ſententia vtrumque affirmat, nimirum naturam Angelicam, & irrationalem eſſe aſſumptibilem à diuina perſona de potentia abſoluta, & hæc eſt legitima, & expreſſa ſententia Diui Thomæ (propterea immerito relati à Vazq. pro prima) in 3. diſt. 2. quæſt. 1. art. 1. quæſtiuncula 1. & 2. & in eadem diſtinct. ad Anibal. & 4. contra gentes cap. 55. & in hoc art. maxime in ſolutione ad primum, & ad tertium, quam ſequũtur Capreolus in eodem 3. diſt. 2. quæſt. vnic. Dur. & Palud ibidem Ferr. in diſt. cap. 55. Caiet. & Medina ſuper hoc articulo, Vazq. vbi ſupra, Valentia puncto 1. Suarez diſp. 14. ſect. 2. Aluar. diſputat. 22. & Nazar. controuerſ. 1. quæſt. 1. & 2. quæ ſententia proinde à nobis ſtatuitur pro concluſione. Et pro prima parte probatur ex illo ad Hebr. 2. cum de filio loquens Paul. ait: *nuſquam Angelos aprehendit, ſed ſemen Abrahæ aprehendit*: quibus verbis ſupponit Apoſtolus Angelicam naturā à verbo ſumi potuiſſe, vt ſi magis charitatem Dei erga genus humanum commendaret, vt patet ex communi Doctorum explicatione: ergo.

Secundo, quia natura Angelica diſtinguitur realiter à ſuppoſito, ac proinde eſt ſeparabilis ab illo: ergo eſt aſsũptibilis à perſona diuina, quæ propter ſuam infinitatem poteſt ſupplere munus ſubſiſtentiæ Angelicę: antecedens aſſeritur à Diuo Thomā 1. p. q. 50, art. 2. ad 3. & q. 70. articul. 5, ad 4. & quæſtione de ſpiritualibus creaturis art. 2. ad 8. & art. 5. ad 9. & libr. 2. contra gentes cap. 52. Et præterea probatur exemplo animæ rationalis ſeparatæ, quæ ſubſiſtit ad modum naturæ Angelicæ: & tamen diſtinguitur realiter à propria ſubſiſtentia, & propterea eſt aſſũptibilis à perſona diuina, & de facto fuit vnita ſubſiſtentiæ Verbi in triduo mortis Chriſti: ergo.

Deinde pro ſecunda parte probatur tripliciter. Tum ex teſtimonijs ſanctorum Patrum, id expreſſe aſſerentium, de quorum numero ſunt Tertul. lib. de carne Chriſti cap. 4. vbi contra Martionem aſſerentem indignum eſſe Deo terreſtre corpus aſſumere, ſic ait: *Ita videbitur ſi res humano ſenſu ponderetur, non autem ſi diuino, quia ſtulta mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes, & idem eſſet ſi de lupa, ſeu de vaca prodire voluiſſet, & feræ, aut pecoris corpore indutus regnum cœlorum prædicaret. &c.* Auguſt. in lib. de vera religione cap. 16. Niſen. orat. cathechetica cap. 17. & alij quos refert Vazq. vbi ſupra.

Tum etiam à poſteriori, quia in triduo mortis forma cadaueris manſit vnita perſonæ diuinæ; ergo natura irrationalis nō eſt incapax talis vnionis. Neque valet ſolutio Enri. dicētis cadauer hominis habere ordinem ad animam rationalem, eoquod ordo ille non eſt realis, ſed rationis, & ab extrinſeca ordinatione Dei proueniens, poſſet enim talis forma manere in perpetuum vnita perſonæ Verbi, abſq; eoquod ei ſuccederet anima rationalis: & quia vel ordinatur ad animam rationalem ratione materiæ primæ, vel ratione ipſius formæ cadaueris, ſecundum quam perſona Verbi tunc erat cadaueris. Non primum, quia materia prima non magis dicit ordinem ad animam rationalem, quam ad alias formas ad quas omnes ex æquo dicit inclinationem. Nec ſecundum, quia forma cadaueris potius repugnabat reſurrectioni Chriſti: ergo.

Tum denique à priori, quia natura humana propter duo poteſt terminari ſubſiſtentia diuina, ſcilicet, quia ipſa de ſe eſt terminabilis per ſubſiſtentiam realiter diſtinctam, & alias diuina ſubſiſtentia propter ſuam infinitatem poteſt munus propriæ ſubſiſtentiæ ſuplere. Sed hæc duo etiam habent locum in natura irrationali: ergo etiam habet potentiam obedientialem vt terminetur per ſubſiſtentiam diuinam.

Ex quibus patet ad fundamenta aduerſariorum. Ad fundamentum enim primæ ſententiæ, reſpondetur D. Th. in illis locis, non negare in Angelis naturam diſtingui à ſuppoſito; ſed tantum aſſe

rere

rere, in Angelis idem eſſe quo eſt. & quod eſt, ideſt, idem eſſe naturam ſpecificam & eius indiuiduum, quia natura ſpecifica Angelica ſeipſa eſt ſingularis, ideſt ſine additione alterius, non quidem hæcceitatis, quæ ratione diſtinguatur ab ſpecie, & ſit extra conceptum illius. Sed ſine additione alterius extrinſece cõnotati, per quod differt à natura corporea, quæ indiuiduatur per materiam ſignatam, & per ordinem ad accidentia connotata, quæ ſunt extra genus naturæ ſubſtantialis.

Ad primum pro ſecunda ſentia, nego antecedens, quoad omnes partes, & ad probationem primę partis dicendum eſt, quod vnio hypoſtatica cum detur immediate ad eſſe, & ſubſiſtere, non ordinatur per ſe ad operationem; & licet ordinaretur ad aliquas, non tamen ad illas, quæ ſunt intellectus, & voluntatis, quod patet in cadauere vnito per verbũ diuinum, cuius hypoſtatica vnio non ordinabatur ad has operationes.

Ad probationem ſecundæ; dicendum eſt, quod in natura irrationalis præſtaret perſona Verbi illos effectus, licet non eoſdem omnino, & eodem modo quo præſtat naturæ humanæ, conſtitueret enim naturam irrationalem ſanctã alio genere ſanctitatis, quo res inſenſibilis ſolet per conſecrationem fieri ſancta; cõſtitueret etiam illam dignam adoratione latriæ, & ſubſiſtentem, licet non perſonabilem, ſicut & cadauer in triduo, poterat dici ſubſiſtens, & ſuppoſitum, ſed non perſona, quia à perſona verbi, vt eſt ratio ſubſiſtendi, & non vt eſt ratio perſonandi terminabatur, nec mirum eſt ſi ob diuerſam capacitatem ſubiectorum eadem perſona verbi diuerſos effectus præſtaret, ſiquidem eadẽ rationalis anima diuerſis partibus eiuſdem corporis diuerſos effectus formales partiales præſtat, capillis enim tantum eſſe vegetatiuum, oſsibus, & carnibus, vegetatiuum, & ſenſitiuum, capiti vero ſupra hæc tribuit eſſe rationale.

Ad probationem tertiæ; dicendum eſt, quod licet gratia habitualis cum cæteris donis, fuerit diſpoſitio exornans vnionem hypoſtaticam in Chriſto; non tamen fuit diſpoſitio præuiſſa, aut per ſe requiſita: alioquin neque natura cadaueris, ſine tali gratia, potuiſſet manere vnita verbo, quod tamen eſt contra fidem.

Ad ſecundum nego minorem, ſi enim Deus naturam irrationalem aſſumeret, & ob aliquem congruentem ſinem, cuius congruentias ex ipſo facto colligeremus, & D. Thom. in hoc art. non denegat naturis Angelicis, & irrationalibus potẽtiam obedientialem aſſumptibilitatis, ſed ſolam potentiam congruitatis, attento ordine vniuerſi, & huius prouidentię Dei, quod tamen non obſtat quo minus Deus ſecundum alterius prouidentię ordinem poſſet aliquam ex his naturis aſſumere, & cum ſit ſume ſapiens, ſicut ſume potens, ſi id faceret ſapienter atque congruenter faceret.

3 Ad ſecundam partem dubij de parte integrali ſubſtantiali, duplex eſt modus dicendi.

Primus affirmans illam poſſe aſſumi in vnitatem diuinæ perſonæ, quem ſequuntur Medina hic dub. 1. Suarez diſput. 14. ſect. 3. & Aluarez diſp. 22. huic inixi fundamento, quia talis pars, v. g. manus, non ſolum ſeparata (ſic enim proculdubio eſt aſſumptibilis, quia eſt ſubſtãtia completa) ſed etiam vnita permanens cum alijs partibus in compoſito, habet ſuam partialem ſubſiſtentiam, & exiſtentiam: ac proinde eſt capax modi eſſendi per ſe, & ſubſiſtendi: ergo poteſt vniri diuinę perſonę reliquis partibus non vnitis.

Sed ſecundus, & verus modus dicendi eſt negatiuus, quem ſequitur Nazarius controuerſia citata quæſt. 3. & nos ſtatuimus pro concluſione. Et probatur dupliciter. *Secus de partibus ſubſtantiæ integralib9.*

Primo à priori, quia talis pars integralis dum vnita manet alijs, nõ eſt capax ſubſiſtendi, & exiſtendi per ſe propria ſubſiſtentia, & exiſtentia: ſed tantum habet ſubſiſtere, & exiſtere partialiter, & veluti ſecundario per ſubſiſtentiam, & exiſtẽtiam totius: ſed natura, quæ immediate, & per ſe nequit ſubſiſtere, & exiſtere, nequit à ſumia diuino ſuppoſito immediate, vt in illo per ſe exiſtat, & ſubſiſtat: ergo neque talis pars vnita manens eſt immediate aſſumpſibilis.

Secundo ab inconnenienti, nam ſequitur ex oppoſita ſententia, & facta ſuppoſitione, quod manus ſic vnita aſſumpta fuiſſet à verbo cæteris partibus nõ aſſumptis, quod ſubſiſteret per duplicem ſubſiſtentiam propriam, ſiue ſui totius, & per ſubſiſtentiam verbi, per propriam quidem

quidem, quia vt vnita habet propriam ſubſiſtentiam, & exiſtentiam partialem, vt aduerſarij volunt; & ſi illam amitteret, iam deſineret eſſe pars, & vniri cum alijs, & ex hoc vlterius ſequeretur, quod hæc propria partialis ſubſiſtentia, ſimul aſſumeretur à verbo: nequit enim natura terminata propria ſubſiſtentia aſſumi ſine illa, quę tamen, ſunt abſurda, & nullatenus admittenda: ergo.

Circa tertiam partem dubij de forma ſubſtantiali: omnes Theologi conueniunt in vno, & diſcriminantur in alio. Conueniunt quidem in eo quod omnis forma ſubſtantialis à materia ſeparata poſſit aſſumi à diuina perſona; cuius ratio manifeſta eſt, quod ad formam à materia ſeparatã (ſiue ſeparatio naturaliter, vt in anima rationali, ſiue miraculoſe tantũ, ſit poſsibilis, vt in formis dependentibus à materia contingit) ſequitur naturaliter ſubſiſtentia, & modus eſſendi per ſe, quãuis ſubſiſtentia eſſet, diuerſæ rationis ab illa, quæ conuenit ſubſtantiæ completæ: ergo poſſet diuina perſonalitate ſupleri, ac proinde talis forma aſſumi ab illa. Diſcriminantur autem circa formas vt vnitas materiæ in cõpoſito ſubſtantiali, in duas ſententias.

Quarum prima affirmat illas etiam vt ſic vnitas aſſumi poſſe à diuina perſona non aſſumpto compoſito, quam tuentur Vazquez diſpũt. cit. cap. 5. & in eandem inclinant Medina, & Aluarez vbi ſupra, & vt probabilem ſequitur Suarez in loco citato.

Idem dicẽdum eſt de forma ſubſtantiali dum eſt vnita materia.

Secunda vero negans eſt, quam ſequitur Nazarius quæſt. 4. controuerſiæ citatæ: & nos ſtatuimus pro concluſione, quæ probatur manifeſtè eiſdem duabus rationibus, quibus præcedentem concluſionem probauimus: illæ enim pariformiter iſtam conuincunt.

Prima eſt, quia pars dũ eſt actu pars alicuius compoſiti, non eſt capax ſubſiſtẽdi, niſi ſecundario per ſubſiſtentiam totius: ergo non eſt immediate terminabilis per diuinam ſubſiſtentiam.

Secunda eſt, quia talis forma ſubſiſteret duabus ſubſiſtentijs, ſcilicet ſubſiſtentia ſui compoſiti, & ſubſiſtentia diuina, quod eſt impoſsibile: ergo & impoſsibile eſt illam, vt ſic vnitam aſſumi, non aſſumpto compoſito.

4 Circa quartam partem de materia prima duplex eſt ſententia. Prima affirmans, quam tuentur illi, qui ei propriã, & partialem ſubſiſtentiam, atque exiſtentiam attribuunt, ſub qua dicunt ſeparatam poſſe à Deo, ſeruari, & vniri diuino ſuppoſito; de quorum numero eſt Suarez vbi ſupra. Ex illis vero, qui denegãt materiæ primæ propriam ſubſiſtentiam, & exiſtentiam, ſolus Bañes docet 1. p. q. 66. artic. 1. dub. 2. poſſe ſupleri à ſuppoſito diuino depẽdentiam, quam habet materia à forma, quoad exiſtentiam, & ſic poſſe terminari ab illo, quoad effectum exiſtendi, ita vt exiſtat materia ſeparata per exiſtentiam diuini ſuppoſiti.

A fortiori neque materia prima eſt aſſumptibilis.

Secunda tamen, & vera ſententia negans eſt, quam tuentur omnes, qui negant materiam primam poſſe, ob omni forma ſeparatam conſeruari ob defectũ propriæ exiſtentiæ, de quorum numero ſunt Medina dub. 1. Vazquez diſp. citata cap. 5. Aluarez diſp. 22. & Nazarius controuerſia citata quæſt. 5. quæ à nobis ſtatuitur pro concluſione. Cuius potiſsima ratio eſt, quod materia prima ſecundum ſe non eſt capax ſubſiſtendi, neque eſt apta habere modum ſuppoſiti ſicut anima rationalis: natura autem quæ non eſt apta habere modum ſuppoſiti, non poteſt terminari per ſubſiſtentiam diuinam, & aliàs cũ exiſtentia, non communicetur naturæ ſubſtãtiali, niſi media ſubſiſtentia, conſequẽs eſt, quod nec materia prima poſsit immediate aſſumi à perſona diuina ad exiſtẽdũ non aſſumpto toto compoſito.

Circa alteram partem duplex eſt modus dicendi. Primus negans eſt, quem ſequuntur Suar. diſp. 13. ſect. 4. Vazq. diſput. 30. cap. 5. duplici nixi fundamento.

Tum, quia naturam aliquam terminari à perſona diuina nihil aliud eſt quam impediri propriam ſubſiſtentiam, & ſupleri per diuinam, ſed natura accidentalis, nõ habet propriam ſubſiſtentiam, quæ impediri, vel ſupleri poſsit à diuina perſona: ergo non eſt aſſumptibilis. Maior patet, ex eo quod contingit de facto in myſterio incarnationis, ex quo non habemus fundamentum ad aliter philoſophandum.

Tum etiam, quia ſi verbum aſſumeret albedinem. v. g. denominaretur albũ hæc enim denominatio eſt, quam albedo communicat neceſſario ſuppoſito, ſiue ſubiecto, in quo eſt, ſiue in illo ſit inheſiue vt eſt in corpore, ſiue terminatiuè, vt

eſſet

eſſet in verbo diuino, ſi aſſumeretur ab illo: conſequens autem non eſt admittendum, nam eadem ratione deberet dici quātū, & extēſum cū huiuſmodi formalis effectus quantitatis neceſſario præſupponatur adeſſe albū, ſicut & ipſa quantitas præſupponitur neceſſario ad albū: ergo ſicut verbum non poteſt dici quātū, aut extenſum, ita nec dici album.

5 Sed ſecundus, & verior modus dicendi affirmans eſt, quem ſequitur Marſil. in 3. d. 2. q. 3. art. 1. Alman. & Gabriel. ibidem quæſt. 2. Medina in hoc art. dub. 1. Valentia puncto 1. Aluar. diſp. 22. & Nazar. controuerſia citata quæſt. 6. Cuius potiſsima ratio eſt, quia accidens poteſt ſeparari à ſubiecto, & ſic ſeparatum cōſeruari à Deo cum modo exiſtendi per ſe, vt contingit in Sacramento Euchariſtiæ, vbi accidentia dum ſeparantur à ſubiecto, & amittunt modum naturalem in exiſtendi in illo per inheſionē; recipiunt quemdā modum eſſendi per ſe ſimilem modo ſubſtantiæ, licet ſecundum rem ſit inferior illo, vt docet Caiet. infra q. 77. art. 1. ergo accidens eſt capax alicuius modi eſſendi per ſe: ergo habet potentiam obedientialem, vt terminetur per ſubſiſtentiam verbi, & ſubſiſtat in illo.

Verior ſententia affirmat accidentia aſſumptibilia eſſe à perſona diuina.

6 Prima conſequentia eſt nota, & ſecunda probatur, quia ob deffectum huius capacitatis ad modum eſſendi per ſe denegauimus potentiam aſſumptibilitatis partibus integralibus vnitis, & formis dependentibus à materia, & ipſi materiæ primæ, & ob capacitatem ad eſſendum per ſe, diximus animam rationalem ſeparatā, & quācumque naturam completam ſubſtantialem eſſe aſſumptibilem: ergo.

Neque obſtat, quod accidens nō ſit ſuppoſitabile, quia ſicut natura irrationalis, licet non ſit perſonabilis, tamen quia eſt capax ſuppoſiti poteſt terminari à diuina perſona; vt eſt ratio ſubſiſtendi, ita natura accidentalis, quia eſt capax eſſendi per ſe, poteſt vniri diuinæ perſonæ, non quidem vt eſt ratio perſonandi, aut ſubſiſtendi, ſed vt eſt ratio eſſendi per ſe.

Ex quo patet ad fundamenta aduerſariorum. Ad primum enim neganda eſt mai. licet enim de facto verbum diuinum terminando naturam humanam excluſerit eius propriam ſubſiſtentiam, & ſupleuerit munus illius; tamē abſolute loquendo ſufficit ad ſaluandam terminationem diuinæ perſonæ in natura aſſumpta, quod vel excludat propriam ſubſiſtentiā ſi illius fuerit capax, vel quod excludat modum exiſtendi per ſe, ideſt independēter à ſubiecto inheſionis, & à ſubiecto cōpoſitionis, qui modus eſt ſimilis ſubſiſtentiæ, & habet ſe ad inſtar illius, & quia huius eſt capax natura accidentalis, illum tātum excluderet, & munus illius ſupleret perſona diuina ſi aſſumeret naturam accidentalem.

Ad ſecundum neganda eſt ſequela, vel diſtinguendū eſt conſequens: verbum enim diuinum data hac hypoſtaſi denominaretur, non quidem album, ideſt affectū albedine per inhæſionem, ſed habens, & ſuſtentans albedinem per terminationem, & eodem modo denominaretur habēs, & ſuſtentās quantitatem, ſiue extenſionem, ſi illam aſſumeret: neque enim aſſumendo albedinem cogeretur aſſumere quantitatē cum depēdentia illius ab iſta quæ (licet nō ex natura rei) ſuplebilis tamen eſt de potentia abſoluta, ſicut ſuplebilis eſt dependentia vtriuſque à ſubſtantia.

ART. II.

Vtrum filius Dei aſſumſerit perſonam?

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod filius Dei aſſumpſerit perſonam. Dicit enim Damaſc. in 3. lib. * quod filius Dei aſſumpſit humanam naturam in atomo, ideſt in indiuiduo. Sed indiuiduum rationalis naturæ eſt perſona, vt patet per Boet. in lib. de duab. natur. † Ergo filius Dei perſonam aſſumpſit.

Locis artic. ſeq. not.

** lib. 3. orthod. fidei c. 11.*

† In 3. pagina à princip. lib.

2 Præterea, Damaſc. dicit * quod filius Dei aſſumpſit ea, quæ in natura noſtra plantauit. Plantauit autem ibi perſonalitatem. Ergo filius Dei aſſumpſit perſonam.

** lib. 3. c. 6. circa medium.*

Præterea,

Digitized by Google

3 Præterea, Nihil conſumitur niſi quod eſt. Sed Innocentius III. dicit in quadam Decr. quod perſona Dei conſumpſit perſonam hominis. Ergo videtur quod perſona hominis fuerit prius aſſumpta.

Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit in lib de fide ad Petr.. * quod
c.2. to. 3. Deus naturam hominis aſſumpſit, non perſonam.

Reſpondeo dicendum, quod aliquid dicitur aſſumi ex eo quod ad aliquid ſumitur. Vnde illud, quod aſſumitur, oportet præintelligi aſſumptioni, ſicut illud, quod mouetur localiter, præintelligitur ipſi motui. Perſona autem non præintelligitur in humana natnra aſſumptioni, ſed magis ſe habet vt terminus aſſūp-
q. præced. a.1. & 2. tionis, vt ſupra dictū eſt. Si enim præintelligeretur, vel oporteret quod corrumperetur: & ſic fruſtra eſſet aſſūpta: vel quod remaneret poſt vnionem, & ſic eſſent duæ perſonæ, vna aſſumēs, & alia aſſumpta: quod eſt erroneū, vt ſupra oſte[n]ſum eſt.
q.2. ar.6 Vnde relinquitur, quod nullo modo filius Dei aſſumpſit humanam perſonam.

Ad primum ergo dicendum, quod naturam humanam aſſumpſit Filius in atomo; ideſt in indiuiduo: quod no eſt aliud â ſuppoſito increato, quod eſt perſona filij Dei. Vnde non ſequitur, quod perſona ſit aſſumpta.

Ad ſecundum dicendū, quod naturæ aſſumptæ non deeſt propria perſonalitas propter defectum alicuius, quod ad perfectionem humanæ naturæ pertineat: ſed propter additionem alicuius, quod eſt ſupra humanam naturā, quod eſt vnio ad diuinam perſonam.

Ad tertium dicendum, quod conſumptio ibi non importat deſtructionem alicuius, quod prius fuerat, ſed impeditionem eius, quod aliter eſſe poſſet. Si enim humana natura non eſſet aſſumpta â diuina perſona, natura humana propriam perſonalitatem haberet. Et pro tanto dicitur perſona conſumpſiſſe perſonā; licet impropriè: quia perſona diuina ſua vnione impediuit, ne humana natura propriam perſonalitatem haberet.

Concluſio eſt negatiua: ex eo quod ſi aſſumeretur perſona deberet præintelligi aſſūptioni, & permanere poſt aſſumptionem alioquin fruſtra aſſumeretur ſi ſtatim eſſet corrumpenda, & ſiç eſſent duæ perſonæ in Chriſto vna aſſumēs, & alia aſſumpta; quod eſt contra fidem.

Examinandum tamen nobis eſt dubium, quod hic controuerti ſolet à Theologis, non quidem circa id quod de facto contigit, ſed in ordine ad potētiam Dei abſolutam.

Vtrum ſcilicet natura terminata propria perſonalitate, vel ipſa perſonalitas ſit aſſumptibilis?

IN quo dubio duæ verſantur ſententiæ. Prima affirmans eſt, quam tuētur quidam Recenc. eo ducti fundamento, quod nulla ratio ſufficiens implicationis aſsignari poſſet, & quia omnis natura creata, maxime ſubſtantialis cō pleta potentiam habet obedientialem, vt poſsit aſſumi à Deo.

6 Sed ſecunda & vera ſententia negans eſt, quam tenent D. Thom. in hoc art. & lib. 4. contra gentes cap. 43. & Caiet. hic Suar. diſp. 14. ſect. 1. Vazq. diſp. 33. cap. 1. Aluarez diſp. 26. & Nazar. in expoſitione articuli, quæ proinde à nobis ſtatuitur pro concluſione.

Et probatur primo ratione deſumpta ex Patribus, qui ex eo quod natura humana vnita eſt hypoſtatice cum Verbo inferūnt contra Neſtorium, non habere propriam perſonalitatem, ita Cir. in explicatione anathematis mi ſecundi, tertij, & quarti

quarti, & in lib. de incarnatione Verbi, capit. 12. & Conc. Epheſ. cap. 4. & 14. & Calced. actione 1. in epiſt. Cyrilli ad Neſtorium, & 5. ſynodus generalis collatione 8 can. 3. & 5. vbi ſic habetur: ſiquis nō confitetur Dei verbum carni ſecundum ſubſiſtentiam eſſe vnitum, & propter hoc vnam eſſe eius ſubſiſtentiam, ſeu perſonā annathema ſit: quæ tamen illatio nulla eſſet ſi natura terminata per propriam ſubſiſtentiam poſſet aſſumi: ergo.

Secundo probatur, ex repugnantia iſtorum duorum modorum, ſcilicet exiſtendi per ſe, & in alio: natura autem terminata propria ſubſiſtencia exiſtit per ſe, & quando terminatur aliena exiſtit in alio; ergo impoſsibile eſt eandem naturam, ſimul eſſe terminatam propria, & aliena ſubſiſtentia. Quam rationem latè proſequuntur Suar. & Vazq. vbi ſupra.

Tertia ſumitur ex diffinitione ſuppoſiti, ſiue perſonę, de cuius intrinſeco cōceptu eſt, quod incommunicabilis ſit alteri ſuppoſito, ſed ſi aſſumeretur perſona, aut natura perſonata à diuino ſuppoſito, iam communicaretur illi, ac proinde deficeret à ratione incōmunicabilitatis, quod eſt impoſsibile. ergo impoſsibile eſt perſonam, aut naturam perſonatam aſſumi à diuina perſona, niſi natura præexiſtēs cū ſua perſonalitate ante aſſumptionem amittat propriam perſonalitatem, & ſic ſola natura denudata à modo propriæ perſonalitatis aſſumatur in vnitatem diuinæ perſonæ.

7 Ex his facile diluuntur fundamenta primæ ſententiæ. Ad primum enim patet ſolutio ex repugnantia à nobis aſsignata.

Ad ſecundum vero dicendum eſt naturam terminatam propria perſonalitate non habere potentiam obedientialem, vt ſic retenta illa aſſumatur ab aliena; propter incompoſsibilitatem perſonalitatis propriæ cum aliena.

ARTIC. III.

Vtrum perſona diuina aſſumpſerit hominem?

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod perſona diuina aſſumpſerit hominem. Dicitur enim in Pſal. 64. Beatus, quē elegiſti & aſſumpſiſti. quod gloſſ. * exponit de Chriſto. Et Auguſt. dicit in lib * de agone Chriſt. quod filius Dei hominem aſſumpſit, & in illo humana perpeſſus eſt.

2 Præterea, Hoc nomen, homo ſignificat naturam humanam. Sed filius Dei aſſumpſit humanam naturam. Ergo aſſumpſit hominem.

3 Præterea, Filius Dei eſt homo. Sed non eſt homo, quem non aſſumpſit: quia ſic eſſet pari ratione Petrum, vel quilibet alius homo. Ergo eſt homo quem aſſumpſit.

*3. d. 6. q. 1 a. 2. & d. 6. ii. 2 & opuſ. 1. c. 21. & opuſcul. 3. ca. 215. & Ro. 1 le. 3 col. fin. & Phil. 2. co 4 fin. Gloſ. ord. & interlin. * c. 11. ante medium tom. 3. * ex Eph. ſynod. refertur in Calce. act. 1. dū Nic. ſyn fides legitur.*

Sed contra eſt, auctoritas Felicis papæ, & martyris, quæ introducitur in Epheſina ſynodo, * Credimus in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum de virgine Maria natum: quia ipſe eſt Dei ſempiternus filius & verbum, & non homo â Deo aſſumpt⁹, vt alter ſit præter illum: neque enim hominem aſſumpſit Dei filius, vt alter ſit præter ipſum.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, *art. præce.* illud quod aſſumitur, nō eſt terminus aſſumptionis, ſed aſſumptioni præintelligitur. Dictum eſt autem, quod indiuiduū, *q. 3. ar. 1. & 2.* in quo aſſumitur humana natura, nō eſt aliud quam diuina perſona, quæ eſt terminus aſſumptionis. Hoc autem nomen homo, ſignificat humanam naturam, prout nata eſt in ſuppoſito eſſe: quia, vt dicit Damaſcen. *lib. 3. c. 4. in princ. & clarius c. 11. circa fin.* ſicut hoc nomen Deus, ſignificat eum, qui habet diuinam naturā: ita hoc nomen homo, ſignificat eum qui habet naturam humanam. Et ideo non eſt proprie dictum, quod filius Dei aſſumpſit hominem, ſupponendo (ſicut rei veritas ſe habet) quod in Chriſto ſit tantum vnum ſuppoſitum, & vna hypoſtaſis. Sed

ſecun-

ſecundum illos, qui ponunt in Chriſto duas hypoſtaſes, vel duo ſuppoſita, conuenienter, & propriè dici poſſet, quod filius Dei hominem aſſumpſiſſet. Vnde & prima opinio, quæ ponitur in ſexta diſtinctione 3. lib. Senten. concedit hominem eſſe aſſumptum. Sed illa opinio erronea eſt, vt ſupra dictum eſt.

d.6. §.2.
q.2.art.6.

Ad primum ergo dicendum, quod huiuſmodi locutiones non ſunt extendendæ tanquam propriæ: ſed piè ſunt exponendæ vbicumque a ſacris doctoribus ponuntur: vt dicamus hominem aſſumptum, quia eius natura eſt aſſumpta, & quia aſſũptio terminata eſt ad hoc, vt filius Dei ſit homo.

Ad ſecundum dicendũ, quod hoc nomen, homo, ſignificat naturã humanam in concreto, prout ſcilicet eſt in aliquo ſuppoſito. Et ideo ſicut nõ poſſumus dicere, quod ſuppoſitum ſit aſſumptum: ita non poſſumus dicere, quod homo ſit aſſumptus.

Ad tertium dicendum, quod filius Dei nõ eſt homo, quem aſſumpſit, ſed cuius naturam aſſumpſit.

CONCLVSIO eſt, nõ poteſt dici propriè, quod perſona diuina aſſumpſerit hominem.

Dubitatur. An hæc propoſitio ſit vera: perſona aſſumpſit hominem?

* * *

8 IN hoc dubio Ludouicus Viues lib. 9. de ciuitate Dei cap. 17. ait, hanc propoſitionem veram eſſe, & ſimpliciter admittendam, reprehenditque Theologos, quod illam non recipiant.

Cuius fundamentum eſt, quia ſæpè huiuſmodi locutio fuit à Patribus vſurpata præſertim ab Aug. lib. de dono perſeuerantiæ cap. 24. & tract. 9. in Ioann. & de prædeſtinatione ſanctorum cap. 15. & epiſtol. 68. & in loco citato de ciuitate Dei, & in lib. de Agone Chriſtiano cap. 11. & ab Eccleſia cantatur: *Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem*: & eadem propoſitio aſſeritur ab alijs Patribus, quorum teſtimonia referunt Medina, Suar. & Vazq. ſuper hoc art.

Sed hoc non obſtante concluſio Diui Thomæ eſt vera & catholica, quam vnanimiter amplectũtur omnes ei⁹ interpretes, & Scholaſtici in 3. d. 6. Et probatur dupliciter. Tum ex teſtimonio Felicis Papæ aſſerentis: *Credimus in Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum de Virgine Maria natum, quia ipſe eſt* Dei *ſempiternus Filius, & nõ homo à* Deo *aſſumptus, &c.* Quod teſtimonium refertur in Concil. Calced. actione 1. inter varia teſtimonia, Patrum quæ dicuntur fuiſſe recitata in Concil. Epheſ.

Tum etiam ratione qua vtitur Diuus Thomas, quia nimirum hoc nomẽ homo, ſignificat humanam naturam, prout eſt in ſuppoſito, vtpote cum dicat concretum ex natura, & ſuppoſito, ſed huiuſmodi cõcretum non fuit aſſumptum à Verbo: ergo nec homo fuit aſſumptus. Maior eſt nota, & minor probatur, quia illud quod aſſumitur præintelligitur aſſumptioni, & non eſt terminus aſſumptionis, at ſuppoſitum habens naturam humanam in Chriſto fuit terminus aſſumptionis, & non fuit præintellectum aſſumptioni, quia non fuit aliud ſuppoſitum quam perſona diuina, quæ eſt terminus aſſumptionis, vt profitetur Catholica fides contra Neſtoriũ: ergo.

Ad fundamentum autem deſumptum ex Patribus dicendum eſt, quod huiuſmodi locutio, perſona diuina aſſumpſit hominem piè exponenda eſt, & non in rigore accipienda, vt ſcilicet dicamus hominem aſſumptum eſſe, quia eius natura aſſumpta eſt ſumpto concreto pro abſtracto, & quia aſſumptio terminata eſt ad hoc, vt Filius Dei ſit homo.

Digitized by Google

ART. IV.

Vtrum Filius Dei debuerit aſſumere humanam naturam abſtractam ab omnibus indiuiduis?

[*Sup. q. 2. a. 2. ad 3. & 5. ad 2 & q. 4. a. 2. ad 1. et 3. & 3. d. 5. q. 3. a. 3. ad 1. & d. 6. q. 1. a. 1. q. 3. ad 1.*]

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod filius Dei debuerit aſſumere humanam naturam abſtractam ab omnibus indiuiduis. Aſſumptio enim humanæ naturæ facta eſt ad communem omnium hominum ſalutem: vnde dicitur primæ ad Timoth 4. de Chriſto, quod eſt ſaluator omnium hominum, maxime fidelium. Sed natura prout eſt in indiuiduis, recedit â ſua communitate. Ergo filius Dei debuit humanam naturam aſſumere, prout eſt ab omnibus indiuiduis abſtracta.

2 Præterea, In omnibus id, quod eſt nobiliſsimum, eſt Deo attribuendum. Sed in vnoquoque genere illud, quod eſt per ſe, potiſsimũ eſt. Ergo filius Dei debuit aſſumere hominem per ſe. Qui quidem ſecundum Platonicos * eſt ipſa humana natura ab iudiuiduis ſeparata. Hanc igitur debuit filius Dei aſſumere. [*Vt patet ex Ariſ. 1 meta. tex. 6. & 25.*]

3 Præterea, Humana natura no eſt aſſumpta â filio Dei, prout ſignificatur in concreto per hoc nomen homo, vt dictum eſt *. [*art. præce.*] Sicut autem ſignificatur, prout eſt in ſingularibus vt ex dictis patet. * [*art. præc.*] Ergo filius Dei aſſumpſit naturam humanam, prout eſt ab indiuiduis ſeparata.

Sed contra eſt, quod dicit Damaſc * [*lib. 3. ort. fid. ca. 11. cir. prin.*] in 3. lib. Deus verbum incarnatum non eam, quæ nuda contemplatione conſideratur naturam aſſupſit: non enim incarnatio hoc, ſed deceptio & fictio incarnationis eſſet. Sed humana natura, prout eſt ab indiuiduis ſeparata, vel abſtracta, in nuda contemplatione cogitatur: quia ſecundum ſeipſam non ſubſiſtit, vt ibidem Damaſc. dicit *. [*loco nunc citato.*] Ergo filius Dei non aſſumpſit humanam naturã ſecundum quod eſt â ſingularibus ſeparata.

Reſpondeo dicendum, quod natura hominis, vel cuiuſcumque alterius rei ſenſibilis, præter eſſe quod in ſingularibus habet, dupliciter poteſt intelligi. Vno modo quaſi per ſeipſam eſſe habeat præter materiã, ſicut Platonici poſuerunt. Alio modo ſicut in intellectu exiſtens, vel humano, vel diuino. Per ſe quidẽ ſubſiſtere non poteſt, vt Philoſoph. probat in 7. metaph. * [*text. 26. & 27. li. 3.*] quia ad naturam ſpeciei rerum ſenſibilium pertinet materia ſenſibilis, quæ ponitur in eius definitione: ſicut carnes, & oſſa in definitione hominis. Vnde non poteſt eſſe, quod natura humana ſit præter materiam ſenſibilẽ. Si tamen eſſet hoc modo ſubſiſtens natura humana, non fuiſſet conueniens, vt â verbo Dei aſſumeretur. Primo quidem, quia aſſumptio iſta terminatur ad perſonam: hoc autẽ eſt contra rationem formæ communis, vt ſit in perſona: quia in perſona indiuiduatur. Secundo, quia naturæ communi non poſſunt attribui niſi operationes communes, & vniuerſales: ſecundum quas homo non meretur, nec demeretur: cum tamẽ illa aſſumptio ad hoc facta ſit, vt filius Dei in natura aſſũpta nobis mereretur. Tertio, quia natura ſic exiſtens non eſt ſenſibilis, ſed intelligibilis. Filius autem Dei aſſumpſit huma-

Digitized by Google

humanam naturam, vt hominibus in ea viſibilis appareret, ſecundum illud Baruch. 3. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Similiter etiam non potuit aſſumi humana natura à filio Dei, ſecundum quod eſt in intellectu diuino: quia ſic nihil aliud eſt, quam natura diuina, & per hunc modũ ab æterno eſſet in filio Dei humana natura. Similiter non cõuenit dicere, quod filius Dei aſſumpſit humanam naturam, prout eſt in intellectu humano: quia hoc nihil aliud eſſet, quã quod intelligeretur aſſumere naturam humanam. Et ſic ſi non aſſumeret eã in rerum natura, eſſet intellectus falſus. Nec eſſet aliud iſta naturæ humanæ aſſumptio, quam fictio quædã incarnationis, vt Damaſc. dicit*

li. 3. c. 11. cir. prin.

Ad primum ergo dicendum, quod filius Dei incarnatus, eſt communis omnium ſaluator, non communitate generis, vel ſpeciei, quæ attribuitur naturæ ab indiuiduis ſeparatæ: ſed communitate cauſæ, prout filius Dei incarnatus, eſt vniuerſalis cauſa ſalutis humanæ.

Ad ſecundum dicendũ, quod per ſe homo non inuenitur in rerum natura: ita quod ſit præter ſingularia, vt Platonici poſuerunt*: quamuis quidam dicant, quod Plato non intellexit hominem ſeparatum eſſe, niſi in intellectu diuino. Et ſic non oportuit quod aſſumeretur à verbo, cum ab æterno ſibi affuerit.

apud Ari. lib. 1. met. tex. 6. & 25.

Ad tertium dicendum, quod quamuis natura humana non ſit aſsũpta in concreto, vt ſuppoſitum præintelligatur aſſumptioni: ſic tamen aſſumpta eſt in indiuiduo, quia aſsũpta eſt, vt ſit in indiuiduo.

9 Concluſio eſt, inconueniẽs eſſet Filium Dei aſſumere naturam humanam, vel per ſe ſeparatim ſecũdũ eſſe ab omnibus indiuiduis, vel in quocũque intellectu diuino, aut humano habentem eſſe, propter duo.

Tum, quia non eſſet incarnatio, ſed deceptio, & fictio incarnationis, vt arguit Damaſcenus lib. 3. de fide cap. 11.

Tum etiam, quia filius Dei incarnatus eſt communis omnium ſaluator non communitate generis, vel ſpeciei, quæ attribuitur naturæ ab indiuiduis ſeparatæ. Neque enim talis natura ſic ſeparata inuenitur à parte rei, ſed communitate cauſæ, prout Filius Dei incarnat⁹ eſt vniuerſalis cauſa ſalutis humanæ, quæ tamẽ in re fuit ſingularis ſingularitate naturæ.

ARTIC. V.

Vtrum Filius Dei naturam humanam aſſumere debuerit in omnibus indiuiduis?

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quod filius Dei humanam naturam aſſumere debuerit in omnibus indiuiduis. Illud enim, quod primo & per ſe aſſũptum eſt, eſt natura humana. Sed quod conuenit per ſe alicui naturæ, conuenit omnibus in eadem natura exiſtentibus. Ergo conueniens fuit, vt natura humana aſſumeretur à Dei verbo in omnibus ſuis ſuppoſitis.

Sup q. 3. a. 5. ad 1. & 3. d. 2. q. 1. ar. 2. q. 1.

2 Præterea, Incarnatio diuina proceſſit ex diuina charitate, vt dicitur Ioan 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. Sed charitas facit vt aliquis ſe communicet amicis, quantum eſt

 poſsi-

poſsibile. Poſsibile autem fuit filio Dei, vt plures naturas hominum aſſumeret (vt ſupra dictum eſt *) &
q.3.ar.7. eadem ratione omnes. Ergo conueniens fuit, quod filius Dei aſſumeret naturam humanam in omnibus ſuppoſitis.

3 Præterea, Sapiẽs operator perficit opus ſuum breuiori via, qua poteſt. Sed breuior via fuiſſet, ſi omnes homines aſſumpti fuiſſent ad naturalem filiationem, quam quod per vnũ filium naturalem multi in adoptionem filiorum adducuntur, vt dicitur Gal. 4. Ergo humana natura debuit â filio Dei aſſumi in omnibus ſuppoſitis.

Sed contra eſt, quod Damaſc. dicit * in lib. 3. quod filius Dei non
li.3.c.11 cir.princ. aſſumpſit humanam naturam, quæ in ſpecie conſideratur: neque enim omnes hypoſtaſes eius aſſumpſit.

Reſpondeo dicendum, quod non fuit conueniens, quod humana natura in omnibus ſuis ſuppoſitis â verbo aſſumeretur. Primo, quia tolleretur multitudo ſuppoſitorum humanæ naturæ, quæ eſt ei connaturalis. Cum enim in natura aſſumpta non ſit conſiderare aliud ſuppoſitũ præter perſonam aſſumentem, vt ſupra dictum eſt *, ſi non eſſet humana
ar.3 huius q. natura niſi aſſũpta, ſequeretur quod non eſſet niſi vnum ſuppoſitum humanæ naturæ, quod eſt perſona aſſumens.

Secundo, quia hoc derogaret dignitati filij Dei incarnati, prout eſt primogenitus in multis fratribus, ſecundum humanã naturam, ſicut eſt primogenitus omnis creaturæ ſecũdum diuinam: eſſent enim tunc omnes homines æqualis dignitatis.

Tertio, quia conueniens eſt, quod ſicut vnum ſuppoſitum diuinum eſt incarnatum: ita vnam ſolam naturã humanam aſſumeret, vt ex vtraque parte vnitas inueniatur.

Ad primum ergo dicendum, quod aſſumi conuenit ſecundum ſe humanæ naturæ: quia ſcilicet nõ cõuenit ei ratione perſonæ, ſicut naturæ diuinæ conuenit aſſumere ratione perſonæ. Non autem conuenit ei ſecundũ ſe, ſicut pertinens ad principia eſſentialia eius, vel ſicut naturalis eius proprietas: per quem modũ cõueniret omnibus eius ſuppoſitis.

Ad ſecundum dicendum, quod dilectio Dei ad homines manifeſtatur non ſolũ in ipſa aſſumptione humanæ naturæ, ſed præcipuê per ea, quæ paſſus eſt in humana natura, pro alijs hominibus: ſecundum illud Roman. 5. Comendat autem Deus ſuã charitatem in nobis: quia cum inimici eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Quod locum non haberet ſi in omnibus hominibus naturã humanam aſſumpſiſſet.

Ad tertium dicendum, quod ad breuitatem viæ, quã ſapiens operator obſeruat pertinet, quod nõ faciat per multa quod ſufficienter poteſt fieri per vnũ. Et ideo conuenientiſsimũ fuit, quod per vnum hominem omnes alij ſaluarentur.

10 CONcluſio eſt, non fuit conueniens quod humana natura in omnib9 ſuis ſupoſitis, ideſt indiuiduis à verbo aſſumeretur, cuius triplex ratio eſt.

Prima, quia tolleretur multitudo ſuppoſitorum, ſiue indiuiduorũ humanæ naturæ, quæ eſt ei connaturalis ſiquidẽ naturæ aſſumptæ vnicũ tantũ eſſet ſuppoſitũ aſſumens.

Secũda eſt, quia per hoc derogaretur dignitati filij incarnati, ſiquidẽ tũc omnes homines eſſent æqualis dignitatis, & conſequẽter filius Dei nõ eſſet primogenitus in multis fratribus ſecũdũ humanã naturã, ſicut eſt primogenitus omnis creaturæ ſecũdũ diuinã, quod tamẽ eſt incõueniẽs.

Tertia eſt, quia conueniẽs eſt vt ſicut vnũ ſuppoſitũ diuinũ eſt incarnatum, ita vnã ſolã naturã humanã aſſumpſerit, vt ſic, ex vtraque parte vnitas inueniretur.

ART.

Digitized by Google

ART. VI.

Vtrum conueniens fuerit quod filius Dei humanam naturam aſſumeret ex ſtirpe Adæ?

AD ſextum ſic proceditur. Videtur, quod non fuerit conueniens, vt filius Dei naturam humanam aſſumeret ex ſtirpe Adæ. Dicit enim Apoſtolus ad Hebr. 7. Talis decebat vt eſſet nobis Pontifex, ſegregatus â peccatoribus. Sed magis eſſet â peccatoribus ſegragatus, ſi non aſſumpſiſſet naturam humanam ex ſtirpe Adæ peccatoris. Ergo videtur, quod non debuerit de ſtirpe Adæ naturam humanam aſſumere.

inf. q. 31. a. 1. & 3. d. 2. q. 1. a. 2. q. 2. & opuſc. 3. c. 224.

2 Præterea, in quolibet genere principium nobilius eſt eo, quod eſt a principio. Si igitur aſſumere voluit humanam naturam, magis debuit eam aſſumere in ipſo Adam.

3 Præterea, Gentiles fuerũt magis peccatores, quam Iudæi, vt dicit Gloſ. * ad Galat. 2. ſuper illud, Nos natura Iudæi, & non ex Gẽtibus peccatores. Si ergo ex peccatoribus naturam humanam aſſumere voluit, debuit eam magis aſſumere ex Gentibus, quã ex ſtirpe Abrahæ, qui fuit iuſtus.

Gl. interl.

Sed contra eſt, quod Luc. 3. Generatio Domini reducitur vſque ad Adam.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut Auguſt. dicit in 13. de Trinitate. * Poterat Deus hominem aliunde ſuſcipere, non de genere iſtius Adæ, qui ſuo peccato obligauit genus humanum. Sed melius iudicauit vt de ipſo, quod victum fuerat genere, aſſumeret hominem Deus, per quem generis humani vinceret inimicum.

** c. 18. in prin. to. 3.*

Et hoc propter tria, Primo quidem, quia hoc videtur ad iuſtitiã pertinere, vt ille ſatisfaciat, qui peccauit. Et ideo de natura per peccatum corrupta debuit aſſumi id, per quod ſatisfactio erat implenda pro tota natura. Secundo, quia hoc etiam pertinet ad maiorem hominis dignitatem, dum ex illo genere victor diaboli naſcitur, quod per diabolum fuerat victum. Tertio, quia per hoc etiam Dei potentia magis oſtenditur, dum de natura corrupta & infirma aſſumpſit id, quod in tantam virtutem, & dignitatem eſt promotum.

Ad primum ergo dicendum, quod Chriſtus debuit eſſe â peccatoribus ſegregatus quantum ad culpã, quam venerat deſtruere, non quantũ ad naturam, quam venerat ſaluare. ſecundum quam debuit per omnia fratribus aſsimilari, vt idem Apoſt. dicit ad Hebr. 2. Et in hoc etiam mirabilior eſt eius innocentia, quod de maſſa peccato ſubiecta, natura aſſumpta tantam habuit puritatem.

Ad ſecundum dicendũ, quod (ſicut dictum eſt *) oportuit eũ, qui peccata venerat tollere, eſſe â peccatoribus ſegregatum, quantum ad culpam, cui Adam ſubiacuit, & quem Chriſtus â ſuo delicto eduxit, vt dicitur Sapien. 10. Oportebat autem eũ, qui mundare omnes venerat, nõ eſſe mundandum: ſicut & in quolibet genere motus, primum mouens eſt immobile ſecundum illum motũ, ſicut primum alterans eſt inalterabile. Et ideo non fuit conueniens, vt aſſumeret humanã naturam in ipſo Adam.

** In ſolut. præced.*

 Ad

Ad tertium dicendum, quod quia Chriſtus maximè debebat eſſe à peccatoribus ſegregatus, quantum ad culpam, quaſi ſummam innocentiæ obtinens: conueniens fuit, vt à primo peccatore vſque ad Chriſtum perueniretur, mediantibus quibuſdam iuſtis, in quibus præfulgerent quædam inſignia futuræ ſanctitatis. Et propter hoc etiam in populo, ex quo Chriſtus erat naſciturus, inſtituit Deus quædam ſanctitatis ſigna, quæ inceperunt in Abraham, qui primus promiſsionem accepit de Chriſto, & circunciſsionem in ſignũ fœderis conſeruandi. vt dicitur Geneſ. 17.

11 Concluſio eſt affirmatiua. Cuius triplicem rationem aſsignat D. Thom. in art.

Prima quia ad iuſtitiã pertinet, vt ille ſatisfaciat, qui peccauit: ac proinde de natura per peccatum corrupta debuit eſſe id per quod ſatisfactio erat implenda pro tota natura.

Secunda, quia hoc pertinet ad maiorem hominis dignitatem vt victor diaboli ex illo genere, naſceretur, quod per diabolum fuerat victum.

Tertia, quia per hoc potentia Dei magis oſtenditur. quod filius Dei de natura corrupta, & infirma aſſumpſerit id, quod in tantam virtutem, & dignitatem eſt promotum. Neque propterea Chriſtus, aut eius humanitas de fuiſſet in Adamo, quia nõ fuit ab illo per communẽ generationẽ ſed ex Virgine cooperante Spiritu ſancto ſuit conceptus.

QVAESTIO V.

De modo vnionis ex parte partium humanæ naturæ, in quatuor articulos diuiſa.

Inf. ar. 2. & q. 14 a. 1. c. & 3. d. 2. q. 1 a. 3. q. 1. c & q. 2. c. & 4. con. c. 29. 30. & 34. prin. & 3. co. ſi & po q. 6. ar. 7. cor. co. 1. & opuſc. 3 c. 213. & 227.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Dei filius debuerit aſſumere verum corpus?

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod filius Dei nõ aſſumpſerit verum corpus. Dicitur enim Phil. 2. quod in ſimilitudinem hominum factus eſt. Sed quod eſt ſecundum veritatem, non dicitur eſſe ſecundum ſimilitudinẽ. Ergo filius Dei non aſſumpſit verũ corpus.

Præterea

2 Præterea, Aſſumptio corporis in nullo derogauit dignitati diuinitatis. Dicit enim Leo Papa in ſerm. de Natiuit. * quod nec inferiorem naturam conſumpſit glorificatio, nec ſuperiotem minuit aſſumptio. Sed hoc ad dignitatem Dei pertinet, quod ſit omnino à corpore ſeparatus. Ergo videtur quod per aſſumptionem non fuerit Deus corpori vnitus.

In ſerm. 1. poſt med. illius: incipit hic ſer. Saluator noſt.

3 Præterea, Signa debent reſpōdere ſignatis. Sed apparitiones veteris Teſtamenti, quæ fuerunt ſigna apparitionis Chriſti, non fuerunt ſecundum corporis veritatem, ſed ſecundum imaginariam viſionem: ſicut patet Iſai 6. Vidi Dominum ſedentem, &c. Ergo videtur quod etiam apparitio filij Dei in mundo, non fuerit ſecundum corporis veritatem, ſed ſolum ſecundum imaginationem.

Sed contra eſt, quod dicit Auguſt. in lib. 83. qq. * Si phātaſma fuit corpus Chriſti, fefellit Chriſtus. Et ſi fefellit, veritas non eſt. Eſt autem veritas Chriſtus. Ergo non fuit phātaſma corpus eius. Et ſic patet, quod verum corpus aſſumpſit.

q. 14. in prin. to. 4.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut dicitur in lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus *, Natus eſt Dei filius, non putatiue, quaſi imaginatum corpus habens, ſed corpus verum.

c. 2. à medio habetur inter opera Auguſt. to. 3.

Et huius ratio poteſt triplex aſsignari. Quarum prima eſt ex ratione humanæ naturæ, ad quam pertinet verum corpus habere. Suppoſito igitur ex præmiſsis *, quod conueniens fuerit filium Dei aſſumere humanam naturam, conſequens eſt, quod verum corpus aſſumpſerit. Secunda ratio ſumi poteſt ex his, quæ in myſterio incarnationis ſunt acta. Si enim non fuit verum corpus eius, ſed phantaſticum ergo nec veram mortem ſuſtinuit, nec aliquid eorum quæ euangeliſtæ de eo narrant, ſecundum veritatem geſsit, ſed ſolum ſecundum apparentiam quandam. Et ſic etiam ſequeretur, quod non fuerit vera ſalus hominis ſubſecuta: oportet enim effectum cauſæ proportionari. Tertia ratio poteſt ſumi ex ipſa dignitate perſonæ aſſumentis: quæ cum ſit veritas, non decuit, vt in eius opere aliqua fictio eſſet. Vnde & Dominus hunc errorem per ſeipſum excludere dignatus eſt, Luc. vlt. Cum diſcipuli conturbati, & conterriti putabant ſe ſpiritum videre, & non verum corpus: & ideo ſe eis palpandum præbuit, dicens, Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.

q. 1. ar. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod ſimilitudo illa exprimit veritatem humanæ naturæ in Chriſto, per modum, quo omnes qui vere in natura humana exiſtunt, ſimiles ſpecie eſſe dicuntur: non autem intelligitur ſimilitudo phantaſtica. Ad cuius euidentiam Apoſtolus ſubiungit, quod factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, quod fieri non potuiſſet, ſi eſſet ſola ſimilitudo phantaſtica.

Ad ſecundum dicendū, quod per hoc quod filius Dei verum corpus aſſumpſit, in nullo eſt eius dignitas diminuta. Vnde Auguſt. dicit in lib. de fide ad Pet. * Exinaniuit ſeipſum, formam ſerui accipiens, vt fieret ſeruus: ſed formæ Dei plenitudinem non amiſit. Non enim filius Dei ſic aſſumpſit verum corpus, vt forma corporis fieret, quod repugnat diuinæ ſimplicitati & puritati. Hoc enim eſſet aſſumere corpus in vnitatem naturæ, quod eſt impoſsibile, vt ex ſupradictis patet *. Sed ſalua diſtinctione naturæ aſſumpſit corpus in vnitatem perſonæ.

c. 2. decli. nan. ad fin. to. 3.

q. 2. art. 1.

Ad tertium dicendum, quod figura debet reſpondere rei, quantũ ad ſimilitudinem, non quantum ad rei veritatem. Si enim ſecundum omnia eſſet ſimilitudo, iam non eſſet ſignum, ſed ipſa res, vt Damaſc. dicit in 3. lib. * conueniẽs ergo fuit, vt apparitiones veteris Teſtamẽti eſſẽt ſecũdũ apparentiã, quaſi figuræ: apparitio autẽ filij Dei in mundo eſſet ſecundum corporis veritatem, quaſi res figurata per illas figuras. Vnde dicit Apoſtolus 2. Coloſ. 2. Quæ ſũt vmbra futurorum, corpus autẽ Chriſti.

lib. 3. c. 26 circa fin.

CONCLVSIO eſt affirmatiua.

ART. II.

Vtrum Dei filius debuerit aſſumere corpus terrenum, ſcilicet carnem, & ſanguinem?

infra q. 35 a. 3. & q. 37. a. 1. c. & q. 54. a. 3. & 3. d. 2. q. 1. art. 3. q. 1. c. et q. 2. c. & 4 con. c. 30. & 34. cor. & opuſ. 3. c. 214.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod Chriſtus nõ habuerit corpus carnale ſiue terreſtre, ſed cœleſte. Dicit enim Apoſtolus 1. ad Cor. 15. Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cœlo cœleſtis. Sed primus homo, ſ. Adã fuit de terra quantum ad corpus, vt patet Geneſ. 1. Ergo etiam ſecundus homo, ſcilicet Chriſtus eſt de cælo, quantum ad corpus.

2 Præterea, Primæ ad Cor. 15. dicitur, Caro & ſanguis regnum Dei non poſsidebunt. Sed regnum Dei principaliter eſt in Chriſto. Non ergo in ipſo eſt caro & ſanguis, ſed magis corpus cæleſte.

3 Præterea, Omne quod eſt optimum, eſt Deo attribuendum. Sed inter omnia corpora nobiliſsimum eſt corpus cæleſte. Ergo tale corpus debuit Chriſtus aſſumere.

Sed contra eſt, quod Domin⁹ dicit Luc. vlt. Spiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Caro autem & oſſa non ſunt ex materia cæleſtis corporis, ſed ex inferioribus elementis. Ergo Corp⁹ Chriſti non fuit corpus cæleſte, ſed carneum & terrenum.

Reſpondeo dicendum, quod eiſdẽ rationib⁹ apparet, quare corp⁹ Chriſti non debuit eſſe cæleſte, quibus oſtenſum eſt *, quod nõ debuit eſſe phantaſticum. *art. præc.*

Primo enim, quia ſicut veritas humanæ naturæ non ſaluaretur in Chriſto, ſi corpus eius eſſet phantaſticum (vt poſuit Manichæus) ita etiam non ſaluaretur ſi poneretur cæleſte, ſicut poſuit Valentinus. Cum enim forma hominis ſit quædam res naturalis, requirit determinatam materiam, ſcilicet carnes & oſſa, quæ in hominis diffinitione poni oportet, vt patet per Philoſoph. 7. metaphor. * **li. 7. tex. 39. to. 3.*

Secundo, quia hoc etiam derogaret veritati eorum, quæ Chriſtus in corpore geſsit. Cum enim corpus cæleſte ſit impaſsibile, & incorruptibile (vt probatur in primo de cælo *) ſi filius Dei corpus cæleſte aſſumpſiſſet, non vere eſuriſſet, nec ſitiſſet, nec etiam paſsionem, & mortum ſuſtinuiſſet. *lib. 1. tex. 20. to. 2.*

Tertio etiam derogat veritati diuinæ. Cum enim filius Dei ſe hominibus oſtenderit, quaſi corpus carneũ & terrenũ habens, fuiſſet falſa demõſtratio, ſi corpus cæleſte habuiſſet. Et ideo in lib. de Eccleſiaſt. dogma-

Digitized by Google

dogmatibus dicitur *, Natus eſt Dei filius ſecũdum carnem ex Virginis corpore trahens, & non de cœlo ſecum afferens.

c. 2. à medio to. 3. inter opera Auguſt.

Ad primum ergo dicendum, quod Chriſtus dicitur de cœlo deſcẽdiſſe dupliciter. Vno modo ratione diuinæ naturæ: non ita quod natura diuina in cœlo eſſe deſierit, ſed quia in infimis nouo modo eſſe cœpit, ſcilicet ſecundum naturam aſſũptam, ſecundum illud Ioan. 3. Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcẽdit de cælo filius hominis, qui eſt in cælo. Alio modo ratione corporis: non quia ipſum corpus Chriſti ſecundum ſuam ſubſtantiam de cælo deſcenderit, ſed quia virtute cæleſti, id eſt Spiritu ſancto, eſt eius corpus formatum. Vnde Auguſt. dicit ad Oroſium *, exponens auctoritatem inductam, Cæleſtem dico Chriſtum: quia non ex humano conceptus eſt ſemine. Et hoc etiam modo Hilarius exponit in lib. de Trinitate. *

In dial. 65 q. q. 4. à medio illius to. 4.

lib. 10. de trin. ante med. ad ſenſum.

Ad ſecundum dicendũ, quod caro & ſanguis non accipiuntur ibi pro ſubſtantia carnis & ſanguinis, ſed pro corruptione carnis & ſanguinis. Quæ quidem in Chriſto non fuit quantum ad culpam: fuit tamen ad tempus quantum ad pœnam, vt opus noſtræ redemptionis expleret.

Ad tertium dicendum, quod hoc ipſum ad maximam Dei gloriã pertinet, quod corpus infirmum, & terrenum ad tantam ſublimitatem prouexit. Vnde in Epheſina ſynodo legitur verbum ſancti Theophili dicentis, Qualiter artificum optimi non in pretioſis tantum materiebus artem oſtendentes, in admiratione ſunt; ſed viliſsimum lutum & terrã diſſolutam plerumque aſſumentes, ſuæ diſciplinæ demonſtrantes virtutem, multo magis laudantur: ita omnium optimus artifex Dei verbum, non aliquam pretioſam materiam corporis cæleſtis apprehendẽs, ad nos aduenit; ſed in luto, magnitudinem ſuæ artis oſtendit.

CIrca hos duas articulos, in quib⁹ D. Thom determinat filiũ Dei aſſumpſiſſe corpus eiuſdem rationis cum noſtro, & cum omnibus ſuis partibus, tria dubia examinari ſolent à Theologis.

Primum eſt. An aſſumpſerit verum corpus terrenum, & carneum?

Secundum. An aſſumpſerit ſanguinem cum alijs tribus humoribus?

Tertium eſt. An aſſumpſerit Spiritus vitales, & animas, & alias partes ignobiliores, vt vngues, & capillos, & illam particulã quæ Chriſto per circũciſsionẽ fuit ablata?

Ad quæ ſuo ordine eſt reſpondendum.

12 AD primum igitur dubium vt reſpondeamus ſciendum eſt, duos fuiſſe olim errores in Eccleſia.

Quorum primus fuit Martionis aſſerentis Chriſtum habuiſſe non verũ, ſed tantum aparens, & phantaſticum corpus, vt referunt Ireneus lib. 1. contra hæ-

reſes cap. 29. Tertulianus de carne Chriſti, Auguſtinus de hæreſibus cap. 22. & Epiphanius hæreſi 47. eundem errorem poſtea ſequutos fuiſſe Manicheos, & Priſcilianiſtas, teſtantur Auguſtinus lib. de hæreſibus cap. 66. & Epiphanius hæreſi 66. & Leo primus epiſt. 93. Quorum fundamenta aducit, & ſoluit Diuus Thomas lib. 4. cõtra gẽtes cap. 29. hiſq; duobus principijs omnia initebãtur: nimirũ, quia putabant omne corpus eſſe à malo principio, ac proinde malum, & putabant omne corpus carneum ſordibus vteri muliebris coinquinari, ac per conſequens indignum, vt à Deo aſſumeretur.

Secundus error fuit Valentini aſſerentis Chriſtum verum corpus ex cœleſti materia atuliſſe, & nihil de Beata Virgine accepiſſe, ſed per eam tantum tranſiuiſſe, vt referunt prædicti patres in locis citatis, & D. Thom. 4. contra gentes cap. 30. Cuius partis primum fundamentum deſumebatur ex Pau. 1. ad Cor. 15. appellante Chriſtum hominem cœleſtem.

Corpus Chriſti fuiſſe carneũ catholica fides contra ſectarios profitetur.

13 Sed contra hos errores ſtatuitur Catholica veritas pro concluſione, quod corpus Chriſti, neque fuit aparens, neque cœleſte, ſed verum, & carneũ eiuſdem rationis cum noſtro.

Et pro prima parte probatur, quia eſt diffinita in Concilio Alexandrino contra Neſtorium in epiſtola 10. Cyrilli, & in Concilio Epheſino can. 1. & 5. & in Hiſpalenſi 2. can. 13. Toletano 11. in cõfeſsione fidei Bracarenſi can. 4. Lateranẽſi ſub Innocentio 3. & habetur in cap. *firmiter*, de ſumma trinitate.

Secundo probatur ex teſtimonijs Scripturæ, in quibus aſſeritur Chriſtum corporaliter natum, circunciſum, paſſum, & crucifixum, & à mortuis ſuſcitatũ, quæ omnia falſa eſſent, ſi Chriſtus non haberent verum corpus, quod & illa pateretur, & poſt mortem reſurgeret: ergo.

Tertio probatur argumento Auguſtini lib. 83. quæſtionum quæſt. 14. & Ambroſ. ſuper Lucæ c. 23. quia Chriſtus eſt ſumma veritas, quæ proinde nos fallere non potuit: fefeliſſet autem ſi verum corpus non habuiſſet quando dixit, *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*: & quando dixit: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*: ergo.

Dices huic argumento: Chriſtum abſque eo quod nos deciperet potuiſſe apparens corpus afferre: quia etiam Angeli in lege veteri in corporibus phãtaſticis aparuerũt, & hominibus loquti ſunt, quos tamen non deceperunt.

Sed hæc ſolutio non eneruat vim argumenti facti, propter duo. Tum, quia Angeli licet loquerentur hominibus in corporibus aſſumptis, non tamen dicebãt ſe eſſe veros homines: Chriſtus autem hominibus loquens in corpore aſſumpto dicebat ſe eſſe verum hominem, in quo falſum diceret niſi eius corpus verum eſſet.

Tum etiam, quia corpora olim aſſumpta ab Angelis aparentia dumtaxat congruebant ſtatui illius legis, quæ vmbratica erat, & ideo in illa Deus loquebatur hominibus per vmbras, & figuras, ac proinde per Angelos in corporibus aparentib⁹: nouiſsime autem, ideſt in lege gratiæ in qua vmbræ, & figuræ ceſſarunt, Deus loquutus eſt nobis in filio, vt inquit Paulus ad Hebr. 1. ac proinde contra legis huius veritatem eſſet Chriſtum, loqui in corpore aparẽti. Sed obijci ſolet pro iſtis hæreticis, teſtimonium illud Pauli 2. ad Corinth. 5. *Et ſi cognouimus ſecundum carnem Chriſtum, ſed nunc iam non nouimus*: quaſi ſẽſus ſit vt volebat Fauſtus Mancheus, & ſi putauerimus aliquando Chriſtum habuiſſe veram carnem: nunc autem non putamus: ſed nihil tale ſignificat Apoſtolus: legitimus enim ſenſus eſt iuxta Auguſtinum lib. 11. contra Fauſtum cap. 7 noueramus Chriſtum in carne mortali, paſsibili, & infirma, antequam reſurgeret, ſed nũc iam non nouimus, quia Chriſtus reſurgẽs ex mortuis iam non moritur mors illi vltra non dominabitur, vt dicit idem Apoſt. ad Rom. 6. quem ſenſum cum verbis antecedentibus cohærentem eſſe conſtat, ex eo quod loquebatur ibi de ſtatu electorũ quem poſt reſurrectionem habebunt quaſi nunc eſſent præſens propter ſpei certitudinem, & ſic nullum electorum nouimus ſecundum carnem mortalem, & corruptibilem attento tempore, quod poſt reſurrectionem erit, quia certi ſumus de illorum futura tunc in corruptione, & immortalitate. Eãdem expoſitionem ſequitur Chriſoſt. & Cyrill. in 7. ſynodo generali actione 6. citati, & Leo Papa ſerm. 1. de Reſurrectione, ipſeque D. Thom. infra quæſt. 57. art. 6. & in commentario huius loci, vbi etiam habet aliam expoſitionem accipiendo, ſcilicet nomine carnis, non carnẽ ipſam, ſed carnis affectum, ita vt dicat Paul. in perſona aliorum Apoſtol. & ſi

aliquan-

Digitized by Google

aliquando adhæſimus Chriſto ſecundum perſonam corporalem, ſed nunc iam non nouimus, ſcilicet iam non adhæremus ei per carnis affectum, quæ expoſitio etiam conſonat contextui, in quo præmiſſerat Paul. itaque nos ex hoc neminem nouimus ſecundum carnem, ideſt ſecundum carnis affectum, &c.

Necnō eſſe corpus eius dē rationis cum noſtro

14 Deinde pro ſecunda parte, probatur noſtra concluſio aduerſus errorem Valentini, quia Catholica veritas docet Corpus Chriſti eſſe eiuſdem rationis cum noſtro, & eſt diffinita in Concil. Calcedonenſ. action. 7. & Cartaginenſ. 4. cap. 1. & in Concilijs ſupra citatis.

Probatur etiam ex eiſdem teſtimonijs Scripturæ, in quib⁹ aſſeritur Chriſtum fuiſſe verum hominem, eo quod humanitas non conſiſtit ſine carne, & ſanguine, quibus conſonat illud ad Roman. 1. *Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid, ſecundum carnem*, ad Galat. 4. *Miſit Deus Filium ſuū factum ex muliere*, & 2. Ioan. 1. *qui non confitetur Ieſum Chriſtum veniſſe in carne eſt ſeductor.*

Et tandem probatur, quia ſi corpus Chriſti eſſet cœleſte, falſæ forent genealogiæ Chriſti per Euangeliſtas recitatæ; falſum quoque eſſet illud dictū Chriſti Luc. vltimo: *Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet ſicut me videtis habere*: falſa denique eſſet eius Paſsio, & Reſurrectio.

Ad teſtimonium autem adductum per Valentino: Reſpondet D. Tho. hic ad primum, quod Chriſtus dicitur homo cœleſtis, duobus modis. Primo ratione diuinæ naturæ, ſiue perſonæ. Secundo ratione corporis, non quia ipſum corpus, ſecundum ſuam ſubſtantiam de cœlo deſcenderit: ſed quia virtute cęleſti, id eſt, Spiritu ſancto eſt formatum; quam expoſitionem deſumpſit ex Auguſtino epiſtola ad Oroſium, & Hilar. lib. 11. de Trinitate, & Ambroſ. in commentario eiuſdē loci, Pau. Tertio poteſt dici, cęleſtis quia non habuit animam ſubiectam peccato, ſic Beda ibidem, & Tertullian. lib. de carne Chriſti, cap. 8. & tandem Quarto, quia ab inſtanti ſuæ Conceptionis habuit in anima beatitudinem, quæ eſt vita cœleſtis. Sic interpretātur Tertullianus lib. de reſurrectione carnis cap. 49. Chryſoſtomus homilia 47. in primam epiſtolam ad Corinthios, & Auguſtinus, libro tertio de Trinitate capite 22.

15 CIRCA ſecundum dubiū tres verſantur ſententiæ Theologorum, duæ extremæ, & alia media; quarum prima negat ſanguinem, fuiſſe vnitum hypoſtatice Verbo diuino, & idem negat de alijs tribus humoribus; quam ſequti fuerunt Maironius in 4. diſtinct. 43 & Gabriel ſuper canon, lection. 53. & ſupplementum Gabrielis in eodem 4. diſtinction. 44. quæſtion. 1. & Durandus diſtinction. 11. quæſtion. 1. & eandem ſententiam ex parte, ideſt quantum ad ſanguinē ſeparatum à Chriſto in triduo mortis tenet Abulenſis paradoxa 2. capit. 43 & Richard. in 3. diſtinction. 2. art. 2. quæſtion. 1.

Quorum fundamenta ad hæc tria reduci poſsūt, primum eſt Durandi deſumptum ab inconuenientibus, quæ ſequuntur ex oppoſita ſententia: nimirum quod propter communicationē idiomatum, Deus eſſet ſanguis, & quod eſſet effuſus, & terra permixtus ſicut fuit ſanguis in Paſsione, & quod eſſet multa entia, & vt ſunt quatuor humores; quæ tamē nō ſunt admittenda: ergo. Cōſequentia patet, nam ob vnionem hypoſtaticā humanæ naturæ cum diuina, datur communicatio idiomatū, per quam ea, quæ ſunt hominis dicuntur de Deo, & è contra, & De⁹ dicitur homo, & homo dicitur De⁹: ergo ſi ſanguis cum alijs humoribus vnitus fuit perſonaliter Deo, prædictæ propoſitiones, pariformiter admittendæ ſunt.

Secundum fundamentum deſſumit Durandus ex illo axiomate communiter à Theologis recepto, & vſurpato à Damaſceno lib. 3 de fide cap. 27. nimirum; quod ſemel aſſumpſit numquam dimiſsit, ſed multę guttæ ſanguinis Chriſti manſerunt in terra ſeparatæ à Verbo diuino: etiam poſt reſurrectionem: ergo ſignum euidens eſt, illas nunquam ei fuiſſe vnitas perſonaliter.

Minor patet ex hiſtorijs, quæ de guttis ſanguinis Chriſti in terra manentibus, a viris fide dignis, ad augendam populi Chriſtiani deuotionem ſcriptæ ſunt, quas referunt directorium inquiſitorum 2. p. cap. 10. & Silueſter in roſa aurea tractatu 3. q. 30. & 31. vt eſt illa de ſanguine, qui in ampulla vitrea ſanctæ Mariæ Magdalenæ apud Eccleſiam ſancti Maximini conſeruatur; & alia mentionem faciens de

ſanguine qui Mantuæ à Longino delatus in Eccleſia Sancti Andreæ cuſtoditur, & fauet Bulla Pij II. edita anno M.CCCC.LXI. vbi Pontifex diffinit non eſſe contra fidẽ, quod aliqua pars ſanguinis Chriſti apud nos remanſerit: ergo.

Tertium fundamentum eſt, alio rum; deſumptum ex eoquod neque ſanguis, neque alij humores videantur eſſe partes humani corporis, rationali anima informati: ſolum enim humanitas cũ his partibus fuit aſſumpta in vnitatem diuinæ perſonæ: ſed ſanguis non eſt pars humanæ naturę: ergo non fuit aſſumptus &c.

Maior ſupponitur: & minor probatur tripliciter. Tum quia Philoſophus lib. 2. de partibus animalium cap. 3. & 10 docet ſanguinem non eſſe partem animalis, ſed vltimum eius alimentum; & ob eã dem rationem, ait lib. 3. cap. 5. ſanguinẽ eſſe materiam totius corporis, quia ſcilicet eſt in potentia ad totum, eſſe irriguũ per venas, per quas deriuatur in totum corpus, ſicut aqua ducitur per ſulcos, & riuulos in plantas, & olera; vt ſic ſit ſanguis alimentum corpori, ſicut aqua eſt alimentum plantis, & oleribus: alimentum autem ante conditionem eſt diuerſæ naturæ à corpore in quod conuertitur; alio quin nutritio, qua forma alimenti corrumpitur, & adquiritur forma aliti non eſſet ſubſtantialis tranſmutatio, quod eſt contra eundem Philoſophum lib. 1. de generatione text. 29. & lib. 2. de anima text. 45. ergo.

Tum etiam quia videtur expræſſa ſententia Diu. Thomæ in duobus locis, videlicet 1. part. quæſtion. 119. artic. 1. ad 3. vbi diſtinguens humidum radicale ab humido nutrimentali, quod eſt ſanguis; ait in illo ſaluari naturã ſpeciei: ſecus vero in iſto quod tantum eſt in via, & potentia ad ſpeciem, & in hac 3. part. quæſt. 31. art. 5. ad 1. ait propterea Verbum diuinum ſumpſiſſe humanitatem de ſanguine Virginis, non de carne, aut de oſſe neminueret illius naturam auferẽdo idquod actu erat pars humanitatis ipſius, ſed de ſanguine qui nondum erat actu pars.

Tum denique, quia ſanguis continuo motu exit à corpore humano in terram ciſſa vena: ergo eandem ſubſtantialẽ formam retinet in toto illo decurſu ab humano corpore, vſque ad terram: alioquin continuitas motus diſſolueretur: tunc vltra: ſed perſpicuum eſt, illum in terra aut vaſe non informari anima rationali: ergo neque in humano corpore hac anima informabatur.

16 Secunda ſententia aſſerit totum ſanguinem cum reliquis humoribus, fuiſſe immediate vnitum Verbo hypoſtatice, licet neque ſit pars viuẽs humani corporis, neque informaretur anima rationali, quam tuentur Capreolus in 4. diſtinct. 10. quæſt. 2. ad quartum, contra primam Soto ibidem quęſtion. 1. artic. 2. & Vazquez diſputat, 36. cap. 4.

Prima pars, huius ſententiæ probatur ab his auctoribus tripliciter. Primo quia concilia, & Partes abſolute docent ſanguinem vnitum eſſe Verbo hypoſtatice, nulla facta diſtinctione ſanguinis, neque ex eorũ Verbis talis diſtinctio colligi poteſt; vt ex concluſione prima patebit: ergo qua certitudine habetur aliquem ſanguinem vnitum eſſe, eadem tenendum eſt idem de toto ſanguine.

Secundo quia totus ſanguis pertinet ad integritatem naturæ continuus, & in uenis contentus, licet non ſit pars humani corporis quæ verè informaretur eadem anima, ergo totus fuit aſſumptus à Verbo.

Tertio, quia ſub ſpeciebus vini in Euchariſt. eſt totus ſanguis Chriſti, & Verbum per concomitãtiã, ſi autem non eſſet totus ſanguis vnitus Verbo hypoſtatice, neque Verbum eſſet per concomitãtiã in omni particula, ſiquidem non eſſet in illa, vbi ſunt accidẽtia illi9 ſãguinis, qui non eſt vnitus Verbo hypoſtatice, hoc tamen eſt inconueniens: ergo. Secunda autem pars huius ſententiæ probatur a ſuis auctoribus, argumento tertio facto pro prima.

17 Tertia ſententia aſſerit ſanguinem fuiſſe vnitum hypoſtatice Verbo, & vere eſſe partem integralem humanæ naturæ informarique anima rationali quãtũ ad gradum vitę vegetatiuæ, hanc tuentur Caietan. hic, & inf. quæſtion. 54 art. 2. Medin. in hoc artic. Suar. diſputat. 15. ſection. 6. Valentia punto 2. Nazar. controuerſ. vnic. parte 1. & 2. & Aluar. diſputat. 28. & Sylu. in expoſitione art. & Sylueſter in roſa aurea quæſtione citata. Idemque de alijs tribus humoribus, docent iſti auctores, qui tamen in duos modos dicendi diuiduntur: Caietan. enim,

Digitized by Google

nim, & Sylueſt. quibus ſubſcribunt Nazar. & Aluarez diſtinguunt duplicẽ ſanguinem, quaſi æquiuoce nomine ſanguinis ſignificatũ, vnũ quidẽ, qui eſt decoctꝰ, & propterea eſt actu pars corporis humani ad eius integritatem pertinens.

Alterum vero imperfectum, & non plene decoctum qui neque eſt actu pars humanæ naturæ, neque habet formã & ſpeciem ſanguinis, ſed ad eam tendit per actionem caloris illum continue trãſmutantis, & dicitur propterea à Caiet. ſanguis nutrimentalis. Qua ſuppoſita diſtinctione aiunt iſti auctores primum ſanguinem proprie, ſcilicet, & abſolute dictum fuiſſe Verbo diuino perſonaliter vnitũ, non vero ſecundum, ſcilicet nutrimentalem, minus proprie ſanguinẽ dictum. Suarius vero cũ alijs iunioribꝰ ab hac abhorrens diſtinctione illam reprobat, vt abſurdam, & parum tutam in fide, & conſequẽter aſſerit totum ſanguinem, abſque vlla diſtinctione fuiſſe vnitum Verbo diuino hypoſtatice, propter argumenta facta ab auctoribus ſecundæ ſententiæ, cum quibus in hac parte conſentiunt auctores huius ſecundi modi dicendi. Sed quia hæc ſententia iuxta modum, quo defenditur à Caietan. & Sylueſt. eſt Diu. Thomæ conformior pro eius explicatione.

Aliquẽ ſanguinẽ fuiſſe vnitũ immediate Verbo diuino certum eſt.

18 Dico primo. Certum eſt aliquem Chriſti ſanguinem fuiſſe immediate vnitum Verbo ſecundum hypoſtaſim. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus auctores primæ ſententiæ, tanquam certa ſecundum fidem.

Et probatur primo, quia Pius Secundus, & Clemens Sextus relati à Silueſtro vbi ſupra condemnarunt quemdã Doctorem Barcinonenſ. eo quod aſſereret ſanguinem Chriſti, quem in Paſsione fuderat fuiſſe à diuinitate ſeparatũ, diſinieruntque humanũ ſanguinem fuiſſe Verbo hypoſtatice vnitum, quorum Pontificum diffinitiones fundamentum habent in Scriptura, & Patribus, ex quorum teſtimonijs prædicti Pontifices motiuum deſumpſerunt difiniendi huiuſmodi veritatem. In Scriptura enim nomine carnis, & ſãguinis ſignatur integra humanitas, vt Matth. 16. *Caro & ſanguis non reuelabit tibi*, ideſt homo, ad Epheſ. 6. *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem*, ideſt aduerſus homines, & ad Hebr. 2. *Quia pueri communicauerunt carni, & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit eiſdem*, quaſi diceret Paulus propterea Chriſtum habere carnem, & ſanguinem, quia eſt eiuſdem naturæ cum alijs hominibus qui cõmunicãt carni, & ſanguini, & propterea in Concil. Epheſin. can. 5. dicitur, anathema neganti quod Verbum incarnatum communicauerit ſimiliter vt nos carni, & ſanguini: & in ſexta ſynodo general. action. 7. dicitur Verbum aſſumpſiſſe carnem, & ſanguinem, & ſimiliter Cyrill. epiſtol. 8. quæ habetur in Concil. Epheſin. & approbatur in Calcedonenſ. actu 1. ait idem eſſe Verbum fieri carnem & ſanguinem, atque participare carni, & ſanguini, & eodem modo loquendi vtitur Cyrill. in epiſtol 10. & in lib. de recta fide ad Reginas cap. 56. & lib. de incarnatione vnigeniti cap. 11. Nazianzen. orat. 50. Leo Pap. epiſtol. 10 Epiph. hæreſ. 77. & Beda ſuper cap. 20. actuum ad illa verba, *quam acquiſiuit ſanguine ſuo*.

Secundo probatur, quia Chriſtus vniuit ſibi humanitatem perfectam, & integram, vt non ſolum verus, ſed etiam integer homo eſſet, ſed ſanguis, ſiue ſit pars quæ informaretur anima rationali, ſiue non, de quo ſtatim feremus iudicium tamen pertinet ad integritatẽ, & perfectionem naturæ animalis, propterea enim dicitur Leuitic. 17. *anima carnis*, ideſt vita *in ſanguine eſt*, quia dependenter maxime ab illo non ſolum tanquam à nutrimẽto, nã iuxta communẽ Theologorũ ſententiam in 4. diſtinction. 44. ſanguis erit in corporibus glorioſis in quibus tamen non deſeruiet nutritioni, ſed quia eſt ſedes caloris animalis ad vitam conſeruandam neceſſarij, & eſt vehiculum ſpirituũ vitalium per concomitantiam cum arterijs, in quibus radicantur, quos medici dicunt eſſe ad vitam, & ſenſationem neceſſarios, & propterea ſubito deficit homo per ſanguinis ſolam emiſsionem: ergo.

19 Tertio probatur, quia ſanguis Chriſti fuit infiniti prætij, non ſolũ quia fundebatur à perſona infinita, ſicut ab ea emittebantur lacrymæ, vel dabantur eleemoſynæ, ſed etiam ſecundum ſe propter Verbum ipſi hypoſtatice vnitũ: ergo intentum: antecedens probatur dupliciter: tum quia Scriptura, aliquid peculiari attribuit ſanguini in ratione prætij noſtræ redemptionis, quod non attribuit lacrymis, aut eleemoſynis, vt ad Epheſ. & ad Coloſſenſ. 1. ad Roman. 2.

ad

Digitized by Google

ad Hebr. 9. & 1. Petri 1. & Apoc. 1. Tũ etiam quia Clemens VI. in extrauagant. *vnigenitus* de pœnitentijs, & remiſsionibus aſſerit, quod modica gutta ſanguinis effuſi in Ara Crucis propter vnionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis ſuffeciſſet, vbi non loquitur de vnione totius humanitatis, ſed ſpecialiter de vnione ſanguinis ad Verbum: ergo.

Quarto probatur, quia Verbum diuinum non minus eſt per concomitantiam ſub ſpecie panis, quam ſub ſpecie vini, ſed ſub ſpecie panis eſt propter vnionem hypoſtaticam cum carne: ergo ſimiliter ſub ſpecie vini eſt propter vnionem hypoſtaticam cum ſanguine.

Sed nõ ille qui non eſt actu pars humani corporis.

20 Dico ſecundo. Aliquis ſanguis, licet minus proprie ſignatus nomine ſãguinis, ſicut nec eſt pars integralis humanæ naturæ, ita nec fuit vnitus Verbo hypoſtaticè totus tamen ſanguis proprie dictus ſicut eſt actu pars humanæ naturæ ita fuit vnitus Verbo hypoſtaticè. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus auctores, tũ ſecundæ ſententiæ, tum etiam ſecundi modi defendendi tertiam.

Et pro prima parte probatur: tum quia eſt expræſſa Diu. Thom. in 4. diſtinction. 44. quæſt. 1. artic. 2. quæſtiuncula 4. & quodlibet. 5. artic. 5. vbi ſic habet; & quamuis circa ea quæ ſunt de veritate humanæ naturæ ſit diuerſa, diuerſorum opinio, ſecundum quamlibet opinionem nõ totus ſanguis nutrimentalis, ideſt, qui ex cibis generatur, pertinet ad veritatem humanæ naturæ. Cum ergo Chriſtus ante Paſsionem comederit, & biberit nihil prohibet in eo fuiſſe aliquem ſanguinem nutrimentalem, qui ad veritatem humanæ non pertinet, & quidem nec opporteret corpus eius in Reſurrectione redire, &c.

Ex quibus verbis iam conſtat diſtinctionem de ſanguine nutrimentali, & perfecto, ſiue pertinente ad integritatem humanæ naturæ, non fuiſſe à Caietano, & Sylueſtro inventam, ſed ex Diu. Th. deprõptam, imò fuiſſe Ariſtotel. colligit Bañes lib. 1. de generatione capit. 4. quæſt. 8. artic. 5. propterea quod lib. 3. de motibus animalium cap. 5. ait ſanguinem aliquando ex naturali cauſa, exſudari quod de nutrimentali intelligi debet.

Secundo probatur, quia cibus virtute caloris naturalis alteratus mutatur in ſanguinem imperfectum qui licet ſanguinis formam, & ſpeciem nõ habeat antequam recipiatur in iecore ſecundum medicos, vel in corde ſecundum Ariſtotel. tamen in colore, & alijs accidentibus habet cum ſanguine ſimilitudinem, vtpote cum ſit humor nutrimentalis iam in ſanguinem proxime conuertendus: ergo licet huiuſmodi humor nutrimentalis conſideratus in hoc ſtatu, quaſi medio inter formam cibi, & vltimam ſanguinis formam poſsit propter dictam ſimilitudinem, & affinitatem appellari ſanguis minus proprie, & cum aditamento, ſcilicet nutrimentalis, qui proinde cum nondum ſit pars integralis humanæ naturæ, neque in Chriſto debuit vniri Verbo hypoſtatice, ſicut neque ob eandem rationem admittunt Theologi: Verbum vnitum fuiſſe perſonaliter ſudori, lacrymis, & ſaliuæ, quæ cum ſint excrementa, quæ non pertinent ad integritatem illius, neque proinde erunt in Corporibus glorioſis.

21 Tertio probatur, quia vt tradunt Medici, alij tres humores, ſcilicet, pituita, colera, & melancholia ſunt intra venas ſanguini admixti, per quãdam iuxta poſitionem, & virtute caloris naturalis quidam ex illis conuertuntur in ſanguinem, & in medio huius tranſmutationis poteſt talis humor dici ſanguis, eo quod iam afficitur aliquibus accidentibus ſanguinis antequam eius perfectam formam aſſequatur: ergo ſimiliter quando cibus ſucceſsiue tranſmutatur in ſanguinem poteſt in medio tranſmutationis dici ſãguis nutrimẽtalis: eo quod aliquibus accidentibus ſanguinis afficiatur, licet cum hoc diſcrimine, quod nutrimentalis ſanguis ex humore intra venas confectus, iam eſt pars humanæ naturæ, & proprie informatur anima rationali, quamtũ ad gradum vegetabilem: ſecus verò ſanguis ille nutrimentalis ex cibis immediate confectus.

Deinde pro ſecunda parte concluſionis probatur primo: quia licet magis certum ſit ſanguinẽ perfectum, & proprie dictum fuiſſe vnitum Verbo perſonaliter, quam illum eſſe partem integralem humani corporis. Cum prima propoſitio ſit de fide. Secunda vero tantum eſt in Philoſophia probabilis certa: atque adeò veritas primæ ſal-

ua con-

ua conſiſtere poteſt, abſque ſecūda, & de facto creditur illa à negantibus iſtam; tamen melius ſaluatur in hac ſententia fundamentum quod Pontifices habuerūt ad diffiniendam veritatem fidei, deſumptum ex Scriptura, Concilijs, & Patribus, eo-quod eſt, modo loquendi eorum conformior: ergo tenenda eſt.

Secundo, quia eſt conformior decreto Concilij Tridentini, ſeſsion. 13. capit. 3. vbi poſtquam Partes Concilij decreuerant Corpus Chriſti ſub ſpecie panis, & ſanguinē ſub ſpecie vini, ex vi Verborum contineri; ſtatim ſubdunt in hæc verba: *Ipſum autem Corpus ſub ſpecie vini, & ſanguinem ſub ſpecie panis, animamque ſub vtraque, vt naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini qui iam ex mortuis reſurrexit, non amplius moriturus, inter ſe copulantur*, &c. Quibus denotātur ſanguinem eſſe partē corporis Chriſti Dn̄i, ſiquidem cū alijs copulatur ex vi connexionis, qua partes eiuſdē corporis inter ſe ſolent copulari. Idem habet Diu. Thom. in duobus locis ſupra citatis ex 4. diſtinction. 44. & ex quodlibeto 5. & in hoc art. inquirit an Verbum aſſumpſerit corpus terrenum, ſcilicet carnem & ſanguinem, quaſi conſtans ex carne & ſanguine, tanquam ex partibus, & expræſius hoc habet infra quæſtion, 54. art. 8. & quæſtion. 76. articul. 2. ſequutus Philoſophū qui ſanguinem eſſe partem animalis, eamque ſimilarē expræſsit lib. 1 de hiſtoria animalium cap. 1. & lib. 3. capit. 19. ſubdit: eum quamdiu vita ſeruatur animari, & feruere, & idem habet lib. 2. de partibus animalium, c. 2.

Pariter de alijs tribus humoribus dicendū eſt.

22 Dico tertio. Eadem ratione qua ſanguinis. etiam alij tres humores, vniti fuerunt perſonaliter Verbo diuino. Hæc cōcluſio cōmuniter recipitur ab auctoribus tertiæ ſententiæ. Et probatur primo, quia teſte Diu. Thom. in 4. diſtinctione citata quæſtione 1. art. 2. quæſt. 3. omnes quatuor humores in homine perficiuntur, ideſt, informantur anima rationali, & ſunt actu partes humani corporis, licet alias ſint in potētia ad alias partes perfectiores, & ſolidiores: *Sicut elementa ſunt in via generationis* (ait ſanctus Doctor:) *reſpectu corporis mixtorū, quia ſunt eorū materia, non autem ita quod ſemper ſint in tranſeūdo in corpore mixto, ita & humores ſe habent ad mēbra, & propter hoc ſicut elementa in partib⁹ vniuerſi, habēt formas determinatas à natura ratione quarū ſūt in partib⁹ vniuerſi, ſicut corpora mixta: ita & humores ſunt de perfectione corporis humani, ſicut & aliæ partes*, &c. & ſtatim ſubdit: *ita etiam humores, aliquo modo perficiuntur ab anima rationali, non tamen eodem modo ſicut partes perfectiores*, hæc D. Thom. ex quibus patet quod non minus alij tres humores ſunt partes humanæ naturæ quam ſanguis: ergo ſi propterea Verbū aſſumpſit ſanguinem, quia aſſumpſit integram humanam naturam, eadem ratione debuit aſſumere, tres alios humores.

Secundo probatur, ex decretali Innocentij III. *in quadam*, de celebratione miſarum, vbi ſatis perſpicue hæc veritas fuit diffinita, ſub his verbis: *Cum autem ad compoſitionem humani corporis quatuor elementa concurrant, videlicet, terra, aqua, aër, & ignis, & ad vegetationem eiuſdem corporis quatuor humores conſimiles illis, videlicet ſanguis, cholera, flegma, & melancholia, vt veritatem humani corporis expræſius demōſtraret, vnum ex illis, & vnum ex iſtis Ioannes expreſsit. ex elementis aquam, & ex humoribus ſanguinem*, &c.

23 Ad primum pro prima ſententia, aliqui ex auctoribus ſecundæ ſententiæ, reſpondent admittendo illam cōmunicationem idiomatum, nullumque reputant inconueniens illas propoſitiones concedere. Sed verior ſolutio eſt aliorum qui talem idiomatum communicationem non admittunt inter Verbum, & naturas partiales, ſeu incompletas, de quarum numero eſt ſanguis etiam ſi propria gaudeat forma ſubſtantiali, quemadmodum enim Verbum aſſumens caput, pedem, & animam; non appellatur caput, pes, aut anima, ita neque appellari debet ſanguis, licet illum aſſumpſerit, & quemadmodū, neque caput dicitur Deus, ſed Dei habentis illud, ita neque ſanguis dici debet Deus: ſed Dei habentis illum.

Minus autem dici poteſt, aut debet Deus, effuſus, ſparſus, terræ commixtus, aut multa entia; ſicut dicitur deſcendiſſe ad inferos, ratione vnius partis, ſcilicet animæ: nam effundi, miſceri, & diuidi in plura fragmēta conueniunt ſanguini quatenus eſt pars à toto diuiſa, & quæ talia ſunt, non poſſunt de ſuppoſito prædicari, ſicut neque de toto. Deſcenſus autē non competit animæ quatenus eſt à toto diuiſa, ſiquidem indifferenter, & parti, & toti poteſt cōuenire, & quæ talia ſunt poſ-

ſunt

ſunt congruenter de ſuppoſito prædicari: de qua ſolutione videndus eſt Diu. Thomas, infra quæſtione 50. articulo 3. ad tertium.

Ad ſecundum reſpondetur dupliciter. Primo negando minorem: ad cuius probationem vno ex duobus modis dicẽdum eſt, vel quod totus ſanguis in Paſsione effuſus, & in reſurrectione verè aſſumptus fuit, & Verbo vnitus ſemper manſit alioquin ſi in triduo quis conſecraret nõ fuiſſet Verbum diuinum per concomitantiam ſub ſpeciebus vini quod tamẽ non eſt admitendum.

Neque huic ſolutioni obſtant hiſtoriæ quæ extant de ſanguine Chriſti, qui in aliquibus Eccleſijs reſeruatur hunc enim teſtatur D. Thom. infra quæſtion. 54. art. 2. ad 3. & in præallegato articulo 5 quodlibet. 5. non à Chriſto immediatè effuſum fuiſſe, ſed ex quadã Chriſti imagine percuſa efluxiſſe, vel dicendum eſt quod ſanguis qui in terra manſit eſt nutrimentalis, qui propterea licet effuſus fuerit à Chriſto in Paſsione, nihilominus nunquam fuit vnitus Verbo hypoſtatice, vt dictum eſt, & tamen eſt adorandus adoratione latriæ propter præcedentem contactum cum Chriſto, qua ratione adorantur etiam adoratione latriæ Crucis lignum, ſpinæ, & claui.

Reſpondetur ſecundo, diſtinguẽdo maior. ſi enim intelligatur axioma illud de natura aſſumpta, & de partibus præcipuis, vel quæ ſecundum ſe totas pertinent ad integritatem humanæ naturæ, & adhuc de illis non materialiter, ſed quoad ſpeciem conſideratis, verum eſt: ſecus autem ſi intelligatur de quibuſcunque partibus exiguis, & materialiter conſideratis; ſic enim aliquid aſſumpſit quod dimiſsit, nam Chriſtus in continua diminutione partium quæ vi caloris naturalis fiebat aliquid dimiſit, & teſtè Diu. Thom. in diſtinctione præallegata 4. quæſt. 1. artic. 2. quæſtiuucula 3. non quodcunque humidum etiam ſi ſit pars humanæ naturæ reſurget ſicut eſt illud quod ordinatur ad conſeruationem ſpeciei in alio indiuiduo per actũ generationis, vel per actũ nutritionis, & illud quod eſt in via tranſeundi de forma humoris in formam alterius partis ſolidæ, quia poſt reſurrectionem ſingulæ partes corporis in ſuis formis ſtabiliẽtur, ita vt vna in aliam nõ tranſeat, ac proinde neque totus ſanguis etiam perfectus, & anima rationali informatus reaſſumetur in reſurrectione quia ille qui fuit in actu tranſeundi de forma ſanguinis in formam partis ſolidæ, in quo ſtatu appellatur à medicis ros, & cambium non reſurget ob rationem aſſignatam, & ſic neque eſt inconueniens admittere in Chriſto aliquam partem huiuſmodi ſanguinis dimiſſam fuiſſe in paſsione, & non reaſſũptam in reſurrectione, quod tamen ob præcedentem vnionem adoratione Latriæ eſt adoranda.

25 Ad tertium admiſſa maiori, nego minorẽ, ad cuius primam probationem reſpondetur ſanguinem appellari à Philoſopho alimentum, & materiam totius corporis, quatenus cõparatur ad partes perfectiores, & ſolidas, reſpectu quarũ eſt in potentia cum quo tamen ſtat, quod reſpectu totius corporis ſit actu pars.

Ad ſecundam reſpondetur eodẽ modo comparationem fieri à Diu. Thoma in illis locis ſanguinis ad partes ſolidas, & permanentes in quibus permanenter conſeruatur natura ſpeciei, & reſpectu quarum ſanguis dicitur eſſe alimentum, & in potentia.

Ad tertium nego antecedens, fallit enim experientia ſenſus in illo motu ſanguinis ſicut & in alijs, in quibus ob imperceptibilem variationem ſubſtantialis formæ, non percipitur à ſenſu variatio accidentium, cum enim anima diffiniatur ad corpus, & veluti diffinitiuè ſit in illo hinc eſt, quod vbi primum ſanguis egreditur à corpore amittit diſpoſitiones, à quibus dependebat informatio animæ, & aliam formam ſubſtantialem adquirit, cuius primum eſſe eſt, primum non eſſe motus ſanguinis viui, & animati.

Ad primum pro ſecunda ſententia reſpondetur Concilia, & Patres loqui de ſanguine ſimpliciter, & proprie dicto, qui eſt pars humanæ naturæ, non autem de ſanguine nutrimentali qui non eſt abſolute, & propriè ſanguis, ſed cum adito, ſcilicet nutrimentalis, neque eſt pars humanæ naturæ, ſed merum eius nutrimentum.

Poteſt etiam dici, ſecundo Concilia, & Patres debere intelligi de toto ſãguine Chriſti cathegorematicè, & ſecundum ſpeciem ſumpto, non autem de illo ſũpto totaliter, & ſyncathegorematicè ſiue quoad omnes eius particulas, materiali-

ter

Digitized by Google

ter ſumptas, iam enim dictum eſt aliquas ex illis manere apud nos, & quidem dimiſſas à Verbo, ſiquidem Chriſtus ex cõmuni conſenſu Theologorum, modo tantum eſt præſens in cœlo, & in Euchariſtia, neque enim hoc eſt contra veritatem illius axiomatis, vt dictum eſt, neque eſt contra fidem, vt definit Pius II. vbi ſupra.

Ad ſecundum, vel negandum eſt antecedens, quia ſanguis nutrimentalis, vt dictum eſt, non eſt de integritate naturæ, vel admiſſo antecedenti diſtinguendum eſt conſequens, ſi enim intelligatur de ſanguine in principio Incarnationis verum eſt, quod totus fuit aſſumptus, ſi autem intelligatur de ſanguine in reſurrectione reunito falſum eſt, quod totus fuerit aſſumptus, probabilis, namque ſententia eſt quæ aſſerit aliquas particulas, etiã perfecti ſanguinis in paſsione effuſi à Verbo fuiſſe dimiſſas.

Ad tertium, vno ex duobus modis dicendum eſt, vel quod modo ſub ſpeciebus vini eſt totus ſanguis quẽ habuit Chriſtus in corpore glorioſo, quia iam in hoc ſtatu non habet niſi ſanguinem perfectum, qui eſt pars integralis humanæ naturæ quia hic ſicut totus fuit vnit' Verbo hypoſtatice, ita totus fuit reaſſumptus ab humanitate in reſurrectione, & ſic per concomitantiam Verbum eſt vbicunque eſt ſanguis ſub ſpeciebus vini, vel ſi fiat ſermo de ſanguine qui fuit ſub ſpeciebus vini conſecrati à Chriſto in cena, aut qui fuiſſet ſi fieret conſecratio in triduo mortis, tunc enim, aut ex vi Verborum non eſſet ſub ſpeciebus vini, niſi totus ſanguis proprie dictus, qualis non eſt nutrimentalis ex cibis proxime genitus, aut ſi totus ſanguis etiam prout extenditur ad nutrimentalem poneretur ex vi Verborum ſub ſpeciebus vini, Verbum diuinum non eſſet per concomitantiam in illa parte vbi eſſet portio ſanguinis nutrimentalis, & imperfecti, ſiquidem non erat illi vnitum hypoſtatice.

26 AD tertium dubium, reſpõdendum eſt per ſingulas partes, & quidem quantũ ad primam, quamuis Suarius diſputat. citata ſection. 7. vt probabilem ſuſtineat ſententiam negantem ſpiritus vitales eſſe partes integrales humanæ naturæ, ac proinde illos aſſumptos fuiſſe à Verbo: tamen vera ſententia eſt affirmatiua, quam probant Vazquez diſput. citata cap. 7. & Nazar. in vltima part. cõtrouerſiæ præallegatæ: eo quod ſpiritus vitales, & animales pertinent omnino ad veritatem, & integritatem humanæ naturæ, & informantur etiam anima rationali quãtũ ad gradum vegetabilem, ac proinde erunt in corporibus glorioſis: ergo cũ Verbum diuinum aſſumpſerit integram humanã naturã, etiã debuit aſſumere huiuſmodi ſpiritus vitales, & animales. Neque obſtat diſcrimen aſsignatum à Suar. inter humores, & huiuſmodi ſpiritus; quod humores habeant ſubſtantiam magis ſtabilem, & conſtantem, ſpiritus autem habeant ſubſtantiam facile mobilem quæ de facile diſſoluitur, & euaneſcit, quorum proinde vnio cum Verbo deberet multoties corrumpi, & de nouo incipere.

Non inquam obſtat quia partes humani corporis ſuapte natura diuerſam diſpoſitionem, & modum eſſendi poſtulant quædam enim firmum, & ſtabilem modum eſſendi habent, vt oſſa, quibus accedunt neru[illegible], quædam autem ex parte conſumuntur, & reparantur, vt carnes, alia vero minus ſtabilia ſunt, vt humores, qui ſunt in potentia ad alias partes ſtabiliores, & ſolidiores: & tandem ſpiritus vitales, & animales magis variabilem, ac inſtabilem habent eſſendi modum, vtpote cum ſint per ſe primo ordinati ad operationes vitales, & ſenſitiuas, cui officio in hoc ſtatu naturæ mortalis, ſtabilitas minime congruebat, reſolutio autem, & reinceptio illa vnionis hypoſtaticæ quæ fieret continuo in ſpiritibus eſt neceſſario admittenda, & ſequebatur in vi prioris miraculi incarnationis, ſicut illa, quæ fiebat in partib' quæ per virtutẽ nutritiuã adquirebantur, & deperdebantur vi caloris naturalis. In ſtatu autem reſurrectionis, quia natura humana perfecta donabitur incorruptibilitate; ſpiritus vitales, & animales cum ſua locali mobilitate, abſque vlla corruptione durabunt.

27 Quantum vero ad ſecundam partem de capillis, & vnguibus dicendum eſt cum Diu. Thom. in 4. diſtinction. 44 quæſtion. 1. articulo 2. quæſtiuncula 2. ad 3. illos aſſumptos fuiſſe à Verbo, eo quod ſunt partes humani corporis, & informantur anima rationali ſecundum gradum

dum vegetabilem, cuius ſignum eſt quod nutriuntur, & creſcunt, & quamuis partes integrales non eſſent, nec anima rationali informarentur quia tamen pertinēt in omni ſententia ad compoſitionem humani corporis ob hanc rationem aſſumerentur à Verbo. In confirmationem etiam huius veritatis plura teſtimonia Sanct. Patrum adducit Suar. diſputat. 15. ſect. 7. maxime ad probandum capilos fuiſſe aſſumptos, quibus teſtimonijs, & rationibus Vazquez oppoſitam ſententiam tenens minime ſatisfacit; ſed voluntarie à veritate diuertit, vt videre eſt in ipſo diſp. 36. cap. 7.

Denique quoad vltimam partem de illa particula quæ Chriſto per circuncisionem fuit ablata: dicendum eſt illam à principio vnitam fuiſſe Verbo diuino propter eaſdem rationes quibus oſtēdimus humores, capilos, & vngues fuiſſe vnitos: in circuncisione vero fuiſſe dimiſſam à Verbo ſicut diximus probabile eſſe dimiſſam fuiſſe aliquam partē perfecti ſanguinis: & conſtat tū quia illa particula modicissima pars erat, quæ alias ſuppleri potuit ex alijs partibus eiuſdem materiæ, ne corpus Chriſti ſine illa manens, eſſet diminutum, aut imperfectum. Tum etiam quia plures auctores fidedigni, quos refert Suar. tom. 2. in 3. partē diſputat. 47. ſection. 2. Tol. in cap. 2. ſuper Lucam annotatione 31. & Baron. tomo 1. teſtantur illam particulam modo ſeruari in terris, quæ ob præcedentem vnionem ſicut dictum eſt de ſanguine eſt adoranda adoratione latriæ. Tum denique quia ſicut Chriſtus poſt reſurrectionem retinuit vulnerum cicatrices ad oſtenſionem veritatis humanæ naturæ, ita conueniens fuit illum retinere in carne ſua ſignum circuncisionis ad eiuſdem naturæ veritatem oſtendendam, & ad atteſtandū ſe fuiſſe autorē vtriuſque legis, & ad noſtram fidem confirmandam.

(s)

ART. III.

Vtrùm Filius Dei aſſumpſerit animam?

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod filius Dei animam non aſſumpſerit. Ioannes enim incarnationis myſterium tradens, dixit, Verbum caro factum eſt, nulla facta de anima mentione. Non autem dicitur caro factum, eo quod ſit in carnem conuerſum, ſed quia carnem aſſumpſit. Non ergo videtur aſſumpſiſſe animam.

[*3. d. 2. q. 1 a. 3. q. 2. et 4 cō. c. 32 34 pr. 35 col. 2. fin. 37. fin. & 41. col. 1. et ver. qu. 20. a. 2 c. et vni. a. 1 cor. 2. 3. c. 211.*]

2 Præterea, anima neceſſaria eſt corpori, ad hoc, quod per eam viuificetur. Sed ad hoc non fuit neceſſaria corpori Chriſti, vt videtur: quia ipſum Verbum Dei eſt, de quo dicitur in Pſalm. 35. Domine apud te eſt fons vitæ. Superfluum ergo fuiſſet animam adeſſe, Verbo præſente. Deus autem, & natura nihil fruſtra faciunt: vt etiam Philoſophus dicit in 1. de cæl. * Ergo videtur quod Filius Dei animam non aſſumpſerit.

[*li. 1. de cæl. tex. 32 et li. 2 tex. 59. to. 2.*]

3 Præterea, ex vnione animę ad corpus, conſtituitur natura communis, quę eſt ſpecies humana. In Domino autem Ieſu Chriſto nō eſt communem ſpeciem accipere, vt Damaſc. dicit in 3. lib. * Non igitur aſſumpſit animam.

[*lib. 3. c. 3. & 11.*]

Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit in lib. de agone Chriſtiano *. Non eos audiamus, qui ſolum humanum corpus dicunt eſſe ſuſceptū

[*cap. 21. in princ. to. 3*]

à Ver-

à Verbo Dei: & ſic audiunt quod dictum eſt, Verbum caro factum eſt, vt negent illum hominem, vel animã, vel aliquid hominis habuiſſe, niſi carnem ſolam.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut dicit Auguſtin. in lib. de hæreſibus *, opinio fuit primo quidem Arrij, & poſtea Apollinaris, quod Filius Dei ſolam carnem aſſumpſit abſque anima, ponentes quod Verbum fuerit carni loco animæ. Ex quo ſequebatur, quod in Chriſto non fuerint duæ naturæ, ſed vna tantum; ex anima enim, & carne, vna natura humana conſtituitur.

l. de hær. c. 49. 55 c. 6

Sed hæc poſitio ſtare non poteſt propter tria. Primo quidem, quia repugnat auctoritati ſcripturæ, in qua Dominus de ſua anima facit mentionem Matth. cap. 26. Triſtis eſt anima mea, vſque ad mortẽ, & Ioann. 10. Poteſtatem habeo ponendi animam meam. Sed ad hoc reſpondebat Apollinaris, quod in his verbis anima metaphorice ſumitur: per quem modum in veteri teſtamento Dei anima commemoratur, Iſai. 1. Kalendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odiuit anima mea. Sed ſicut dicit * Auguſtin. in lib. 83. qq. Euangeliſtæ in euangelica narratione narrant, quod miratus eſt Ieſus, & iratus, & contriſtatus, & quod eſurijt. Quæ quidem ita demonſtrant eum veram animam habuiſſe, ſicut ex hoc, quod comedit, & dormiuit, fatigatus eſt, demonſtratur eum habuiſſe verum corpus humanum. Alioquin ſi & hæc ad metaphoram referantur, cũ ſimilia legantur in veteri teſtamento de Deo, peribit Fides Euangelicæ narrationis. Aliud enim eſt, quod Prophetice nuntiatur in figuris, aliud quod ſecundum rerum proprietatem ab Euangeliſtis hiſtorice ſcribitur. Secundo, derogat prædictus error vtilitati incarnationis, quæ eſt liberatio hominis. Vt enim argumentatur Auguſtin. in lib. contra Felicianum, Cur accepta carne filius Dei animam omiſit? Aut innoxiam ſciens, medicinæ indigentem eſſe nõ credidit? Aut à ſe alienam putans redemptionis beneficio non donauit? Aut ex toto inſanabilem iudicãs, curare nequiuit, aut vt vilẽ, & quę nullis vſibus apta videretur, abiecit? Horum duo blaſphemiam importãt in Deũ. Quomodo enim diceretur, Omnipotens, ſi curare non potuit deſperatam? Aut quomodo omnium Deus, ſi non ipſe fecit animã noſtrã? Duobus autem alijs, in vno animæ cauſa neſcitur, in altero meritum non tenetur. Aut intelligere cauſam putandus eſt animę, qui eam ad accipiendam legem, habitu inſitę rationis inſtructam, à peccato voluntariæ tranſgreſsionis innititur ſeparare? Aut quomodo eius generoſitatem noui, qui ignobilitatis vitio dicit eſſe deſpectã? Si originem attendas, prætioſior eſt animæ ſubſtantia: ſi tranſgreſsionis culpam propter negligentiam, peior eſt carne. Ego autem Chriſtum, & perfectam ſapientiam dico, & ſcio, & pijſsimum eſſe non dubito, quorum primo meliorem, & prudentię capacem non deſpexit: ſecundo, eam, quę magis, fuerat, vulnerata, ſuſcepit. Tertio vero hæc, poſitio eſt contra ipſam incarnationis veritatem: caro enim, & cæteræ partes hominis per animam, ſpeciem ſortiuntur. Vnde recedente anima non eſt os, aut caro, niſi æquiuoce, vt patet per Philoſophum, in ſecundo de anima, & 7. * Metaphyſicorum.

q. 80. à me tom. 4.

ca. 13. poſt med. tom. 6.

te. 9. lib. 7 me. te. 35 cir. med. t. 2. & 3. in huius ſol. princ.

Ad primum ergo dicendum,

quod cum dicitur, Verbum caro factum eſt, caro ponitur pro toto homine : ac ſi diceretur, Verbum homo factum eſt : ſicut & Iſai.40. Videbit omnis caro pariter, quod os Domini loquutum eſt. Ideo autem totus homo per carnẽ ſignificatur: quia vt dicitur in auctoritate inducta, per carnem filius Dei viſibilis apparuit. Vnde ſubditur, & vidimus gloriam eius. Vel ideo: quia vt Auguſtinus dicit in lib 83.* qq. in tota illa vnitate ſuſceptionis principale Verbum eſt; extrema autem atque vltima, caro. Volens itaque Euangeliſta commẽdare pro nobis dilectionem humilitatis Dei, Verbum & carnem nominauit, omittens animam, quæ eſt Verbo inferior, carne præſtãtior. Rationabile etiam fuit, vt nominaret carnem : quæ propter hoc, quod magis diſtat â Verbo, minus aſſumptibilis videbatur.

q.80. paul. poſt pr. t.4.

Ad ſecundum dicendum, quod verbum eſt fons vitæ, ſicut prima cauſa vitæ efficiens. Sed anima eſt principium vitæ corporis tanquam forma ipſius: forma autem eſt effectus agentis. Vnde ex præſentia Verbi magis cõcludi poſſet, quod corpus eſſet animatum: ſicut ex præſentia ignis poteſt concludi, quod corpus, cui ignis adhæret, ſit calidũ.

Ad tertium dicendum, quod non eſt inconueniens, immo neceſſarium dicere, quod in Chriſto fuerit natura, quæ conſtituitur per animam corpori aduenientem. Damaſcenus* autem negat in Domino Ieſu Chriſto eſſe commnnem ſpeciẽ, quaſi aliquid tertium reſultans ex vnione diuinitatis, & humanitatis.

loc. in arg. cit.

Concluſio eſt affirmatiua.

ART. IIII.

Vtrùm Filius Dei aſſumere debuerit intellectum?

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod Filius Dei non aſſumpſerit mentem humanam, ſiue intellectum. Vbi enim eſt præſentia rei, non requiritur eius imago. Sed homo ſecundum mentem eſt ad imaginem Dei, vt Auguſt.* dicit in lib. de Trinit. Cum ergo in Chriſto fuerit pręſentia ipſius diuini Verbi, non oportuit ibi eſſe mentem humanam.

3. d. 2. q. 1. a. 3. q. 2. & 4. cõ. c. 33. et ver. q. 20. a. 1. c. & vn. a. 1. c. & op. 3. c. 212. l. 14. c. 3. & 6. 10. 3.

2 Præterea, maior lux offuſcat minorem. Sed Verbum Dei, quod eſt lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, (vt dicitur Ioann.1.) comparatur ad mentem, ſicut lux maior ad minorem: quia & ipſa mens lux quædam eſt, quaſi lucerna illuminata â prima luce. Prouerbior. 20. Lucerna Domini, ſpiraculum hominis. Ergo in Chriſto, qui eſt Verbum Dei, non fuit neceſſarium eſſe mentẽ humanam.

3 Præterea, aſſumptio humanæ naturæ â Dei Verbo, dicitur incarnatio eius. Sed intellectus ſiue mens humana, neque eſt caro, neque eſt actus carnis; quia nullius corporis actus eſt: vt probatur in 3.* de anima. Ergo videtur, quod filius Dei humanam mentem non aſſumpſerit.

l. 3. ex te. 6. & 12.

Sed contra eſt, quod* Auguſtinus dicit in libr. de Fide ad Pet. Firmiſsime tenet, & nullaten⁹ dubites, Chriſtum Filium Dei habere veram noſtri generis carnem, & animam ratio-

c. 24. in pr. tom. 3.

Digitized by Google

rationalem, qui de carne ſua dicit: Palpate & videte: quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere, Luc. vltim. Animam quoque ſe habere oſtendit, dicens. Ego pono animam meam, & iterum ſumo eam, Ioann. 10. Intellectum quoque oſtendit ſe habere dicens. Diſcite â me, quia mitis ſum, & humilis corde. Matth. 11. & de ipſo per Prophetam Deus dicit. Ecce intelliget puer meus, Iſai. 52.

Reſpondeo dicendum, quod
cap. 55. in pr. tom. 6, ſicut Auguſtinus dicit in lib. * de hæreſibus, Apolinariſtæ de anima Chriſti â Catholica Eccleſia diſſenſerunt, dicentes, ſicut Arriani, Deū Chriſtum carnem ſolam ſine anima ſuſcepiſſe. In qua quæſtione teſtimonijs Euangelicis victi, mentem defuiſſe animæ Chriſti, ſed pro hac ipſum Verbum in ea fuiſſe dixerunt. Sed hæc poſitio eiſdem rationibus conuincitur, ſicut & prædicta. Primo enim, hoc aduerſatur narrationi Euangelicæ, quæ commemorat eum fuiſſe miratum, vt patet Matth. 8, Admiratio autem abſque ratione eſſe non poteſt: quia importat collationem effectus ad cauſam: dum ſcilicet aliquis videt effectum, cuius cauſam ignorat, & quærit, vt dicitur in principio
l. 1. c. 2. in med. to. 3. Metaphyſicæ *. Secundo, repugnat vtilitati incarnationis, quæ eſt iuſtificatio hominis â peccato. Anima enim humana non eſt capax peccati nec gratiæ iuſtificantis, niſi per mentem. Vnde præcipue opportuit mentem humanam aſſumi.
ort. fi. c. 6. circ. med. Vnde dicit Damaſcenus in * 3. libro, quod Dei Verbum aſſumpſit corpus, & animam intellectualem, & rationalem. Et poſtea ſubdit *:
eod. l. & c. nunc dictis Totus toti vnitus eſt, vt toti mihi ſalutem largiretur: quod enim inaſſumptum eſt, incurabile eſt. Tertio, hoc repugnat veritati incarnationis. Cum enim corpus proportionetur animæ ſicut materia propriæ formæ, non eſt verê caro humana, quæ non eſt perfecta anima humana, ſcilicet rationali. Et ideo ſi Chriſtus animam ſine mente habuiſſet, non habuiſſet veram carnem humanam, ſed beſtialem: quia per ſolam mentem anima noſtra differt ab anima beſtiali. Vnde dicit Auguſt. in lib. 83. qq. * quod ſecundum hunc
q. 80. nō procul â pr. t. 4 errorem ſequeretur, quod Filius Dei beluam quamdam cum figura humani corporis ſuſcepiſſet. Quod iterum repugnat veritati diuinæ, quæ nullam patitur fictionis falſitatem.

Ad primum ergo dicendum, quod vbi eſt ipſa res per ſui præſentiam, non requiritur eius imago ad hoc, quod ſuppleat locum rei: ſicut vbi eſt imperator, milites non venerantur eius imaginem. Sed tamen requiritur cum præſentia rei imago ipſius, vt perficiatur ex ipſa rei præſentia: ſicut imago in cera perficitur per impreſsionem ſigilli, & imago hominis reſultat in ſpeculo per eius præſentiam: vnde ad perficiendam mētem humanam, neceſſarium fuit, quod eam ſibi verbū Dei vniuerit.

inf. q. 9. a. 1. ad 2. & 3. d. 13. q. 1. a. 1. ad 3. & d. 14. a. 1. q. 1. ad 2. Ad ſecundum dicendum, quod lux maior euacuat lucem minorem alterius corporis illuminantis: non tamen euacuat, ſed perficit lucem corporis illuminati: ad præſentiam enim ſolis, ſtellarū lux obſcuratur, ſed aëris lumen perficitur. Intellectus autē ſeu mens hominis eſt quaſi lux illuminata â luce diuini Verbi: & ideo per præſentiam Verbi non euacuatur mens hominis, ſed magis perficitur.

Ad tertium dicendum, quod licet potentia intellectiua non ſit alicuius corporis actus: ipſa tamen

 eſſen-

eſſentia animæ humanæ, quæ eſt forma corporis, requiritur, quod ſit nobilior ad hoc, quod habeat potentiã intelligendi : & ideo neceſſe eſt, vt corpus melius diſpoſitum ei reſpondeat.

Concluſio eſt affirmatiua.

28 IN his duobus articulis defendit Diu. Thom. catholicam veritatem contra errorem Apolinaris, qui ſequtus Arrium, prius dixit diuinum Verbum aſſumpſiſſe corpus ſine anima, & poſtea conuictus teſtimonijs Scripturæ dixit, Verbum aſſumpſiſſe animam, ſed ſine mente, ideſt, ſine intellectu, vt referunt Auguſtin. in lib. de hæreſibus, capit. 55. Epiphanius hæreſi. 9. Cyrillus in lib. de fide ad Theodoſiũ, & Ambroſius in lib. de incarnationis diuinæ Sacramento cap. 7. Qui etiam Patres tria læuia referunt fundamenta quibus Apolinariſtæ innitebantur.

Primum ex illo Ioann. 1. *Verbum caro factum eſt*, vbi Euangeliſta explicat myſterium incarnationis nulla facta mentione de anima : quaſi ſenſus ſit Verbum aſſumpſiſſe ſolũ carnem ſine anima rationali.

Secundum eſt, quia Verbum diuinum fuit vnitum carni loco animæ intellectiuæ, cum enim potuerit vniri ſic, ſiquidem de facto vnitur beatis per modum formæ intelligibilis, non eſt cur de facto negemus illud vnitum fuiſſe carni per modum animæ intelectiuæ, ac proinde incompoſibilem cum illo fuiſſe animam rationalem creatam.

Tertium deſumitur ex duplici inconuenienti, nimirum, quod alias Verbum aſſumpſiſſet cum intellectu cogitationes hominum, quæ vanæ ſunt, & quia conſtaret ex tribus naturis, ſiue ſubſtantijs, ſcilicet ex natura diuina, ex carne, & ex anima, quam tamen propoſitionem negant, & damnant Damaſcenus libr. 3. de fide capit. 16. Concilium Francofordienſ. in epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ, & Benedictus primus in Concilio Toletano 15. Gelaſius Papa in lib. de duabus naturis, & Nazianzenus in oratione de ſacro Baptiſmate: ergo.

Sed hijs non obſtantibus, vtriuſque cõcluſionis D. Thomæ veritas eſt Catholica, & ſecundum fidem tenenda, quã probant tum teſtimonia Scripturæ, in quibus ipſe Chriſtus, teſtatur ſe animam habere, & intellectum, animã quidem, vt Matth. 26. *Triſtis eſt anima mea, vſque ad mortem*, Ioann. 10. *Animam meam pono*, &c. & Pſalm. 15. *Non derelinques animam meam in inferno*, quem locum expoſuit Petrus de anima Chriſti, Actor. 2. Neque in his locis ſumitur anima methaphoricè ſicut in veteri teſtamento quando attribuitur Deo, vt cum dicitur Iſai. 1. *Kalendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odiuit anima mea* : nam huiuſmodi methaphorica locutio, ſicut cõgruebat legi veteri quę ſub vmbris, & figuris manifeſtabat veritatem ; ita derogat veritati Euangelicæ narrationis, quæ ſecundum rerum proprietatẽ ab Euãgeliſtis hiſtorice ſerbatur. Intellectũ vero, vt Eſ. 52. *Ecce intelliget puer meus*, & Ioan. 10. *Poteſtatem habeo ponendi animam meam*, &c. In quo ſignificatur Chriſtum liberum habere arbitrium quod ſine intellectu non eſt, & Matth. 8. atque in alijs locis dicitur Chriſtum miratum eſſe, admiratio autem proprius effectus eſt intellectus creati.

Tum etiam eandem veritatem probant Concilia, & Patres, vt Concil. Toletan. 11. in confeſsione fidei, & Leo Papa epiſtola 11. & 82. & confeſſio fidei ad Damaſum quæ habetur tom. 1. Conciliorum, Nicephorus libr. 2. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capit. 18. & Concilium Cartaginenſ. 4. capite 1. & quinta Synodus generalis actione 8. canon 4. & ſexta Synodus actione 11. in epiſtola Sophronij, & actione 18. in edicto Imperatoris, Auguſtin. libro de Agone Chriſtiano, capite 21. & epiſtola 57. & lib. contra Felicianum capite 13. Cyrill. in epiſtola ad Neſtor. & idem fateri tenentur quicunque veram in Chriſto humanitatem agnoſcunt, eo quod implicat veram humanitatem ſaluari ſine anima rationali ſicut album, ſine albedine.

Tum denique ratio Theologica, nam Verbum aſſumpſit integram, atque perfectam humanam naturam, iuxta illud Athanaſ, perfectus Deus perfect⁹ homo, ex anima rationali, & humanæ

carne

carne ſubſiſtens, vt ſic totam humanam naturam repararet qui per peccatum fuerat læſa, conſtat autem illam, maxime fuiſſe læſam in anima rationali, & eius potentijs: ergo non ſolum carnem, ſed etiam animam rationalem carni vnitam debuit aſſumere.

29 Ex quibus ad fundamenta Apolinariſtarum facile reſpondetur. Ad primum quidem dicendum eſt quod caro ibi ſumitur pro integra humanitate per ſynedochem, per quam ſumitur pars pro toto ſicut Eſai. 40. dum dicitur: *Videbit omnis caro ſalutare Dei*, ideſt, *omnis homo*, ideo autem totus homo per carnem ſignificatur in prædicto Ioann. teſtimonio quia, vt inquit Diu. Thom. hic ad primũ per carnem Filius Dei viſibilis aparuit, & propterea ſtatim ſubditur: *& vidimus gloriam eius*, &c. vel quia vt Auguſtin. dicit in lib. 83. quæſtionum, quæſtio. 80. Euangeliſta Verbum, & carnem nominans, omitens animam quæ eſt carne præſtantior magis commendauit dilectionem humilitatis Dei pro nobis.

Ad ſecundum dicendum eſt cum Diu. Thom. ſupra quæſt. 2. art. 5. Verbũ diuinum nullatenus poſſe vniri corpori per modum animæ, ſiue formæ informantis, & viuificantis illud in genere cauſæ formalis: eo quod huiuſmodi munus inuoluit in perfectiones partis, entis in completi cum dependentia à toto repugnantes Deo, ac proinde etiam illi repugnat eſſe principium formale, & intrinſecum vitalium operationum, ad quas deſeruit anima in corpore. Munus autem ſpeciei, & formæ intelligibilis non inuoluit prædictas imperfectiones, ac proinde poteſt à Deo ſuppleri reſpectũ viſionis beatæ, vt docent Theologi 1. part. quæſt. 12. art. 2. & 5.

30 Ad tertium dicendum, non ſequi aliquod ex illis inconuenientibus, non quidẽ primũ quia cũ Verbum aſſumpſerit animam, & mentem plenam ſanctitate, & ſcientia; aſſumpſit illam ſine prauis cogitationibus quę in alijs hominibus inueniuntur.

Neque ſecundum quia illam propoſitionem, nimirum Chriſtus conſtat ex tribus naturis, ſiue ſubſtantijs, licet partialibus, habita conſideratione ad ea, quæ remote componunt, eſt vera, vt admittit Concil. Toletanum 11. in confeſsione fidei, quod congregatum fuit quia hæc propoſitio diſplicuerat Benedicto Papæ: in cuius tamen propoſitionis defenſionem, ſanctus Iulianus Toletanus Archiepiſcopus, qui præfuit illi Concilio ſcripſit librũ approbatum poſtea à Sergio Papa ſucceſſore Benedicti, & Auguſt. lib. 13. de Trinitate cap. 17. Laurentius Iuſtinianus in ſermone de natiuitate Beatæ Mariæ, Iſidorus in lib. de diferentijs cap, 7. & Bernard. ſermone 3. in vigilia natiuitatis: vnde Patres citati in argumento qui verentur concedere Chriſtum conſtare ex tribus naturis, ſiue ſuſtantijs accipiunt naturã pro natura, totali, & completa: in quo ſenſu certum eſt in Chriſto tantum eſſe duas naturas humanam, ſcilicet & diuinã: quia tamen humana cõſtat ex duabus partialibus nimirum ex corpore, & anima rationali; propterea etiam poteſt, ac debet concedi Chriſtum conſtare ex tribus naturis.

Digitized by Google

QVAESTIO VI.

De modo aſſumptionis quantum ad ordinem, in ſex articulos diuiſa.

IN hac quæſtione, duplicem ordinem aſſumptionis, tam durationis, quam cauſalitatis partium inter ſe, atque partium, & gratiæ reſpectu totius naturæ aſſumptæ cõſiderat Doctor Angelicus. Et quidem de primo agit in tribus prioribus articulis, de ſecundo autem in tribus poſterioribus.

ART. I.

Vtrùm Filius Dei aſſumpſerit carnem mediante anima?

3. d. 2. q. 2 a. 1. et d. 3 q. 5. a. 2. c. et 4. con. c. 44. & ſpiritu art. 3. ad 5. AD primum ſic proceditur. Videtur, quod Filius Dei non aſſumpſerit carnem mediante anima. Perfectior enim eſt modus quo Filius Dei vnitur humanæ naturæ, & partibus eius, quam quo eſt in omnibus creaturis. Sed in creaturis eſt immediatè per eſſentiam, potentiam, & præſentiam. Ergo multo magis Filius Dei immediatè vnitur carni, & non mediante anima.

2 Præterea, Anima & caro vnita ſunt Dei Verbo in vnitate hypoſtaſis, ſeu perſonæ. Sed corpus immediatè pertinet ad perſonam, ſiue hypoſtaſim hominis, ſicut & anima: quinimmo magis videtur ſe de propinquo habere ad hypoſtaſim hominis corpus, quod eſt materia, quam anima, quæ eſt forma: quia principium indiuiduationis, quæ importatur in nomine hyppoſtaſis, videtur eſſe materia. Ergo Filius Dei non aſſumpſit carnem mediante anima.

3 Præterea, Remoto medio ſeparantur ea quæ per medium coniunguntur: ſicut remota ſuperficie, ceſſaret color à corpore, qui ineſt corpori per ſuperficiem. Sed ſeparata per mortem anima, adhuc remanet vnio Verbi ad carnem: quod infra patebit *. Ergo Verbum non coniungitur carni, mediante anima. *q. 50. a. 2. inf. a. 3. & q. 33. a. 2. & 3. d. 2. q. 2. art. 3.*

Sed

Sed contra eſt, quod Auguſtinus dicit in * *in ep. 3. an. med. lil. t. 2* epiſtol. ad Voluſianũ; ipſa magnitudo diuinæ virtutis, animam ſibi rationalem, & per eandem corpus humanum, totumque omnino hominem in melius mutandum coaptauit.

Reſpondeo dicendum, quod medium dicitur reſpectu principij, & finis. Vnde ſicut principium & finis importãt ordinem quẽdam, ita & medium. Eſt autem duplex ordo. Vnus quidem temporis; alius autem naturæ. Secundum autem ordinem temporis non dicitur in myſterio incarnationis aliquid medium: quia totam humanam naturam ſimul ſibi Verbum Dei vniuit: vt infra patebit * *q. 33. a. 3.* . Ordo autem naturæ inter aliqua poteſt attendi dupliciter. Vno modo ſecundum gradum dignitatis: ſicut dicimus Angelos eſſe medios inter homines, & Deum. Alio modo ſecundum rationem cauſalitatis: ſicut dicitur media cauſa exiſtere inter primam cauſam, & vltimum effectum. Et hic ſecundus ordo aliquo modo conſequitur primum; ſicut enim dicit Dionyſius 13. capit. de diuinis nominibus † *c. 13. & c. 4. nõ remotè à princ.*, Deus per ſubſtantias magis ſibi propinquas agit in ea quæ ſunt magis remota. Sic ergo, ſi attendamus gradum dignitatis, anima media inuenitur inter Deum, & carnem; & ſecundum hoc poteſt dici, quod Filius Dei vniuit ſibi carnem mediante anima. Sed & ſecundum ordinem cauſalitatis ipſa anima eſt aliqualiter cauſa carnis vniendæ Filio Dei: non enim eſſet aſſumptibilis, niſi per ordinem quem habet ad animam rationalem, ſecundum quam habet, quod ſit caro humana. Dictum eſt enim ſupra † *q. 4. art. 1.*, quod natura humaua præ cæteris eſt aſſumptibilis.

Ad primum ergõ dicendum, quod duplex ordo conſiderari poteſt inter creaturam & Deum. Vnus quidem ſecundum quod creaturæ canſantur â Deo, & dependent ab ipſo, ſicut a principio ſui eſſe: & ſic propter infinitatem ſuę virtutis Deus immediatê attingit quamlibet rem, cauſando, & conſeruando. Et ad hoc pertinet, quod Deus immediaté eſt in omnibus per eſſentiam, præſentiam, & potentiam. Alius autem ordo eſt ſecundum quem res reducuntur in Deũ, ſicut in finẽ. Et quantum ad hoc inuenitur medium inter creaturam, & Deum: quia inferiores creaturæ reducuntur in Deum per ſuperiores: vt dicit Dionyſ. in lib. cœleſtis hierarchiæ. Et ad hunc ordinem pertinet aſſumptio humanæ naturæ â Verbo Dei, quod eſt terminus aſſumptionis: & ideô per animam vnitur carni.

Ad ſecundum dicendum, quod ſi hypoſtaſis Verbi Dei conſtitueretur ſimpliciter per humanam naturam, ſequeretur quod corpus eſſet ei vicinius, cum ſit materia, quæ eſt indiuiduationis principium: ſicut & anima, quæ eſt forma ſpecifica, propinquius ſe habet ad naturam humanam. Sed quia hypoſtaſis Verbi eſt prior, & altior, quam humana natura, tanto id quod eſt in humana natura, propinquius ad eam ſe habet, quanto eſt altius: & ideo propinquior eſt verbo Dei anima, quam corpus.

Ad tertium dicendum, quod nihil prohibet, aliquid eſſe cauſam alicuius, quantum ad aptitudinem, & congruitatem, quo tamen remoto, illud non tollitur: quia etſi fieri alicuius dependet ex aliquo, poſtquam tamen eſt in facto eſſe, ab eo non dependet. Sicut ſi inter aliquos amicitia cauſatur aliquo mediantur

Digitized by Google

diante, eo recedente adhuc amicitia remanet : & ſi aliqua in matrimonium ducitur propter pulchritudinem, quæ facit congruitatem in muliere ad copulam coniugalem: tamē pulchritudine ceſſante, adhuc durat copula coniugalis. Et ſimiliter ſeparata anima, remanet vnio Verbi ad carnem.

CONCLVSIO eſt; ordine naturæ, & cauſalitatis aſſumpſit carnem mediante anima: ordine autem temporis neutrum aſſumpſit prius quam aliud.

ART. II.

Vtrùm Dei Filius aſſumpſerit animam mediante ſpiritu, ſiue mente?

Idoisſup. a. 1. not. AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod filius Dei non aſſumpſerit animam mediante ſpiritu. Idem enim non cadit medium inter ſeipſum & aliquid aliud. Sed ſpiritus, ſiue mens nō eſt aliud in eſſentia ab ipſa anima:
1. p. q. 77. ar. 1. ad 1. vt in prima parte habitum eſt *. Ergo filius Dei non aſſumpſit animam mediante ſpiritu, ſiue mente.

2 Præterea, illud, quo mediante facta eſt aſsūptio, videtur eſſe magis aſſumptibile. Sed ſpiritus, ſiue mens non eſt magis aſſumptibilis, quam anima : quod patet ex hoc, quod ſpiritus angelici non ſunt aſsūptibiles: vt ſupradictum eſt *. Er-
q. 4. art. 1. go videtur, quod filius Dei non aſsūpſerit animam mediante ſpiritu.

3 Præterea, poſterius aſſumitur â primo mediante priori. Sed anima nominat ipſam eſſentiam, quæ eſt prior naturaliter, quam ipſa potentia eius, quæ eſt mens. Ergo videtur quod Filius Dei non aſſumpſerit animam mediante ſpiritu ſiue mente.

Sed contra eſt, quod Auguſt. *ex ca. 18.*
dicit in lib. de Agone Chriſtiano†, *29. 20. & 21. colligitur t. 3.*
inuiſibilis, & incommutabilis veritas, per ſpiritum animam, & per animam corpus accepit.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut dictum eſt *, filius Dei dicitur aſſumpſiſſe carnem anima mediante, tum propter ordinem dignitatis, tum etiam propter congruitatem aſſumptionis. Vtrumque autem horum inuenitur, ſi comparemus intellectum, qui ſpiritus dicitur, ad cæteras animæ partes. Non enim anima eſt aſſumptibilis ſecundum congruitatem, niſi per hoc, quod eſt capax Dei ad imaginem eius exiſtens, quod eſt ſecundum mentem, quę ſpiritus dicitur; ſecundum illud Epheſ. 4. Renouamini ſpiritu mentis veſtræ. Similiter etiam intellectus inter cæteras partes animæ, eſt ſuperior, & dignior, & Deo ſimilior. Et ideo, vt Damaſcen. dicit in 3. lib. *l. 3. ort. fi.*
*vnitum eſt carni per medium intel *ca. 6. ante*
lectus verbum Dei; intellectus enim *med.*
eſt quid animæ puriſsimum, ſed & Deus eſt intellectus.

Ad primum ergo dicendum, quod etſi intellectus non ſit aliud ab anima ſecundum eſſentiam; diſtinguitur tamen ab alijs partibus animæ ſecundum rationem potentiæ. Et ſecundum hoc competit ſibi ratio medij.

Ad ſecundum dicendum, quod ſpiritui Angelico non deeſt congruitas ad aſſumptionem, propter defectum dignitatis; ſed propter irreparabilitatem caſus.

Quod

Digitized by Google

Quod non poteſt dici de ſpiritu humano: vt patet ex his, quæ in prima parte dicta * ſunt.

p.p.q.64. ar.2.

Ad tertium dicendum, quod anima (inter quam & Dei verbum ponitur medium intellectus) non accipitur pro eſſentia animæ, quæ eſt omnibus potentijs communis: ſed pro potentijs inferioribus, quæ ſunt omni animæ communes.

Concluſio eſt affirmatiua.

ART. III.

Vtrum anima à Dei filio prius fuerit aſſumpta, quã caro?

inf. art. 4. & q. 33. a. 1. ad 2. & 3. & q. 35 a. 4. & 3. d. 2. q. 2. & 3. & d. 3. q. 5. a. 2 Et 4. cont. c. 33. 43.

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod anima Chriſti fuerit prius aſſumpta â Verbo quam caro. Filius enim Dei aſſumpſit carnem mediante anima: vt dictum eſt *. Sed prius peruenitur ad medium, quam ad extremum. Ergo filius Dei aſſumpſit prius animam, qnam corpus.

** a. 1. huius q.*

2 Præterea, Anima Chriſti eſt dignior angelis, ſecundum illud Pſal. 96. Adorate eum omnes Angeli eius. Sed Angeli creati ſunt â principio: vt in primo habitũ eſt. * Ergo & anima Chriſti, quæ non fuit ante creata, quam aſſumpta. Dicit enim Damaſc. in 3. lib. * quod nunquam neque anima, neque corpus Chriſti propriam habuerunt hypoſtaſim præter verbi hypoſtaſim. Ergo videtur quod anima fuerit ante aſſũpta, quam caro, quæ eſt concepta in vtero Virginis.

p.p. q. 46. ar. 3.

**li. 3. c. 2.*

3 Præterea, Ioan. 1. dicitur, Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis: & poſtea ſubditur, quod de plenitudine eius nos omnes accipimus, ideſt, omnes fideles quocumque tẽpore: vt Chryſoſt. exponit *. Hoc autem nõ eſſet, niſi anima Chriſti habuiſſet plenitudinem gratiæ & veritatis ante omnes ſanctos, qui fuerũt ab origine mundi: quia cauſa nõ eſt poſterior cauſato. Cum igitur plenitudo gratiæ & veritatis fuerit in anima Chriſti ex vnione ad Verbum, ſecundum illud quod ibidem dicitur, Vidimus gloriam eius quaſi vnigeniti â Patre, plenum gratiæ & veritatis: conſequens videtur, quod â principio mundi anima Chriſti fuerit â Verbo Dei aſſumpta.

Hom. 13. in Io. al. quãtulum â pri. t. 3.

Sed contra eſt, quod Damaſc. dicit in 4. lib. * Non vt quidem mẽtiuntur, ante eam, quæ eſt ex Virgine Incarnationem, intellectus eſt vnitus Deo verbo, & ex tũc vocatus eſt Chriſtus.

l. 4. c. 6. in prin.

Reſpondeo dicendum, quod Origenes poſuit in ſuo Peri Archon * omnes animas â principio fuiſſe creatas, inter quas etiam poſuit animam Chriſti creatam. Sed hoc quidẽ eſt inconueniens, ſi ponatur quod fuerit tunc creata, ſed non ſtatim verbo vnita: quia ſequeretur quod anima illa aliquando habuiſſet propriã ſubſiſtentiam ſine Verbo: & ſic cũ fuiſſet â Verbo aſſumpta, vel non eſſet facta vnio ſecundum ſubſiſtentiã, vel corrupta fuiſſet ſubſiſtentia animæ præexiſtens. Similiter etiam eſt inconueniens, ſi ponatur quod anima illa fuerit â principio Verbo vnita, & poſtmodum in vtero Virginis incarnata: quia ſic eius anima videretur eſſe non eiuſdem naturæ cũ noſtris, quæ ſimul creantur, dum corporibus infunduntur. Vnde Leo Papa dicit in epiſtola ad * Iulianum, quod non alterius naturæ erat caro

li. 4. c. 7. & 8. to. 4

Eſt ep. 11. ad Iulian. Epiſ. Coenſẽ nõ multum ante fin.

eius, quam noſtra: nec alia illi, quam cæteris hominibus anima eſt â principio inſpirata.

Ad primum ergo dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt *, anima Chriſti dicitur eſſe medium in vnione carnis ad Verbum, ſecundum ordinem naturæ: non autem oportet ex hoc, quod fuerit medium ex ordine temporis.

ar. 1. huius q.

Ad ſecundum dicendũ, quod ſicut Leo Papa in eadem epiſtola dicit *, anima Chriſti excellit noſtras animas non diuerſitate generis, ſed ſublimitate virtutis: eſt enim eiuſdẽ generis cum noſtris animabus, ſed excellit etiam angelos ſecũdũ plenitudinem gratiæ & veritatis. Modus autem creationis reſpondet animæ ſecundum proprietatem ſui generis: ex quo habet cum ſit corporis forma, vt creetur ſimul, dum corpori infunditur, & vnitur. Quod non competit angelis, qui ſunt ſubſtantiæ omnino â corporibus abſolutæ.

ad Iulian. Epiſ. non multũ ante fin. illius, & eſt epiſt. 11.

inf. q. 68. a. 1. ad 1. & 3. d. 14 ar. 1. q. 2. ad 1. & 2 & ver. q. 29. ar. 4. ad 9.

Ad tertium dicendum, quod de plenitudine Chriſti omnes homines accipiunt ſecundum fidem, quã habent in ipſum: dicitur enim Roman. 3. quod iuſtitia Dei eſt per fidẽ Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in ipſum. Sicut autem nos in ipſum credimus vt in iam natum: ita antiqui crediderunt in ipſum vt in naſciturum. Habentes enim eundem ſpiritum fidei credimus: vt dicitur ſecundæ ad Cor. 4. Habet autem fides quę eſt in Chriſtum, virtutem iuſtificãdi ex propoſito gratiæ Dei: ſecundum illud Roman. 4. Ei qui non operatur, credenti autem in eum, qui iuſtificat impiũ fides reputatur ad iuſtitiam ſecundũ propoſitum gratiæ Dei. Vnde quia hoc propoſitum eſt æternum, nihil prohibet per fidem Ieſu Chriſti aliquos iuſtificari, etiam antequã eius anima eſſet plena gratia & veritate.

CONCLVSIO eſt negatiua.

In his tribus articulis tria dubia ſunt, quæ circa ordinem aſſũptionis partium humanæ naturæ inter ſe comparatarum, ſolent à Theologis controuerti.

Primum dubium eſt. An caro fuerit aſſumpta à Verbo diuino mediante anima?

Secundum eſt. An anima fuerit prius aſſumpta quam caro?

Tertium eſt, in quo ſenſu anima fuerit aſſumpta mediante mente, ſiue ſpiritu?

Ad quæ proinde à nobis eodem ordine eſt reſpondendum.

1 CIrca primum dubium tres verſantur Theologorũ ſententiæ. Prima eſt Durandi in 3. diſt. 1. q. 2. aſſerentis non fuiſſe ordinem realem, ſed tantum rationis inter partes humanitatis quoad aſſumptionem, neque vnam fuiſſe medium ex natura rei ad aſſumptionem alterius. Cuius fundamentum eſt, quia huiuſmodi realis ordo, neque poteſt eſſe ex parte aſſumptionis, neque ex parte aſſumptorũ: ergo nullo modo. Antecedens, quod nõ ex parte aſſumptionis probatur, quia vbi non eſt realis diſtinctio, neque poteſt eſſe realis ordo; ſed aſſumptio partium, & totius

Digitized by Google

totius humanæ naturæ eſt eadem omnino ſimplex: ergo ex parte illius nequit eſſe realis ordo.

Quod autem neque ex parte aſſumptorum, probatur, quia aut iſte ordo attēderetur inter partes, & totum ipſum; aut inter ſe. Non primum, quia partes ſunt idem realiter cum toto, ac proinde nequit eſſe realis ordo partium ſimul ſumptarum ad totum, aut e contra. Neque ſecundum, quia quando aliquid vnitur duobus non vt duo ſunt, ſed vt vnum: neutrũ eorum poteſt eſſe medium reſpectu alterius; quia quatenus ſunt vnum non diſtinguntur realiter: partes autem humanitatis nō aſſumuntur niſi vt vnitæ: ex quo concludit Durandus tantum reperiri ordinem rationis, vel ſecundum nobilitatem, & dignitatem, quatenus vna pars, ſcilicet anima perfectius participat fructum aſſumptionis, quam altera.

Secunda ſententia fuit Almaini in 3. diſt. 2. q. 2. & Gabrielis quæſtione vnica artic. 2. aſſerentium, quod ſi vera eſt ſententia aſſerens naturam irrationalē, non eſſe aſſumptibilem, anima fuit mediũ ex natura rei, vt caro aſſumeretur: cum enim caro natura irrationalis ſit quantum eſt de ſe non potuit aſſumi niſi mediante anima rationali: ſi autem vera eſt ſententia aſſerens naturam irrationalem eſſe aſſumptibilem, neutra pars fuit medium reſpectu alterius; eo quod quoties aliqua vniuntur medio aliquo, ſi medium auferatur; neceſſe eſt & vnitatem diſſolui; ſed ablata anima rationali à corpore Chriſti, adhuc vnio inter verbum, & corpus non fuit diſſoluta in triduo: ergo corpus non fuit aſſumptum mediante anima: & animā nō fuiſſe aſſūptā mediante corpore, patet eadem ratione, quia alias, anima in triduo ſeparata à corpore non maneret vnita verbo.

2 Tertia ſententia eſt quam ſequũtur Suar. diſp. 17. ſect. 1. 2. & 3. & Valentia hic puncto. 2. in tribus conſiſtens dictis.

Primum eſt, quod ſi fiat comparatio in ordine exequtionis, caro fuit vnita prius verbo quam animæ.

Secundum eſt, quod in hoc eodem ordine exequtionis, vtraque pars poteſt dici prius aſſumpta quam alia in ſuo genere, licet abſolutè, & ſimpliciter caro fuerit prius aſſumpta ſecundum prioritatem naturæ.

Tertium eſt, quod ſi fiat comparatio in ordine intentionis, anima fuit prius aſſumpta quam caro.

Primum dictum huius ſententiæ probat Suarius dupliciter. Tum, quia ſi anima prius fuiſſet vnita carni, quam verbo, prius fuiſſet compoſita tota humanitas, quam anima aſſumpta: ergo etiā prius fuiſſet tota humanitas prius aſſumpta quā anima. Conſequentia patet, quia poſtquā intelligitur tota humanitas conſtituta, nihil intelligitur prius aſſumi quam illa. Tum etiam, quia anima Chriſti prius natura intelligitur ſubſiſtens quam vniretur corpori, & pro illo priori non intelligebatur ſubſiſtens per ſubſiſtentiam propriā: hæc enim fuit impedita à principio aſſumtionis: ergo per ſubſiſtentiam verbi. Maior patet, quia animæ rationales cæterorū hominum ſunt ſubſiſtentes, vtpotè cum fiant per creationem, & per ſe producantur, & non producantur ad productionē totius compoſiti: creari autem, & per ſe produci eſt ſubſiſtentium, teſte D. Tho. 1. p. q. 45. artic. 4. ſed anima Chriſti fuit eiuſdem rationis cum illis: ergo etiam pro primo ſigno rationis pro quo fuit creata, fuit ſubſiſtens.

3 Deinde ſecundum dictum probat etiam dupliciter. Tum, quia materia ſimpliciter ſupponitur ordine naturę creationi animæ, tanquam fundamentum generationis totius compoſiti; ſed pro illo priori ſupponitur ſubſiſtens & exiſtens, [illegible] non per propriam ſubſiſtentiam & exi[illegible]ntiam, quæ fuit impedita: ergo per alie[illegible]n ſcilicet verbi. Tum etiam, quia conueniens eſt ordinem intentionis eſſe contrarium ordini executionis, licet enim perfectiora ſint per prius intenta; executio tamen à minus perfectis inchoari ſolet, ſicut ædificatio domus incipit à fundamento, quod vt pars ignobilior ſupponitur alijs partib⁹ nobilioribus: ita vt ſi quis ędificaret domum in inſtanti, adhuc intelligeretur ordine naturæ prius iacere fundamētum: ergo cum ſecundum ordinem intentionis, vt conſtat ex 3. dicto communi Scholaſticorum ſententia recepto, anima fuerit prius aſſumpta, quam corpus, dicendum eſt, quod ſecundum ordinem executionis corpus fuit prius aſſumptum, quam anima.

Sed vera ſententia Diui Thomæ hic, cui ſubſcribunt Caietauus, & Medina, Vazquius diſp. 37. c. 7. & 8. & Nazarius

rius art. 1. controuer. vnica, & alij recentiores, ſequentibus declaratur aſsertionibus.

4 Dico primo: anima rationalis fuit medium ex natura rei *quo*, & congruẽtiæ, vt corpus ſiue caro aſſumeretur à verbo.

Anima rationalis fuit medium vt caro aſſumeretur à verbo.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus authores primæ ſententiæ; & pro eius intelligentia prenotandum eſt medium aſſumptionis poſſe eſſe multiplex, vt colligitur ex D. Thoma in 3. d. 2. q. 2. art. 1. queſtiũcula 1. & in hoc art. 1. atque ex Caietano ibidem: aliud enim eſt medium colligantiæ quod eſt comune vinculum inter duo extrema, vt Glutinum quo duæ tabulæ colligantur. Aliud verò eſt mediũ, quod eſt ratio aſumendi alterum: & dupliciter vel vt *quod* prius aſſumitur, ſicut vas eſt medium quod per ſe aſſumitur, & mediante quo aſſumitur aqua ſiue vinum: vel vt *quo*, ſicut pulcritudo fœminæ eſt quandoque medium aſſumendi illam in matrimonium: cum tamen ipſa pulcritudo non prius aſſumatur, vt *quo* in matrimonio: & hoc medium adhuc ſubdiuiditur in alia duo, quorum alterum eſt medium neceſsitatis ſine quo vnio, ſcilicet extremorum eſſe non poteſt, ſicut diafaneitas eſt medium quo mediante lux cõiungitur æeri: & alterum eſt medium congruentiæ, quod ſcilicet facit rem congruenter aſſumptibilem, quamuis ſine illo ſimpliciter poſſet aſſumi, vt in exemplo allato, pulchritudo eſt medium ad matrimonium, quia reddit fœminam congruenter aſſumptibilem in vxorem, quæ tamen ſine pulchritudine poſſet ſimpliciter aſſumi in vxorem.

Et adhuc vtrumque medium ſiue neceſsitatis, ſiue congruentiæ poteſt eſſe medium aſſumptionis, ſiue cõiunctionis, aut tantum in fieri, aut etiam in facto eſſe.

Quo ſuppoſito, & prænotato, tria aſſerimus in concluſione, nimirum quod anima Chriſti fuit medium ex natura rei aſumptionis reſpectũ carnis, & quod fuit medium congruentiæ, & non colligantiæ ſiue neceſsitatis, & quod fuit medium per ſe, vt *quo*, ſicut per modum rationis formalis aſumendi carnem.

Quæ proinde probatur quoad partes ſingulas. Quoad primam quidem, quia ſi anima tantum fuiſset medium ſecũdum rem, aut per extrinſecã denominationem non ſaluaretur modus loquendi Cõciliorum, & ſanctorum Patrum expreſsè aſſerentium carnem aſſumptam eſſe à verbo mediante anima: ita enim loquitur ſexta ſynodus generalis actione 18. in confeſsione fidei, Ruphinus in expoſitione ſymboli, Cyryllus in oratione de humanitate eſſumpta, Origenes lib. 1. Periarchon. cap. 6. Damaſcen⁹ lib. 3. cap. 6. Nazianzenus oratione 42. & Auguſtinus in lib. de agone Chriſtiano cap. 18. & Magiſter in 3. d. 2.

Tum etiam ratione probatur, quia medium ex natura rei dicitur illud ratione cuius aliud conſtituitur aſſumptibile: ſed caro Chriſti fuit aſſumptibilis, & de facto aſſumpta à verbo in quantum viuens, & humana: quod non habet niſi ab anima rationali: ergo.

Deinde quoad ſecundam partem probatur, quia cum ex his, quę docuimus ſupra quæſt. 4. conſtet quancumque naturam irrationalem, & non viuentem eſſe aſſumptibilem. Conſequens eſt, quod etiam caro ſecundum ſe abſolute loquendo ſit aſſumptibilis, ac proinde anima nõ fuit medium neceſsitatis, ſed tantum congruentię aſſumendi carnem, quatenus per animam erat caro humana, & vt ſic fuit cõgruenter aſſumptibilis à verbo in ordine ad finem redemptionis.

Denique quoad tertiam partem probatur, quia licet anima, & caro ſit aſſũpta vtraque, vt *quod* partiale, non tamen prius anima fuit aſſũpta vt *quod*, quia nec prius fuit exiſtens, ac ſubſiſtens quam tota humanitas cum ſuis partibus. Et quia non prius intelligitur aſſumpta vt *quod*, quam animet carnem: non autem animat illam, niſi quatenus eſt creata in corpore, ac proinde non prius intelligitur aſſumpta *vt quod*, quam ipſum corpus: ergo.

Dico ſecundo: anima reſpectu corporis aſumendi eſt medium in vtroquè ordine, ſcilicet intentionis, & executionis.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus auctores tertiæ ſententiæ. Et pro prima parte præterquam quod recipitur ab eiſdem auctoribus, eſt expreſſa Angelici Doctoris art. 4. ſequenti in corpore, vbi ait, quod ſicut totum ordine intentionis fuit medium aſumendi partes, ſic anima fuit medium in eodem ordine aſumendæ carnis.

Deinde pro ſecunda parte probatur, quia non inconuenit idem ſub diuerſa

ratione

ratione eſſe prius altero prioritate naturę, in vtroque ordine: nam ſecũdum quod eſt fini propinquius, erit prius in ordine intẽtionis, & ſecũdum quod exercet munus diſpoſitionis ad finem, erit prius in ordine executionis: ſed anima eſt fini propinquior, ſcilicet Deo, & aliàs diſponit carnem vt ſit apta congruenter ad aſumptionem: ergo licet ſub prima ratione ſit prior in aſumptione ſecundum intentionem, tamen ſub ſecunda erit prior ſecundum executionem, non quidem vt *quod*, ſed vt medium *quo*, ſiue vt ratio aſumendi carnem.

6 Ad fundamentum autem Durandi reſpondetur negando antecedens pro ſecunda parte: ordo enim iſte attenditur ex parte aſſumptorum, quatenus caro nõ fuit aſſumpta, niſi in ordine ad animam rationalem, & vt caro humana pertinens ad humanæ naturę integritatem, quod habet per animam rationalem. Ex quo etiam patet ad fundamentum Almaini, qui non bene diffinit medium vnionis, dicens eſſe illud, quo ablato aufertur vnio; medium enim *vt quo*, quale fuit anima reſpectu carnis bene poteſt auferri permanente adhuc vnione, vt contingit in triduo, ſicut deficiente pulchritudine, quæ eſt medium cõgruentiæ *vt quo* aſſumendæ vxoris in matrimonium adhuc permanet matrimonium.

Ad primum pro tertia ſententia, vel neganda eſt conſequentia, quia prius natura intelliguntur partes vnitæ, quam ex eis reſultet tota humanitas: vel negandum eſt antecedens, ſi intelligatur de priori, ſecundum ordinem executionis, quia ſecundum executionem prius intelliguntur partes vniri, quam intelligatur tota humanitas compoſita, licet ſecundum ordinem intentionis prius tota humanitas intelligatur vniri verbo, quã partes.

Ad ſecundum neganda eſt conſequentia ſi intelligatur de ſubſiſtente vt *quod*. Ad cuius probationem dicendum eſt, quod anima rationalis immediate creatur à Deo, non quidem omnino per ſe, id eſt ſeparatim à corpore, ſed in ipſo corpore, ac proinde illud axioma, creari propriũ eſt ſubſiſtentium, intelligendum eſt indifferenter, & de ſubſiſtẽtibus per ſe ſeparatim, cuiuſmodi ſunt omnes ſubſiſtantię cõpletæ, & de ſubſiſtentibus per ſolam independentiam à materia, quamuis non actu ſubſiſtant *vt quod*, ſed potentia tantum, cuiuſmodi ſunt animæ rationales.

Ad tertium nego minorem, quia materia non ſubſiſtit, neque exiſtit, niſi per formam conſtituentem totum, cui primo conuenit ſubſiſtere, & exiſtere: & propterea anima rationalis prius natura ſubſiſtit & exiſtit *vt quo*, quã materia per eam informata.

7 Ad quartum dicendũ eſt, quod ordo executionis eſt contrarius ordini intentionis in illis quæ mutuam habent dependentiam, ſecus vero in his quorum vnum omnino dependet ab altero ſecundũ actionem, in qua duplex ille ordo conſideratur: alterum autem nullo modo ſecundum illam actionem ab eo dependet: tunc enim idem in vtroque ordine poterit eſſe prius altero, ſicut contingit in infuſione gratiæ, ad quam diſponitur adultus per motum ſupernaturalem liberi arbitrij, quo quidem infuſsio gratię eſt prior, in ordine intentionis, & executionis: in illo quidẽ, quia talis mot⁹ eſt diſpoſitio ad infuſsionẽ gratiæ: in iſto vero quia talis motus oritur à gratia, tunc à Deo infuſa, vt colligitur ex Diuo Thoma, & Caietano 1. 2. q. 113. art. 8. & idem proportionabiliter cõtingit in paſsiua aſſumptione animæ & carnis, nã reſpectu carnis anima habet cauſalitatem in genere cauſæ finalis, & formalis, ſiue diſpoſitiuæ.

Circa ſecundum dubium omnes Theologi conueniunt in vno, & diſcriminantur in alio: cõueniũt quidem in admittendo concluſionem Diui Thomæ, nimirum quod verbum aſſumpſit animam mediante ſpiritu, ſiue mente: eo quod prædicti Patres in locis præallegatis dubio præcedenti illam docent.

Explicatur quid ſit verbum aſſumpſiſſe animam mediante ſpiritu.

8 Diſcriminantur autem circa ſenſũ illius in tres modos dicendi, ſecundum quod nomen mentis, ſiue ſpiritus tripliciter accipi poteſt. Medina enim in hoc art. 2. & Suarius aſſerit nomine mentis, ſiue ſpiritus ſignificari ipſam ſubſtantiam animæ, ſecundum quod præſtat gradum intellectiuum, & rationalem, quæ vt præſtat gradum ſenſitiuum, dicitur anima, ac proinde ſenſum huius propoſitionis ſanctorum Patrum eſſe, quod verbum aſſumpſit animam, id eſt gradum ſenſitiuum mediante gradu intellectiuo: & quia iſti gradus ſola ratione diſtinguntur, ita intelle-

ctiuus

ctiuus tantum erit medium rationis reſpectu animæ, quatenus præſtat gradum ſenſitiuum. Caietanus vero, & Siluius, Valentia puncto 3. & Aluarez in expoſitione eiuſdem articuli volunt nomine animę intelligi potentias inferiores, vegetatiuã ſcilicet & ſenſitiuam: nomine vero mentis ſiue ſpiritus intelligi potentiam ſuperiorem animæ, ſcilicet intellectum, & voluntatem, quæ quia digniores ſunt, conſtituũt aliàs congruenter aſſumptibiles, acproinde fuerint medium vt aſſumeretur portio inferior, non quidem ſicut anima fuit medium vt aſſumatur caro, ſed ſolum ratione dignitatis, quatenus portio ſenſitiua reditur dignior ex coniunctione ad intellectiuam: qui modus dicendi videtur etiam eſſe Diui Thomæ in artic. 2. ad tertium.

Vazquius denique diſput. 38. c. 2. ait, nomine animæ intelligi à ſanctis Patribus ſubſtantiam animæ ſecundum omnes gradus, ſcilicet vegetatiuum, ſenſitiuum, & rationalem: nomine vero ſpiritus intellectum, & uoluntatem; & ideo cum denominat verbum aſſumpſiſſe animam mediante ſpiritu, ſiue mente, ſenſus eſt quod ratione potentiæ intellectiuæ, & volitiuæ anima eſt dignior, & congruenter aſſumptibilis à verbo ad finem redemptionis, idque ſibi perſuadet prædictus auctor dupliciter.

Tum, quia nomine ſpiritus, ſiue mẽtis intelligunt Patres prædicti potentiam intellectiuam, vt patet ex Damaſceno lib. 3. cap. 6. Cirыllo lib. 10. in Ioannem c. 1. Epiphanio hæreſi 77. Auguſtino lib. de ſpiritu, & litt.. cap. 10. & ex Diuo Thoma in hoc art. 2. in corpore probat ſpiritũ ſumi pro intellectu, ex illo ad Epheſ. 4. *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ.*

Tum etiam, quia prædicti Patres in eo ſenſu hanc propoſitionem admittebant, vt contradiceret errori Apolinaris aſſerentis verbum aſſumpſiſſe animam ſine intellectu, eo quod exiſtimabat ipſum verbum vnitum fuiſſe pro intellectu: ergo quando dicunt animam medio ſpiritu aſſumptam fuiſſe, idem eſt apud Patres, atque medio intellectu.

Sed omees iſti modi dicendi, licet probabiliter ſuſtineri poſsint, nihilominus ſunt inſufficientes, & minus conformes loqutioni ſanctorum Patrum.

Primus quidem, quia non ſaluat cauſalitatem, & ordinem cauſalem medij aſſumptionis ad illud, reſpectu cuius eſt medium. quæ tamen ſaluari debet; in eodem enim ſenſu, & pariformiter Patres docent carnem fuiſſe aſſumptam mediante anima, atque animam mediante ſpiritu, ſiue mente. Sed prima loqutio denotat animam fuiſſe medium ex natura rei habens ordinem, & cauſalitatem realem reſpectu carnis aſſumendæ: ergo. In ſecunda loqutione etiam denotatur ſpiritum eſſe medium ex natura rei habens ordinẽ, & cauſalitatem realem reſpectu animę aſſumendæ,

Secundus vero, quia aſſumi non conuenit immediate potentijs, quæ accidentia ſunt, ac proinde à verbo tantum mediate aſſumpta: ſed prædicta propoſitio debet intelligi de eo quod per ſe aſſumptum fuit à verbo, vt medium *quo*, & vt ſubiectum mediante illo fuit aſſumptum: ergo.

Tertius denique ob eandem rationem, quia intellectus eſt accidens, quod à verbo non fuit immediate aſſumptum, ſed ſecundario, & cõſequenter ad aſſumptionem animæ & humanitatis: ergo non potuit eſſe medium aſſumendi animam, maxime quod nullam habet cauſalitatẽ reſpectu animæ, neque enim habet rationem cauſæ formalis, cum ſit illa poſterior, neque cauſæ finalis, cũ ſit illa imperfectior: id autem quod eſt medium ex natura rei importat huiuſmodi cauſalitatem, & ordinem realem, vt dictum eſt.

9 Quare his reiectis dicendum eſt cum Nazario controuerſia vnica ſuper artic. 2. quod nomine ſpiritus intelligitur ſubſtantia animæ ſecundum gradum intellectiuum, & ſuis potentijs intellectiuis cõparata ad alios gradus animæ cum potentijs inferioribus: ita vt ſenſus ſit, verbum aſſumpſit animam quoad gradum vegetatiuum, & ſenſitiuum cum ſuis potentijs medio gradu intellectiuo cum potentia intellectiua ad illum conſequuta; quia ſic ſaluantur in ſpiritu omnia, quæ requiruntur ad medium ex natura rei, &c. nam ex vna parte conuenit ei aſſumi per ſe, & immediate, & ex alia ordo realis dignitatis, & cauſalitas ſecundum congruentiam, vt ſit prius, vt *quo* in ordine intentionis, & executionis. Neque oppoſitum conuincunt argumenta Vazquij.

CIRCA

10 CIRCA Tertium dubium prænotandum eſt fuiſſe errorem Origenis lib. 1. Periarchon. c. 7. & 8. aſſerentis omnes animas, & ſpirituales creaturas fuiſſe creatas à principio: & ſecundum quod plus, vel minus adhæſerunt Deo, vel diuerterunt ab ipſo, facta eſt dictinctio per libertatem arbitrij ſui inter Angelos, & animas, & iſtæ diuerſa corpora ſortitæ ſũt: & ſimiliter aſſerit de anima Chriſti, quod fuit creata à principio, & poſtea ſuis meritis fuiſſe aſſumptam à verbo, vt refert Diuus Thomas in hoc art. 3. & ad Hebræos 1. lect. 4. & 1. p. q. 90. artic. 4. & 2. contra gentes cap. 83.

Sed contra hunc errorem ſtatuitur catholica veritas pro cõcluſione, ſcilicet quod anima Chriſti non fuit prius tempore vnita Deo per gratiã, vel hypoſtatice, quam caro. Quæ præterquã quod eſt diffinita in quinta ſynodo generali, ſub his verbis: *Si quis dicit, aut ſentit animam Domini praeextitiſſe, vnitamque eſſe Deo verbo ante incarnationem, & natiuitatem ex Virgine, anathema ſit*: vt referet Nicephorus lib. 7. hiſtoriæ cap. 28. Similis deffinitio habetur in ſexta ſynodo actione 11. & apud Leonem primum epiſt. 11. probatur à D. Thoma in hoc art. 3. ratione deſumpta ex Leone Papa, epiſtola citata. Nimirum, ſi anima Chriſti fuit creata ante vnionẽ cũ corpore: vel ſtatim fuit hypoſtatice verbo: vnita, vel habuit à principio propriã ſubſiſtentiam, neutrum poteſt dici. Non primum, quia ſic anima Chriſti non eſſet eiuſdem naturæ cum noſtris: quæ ſimul creatur dum corporibus infunduntur. Neque ſecundum, quia aut non eſſet facta vnio ſecundum ſubſiſtentiam, ſed tantum accidentaliter, vt dicebat Neſtorius, aut corrupta fuiſſet præexiſtens ſubſiſtentia animæ: & vtrumque eſt inconueniens: ergo.

Neque obſtant huic rationi duæ obiectiones, quas Valentia puncto 1. objicit. Prima eſt, quia ex data hypoteci non ſequitur animam Chriſti eſſe alterius ſpeciei à cæteris animabus rationalibus: nihil enim intereſt ad naturã alicuius rei, quod producatur ante vel poſt: cum productio ſit omnino extra naturam rei.

Secunda eſt, quia non inconuenit modum illum ſubſiſtentiæ, quem haberet anima Chriſti ante incarnationem poſtea corrumpi in inſtanti ipſo incarnationis, ſi quidem probabilius eſt ſubſiſtentiam illam, qualem habent animæ ſeparatæ à corporibus ſola ratione diſtingui ab ipſa animæ natura. Vnde quando in reſurrectione reuniuntur corporibus, deſinit eſſe modus ille ſubſiſtentiæ: & tamen nulla realitas animæ corrumpitur.

11 Non inquam obſtant: nam ad primum facili negotio reſpondetur rationem Angelici Doctoris ſupponere animam Chriſti non fuiſſe ex aliquo priuilegio productam prius tempore, quã vniretur corpori: ac proinde ſi fuiſſet ſic producta, vt contendebat Origenes, id habuiſſet, quia ex ſua natura peteret hunc modum productionis. In prima enim rerum conſtitutione (ait Auguſtinus) non attenditur quid potuerit Deus facere, ſed quid exigant ipſæ naturæ rerum, & earũ ordo: ac proinde cum animæ noſtræ ſecũdum naturalem modum ſuæ productionis creentur in corporibus, eo quod ſunt naturaliter formę corporum, ideò recte ſequitur, ſi anima Chriſti fuiſſet producta ante vnionem cum corpore, illam eſſe diuerſæ ſpeciei à noſtris, vtpote quia exigeret diuerſum modum naturalem productionis.

Ad ſecundum negandum eſt antecedens. Ad cuius probationem dicendum eſt, quod ſubſiſtentia animæ ſeparatæ, licet partialis, eſt modus realiter diſtinctus à natura ipſius animæ, non minus quã ſubſiſtentia completa Angeli, realiter diſtinguitur ab eius natura: vt late Caietanus ſupra quæſt. 4. art. 2. ac proinde ſi hęc corrumperetur in inſtanti incarnationis, aliquis modus realis animæ Chriſti corrũperetur: & quia idem eſſe, & ſubſiſterè animę rationalis deriuatur ad totum, & cõmunicatur illi, teſte Diuo Thoma 1. p. q. 76. art. 1. ad quintum, vbi ſic ait: *Anima illud eſſe in quo ſubſiſtit communicat materiæ corporali, ex qua & anima intellectiua fit vnũ, ita quod illud eſſe quod eſt totius compoſiti. eſt etiam ipſius animæ, quod non accidit in alijs formis, quæ non ſunt ſubſiſtentes, & propter hoc anima humana remanet in ſuo eſſe destructo corpore, non autẽ aliæ formæ.* Propterea neque quãdo anima rationalis ſeparatur à corpore adquirit nouã ſubſiſtẽtiã, & exiſtẽtiam neq; quãdo illi reunitur in reſurrectione amittet propriam ſubſiſtentiam, & exiſtẽtiam: ſed eadem quæ antea erat ſubſiſtentia, & exiſtentia animæ, erit deinde totius hominis,

Digitized by Google

hominis,& anima deſinet ſubſiſtere, & exiſtere vt *quod*, non per amiſsionem ſubſiſtētiæ,& exiſtētiæ,ſed per hoc quod aliter terminatur actu ſubſiſtendi,& exiſtendi anima quando eſt actu pars hominis, atque quando eſt actu ſeparata habens modum ſuppoſiti.

ART. IV.

Vtrum caro Chriſti fuerit prius à Verbo aſſumpta, quã animæ vnita?

locis ſup. a. 3. citat.

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod caro Chriſti fuerit prius à Verbo aſſumpta, quam animæ vnita. Dicit enim Auguſt. in lib. de fide * ad Petr. Firmiſsimê tene, & nullatenus dubites, non carnem Chriſti ſine diuinitate conceptã in vtero virginis, priuſquam ſuſciperetur â Verbo. Sed caro Chriſti videtut prius fuiſſe conce pta, quam animæ rationali vnita: quia materia vel diſpoſitio prior eſt in via generationis, quam forma cõpletiua. Ergo prius fuit caro Chriſti aſſumpta, quam animæ vnita.

c. 18. in prin, to. 3.

2 Præterea, Sicut anima eſt pars naturæ humanæ, ita & corpus. Sed anima humana non habuit aliud principium ſui eſſe in Chriſto, quam in alijs hominibus: vt patet ex auctoritate Leonis Papæ ſupra inducta *. Ergo videtur, quod nec corpus Chriſti aliter habuerit principium eſſendi, quam in nobis. Sed in nobis ante concipitur caro, quam adueniat anima rationalis. Ergo etiam ita fuit in Chriſto. Et ſic caro prius fuit a Verbo aſſumpta, quam animæ vnita.

in a prac. in ſi. cor.

3 Præterea, ſicut dicitur in lib. de cauſis *, cauſa prima plus influit in cauſatum, & prius vnitur ei, quam cauſa ſecunda. Sed anima Chriſti comparatur ad Verbum, ſicut cauſa ſecunda ad primam. Prius ergo verbum eſt vnitum carni, quã anima.

in prop. 1. habetur hic liber inter op. Ari. to. 3.

Sed contra eſt, quod Damaſc. dicit in 3. lib. * Simul Dei verbi caro, ſimul caro animata, rationalis, & intellectualis. Non ergo vnio verbi ad carnem, præceſsit vnionē ad animam.

l. 3. ort. fi. c. 2.

Reſpondeo dicendum, quod caro humana eſt aſſumptibilis a verbo, ſecundum ordinem, quem habet ad animam rationalem, ſicut ad propriam formam. Hunc autem ordinem non habet antequam anima rationalis ei adueniat: quia ſimul dum aliqua materia fit propria alicuius formæ, recipit illam formam: vnde in eodem inſtanti terminatur alteratio, in quo introducitur forma ſubſtantialis. Et inde eſt, quod caro non debuit ante aſſumi, quam eſſet caro humana: quod factum eſt anima rationali adueniente. Sicut igitur anima nõ eſt prius aſſumpta, quã caro, quia contra naturam animæ eſt, vt prius ſit, quam corpori vniatur: ita caro non debuit prius aſſumi quam anima: quia non prius eſt caro humana, quam habeat animam rationalem.

Ad primum ergo dicendum, quod caro humana ſortitur eſſe per animam. Et ideo ante aduentum animæ, non eſt caro humana: ſed poteſt eſſe diſpoſitio ad carnem humanam. In conceptione tamen Chriſti, Spiritus ſanctus qui eſt agens infinitæ virtutis, ſimul & materiam diſpoſuit, & ad perfectum perduxit.

Ad

Digitized by Google

Ad ſecundum dicendum , quod forma actu dat ſpeciem : materia autem quantum eſt de ſe, eſt in potentia ad ſpeciem. Et ideo contra rationem formæ eſſet, quod præexiſteret naturæ ſpeciei , quæ perficitur per vnionem eius ad materiam: non autem eſt contra naturam materiæ, quod præexiſtat naturæ ſpeciei. Et ideo diſsimilitudo, quæ eſt inter originem noſtram, & originem Chriſti ſecundum hoc , quod caro noſtra prius concipitur , quâm animetur, non autem caro Chriſti: eſt ſecundū illud , quod præcedit naturæ complementum, ſicut, & quod nos concipimur ex ſemine viri , non autem Chriſtus. Sed diffetentia , quæ eſſet quantum ad originem animæ, redūdaret in diuerſitatem naturæ.

Ad tertium dicendum, quod Verbum Dei per prius intelligitur vnitum carni, quam anima per modum communem, quo eſt in cæteris creaturis, per eſſentiam , potentiam , & præſentiam. Prius tamen dico , non tempore, ſed natura : prius enim intelligitur caro, vt quoddā ens, quod â Verbo habet, quā vt animata, quod habet ab anima. Sed vnione perſonali prius ſecundum intellectum oportet, quod caro vniatur animæ, quâm Verbo: quia ex vnione ad animam, habet, quod ſit vnibilis Verbo in perſona: præſertim, quia perſona non inuenitur, niſi in rationali natura.

12 Concluſio eſt, carnē Chriſti non fuiſſe prius tempore vnitam Verbo, quam animæ ; quæ eſt certa ſecundum fidem, vtpotè cum ſit in pluribus concilijs generalibus diffinita, & à Sāctis Patribus explicata contra quemdā antiquū errorem, quem Caluinus , vt refert Caniſ. lib. 3. de Beata Virgine, c. 21. ſuſcitauit, dicens carnem Chriſti, prius tempore extitiſſe vnitam diuino Verbo , quam fuiſſet vnita animæ: ſed habetur noſtra concluſio in canone citato à Nicephoro vbi ſupra. ex 5. Synodo generali, & in 6. Synodo, actione 11. & in Concilio Epheſino, canone 13. & in ædicto fidei Iuſtiniani Imperatoris: doceturque à Damaceno, lib. 3. cap. 2. Leone 1. Epiſt. 11. Fulgentio, lib. de fide ad Perrum, c. 18. Ambroſ. lib. 3. de Incarnationis Dominicæ Sacramento, c. 6. & Aug. epiſt. 3. aſſerentibus carnem Chriſti, ſimul vnitam animę rationali, atque Dei Verbi carnē fuiſſe. Deinde probatur à D. Th. in art. 1. hac ratione: ſi caro Chriſti prius tēpore extitiſſet vnita Verbo, quā vniretur animæ, aut eſſet tunc caro humana, aut nō: ſi primū ergo iam erat vnita animæ rationali, non enim caro habet, quod ſit humana, niſi ab animæ rationalis informatione: ſi ſecūdū: ergo Verbū à principio aſſummeret carnē, non per ordinem ad animam rationalem, & quæ non eſſet pars humanæ naturæ; quod eſt abſurdum: vt conſtat ex dictis.

Colligitur etiam ex hac ratione , quod neque caro Chriſti extitit prius tempore, quam eſſet vnita Verbo , quia in eodem inſtanti animationis , in quo fuit facta caro humana, fuit etiam à Verbo aſſumpta, ſicut neque ante animationam erat humana, ita neque ante aſſumptionem erat exiſtens in rerum natura, præter quam quod ſi humana caro Chriſti extitiſſet ante vnionem cum Verbo, etiam eius humanitas extitiſſet; & extiſſet in ſupoſito proprio , & connaturali: quod eſt contra diffinitionē Eccleſiæ in Concilio Epheſino canone citato, & in 5. Synodo generali collation. 6. in 6. Synodo, actione 11. in epiſt. Sofronij, & in 7. Synodo, actione 13. & in Concilio Francofordienſi, in epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ.

ART. V.

Vtrùm tota humanitas, ſit aſſumpta mediantibus partibus?

3. d. 2. q. 2. ar. 1. q. 3. & a. 3. q. 1. c. & d. 3. q. 5. a. 2. c. & d. 5. q. 2. ar. 3.

Ad quintum ſic proceditur. Videtur, quòd filius Dei aſſūpſerit totam naturā humanā mediātibus partibus eius. Dicit enim Aug. in lib. de

Agone Chriſtiano, * quod inuiſibilis, & incommutabilis veritas per ſpiritum animam, & per animam corpus, & ſic totum hominem aſſūpſit. Sed ſpiritus, anima, & corpus ſunt partes totius hominis. Ergo totū aſſūpſit mediātibus partib⁹.

** colligitur ex ca. 18. 19. 20. 21. 10. 3.*

2 Præterea, ideo filius Dei carnem aſſumpſit mediāte anima, quia anima eſt Deo ſimilior, quam corpus. Sed partes humanæ naturæ, cū ſint ſimpliciores, quâm corpus, videntur eſſe ſimiliores Deo, qui eſt ſimpliciſsimus, quâm totum. Ergo aſſumpſit totū mediātibus partibus.

3 Præterea. Totum reſultat ex vnione partium. Sed vnio intelligitur, vt terminus aſſumptionis, partes autem præintelliguntur aſſumptioni. Ergo aſſūpſit totū per partes.

l. 3. c. 16. circa fin.

Sed contra eſt, quod Damaſcen. dicit in 3. lib. * In Domino noſtro Ieſu Chriſto non partes partium intuemur, ſed quæ proximê componuntur, id eſt, deitatem, & humanitatem. Humanitas autem eſt quoddā totum, quod componitur ex anima, & corpore, ſicut ex partibus. Ergo filius Dei aſſūpſit partes mediāte toto.

Reſpondeo dicendum, quod cū dicitur aliquid medium in aſſumptione Incarnationis, non deſignatur ordo temporis: quia ſimul facta eſt aſſumptio totius, & omnium partiū. * Oſtenſum eſt enim, quod ſimul anima, & corpus ſunt ad inuicem vnita ad conſtituendam naturam humanam in Verbo. Deſignatur autem ibi ordo naturæ: vnde per id quod eſt prius in natura, aſſumitur id quod eſt poſterius. Eſt autem aliquid prius in natura dupliciter, Vno modo, ex parte agentis; alio modo ex parte materiæ: hæ enim duæ cauſæ præexiſtunt rei. Ex parte quidem agentis eſt ſimpliciter primum illud, quod primo cadit in eius intentione: ſed ſecundum quid prius eſt illud, â quo incipit eius operatio. Et hoc ideo, quia intentio eſt prior operatione. Ex parte vero materiæ eſt primum illud, quod prius exiſtit in tranſmutatione materiæ. In Incarnatione autem opportet maxime attendere ordinē, qui eſt ex parte agentis: quia vt Aug. dicit in Epiſt. ad Voluſianum, † in talibus rebus tota ratio facti eſt potentia facientis. Manifeſtum autem eſt, quod ſecundum intentionem faciētis prius eſt completum, quâm incōpletum, & per conſequens totum, quam partes. Et ideo dicendum eſt, quod Verbum Dei aſſumpſit partes humanæ naturæ mediante toto: ſicut enim aſſumpſit corpus propter ordinem, quem habet ad animam rationalem, ita aſſumpſit corpus, & animam, propter ordinem, quem habent ad humanam naturam.

.. r. 1. huius q. & art. 2.

non multū remotè medium: eſt epiſt. 3. to. 2.

Ad primum ergo dicēdum, quôd ex verbis illis, nihil aliud datur intelligi, niſi quod Verbum, aſſumendo partes humanæ naturæ, aſſumpſit totam humanā naturam: & ſic aſſumptio partium eſt prior in via operationis, intellectu, nō tempore. Aſſumptio autem naturæ eſt prior, in via intentionis: quod eſt eſſe prius ſimpliciter, vt dictum eſt. *

in co. ar.

Ad ſecundum dicendum, quod Deus ita eſt ſimplex, quod etiam eſt perfectiſsimus: & ideo totum eſt magis ſimile Deo, quam partes, in quantum eſt perfectius.

Ad tertium dicēdum, quod vnio perſonalis eſt, ad quam terminatur aſſumptio: non autem vnio naturæ, quæ reſultat ex coniunctione partium.

PRima concluſio, Verbum diuinum aſſumſit partes humanitatis mediante toto ſimpliciter loquendo, Secunda concluſio in ſolutione ad primum, in via executionis aſſumptio partium fuit prioritate tantum naturæ in via autem intentionis fuit prior aſſumptio totius.

Cir-

Circa has concluſiones. Dubiũ eſt, an partes humanitatis, anima, & corpus fuerint prius natura aſſumptæ, vt quod, *quam tota humanitas?*

Sub alijs autem terminis.

AN fuerint prius aſſumptæ, vt *quod*, quàm inter ſe vnitæ ad conſtitutionem humanæ naturæ?

Proponitur ſententia affirmans partes humanitatis prius fuiſſe aſſumptas, quam vnitas inter ſe.

13 In quo dubio tres verſantur ſententiæ, duæ extremæ, & vna media. Quarum prima aſſerit, aut ambas partes humanitatis fuiſſe prius natura in ordine executionis vnitas, vt *quod* verbo, quàm vnitas inter ſe: aut ſaltem vnam ex illis, ſcilicet, animam rationalem fuiſſe prius aſſumptam, vt *quod*. Hanc ſententiam in primo ſenſu tuentur, Ricardus in 3. diſt. 2. quæſt. 1. Abulenſis, Paradoxa 2. quæſt. 42. Caietanus, & Siluius in hoc articulo. Valencia punto 2. & Vincentius in relectione, quæſt. 5. & in 2. ſenſu illam tenent Gabriel in eodem 3. diſt. citata, quæſt. vnica, & Aluarez in expoſitione huius articuli. Quorum fundamenta ſunt tria. Primum deſſumitur ex authoritate Auguſtini, lib. de agone, cap. 18. & in epiſtola 3. & D. Thom. hic in ſolutione ad primum aſſerentium verbum prius natura in via operationis aſſumpſiſſe partes, quam totam humanam naturam, quæ verba non poſſunt congruentur intelligi, niſi de aſſumpto, vt *quod*: ergo, minor patet, quia ſic partes fuerunt aſſumptæ prius, quam totum in via operationis, ſicut in via intentionis aſſumptæ, vt *quod*, vt docet Diuus Thomas in articulo, & in 3. diſtinction. 2. quæſtion. 2. articulo 1. quæſtiuncula 3. vbi ſic habet: partes originaliter ſunt priores toto, quaſi conſtituentes ipſum: totum autem completiue eſt prius partibus, quia ratio naturæ completæ inuenitur prius in ipſo toto, & ideò dicendum eſt, quodammodo mediantibus partibus aſſumpſit totum, in quantum ſcilicèt partes originaliter humanam naturam conſtituebant, cui per ſe aſſumptio debebatur; quodammodo autem partes mediante toto, in quantum ratio humanæ naturæ, quæ per ſe aſſumptibilis eſt per prius. Inuenitur in toto, &c. Conſtat autem partes in illo priori eſſe conſtitutiuas, vt *quod* totius humanitatis: ergo etiam pro illo priori ſunt aſſumptæ, vt *quod*.

Secundum eſt, quia ordo compoſitionis eſt contrarius ordini reſolutionis, ita vt primum in ordine compoſitionis, ſit vltimũ in ordine reſolutionis, & è contra, ſed ordo reſolutionis incipit à tota humanitate, & terminatur ad partes, verbo vnitas, vt *quod* in actu; ergo, ordo compoſitionis incipit ab aſſumptione, & vnione partium, vt *quod* in actu. Neque obſtat ſolutio quorundam aſſerentium maiorem eſſe falſam in his compoſitis, quæ cõſtant ex pluribus entibus in potentia, quale eſt continuũ, cuius diuiſio, & reſolutio terminatur ad partes diuiſas exiſtentes in actu, vt *quod*; & tamen in ordine compoſitionis non habuerunt eſſe in actu prius, quàm totum: quia vt partes ſint natura, ideſt cauſalitate priores toto, non eſt neceſſe, vt habeant eſſe in actu prius, quàm totum, ſed ſatis eſt, vt in eodem inſtanti temporis exiſtant in actu, ſimul cum toto, & prius natura ſint radicaliter, & veluti fundamentatur exiſtentes: ergo manet argumentum inconcuſſum.

Tertium eſt, quia eodem ordine ſubſiſtencia verbi terminat humanitatem, & eius partes, quo propria ſubſiſtentia illas terminaret; ſed propria ſubſiſtentia prius terminaret partes, vt *quod*, quam totam humanitatem: ergo, etiam ſubſiſtentia Verbi prius terminat partes humanitatis, vt *quod*, quam totam humanitatem. Maior patet, quia ſubſiſtentia Verbi ſucedit loco propriæ, & tantum habet ſuplere munus illius: minor autem probatur; quia tàm anima, quàm materia gaudent proprijs ſubſiſtentijs partialibus, quibus ſubſiſtunt, vt *quod* prius natura, quàm vniantur, & conſtituant totum; quod ex duplici capite colligi poteſt; tum ex proprijs actionibus, quibus producuntur, anima enim rationalis, & ſimiliter materia fit per creationem, & vtraque prius natura eſt creata ante quàm ex vnione vtriuſque reſultet humanitas. Ac proinde vtraque habet exiſtentiam, & ſubſiſtenciam prius natura, quam formaretur humanitas; quia hæc non formatur, niſi ex extremis iam creatis, & exiſtentibus.

Tum etiam ab inconuenienti, quod ſequitur in Chriſto, nimirum in hac vita mortali continuo ſemper fuiſſe mutatas, & de nouo productas vniones hypoſtaticas, quæ cum producãtur in inſtãti, tot eſſent numero productæ, quòt inſtantia temporis, atque adeò infinitæ eſſent productæ: quod patet, quia in continua nutritione, & conuerſione alimenti in ſubſtantiam aliti: in materiam alimenti continuo introducèbatur anima rationalis, abſque propria ſubſiſtentia, & exiſtentia, cum vnione ad ſubſiſtentiam, & exiſtentiam Verbi: quod tamen eſt inconueniens: ergo.

15 Secũda ſententia, quã ſequitur Suarius, diſp. 17. ſect. 5. & Peſan. hic diſput. vnica, aſſerit in incarnatione duas interueniſſe vniones partiales, & vnam totalem: illas quidẽ terminatas ad partes prius natura, quàm vnirentur inter ſe; iſtam verò terminatam fuiſſe ad totam humanam naturam, ex quibus in ordine intentionis prima, ſecundum hos authores fuit vnio totius humanitatis ad Verbum: in ordine verò executionis fuit vnio animę ad Verbum. Secunda fuit vnio corporis, & poſtrema fuit vnio totius humanitatis. Quorum fundamenta ſunt duo. Primum eſt, quo vtitur Suarius; quia ſcilicèt nec vnio animæ ad Verbum, nec vnio corporis ad Verbum dependet ab vnione animæ ad corpus: ergo eſt diſtincta, prior, & independens ab illa. Conſequentia eſt nota: & antecedens probatur, quia diſoluta vnione animæ ad corpus manſerunt in triduo vniones animæ, & corporis ad Verbum; quæ tamen non manerent ſi dependerent ab illa: aut ſi eſſent idem cum vnione totius humanitatis ad Verbum: ergo. Quod ſi dicas in illo triduo deſijſſe quidem vnionem antiquam humanitatis, & eius partium cum verbo, & productas fuiſſe alias duas vniones de nouo, vnam cum corpore, & aliam cum anima. Contra hoc obijcit Suarius teſtimonia in quibus Sancti Patres, & Scholaſtici tradunt vnionem hypoſtaticam eſſe indiſſolubilem, & in morte Chriſti fuiſſe, quidem animam ſeparatam à corpore, non tamen à Verbo, contra axioma Dioniſij: *Quod ſemel aſſumpſit numquam dimiſit.* De quorum numero ſunt Leo Primus, ſermone 9. de Natiuitate, & ſermone 7. de Paſsione, Auguſtin. tractatu 45. in Ioannem, Bernardus lib. 5. de conſideratione, cap. 9. Concilium Toletanum 11. in Seſsion. fidei, & Scolaſtici cum Magiſtro, in 3. diſt. 21. & Diuus Thomas infra quæſt. 30. articulo 2. & 3. & articulo 1. præcedenti in ſolutione ad primum.

Secundum eſt, quo vtitur Peſan. quia ſcilicèt vniones diſtinguntur ex ſubiectis in quibus ſunt; ſed in Chriſto ſunt tria ſubiecta realiter diſtincta, nimirum anima, materia, & humanitas ex illis reſultans: ergo ſingulis ſingulæ vniones eodem ordine correſpondent.

Tertia ſententia aſſerit, nullam humanitatis partem fuiſſe prius natura aſſumptam, vt *quod* à Verbo, quam tota humanitas aſſummeretur; ſed vtramque fuiſſe prius aſſumptam, vt *quo* in ordine executionis; & in hoc ſenſu verificari, quod Verbum aſſumpſit totam humanam naturam mediãtibus partibus in via executionis; in ordine autem intentionis, & executionis, tota humanitas fuit prius natura aſſumpta, vt *quod*: ita Scotus in 3. diſt. 2. quæſt. 2. Paludanus ibidem, Almainus, quæſt. 1. Altiſio. d. lib. 3. Summæ tractatu 1. quæſt. 2. Medina in hoc articulo; Nazarius controuerſia vnica, & Vazquius, diſp. 36. cap. 5. & diſput. 39. cap. 2. & 3. & quia hæc ſententia eſt conformior veritati, & doctrinæ D. Thom. pro eius declaratione.

16 Dico primo, neque anima, neque caro fuit aſsũpta, vt *quod* in via executionis prius natura, quàm tota humanitas. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus authores primæ ſententiæ, & probatur pro prima parte, quia anima quando creatur in corpore non ſubſiſtit per ſe, vt *quod* in actu; ſed tantum ſubſiſtit in tota humanitate; & pro illo priori pro quo cauſalitate cauſæ formalis præcedit conſtitutionem totius humanitatis, nõ ſubſiſtit, niſi vt *quo* in actu: & vt *quod* in potentia: ergo, neque fuit pro illo priori aſſumpta. vt *quod* à Verbo diuino. Conſequentia patet, quia ſubſiſtencia Verbi non terminat humanitatem, & eius partes, niſi eo ordine quo terminantur in propria ſubſiſtentia. Ac proinde pars quæ ante conſtitutionem totius non eſt ſubſiſtens, vt *quod* per propriam ſubſiſtentiã, neque poteſt ſubſiſtere, vt *quod* per ſubſiſtentiam Verbi. Antecedens autem probatur. Tum, quia teſte Diuo Thoma in 3. diſt. 5. quæſt. 3. articul. 2. ratio perſonæ, ſiue ſubſiſtentis, vt *quod* nõ primo conuenit parti, ſed toti.

Præfertur ſententia, D. Th. negans partes fuiſſe prius aſſumptas, vt quod.

Tum

Tum etiam, quia illud eſt ſubſiſtẽs vt *quod* in actu, quod eſt per ſe ſeparatim, & independenter ab alio, tanquam aſſumpto, & tanquam à toto, cuius eſt actu pars, qui modus eſſendi nequit conuenire animæ, dum eſt actu pars: ergo nequit prius natura, quam informet corpus eſſe ſubſiſtens vt *quod* in actu per ſubſiſtentiam verbi: verum eſt, quod quia anima intellectiua ſimpliciter eſt independens à materia & à toto per eam conſtituto, propriam habet ſubſiſtentiam, quæ prius illi, & per illam materiæ, & toti compoſito conuenit; ideò dici poteſt per ſe ſubſiſtere in actu, ideſt non ex alio, tanquam per principiũ formale, neque per aliud, tanquam per primarium receptiuum ſubſiſtentiæ, in quo diſcriminantur ab alijs formis dependentibus à materia, vt tradit Diuus Thomas in loco citato ex 1.p.q.76. & in 1. diſt. 8. q. 5. art. 2. & ad ſecundum: & hunc modum eſſendi per ſe appellat Caietanus artic. 2. præcedenti medium inter ſubſiſtere vt *quod* in actu, & ſubſiſtere tantum in potentia, corrigens modum loquendi, quo vſus fuerat. 1.p.q.76. art. 1. & de ente, & eſſentia cap. 5. circa finem capitis, &c.

17 Secundo probatur, quia ſi anima prius natura, quam vniretur corpori fuiſſet vnita verbo vt *quod* pro illo priori eſſet ſubſiſtens, ac per conſequens potens elicere actum meritorium infiniti valoris ex dignitate ſuppoſiti opperantis, quo mereretur vnionẽ hypoſtaticã totius humanitatis: conſequens autem eſt falſum, & negatur à Theologis quæſtione 19. articulo 3. vbi inter ea quæ Chriſti anima ſibi mereri non potuit, etiam de potentia abſolutá numerant vnionem hypoſtaticã totius humanitatis: ergo.

Conſequentia patet; quia anima Chriſti pro illo priori haberet omnia requiſita ad tale meritum, ſiquidem haberet libertatem, & ſanctitatem ſufficientem, ac infinitam dignitatem, diuini ſuppoſiti, & prioritatem naturæ reſpectu aſſumptionis totius humanitatis: neque enim requiritur, quod meritum duratione præcedat præmium, vt patet in merito augmenti gratiæ, quod eſt ſimul tempore cum ipſo augmento: ergo.

Deinde pro ſecũda parte probatur. Primo, quia corp⁹ ante informationẽ nec eſt capax ſubſiſtendi neque exiſtendi *vt quod* per propriam ſubſiſtentiam, & exiſtentiam, vt ſupra oſtendimus: ergo neque per Verbi ſubſiſtentiam, & exiſtentiam.

Secundo quia corpus non fuit aſſumptũ *vt quod*, niſi vt humanum, & cum ordine ad rationalem animam; hoc autem habet à ſola anima rationali ipſum informante, ita vt neque humanum, neque appriatum animæ rationali eſſe habeat, niſi per eius informationem: ergo antecedenter ad illam non potuit aſſumi vt *quod*.

Tertio quia vnio hypoſtatica eodem ordine terminata fuit à principio incarnationis ad carnem, quo ad illam terminabatur in nutritione: ſed in nutritione terminabatur ad illam mediante anima: ergo etiam ſic à principio fuit ad illam terminata.

Minor patet, quia quando Chriſtus nutriebatur materia alimenti prius natura huiuſmodi materia informabatur anima rationali, quã vniretur Verbo, ita vt hæc cauſalis eſſet vera, quia materia incipit informari hac anima, vnitur Verbo diuino: ſicut ècõtra in diminutione hęc erat vera: quia materia deſinit eſſe ſub hac anima, ſeparatur à Verbo: ergo prius materia informabatur per animam rationalẽ, quã terminaretur per ſubſiſtentiam Verbi.

18 Dico ſecundo. Vnica, & ſimplici vnione fuit tota humanitas cũ ſuis partibus vnita Verbo Hæc cõcluſio ſtatuitur aduerſus Auctores 2. ſententiæ. Et probatur primo, nam teſte D. Thom. in 3. d. 2 1. q. 1, art. 1. quæſtiuncula 2. ad 5. & in eadem diſtinct. ad Anibaldum. q. 2. art. 2. ad 1. in incarnatione tantum fuit vnica vnio quæ actu erat vna qua vniebantur Verbo tota humanitas, & eius partes: in potentia autem erat multiplex, quia per illam in triduo partes remanſerunt vnitæ. *Vnica vnio ad naturã, & eius partes defenditur contra Suariũ, & Peſant.*

Secundo probatur ad hominem cõtra prædictos auctores: nam Suarius admittit totum non diſtingui à partibus ſimul ſumptis, & vnitis inter ſe: ergo nequit dari vnio totalis humanitas cum verbo diſtincta realiter ab vnionib⁹ partiũ. Quod amplius vrgetur: quia ſubſiſtentia verbi ſuccedebat loco propriæ: ſed in natura humana tantum concedit Suarius duas ſubſiſtentias partiales alteram materiæ, & alteram formæ, ex quibus conflatur vna totalis, nimirum totius humanitatis: vnio enim partium non habet propriam ſubſiſtẽtiam: ergo vt verbum terminaret humanitatem, & eius partes ſufficeret vnio ad partes mediate terminata.

Tertio probatur, nam aliàs quæſtio

bet pars humanitatis bis fuiſſet aſſumpta, videlicet per vnionem terminatam ad ipſam, & per vnionem terminatam ad totam humanitatem: quod tamen eſſe falſum patet, quia ex illo axiomate Damaſc. *Quod ſemel aſſumpſit nunquam dimiſsit, &c.* colligitur ſemel, & non bis aſſumptas fuiſſe partes humanitatis, & ipſam humanitatem. Sequela autem oſtenditur, quia ſemel aſſumpta fuiſſet anima, ſiue caro in ſeipſa, & immediate, atque iterum mediante aſſumptione totius, eo quod implicat aſſumi totum, quin aſſumantur partes.

Quarto probatur, nam in alijs actionibus, videlicet creatione, generatione, vel tranſubſtantiatione totius cōpoſiti, forma non eſt terminus duplicis creationis, aut generationis, aut tranſubſtantiationis, vnius, ſcilicet partialis, & alterius totalis, qua totum producatur: ergo nec in aſſumptione.

Conſequentia patet à paritate rationis, quia ſicuti in aſſumptione totum prius ordine intentionis aſſumitur, & partes prius ſecundum ordinem executionis aſſumuntur, etiam in alijs actionibus totum prius in ordine intentionis debet produci, & partes prius in ordine executionis attinguntur.

Antecedens autem probatur, nam eadem creatio, ſiue tranſubſtantiatio, quę terminatur ad totum, etiam terminatur ad partes ſuo modo, quatenus ſunt capaces illi⁹; neque enim alia actione productum fuit cœlum, verbi gratia, & alia eius forma, ſiue materia, ſed eadem omnino actio quæ fuit creatio totius cœli, fuit concreatio partium eius, & ſimiliter eadem actio quæ eſt generatio Leonis eſt generatio formæ ipſius, & in vniuerſum aliquam actionem terminari ad totum ſatis eſt, vt etiam terminetur ad eius partes, quatenus ſunt capaces terminandi illam: ergo.

19 Dico tertio. Partes humanitatis ſecundum ordinem executionis fuerunt prius aſſumptæ vt *quo*, humanitas autem in vtroque ordine, ſcilicet intentionis, & executionis fuit prius natura aſſumpta vt *quod*.

In vtroq; ordine præceſsit humanitas vt quod.

Hæc concluſio ſtatuitur pro authoribus tertiæ ſententiæ: & pro prima parte probatur. Primo, quia per vtramque partem, ſcilicet per animam rationalē, & corpus conſtituitur humanitas in eſſe humanitatis, per illam quidem, vt per cauſam formalem: per iſtam vero, vt per cauſam materialem: ergo etiam conſtituitur per vtramque in eſſe aſſumptibilis, ac proinde vtraque eſt medium quo humanitas fuit aſſumpta.

Secundo probatur, quia ordo executionis aliquo modo debet eſſe contrarius ordini intentionis, ſed ſecundum ordinem intentionis humanitas prius fuit aſſumpta vt *quo*, & vt *quod*: ergo in ordine executionis partes debuerunt prius aſſumi, & cum non potuerint prius aſſumi, vt *quod*, propter rationes adductas in prima concluſione: dicendum eſt, illas fuiſſe prius aſſumptas vt medium *quo*.

Deinde pro ſecunda parte probatur, quia intentio aſſumentis fuit per ſe primo terminata ad aſſumendum totam humanam naturam, vt expreſſe habet Diuus Thomas in articulo, & illud eſt primarium aſſumptum vt *quod* in ordine intentionis, quod primario terminat intentionem aſſumentis: ergo.

Denique pro tertia parte probatur, quia ſola humanitas per ſubſiſtentiam terminata habet ſubſiſtere vt ſuppoſitū: partes autem eius dum partes actu ſunt, non habent ſubſiſtere per ſe primo, ſed tantum habent ſubſiſtere ſecundario per ſubſiſtentiam ſuppoſiti, quod ex illis integratur, & quatenus aliquid illius ſunt: ergo ſubſiſtere vt *quod*, & per modum ſuppoſiti in via executionis incipit ab humanitate, & ex ea quaſi ex principio formali deriuatur ad partes.

Antecedens autem eſt notum, & conſequentia patet, quia illud eſt prius in executione ſubſiſtens, ut *quod*, cui prius in hoc ordine communicatur ſubſiſtentia ſuppoſitalis: hæc autem primo communicatur toti, & per ipſum partibus: ergo. Quæ ratio colligitur ex Diuo Thoma in tertio diſtinctione 3. quæſtione 5 articulo 2. in corpore, vbi ait: partes humanitatis non eſſe aſſumptibiles, niſi ratione totius humanitatis, quæ ſola per diuinam ſubſiſtentiam conſtituibilis eſt in eſſe ſuppoſiti: partes autem eius per eandem ſubſiſtētiā ſunt conſtituibiles, vt ſint aliquid eiuſdem ſuppoſiti.

20 Ad primum pro prima ſententia reſpondetur, Auguſtinum tantum velle, quod partes humanitatis fuerint mediū *quo* aſſumendi humanitatem, & hæc eadē eſt mens D. Tho.

Fundamētis aduerſariorū occurritur.

Ad ſecundum admiſſa maiori, & minori

minori nego cõſequentiam, vt enim ſalue tur contrarietas inter ordinem compoſitionis, & reſolutionis, maxime in cõpoſitis ex entibus partialibus, quæ proprijs non gaudent exiſtentijs, & ſubſiſtentijs, non oportet quod ſicut reſolutio terminatur ad partes exiſtẽtes, vt quod in actu, ita compoſitio incipiat à partibus exiſtentibus, vt quo in potentia, & quatenus ſunt rationes conſtituendi totum, cui per ſe primo cõuenit ſubſiſtere, & exiſtere, vt quod in actu, & in hoc ſenſu ſuſtinenda eſt ſolutio inter arguendum aſsignata, contra quã nihil conuincit improbatio ſubinducta.

Ad tertium nego minorem. Ad cuius primam probationem reſpondetur, quod ex creatione animæ rationalis, aut materiæ non conuincitur illam habere propriam ſubſiſtentiam, & exiſtentiam per ſe primo, vt quod, quia huiuſmodi actiones cum partiales ſint, per ſe ipſas communicant entitatem animæ, & materiæ, & accipiunt in eis complementum ſubſiſtentiæ, & exiſtentiæ mediante actione productiua totius compoſiti. Ex quo tamen non negamus animæ rationali communicari ex vi creationis propriam ſubſiſtentiam, & exiſtentiam, ſed ſolum adſtruimus hunc effectum formalem exiſtendi, & ſubſiſtendi, vt *quod* in actu conuenire per ſe primo toti compoſito per generationem producto.

Ad ſecundum patet ex ſuperius dictis, nimirum variationem illam vnionis hipoſtaticæ, quæ continuo fiebat in humanitatis aſſumptæ nutritione, conſequi ex vi prioris miraculi quod factum fuerat in principio incarnationis, neque propterea eſſent infinitæ vniones hipoſtaticæ, aut tot quot erant inſtantia temporis in quo fiebat nutritio: quia non ita fit continuo nutritio, vt in quolibet inſtanti tẽporis forma aliti introducatur in materiam alimenti, ſed quod in quolibet inſtanti diſponitur mareria alimẽti ad formæ ſubſtantialis receptionem.

21 Ad primum pro ſecunda ſententia ſuſtinenda eſt ſolutio ibi aſsignata. Ad cuius in probationem dicendum eſt vnionem hypoſtaticam, ideo dici indiſſolubilem à ſanctis Patribus, quia quod verbum ſemel aſſumpſit nunquam dimiſsit quoad partes eſſentiales, & præcipuas humanitatis, iuxta axioma Damaſceni: ex quo tamen non colligitur eundem modum vnionis phyſicè, & materialiter perſeueraſſe, ſed eundem vel vti formaliter, & ſecundum intentionem aſſumentis, quatenus ſcilicet ad noſtram redemptionem ordinabatur, atque in hoc ſenſu intelligenda eſſe teſtimonia ſanctorum Patrum, ex eo colligitur, quia dicunt indiſolubilem eſſe vnionem humanitatis cum verbo, cũ tamen in triduo non fuerit vnio humanitatis ad verbum, ſed tantum principium ſi quidem humanitas ipſa fuit corrupta, & eius partes manſerunt à ſe inuicem ſeparatæ.

Tum etiã, quia Patres docent indiſolubilem eſſe vnionem carnis ad verbũ, & tamen in triduo non manſit eadem vnio carnis, atque antea. cum ex eorum ſententia non fuerit eadem caro mortua, & viua: & ipſe Suarius in eodem ſenſu tenetur accipere indiſolubilitatem vnionis hypoſtaticæ, cum admittat præter duas vniones partiales in partibus, aliam tertiam totalem, qua tota humanitas fuit vnita verbo, quæ neceſſario in morte Chriſti diſoluta fuit, ad diſolutionẽ totius humanitatis.

Ad ſecundum reſpondetur, vniones multiplicari, iuxta multiplicationem obiectorum, quæ per ſe primo, & vt *quod* vniuntur: & quia in principio incarnationis ſola humanitas fuit per ſe primo vnita, ſiue aſſumpta vt *quod*, ideò vnica dumtaxat fuit vnio hypoſtatica, qua humanitas primario, & mediante illa partes eius ſecundario fuerunt vnitæ Verbo, quia verò in triduo mortis, duę partes humanitatis manſerunt ſeparatæ à ſe inuicem, & immediate vnitæ perſonæ diuinæ vt quod, ideo duabus etiã vnionibus vnitę fuerunt.

ART. VI.

Vtrùm humana natura ſit aſſumpta mediante gratia?

d.2.q.2.a.2.& d.13.q.3 a.1.c.& ver.q.29 art.2.& opuſ.3.c.222.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur, quod filius Dei aſſumpſerit humanam naturã naturam mediante gratia. Per gratiam enim vnimur Deo. Sed humana natura in Chriſto maxime fuit per gratiam.

2 Præterea, ſicut corpus viuit per animam, quæ eſt eius perfectio, ita anima per gratiam. Sed humana natura redditur congrua ad aſſumptionem per animam, vt dictum eſt. Ergo & anima congrua redditur ad aſſumptionem per gratiam. Ergo filius Dei aſſumpſit animam mediãte gratia.

3 Præterea, Auguſtin. in 15. de Trinit. * dicit, quod Verbum incarnatum eſt ſicut verbum noſtrum in voce. Sed verbum noſtrum vnitur voci mediante ſpiritu. Ergo verbum Dei vnitur carni mediante Spiritu ſancto, & ita mediãte gratia, quę Spiritui ſancto attribuitur: ſecundũ illud primæ ad Corinth. 12. Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus.

lib. 13. c. 11. to. 3.

Sed contra eſt, quod gratia eſt quoddam accidens animę, vt in ſecũda parte habitum eſt *. Vnio autem Verbi ad humanam naturam eſt facta ſecundum ſubſiſtentiam, & non ſecundum accidẽs, vt ex ſupra dictis patet *. Ergo natura humana nõ eſt aſſumpta mediante gratia.

1. 2. quæ. 110. a. 2.

q. 2. ar. 6.

Reſpondeo dicendum, quod in Chriſto ponitur gratia vnionis, & gratia habitualis. Gratia ergo non poteſt intelligi, vt medium in aſſumptione humanæ naturæ, ſiue loquamur de gratia vnionis, ſiue de gratia habituali. Gratia enim vnionis eſt ipſum eſſe perſonale, quod gratis diuinitus datur humanæ naturæ in perſona verbi: quod quidem eſt terminus aſſumptionis. Gratia autẽ habitualis pertinens ad ſpiritualem ſanctitatem illius hominis eſt effectus quidam conſequens vnionem: ſecundum illud Ioannis primo, Vidimus gloriam eius quaſi vnigeniti â patre, plenum gratiæ, & veritatis. Per quod datur intelligi, quod ex hoc ipſo, quod ille homo eſt vnigenitus â patre, quod habet per vnionem, habet plenitudinem gratiæ, & veritatis. Si vero intelligatur gratia voluntas Dei, aliquid gratis faciẽs vel donans: ſic vnio facta eſt per gratiam, non ſicut per mediũ, ſed ſicut per cauſam efficientem.

Ad primum ergo dicendum, quod vnio noſtra ad Deum eſt per operationem, in quantum ſcilicet eũ cognoſcimus, & amamus: & ideô talis vnio eſt per gratiam habitualẽ, in quantum operatio perfecta procedit ab habitu. Sed vnio naturæ humanæ ad verbum Dei, eſt ſecundum eſſe perſonale: quod non dependet ab aliquo habitu, ſed immediate ab ipſa natura.

Ad ſecundum dicendũ, quod anima eſt perfectio ſubſtantialis corporis: gratia vero eſt perfectio animæ accidentalis. Et ideo gratia non poteſt ordinare animam ad vnionẽ perſonalem (quæ non eſt accidentalis) ſicut anima & corpus.

Ad tertium dicendum, quod verbum noſtrum vnitur voci mediãte ſpiritu: non quidem ſicut medio formali, ſed ſicut per medium mouens. Nam ex verbo concepto interius procedit ſpiritus, ex quo formatur vox. Et ſimiliter ex verbo æterno procedit Spiritus ſanctus, qui formauit corpus Chriſti: vt infra patebit *. Non autem ex hoc ſequitur, quod gratia Spiritus ſancti ſit formale mediũ in vnione prædicta.

q. 32. a. 1.

CONCLV.

22 CONCLVSIO eſt, humana natura non fuit aſſumpta media gratia habituali, nec media gratia vnionis, ſed media gratia increata, ideſt voluntate Dei gratuita, quæ fuit cauſa efficiens aſſumptionis.

Dubitatur, an gratia habitualis fuerit medium aſſumptionis, ſiue vnionis humanitatis cum Verbo?

IN quo dubio, duæ verſantur ſententiæ. Prima affirmans eſt, quã tuentur illi qui dicunt gratiam habitualem fuiſſe diſpoſitionem Phyſicã, aut moralem ad gratiã vnionis, ita vt hæc illam neceſſario præſupponeret, vel cum illa haberet neceſſariam connexionem: in primo ſenſu defendunt hanc ſententiã Alexand. 3. part. ſummæ quæſt. 7. memb. 2. artic. 1. & quæſt. 11. memb. vltimo, & quæſt. 12. memb. 1. & alij quos citat Gabriel. in 3. diſtinct. 2. quæſtio vnica: In ſecundo autem defenditur à Bonauentura in eodem 3. diſtinct. 2. art. 3. quæſt. 2. Palud. quæſtio. 2. art. 3. Carthuſian, quæſt. 5, Gabr, vbi ſupra & Marſilio quæſt, 10. art. 1. & eiuſdem ſententiæ fuiſſe D. Thomam in eadem diſtinct. 31. quęſtion. 2. art. 2. & diſtinct. 21. art, 1. quæſtiuncula 1, ad 4. teſtantur Caietanus, & Syluius in hoc art. Id vero in quo omnes iſti Auctores conueniunt probant pluribus argumẽtis adductis, & Solutis hic à Nazario controuerſiã vnica, quorũ potiſsima ad hæc tria reduci poſſunt.

Primum deſumitur ex illo Pſal. 44. *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem propterea vnxit te Deus, &c.* Quod Paulus, ad Hebræos 1. & S. Patres interpretantur de vnctione humanitatis per vnionẽ hipoſtaticam, ad quam proinde præceſsit dilectio, & gratia tanquam diſpoſitio.

Secundum deſumitur ex varijs teſtimonijs D. Th. in quibus ait gratiã habitualem ordinari ad vnionem hypoſtaticam, vt medium congruentiæ, quo more loquendi vtitur quæſt. ſequenti artic. 12. quæſt. 8. art. 5. ad 3. & in 3. diſtinction. 2. quæſtion. 2. art. 2. quæſtiuncula 1. & in eadem diſtinction. ad Annibal. articul. 3. ſubdit animam mediante gratia, vt medio faciente congruentiam fuiſſe aſſumptam à Verbo, ſicut corpus mediante ſpiritu, quia congruum erat carnem viuificatam, & animam gratia repletam aſſumere: idẽ habet in eodem 3. diſtinction. 13. quæſt. 3, art. 2, quęſtiuncula 1. & in eadem diſtinction ad Annibal. artic. 2. dicens gratiam habitualem eſſe diſpoſitionem congruentem ad vnionem: ergo præceſsit illam, vt medium in quo.

Tertium deſumitur ex illo axiomate Theologorũ: quidquid eleuatur ad formam excedentem ſuam naturam oportet, vt diſponatur aliqua diſpoſitione, quæ ſit ſupra ſuam naturam: ex quo probat Diu. Thom. 1. part. quæſtion. 12. artic. 5. intellectum Beati ad viſionem Beatificam diſponi intrinſeco lumine gloriæ: ſed humanitas aſſumpta eleuatur ad eſſe perſonale Verbi quod eſt ſupra ipſius naturam: ergo debet diſponi media aliqua diſpoſitione præuia quæ ſit ſupra naturam humanitatis, & eam reddat proportionatam: hæc autẽ nõ eſt niſi gratia habitualis.

23 Sed his non obſtantibus ſecunda, & vera ſententia, eſt negatiua quæ communiter defenditur à recentioribus, nimirum hic à Caietan. hic, Medina quæſtion. ſequenti art. vltim. Suar. diſput. 10. ſection. 2. Vazquez diſputat. 40. capit. 2 Aluarez diſputat. 14. Nazario controuerſia vnica, & Siluio in expoſitione articuli, & quia eſt expreſſa Angelici Doctoris in hoc artic. & ſupra quæſt, 2. art. 10. & quæſtion. 7. ſequenti articulo vltimo, & opuſcul. 3 cap. 214. ſtatuitur à nobis pro concluſione, & oſtenditur duabus rationibus eiuſdem ſancti Doctoris. *Præfertur ſentẽtia negãs humanitatẽ fuiſſe aſſũptã mediante gratia habituali.*

Prima eſt, quia gratia habitualis eſt poſterior ordine naturæ, quam gratia vnionis, tamquam eius effectus: quod inſinuatur Ioann. 1. dum dicitur: *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis*: ideſt quia Verbum caro factum eſt, propterea eius humanitas habuit plenitudinem gratiæ,

Digitized by Google

ita vt hæc cauſalis ſit vera; quia humanitas fuit aſſumpta, ideò fuit, tam grata Deo, & non è contra; diſpoſitio autē, ſiue medium ad aſſumptionem debet præcedere ipſam: ergo.

Secunda eſt, quia humanitas eſt immediatè, & ſubſtantialiter vnita Verbo: ergo non mediante gratia habituali. Conſequentia patet, quia cum gratia ſit accidens ſi mediante illa humanitas vniretur Verbo, non vniretur illi ſubſtantialiter, & ſecūdū ſubſtantiam, ſed accidētaliter, quod eſſet incidere in errorem Neſtorianum.

Ex quibus reſpondetur, ad primum pro prima ſentētia, quod illa dictio, *propterea*, anteponenda eſt toti orationi, teſtè Caietano, ita vt ſenſus ſit, propterea dilexiſti iuſtitiā quia vnxit te Deus, &c. iuxta morem Scripturæ obſeruatum ab Auguſtino lib. 10. de Ciuitate capit. 14. vel quod ſignificat finem effectum, ſiue ſecundarium, vt ibi exponit Auguſtinus, vel 3. cum Diu. Thom. ibidem, quod nomine vnctionis intelligitur non vnio, ſed manifeſtatio vnionis, quam Chriſtus ſuis actibus promeruit iuxta Regulam 44. hypotiposeon.

Ad ſecundum reſpondetur illa teſtimonia intelligenda eſſe de diſpoſitione congruentiæ, non quidem præcedente vnionem, ſed conſequente, & exornante, humanitatem iam Deo perſonaliter vnitam.

Ad tertium reſpondetur, maiorem eſſe veram de illo, quod non habet ordinem immediatum ad formam eleuantem & de eo, quod eſt capax diſpoſitionis ad illam: quæ duo non habent locum in humanitate aſſumpta quæ eſt immediate congruenter aſſumptibilis à Verbo ratione gradus intellectiui: & non præexiſtit ante aſſumptionem.

QVAESTIO VII.

De gratia Chriſti, prout quidam ſingularis eſt homo, in tredecim articulos diuiſa.

AB hac quæſtione, vſque ad decimam tertiā incluſiuè agit D. Tho. de perfectionibus creatis coaſſumptis, hoc eſt, quas ſimul cum natura humana diuinum Verbum aſſumpſit. Quæ ſunt tres, nimirū gracia, ſciētia, & potentia: & quia harum prima, & potior eſt gratia habitualis cum donis, & virtutibus infuſis, ideò in hac, & ſequenti quæſtione agit de huiuſmodi habituali gratia & eius dignitate accidentali in ratione capitis.

(?)

ART. I.

Vtrùm in anima Chriſti fuerit aliqua gratia habitualis?

3. diſ. 13. q. 1. ar. 1. & verit. q. 27. a. 1. et op. 3. cap. 221. et Ioã 5. l. 6. col. 2.

AD prìmum ſic proceditur. Videtur, quod in anima aſſumpta à Ver-

Verbo non fuerit gratia habitualis. Gratia enim eſt quædam participatio diuinitatis in creatura rationali: ſecundum illud 2. Petr. 1. Per quem maxima, & pretioſa promiſſa nobis donauit, vt diuinæ ſimus conſortes naturæ. Chriſtus autem eſt Deus, non participatiué, ſed ſecundum veritatem. Ergo in eo non fuit gratia habitualis.

2 Præterea, gratia ad hoc eſt neceſſaria homini, vt per eam bene operetur (ſecundum illud 1. Corinthior. 14. Abundantius omnibus laboraui, non ego autem, ſed gratia Dei mecum) & etiã ad hoc quod homo conſequatur vitam æternam: ſecundum illud Roman. 6. Gratia Dei vita æterna. Sed Chriſto ex hoc ſolo quod erat naturalis Filius Dei, debebatur hæreditas vitę æternæ; ex hoc etiam quod erat Verbũ, per quod facta ſunt omnia, aderat ei facultas omnia benê operandi. Non ergo ſecundum humanam naturam indigebat alia gratia, niſi vnione ad Verbum.

3 Præterea, illud quod operatur per modum inſtrumenti, non indiget habitu ad proprias operationes: quia habitus fundatur in principali agente. Humana autem natura in Chriſto fuit ſicut inſtrumentum diuinitatis: vt dicit Damaſ-
ort. fid. cá. cen. * in 3. libro. Ergo non de-
15. á med. buit in Chriſto eſſe aliqua gratia habitualis.

Sed contra eſt, quód dicitur Iſaiæ vndecimo. Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini. Qui quidem in homine eſſe dicitur per gratiã habitualem, vt in prima parte dictum
1. p. q. 43. eſt *. Ergo in Chriſto fuit gratia ha-
art. 6. bitualis.

Reſpondeo dicendum, quod neceſſe eſt ponere in Chriſto gratiã habitualem, propter tria. Primo quidem propter vnionem animæ illius ad Verbum Dei. Quanto enim aliquod receptiuum eſt propinquius cauſæ influenti, tanto magis participat de influentia ipſius. Influxus autem gratiæ eſt â Deo: ſecundum illud Pſalm. 83. Gratiam, & gloriam dabit Dominus. Et ideó maxime fuit conueniens, vt anima illa reciperet influxũ diuinę gratiæ. Secundo propter nobilitatem illius animæ, cuius operationes oportebat propinquiſsimê attingere ad Deum per cognitionem & amorẽ: ad quod neceſſe eſt eleuari rationalem naturam per gratiam. Tertio, propter habitudinem ipſius Chriſti ad genus humanum. Chriſtus enim, in quantum homo, eſt mediator Dei & hominum, vt dicitur 1. ad Timoth. 2. Et ideo opportebat, quod haberet gratiam etiam in alios redundantem; ſecundum illud Ioann. 1. De plenitudine eius omnes accepimus; & gratiam pro gratia.

Ad primum ergo dicendum, quod Chriſtus eſt verus Deus ſecundum perſonam, & naturam diuinã. Sed quia cum vnitate perſonæ remanet diſtinctio naturarum, (vt ex ſu-
pradictis patet *) anima Chriſti non q. 2. a. 1. &
eſt per ſuam eſſentiam diuina: vnde 2.
opportet quod fiat diuina per participationem, quæ eſt ſecundum gratiam.

Ad ſecundum dicendum, quod Chriſto, in quantum eſt naturalis Filius Dei, debetur hæreditas æterna, quę eſt ipſa beatitudo increata, per increatum actum cognitionis, & amoris Dei, eundem ſcilicet quo pater cognoſcit, & amat ſeipſum: cuius actus anima capax non erat, propter differentiam naturæ. Vnde opportebat, quod attingeret ad Deum per actum fruitionis creatũ: qui quidem eſſe non poteſt, niſi per gratiam. Similiter etiam, in quan

tum

22 tum eſt Verbum Dei, habet facultatem omnia bene operandi operatione diuina. Sed quia præter operationem diuinam oportet poni in eo operationem humanam, vt infra q.19.a.1. patebit *), opportuit in eo eſſe habitualem gratiam, per quam huiuſmodi operatio in eo eſſet perfecta.

Ad tertium dicendum, quod humanitas Chriſti eſt inſtrumentum diuinitatis, non quidem ſicut inſtrumentum inanimatum, quod nullo modo agit, ſed ſolum agitur: ſed tanquam inſtrumentum animatum anima rationali, quod ita agit, quod etiam agitur. Et ideo ad conuenientiam actionis oportuit, eum habere gratiam habitualem.

CONCLVSIO eſt affirmatiua quæ continet duo, ſcilicet gratiam habitualem fuiſſe in anima Chriſti, ſed non ex indigentia, aut neceſsitate, quaſi ſine illa, vel antecedenter ad illam non eſſet ſancta, & grata. Et vtrumque eſt examinandum.

Dubium primum. An fuerit gratia habitualis in anima Chriſti, & qua certitudine id ſit tenendum?

1 IN hoc dubio, communis eſt ſententia Theologorum (exceptis quibuſdam antiquis ſupreſſo nomine citatis à Paludano in 3. diſtinction. 13. quæſtion. 2. negantibus) affirmans in Chriſto fuiſſe habitualē gratiam ſanctificantem à principio conceptionis; licet in aſsignando gradu certitudinis diſentiant in tres modos dicēdi. Suarius enim diſputat. 18. ſection. 2. ait hanc ſententiam eſſe certam ſecundum fidem, ita vt oppoſitum ſit manifeſta hæreſis, idē que vt probabile profert Valentia puncto 1.

Alij vero; de quorum numero ſunt Medina dub. 1. Cabrera diſputat. 1. Lorca diſput. 37. Dicunt certum quidem eſſe ſecundum fidem fuiſſe in Chriſto gratiam intrinſecam, & permanentem creatā diſtinctam realiter à gratia vnionis, & perſona Verbi: non tamen eſſe de fide huiuſmodi gratiam fuiſſe habitualem.

Alij denique, de quorum numero ſunt, Vazquius diſputat. 41. capit. 1. & Nazarius hic, controuerſia 1. dicunt neutrum eſſe de fide, ſed adeò certum, vt oppoſitum ſit temerarium, & errori proximum, pro cuius ſententiæ declaratione.

Dico primo. In anima Chriſti Domini à principio conceptionis fuit gratia habitualis. Hæc concluſio probatur primo, ex teſtimonijs Scripturæ, vt Eſaiæ 11. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini*, &c. ideſt ſecundum dona gratiæ ſanctificantis explicat Cyrilus, Pſalmo. 44. *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis*: quem locum explicat Athanaſius oratione 2. contra Arrianos de vnctione Spiritus ſancti mediante gratia creata, & virtutibus, licet alij Patres explicent illum de gratia perſonali, & Ioannis 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis*, ideſt, quia vnigenitus eſt Patris habuit plenitudinem gratiæ iuſtificantis explicat Auguſtinus lib. 15. de Trinitate cap. 2. & de eadem gratia explicant ſancti Patres, illud eiuſdem Ioannis cap. 10. quē pater ſanctificauit, & miſit in mundum: & Lucæ 1. *Quod ex te naſcetur ſanctus, vocabitur Filius Dei*: & alias cum eadem teſtimonia innuant huiuſmodi gratiā [illegible]atam fuiſſe Chriſto homini propter cōditionem vnionis, & dignitatem vnigeniti Filij Dei, quas habuit à principio conceptionis: non eſt cur ex tunc non habuiſſet huiuſmodi gratiam.

Secundo probatur, tribus congruentijs adductis à Diu. Thom, in articulo, quarum prima eſt, quod anima Chriſti eſt propinquior diuino Verbo, & ideò maiorem gratiæ influxum ab illo recipere debuit,

Secun-

Secunda eſt, quia ad ſupernaturales operationes eliciendas connaturaliter, indigebat huiuſmodi gratia, vtpotè connaturali earum principio. Tertia eſt, quia illa anima poteſt influere gratiam in alios homines: ergo à fortiori illam in ſe ſuſcepit: vtpotè, quia perfectio quæ communicatur effectui, ſemper præexiſtit in cauſa. Tertiò probatur, labefactando fundamentum, propter quod ſententia negans potuit, huiuſmodi gratiam à Chriſto Domino remouere, vtpotè illi repugnantem ob vnam ex tribus conditionibus, ſiue dignitatibus. Nimirum, quia erat filius Dei naturalis, cum qua filiatione eſt incompatibilis filiatio adoptiua, quam præſtat gratia habitualis: & quia erat Deus per eſſentiam, cui proinde nequit conuenire eſſe Deum per participationem, qui eſt formalis, & primarius effectus gratiæ habitualis: cui autem repugnat primarius effectus alicuius formæ, ipſam quoque formam neceſſe eſt repugnare: quæ intrinſece includitur in ſuo primario effectu formali, qui nihil aliud eſt, quam forma ipſa communicata ſubiecto. Et quia per gratiam vnionis anima Chriſti erat ſancta, modo eminentiori, quam per gratiam habitualem, ita vt hæc eminenter præhabeatur in illa: ideò non potuit habere formaliter vtramque, ſicut ob eandem rationem in Sole, nequit formaliter eſſe calor, quia continetur in eius luce eminenter: & in homine nequit eſſe anima vegetatiua formalis, hoc eſt purè vegetatiua, quia habet formaliter animam rationalem in qua præhabetur, & illa virtualiter, ſiue eminenter. Sed ex nullo capite repugnat animæ Chriſti, habere gratiam habitualem: non quidem ex primò, quia nõ eſt de intrinſeca ratione gratiæ habitualis præſtare ſubiecto, cui ineſt adoptionem, ſiue filiationem adoptiuam, quæ cum ſit relatio prædicamentalis, nequit eſſe effectus primarius formæ abſolutæ qualis eſt gratia: niſi tãtum ad ſummum ſecundarius, vel modus ad illum conſequutus, ſine quo proinde poteſt gratia inueniri communicata ſubiecto: maximè quãdo hoc eſt incapax talis filiationis, vt eſſe Chriſtum probat D. Thom. infra quæſt. 23. art. 1. & diffinitur in Concilio Francofordienſi, cap. 1. Chriſtum non eſſe filium adoptiuum, quia huiuſmodi filiatio petit excluſionem omnino filiationis naturalis ab eadem perſona, & reſpectu eiuſdem generantis: petit namque quod talis perſona cui ineſt ſit extranea à natura patris adoptantis, & aceptetur ad eius bona non ex debito, ſed ex mera gratia: coniungatur, que illi accidentaliter, ſecundum affectum nõ ſecũdũ ſubſtantiam: quæ cõditiones omnino repugnant Chriſto, qui etiam vt perſona humana eſt filius Dei, non extraneus à natura Patris, cui debentur bona Paterna titulo naturalis generationis, coniungitur que illi non ſolum ſecundum affectum, ſed etiam ſecundum eſſe ſubſtantiale: & propterea licet conueniant perſonæ Chriſti ratione diuerſarum naturarum diuerſæ generationes, natiuitates, & filiationes, ſcilicèt æterna, & temporalis, quia neutra dicit omnimodam excluſionem alterius, ab eodem ſuppoſito, niſi ratione eiuſdem naturæ: & quia conueniunt ei reſpectu diuerſorum generantium: æterna quidem reſpectu Patris Diuini, temporalis verò reſpectu Virginis Matris. filiatio verò naturalis, & adoptiua per gratiam, nequeunt Chriſto conuenire, etiam ſecundum diuerſas naturas; tum quia hæc dicit omnimodam excluſionem illius ab eodem ſuppoſito: tum quia conueniret illi reſpectu eiuſdem generantis, hoc eſt reſpectu Dei auctoris gratiæ; quod eſt impoſsibile: non tamen eſſet impoſsibile Chriſtum filium Dei naturalem fieri filium adoptiuum alicuius hominis per humanam gratiam, & beneuolentiam illum adoptantis, quia tunc huiuſmodi filiationes conuenirent illi reſpectu diuerſorum, neque ex ſecundo propter duo. Tũ quia effectus formalis primarius gratiæ, non eſt facere animam Deam, per participationem, ſed conſortem diuinæ naturæ, ſanctam, & gratam Deo abſtrahendo ab hoc, quod ſit per participationem, & ideò animæ Chriſti communicauit huiuſmodi effectum ſine illo, qui cum ſit ſecundarius nõ neceſſario comitatur gratiam in ſubiecto, niſi quando ſubiectũ illius eſt capax, hoc eſt quando non eſt Deus per eſſentiam. Tum etiam, quia ſicut Chriſtus ſecundum diuerſas naturas, diuinam, ſcilicèt, & humanam eſt bonus per eſſentiam, & per participationem, hoc eſt bonitate increata, & creata: ita ſimiliter licet ratione diuinæ naturæ, ſit Deus per eſſentiam, ita in quantum homo habens gratiam habitualem, ly in quantum reduplicante, vel ſpecificante humanitatem habentem gratiam habitualem poteſt dici Deus per

par-

participationem, ita D. Thom. hic ad ſecundum, & tandem neque ex tertiò, quia gratia vnionis, ſiue perſonalis, licet contineat eminenter in eſſendo gratiam habitualem, non tamen in exequendo, hoc eſt non exequitur munus illius, ſicut anima rationalis exequitur munus vegetativæ, & ideò non compatitur cum illa in eodem ſubiecto: bene autem gratia vnionis poteſt compati cum gratia habituali, cujus munus non exequitur: ſicut etiam eſſentia diuina vnita in ratione ſpeciei, intellectui Beati compatitur, cum lumine gloriæ creato, quod eminenter continet in eſſendo, quia non exequitur eius munus: & in vniuerſum forma ſuperior, poteſt compati cum inferiori, quam eminenter, entitatiuè præhabet, ſi tamen eam nõ præhabeat executiuè: & dummodo ſubiectum aliàs non ſit incapax illius, ſicut Sol obſui incorruptibilitatem eſt incapax ſuſcipiendi calorem: ergo nulla eſt ratio denegandi animæ Chriſti gratiam habitualem.

Licet fuerit gratia habitualis in anima Chriſti, ſed non eſt certum de fide.

Dico ſecundò, non eſt immediatè de fide in Chriſto Domino fuiſſe gratiam habitualem, ſeu permanentem diſtinctam realiter à gratia vnionis: eſt tamen ita certum, vt oppoſitum ſit temerarium, & errori proximum. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus auctores, primi, & ſecundi modi dicendi. Et prima eius pars probatur, quia hucuſque nullibi eſt diffinitum dari habitus ſupernaturales, ſub hoc nomine, etiam in alijs hominibus iuſtis, vt aduerſarij fatentur, & nos oſtendimus, quæſt. 23. de charitate, art. 2. ergo neque in Chriſto.

Deinde ſecunda pars probatur, nam licet de fide ſit dari dona intrinſeca, & permanentia gratiæ diffuſa in cordibus iuſtorum, ſub nominibus fidei, ſpei, & charitatis, atque iuſtitiæ, & gratiæ, vt oſtendimus in loco præalegato, propter diffinitionem Concilij Tridentini, Seſsion. 6. cap. 7. & canone 11. vbi diffinitur homines iuſtificari non ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſsione, ſed gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum, per Spiritum Sanctum diffunditur, atque illis inhæret: tamen non eſt de fide Chriſtum, vt hominem huiuſmodi donis fuiſſe iuſtificatum: ergo, minor patet, quia in prędictis duobus locis Concilij Tridentini, tantum fit ſermo de iuſtificatione hominum impiorum ex meritis Chriſti, & redemptione, vt patet ex contextu ipſius canonis, qui ſic incipit: *Si quis dixerit homines iuſtificari, vel ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, &c.* Et ex titulo dicti capitis ſeptimi, qui talis eſt, *quid ſit iuſtificatio impij, & quæ eius cauſæ.* Ac proinde ſub huiuſmodi diffinitione Concilij ſolum cadit, tanquam propria eius materia & obiectum, impij iuſtificationem fieri, per intrinſeca dona gratiæ infuſa à Deo: non autem cadit ſub illa ipſum Redemptorem fuiſſe iuſtificatum per huiuſmodi dona: neque id alibi hucuſque eſt diffinitum: neque in adductis teſtimonijs ſcripturæ expreſsè eſt reuelatum: quia in illis ſolum exprimitur Chriſtum, vt hominem habuiſſe iuſtitiã, ſanctitatem, & gratiam: quæ de ſanctitate perſonali, & gratia vnionis congruenter poſſunt verificari, & ab aliquibus Patribus interpretantur de huiuſmodi gratia vnionis; vtpote ex vi cuius Chriſtus fuit iuſtus, ſanctus, & gratus, ſimpliciter, ac modo præſtantiori, quam per gratiam habitualem, vt dubio ſequenti patebit: ergo.

Deniquè tertia pars probatur, quia habetur ex communi Theologorum Scholaſticorum conſenſu, aſſerentium Chriſtum, vt hominem habuiſſe gratiam habitualem, & charitatem, illiſquè fuiſſe ſanctum, & gratum, ſicquè prædicta teſtimonia ſcripturæ interpretantium: huius autẽ cõmunis conſenſus Scholaſticorum ſufficit ad illum gradum certitudinis in aliqua propoſitione Theologica conſtituendũ, vt oſtendit Cano, lib. 8. de locis, cap. 4. cõcluſ. 2. ergo.

Dubium ſecundum eſt. An habitualis gratia fuerit neceſſaria in Chriſto, vt eius anima eſſet ſancta, & grata.

IN hoc dubio, quod non de neceſſitate abſoluta procedit cum compertum ſit, apud omnes claſicos auctores potuiſſe fieri de potentia abſoluta Dei, vt Verbum aſſumeret humanitatem, ſine donis gratiæ habitualis, cum quibus de facto illam aſſumpſit: exceptis citatis ab Enrico, quotlibet. 13. quæſt. 5. exiſtimantibus gratiam habitualem, ita

con-

coniunctam eſſe neceſſario, cum vnione hypoſtatica, vt nec de potentia abſoluta Dei poſsit aſſumi humanitas, ſine huiuſmodi gratia: ſed de neceſsitate finis, ſeu conditionata, quà nimirum dicitur aliqua res neceſſaria in ordine ad aliquem finem: in quo ſenſu duæ ſunt ſententiæ Theologorũ. Prima affirmans gratiam habitualẽ eſſe neceſſariam in humanitate aſſumpta, hoc genere neceſsitatis conditionatæ, ſeu finis, quam tuentur Bonauentura in 3. diſt. 2. & d. 13. art. 1. quæſt. 1. art. 3. quæſt. 2. Alexand. 3. part. quæſt. 11. mẽbro 1. Paludanus in 3. diſt. 13. quæſt. 2. Gabriel ibidem, diſt. 2. quæſt. 2. Durandus, diſt. 12. quæſt. 2. Capreolus ibidem, Ricardus in eadem diſt. 13. quęſt. 1. art. 1. Ruardus Taper, art. 8. Driedo de captiuitate, & redemptione generis humani, tract. 2. cap. 2. & Cabrera, hic diſp. 2. & 3. qui tamen auctores in explicanda ratione, & fine huiuſmodi neceſsitatis diuiduntur in tres modos dicendi. Alij enim de quorum numero ſunt Bonauentura, & Alexander dicunt, propterea gratiam habitualem fuiſſe neceſſariam in humanitate, vt per illam tamquam per diſpoſitionem congruam, ſiue debitam redderetur idonea ad aſſumptionem quorum fundamentum eſt, quia in hac aſſumptione eleuatur humanitas ad vnionem hypoſtaticam, & eſſe perſonale Dei, quod eſt ſupra totam eius naturam, omne autem quod eleuatur ad aliquid, quod eſt ſupra eius naturam debet diſponi aliqua congrua diſpoſitione, ſupra ſuã naturam, qua ratione probat D. Thom. 1. part. intellectum Beati debere diſponi lumine gloriæ, vt recipiat diuinam eſſentiam per modum ſpeciei intelligibilis ſicut, & aer v. g. recepturus formam ignis, quæ eſt ſuprà ſuam naturam debet diſponi calore excedente ſuam naturam: ergo & humanitas diſponi debet per gratiam habitualem, vt eleuetur ad eſſe perſonale Verbi: quod fundamentum poſſumus, ex doctrina D. Thom. confirmare dupliciter. Primo, quia pluribus in locis docet humanitatem Chriſti diſpoſitam fuiſſe per gratiam, & virtutes, vt eſſet congruenter aſſumptibilis à Verbo, ita enim habet quæſt. 8. ſequenti art. 5. ad 3. & in 3. diſt. 2. quæſt. 2. art. 2. gloſſ. 1. & idem inſinuat in hac quæſt. 7. art. 2.

Panditur ſenſus quæſtionis.

Ad ſecundum dicens, gratiam habitualem Chriſti, ordinari ad vnionem perſonalem Verbi, tamquam ad finem, quo denotat illam eſſe medium, & diſpoſitionẽ præuiam ad iſtam: ergo. Secundo, quia teſte eodem D. Thom. ſupra quæſt. 4. art. 2. & 3. id quod aſſumitur debet præintelligi aſſumptioni: ergo ſi gratia habitualis fuit aſſumpta, vt D. Thom. docet in hoc art. 1. debuit præintelligi aſſumptioni, ac proinde humanitas debuit præſupponi ornata, & diſpoſita per gratiam habitualem ad iſtam aſſumptionem.

Alij verò de quorum numero ſunt Paludanus, Durandus, Capreolus, & Ruardus, Aluarez, diſp. 31. & Cabrera vbi ſupra, volunt gratiam habitualem fuiſſe neceſſariam, ſimpliciter in anima Chriſti Domini, vt eſſet formaliter ſancta, & grata, quod pluribus ſuadent argumentis, quorum tamen ſumma ad hæc tria reduci poſſunt. Primò, quia implicat aliquem effectum formalem, ſine propria, & connaturali forma ſuppleri, aut præſtari poſſe à Deo, ſed animam eſſe gratam, & ſanctam eſt effectus formalis proprius, imò, & primarius gratiæ habitualis, vt formæ intrinſecæ, & informantis: ergo nequit Deus, ſine illa, aut antecedenter ad illam facere animam Chriſti formaliter gratam, & ſanctam. Maior eſt nota, & minor probatur, quia in Concilio Tridentino, Seſs. 6. cap. 7. diffinitur cauſam formalem noſtræ iuſtitiæ, & ſanctitatis eſſe gratiam nobis intrinſece in hærentem: & meritò quidem, quia ſicut effectus formalis charitatis eſt facere charum, & fortitudinis fortem, & albedinis album, ita effectus formalis, & proprius gratiæ habitualis eſt facere ſanctum, & gratum Deo gratitudine formali. Secundò, quia præter gratiam habituale, & antecedentur ad illam, nulla eſt forma ſanctificans in natura aſſumpta Chriſti: ergo ad huiuſmodi effectum formalis ſanctitatis præſtandum neceſſaria fuit gratia habitualis, antecedens probatur, nam tria tantùm ſunt, quæ in natura aſſumpta antecedenter ad gratiam habitualem excogitari poſſunt, nimirum modus ipſe vnionis, quem ſupra quæſt. 2, art. 7. diximus receptum eſſe intrinſece in humanitate, & ipſa perſonalitas Verbi aſſumentis ad quam immediatè terminatur vnio, & Deitas, ſiue natura diuina ad quam mediatè fuit vnio terminata, ſed nulla ex his poteſt eſſe forma ſanctificans: alioquin cuicumque ſubiecto, ſeu naturæ aſſumptæ præſtaret huiuſmodi effectum formalis ſanctitatis, ac proinde ſi perſona Verbi naturam lapi-

lapidis, aut leonis aſſumeret (quod eſſe poſsibile oſtendimus, ſupra quæſt. 4. art. 1.) redderet illã formaliter gratam, & ſanctam talis modus vnionis hypoſtaticæ, aut perſona, ſiue natura diuina ſic vnita: ſiquidem effectus formalis alicuius formæ, nihil eſt aliud, quam forma ipſa communicata ſubiecto: ergo.

Tertio, quia hac ratione damnat 5. Synodus Generalis, collatione 8. canone 4. Neſtorianos dicentes vnionem Verbi, cum humanitate fuiſſe factam ſecundum gratiam, quia ſi facta fuiſſet ſecundum gratiam: pariter fuiſſet facta accidentaliter, & non ſecundum hypoſtaſim: quod tamen eſt contra fidem Catholicam quæ tenens medium inter propoſitiones neſtorij, & Eutichetis aſſerentium hanc vnionem factam fuiſſe accidentaliter, hoc eſt ſecundum accidens, vel ſecundum naturam: cõfitetur illam, neque ſecundum accidens, neque ſecundum naturam, ſed medio modo ſecundum hypoſtaſim, vel ſubſiſtentiam fuiſſe factam, vt oſtendit D. Thom. ſupra quæſt. 2. art. 6. ergo Patres prædictæ Synodi pro eodem accipiunt gratiam & formam accidentalem, ac proinde non agnoſcunt extra formam accidentalem aliquam gratiam, quæ ſit forma ſanctificans. Cõſequentia patet, quia aliàs non valeret iſta conſequentia: vnio hypoſtatica facta fuit ſecundum gratiam: ergo facta fuit accidentaliter: nam ſi ipſa hypoſtaſis Verbi vnita naturæ aſſumptæ eſſet gratia, dum facta fuiſſet hæc vnio ſecundum hypoſtaſim, fieret quoque ſecundũ gratiam, & non ſecundum accidens, quæ tamen conſequentia valet apud predictos Patres: ergo.

Alij denique de quorum numero ſunt Driedo vbi ſupra, Vincentius in relectione quæſt, 1. pag. 96. Cabrera, diſp. 3. cum aliquibus ex relatis pro ſecundo modo dicendi volunt gratiam habitualem fuiſſe neceſſariam in Chriſto Domino ad merẽdum, ita vt ſine illa nullatenus potuiſſet elicere opera meritoria de condigno præmij ſupernaturalis, quod ſuadent tripliciter. Primo, quia duæ cõditiones ad huiuſmodi meritum requiruntur nimirum, vt opus ſit ſecundum ſe condignum talis præmij, hoc eſt tanti valoris, quanti æſtimatur præmium: & quod operans refferat tale opus ſaltem virtualiter, & implicitè ad ipſum premiantem adque ad præmium ab illo recipiendum, licet enim operetur quis bonum opus, & de ſe magnō præmio dignum, nil tamen in illo merebitur, niſi refferat illud in obſequium præmiantis, & vellit propter tale opus aliquam remunerationem ſibi rependi: ſed neutram conditionem poſſunt habere opera Chriſti, niſi proficiſcantur à gratia habituali quæ habeat rationem proximi, & formalis principij effectiui ipſorum: ergo. Minor patet: quod non primam, quia vt opera ſint condigna debent eſſe grata, ac proinde proficiſci à perſona grata formaliter Deo in quantum principium talium operum, ſed ſecluſa gratia habituali Chriſtus, vt homo non eſt formaliter gratus, cum iſte ſit effectus formalis gratiæ habitualis, qui vt dictum eſt, nequit ſine ſua forma ſaluari. Quod neque ſecundam patet, quia teſte D. Thom. 1. 2. quæſt, vltim. art. 4. charitas eſt principale principium merendi, quia eſt prima cauſa refferendi opus meritorium in vltimum finem, qui eſt eius obiectum: deficiente autem gratia habituali in Chriſto, ſimul deficeret charitas, quæ cum illa neceſſario connectitur: ergo.

Secundò, quia teſte eodem D. Thom. in quæſt. proximè citata, art. 2. ad meritũ de condigno vitæ æternæ requiritur proportio eiuſdem meriti cum fine ſupernaturali, ac proinde, quod ſit opus eiuſdem ordinis ſupetnaturalis adhoc autem neceſſe eſt, vt tale opus proueniat à potentia eleuata, & actuata aliqua gratia habituali, vel ſaltem actuali, quæ ſit proximum, & formale principium illius: ergo. Minor patet, quia ſola vnio hypoſtatica, aut perſona Verbi nequit eleuare, & actuare humanitatem aſſumptam ad ſupernaturales operationes, quia non eſt ratio operandi, niſi tantum conditio, neque ordinatur ad operationes, niſi tantum ad eſſe: vnde ſi Verbum aſſumeret humanitatem in puris naturalibus eius operationes, tantum eſſent naturales: ergo.

Tertiò probatur ex conditione vitalitatis operis meritorij ſupernaturalis, quod quidem in quantum vitale debet proficiſci à principio proximo, & radicali ſuæ vitalitatis: ſicut intellectio naturalis neceſſario præſupponit intellectum, vt principium proximum, & animam, vt principiũ radicale ſuæ vitalitatis: principium autem proximũ vitalitatis ſupernaturalis actus ſaluatur in virtutibus infuſis, aut auxilijs actualibus ordinis gratiæ, & radicale in ipſa habituali gratia, quæ eſt radix totius vi-

tæ ſupernaturalis:ergo.

Secunda ſententia negans gratiã habitualem fuiſſe neceſſariam in Chriſto Domino ad huiuſmodi effectus ſanctitatis, & meriti præſtandos defenditur à Soto lib. 3. de natura, & gratia, c. 6. & in 4. diſſ. 19. q. 1. art. 2. Vega lib. 7. in Concil. c. 6. Zumel 1. 2. q. vlt. art. 2. diſp. 2. Medin. in hoc art. Suar. diſp. 18. ſect. 1. & diſp. 39. ſect. 2. circa finem, Valencia diſp. 1. puncto 1. & à Vazquio diſp. 41. c. 3. & 4. Lorca diſp. 36. & Peſantio diſp. vnica, pro cuius declaratione.

5 Dico primò, gratia habitualis non fuit neceſſaria in Chriſto, vt eius humanitas per illã, tanquã per diſpoſitionem redderetur idonea ad aſſumptionem. Hęc concluſio ſtatuitur aduerſus auctores primi modi defendendi priorẽ ſententiã, & oſtenditur tripliciter. *Tũ* quia aliàs ſicut corpus fuit congruenter aſſumptibile mediante anima: ita & anima fuiſſet aſſumpta mediãte gratia habituali cuius oppoſitũ docet D. Th. q. præcedẽti, art. 6. dicens: quod gratia habitualis, cũ ſit accidens cõſequitur ad vnionẽ hypoſtaticã, & præſuponit ordine naturæ, & cauſalitatis humanitatem aſſumptã, ſicut accidens ſuponit ſubſtantiam, ac proinde humanitatem non fuiſſe aſſumptã mediante gratia habituali, ſicut corpus fuit aſſumptũ mediante anima, vtpotè quæ eſt eius actus ſubſtãtialis: ergo, Secundò, quia gratia habitualis, nõ eſt eiuſdem ordinis, cũ vnione hypoſtatica, ſed ordinis inferioris ad illã: diſpoſitio autem neceſſaria, & media ad aliquã formã ſemper eſt eiuſdẽ ordinis cũ illa, vt inductione probari poteſt: ergo.

Tertiò, quia gratia habitualis, licèt dicatur à D. Th. in alegato, art. 6. conſequi ad vnionẽ hypoſtaticã eo quod data fuit humanitati Chriſti intuitu illius, & ad eiꝰ ornamentũ, iuxta illud Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, quaſi vnigeniti à Patre plenũ gratiæ, & veritatis*: quo denotatur hominẽ illũ ex eo, quod eſt vnigenitus à Patre habere per vnionem, plenitudinẽ gratiæ, & veritatis: tamẽ hæc nõ dimanat ab illa, vt naturalis eius proprietas, cũ & ipſa vnio quæ modus eſt, nec detur ad operãdũ, nec nec ſit principium dimanationis alicuius formæ: ſed tantũ ad vniendũ extrema nimirũ humanitatẽ cum perſona Verbi: diſpoſitiones autẽ vltimas, & neceſſarias, atque connaturales alicuius formæ ab ipſa in genere cauſæ efficientis dimanare oſtẽdimus, q. 24. de charitate, art. 6. & patet in vltimis diſpoſitionibus adulti ad gratiam recipiendam extra Sacramẽtũ quas inſinuat D. Th. 1. 2. q. 113. art. 8. ab eadẽ gratia in genere cauſæ efficientis prouenire.

Dico ſecundo, neque gratia habitualis fuit neceſſaria in Chriſto, vt eius humanitas eſſet ſimpliciter, & formaliter ſancta, & grata Deo. Hæc cõcluſio ſtatuitur aduerſus auctores ſecundi modi dicendi, & quoniã eius potiſsimũ fundamẽtum eſt, quod antecedenter, & indepẽdẽter à gratia habituali, gratia vnionis reddidit humanitatẽ aſſumptã formaliter ſanctam, & gratam altiori genere ſanctitatis, & gratitudinis, quã poſsit præſtari à gratia habituali, ſicut, & præſtantior eſt quam iſta, ipſa gratia vnionis quã D. Th. in elegato artic. 6. quæſtionis præcedẽtis, inquit eſſe ipſum eſſe perſonale Verbi, quod gratis communicatur humanitati aſſumptæ, & eſt terminus aſſumptionis. Vltèrius cũ in hoc includãtur tria, nimirũ modus vnionis receptus in humanitate, perſonalitas relatiua Verbi, & deitas cũ omnibus prædicatis eſſentialibus, & abſolutis in illa incluſa, & identificata: opere pretiũ eſt explicare, quodnã iſtorũ ſit forma ſanctificans, ſeu ratio formalis ſanctificandi humanitatẽ? Circa quod etiã eſt triangulare placitũ Theologorũ. quibuſdã enim Neotericis placet ponere formã ſanctificantẽ in omnibus, & ſingulis his tribus, ita vt modus ipſe vnionis cõdiſtinctus, & cõdiuiſus à perſonalitate, & deitate per ſe ipſum ſanctificet formaliter humanitatem, ſicut, & illæ. Alijs vero, vt Peſantio, Valenciæ, Lorcæ, Nazario, & Suario vbiſupra, placet ponere formã immediatè ſanctificatẽ in ſola perſonalitate relatiua Verbi, quæ eſt immediatus terminus aſſumptionis. Alijs denique, vt Vazq. vbiſupra c. 4. placet ponere huiuſmodi formã immediatè ſanctificantem in ſola deitate, ita vt perſonalitas, vt vnita humanitati ratione deitatis illã formaliter ſanctificet ly, vt dicente dũtaxat conditionẽ. Quæ ſententia indubitatè eſt tenenda, & probatur labefactãdo duas priores, quarũ prima deficit propter tria: tum quia mõſtruoſum eſt tot formas ſanctificantes multiplicare, maxime reſpectu eiuſdem effectus formalis qualis eſt ſanctitas, & gratitudo vnionis hypoſtaticæ.

Sine gratia habituali fuiſſet ſãcta humanitas aſſũpta.

Tum etiam, quia in alijs formis effectus formales ab ipſis, & nõ ab earũ vnionibus præſtantur: albedo enim eſt, quę cõſtituit album, & non eius vnio cum cor-

pore, & gratia eſt quæ conſtituit animam gratam, & non eius vnio cum anima, licèt hæc ſit conditio neceſſaria, ſine qua forma ſuum effectum formalem non præſtaret ſubiecto: ergo pariter non modus vnionis, ſed ipſa perſona Verbi vnita eſt, quę formaliter ſãctificat humanitatẽ.

Tũ deniq; quia huiuſmodi formalis effectus ſanctificationis ſecũdũ vnionẽ, includit aliquas perfectiones, quæ à ſolo modo vnionis prouenire nõ poſſunt, v.g. includit omnimodã impecabilitatẽ, & infinitatem ratione cuius opera ſatisfactoria Chriſti gaudent infinito valore, & quãdã Deificationem ratione cuius Chriſtus, vt homo per gratiã vnionis eſt filius Dei naturalis: propterea enim dicitur, Lucæ 1. *Quod ex te naſcetur ſanctum vocabitur filius Dei*, & ad Rom. 1. ſic ait Paulus: *De filio ſuo qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecũdũ carnẽ, qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute*, & ad Hæbr. 1. *Nouiſsime loquutus eſt nobis in filio quẽ conſtituit hæredem vniuerſorũ*, hoc eſt in Chriſto, vt homine qui ratione vnionis eſt filius Dei naturalis: hæc autẽ omnia nullũ creatũ donũ per ſe conferre poteſt, quale eſt modus vnionis in humanitate receptus. Deinde ſecunda etiam deficit propter tria: Tum quia aliàs darentur in Deo, tres ſanctitates relatiuæ, & cõſequẽter tres bonitates, & quia bonitas eſt perfectio darentur tres perfectiones, & quia perfectio dicit actũ exiſtẽdi, darẽtur tres exiſtentiæ relatiuæ, quæ omnia contraria ri doctrinæ D. Th. oſtendimus, q. 28. de Triu. art. 2. Tum etiã, quia aliàs nedũ Pater diuinus, v.g. eſſet ſanctus à deitate, & à relatione paternitatis, ſed etiã ab omnipotentia, miſericordia, iuſtitia, & reliquis attributis: eſſentq; tot ſanctitates in diuinis quot ſunt attributa, & relationes: ſiquidem nõ eſt maior ratio quare iſtæ ſanctificent quã illa. Quod tamẽ eſſe incõueniens, patet quia Deus ſpeciali nomine appellatur in ſacra Scriptura. Sanctus quo proinde denotatur ſpeciale attributũ ſanctitatis à cæteris ratione diſtinctũ: ſicut quãdo appellatur bonus, iuſtus, & miſericors, denotãtur ſpecialia attributa bonitatis iuſtitiæ, & miſericordiæ: quamuis ſicut bonitas ob ſui tranſcendẽtiã, ita & ſanctitas in ſingulis attributis, & relationibus includatur: ergo. Tum denique, quia forma ſanctificans eſt, per quã operationes ſuppoſiti redduntur acceptæ, & gratæ: operationes autẽ Chriſti, vt hominis redduntur acceptæ, & gratæ ratione deitatis, hoc eſt in quãtũ ſunt Dei viriles, ſiue theandricæ vt ait 6. Synodus generalis, act. 2. & 8. ſed non ſunt Dei, niſi à deitate: ſi enim per impoſsibile ſola perſona vniretur, nõ eſſent Dei, quia deeſſet principium quo ſpecificans, ſicut operatio ignis non eſſet, quã ſolũ ſupoſitũ ignis eliceret in extranea natura, niſi quam in natura propria ignea producit. Quæ ratio amplius confirmatur ex eo quod deitas eſt ſpirituale vnguentũ, & oleũ quo humanitas dicitur vncta, & delibuta, ideſt deificata, & ſanctificata, ſic enim appellatur à patribus 6. Synodi, & ab Aug. lib. 15. de *Trin.* c. 26. dum ait: tunc vnctã fuiſſe inuiſibili *Deo* humanã naturã, quando diuinæ eſt iuncta perſonæ, & à Niceta lib. 3. Theſ. c. 3. dum inquit diuinitas humanitatis vnctio eſt, & ſimiliter à Nazianc. orat. 36. & 42. à Fulgenc. lib. de Incarn. c. 10. & à Damaſc. lib. 3. de fide c. 3. eſtq; communis Sanctorũ Patrum fraſis dum interpretãtur illud, Pſalm. 44. *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ*; & illud Dan. 9. *Vngetur Sanctus Sanctorũ*, & illud Actor. 10. *Vnxit eum Deus Spiritu ſancto, & virtute*, aſſerentiũ hanc vnctionẽ, qua Chriſtus, vt homo fuit vnctus, & à qua Chriſtus eſt appellatus, eſſe ipſam deitatẽ ſiue vnionẽ cũ deitate, per quã humanitas ſanctificatur: vnde & ratione hui⁹ ſanctificationis, non poteſt humanitas adorari, niſi adoratione latriæ, neq; poteſt adorari ſic, quin eodẽ actu deitas adoretur, vt oſtendit Vazq. lib. 1. de adorat. diſput. 4. c. 3. & 4. Igitur hoc ſuppoſito, & prænotato probatur noſtra cõcluſio hac ratione: gratia vnionis ratione deitatis incluſæ, ſiue eſſentialis attributi ſanctificãtis eſt forma ſanctificans: & aliàs cõuenit humanitati aſſumptæ prius natura, & cauſalitate quã gratia habitualis: ergo pro illo priori conſtituit illam formaliter gratã, & ſanctã: ergo ad hunc effectum pręſtandũ, nõ eſt neceſſaria gratia habitualis. Minor patet ex dictis, & vtraq; cõſequẽtia eſt nota. Maior autẽ probatur, quia eſſe formaliter ſanctũ, & gratũ tria includit dũtaxat, nimirũ carẽtiã culpę ſaltẽ mortalis, & quod terminet diuinã dilectionẽ ſupernaturalẽ, & quod potentiæ, & anima ſint benè diſpoſitæ in ordine ad finem, ſiue præmium ſupernaturale, ſaltem radicaliter, ſiue moraliter, quæ omnia præſtat humanitati Chriſti gratia vnionis ratione Deitatis, etenim excludit ab illa omnem culpã,

nedum

nedum mortalem, ſed etiã veniale ob ſui maiorem excellentiã, & vim ſanctificandi. Redditque illam formaliter dilectam à Deo, vtpotè cũ Chriſtus, vt homo ſit formaliter dilectus, & prædeſtinatus filius Dei, teſte Paul. ad Rom. 1. diſponit etiam animã, & eius potentias ad finem, & præmiũ ſupernaturale moraliter, vt amplius ex cõcluſione ſequẽti conſtabit: ergo eſt forma cõſtituens humanitatẽ formaliter ſanctã, & gratã Dices omnipotentia vnita mediante perſona humanitati non conſtituit illam formaliter omnipotentem, teſte D. Th. infra q. 13. art. 1. neque ſapientia increata conſtituit illam formaliter ſapientem, vt q. 9. art. 1. oſtẽdemus: & ſic de ſingulis alijs atributis: ergo neque Deitas, ſiue ſanctitas increata conſtituit illam formaliter ſanctam. Reſpondetur negãdo cõſequentiam propter duplex diſcriminem.

Tum quia ſanctum, & gratum formaliter eſt effectus moralis: vt ait Vazquius, cuius ſignum eſt, quod etiam gratia habitualis poteſt creſcere, in ratione ſanctitatis, & gratitudinis, & nõ in ratione qualitatis ſupernaturalis phyſicæ, vt contingit in homine iuſto, qui per actus remiſos fit magis, ſanctus, & gratus, vtpotè acceptus ad maiorem gloriam, iuxta diffinitionem Concilij Trid. Seſſ. 6. c. 10, quin augeatur eius gratia in eſſe qualitatis, aut cõſortij diuinæ naturæ, quia ſic ſolis actibus intenſioribus augetur iuxta ſententiam D. Th. 2. 2. q. 24. art. 6. Tum etiam, quia eſſe gratũ, & ſanctum tãtum ordinatur ad eſſe & nõ ad operari, ſolumque dicit terminũ operationis, hoc eſt cultus adorationis, & diuinæ dilectionis: & propterea poteſt cõmunicari humanitati, licet ſit effectus phiſicus, vt Nazario, & alijs placet à forma increata, licet non informante, ſed tantum terminãte, ſicut à diuina ſubſiſtẽtia redditur ſubſiſtens formaliter, & à diuina exiſtentia exiſtens: imo a deitate dicitur deificata ſecundum Patres: ſecus autẽ de effectibus formalibus omnipotẽtiæ, ſapiẽtiæ, & ſimilium atributorum. Tum quia phiſici ſunt: Tum etiam, quia important principium operationis ordinatum ad operãdũ, quod proinde ſi communicaretur humanitati ſubordinaretur illi, tanquam eius virtus ad operandum: implicat autem virtutem increatam creaturæ ſubordinari.

Poſſet quoque mereri ſine illa.

7 Dico tertiò, neque eſt neceſſaria gratia habitualis, adhoc vt humanitas aſſumpta ſit principium merendi præmium ſupernaturale. Hæc cõcluſio ſtatuitur aduerſus auctores. Tertij modi dicendi, & probatur ſufficienter ratione facta pro præcedenti concluſione, quia eadem forma quæ eſt principium formale ſanctificãdi ſubiectum eſt etiam formale principiũ dignificãdi eius opera: & talis eſt Deitas, vt dictum eſt: ſiue etiam perſonalitas Verbi, quam admitunt formaliter ſanctificare ex aduerſarijs, Vicẽtius q. 5. relect. art. 1. Lorca, & Nazarius vbiſupra: ergo admitentes primũ, tenẽtur admitere ſecundũ: ergo. Quæ ratio amplius cõfirmatur, quia quod in humanis eſt emere pretio exibito, apud Deum eſt promereri præmiũ promiſſum actibus liberis exibitis in obſequium ipſius: ſed opera Chriſti Domini, ſecluſo omni dono gratiæ habitualis, elicita ab auxilio actuali a ſola gratia vnionis eſſent valoris, & pretij infiniti: ergo exibita in obſequium Dei haberent rationem pretij, ac proinde meriti condigni, reſpectu pręmij promiſſi a Deo ſub conditione talium operum.

Ad primũ pro priori ſententia reſpondetur, propterea humanitatẽ aſſumptã, nõ indigere aliqua præuia diſpoſitione accidẽtali ad vnionẽ hypoſtaticã: quia nõ pręſuponitur præexiſtens, & cõſtituta in ſuo eſſe ſubſtantiali, quod tamẽ debet præſuponere omnis diſpoſitio accidẽtalis. Ad primã cõfirmationẽ nego antecedens: ad probationem reſpõdetur quod D. Th. in illis locis ſolum ait gratiam habitualem, & virtutes eſſe diſpoſitiones facientes congruitatem ad vnionem hypoſtaticã, non quidem præuias, ſed cõſequentes quaſi ex debito, neque neceſsitãtes ad vnionẽ, ſed exornantes ex vi tamen alterius actionis à Deo infuſas. Ad ſecundã reſpõdetur antecedens eſſe verum de natura, quæ per ſe primo aſſumitur, ſecus autem de accidẽtibus, quę coaſſumuntur de quorũ numero eſt gratia proptereaq; titulus huius quæſtionis inſcribitur de coaſſumptis, & hæc non præintelligũtur aſſumptioni, ſed ad illam conſequuntur, vtpotè accidẽtia; quæ pręſuponere debent humanitatẽ exiſtentẽ: exiſtit autem per eſſe perſonale Verbi ad quod aſſumitur, Ad ſecũdũ in ordine, quod eſt primũ ſecũdi modi dicẽdi nego minorem; ſi de ſanctificatione ſubſtãtiali procẽdat: ad cuius probationẽ reſpõdetur gratiã habitualẽ cõſtitui à Cõc. Trid. cauſã formalẽ nõ cuiuſuis ſãtificationis, & iuſtitię, ſed illius dũtaxat per quã anima eſt

grata modo finito, & accidentali per participationem diuinæ naturæ, & per modum connaturalis principij ſupernaturalium operationum, ſecus vero illius ſanctificationis ſubſtantialis, & ſecundum vnionem perſonalem, nam hæc cum excellentior ſit, excellentiorem quoque petit formã. Sed inſurges; ergo gratia vnionis formaliter, & immediatè opponitur peccato mortali; quod tamẽ eſt falſũ, quia peccatum mortale non affert ſecum priuationem gratiæ vnionis. Reſpondetur concedendo conſequentiam de oppoſitione ſumpta pro repugnãtia. Dices: vt quid ergo humanitas Chriſti accepit ſanctificationem gratiæ habitualis, ſi iam excellentiorem habebat? Reſpondeo, vt nullus deeſſet modus ſanctitatis ei, qui futurus erat plenus gratiæ, & veritatis, vt pluribus modis ſanctificatus plenitudinem gratiæ haberet intenſiue, & extenſiue: vt debitum vnionis ornamentum acciperet: vt eius animam odo connaturali eſſet ad vltimũ finem diſpoſita, & ordinata: atque vt operationum ſupernaturalium radicale connaturale principium haberet.

Ad tertium conſtat ex 2. concluſione, quod illorum trium fuerit forma ſanctificans, neque inde ſequitur naturam irrationalem aſſumptam fore ſanctam à Deitate, quia ſanctificatio non eſt eius effectus primarius, niſi tantum ſecundarius, aut etiam moralis, ſine quo proinde poteſt communicari ſubiecto incapaci, ſed non ſine primario, qui eſt reddere naturam aſſumptã, ſubſiſtentem, ſuppoſitatam, vnitam Deo, ſiue Deificatam. Igitur, quia perſona diuina tunc communicaretur lapidi, vt ſubſiſtentia redderet illum ſubſiſtentem, ſed quia non communicaretur lapidi, vt ſanctitas, ſiue gratia non redderet illum ſanctum, aut gratum, ſicut neque conſtitueret perſonam lapideam, quia non communicaretur illi ſub cõceptu perſonæ in quẽ ingreditur rationalis natura. Dices: ergò etiã humanitati potuit de potentia abſoluta, communicari, perſona diuina ſine effectu ſanctificationis. Reſpondetur concedendo conſequentiam.

Ad quartum nego ſecundã conſequentiã, quia Patres quintæ Synodi loquẽtes, vt plures ſentiunt vt pauci: loquẽtes enim more humano cum Neſtorianis aſſerentibus in Chriſto dari duo ſuppoſita, humanum ſcilicet, & diuinũ accidentaliter vnita; pro eodem accipiunt vnionem fieri ſecundũ gratiã, & ſecundũ accidens cum quo tamen ſtat, vt ſentiant vnionẽ factam ſecundũ hypoſtaſim eſſe gratiam ſubſtantialem communicatam humanitati.

Ad quintum, quod eſt primũ tertij modi dicendi, nego minorem, imò vtrãque conditionẽ haberent opera Chriſti: Primam quidẽ ratione valoris infiniti ad ipſa ex diuina perſona deriuati, ratione cuius ſolius æſtimarentur, & de facto æſtimata fuerunt pluris, quam opera cuiuſuis puri hominis iuſti: Secundam vero ex ſola ordinatione Dei promittentis præmiũ Chriſto ſub conditione talium operum ſecluſo omni actu cognitionis, & amoris ſupernaturalis illa refferentis, quia licet hæc relatio ad iuſtitiam humanam ſeruandam requiratur, ſecus ad diuinam; aut etiam interueniente huiuſmodi actu cognitionis, vel amoris ſupernaturalis, quẽ Chriſtus ex vi alicuius auxilij actualis non ſanctificãtis, ſed preciſe cooperantis eliceret.

Ad ſextum, nego minorem, quia vt dictũ eſt, humanitas aſſumpta in puris naturalibus eliceret quidem actus naturales, quoad phiſicã entitatem, ſupernaturales tamen quoad modum, & valorem moralẽ ordinis hypoſtatici. Ad vltimum fateor conſequentiam, quatenus infert, ſine gratia habituali, aut actuali intrinſeca, non poſſe humanitatem elicere operationes entitatiue ſupernaturales cum quo ſtat adhuc illas fore infiniti valoris, & æſtimabilitatis, vtpote Dei viriles: indeque habituras rationem pretij cõdigni apud Deũ.

ART. II.

Vtrùm in Chriſto fuerint virtutes.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quòd in Chriſto nõ fuerint virtutes. Chriſtus enim habuit abundantiã gratię. Sed gratia ſufficit ad omnia rectê agẽdũ, ſecundũ illud ſecundæ ad Cor. 10. Sufficit tibi gratia mea. Ergo in Chriſto nõ fuerunt virtutes.

infr. a. 3. ad 1. & 2. & q. 25. a. 2. c. & 3. diſ. 13. q. 1. a. 1. c. in princ. to. 5.

2 Præterea, Secundum Philoſophum ſeptimo Ethicorum * virtus diuiditur cõtra quemdam heroicum, ſiue diuinum habitum, qui a-

tri-

tribuitur hominibus diuinis: Hic autem maxime conuenit Chriſto. Ergo Chriſtus non habuit virtutes, ſed aliquid altius viirtute.

1.2.q.65 a.1.& 2.

3 Præterea, Sicut in ſecunda parte dictum eſt, † Virtutes omnes ſimul habentur. Sed Chriſto non fuit conueniens habere omnes virtutes, ſicut patet de liberalitate, & magnificentia: quæ habent actum ſuũ circa diuitias, quas Chriſtus contempſit, ſecundum illud Matth. 8. Filius hominis non habet vbi caput ſuũ reclinet. Temperantia etiam & continẽtia ſunt circa concupiſcentias prauas, quæ Chriſto non fuerunt. Ergo Chriſtus non habuit virtutes.

gloſ. ord. ibi ex Caſſiod.

Sed contra eſt, quod ſuper illud Pſal. 1. Sed in lege Domini voluntas eius, dicit gloſſ. * Hic oſtenditur Chriſtus plenus omni bono. Sed bona qualitas mentis eſt virtus. Ergo Chriſtus fuit plenus omni virtute.

1. 2. qu. 100. a. 2. & 3.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut in ſecunda parte dictum eſt * ſicut gratia reſpicit eſſentiam animæ, ita virtus reſpicit potentiam eius. Vnde oportet quod ſicut potentiæ animæ deriuantur ab eius eſſentia, ita virtutes ſint quædam deriuationes gratiæ. Quanto autem aliquod principium eſt pefectius, tanto magis imprimit ſuos effectus. Vnde cũ gratia Chriſti fuerit perfectiſsima, conſequens eſt, quod ex ipſa proceſſerint virtutes ad perficiendum ſingulas potencias animæ, quantum ad omnes animæ actus. Et ita Chriſtus habuit omnes virtutes.

Ad primum ergo dicẽdum, quod gratia ſufficit homini, quantum ad omnia, quibus ordinatur ad beatitudinem. Horum tamen quædam perficit gratia immediate per ſe ipſam, ſicut gratum facere Deo, & alia huiuſmodi: quædam autem mediantibus, quæ ex gratia procedunt.

Ad ſecundum dicendum, quod habitus ille heroicus vel diuinus, nõ differt a virtute communiter dicta, niſi ſecundum perfectiorem modũ in quantum ſcilicet aliquis eſt diſpoſitus ad bonum quodam altiori modo, quam communiter omnibus cõpetat. Vnde per hoc non oſtenditur, quod Chriſtus nõ habuerit virtutes ſed quod habuerit eas perfectiſsime vltra communẽ modum. Sicut etiã Plotinus poſuit quemdam ſublimẽ modum virtutum, quas eſſe dixit animi purgati.

Ad tertium dicendum, quod liberalitas & magnificentia commendãtur circa diuitias, in quantum aliquis nõ tãtum appretiatur diuitias, quod velit eas retinere, prætermittẽdo id quod fieri oportet. Ille auten minime diuitias appretiatur, qui penitus eas cõtẽnit, & abijcit propter perfectionis amorem. Et ideo in hoc ipſo quod Chriſtus omnes diuitias contempſit, oſtẽdit in ſe ſummum gradum liberalitatis & magnificẽtiæ: licet etiam liberalitatis actũ exercuerit, ſecũdũ quod ſibi cõueniens erat, faciendo pauperibus erogari quæ ſibi dabantur. Vnde cum Dominus Iudæ dixit, Ioan. 13. Quod facis, fac citius: diſcipuli intellexerũt Dominum mandaſſe, quod egenis aliquid daret. Concupiſcẽtias autem prauas Chriſtus omnino non habuit, ſicut infra patebit. † Nec propter hoc tamẽ excluditur quin habuerit tẽperãtiam: quæ tanto perfectior eſt in homine; quanto magis prauis cõcupiſcẽtijs caret. Vnde ſecundum Philoſophum 7. * Ethicorum, temperatus in hoc differt a continente, quod temperatus non habet prauas concupiſcẽtias, quas cõtinens patitur. Vnde ſic accipiendo cõtinentiam, ſicut Philophus accipit, ex hoc ipſo, quod Chriſtus habuit omnem virtutem: non habuit continentiam, quæ non eſt virtus, ſed aliquid minus virtute.

q. 25. a. 1. & 2.

c. 9. non remotè à fine to. 5.

COnclusio eſt in Chriſto fuiſſe omnes virtutes, quæ cum gratia ſimul infunduntur, vtpotè à gratia deribatas, & habentes cum illa neceſſariam connexionem.

ART. III.

Vtrùm in Chriſto fuerit fides.

AD tertium ſic proceditur videtur, quod in Chriſto fuerit fides. Fides enim eſt nobilior virtus, quàm virtutes morales, puta temperantia, & liberalitas. Huiuſmodi autem virtutes fuerunt in Chriſto, vt dictum eſt. * Multo ergo magis fuit in eo fides.

infr. a. 4. c. & a. 8. ad 2. & a. 9. ad 1. & 1. 2. q. 65 a. 5. ad 3. & 3. d. 13 q. 1. ad 1. & d. 36. a. 2. ad 3. & ver. q. 29. a. 4. ad 15 & veri. q. 4. a. 1. ad 11.
* *a. præc.*
* *gl. ord. ibi.*

2 Præterea, Chriſtus non docuit virtutes, quas ipſe non habuit, ſecundum illud act. 1. Cœpit facere, & docere. Sed de Chriſto dicitur Hebr. 12. quod eſt auctor, & conſummator fidei. Ergo in eo maximê fuit fides.

3 Præterea, Quicquid eſt imperfectionis excluditur â beatis. Sed in beatis eſt fides: nam ſuper illud Roman. 1. Iuſtitia Dei reuelatur in eo ex fide in fidem, dicit gloſ. * de fide verborum, & ſpei, in fidem rerum, & ſpeciei. Ergo videtur quod etiam in Chriſto fuerit fides, cum nihil imperfectionis importet.

Sed contra eſt, quod dicitur Hebr. 11. Quod fides eſt argumentum non apparentium. Sed Chriſto nihil fuit non apparens: ſecundum illud, quod dixit ei Petrus Ioan. vlt. Tu omnia noſti. Ergo in Chriſto non fuit fides.

Reſpondeo dicēdum, quod ſicut in ſecunda parte dictum eſt. * Obiectum fidei eſt res diuina non viſa. Habitus autē virtutis ſicut, & quilibet alius recipit ſpeciem ab obiecto. Et ideo excluſo, quod res diuina ſit nō viſa, excluditur ratio fidei. Chriſtus autē â primo inſtanti ſuæ conceptionis plenê vidit Deū per eſſentiā, vt infra dicetur. * Vnde in eo fides eſſe non potuit. *2. 2. q. 1. art. 4.*

Ad primum ergo dicēdum, quod fides eſt nobilior virtus virtutibus moralibus: quia eſt circa nobiliorē materiā. Sed tamen importat quēdā defectum in comparatione ad illam materiam, qui defectus in Chriſto non fuit. Et ideo non potuit in eo eſſe fides; licet fuerint in eo virtutes morales, quę in ſui ratione huiuſmodi defectum non important per cōparationem ad ſuas materias. *q. 34. a. 4.*

Ad ſecundum dicēdū, quod meritum fidei conſiſtit in hoc, quod homo ex obedientia Dei aſſentit illis, quæ nō videt: ſecundū illud Rom. primo. Ad obediendū fidei in omnibus gētibus pro nomine eius. Obedientiā autem ad Deū pleniſsimê habuit Chriſtus: ſecundū illud Philippen. 2. Factus eſt obediens, vſque ad mortem. Et ſic nihil ad meritum pertinens docuit, quod ipſe excellētius non impleret.

Ad tertiū dicendum, quod ſicut gloſſa ibidem dicit. * Fides propriê eſt, qua credūtur quæ non videntur. Sed fides, quæ eſt rerū viſarum, impropriê dicitur, & ſecundum quamdam ſimilitudinem, quantum ad certitudinem, aut firmitatem adhæſionis. *Aug. in li br. 2. qu. euang. q. 39. in principio. to. 4.*

COnclusio negat in Chriſto aliquatenus, aut reſpectu alicuius obiecti fuiſſe fidem Theologicam, vtpotè ſtatui beatitudinis ipſius repugnantem.

ART.

ART. IV.

Vtrùm in Chriſto fuerit ſpes?

infr. a. 6. ad 1. & a. 1. ad 2. & a. 9. ad 1. & 2. 2. q. 65. ar. 5. ad 3. & 2. 2. q. 18 a. 2. ad 1. & 3. diſ. 26. q. 2. ar. 5. q. 1. & d. 36. a. 2. ad 3.

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod in Chriſto fuerit ſpes. Dicitur enim in Pſalm. 30. ex perſona Chriſti, In te Domine ſperaui. Sed virtus ſpei eſt, qua homo ſperat in Deum. Ergo virtus ſpei fuit in Chriſto.

2 præterea, Spes eſt expectatio futuræ beatitudinis, vt in ſecunda parte habitum eſt. * Sed Chriſtus aliquid expectabat ad beatitudinem pertinens: videlicét gloriam corporis. Ergo uidetur quod in eo fuerit ſpes.

3 Præterea, Vnuſquiſque poteſt ſperare illud, quod ad eius perfectionem pertinet, ſi ſit futurum. Sed aliquid erat futurum, quod ad perfectionem Chriſti pertinet: ſecūdum illud Epheſ. 4. Ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti. Ergo videtur, quod Chriſto competebat habere ſpem.

Sed contra eſt, quod dicitur Roman. 8. Quod videt quis, quid ſperat? Et ſic patet, quod ſicut fides eſt de non viſis, ita & ſpes. Sed fides non fuit in Chriſto, ſicut dictum eſt. * Ergo nec ſp .s.

art. prae.

Reſpondeo dicēdum, quod ſicut de ratione fidei eſt, quod aliquis aſſentiat his quę non videt: ita de ratione ſpei eſt, quod aliquis expectet id quod nondum habet. Et ſicut fides, in quātum eſt virtus theologica, nō eſt de quocumque non viſo, ſed ſolum de Deo: ita etiam ſpes, in quantum eſt virtus theologica, habet pro obiecto ipſum Deum: cuius fruitionē homo principaliter expectat per ſpei virtutem. Sed ex cōſequenti ille qui habet virtutē ſpei, poteſt etiā in alijs diuinū auxilium expectare: ſicut & ille qui habet virtutem fidei, non ſolum credit Deo de rebus diuinis, ſed etiam de quibuſcumque alijs diuinitus ſibi reuelatis. Chriſtus autem â principio ſuæ conceptionis plenê habuit fruitionem diuinam, (vt infra dicetur *) & ideo virtutem ſpei non habuit. Habuit tamen ſpem reſpectu aliquorum, quæ nondum erat adeptus: licet non habuetit fidem reſpectu quorumcumque: quia licet plenê cognoſceret omnia per quod totaliter fides excludebatur ab eo: non tamen adhuc plenê habebat omnia, quæ ad eius perfectionem pertinebant, puta immortalitatem, & gloriam corporis, quam poterat ſperare.

q. 34. art. 4.

Ad primum ergo dicēdum, quod hoc non dicitur de Chriſto ſecundū ſpem, quæ eſt virtus theologica: ſed eo quod quædā alia ſperauit nondū habita, ſicut dictum eſt. *

in corpore Art.

Ad ſecundum dicendum, quod gloria corporis non pertinet ad beatitudinē, ſicut in quo principaliter beatitudo conſiſtat; ſed per quamdā redundantiam â gloria animæ: vt in ſecūda parte dictum eſt. † Vnde ſpes ſecundum quod eſt virtus theologica, non reſpicit beatitudinem corporis: ſed beatitudinem animæ, quæ in diuina fruitione conſiſtit.

p. 2. q. 4. a. 6. & q. 67. ar. 4.

Ad tertium dicendū, quod ædificatio Eccleſiæ per conuerſionem fidelium, non pertinet ad perfectionē Chriſti, qua in ſe perfectus eſt: ſed ſecundum, quod alios ad participationē ſuæ perfectionis inducit. Et quia ſpes dicitur propriê reſpectu alicuius, quod expectatur ab ipſo ſperante habendum, non propriê poteſt dici, quod virtus ſpei Chriſto, ratione inducta * conueniat.

in corpore art.

CONcluſio eſt bimembris, nimirum Chriſtus non habuit virtutem ſpei Theologicæ ob defectũ obiecti primarij: habuit tamen aliquem actus ſpei, reſpectu quorundam, quæ nondum erat adeptus. Circa quas concluſiones tria dubia controuerti ſolent à Theologis, primũ eſt. An Chriſtus habuerit à principio conceptionis omnes virtutes nedum infuſas, ſed etiam acquiſitas. Secundum eſt: An in illo fuerit fides Theologica, quo ad aliquem actum. Tertium eſt: An fuerit verus actus ſpei ille, quo Chriſtus gloriam ſui corporis ſperauit?

Ad quæ ſuo ordine eſt reſpondendum.

Quæ virtutes fuerint in Chriſto?

AD primũ igitur dubiũ omnes Theologi conueniunt in vno, & diſcriminantur in alio: conueniunt quidem in eo quod Chriſtus Dominus habuerit omnes virtutes infuſas Theologicas, & morales non repugnantes ſtatui Beatitudinis, & vnionis hypoſtaticæ: quæ ſuppoſitio eſt adeò certa, vt ſine temeritate negari non poſsit: Tum quia poſsita gratia habituali neceſſe eſt ponere in eodem ſubiecto huiuſmodi virtutes habentes neceſſariam connexionem cum illa, & naturalem reſultantiam ex illa.

Tum etiam, vt humanitas Chriſti haberet debitum ornamentum vnionis hypoſtaticæ. Tum denique vt eius potentiæ per huiuſmodi virtutes eſſent modo connaturali diſpoſitæ in ordine ad finem ſupernaturalem, & haberent connaturalia principia operationũ ſupernaturalium. Diſcriminantur autem circa virtutes acquiſitas in tres ſententias. Prima negantium abſolutè illas fuiſſe in humanitate Chriſti, de quorum numero ſunt Capreolus in 3. diſtinct. 33. quæſt. 1. art. 1. concluſ. 4. Ricardus ibidem, art. 4. & Lorca, hic diſp. 38. num. 19. quæ ſuadetur tripliciter. Primo, quia in Beatis tãtum manent virtutes morales infuſæ, vt teſtatur D. Thom. ibidem quæſt. 1. art. 4. ergo & in Chriſto ob ſtatum Beatitudinis tantum debent admitti virtutes morales per ſe infuſæ. De quibus propterea idem D. Thom. dumtaxat in hoc art. 2. mentionem fecit nihil commemorans de virtutibus per ſe acquiſitis. Secundo, quia huiuſmodi virtutes fuiſſent otioſæ, & fruſtaneæ in Chriſto, vtpotè nunquam exercentes ſuos actus: etenim cum verſentur circa paſsiones moderandas, & has ſemper anima Chriſti habuerit moderatas ex vi vnionis hypoſtaticæ, vtpotè ex vi cuius fuit, etiam in illo omnino extinctus fomes peccati, qui eſt inclinatio apetitus ſenſitiui in id quod eſt contra rationem, teſte D. Thom. infra quæſt. 15. art. 2. ergo.

Tertiò, quia circa materias virtutũ moralium ſemper operabatur Chriſtus ex fine charitatis, & motiuo ſupernaturali, qui actus proinde erant à virtutibus infuſis, & non à naturalibus acquiſitis, quæ ex fine, & motiuo ſupernaturali operari non poſſunt, niſi tantum ex motiuo naturali ipſis proportionato, quod quidem cum ſit imperfectius illo ex quo Chriſtus actus virtutum infuſarum eliciebat, nec debebat, nec poterat operari ex illo, vtpotè importante imperfectionem derogãtem eius dignitati: ergo.

Secunda ſententia eſt aliorum aſſerentium huiuſmodi virtutes naturales fuiſſe à ptincipio Incarnationis, per accidens inditas humanitati Chriſti, de quorum numero ſunt, Medina in hoc art. 2. Suarius diſp. 19. ſect. 2. Vazquius diſp. 42. cap. 2. & Vincẽtius, q. 1. de gratia Chriſti, §. 75. idẽ Lorca in d. diſp. 38. Aluarez diſp. 32. & Silu. in expoſit. art. 2. propterea, quod hic modus accipiẽdi has virtutes cõgruẽtior ſit dignitati Chriſti: & modus acquirendi illas proprijs actibus videatur impoſsibilis, quia neque ei potuit vnquam, niſi poſt longiſsimum tempus ocurrere materia omnium moralium virtutum: neque vnquam potuit exercere Chriſtus actus aliquarum virtutum ob defectum materiæ, videlicèt magnificentiæ, liberalitatis, & iuſtitiæ commutatiuæ.

Tertia ſententia eſt aliorum aſſerentiũ Chriſtum huiuſmodi virtutes morales acquiſiſſe proprijs actibus, de quorũ numero ſunt Alenſis 4. p. quæſt. 12. membro 1. art. 1. & Cabrera, diſp. 2. Nazarius in art. 2. controuerſia vnica, & Valencia punto 3.

Qui auctores circa tẽpus in quo Chriſtus huiuſmodi virtutes acquiſiuit diſcriminantur in duos modos dicendi. Cabrera enim vult illas acquiſiſſe à primo inſtanti conceptionis in ſummo gradu intenſionis ptoprijs actibus, quos tunc potuit ha-

be-

bere humanitas Chriſti ex coniunctione ad Verbum excellentiores, quoad ſubſtátiam,& modum quam ſi eſſet in proprio ſuppoſito. Alijs verò placet, vt Valenciç & Nazario illas acquiſiſſe poſtea ſucceſſu temporis citius tamen, & inperfectiori gradu, quamquilibet purus homo,& quia hæc eſt verior ſententia ſtatuitur à nobis pro concluſione: & probatur primò: nam ſicut Chriſtus proprijs actibus acquiſiuit ſcientias naturales, teſte D. Thom. infra quæſt. 9. art. 4. modo humano,& connaturali propter conuenientiam intellectus agentis, ne ſcilicèt in illo fuiſſet fruſtraneus, ita conueniens fuit modo humano,& connaturali virtutes morales, naturales proprijs actibus acquiſiſſe propter conuenientiam ſynderesis,& partis appetitiuæ, ne ſcilicèt virtus productiua taliũ virtutum conſiſtens in prædictis potentijs fuiſſet in Chriſto fruſtranea.

Secundò, quia virtutes morales acquiſitæ, ſiue naturales nequeunt operari, niſi media prudentia cum qua connectuntur, & circa obiecta h oneſta propoſita à cognitione, & prudentia naturali ipſis proportionatis: ſed has non habuit Chriſtus à principio Incarnationis inditas, aut acquiſitas, ſed eas poſtea ſucceſſu temporis acquiſiuit, ſicut & ſpecies deſeruientes ad talem cognitionem: ergo neque fieri poteſt, vt actus virtutum moralium naturalium regulentur à cognitione ſcientiæ infuſæ, & à prudentia per ſe iufuſa, vt falſo, & minus conſequentur reſpondet Vazquius dicens; prudentiam naturalem fuiſſe à Chriſto experimento acquiſitam, & virtutes morales naturales fuiſſe illi à principio per accidens inditas: quoniam actus iſtarum, vtpotè ex motiuo naturali eliciti à prudentia quoque, & cognitione naturali regulari debent.

9 Ad primum primæ ſententiæ, nego antecedens, ad cuius probationem reſpõdetur, quod D. Tho. propriam ſententiam explicans 1. 2. quæſt. 67. art. 1. ait abſolutè,& ſimpliciter virtutes morales, tàm infuſas, quàm acquiſitas manere in beatis: vnde in tertio ſententiarum, vel loquutus fuit iuxta aliorum ſententiam, vel quam ibi tenuit, in 1. 2. retractauit; in hoc autem, art. 2. ita diffinit virtutes infuſas ob connexionem cum gaatia fuiſſe in Chriſto, quod acquiſitas non excludat, licèt de eis expreſſam mentionem non fecerit. Ad ſecundum nego ſequelam: exercuit namque Chriſtus actus virtutum acquiſitarum principaliores, qui non conſiſtunt in frenandis paſsionibus quando aliàs ſunt iam frenatæ, ſed in interioribus affectibus,& electionibus honeſtatis circa propriam materiam: vt enim docet D. Thom. 2. 2. quæſt. 134. art. 3. ad quartũ ex Seneca, epiſtol. 85. & 92. principalis actus virtutis moralis eſt interior electio, quam virtus poteſt habere, abſque exteriori fortuna,& ſic etiam pauper poteſt eſſe magnificus: quãuis ad exteriores actus virtutum requirantur bona fortunæ, ſicut quædam inſtrumenta, & ſic pauper non poteſt actum exteriorem magnificentiæ exercere in his quæ ſunt magna ſimpliciter. Ad tertium nego cõſequentiam, quia ſicut Chriſtus idem obiectum naturalis ordinis ſimul actibus ſcientiæ infuſæ, & ſcientiæ acquiſitæ ſub diuerſis motiuis cognoſcebat, ita idem bonum honeſtum actibus virtutis moralis infuſæ, & acquiſitæ appetere poterat ſub diuerſis motiuis quorum neutrum eſt imperfectum priuatiuè, licet motiuum virtutis acquiſitæ ſit imperfectum negatiue, hoc eſt minus perfectum, quam motiuum virtutis infuſæ, ſed ex hoc non importat imperfectionem repugnantem dignitati animæ Chriſti. Ad fundamentum 2. ſententiæ dicitur, quoad ſingulas partes, quoad primam quidem negamus eſſe congruentiorem modum habendi huiuſmodi virrutes ex ſuo genere acquiſitas per infuſionem in Chriſto qui proprijs actibus ſcientias,& virtutes intellectuales naturales acquiſiuit: & qui veritatem humanæ naturæ manifeſtaturus veniebat: atque in infantili ætate genitus eius ſtatui,& conditioni atemperari conguebat.

Quoad ſecundam verò dicendum eſt, modum hunc acquirendi huiuſmodi virtutes non fuiſſe impoſsibilem, imò nec miraculoſum, quia per actus electiuos, ſiue internos aut ſolos, aut etiam à ſociatos actibus externis circa materias moralium virtutum, non in primo inſtanti (hoc enim miraculoſum eſſet) ſed ſucceſſu temporis ocurrentes potuit illarum habitus acquirere ad quorum celerem,& in gradu perfecto acquiſitionem valde ſcientijs, & vittutibus infuſis iuuabatur. Vnde ad primam huius improbationem patet ex dictis. Ad ſecundã verò, reſpõdetur Chriſtum circa materias huiuſmodi virtutum, quæ exteriora bona fortunæ poſtulant ſo-

lum primarios actus electiuos exercuiſſe quibus,& illarũ habitus acquiſiuit; vt habet D. Th. hic ad tertiũ,&c. aut etiã actus externos quandoque ſimul exercuiſſe. Non quidem circa bona ſpiritualia, vt falſo exiſtimauit Suarius, ſect. 1. circa finem dicens Chriſtum exercuiſſe actum magnanimitatis, appetendo ordinatiſsimè bona cœleſtia, vt claritatem à Patre Ioannis 17. & actum liberalitatis elargiendo gratiam,& remiſsionem peccatorũ: quia hæc bona nullatenus ſunt materia moralium virtutum acquiſitarum, niſi tantum bona externa, vt videre licèt apud D. Th. 2.2. quæſt. 117. art. 2. vbi ait ex ſentẽtia Philoſophi 4. Ethycorum, quod liberalitas eſt medietas circa pecunias: eiuſque actus eſt, vſus debitus pecuniarum,& quæſtion. 129. art. 2. ait materiam magnanimitatis eſſe magnum honorem in humanis,& art. 3. ſubdit quod ad rationem virtutis humanæ pertinet, vt in rebus humanis bonum rationis ſeruetur, quod eſt proprium hominis bonum: inter cæteras autem res humanas exteriores præcipuum locum tenent honores, & ideò magnanimitas, quæ ponit modum rarionis, circa magnos honores eſt virtus, & in ſolutione ad ſecundum, iterum ſubdit connexionem virtutum non eſſe intelligendam ſecundum actus, ita vt cuilibet competat habere actus omnium virtutum: actus enim magnanimitatis non cuilibet virtuoſo cõpetit, niſi ſolum magnis: ſed ſecundum principia virtutum quæ ſunt prudentia, & gratia oportet omnes virtutes eſſe connexas ſecundum habitus, ſimul in anima exiſtentes vel in actu, vel in propinqua diſpoſitione, & ſic poteſt aliquis cui non competit actus magnanimitatis habere habitum, per quem diſponitur ad talem actũ exequendum, ſi ſibi ſecũdum ſtatum ſuũ competeret.

Vnde ſic potuit Chriſtus habere actũ magnanimitatis circa externos honores: & operando aliquid in quantum dignum magno honore, quod etiam ſufficere ad actum magnanimitatis, docet D. Thom. ibidem art. 1. ad 3. actus vero iuſtitiæ cõmutatiuæ exercuit, quando Ioannis 4. miſit diſcipulos ſuos in Samariam, vt cibos emerent,& actum externum magnificentiæ, quando quinque milia hominum panibus,& piſcibus in deſerto ſaturauit, vt refertur Ioannis 6. & liberalitatis actum externum exercuit, quando Matth. 17. præcepit Petro, vt tributum miniſtris cæſaris per ſe, & ipſo nequaquam debitum, rependeret,& hic ad tertium ait D. Tho. quod exercuit actum liberalitatis externum elargiendo egenis de ſibi donatis.

10 Ad ſecundum dubium reſpondetur concluſione negatiua, quã communiter defendunt Scholaſtici cum Magiſtro in 3, diſt. 26,& cum D. Thom. in hoc art. 3. quam probant ea ratione, quia Chriſtus fuit Beatus à 1. inſtanti ſuæ conceptionis ac proinde clarè vidit diuinam eſſentiam: obiectum autem fidei Theologicę eſt res diuina non viſa: ergo deficiente huiuſmodi obiecto in Chriſto Domino non potuit non in illo deficere fides Theologica. Quæ ratio generatim probat de omnibus Beatis: ſpecialiter autem de Chriſto poteſt amplius confirmari, quia in illo nõ fuiſſe virtutem moralem infuſam pænitẽtiæ oſtendimus in materia de pænitentia, quæſt. 85. art. 4. dud. 3. aduerſus Suariũ, qui in hac diſp. 19. ſect. 1 ſecutus Marſilium, & Alenſem ait in Chriſto fuiſſe huiuſmodi virtutem pœnitentię, non quidẽ quantum ad actum deteſtandi peccatum commiſſum ab ipſo penitente, ſed quantũ ad alios actus, qui non ſupponunt peccatũ in operante cuius modi ſunt ſimplex odiũ peccati, & propoſitum vitandi diuinam iniuriam, non in ſatisfactionẽ præteritæ, ſed per ſe propter eius turpitudinem, vel propter honeſtatem quæ reperitur in contrario obiecto: ſed cum virtus pænitentiæ per ſe,& intrinſece aligetur huic conditioni, vt ſuos actus eliciat in ſatisfactionem iniuriæ commiſſæ ab ipſo penitente in illoque ſupponat peccatum, vel ſaltem potenciam peccandi, vt ibidem oſtendimus, nequit ab illa vindicari, ac proinde propter huiuſmodi intrinſecam imperfectionẽ repugnat voluntati Chriſti quæ per gratiam vnionis redditur omnino impeccabilis: ergo pariter cum fides Theologica ex parte obiecti ſpecificatiui intrinſece petat imperfectionem non viſi, ſeu carentiam euidentiæ, & claritatis quæ in intellectu Chriſti plenè Deum vidente eſſe non potuit, propterea neque potuit eſſe fides: & ideò conſulto diximus dubio præcedenti fuiſſe in Chriſto omnes virtutes infuſas, tam Theologicas, quam morales non repugnantes ſtatui Beatitudinis, aut vnionis hypoſtaticæ, vt propter huiuſmodi repugnantiam excluderemus ab illo ex Theo-

Fidẽ Theologicam nõ fuiſſe in Chriſto Domino ſtatuitur pro certo.

Theologicis fidem, & ſpem, & ex moralibus pœnitentiam. Tres tamen ex hac cõcluſione inſurgunt difficultates breuiter enodandæ. Prima eſt: An ſaltem de potentia abſoluta potuerit compati in Chriſto, aut in quouis beato habitus, vel actus fidei circa primarium obiectum cum clara Dei viſione? Secunda eſt: An potuerit Chriſtus habere fidem ſaltem circa obiecta ſecundaria? Tertia: An & quo pacto fuerit in illo meritum fidei? Ad quarum primam reſpondetur, iuxta ea quę docuimus 2. 2. quæſt. 1. art. 4. dubio 3. vbi ex profeſo oſtendimus actus fidei, & claræ viſionis reſpectu eiuſdem obiecti omnino, & de potentia abſolura repugnare, ſecus autem ipſos habitus, aut habitum vnius cum actu alterius: quo pacto Paulus in raptu videns in tranſitu diuinam eſſentiam, ſimul retinuit reſpectu eiuſdem obiecti primarij habitualem fidem.

11 Ad ſecundam reſpondet Vazquius infra diſp: 53. cap. 2. num. 17. potuiſſe in Chriſto manere fidem circa obiecta ſecundaria, ſicut & lumen propheticum. Sed verius reſpondetur, neque circa obiecta ſecundaria in Chriſto, & Beatis poſſe manere fidem, vt oſtendunt Aluarez in hoc art. 3. Nazarius controuerſia vnica, & Lorca, diſp. 38. eo quod deficiente obiecto primario à quo habitus ſpecificatur non poteſt talis habitus conſiſtere: in Chriſto autem, & Beatis deficit obiectum primariũ fidei, quod eſt Deus non viſus, & propter defectũ huiuſmodi obiecti, idem Vazquius remouerat à Chriſto de facto habitum fidei: ergo non debebat illum admittere aut eius poſsibilitatem adſtruere, circa obiecta ſecũdaria. Neque eſt ſimile de lumine prophetiæ, quod de facto fuit in Chriſto, quia vt oſtendemus art. 8. ſequenti, neque ex parte primarij, neque ex parte ſecundarij obiecti per ſe petit obſcuritatem.

Ad tertiam omnes Theologi conueniunt cum D. Thom. hic ad ſecundum aſſerente Chriſtum habuiſſe meritum fidei: diſcriminantur autem in explicando quale, & cuius virtutis actus fuerit huiuſmodi meritum in tres modos dicendi. Alij enim de quorum numero ſunt Medina, dicunt Chriſtum habuiſſe meritum fidei, quatenus habebat fidem in animi præparatione, ſicut Paulus eam retinuit in præparatione animi reſpectu eorum quæ viderat in diuina eſſentia. Suarius verò in commentario eiuſdem articuli tertij ait illud meritum fidei fuiſſe elicitum à virtute quadam morali exiſtente in voluntate Chriſti, quæ illam mouebat, & inclinabat vt haberet pium aſſectum ad credibilia, quamuis enim in Chriſto non manſerit ob rationem dictam habitus ipſe intellectualis, & aſſenſus fidei: manſit tamen (inquit ille) pius affectus ad credendum, & habitus huius elicituus. Alij denique de quorum numero ſunt Aluarez Cabrera hic, & Vincentius in relectione de gratia Chriſti, §. 64. dicunt Chriſtum habuiſſe meritum fidei non formaliter, ſed eminenter in cognitione ſcientiæ infuſæ de miſterijs ſupernaturalibus, vt regulante meritum obedientiæ, quia in illa eminenter ſeclusis imperfectionibus cognitio fidei continebatur. Sed omnes iſti modi dicendi ſunt inſufficientes. Primus quidem, quia cum Chriſtus fuiſſet ſimpliciter, & plenè Beatus, neque de facto, neque in præparatione animi fidem habebat ſicut neque Beati in patria dicuntur habere fidem in præparatione animi. Præter quam quod fides in pręparatione animi eſt fides ſimpliciter, & ideò Paulus ſimpliciter habuit fidem reſpectu eorum, quæ viderat in raptu, vtpotè, quia verè fuit viator, & fidelis: ergo cum Chriſtus nullatenus fidem habuerit, neque illam in animi præparatione dici poteſt habuiſſe.

Secundus verò, quia vt oſtendimus 2. 2. quæſt. 4. art. 2. reſpectu actus piæ affectionis ad credendum nulla conſtituenda eſt virtus in voluntate ob eius imperfectionem, quia ordinatur ad recipiendum cõplemẽtum ſui in actu intellectus, ſcilicèt aſenſu fidei, & proptereà ad eius elicientiam ſufficit ſola fides in intellectu cum auxilio actuali in voluntate, vnde nec minus repugnat Chriſto talis actus piæ affectionis ad credẽdum, quam ipſum credere.

Deniquè tertius, quamuis veritati apropinquet in eo, quod aſſerit huiuſmodi meritum fidei contineri virtualiter in affectu obedientiæ Chriſti, quem pleniſsimè habuit Chriſtus iuxta illud ad Philippenſes 2. factus eſt obediens, vſque ad mortem, eſtque ſententia, D. Thom. in ſolutione ad ſecundum dicentis meritum fidei conſiſtere in hoc quod homo ex obedientia Dei aſſentit his quæ non videt ſecundum illud ad Rom. 1. *Ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius*. Tamen

men à veritate deficit in eo, quod ait meritum fidei contineri eminenter in cognitione ſcientiæ infuſæ: nam fides meretur in quantum per dilectionem operatur, & quatenus eſt virtus eminenter practica perficiens intellectum, vt motum à volũtate: quæ conditio deficiebat ſcientiæ infuſæ animæ Christi, quæ eſt purè ſpeculatiua circa miſteria ſupernaturalia, & perfectio ſolius intellectus ſpeculatiui, vtpote in hoc à donis ſapientiæ, & ſcientiæ cõdiſtincta. Igitur his reiectis dicendum eſt Chriſtum habuiſſe meritum fidei ex parte operantis in prædicto affectu obedientiæ, ſed non ex parte operis: quia meritũ fidei ex parte operis non poteſt eſſe, ſine formali actu fidei, tamen ex parte operantis poteſt ſaluari in actu alterius virtutis. De qua diſt. videndus eſt D. Th. quodlibet. 6. art. 11. & in 3. diſt. 24 art. 3. gloſ. 3. & in 4. diſtinct. 49. quæſt. 5. art. 1. ad 2, in quibus docet D. Thom. meritum alicuius virtutis poſſe conſiderari, & quantificari dupliciter; aut ex parte operis; & ſic eſt actus ipſius virtutis: & eo eſt magis meritorium, quo eſt excellentioris virtutis opus, aut ex parte operantis, & ſic poteſt ſaluari in actu alterius virtutis imperãtis, vel adiubãtis, quæ doctrina verificatur exemplo martirij, quod teſte D. Thom. 2. 2. quæſt. 124. art. 2. 3. & 5. eſt actus, ſiue meritum quatuor virtutum, nã ex parte operis eſt meritum fortitudinis, quoniam eſt actus elicitus à ſola virtute fortitudinis, ex parte autem operantis poteſt dici meritum charitatis, fidei, & patiẽtiæ: charitatis quidem, vt imperantis, vtpote à qua imperatur, & ratione cuius imperij eſt maioris meriti, & excellentiæ, quam actus aliarum virtutum, licet ex parte operis præſtantiores ſint actu martirij; fidei verò, vt finalizantis, quia veritas fidei proteſtata verbis, aut facto, eſt cauſa finalis martirij; patientiæ, deniq́ue vt adiubantis, quia adiubat martirem in in ſuſtinentia mortis, quæ eſt de ratione martirij: ſic ergo meritum fidei repertum fuit in Chriſto, non ex parte operis, quia defecit in eo actus elicitus fidei, ſine quo meritum fidei ex genere operis nõ conſiſtit: ſed tantum ex parte operantis, in affectu charitatis, & obedientiæ, ex quorũ altero imperari, & ex altero adiubari ſolet aſenſus fidei meritorius in habẽtibus fidem. Dices, pariter in his duobus affectibus continetur meritum ſpei, temperãtiæ, & aliarũ virtutum Chriſti: ergo pariter dicentur meritum ſpei, vel temperantiæ.

Reſqondeo, vel admittendo conſequẽtiam, vel negando antecedens, quia licèt affectus charitatis pariter moueat imperatiue ſpem, & cæteras virtutes: ſecus autem affectus obedientiæ, qui ſpecialiter mouet, & coadiubat fidem, vt aſſentiat hijs quæ non videt; cuius propterea aſſenſus à Paulo iam obedientiæ, iam captiuitatis intellectus appellatur nomine. Vlterius dici poteſt in ipſo paſsionis Chriſti martirio ſaluari huiuſmodi meritũ fidei, quod ei atribuit ſanctus Doctor in ſolutione ad ſecundum: pro cuius declaratione ſcies martirem eſſe, quoad nominis æthimologiam, ſiue primæuam huius nominis impoſitionem Chriſto non conuenire, quia ſic idem ſignificat, atq́ue teſtẽ fidei Chriſtianæ, & martirium idem eſt, atq́ue teſtimonium datũ ab aliquo pro fide à Chriſto fundata; bene tamen quoad id quod nomen vere, & proprie ſignificat, in eoq́ue ſenſu Eccleſia in veſpertino officio Paſchalis temporis Chriſtum martirem appellat, dum canit: *Filiæ Hieruſalem, venite, & videte martirem cum corona, &c.* nec non D. Thom. in allegata quæſt. 124. art. 1. ad primum ait, paſsionem Sanctorum innocentum fuiſſe martirium non propriè, & formaliter, quia nec fuit voluntaria, nec actus virtutis, ſed large, & ex præuilegio, quo ad effectum gratiæ, & gloriæ ex merito martirij Chriſti: ſi igitur paſsio innocentum habuit effectum martirij, propter martiriũ Chriſti, & propter quod vnũquodq́ue tale, & illud magis: a fortiori paſsio Chriſti fuit vere martirium, habuitque vere meritum martirij, ita q́ue ap pellatur à D. Thom. atque prius fuit ſic appellata à Magiſtro, in 3. d. 18. §. 2. vnde cum paſsio Chriſti fuerit martirium, ſaltem quo ad rem ſignificatam: & alias martirium ſit meritum fidei, à qua finalizatur: ideò & in Chriſto fuit etiam meritum fidei, quatenus veritas euangelij; quæ reſpectu Eccleſiæ militantis eſt veritas fidei, ideſt per fidem credita, paſsione Chriſti eſt confirmata, ac proteſtata.

Neque in illo fuiſſe habitũ, aut actum ſpei Theologicæ defenditur contra Suariũ, & Vazquium.

12 Ad tertium dubium reſpondetur conclusione negatiua, quàm ſtatuimus aduerſus duas nouas ſententias, alteram Suarij in commentario huius art. 4. aſſerentis in Chriſto fuiſſe habitum ſpei Theologicæ, non quidem prout conuocat

tat imperfectionem fututitionis, & abſentiæ Beatitudinis eſſentialis, & prout denominatur ab actu difficiliori ſperandi eſſentialem Beatitudinem: ſed prout eſt habitualis amor concupiſcentiæ à quo proinde oritur actus ſperandi immortalitatē, & gloriam proprij corporis. Cuius fundamentum deſumitur ex teſtimonijs D. *Th.* art. 9. ſequenti ad primum, & in 3. diſt. 13. art. 1. gloſſ. 1. Bonauenturæ ibidem quæſt. 3. ad 1. Alenſis 3. part. quæſt. 12. membro 3. & aliorum aſſeretium in Chriſto fuiſſe quicquid perfectionis eſt in ſpe non verò quod imperfectionis eſt; quæ verba nequeunt in alio ſenſu præterquā in adducto congruenter explicari. Alteram verò Vazquij, hic diſp. 43. cap. 2. aſſerentis in Chriſto fuiſſe, quidem non habitum ſpei Theologicæ, ſed quemdā eius actum nimirum quo immortalitatem, & gloriā proprij corporis ante reſurrectionem ſperabat, eo quod huiuſmodi actus habet omnes conditiones ſpei Theologicæ, ſiquidem ſuit de gloria futura, & ardua, vtpotè impedita à paſsibilitate corporis, & aliàs fuit cum credulitate aſequutionis: atque de gloria vt obtinenda à Deo, ſiue ex Dei auxilio in quo tota arduitas obiecti ſpei ſaluatur: & conditio actus Theologici perficitur nimirum, vt reſpiciat Deum, vt quod, vel propter quē vt in charitate: vel vt cui, vt in fide, vel vt à quo, vt in ſpe: ergo huiuſmodi actus ex parte obiecti fuit vere, & propriè ſpei Theologicæ, qnamuis non ex parte principij elicientis, quia non ab habitu ſpei, ſed à quodam auxilio fuit elicitus.

Sed noſtra cōcluſio cōmuniter defenditur ab Scholaſticis cum Magiſtro in 3. d. 26. & ab interpretibus D. Thom. cū ſuo auctore, & probatur eius ratione, quia nimirum ſicut fides eſt de Deo non viſo tanquam de obiecto formali, ita & ſpes eſt de Deo nondū habito, aut poſſeſſo, ac proinde ſicut ob defectum illius obiecti deficit in Chriſto, & Beatis fides, quoad habitū, & actum, ita & ſpes euacuatur quoad vtrūque ob defectū huius obiecti. Cuius euacuatio colligitur maxime, quoad habitū ex illo ad Roman. 8. *Quod videt quiſquid ſperat*, & 1. ad Chorinth. 13. *Nunc autem manent fides, ſpes, & charitas tria hæc: maior autem horum eſt charitas* quia ſcilicet hæc permanet illis euacuatis in patria; quod ſine temeritate negari non poteſt.

13 Ad fundamentum autem prioris ſententiæ, reſpondetur præfatos auctores pariter, & eodem tenore verborum dicere in Chriſto reperiri, quicquid perfectionis eſt in ſpe, atque quicquid perfectionis eſt in fide: & tamen ex hoc non licet colligere eos ponere in Chriſto habitum fidei Theologicæ: igitur, neque licet colligere eos ponere in Chriſto habitum ſpei, niſi quaſdam eius conditiones cum quibus habitus charitatis poteſt appellari ſpes large loquendo, nimirum quatenus eſt amor habitualis concupiſcentiæ, & deſiderij proprij boni, ideſt quatenus eſt principium deſiderandi gloriam proprij corporis, aut aliud proprium bonum cum ſpectatione futuri euentus mediante aliquo impedimento, licèt non cum illa arduitate, & difficultate circa obiectum primarium quæ intrinſecè requiritur ad ſpem Theologicam. Ad ſecūdum, hoc eſt ad fundamentum poſterioris ſententiæ reſpondet Cabrera ſequtus Caietanum in comentario huius articuli quarti: huiuſmodi actum non fuiſſe ſpei Theologicæ, neque ab aliquo habitu proceſiſſe, niſi tātum ab auxilio: & nihilominus fuiſſe in Chriſto perfectiſsimum, quia fuit à potētia melius diſpoſita, quam per habitum: nam ad deſiderandam gloriam corporis diſponitur noſtra voluntas mediāte Deo non habito, ſed habendo: voluntas autē Chriſti diſponebatur mediante Deo iam habito; quæ eſt melior diſpoſitio vt certius, & firmius gloriam corporis ſperaret vnde actus ſperādi gloriam corporis multo perfectior fuit in Chriſto, quam fuit in nobis. Valencia verò, punto 3. Lorca diſput. 38. Aluarez in expoſitione eiuſdem articuli quarti, Azorius 1. part. lib. 3. capit. 9. & Nazarius controuerſia vnica, reſpondent huiuſmodi actum in Chriſto non fuiſſe ſpei Theologicæ, ſed ſimplicis deſiderij; in quo cōueniūt cū Caietano, & Cabrera, ſubduntque diſſentiendo ab eis, quod iſte actus ſimplicis deſiderij erga gloriam corporis non à ſolo auxilio, ſed ab habitu charitatis prouenerit, quæ ſententia nobis probatur propter tria: tum quia in cæteris Beatis ſimilis actus deſiderandi gloriam proprij corporis procedit à charitate, vt docet D. Th. 2. 2. quæſt. 18. art. 2, ad tertium dicens, Beatos eadem virtute charitatis deſiderare, ſibi & alijs gloriam corporis: ergo pariter in Chriſto.

Occuritur fundamento Suarij.

Tum etiam, quia charitas in patria teſte eodem D. Thom. in 4. diſt. 49. quæſt.

4. art.

4.art.5.eſt habitualis amor fruitionis, & concupiſcentiæ, ſub qua ratione eſt vna ex dotibus animæ glorioſæ, quatenus ſcilicèt eſt principium fruẽdi bono proprio jam adepto, & quieſcendi in illo: atque deſiderandi, & concupiſcendi bonum proprium nondum adeptum: ergo eadem charitas quæ eſt principium fruendi gloria eſſentiali in Chriſto, & Beatis, eſt etiã principium concupiſcendi gloriam corporis futuram. Neque obſtat, quod in Chriſto hæc gloria fuerit magis difficilis, laborioſa, & ardua, quam in cæteris Beatis, vtpotè dependens in illo ab impedimẽto mortis prius ſubeundæ, iuxta illud, Lucę 24. *Sic opportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam*: Quoniam hæc arduitas eſt ſufficiens, vt in Chriſto actus deſiderandi gloriam proprij corporis appelletur ſpei, & non in cæteris Beatis.: ſed adhuc deficit à vera ſpe, non tantum propter defectum contingentiæ, ſed propter defectum arduitatis, circa obiectum primariũ quæ eſt conditio intrinſecè ad veram ſpẽ pertinens, vtpotè quæ poſtulat per ſe, vt eius obiectum primarium, quod eſt gloria eſſentialis ſit futura, & dependens ab aliquo impedimento remouendo ex auxilio Dei, licet eius aſequutio non ſit contingens, & incerta, reſpectu ſperantis: Chriſtus autem habuit ab initio Incarnationis preſentem gloriam eſſentialem, ex qua vt ex cauſa neceſſaria ineuitabili, & infalibili gloria corporis ſuo tempore dimanaret, licet cũ preſcientia huiuſmodi futuri euentus, & non cum eius contingẽtia.

Tũ denique, quia vt hic actus in Chriſto fuerit perfectus, & modo connaturali elicitus indiget habitu: neque voluntas diſponebatur ad illum mediante Deo habito: quia Deus, vt habitus, & poſſeſſus non formaliter, aut intrinſecè, niſi tantũ obiectiuè extrinſece vnitur animæ: diſpoſitio autem connaturaliter, & perfectè diſponens animam, vel eius potentiam ad aliquem actum debet intrinſecè, & formaliter illam perficere, & actuare: quæ proinde cum non poſsit eſſe ſolum auxilium actuale debet eſſe aliquis habitus quæ cõſtat ex dictis eſſe habitum charitatis. Ex quo fit hunc actum ſperandi gloriam corporis fuiſſe in Chriſto Theologicum nedum ex parte obiecti, vt vult Caietanus, quia ſcilicet habet Deũ per obiecto, à quo obtineda eſſet gloria corporis, ſed etiã ex parte principij; quia nimirum fuit elicitus à virtute Theologica charitatis.

14 Sed aduerſus hanc doctrinam inſurgit Vazquius dupliciter. Primo; quia arduitas requiſita, & ſufficiens ad ſpem Theologicam, tantũ conſiſtit in eo quod res ſperata obtineatur auxilio alterius, ita habet vbi ſupra, & 1.2.diſp.40.cap.2. numer.6. & probat, quia Paulus Horoſius in apologia pro libero arbitrio ait: quod ſperare non eſt poſsibilitatis propriæ, ſed largitatis alienæ: ſed huiuſmodi conditio inueniebatur in gloria corporis Chriſti, quia eam ſperabat, vt obtinendam ex auxilio Dei: ergo habebat arduitatem propriam ſpei Theologicæ, eo, vel maxime, quod eam promeruit Chriſtus merito ſuę paſsionis: eademque futuritio, & arduitas ſufficit ad terminandum ſpem, atque meritum: quia neque meritum eſt reſpectu eorum quæ habentur, aut ſunt in propria poteſtate merentis.

Secundò: quia actus quo Chriſtus ſperauit gloriam corporis, erat eiuſdem ſpeciei cum actu, quo nos gloriam noſtrorũ corporũ ſperamus, vtpotè cum vtriuſque ſit idem obiectum, nimirum gloria corporis à Deo obtinenda; quæ eiuſdem rationis eſt in Chriſto, & in nobis: ſed actus quo nos illam ſperamus eſt ſpei Theologicæ: ergo, & in Chriſto. Huic duplici obiectioni fiet ſatis explicando vno ex duobus modis arduitatem, quæ eſt propria obiecti ſpei Theologicæ. Primus eſt, quẽ ſequuntur Cabrera, & Lorca vbi ſupra, aſſerentes huiuſmodi arduitatem conſiſtere in eo quod res ſperata ſit contingens, & dubia reſpectu ſperantis, quæ cõditio defecit in Chriſto circa gloriam corporis, vtpotè, qui habebat gloriam animæ certò, & infallibiliter illatiuam ſuo tẽpore gloriæ corporis. Quod ſi contra hoc obijcias, quod animæ Purgatorij vera ſpe Theologica ſperant ſuam Beatitudinem, de qua tamen ſunt omnino certi, ſicut & de ſua prædeſtinatione, ſimiliter ille cui Deus reuelaret ſuam perſeuerantiam in gratia, vſque ad mortem, & conſequtionẽ Beatitudinis, illam nihilominus ſpe Theologica ſperaret, quamuis ſine dubietate, & contingentia, vtpote de qua eſſet omnino certus, vt contigit Apoſtolis in quorum perſona dicebat Paulus: *Certus ſum, quod neque mors, neque alia creatura, nos ſeparabit à charitate Chriſti, &c.* qui tamen in via ſpem Theologicam non amiſſ-

miſſ

miſerunt. Reſpondetur in vtroque caſu, ſaluari conditionem contingentiæ, & dubietatis ſufficientis ad ſpem Theologicã: in primò quidem, quia licèt animæ Purgatorij ſint certæ ſe conſequturas fore Beatitudinem, incertæ tamẽ ac dubiæ ſunt quãdo illam conſequentur, & quo tempore ab illis pœnis ſoluentur, quæ dubietas, & contingentia, quoad temporis circunſtantiam cum impedimento pœnarum eſt ſufficiens arduitas in Beatitudine ſperata.

In ſecundo verò, quia certitudo proueniens ab extrinſeca reuelatione, & præſcientia Dei non tollit quo minus beatitudo ſit per ſe, & ab intrinſeco hoc eſt per ordinem ad merita, & actus liberi arbitrij, quæ ſunt intra ipſum ſperantẽ maneat cõtingens, & dubia reſpectu illius: quemadmodum infallibilitas, quam habent effectus futuri, per comparationem ad diuinã prouidentiam, non tollit quo minus abſolute, & ſimpliciter ſint contingentes, per comparationem ad cauſas ſecundas proximas defectibiles.

Secundus, & verior modus deducitur ex D. Thom. 1. 2. quæſt. 40. art. 8. ad 1. & quæſt. 45. art. 4. ad 2. & quæſt. 67. art. 4. ad 3. conſtituente huiuſmodi arduitatẽ in eo quod obiectum primariũ ſpei Theologicæ, hoc eſt gloriæ eſſentialis à Deo obtinenda, ſit dependens ab aliquo impedimento, ſicut reſpectu noſtri gloria eſſentialis dependet à dono perſeuerantiæ, & à morte, per quam fiat tranſitus ab hoc cõmuni ſtatu viæ ad alterum patriæ, per cuius arduitatis connotationem, & participationem, cætera obiecta ſecundaria dicãtur ardua, quæ conditio defecit in Chriſto, vtpote qui ab initio conceptionis præſentem habuit gloriam eſſentialem. Ex his reſpondetur ad priorem obiectionem negando maiorem. Ad cuius probationẽ dicendum eſt illam quidem conditionem requiri, ſed non ſufficere. Ad poſteriorẽ, nego maiorem, quia actus quo nos ſperamus modo gloriam proprij corporis differt ab actu, quo quis viator gloriã ſui corporis ſperabat, ex obiecto formali, quia ille reſpicit gloriã corporis ſub conditione dubietatis aut contingentiæ; ſiue vt arduam ratione gloriæ eſſentialis, quæ eſt obiectum primarium ſpei theologicæ: ſecus vero iſte.

Poſſumus etiam in fauorem huius authoris arguere ex eodem D. Thom. ſuper epiſt. ad Hebr. c. 2. lect. 3. aſſerente Chriſtum habuiſſe actũm fiduciæ, quod probat ex illo, Eſai. 12. dicto in perſona Chriſti: *Fiducialiter agam in eo, & non timebo.* Vnde Paulus deſumpſit illud, quod de Chriſto ait in allegato, cap. 2. ad Hebr. *Ego ero fidens in eum*, ideſt habebo fiduciã in adiutorio eius ſcilicet Patris, pro gloria corporis, ait D. *T*hom. ſed fiducia nil eſt aliud, quam firma ſpes, ſiue ſpes ſine timore, quem tamen habet adiunctum ſpes communiter dicta, vt ibidem fatetur D. *T*hom. & 2. 2. quæſt. 129. art. 6. in corpore dicens, quod fiducia pertinèt ad ſpem, ſecundum illud Iob 11. *Habebis fiduciam propoſita tibi ſpe*, & in ſolutione ad ſecundum ſubdit, quod fiducia eſt quoddam robur ſpei, & ideò opponitur timori, ſicut & ſpes, & in ſolutione ad tertiũ, ait quod fiducia importat quemdam modum ſpei: eſt enim fiducia ſpes roborata ex aliqua firma opinione: ergo in Chriſto fuit actus veræ ſpei circa gloriam corporis licèt, ſine imperfectione timoris. Reſpondetur nihilominus ex doctrina eiuſdem D. Th. in dicta lect. 3. ſub his verbis, aliud eſt ſpes, & aliud fiducia, nam ſpes eſt expectatio futuræ Beatitudinis, & hæc non fuit in Chriſto, quia ab inſtanti ſuæ conceptionis fuit Beatus fiducia autem eſt expectatio cuiuſcumque auxilij, & ſecundum hoc fuit in Chriſto fiducia, in quantum ſecundum humanam naturam expectabat à Patre auxilium in paſſione: vnde cum inuenitur, quod Chriſtus dicatur habere ſpem, non eſt intelligendum ratione principalis obiecti, quod eſt Beatitudo, ſed ratione gloriæ reſurrectionis, & gloriæ corpori collatæ. Hæc ille. In quibus haud obſcure indicat actum illum ſpei, quo Chriſtus viator gloriam corporis expectauit fuiſſe quidem fiduciæ, quia fuit firmus, & cum omnimoda ſecuritate, abſque timore, ſed non ſpei Theologicæ, quia nõ fuit obiectum principale ſpei Theologicæ, quod eſt Beatitudo eſſentialis ardua, & futura: quæ in Chriſto defecit ob præſentiam huiuſmodi Beatitudinis ab inſtanti conceptionis, deficiente autem obiecto principali ſpecificante neceſſe eſt, & virtutem ab ipſo ſpecificatam deficere.

(***)

ART.

ART. V.

Vtrùm in Chriſto fuerint dona?

Iſai. 11. l. 2. col. 2.

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quod in Chriſto non fuerint dona. Sicut enim communiter dicitur, dona dantur in adiutorium virtutum. Sed id quod eſt in ſe perfectum, nõ indiget exteriori auxilio. Cũ igitur in Chriſto fuerint virtutes perfectæ, videtur quod in eo non fuerint dona.

2 Præterea, Non videtur eſſe eiuſdem dare dona & recipere: quia dare eſt habentis, accipere autem non habentis. Sed Chriſto conuenit dare dona, ſecundum illud Pſalm. 67. Dedit dona hominibus. Ergo Chriſto nõ cõuenit accipere dona Spiritus ſancti.

3 Præterea, Quatuor dona videntur pertinere ad cõtemplationem vitæ, ſcilicet ſapientia, ſcientia, intellectus, & conſilium, quod pertinet ad prudentiam: vnde & Philoſophus in 6. Ethic. * numerat iſta inter virtutes intellectuales. Sed Chriſtus habuit contemplationem patriæ. Ergo non habuit huiuſmodi dona.

c. 3. & ſeq. to. 5.

Sed contra eſt quod dicitur Iſai. 4 Aprehendent ſeptem mulieres virum vnum. Gloſſ. * ideſt, ſeptem dona Spiritus ſancti Chriſtum.

gloſ. ord. ibid.

Reſpõdeo dicendũ, quod ſicut in ſecunda parte dictum eſt, † dona propria ſunt perfectiones quædam potẽtiarum animæ, ſecũdum quod ſunt natæ moueri a Spiritu ſancto. Manifeſtum eſt autem, quod anima Chiſti perfectiſsime a Spiritu ſancto mouebatur: ſecundum illud Luc. 4. Ieſus autem plenus Spiritu ſãcto regreſſus eſt a Iordane, & agebatur a ſpiritu in deſertum. Vnde manifeſtũ eſt, quod in Chriſto fuerunt excellentiſsime dona.

p. 2. q. 68. art. 1.

Ad primum ergo dicẽdum, quod illud quod eſt perfectum ſecundum ordinem ſuæ naturæ, indiget adiuuari ab eo quod eſt altioris naturæ: ſicut homo, quantuncũque perfectus indiget adiuuari a Deo. Et hoc modo virtutes, quæ perficiunt potẽtias animæ, ſecundum quod ducuntur ratione, quãtumcumque ſint perfectæ indigent adiuuari per dona, quæ perficiunt potentias animæ, ſecũdum quod ſunt motæ a Spiritu ſancto.

Ad ſecundum dicendum, quod Chriſtus non ſecundum idem eſt recipiens, & dans dona Spiritus ſancti: ſed dat ſecũdum quod Deus; & accipit, ſecũdum quod homo. Vnde Gregorius dicit in ſecundo Moralium quod Spiritus ſanctus humanitatem Chriſti numquam deſeruit, ex cuius diuinitate procedit.

cap. [illegible] ĩ medio illius.

Ad tertium dicendum, quod in Chriſto non ſolum fuit cognitio patriæ, ſed etiam cognitio viæ: vt infra dicetur. † Et tamẽ etiam in patria ſũt per aliquem modum dona Spiritus ſancti, vt in ſecũda parte dictum eſt.

*q. 34. a. 4. * p. 2. qu. 68. ar. 6.*

ART. VI.

Vtrùm in Chriſto fuerit donum timoris?

inf. q. 15. a. 7. & 3. d. 15. q. 2. a. 2. q. 3.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur, quod in Chriſto non fuerit donum timoris. Spes enim videtur potior, quam timor.

mor:

* p. 2. q. 19. & 17 art. 1.
† ar. 4. hoius quæſt. tract. 9. circ. medio 9.
† q. 15. a. 1. & 2.

mo::nam ſpei obiectum eſt bonum, timoris vero malum: vt in ſecunda parte habitum eſt. * Sed in Chriſto non fuit virtus ſpei, vt ſupra habitum eſt. † Ergo etiam non fuit in eo donum timoris.

2 Præterea, Dono timoris timet aliquis vel ſeparationem a Deo quod pertinet ad timorem caſtum: vel puniri ab ipſo, quod pertinet ad timorem ſeruilem: vt Auguſtin. dicit * ſuper Can. Ioan. Sed Chriſtus non timuit ſeparari a Deo per peccatum, neque etiam puniri ab eo propter culpam: quia impoſibile erat ei peccare, vt infra dicetur. † Timor autem non eſt de impoſsibili. Ergo in Chriſto non fuit donum timoris.

3 Præterea, Primæ Ioann. 4. dicitur quod perfecta charitas foras mittit timorem. Sed in Chriſto fuit perfectiſsima charitas, ſecundum illud Epheſ. 3. Super eminentem ſcientiæ charitatem Chriſti. Ergo in Chriſto non fuit donum timoris.

Sed contra eſt, quod dicitur Iſai. 11. Replebit cum ſpiritus timoris Domini.

p. 2. q. 19 art. 1.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut in ſecunda parte dictum eſt, * timor reſpicit duo obiecta: quorum vnum eſt malum terribile, aliud eſt illud, cuius poteſtate malum poteſt inferri: ſicut aliquis timet regem, in quantum habet occidendi poteſtatem. Non autem timetur ille, qui poteſt nocere, niſi haberet quamdam eminentiam poteſtatis, cui de facili reſiſti non poſsit: ea enim quæ in promptu habemus repellere, non timemus. Et ſic patet, quod aliquis non timetur niſi propter ſuam eminentiam. Sic igitur dicendum eſt, quod in Chriſto fuit timor Dei: non quidem ſecundum quod reſpicit malum ſeparationis a Deo per culpam, neque etiam ſecundum quod reſpicit malum punitionis pro culpa; ſed ſecundum quod reſpicit ipſam diuinam eminentiam: provt ſcilicet anima Chriſti quodam affectu reuerentiæ mouebatur in Deum, a Spiritu ſancto acta. Vnde Hebr. quinto dicitur, quod in omnibus exauditus eſt pro ſua reuerentia. Hunc enim affectum reuerentiæ ad Deum, Chriſtus ſecundum quod homo præ cæteris habuit pleniorem. Et ideo ei attribuit Scriptura plenitudinem timoris Domini.

Ad primum ergo dicendum, quod habitus virtutum & donorum, proprie & per ſe reſpiciunt bonum: malum autem ex conſequenti. Pertinet enim ad rationem virtutis, vt opus bonum reddat, vt in 2. Ethicor. * dicitur. Et ideo de ratione doni timoris non eſt illud malum, quod reſpicit timor, ſed eminentia illius boni, ſcilicet diuini, cuius poteſtate aliquod malum infligi poteſt. Sed ſpes, ſecundum quod virtus eſt, reſpicit non ſolum auctorem boni, ſed etiam ipſum bonum, in quantum eſt non habitum. Et ideo Chriſto, qui iam habebat perfectum beatitudinis bonum, non attribuitur virtus ſpei, ſed donum timoris.

cap. 6. in princ. to. 5.

Ad ſecundum dicendum, quod ratio illa procedit de timore, ſecundum quod reſpicit obiectum, quod eſt malum.

Ad tertium dicendum, quod perfecta charitas foras mittit timorem ſeruilem, qui reſpicit principaliter pœnam. Sic autem timor non fuit in Chriſto.

Digitized by Google

CONCLVSIO vtriuſque articuli eſt affirmatiua, & certa ſecundum fidem.

Dubium tamen eſt pro eius exacta explicatione: An in Chriſto fuerint ſeptem dona Spiritus ſancti quantum ad habitus, & quantum ad actus?

15 *Donum timoris fuiſſe in Chriſto eſt dogma fidei.*

RESPONDETVR concluſione affirmatiua; quam omnes Theologi defendunt, tanquã dogma fidei, & colligunt illam ex cap. 11. Eſaiæ vbi numerans Propheta ſeptem dona Spiritus ſancti ſub proprijs nominibus ſapientiæ, intellectus, ſcientiæ, conſilij, pietatis, fortitudinis, & timoris ait, illa requieſcere in Chriſto Domino ſecundum communem ſanctorum Patrum expoſitionem, quos refert Suarius diſputat. 20. ſection. 1. eandemque ſuadet duplex ratio Theologica nimirum. Quia huiuſmodi dona quoad habitus habent neceſſariam connexionem, cum gratia iuſtificante, ac proinde illam commitantur in Chriſto. Et quia effectus donorum eſt reddere potentias animæ facile mobiles à Spiritu ſancto, animam autem Chriſti perfectiſsime fuiſſe Spiritui ſancto ſubiectam, & ab illo motam conſtat ex illo Lucæ 4. *Ieſus autem plenus Spiritu ſancto regreſſus eſt à Iordane, & agebatur à Spiritu in deſertum.*

Deinde ſecundam partem concluſionis licet non in eodem gradu certitudinis, tamen in eo, vt abſque temeritate errori proxima negari non poſsit, defendunt omnes Theologi aduerſus Durandum, qui in 3. diſtinct. 34. quæſtion. 3. & 6. negat in Beatis, & pariter in Chriſto, maximè poſtquam fuit ex omni parte Beatus, actus quatuor donorum, nimirum conſilij, pietatis, fortitudinis, & timoris; eo quod materiæ, ſiue obiecta horum donorum non manent in Beatis ob imperfectionem repugnantem ſtatui Beatitudinis: etenim materia doni conſilij, v. g. eſt aliquod agibile cadens ſub dubitatione quam anima Chriſti nullatenus habere potuit propter ſcientiam Beatam qua omnia agibilia ſingularia in verbo cognouit, & materia timoris eſt malum imminens, vel culpæ, vel pœnæ, quod nullatenus imminere poteſt Chriſto, aut Beatis: ergo.

Sed nihilominus hæc ſecunda pars noſtræ concluſionis probatur primò, quia dona ſub proprijs nominibus ſub quibus numerantur ab Eſaia non ſolum ſignificant habitus, ſed etiam actus apud Sanctos Patres, prædictum locum de donis in Chriſto manentibus interpretantes.

Tum etiam, quia alioquin huiuſmodi habitus manerent occioſi in Beatis, & Chriſto, ſiquidem menerent ſine actibus propter quos ſunt, & ad quos ordinantur; quæ imperfectio magis derogat ſtatui Beatitudinis.

Tum denique, quia obiecta horum donorum prout manent in Beatis nullam inuolunt imperfectionem, ſicut nec obiecta virtutum infuſarum, & acquiſitarum, quæ ibi manent ſine imperfectionibus cum quibus in via reperiuntur, igitur & ſic manere poſſunt actus donorum, & de facto Chriſtus illos habuit, verbi gratia ex dono ſapientiæ habuit iudicium certum de æternis per cauſam altiſsimam. Ex dono intellectus habuit penetrationem diuinorum miſteriorum ſine imperfectione adiuuandi fidem cum qua hoc donum in via reperitur. Ex dono conſilij habuit practicum iudicium omnino certum de agendis. Ex dono fortitudinis habuit antè mortem firmum propoſitum ſubeundi mortem ſuperato timore; & poſt mortem, omnimodam ſecuritatem à malis, & periculis. Ex dono ſcientiæ habuit certum iudicium ſpeculatiuum de agendis per cauſas, & rationes inferiores. Ex dono pietatis habuit affectum filialem erga Deum vt Patrem naturalem ſuppoſiti; & erga reliquos ſanctos honorandos, tanquam filios Dei adoptiuos, & quamuis hi actus proueniant quoad ſubſtantiam à ſimilibus virtutibus intellectualibus, & moralibus quæ eiſdem nominibus donorum nuncupantur tamen

ſub

ſub hac ratione formali, & cum hoc modo peculiari diſponendi potentias animæ, vt facile moueantur à Spiritu ſancto, & vt operentur circa prædictas materias virtutum immediate ex impulſu, & motione *S*piritus ſancti non à virtutibus, ſed à ſolis donis prouenire poſſunt, vtpotè proprij actus illorum.

De dono autem timoris, & eius actu; maior eſt difficultas, & magis, vrget ratio dubitandi ob quam Durandus Chriſto, & Beatis talem actum denegauit. Et Auguſtinus libro 14. de ciuitate, cap. 9. hanc quæſtionem ſub dubio reliquit dicens, quod ſi verus timor manet in patria non eſt exterrens à malo, quod accidere poteſt, ſed tenens in bono, quod amitti non poteſt, ſi autem verus timor non eſt ibi; propterea dicitur timor caſtus permanere in ſæculum ſæculi, quia id permanebit quo timor ipſe perducit, ideſt quia permanebit terminus, & præmium timoris, ſicut Pſalm. 9. dicitur pacientia Pauperum non peribit in æternum, non quia æterna erit ipſa pacientia quæ neceſſaria non eſt, vbi non eſt tollerantia malorum, ſed quia æternum erit illud ad quod per pacientiam peruenitur. Et Abailardus relatus à D. Bernardo, epiſtol. 190. negauit Chriſto ſimpliciter donum timoris in cuius errorem latenter incidit Durandus ex affectu contradicendi, D. Thom. cuius ſententia tenens in Chriſto, & Beatis manere donum timoris nedum quoad habitum, ſed etiam quoad verum timoris actum eſt certa ſecundum fidem propter duo.

Tum quia Innocentius Secundus, vt refert D. Bernardus, epiſtol. 194. damnauit errores Abaylardi inter quos retulerat idem Bernardus in dicta epiſtol. 190. illum, qui Chriſto denegat verum timoris donum.

Tum etiam, quia in locis Scripturæ, in quibus attribuitur Chriſto, & Beatis timor non ſolum ſignificatur habitus, ſed etiam actus timoris, iuxta Sanctorum Patrum communem expoſitionem, vt in illo Eſaiæ 11. *replenit eum Spiritus timoris Domini*: & in illo Pſalm. 18. *timor Domini Sanctus permanet in ſæculum ſæculi*, & Iob 26. *columnæ cæli contremiſcunt*, ideſt Angeli Beati, vt interpretatur Gregorius lib. 17. moralium cap. 17. & in eo quod canit Eccleſia: tremunt poteſtates; quæ verba ſignificant actum timoris, non quemcumque, ſed proprium, quia verba ſacræ Scripturæ in ſenſu litterali, & proprio ſunt interpretanda, iuxta Regulam Auguſtini lib. 3. de doctrina Chriſtiana, cap. 10. & de facto hæc teſtimonia, ſic à Patribus interpretantur.

Obiectum huius timoris in Chriſto fuit diuina maieſtas potens abſolutè infligere malum pœnæ, & permittere malū culpæ.

In explicando autem, quod obiectum habuerit in Chriſto, & habeat in Beatis iſte actus timoris: diuiduntur Theologi in quatuor modos dicendi. Primus eſt Suarij in dicta diſputat. 20. ſection. 2. aſſerentis, quod habet pro obiecto malum culpæ cuius eſt fuga, & deteſtatio prout eſt malum abſolutè poſſibile naturæ humanæ, quamuis de facto ratione vnionis hypoſtaticæ, aut ex ſuppoſitione ſtatus Beatitudinis ſit ei impoſſibile. Secundus eſt Cabreræ in commentario articuli ſexti aſſerentis, quòd iſte actus timoris eſt affectus reuerentialis proſecutiuus habens pro obiecto diuinam poteſtatem, & iuſtitiam, quatenus potens eſt non à parte poſt, vt vult Caietanus, ſed à parte ante infligere humanitati aliquod malum pœnæ, vel permittere malum culpæ, hoc eſt quatenus diuina iuſtitia potuit ante Beatitudinis eſſequtionem permittere in anima malum culpæ, per quod ſepararetur à Deo, & non fecit. Tertius eſt quem ſequuntur Valentia, puncto 4. Lorca diſputation. 39. & Nazarius controuerſia vnica aſſerentes hunc timorem eſſe affectum reuerentialem veluti mixtum ex proſequutione, & fuga, qui habet pro obiecto à quo recedit deffectum propriæ naturæ, & pro obiecto quod proſequitur, diuinam eminentiam ad inſtar illius reuerentialis affectus quo Petrus Lucæ 7. admiratus potentiam Chriſti procidit ad eius genua dicens: *exi à me Domine, quia homo peccator ſum*, dum enim ad Chriſti genua procidit expreſsit affectum proſequtiuum eminentiæ ipſius, & dum Chriſtum à ſe remouebat dicens: exi à me quia homo peccator ſum: expræſit fugam naturalis deffectus.

Quartus eſt quem ſequitur Vazquius, diſputation. 44. cap. 2. cum Caieno, & Aluarez in expoſitione articuli ſexti aſſerentibus hunc timorem non eſſe fugam mali culpæ, aut mali pœnæ ex culpa infligendæ, ſed eſſe affectum proſequuti-

Digitized by Google

ſequutiuum, & reuerentialem, circa omnipotentiam, & maieſtatem Dei, vt potentis abſolutè infligere malum pœnæ ex culpa, & permittere ipſum malum culpæ: ſubdit tamen Vazquius diſſentiens à prædictis auctoribus, quod iſte affectus timoris fuit virtutis humilitatis, quia dona non addunt nouos habitus ſupra virtutes infuſas, niſi tantum nouos actus.

Et quia hic quartus modus dicendi, prout deffenditur à Caietano, & Aluarez eſt expreſſus D. Thom. 2. 2. quæſt. 19. articul. 11. in corpore, vbi ſic habet: *Hoc autem malum creaturæ rationali (ſcilicet culpæ) ſecundum ſuam naturam conſiderata poſſibile eſt propter naturalem liberi arbitrij flexibilitatem, ſed in Beatis fit impoſſibile per gloriæ perfectionem: fuga ergo huius mali, quod eſt Deo non ſubijci, vt poſſibilis naturæ, impoſſibilis autem Beatitudini erit in patria: in via autem eſt fuga huius mali, vt omnino poſſibilis*: idem habet, in corpore, & in ſolutione ad primum huius articuli ſexti dicens de ratione doni timoris non eſt illud malum, quod reſpicit timor (intellige timor, qui eſt paſsio, vel qui eſt formalis fuga) ſed eminẽtia illius boni, ſcilicet diuini; cuius poteſtate aliquod malum infligi poteſt, &c. Et concludit hunc timorem fuiſſe in Chriſto. Eſt etiam ſententia eiuſdem D. Thom. in dicta quæſtion. 19. articul. 1. & Eſai. 11. dum ait in Chriſto fuiſſe ſeptem dona, ſecundum excellentiſsimos vſus ipſorũ, ſecundum quos habentur in patria: *Non enim habuit timorem ſeruilem, vt timeret pœnam, vel filialem, vt timeret peccare, ſed caſtum timorem, qui eſt reuerentiæ*, de quo ad Hebr. 5. *exauditus eſt pro ſua reuerentia*: ideò à nobis amplectitur, ex qua facile impugnantur alij modi dicendi. Primus namque deſſicit propter duo.

Tum, quia hæc fuga peccati magis videtur ad ſimplex quoddam odium elicitum à charitate, quam ad proprium timorem pertinere: quia ad charitatem pertinet diligere non tantum bonum Diuum, & deteſtari peccatum, vt illi contrarium, ſed etiam diligere bonum propriæ naturæ, & deteſtari peccatum, vt eiuſdem naturæ malum.

Tum etiam, quia talis deteſtatio eſſet pura, & formalis fuga peccati: ponere autem in Chriſto, & Beatis timorem, qui conſiſtat in pura, & formali fuga mali eſt expreſſe contra D. Thom. qui in locis præallegatis dumtaxat admittit eum timorem in Chriſto, & Beatis, qui eſt affectus reuerentialis proſequutiuus diuinæ maieſtatis, quatenus ex ea poteſt prouenire aliquod malum ipſis. Deinde ſecundus deficit, quia illud obiectum nimirum diuina poteſtas, & iuſtitia, quatenus potuit infligere aliquod malum ante Beatitudinem, licèt habeat locum in cæteris Beatis, ſecus in anima Chriſti, quæ à principio ſuæ creationis fuit Beata, & vnita Verbo, ac proinde nunquam fuit capax mali culpæ: ergo neque eius timor à tali obiecto potuit ſpecificari. Præterquam quod diuina poteſtas, quatenus potuit malum infligere, & non fecit, potius eſt obiectum amoris, quàm timoris, quia hæc iuſtitiæ cohibitio fuit ex diuina bonitate ratione cuius Deus eſt potius diligendus, quam timendus: ergo.

Deniquè tertius deficit propter duo. Tum, quia affectus timoris, prout reſpicit malum, teſte D. Thom. infra quæſtion. 15, articul. 7, debet eſſe de malo abſenti, & euitabili: quia aprehenſio mali præſentis, & ineuitabilis cauſat non timorem, ſed triſtitiam: defectus autem proprius humanæ naturæ, quatenus creatura dependens, & anihilabilis à Deo, ſemper erat Chriſto præſens, & ineuitabilis, vtpotè intrinſecus humanitati: ergo.

Dices: ergo neque in horto, nocte ipſa paſsionis mortem timuit: conſequens autem eſt falſum, & contra fidem: quia mortẽ imminentem conſiderans cæpit pauere, & tædere, vt dicitur in Euangelio: & pauor eſt quidam timor, ſcilicèt cum trepidatione. Sequela patet, quia neque mors fuit pro tunc Chriſto euitabilis: ſiquidem erat ei prædifinita ex diuino decreto, quod infruſtrabile eſt. Sed neganda eſt ſequela, quia ſtat optimè abſoluta euitabilitas mortis cum eiuſdem ineuitabilitate ex ſuppoſitione extrinſeca, & ſecundum quid: deffectus verò naturæ humanæ proprius abſolutè, & ab intrinſeco eſt ineuitabilis. Vnde ratio facta manet inconcuſſa.

Tum etiam, quia ille affectus reuerentialis potius eſt actus virtutis religionis, aut humilitatis: ergo non doni timoris. Cõſequentia patet, quia dona nedum diſtinctos actus, ſed etiam diſtinctos habitus addunt ſupra virtutes infuſas, vt

con-

contra Vazquium, & alios oſtendimus ſecunda ſecundæ quæſtionæ octaua. Antecedens autem pro prima parte oſtenditur, quia teſte Diuo Thoma in eadem ſecunda ſecundæ quæſtione 82. articulo tertio actus ille interior virtutis religionis, qui dicitur deuotio oritur, & excitatur ex duplici conſideratione, ſcilicèt diuinæ excellentiæ, & proprij deffectus, ex qua duplici conſideratione immediatè cauſatur amor Dei cum receſſu hominis à ſe: ex quo amore proximè oritur deuotio: ergo hic actus coincidit cum dicto affectu reuerentiali, ſiquidem oritur ex eiſdem cauſis. Pro ſecunda verò parte oſtenditur ex eodem Diuo Thoma qui in quęſtione 161. eiuſdem partis, articulo primo ad quintum, & articulo ſecundo ad tertium, ait quod proprius actus humilitatis eſt ſubiectio hominis ad Deum, & in articulo tertio ſubdit, quod humilitas proprie reſpicit reuerentiam, qua homo ſubijcitur Deo: affectus autem prædictus reuerentialis ortus ex illa duplici conſideratione, tantum videtur eſſe motus iſte ſubiectionis erga Deum, ergo actus doni timoris repertus in Chriſto, & beatis non eſt fuga mali futuri, aut imminentis, qualis fuit timor mortis in Chriſto, ſed proſecutio diuinæ maieſtatis, vt potentis abſolutè malum infligere.

ART. VII.

Vtrùm in Chriſto fuerint gratiæ gratis datæ?

AD SEPTIMVM ſic procèditur. Videtur, quod in Chriſto non fuerint gratiæ gratis datę. Ei enim qui habet aliquid ſecundum plenitudinem, non competit illud habere ſecundum participationem. Sed Chriſtus habuit gratiam ſecundum plenitudinem, ſecundum illud Ioann. 1. Plenum gratię, & veritatis. Gratię autem gratis datę videntur eſſe quędam participationes diuinę, diuiſim, & particulariter diuerſis attributę: ſecundum illud 1. ad Corinth. 12. Diuiſiones gratiarum ſunt. Ergo videtur quòd in Chriſto non fuerint gratię gratis datę.

3. cont. c. 154. fi. & ver. q. 27. art. 1. & 5. cor. & opuſ. 3. c. 221. & Ro. 1. l. 3. col. 2. & Epheſ. 1. l. 2 to. 1.

2 Præterea, Quod debetur alicui, non videtur eſſe gratis ei datum. Sed debitum erat homini Chriſto, quod ſermone ſapientię, & ſcientiæ abundatet, & potens eſſet in virtutibus faciendis, & in alijs huiuſmodi, quæ pertinent ad gratias gratis datas: cum ipſe ſit Dei virtus, & Dei ſapientia, vt dicitur 1. ad Corinth. 1. Ergo Chriſto non fuit conueniens habere gratias gratias datas.

3 Præterea, Gratiæ gratis datæ ordinantur ad vtilitatem fidelium ſecundum illud 1. ad Corinth. 12. Vnicuiquè datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem. Non autem videtur ad vtilitatem aliorum pertinere habitus, aut quæcumque diſpoſitio, ſi homo non vtatur: ſecundum illud Eccleſiaſt. 20. Sapientia abſcondita, & theſaurus inuiſus, quę vtilitas in vtriſque? Chriſtus autem non legitur vſus omnibus gratijs gratis datis, pręſertim quantum ad genera linguarum. Non ergo in Chriſto fuerunt omnes gratię gratis datæ.

Sed contra eſt, quod Auguſtin. dicit in epiſtol. ad Dardanum, * quòd ſicut in capite ſunt omnes

epiſt. 57. declinando ad finē, to. 2. p. 2. q. 111.

ſenſus, ita in Chriſto fuerunt omnes gratiæ.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut in ſecunda parte habitum eſt, * gratiæ gratis datæ ordinantur ad fidei, & ſpiritualis doctrinæ manifeſtationem: opportet enim eum qui docet habere ea, per quę ſua doctrina manifeſtetur: aliâs ſua doctrina eſſet inutilis. Spiritualis autem doctrinæ, & fidei primus, & principalis doctor eſt Chriſtus. ſecundum illud Hebr. 2. Cum initium accepiſſet enarrari per Dominum, per eos, qui audierunt, in nos confirmata eſt conteſtante Deo ſignis, & portentis, &c. Vnde manifeſtum eſt, quod in Chriſto excellentiſsimê fuerunt omnes gratiæ gratis datæ, ſicut in primo, & principali fidei doctore.

Ad primum ergo dicendum, quôd ſicut gratia gratum faciens, ordinatur ad actus meritorios tam interiores, quâm exteriores: ita gratia gratis data ordinatur ad quoſdam actus exteriores fidei manifeſtatiuos: ſicut eſt operatio miraculorum, & alia huiuſmodi. In vtraque autem gratia Chriſtus plenitudinem habuit; in quantum enim diuinitati vnita erat eius anima, plenam efficaciam habebat ad omnes prædictos actus perficiendos. Sed alij Sancti, qui mouentur à Deo ſicut inſtrumenta non vnita, ſed ſeparata, particulariter efficaciam recipiunt ad hos, vel ad illos actus perficiendos. Et ideô in alijs ſanctis huiuſmodi gratiæ diuiduntur, non autem in Chriſto.

Ad ſecundum dicendum, quôd Chriſtus dicitur Dei virtus, & Dei ſapientia, in quantum eſt æternus dei filius. Sic autem non competit ſibi habere gratiam, ſed eſſe potius datorem gratiæ: competit autem ſibi habere gratiam ſecundum humanam naturam.

Ad tertium dicendum, quôd donum linguarum datum eſt Apoſtolis, quia mittebantur ad docendas omnes gentes. Chriſtus autem in vna ſola gente Iudæorum voluit perſonaliter prædicare, ſecundum quod ipſe dicit Matth. 15. Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael. Et Apoſtolus dicit Roman. 15. Dico Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circunciſionis. Et ideo non opportuit, quod loqueretur pluribus linguis: nec tamen defuit ei omnium linguarum notitia: cum etiam occulta cordium ei non eſſent abſcondita (vt infra dicetur *) quorum voces quæcumque ſunt ſigna. Nec tamen inutiliter hanc notitiam habuit: ſicut non inutiliter habet habitum, qui eo non vtitur quando non eſt opportunum. q. 10. a. 2.

ART. VIII.

Vtrùm in Chriſto fuerit prophetia?

A D OCTAVVM ſic proceditur. Videtur, quod in Chriſto non fuit pro-

inf. q. 31. a. 2. & 22. q. 174. a. 3. & Pſ. 44. co. 2. & Mat. 1. col. 2. & Io. 4. l. 6. co. fin. & 1. Cor. 13. l. 2. col. 1.

prophetia. Prophetia enim importat quamdam obſcuram, & imperfectam notitiam: ſecundum illud Numer. 12. Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, per ſomnium, aut in viſione loquar ad eum. Sed Chriſtus habuit plenam, & apertam notitiã, multo magis quam Moyſes, de quo ibi ſubditur, quôd palam, & non per ænigmata videt Deum. Non ergo in Chriſto debet poni prophetia.

Art. 3. & 4. huius quæſt. 2. 2. qu. 174. a. 4.

2 Præterea, Sicut fides eſt eorũ, quæ non videntur, & ſpes eorum quæ non habentur; ita prophetia eſt eorum, quæ non ſunt præſentia, ſed diſtant, nam propheta dicitur quaſi procul fans. Sed in Chriſto non ponitur fides, nec ſpes, vt ſupra dictum eſt. † Ergo prophetia etiam non debet poni in Chriſto.

3 Præterea, Propheta eſt inferioris ordinis, quam Angelus: vnde & de Moyſe, qui fuit ſupremus Prophetarum (vt in ſecunda parte dictum eſt *) dicitur Actor. 7. quôd locutus eſt cum angelo in ſolitudine. Sed Chriſtus non eſt minoratus ab Angelis ſecundum notitiam animæ, ſed ſolum ſecundum corporis paſsionem, vt habetur Hebr. 2. Ergo videtur quod Chriſtus non fuit propheta.

Sed contra eſt, quod de eo prædicitur, Deuter. 18. Prophetam ſuſcitabit vobis Deus de fratribus veſtris. Et ipſe de ſe dicit Matth. 13. & Ioan. 4 Non eſt Propheta ſine honore, niſi in patria ſua.

Reſpondeo dicendum, quôd propheta dicitur quaſi procul fans, vel procul videns: in quantum ſcilicet cognoſcit, & loquitur ea, quæ ſunt procul ab hominum ſenſibus: ſicut etiam Auguſtinus dicit 16. contra

c. 18, to. 6

Fauſtum. * Eſt autem conſiderandum, quod non poteſt dici aliquis propheta ex hoc, quod cognoſcit, & annuntiat ea, quæ ſunt alijs procul, cum quibus ipſe non eſt. Et hoc manifeſtum eſt ſecundum locum, & ſecundum tempus. Si enim aliquis in Gallia exiſtens, cognoſceret, & annuntiaret alijs in Gallia exiſtentibus ea, quæ tunc in Syria agerentur, propheticum eſſet, ſicut Eliſæus ad Giezi dixit, 4. Reg. 5. quomodo vir deſcenderat de curru, & occurrerat ei. Si vero aliquis in Syria exiſtens, ea quæ ſunt ibi annuntiaret, non eſſet propheticum. Et idem apparet ſecundum tempus. Propheticum enim fuit quod Iſaias prænuntiauit, quod Cyrus rex Perſarum templum Dei eſſet reædificaturus, vt patet Iſai. 44. Non autem fuit propheticum, quôd Eſdras hoc ſcripſit, cuius tempore factum eſt. Si igitur Deus, aut Angeli, vel etiam beati cognoſcunt, & annuntiant ea, quæ ſunt procul â noſtra notitia, hoc non pertinet ad prophetiam: quia in nullo noſtrum ſtatum attingunt. Chriſtus autem ante paſsionem noſtrum ſtatum attingebat: in quantum non ſolum erat comprehenſor, ſed etiam viator. Et ideo propheticum erat, quod ea quæ erant procul ab aliorum viatorum notitia, & cognoſcebat, & annuntiabat. Et hac ratione dicitur in eo fuiſſe prophetia.

Ad primum ergo dicendum, quod per illa verba non oſtenditur eſſe de ratione prophetiæ ænigmatica cognitio, quæ ſcilicet eſt per ſomnium, & in viſione: ſed oſtenditur comparatio aliorum prophetarum, qui per ſomnium, & in viſione perceperunt diuina, ad Moyſen, qui palã, & nõ per ænigmata Deũ vidit. Qui propheta eſt dictus, ſecundum illud Deuter. vltim. Non ſurrexit vltra Propheta in Iſrael ſicut Moyſes. Poteſt tamẽ dici quôd etſi Chriſ

tus habuit plenam, & apertam notitiam, quantum ad partem intellectiuam habuit tamen in parte imaginatiua quaſdam ſimilitudines, in quibus etiam poterat ſpeculari diuina: inquantum non ſolum erat comprehenſor, ſed etiam viator.

Ad ſecundum dicendum, quod fides eſt eorum, quæ non videntur ab ipſo credente; & ſimiliter ſpes eſt eorum, quæ non habentur ab ipſo ſperante: ſed prophetia eſt eorum quæ ſunt procul â communi hominum ſenſu, cum quibus propheta conuerſatur, & communicat in ſtatu uiæ. Et ideo fides, & ſpes repugnant perfectioni beatitudinis Chriſti: non autem prophetia.

Ad tertium dicendum, quôd Angelus cum ſit comprehenſor, eſt ſupra Prophetam, qui eſt purus viator: non autem ſupra Chriſtum, qui fuit ſimul viator, & comprehenſor.

18 COnclusio vtriuſque articuli eſt affirmatiua, quàm communiter tuentur omnes Theologi cum D.Thom. ſentiẽtes omnes gratias gratiſdatas, quarum vſus non inuoluit imperfectionẽ viſioni beatæ repugnantẽ fuiſſe in Chriſto viatore, ideſt ante quam ex omni parte fuiſſet beatus, per has autem gratias intelligit D.Thom. in 3. contra gent. c. 154. & 1, 2. quæſt. 111, artic. 4. quaſdam facultates non habituales alioquim eſſent virtutes infuſæ pertinentes ad gratiam gratum faciẽtem, quod eſt falſum; ſed actuales, & fluidas in auxilijs, & motionibus Spiritus ſancti conſiſtentes ad confirmationem fidei, vel aliorũ vtilitatem ordinatas; quas nouem eſſe deducit D.Thom. ex Paulo 1, ad Corinthios 12. Vbi illas ſic annumerat alijs per Spiritũ datur ſermo ſapiẽtiæ: Alij autẽ ſermo ſcientiæ, alteri fides in eodem ſpiritu, alij gratia ſanitatum, alij operatio virtutum, alteri Prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alteri genera linguarum, & alteri interpretatio ſermonum, quas omnes dupliciti tulo debuit habere Chriſtus. Tum quia erat præcipuus fidei Doctor, & hominum vniuerſalis inſtructor.

Tum etiam, quia habuit ſpiritum gratiæ cum plenitudine, & non ad menſurã, vt dicitur Ioann. 1. & 3. ergo. Debuit Spiritus ſancti gratijs abũdare. Hinc colligo primo, Chriſtum in ſtatu viæ fuiſſe verũ Prophetam, contra Abulenſem, qui Mathæi 11. quæſt. 64. & Mathæi 17. quæſt. 4. ſequutus Tertulianum, lib. 4. contra Marcionem, cap. 22. *Id negat dicens Chriſtum non fuiſſe verum Prophetam, niſi tantum exiſtimatione populi, qui eum Prophetam appellabat:* eo quod lumen propheticum intrinſecam includit obſcuritatem incompatibilem cum claritate viſionis beatæ, & propterea, ait Paulus 1. ad Corinthios 13. *Euacuandum fore in patria, ſicut & lumẽ fidei* Sed noſtra concluſio defenditur tanquam dogma fidei ab omnibus Theologis cum D.Thom. in hoc art. 8. vt videre eſt apud Vazquium, & Suarium, diſp. 21. ſect. 1. & Nazarium controuerſia vnica, & probatur primò, ex illo Deuteronomij 18. *Prophetam ſuſcitabit vobis Deus de fratribus veſtris*, quod teſtimonium Petrus, Actor. 3. & Stephanus, Actor. 7. de vero Meſſia in lege promiſſo interpretantur, & in eodem ſenſu illud intellexerunt, qui Lucæ 7. dixerunt: *Quia ſuſcitauit Dominus Prophetam, & viſitauit plebem ſuam*, & qui Ioann. 6 ſimiliter de Chriſto dixerunt: *Hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in mundum*: quæ teſtimonia communiter à Patribus in ſenſu litterali interpretantur, ac proinde citra temeritatis notam ad aliũ ſenſum improprium extorqueri, non poſſunt.

Secundo probatur ratione Theologica, quia nimirum duo tantum ſunt de ratione Prophetæ, ſcilicèt vt cognoſcat, & prædicat ea, quæ procul ſunt à noticia aliorum cum quibus ſimul exiſtit, & conuerſatur: dicitur enim Propheta, quaſi procul fans, & procul videns: quæ duo habuit Chriſtus ante mortem, quia dicebat ea quæ erant procul ab aliorum hominum, cum quibus in ſtatu viatorum cõueniebat cognitione: ergo verus fuit Propheta.

Neque opoſitum conuincit fundamẽtum Abulenſis, quia teſte Caietano, 2. 2. quæſt. 173. art. 4. lumen propheticum de ſe tantum tribuit euidentiam, quod res re-

ne-

uelentur à Deo, & ſint veræ hoc eſt in atteſtante, & quoad an eſt? quantum verò ad quod quid eſt, neque tribuit euidentiam, neque intrinſecè dicit negationem illius ex parte ſubiecti ſicut fides, ſed ſolum ex parte medij: vnde ſicut medium demonſtratiuum eſt compatibile cum medio probabili eiuſdem concluſionis; ita prophetia eſt compatibilis cum clara viſione eiuſdem obiecti, ſicut & cum obſcuritate fidei: repugnat tamen ſtatui perfectæ Beatitudinis, non ratione obſcuritatis, ſed alterius conditionis hoc eſt, quia ea quæ ibi reuelantur non ſunt procul à cognitione eorum, qui in illo ſtatu conuiuunt, & propterea ſtat optimè, quod Chriſtus in ſtatu viæ licet Beatus, ſecundum animam, prophetiam habuerit: & quod hæc euacuanda ſit in patria. Colligo ſecundo aduerſus Valentiam, hic punto 5. in Chriſto fuiſſe gratiam fidei, quia hæc non ſignificat aliquam conditionem, ſiue modum fidei Theologicæ, vt ipſe falſo exiſtimauit: ſed ſignificat, vel virtutem imperandi elementis, & alijs rebus inanimatis in confirmationem fidei, iuxta illud Mathæi 17. *Si habueritis fidem, vt granum ſinapis &c.* vel virtutem ad explicandum, & confitendum miſteria fidei publicè, ſine erubeſcentia: quam habuiſſe Chriſtũ conſtat ex illo Mathæi 7. *Erat docens in templo, tanquam poteſtatem habens*, & ex illo Ioannis 7. *Nunquam ſic loquutus eſt homo, &c.*

Colligo tertio contra Caietanum, & Medinam in hoc art. 8. & Suarium in dicta ſect. 1. §. *& ex hac concluſione*, lumen prophericum in Chriſto Domino realiter fuiſſe diſtinctum à ſciencia Beata, & infuſa: quia lumina harum ſcientiarum ſunt habitualia, faciunt euidèntiam, quãtum ad quod quid eſt, & feruntur in Deũ ſub ratione ęterna, & diuina, quæ conditiones alienæ ſunt à lumine prophetico, vt docet D. Th. 2. 2. quæſt. 171. art. 2. & quæſt. 173. art. 1. & de veritate, quæſtion. 14. art. 8. ad 13. ergo.

Colligo vltimo, aduerſus Cabreram in expoſitione eiuſdem articuli octaui, Angelos, & alios perfectè Beatos, non poſſe eſſe Prophetas, etiam quando nobis occulta reuelant: quia licet illa procul ſint à noſtra cognitione, non tamen à cognitione eorum, cum quibus in ſtatu Beatitudinis conueniunt; quæ tamen eſt conditio à D. Thom. requiſita ad Prophetiam: ſecus autem eſt de animabus exiſtentibus in Lymbo, aut in Purgatorio; quo exẽplo hic auctor deceptus eſt: iſtæ enim animæ vtroque modo prænunciare poſſunt ea quæ ſunt procul, vt contigit animæ Samuelis prædicenti Sauli ipſius interitum in bello: quam prophetando prænunciaſſe, teſtatur D. Thom, in eadem 2. 2. quęſt. 124. art. 5. ad 4. vbi in corpore articuli expreſſe hanc aſſertionem defendit.

ART. IX.

Vtrùm in Chriſto fuerit plenitudo gratiæ?

AD nonum ſic proceditur. Videtur, quod non fuerit in Chriſto gratiæ plenitudo. A gratia enim deriuantur virtutes, vt in ſecunda parte dictum eſt. * Sed in Chriſto non fuerunt omnes virtutes: non enim fuit in eo fides neque ſpes: vt oſtenſum eſt. † Ergo in Chriſto non fuit gratiæ plenitudo.

inf a. 10 & 12. ca. & 3. d. 13 q. 1. art. 2 q. 1. & d. 15 q. 1. a. 2. 5. Et opuſ. 3. ca. 221. & opuſ. 60. c. 3. col. 9.

2 Præterea, Sicut patet ex his, quæ in ſecũda parte dicta ſunt, * gratia diuiditur in operantem & cooperantem. Operans autem gratia dicitur, per quam iuſtificatur impius. Quod quidem non habuit locum in Chriſto, qui nunquam ſubiacuit alicui peccato. Ergo in Chriſto non fuit plenitudo gratiæ.

** p. 2. q. 110. a. 4. ad 1.*

† a. 3. & 4

** p. 2. q. 111. a. 2.*

3 Præterea, Iac. 1. dicitur, Omne datum optimum, & omne donũ perfectum, deſurſum eſt deſcendens a Patre luminum. Sed quod deſcendit, habetur particulariter & non plene. Ergo nulla creatura, neç etiam anima Chriſti poteſt habere plenitudinem donorum gratiæ.

Sed contra eſt, quod dicitur Io.

1. Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis.

Reſpondeo dicendum, quôd plene dicitur haberi, quod perfecte, & totaliter habetur. Totalitas autem, & perfectio poteſt attendi dupliciter. Vno modo quantum ad quantitatem eius intenſiuam: puta ſi dicam aliquem plene habere albedinem, ſi habeat eam quantumcumque nata eſt haberi. Alio modo ſecundum virtutem: puta ſi aliquis dicatur plene habere vitam, quia habet eam ſecundum omnes effectus, vel opera vitæ: & ſic habet plene vitam homo, non autem brutum animal, vel planta. Vtroque autem modo Chriſtus habuit gratiæ plenitudinem. Primo quidem, quia habuit eam in ſummo ſecundum perfectiſsimum modū, quo haberi poteſt. Et hoc quidem apparet, primo ex propinquitate animę Chriſti ad cauſam gratiæ. Dictum eſt *enim, quod quanto aliquod receptiuum propinquius eſt cauſæ influenti, tanto abundantius recipit. Et ideo anima Chriſti, quæ propinquius coniungitur Deo inter omnes creaturas rationales, maximam recipit influentiam gratiæ eius. Secundo ex comparatione eius ad effectum. Sic enim recipiebat anima Chriſti gratiam, vt ex ea quodammodo transfunderetur in alios. Et ideo oportuit, quôd haberet maximam gratiam: ſicut ignis, qui eſt cauſa caloris in omnibus calidis, eſt maxime calidus. Similiter etiam, quantum ad virtutem gratiæ plene habuit gratiam: quia habuit eam ad omnes operationes, vel effectus gratiæ. Et hoc ideo, quia conferebatur ei gratia, tanquam cuidam vniuerſali principio in genere habentium gratiam. Virtus autem primi principij alicuius generis vniuerſaliter ſe extendit ad omnes effectus illius generis: ſicut ſol, qui eſt vniuerſalis cauſa generationis (vt Dionyſ. dicit 4. cap. de diuin. nomin. *) eius virtus ſe extendit ad omnia, quæ ſub generatione cadunt. Et ſic ſecunda plenitudo gratiæ attenditur in Chriſto, in quātum ſe extendit eius gratia ad omnes gratię effectus, qui ſunt virtutes, & dona, & alia huiuſmodi.

art. 1. huius q.

c. 4. p. 1. inter pri. & med.

Ad primum ergo dicēdum, quod fides, & ſpes nominant effectus gratiæ in quodam defectu, qui eſt ex parte recipientis gratiam: in quantum ſcilicêt, fides eſt de non viſis, & ſpes de non habitis. Vnde non oportet, quôd in Chriſto, qui eſt auctor gratiæ, fuerint defectus, quos important fides, & ſpes: ſed quidquid eſt perfectionis in fide, & ſpe, in Chriſto eſt multo perfectius. Sicut in igne non ſunt omnes modi caloris defectiui ex defectu ſubiecti, ſed quidquid pertinet ad perfectionem caloris.

Ad ſecundum dicendum, quôd ad gratiam operantem per ſe, pertinet facere iuſtum: ſed quod iuſtum faciat ex impio, hoc accidit ei ex parte ſubiecti, in quo peccatum inuenitur. Anima Chriſti igitur iuſtificata eſt per gratiā operātem, in quantum per eā facta eſt iuſta, & ſancta â principio ſuę conceptionis, non quod ante fuerit peccatrix, aut etiam non iuſta.

Ad tertium dicendum, quôd plenitudo gratiæ attribuitur animæ Chriſti ſecundum capacitatem creaturæ; non autem per comparationem ad plenitudinem infinitam bonitatis diuinæ.

ART.

ART. X.

Vtrùm plenitudo gratiæ ſit propria Christi?

3. d. 13. q. 1. a. 2. q. 2.

AD decimum ſic proceditur. Videtur, quod plenitudo gratiæ non ſit propia Chriſti. Quod enim eſt proprium alicuius, ſibi ſoli conuenit. Sed eſſe plenum gratia, quibuſdam alijs atribuitur: dicitur enim Lucæ 1. beatæ Virgini, Aue gratia plena: dicitur etiam Act. 7. Stephanus plenus gratia & fortitudine. Ergo plenitudo gratiæ non eſt propria Chriſto.

2 Præterea, Illud quod poteſt cõmunicari alijs per Chriſtum, non videtur eſſe proprium Chriſto. Sed plenitudo gratiæ poteſt communicari per Chriſtum alijs: dicit enim Apoſt. Ephſ. 3. Vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ergo plenitudo gratiæ non eſt propria Chriſto.

3 Præterea, Status viæ proportionari videtur ſtatui patriæ. Sed in ſtatu patriæ erit quædam plenitudo: quia in illa cœleſti patria, vbi plenitudo eſt omnis boni, licet quædam data ſint excellenter, nihil tamen poſsidetur ſingulariter, vt patet per Greg. * in homil. de centum ouibus. Ergo in ſtatu viæ habetur gratiæ plenitudo a ſingulis hominibus: & ita plenitudo gratiæ nõ eſt propria Chriſti.

hom. 34. in euan. inter fin. & med.

Sed cõtra eſt, quod plenitudo gratiæ atribuitur Chriſto, in quantum eſt vnigenitus a patre, ſecundum illud Ioan. 1. Vidimus eum quaſi vnigenitum à patre, plenum gratię & veritatis. Sed eſſe vnigenitum a patre, eſt propriũ Chriſto. Ergo & ſibi propriũ eſt, eſſe plenũ gratię & veritatis.

Reſpondeo dicendum, quôd plenitudo gratiæ poteſt attendi dupliciter. Vno modo ex parte ipſius gratiæ, alio modo ex parte habentis gratiam. Ex parte quidem ipſius gratiæ, dicitur eſſe plenitudo gratiæ ex eo, quod aliquis pertingit ad ſummum gratiæ, & quantum ad eſſentiam, & quantum ad virtutem: quia ſcilicet habet gratiam, & in maxima excellentia, qua poteſt haberi, & in maxima extenſione ad omnes gratiæ effectus: & talis gratiæ plenitudo, eſt propria Chriſto. Ex parte vero ſubiecti gratiam habentis, eſſe dicitur gratiæ plenitudo, quando quis habet plene gratiam, ſecundum ſuam conditionem: ſiue ſecundum intenſionem, prout in eo eſt intenſa gratia vſque ad terminum præfixum ei â Deo: ſecundum illud Epheſ. 4. Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſurâm donationis Chriſti. Siue etiam ſecundum virtutem: in quantum ſcilicet habet facultatem gratiæ ad omnia, quæ pertinent ad ſuum officium, ſiue ſtatum, ſicut Apoſtolus dicebat Epheſ. 3. Mihi omnium Sãctorum minimo data eſt gratia hæc illuminare omnes, &c. Et talis gratiæ plenitudo, nõn eſt propria Chriſto, ſed communicatur alijs per Chriſtum.

Ad primum ergo dicẽdum, quod beata Virgo dicta eſt plena gratia, nõ ex parte ipſius gratiæ: quia non habuit gratiam in ſumma excellentia, qua poteſt haberi, nec ad omnes effectus gratiæ: ſed dicitur fuiſſe plena gratia per cõparationem ad ipſam: quia ſcilicet habebat gratiã ſufficientẽ ad ſtatũ illũ, ad quem erat electa â Deo, vt eſſet ſcilicet mater Vnigeniti eius. Et ſimiliter Stephan. dicitur

ple-

plenus gratia; quia habebat gratiam ſufficientem ad hoc, quôd eſſet idoneus miniſter, & teſtis Dei, ad quod erat electus. Et idem dicendum eſt de alijs. Harum tamen plenitudinũ vna eſt plenior altera, ſecundum quôd aliquis eſt diuinitus præordinatus ad altiorem, vel inferiorem ſtatum.

Ad ſecundum dicendum, quod Apoſtolus ibi loquitur de illa plenitudine gratiæ, quæ accipitur ex parte ſubiecti, in comparatione ad id, ad quod homo eſt diuinitus præordinatus. Quod quidem eſt, vel aliquid commune, ad quod præordinantur omnes Sancti: vel aliquid ſpeciale, quod pertinet ad excellentiam aliquorum. Et ſecundum hoc quędam plenitudo gratiæ eſt omnibus ſanctis communis, vt ſcilicet habeant gratiam ſuficientem ad merendum vitam æternam, quæ in plena Dei fruitione conſiſtit. Et hanc plenitudinem optat Apoſtolus fidelibus, quibus ſcribit.

Ad tertium dicendum, quôd illa dona, quæ ſunt communia in patria, ſcilicêt viſio, comprehenſio, & fruitio, & alia huiuſmodi, habent quædam dona ſibi correſpondentia in ſtatu viæ, quæ etiam ſunt communia omnibus Sanctis. Sunt tamen quædam prærogatiuę Sãctorum in patria, & in via, quæ non habentur ab omnibus.

CONCLVSIO vtriuſque articuli eſt affirmatiua, nimirum quod ſolus Chriſtus habuerit plenitudinem gratiæ ex parte ipſius gratiæ, tam intenſiuè, quàm extenſiuè, ideſt quod habuerit ſummam gratiam, tam ſecundum intenſionem, quàm ſecundum virtutem, ideſt extenſionem, ad omnes eius effectus.

ART. XI.

Vtrùm Chriſti gratia ſit infinita.

AD vndecimum ſic proceditur. Videtur, quod gratia Chriſti ſit infinita. Omne enim immenſum, eſt infinitum. Sed gratia Chriſti eſt immenſa: dicitur enim Ioann. 3. Non enim ad menſuram dat Deus Spiritum Filio, ſcilicêt Chriſto. Ergo gratia Chriſti eſt infinita.

2 Præterea. Effectus infinitus demonſtrat virtutem infinitam, quæ non poteſt fundari, niſi in eſſentia infinita. Sed effectus gratiæ Chriſti eſt infinitus: extendit enim ſe ad ſalutem totius humani generis: ipſe enim eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & totius mundi: vt dicitur primæ Ioann. 2. ergo gratia Chriſti eſt infinita.

3 Præterea, Omne finitum, per additionem finiti poteſt peruenire ad quantitatem cuiuſcumque finiti. Si igitur gratia Chriſti eſſet finita, poſſet alterius hominis gratia tantum creſcere, quôd perueniret ad æqualitatem gratiæ Chriſti: contra quod dicitur Iob 28. Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum: ſecundũ quod Gregorius * ibi exponit. Ergo gratia Chriſti eſt infinita.

Sed cõtra eſt, quod gratia eſt quid- *l. 18. Moral. c. 31.*
dam creatum in anima. Sed omne creatum eſt finitum, ſecũdum illud Sap 11. Omnia in numero, & pondere, & menſura diſpoſuiſti. Ergo gratia Chriſti non eſt infinita.

RESPONDEO dicendum, *q. 2. a. 10.*
quod ſicut ex ſupra dictis patet, * in

in Chriſto poteſt duplex gratia conſiderari. *q. 6. a. 6.* Vna quidem eſt gratia vnionis: quæ ſicut ſupra dictum eſt, † eſt ipſum vniri perſonaliter filio Dei quod eſt gratis conceſſum humanæ naturæ: & hanc gratiam conſtat eſſe infinitam, ſecundum quod ipſa perſona Verbi eſt infinita. Alia vero eſt gratia habitualis, quæ quidem poteſt dupliciter conſiderari. Vno modo ſecundum quod eſt quoddā ens. Et ſic neceſſe eſt quod ſit ens finitum: eſt enim in anima Chriſti ſicut in ſubiecto anima autem Chriſti eſt creatura quædam habens capacitatem finitam. Vnde eſſe gratiæ cū non excedat ſuum ſubiectum, non poteſt eſſe infinitum. Alio modo poteſt conſiderari ſecūdum propriam rationem gratiæ. Et ſic gratia Chriſti poteſt dici infinita, eo quod non limitatur: quia ſcilicet habet quicquid poteſt pertinere ad rationem gratiæ. & non datur ei ſecundum aliquam certam mēſuram id, quod ad rationem gratiæ pertinet: eo quod ſecundum propoſitum Dei, cuius eſt gratiam menſurare, gratia confertur animæ Chriſti, ſicut cuidam vniuerſali principio gratificationis in humana natura: ſecundum illud Epheſ. 1. Gratificauit nos in dilecto filio ſuo. Sicut ſi dicamus lucem ſolis eſſe infinitam, non quidem ſecūdum ſuum eſſe, ſed ſecundum rationem lucis, quia habet quicquid ad rationem lucis pertinere poteſt.

Ad primum ergo dicēdum, quod id quod dicitur, Pater non ad menſuram dat Spiritum Filio, vno modo exponitur de dono quod Deus pater ab æterno dedit Filio, ſcilicet diuinā naturam, quæ eſt donum infinitum. Vnde quædam gloſ. * dicit ibidem, Vt tantus ſit Filius, quātus & Pater. *gl. interlinearis ſuper illud Omnia dedit in manu eius.* Alio modo poteſt referri ad donum quod datum eſt humanæ naturæ, vt vniatur diuinæ perſonæ quod etiam eſt donum infinitum. Vnde gloſſ. † dicit ibidem, Sicut Pater plenum & perfectum genuit Verbum, ſic & plenum & perfectum eſt vnitum humanæ naturæ. *† gloſ. ord. ibi.* Tertio modo poteſt referri ad gratiam habitualem, in quantū gratia Chriſti ſe extendit ad omnia quæ ſūt gratiæ. *tract. 14. in Io. ante me. to. 9.* Vnde Auguſt. * hoc exponens dicit, Menſura diuina, diuiſio quædam donorū eſt: alij enim datur per Spiritum ſermo ſapientiæ alij ſermo ſcientiæ. ſed Chriſtus, qui dat, non ad menſuram accepit.

Ad ſecundum dicendum, quod gratia Chriſti habet infinitum effectum: tum propter infinitatem prædictam gratiæ, tū propter vnitatem diuinæ perſonæ, cui anima Chriſti vnita eſt.

Ad tertium dicendum, quod minus per augmentum poteſt peruenire ad quantitatem maioris, in his quæ habent quantitatem vnius rationis: ſed gratia alterius hominis comparatur ad gratiam Chriſti, ſicut quædam virtus particularis ad vniuerſalem. Vnde ſicut virtus ignis, quantūcumque creſcat, non poteſt adæquare virtutem ſolis: ita gratia alterius hominis, quantumcumque creſcat, non poteſt adæquare gratiam Chriſti.

CONCLVSIO eſt, gratiam vnionis fuiſſe ſimpliciter infinitam: gratiam verò habitualem ſimpliciter in ratione entis fuiſſe finitam licèt in ratione gratiæ, & ſecundum quid poſsit dici infinita.

ART.

ART. XII.

Vtrùm gratia Chriſti potuerit augeri?

3. d. 15. q. 5. ar. 1. q. 4. & d. 17 q. 2. ar. 4. ad 3. Et 3. d. 13. q. 1. ar. 2. q. 3. & d. 18. a. 5. c. Et Iſai. 11. l. 2 princ. * a. præc.

AD duodecimum ſic proceditur. Videtur, quod gratia Chriſti potuerit augeri. Omni enim finito poteſt fieri additio. Sed gratia Chriſti fuit finita, vt dictum eſt. * Ergo potuit augeri.

2 Præterea, Augmentum gratiæ fit per virtutem diuinam: ſecundum illud 2. ad Corinth. 9. Potens eſt autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis. Sed virtus diuina, cum ſit infinita, nullo termino coarctatur. Ergo videtur, quôd gratia Chriſti potuerit eſſe maior.

3 Præterea, Luc. 2. dicitur, quôd puer Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines. Ergo gratia Chriſti potuit augeri.

Sed contra eſt, quod dicitur Ioan. 1. Vidimus eum quaſi vnigenitum â Patre, plenum gratiæ, & veritatis. Sed nihil poteſt eſſe, aut intelligi maius, quâm quôd aliquis ſit vnigenitus â Patre. Ergo etiam non poteſt eſſe, vel intelligi maior gratia, quâm illa, qua Chriſtus fuit plenus.

Reſpondeo dicendum, quôd aliquam formam non poſſe augeri, contigit dupliciter. Vno modo ex parte ipſis ſubiecti: alio modo ex parte ipſius formæ. Ex parte quidem ſubiecti, quando ſubiectum attingit ad vltimum gradũ in participatione illius formæ ſecundum ſuum modum: ſicut dicatur, quod aer non poteſt creſcere in caliditate, quando pertingit ad vltimum gradum caloris, qui poteſt ſaluari in natura aeris; licet poſſit eſſe maior calor in rerum natura, qui eſt calor ignis. Ex parte autem formæ excluditur poſſibilitas augmenti, quando aliquod ſubiectum attingit ad vltimam perfectionem, quam poteſt talis forma habere in natura: ſicut ſi dicamus, quod calor ignis non poteſt augeri, quia non poteſt eſſe perfectior gradus caloris, quam ille, ad quem pertingit ignis. Sicut autem aliarum formarum eſt ex diuina ſapientia determinata propria menſura, ita & gratiæ: ſecundum illud Sapien. 11. Omnia in numero, & pondere, & menſura diſpoſuiſti. Menſura autem vnicuique formæ præfigitur per comparationem ad ſuum finem: ſicut non eſt maior grauitas, quam grauitas terræ, quia non poteſt eſſe inferior locus loco terræ. Finis autem gratiæ eſt vnio creaturę rationalis ad Deum: non poteſt autem eſſe, nec intelligi maior vnio creaturæ rationalis ad Deum, quam quæ eſt in perſona: & ideo gratia Chriſti pertingit ad ſummam menſuram gratiæ. Sic igitur manifeſtum eſt, quod gratia Chriſti non poteſt augeri ex parte ipſius gratiæ. Sed nec etiam ex parte ſubiecti: quia Chriſtus, ſecundum quod homo â primo inſtanti ſuæ conceptionis fuit verus, & plenus comprehenſor. Vnde in eo non potuit eſſe gratiæ augmentum, ſicut nec in alijs Beatis, quorum gratia augeri non poteſt, eo quod ſunt in termino. Hominum vero qui ſunt pure viatores, gratia poteſt augeri; & ex parte formę, quia non attingunt ſummum gratiæ gradum; & ex parte ſubiecti, quia nondum peruenerunt ad terminum.

Ad primum ergo dicendum, quod ſi loquamur de quantitatibus

ma-

mathematicis, cuilibet finitæ quantitati poteſt fieri additio: quia ex parte quantitatis finitæ non eſt aliquid, quod repugnet additioni. Si verô loquamur de quantitate naturali, ſic poteſt eſſe repugnantia ex parte formæ, cui debetur determinata quantitas, ſicut & alia accidentia determinata. Vnde Philoſophus dicit in ſecundo de anima, * quod omnium natura conſtantium eſt terminus, & ratio magnitudinis, & augmenti. Et inde eſt, quôd quantitati totius cœli non poteſt fieri additio. Multo igitur magis in ipſis formis conſideratur aliquis terminus, vltra quem non progrediuntur. Et propter hoc non oportet, quód gratiæ Chriſti poſsit fieri additio, quamuis ſit finita ſecundum ſui eſſentiam.

Ad ſecundum dicendum, quôd virtus diuina licet poſsit facere aliquid maius, & melius, quâm ſit habitualis gratia Chriſti: non tamen poſſet facere, quod ordinaretur ad aliquid maius, quâm ſit vnio perſonalis ad Filium vnigenitum â Patre. Cui vnioni ſufficienter correſpondet talis menſura gratiæ, ſecundum diffinitionem diuinæ ſapientiæ.

Ad tertium dicendum, quôd in ſapientia, & gratia aliquis poteſt proficere dupliciter. Vno modo ſecundum ipſos habitus ſapientiæ, & gratiæ augmentatos: & ſic Chriſtus in eis non proficiebat. Alio modo ſecundum effectus, in quantum ſcilicêt aliquis ſapiẽtiora, & virtuoſiora opera facit. Et ſic Chriſtus proficiebat ſapientia, & gratia, ſicut & ætate: quia ſecundum proceſſum ætatis perfectiora opera faciebat, vt ſe verum hominem demonſtraret, & in his, quæ ſunt ad Deum, & in his quæ ſunt ad homines.

Concluſio eſt negatiua.

ART. XIII.

Qualiter gratia Chriſti habitualis ſe habeat ad vnionem?

AD tertium decimum ſic procedi- 3.d.13.q.
tur. Videtur, quod gratia habitualis 5. a.2.q.
in Chriſto non ſubſequatur vnionem. 3. & op.
Idem enim non ſequitur ad ſe ipſum. 3. c.221.
Sed hæc gratia habitualis videtur eadem & opu.6.
eſſe cum gratia vnionis: dicit enim c.3.co.2.
Auguſt. in lib. de prædeſtin. * ſancto c.15. ante med. to.
rum. Ea gratia fit ab initio fidei ſuæ 7.
homo quicumque chriſtianus, qua gratia homo ille ab initio ſuo factus eſt Chriſtus. Quorum duorum primum pertinet ad gratiam habitualem: ſecundum ad gratiam vnionis. Ergo videtur, quod gratia habitualis non ſubſequatur vnionem.

2 Præterea, Diſpoſitio præcedit perfectionem tempore, vel ſaltem intellectu. Sed gratia habitualis videtur eſſe, ſicut quædam diſpoſitio humanæ naturæ ad vnionem perſonalem. Ergo videtur, quod gratia habitualis non ſubſequatur vnionẽ, ſed magis præcedat.

3 Præterea, Commune eſt prius proprio. Sed gratia habitualis eſt communis Chriſto, & alijs hominibus: gratia autem vnionis eſt propria Chriſto. Ergo prior eſt ſecundum intellectum gratia habitualis, quam ipſa vnio. Non ergo ſequitur eam.

Sed contra eſt, quod dicitur Iſai. 42. Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum: & poſtea ſequitur, Dedi ſpiritum meum ſuper eum. Quod quidẽ pertinet ad donũ gratiæ habitualis. Vnde relinquitur, quod ſuſce

ptio

Digitized by Google

prio naturæ humanæ in vnitatem perſonæ, præcedat gratiam habitualem in Chriſto.

q.2.a.10. & q.6.a.6. Reſpondeo dicẽdum, quod vnio humanæ naturæ ad diuinam perſonam (quam ſupra * diximus eſſe ipſam gratiam vnionis) præcedit gratiam habitualem in Chriſto: non ordine temporis, ſed naturæ, & intellectus.

Et hoc triplici ratione. Primo quidem ſecundum ordinem principiorum vtriuſque. Principiũ enim vnionis eſt perſona Filij aſſumens humanam naturam: quæ ſecundum hoc dicitur miſſa eſſe in mundum, quod humanam naturam aſſumpſit. Principium autem gratiæ habitualis, quæ cum charitate datur, eſt Spiritus ſanctus, qui ſecundum hoc dicitur mitti, quòd per charitatem mentem inhabitat. Miſsio autem Filij ſecundum ordinem naturæ, prior eſt miſsione Spiritus ſancti, ſicut ordine naturæ Spiritus ſanctus procedit â Filio, & â ſapiẽtia dilectio. Vnde, & vnio perſonalis, ſecundum quam intelligitur miſsio Filij; eſt prior ordine naturæ, habituali gratia, ſecundum quam intelligitur miſsio Spiritus ſancti. Secũdo accipitur ratio huius ordinis ex habitudine gratiæ ad ſuam cauſam. Gratia enim cauſatur in homine ex præſentia diuinitatis, ſicut lumen in aere ex præſentia ſolis. Vnde dicitur Ezech. 43. Gloria Dei Iſrael ingrediebatur per viam Orientalem, & terra ſplendebat â maieſtate eius. Præſentia autẽ Dei in Chriſto intelligitur ſecundũ vnionem humanæ naturæ ad diuinam perſonam. Vnde gratia habitualis Chriſti intelligitur, vt cõſequens hanc vnionem, ſicut ſplendor ſolem.

Tertio, ratio huius ordinis ſumi poteſt ex fine gratiæ: ordinatur enim ad bene agendum. Actiones autem ſunt ſuppoſitorum, & indiuiduorũ. Vnde actio, & per conſequens gratia ad ipſam ordinans, præſupponit hypoſtaſim operantem. Hypoſtaſis autem non præſupponitur in humana natura ante vnionem: vt ex ſupra dictis * patet. Et ideo gratia vnionis ſecundum intellectum præcedit gratiam habitualem. *q.4.ar.2.*

Ad primum ergo dicẽdum, quod Auguſtinus † ibi gratiam nominat, gratuitam Dei voluntatem, gratis beneficia largiẽtem. Et propter hoc eadem gratia dicit hominem quemcumque fieri chriſtianum, qua gratia factus eſt homo Chriſtus: quia vtrumque gratuita Dei voluntate abſque meritis factum eſt. *loco cita. in arg.*

Ad ſecundum dicendum, quod ſicut diſpoſitio in via generationis præcedit perfectionem, ad quam diſponit in his quæ ſucceſsiue perficiuntur: ita naturaliter perfectionẽ ſequitur, quam aliquis iam conſecutus eſt: ſicut calor, qui fuit diſpoſitio ad formam ignis, eſt effectus profluens a forma ignis iam præexiſtentis. Humana autem natura in Chriſto vnita eſt perſonæ Verbi â principio, abſque ſucceſsione. Vnde gratia habitualis non intelligitur, vt præcedens vnionem, ſed vt conſequens eam, ſicut quædam proprietas naturalis. Vnde & Auguſt. dicit in Ench. * quod gratia eſt quodammodo Chriſto homini naturalis. *c.40.to.3*

Ad tertium dicendum, quod cõmune eſt prius proprio, ſi vtrumque ſit vnius generis. Sed in his, quæ ſunt diuerſorum generum, nihil prohibet proprium eſſe prius communi. Gratia autem vnionis non eſt in genere gratiæ habitualis, ſed eſt ſupra omne genus, ſicut & ipſa diuina perſona. Vnde hoc proprium nihil prohibet eſſe prius communi, quia non ſe habet per additionem ad commune, ſed potius eſt principium, & ori-

go

go cius, quod eſt commune.

Anima Chriſti, habuit duplicem gratiæ plenitudinem, ſcilicet intenſiuam, & extenſiuam.

CONcluſio eſt, gratia habitualis Chriſti ſequitur ad gratiã vnionis admodũ cuiuſdã debitę proprietatis. Quæ concluſio cõſtat ex dictis art. 1. circa alias verò concluſiones, tria dubia cõtro verti ſolent à Theologis. Primũ eſt: An Chriſtus habuerit plenitudinẽ gratiæ, vt ſibi propriã? Secũdũ eſt: An eius gratia habitualis fuerit infinita ſimpliciter. Tertiũ· An potuerit augeri? Ad quæ ſygillatim eodẽ ordine eſt reſpõdedũ. Ad primũ reſpõdetur cõcluſione affirmatiua, quã omnes Theologi defendunt cũ Magiſtro in 3. diſt. 13. & cũ D. Th. hic tanquã dogma fidei in eo ſenſu, quod Chriſtus habuit gratiã cum duplici plenitudine, nimirũ intẽſiua, & extẽſiua, intẽſiua quidẽ, quia eius gratia habitualis fuit in ſummo gradu: extẽſiua verò, quia fuit ordinata, & extenſa ad omnes operationes, & effectus gratiæ, vtpotè quæ ei collata fuit, vt vniuerſali principio in genere habẽtiũ gratiã: in quo ſenſu colligitur ex illo Ioan 1. plenũ gratiæ, & veritatis, & de plenitudine eius omnes accepimus, & c. 3. non ad menſurã dat ei Deus Spiritũ, ſcilicèt filio, & ad Colloſ. 1. in ipſo cõplacuit omnẽ plenitudinẽ inhabitare, & quia huiuſmodi plenitudo cõueniebat Chriſto, & nulli alteri ſanctorũ, idcò fuit propria Chriſti ex parte ipſius gratiæ ſumendo propriũ, prout diſtinguitur cõtra cõmune, licèt ex parte ſubiecti alijs Sãctis conuenerit plenitudo gratiæ, hoc eſt, quia habuerunt in ordine ad ſuũ munus totã gratiæ abundantiã neceſſariam, quod etiã eſt certũ ſecundũ fidẽ, quia de Beata Virgine, dicitur Luc. 1. quod erat gratia plena, & de Baptiſta, quod erat plenus Spiritus ſancto, adhuc ex vtero matris ſuę, & de Stephan Act. 7. quod plenus gratia, & fortitudine, faciebat ſigna, & prodigia magna in populo. Hinc cõmuniter deducunt Theologi gratiã Chriſti, nedũ in dignitate infinita vnionis hypoſtaticæ, ſed etiam in intenſione ipſius gratiæ habitualis exceſiſſe omnẽ gratiã omniũ hominũ, & Angelorũ collectiuè ſumptã, vt videre eſt apud Bonau. in 3. diſt. 13. q. 2. & Altiſiodorenſem, lib. 3. ſummæ, tit. 1. cap. 1. & apud Suariũ, hic diſp. 22. ſect. 2. & Cabrerã in cõmentario art. 10. & Aluarez diſp. 37. quia nimirũ huiuſmodi exceſſus pertinet ad plenitudinẽ gratiæ propriã Chriſti. Inferunt ſecũdò, gratiã Beatæ Virginis fuiſſe intẽſiue maiorem, quã gratia omniũ hominũ iuſtorũ, & Angelorũ ſumpta collectiuè, ſecũdũ omnes gradus gratiæ in illis repertos, ita vt ſi ex omnibus (excepta gratia Chriſti) cõſurgeret vna gratia, illã ſuperaret gratia Beatæ Virginis. Ita ſentiunt Cabrera, in hoc art. 10. & Suar. tom. 2. diſp. 18. ſect. 4. & diſp. 4. ſect. 1. licèt alijs de quorũ numero eſt, Aluarez in d. diſp. 37. & Nazarius cõtrouerſia vnica, placeat ad plenitudinẽ gratiæ Beatæ Virginis ſufficere ſi in intenſione excedat gratiã cuiuſcũquè alterius puræ creaturæ rationalis, quãuis non adæquet omnes gratias earum, ſimul ſumptos: ex quibus ſententijs prior eſt magis pia, & cõformis D. Bernardino, ſermon. 15. de feſtiuitatibus Virginis aſſerente, B. Virginem, in ſolo illo actu quo prębuit aſſenſum incarnationi Verbi, plus meruiſſe, quàm omnes alij ſancti in omnibus ſuis actibus meritorijs: ratione etiã fulcitur, quia cũ dignitas matris in ſuo genere ſit infinita conſequẽter eſt maior cũctis dignitatibus aliorum ſanctorũ ſimul ſumptis: ergo gratia proportionata huic muneri, & dignitati cũctas aliorũ gratias debuit ſuperare. Poſterior verò magis vero ſimilis eſt. cui fauet Bernardus in ſerm. de natiuitate Marię dicens Chriſtũ fuiſſe plenũ, vt fontẽ, Mariã, vt aquæ ductum, alios vt riuulos: iuxta illud Pſalm. 132. *Sicut vnguẽtũ in capite, quod deſcendit in barbã Aaron, quod deſcendit in oram veſtimẽti eius:* Vbi nomine vnguẽti gratia ſignificatur. Et quia de ſolo Chriſto dicitur ad Col. 1. *In eo cõplacuit omnẽ plenitudinẽ inhabitare, vt ſit ipſe in omnibus primatũ tenẽs,* quaſi proprius ſit ipſius iſte primatus in gratia ſuper omnes ſanctos collectiuè.

21 Et quia infinitas dignitatis matris Chriſti, cũ ſit talis extrinſecè, & denominatiuè, teſte D. Th. 1. p. q. 25. art. 6 ad 4. nõ petit maiorẽ gratiã in B. Virgine, quã dictã, ab his authoribus: neq; maior illi videtur aſsignari à D. Th. 1. q. 27. a. 5.

Ad 2. dubi. reſpõdetur hac cõcluſione nimirũ gratiã habitualem Chriſti in eſſe phyſicę qualitatis eſſe finitã: in eſſe verò gratiæ eſſe quodãmodo infinitã. Hæc cõcluſio ſtatuitur aduerſus duas ſentẽtias extremè oppoſitas, alterã quidẽ Maioris in 3. diſt. 14. q. 3. affirmãntis gratiã Chriſti vtroquè modo eſſe infinitam, alteram verò Scoti, Durandi, & Alberti in eadem diſt. quæſt. 1. affirmantium illam vtroquè modo eſſe finitam, ſed noſtra concluſio communiter recipitur ab Scholaſticis in

Et ſi finita fuerit in eſſe phyſico.

dicta diſt. nimirum à Paludano, quæſt. 1. art. 2. Bonau. & Ricardo art. 1. quæſt. 2. Almaino, & Gabriele quæſt. 1. & Marſilio, quæſt. 10. art. 1. in 2. part. & Capreolo, quæſt. 1. art. 1. & 3. & à Theologis cũ D. Thom. in hoc art. 11. vt à Caietano, & Medina, & Suario, diſp. 22. ſect. 1. Vazquio, diſp. 46 cap. 2. & 3. Lorca diſp. 42. Aluarez diſp. 33. Cabrera, & Nazario controuerſia 1. & pro 1. part. oſtenditur dupliciter.

Tum quia admiſſo gratiam habituale infinitam phyſicè de ſe eſſe poſſibilem adhuc dignitas, & munus redemptoris, & capitis non poſtullaret illã de facto in Chriſto, quia valor ſatisfactorius infinitus operum Chriſti non à quantitate gratiæ habitualis, ſed à dignitate perſonę prouenit: ac proinde gratia habitualis finita cum dignitate infinita perſonæ ſufficeret ad opera ſatisfactoria valoris infiniti, ſicut de facto ſufficit: ergo non eſt ponenda in Chriſto gratia habitualis infinita, vtpotè non neceſſaria, ſed ſolum finita, & ſumma quæ de lege ordinaria haberi poteſt: non verò ſumma, quæ de potentia abſoluta fieri poteſt alioquin per nullam potentiam poſſet augeri, cuius oppoſitum dubio ſequẽti oſtendemus.

Tum etiam, quia tale infinitum phyſicum cathegorematicum in gratia, & cæteris qualitatibus repugnat fieri à Deo ex ipſa ratione infiniti, quod cum ſit quid cõfuſum, & indeterminatum non cadit ſub certa, & determinata intentione agentis, ac proinde repugnat creaturæ eſſe actu infinitam, tam in eſſentia, quàm in quantitate, vel intenſione, vt oſtendit D. Thom. 1 part. quæſt. 7. Deinde pro 2. part. probatur: nam gratia Chriſti in ratione gratiæ duos includit modos infinitatis, nimirum phyſicę, & moralis: phyſicę quidem quatenus eſt forma quædam ſpritualis, quæ non limitatur in intẽſione ſecundum ſuam rationem ſpecificam, ſed eſt capax ſecundum ſe habendi totam ſuam perfectionem, nequè in Chriſto limitatur ab agente, propter defectum potentiæ, aut voluntatis, ſiquidem infunditur à Deo, qui eſt omnipotens, & dat ſpiritum filio ſine mẽſura, vt dictum eſt: nequè ex parte ſubiecti, quod eſt anima Chriſti ratione potentiæ obedientialis, quæ capax eſt de ſe recipere quantamcumque gratiam, ſine menſura, dummodo ex parte ſui non ſit impoſsibilis: forma autem ſpiritualis habens totam perfectionem ſuę ſpeciei, eſt quodammodo infinita: teſte D. Thom. in 1. diſt. 44. quæſt. 1. art. 3. ad 2. & Ioannis 3. lect. vlt. & opuſculo 2. cap. 215. & in quæſt. de Spiritualibus creaturis art. 6. ad 7. & art. 7. ad 8. vbi etiam ſubdit, quod virtus ſuperior potens in omnes effectus inferiorum eſt infinita reſpectu illorum, licèt ſimpliciter ſit finita, vt lux ſolis, eſt quodammodo infinita reſpectu generabilium in quæ poteſt, etiam ſi in infinitum multiplicarentur, & intellectus humanus, licèt ſimpliciter ſit finitus, tamen dicitur infinitus ſynchategorematice reſpectu obiectorum materialium quorũ infinita ſucceſsiuè poteſt cognoſcere: quo titulo etiã gratia Chriſti eſt phyſicè ſecundum quid infinita in ratione gratiæ, quia præhabet omnes virtutes, omnia dona, omnes perfectiones, & effectus pertinentes ad ordinem gratiæ, quorum in Chriſto, & in alijs iuſtis eſt cauſa: quam infinitatem hoc duplici titulo adſcripſit, D. Tho. in hoc art. 11. gratiæ Chriſti dicens illam eſſe infinitam, quia non eſt limitata, nec data ei ad certam menſuram: & aliàs, quia datur ei ſicut cuidam vniuerſali principio gratificationis in natura humana. Moralis vero, quia eſt coniuncta cum gratia vnionis, & perſona infinita Verbi, ex qua coniunctione prouenit ei quædam infinita dignitas, & æſtimabilitas moralis, ſaltem extrinſeca, ſicut teſte D. Th. 1. p. q. 25. artic. 6. ad 4. humanitas Chriſti ex hoc, quod eſt vnita Deo, & Beata Virgo, ex hoc quod eſt mater Dei habent quãdã dignitatem infinitam ex infinitate Dei, ratione cuius non poteſt aliquid fieri melius illis, ſicut non poteſt aliquid eſſe melius Deo: pariter autẽ gratia vnitur Verbo, atquè humanitas, quia ineſt humanitati, quę cũ omnibus ſuis naturalibus, & ſupernaturalibus perfectionibus fuit aſſumpta: & quia etiam fuit cõgrua diſpoſitio ad ipſam vnionẽ hypoſtaticã cõſequens eã, & exornans, vt docet D. Th. in hoc art. 13. & in 1. diſt. 44. vbi ſup. & in 3. ad Anibaldum, diſt. 13. art. 3. diſpoſitio autem huiuſmodi vnitur cũ forma, cuius eſt diſpoſitio ex illaquè dignificatur, ſaltẽ moraliter, & extrinſecè Deinde ratione huiuſmodi coniunctionis habet gratia Chriſti eſſe principium operum ſupernaturalium infiniti valoris, qui in ipſa opera intrinſecè refunditur non quidem prout à gratia habituali eliciuntur, ſed prout eliciuntur à per-

ā perſona infinita, quæ in ipſis ſubijcitur, & offertur Deò, vt oſtendimus ſupra q. 1. art. 2. principium autem, quod habet effectum aliquem infinitum, & quod ad illum acceptatur non poteſt non participare aliquam infinitatem, ſaltem extrinſecā: ergo. Et quia huiuſmodi infinitas eſt in ordine ad meritum infinitum, & ad gratiam vnionis, & perſonam infinitam, infinitè merentem, ideò pertinet ad genus moris, & propterea dicitur moralis, & conueniens gratiæ in ratione gratiæ, quæ vt ſic à conditione moralitatis, & effectu morali non abſoluitur.

In triplici ſenſu verificatur gratiam Chriſto fuiſſe datam nō ad menſurā.

Reſtat modo, vt operioſius expendamus teſtimonium illud ore præcurſoris prolatum Ioannis 3. ſcilicèt, *non enim ad menſuram dat Deus Spiritum*, videlicet filio ſiue Chriſto, cuius teſtimonij ocaſione Angelicus Doctor hanc mouet dubitationē, vt ipſe fatetur, quæſt. 29. de veritate, art. 3. cui idem D. Thom. tum in ſolutione ad 1. art. 11. huius quæſt. tum etiam in commētario eiuſdem capitis 3. Ioannis lectione 3. tres adhibet expoſitiones: pro quarum maiori declaratione notandū eſt, quod prædicta verba poſſunt intelligi dupliciter, vno modo de Chriſto ſecundum quod Deus; alio modo ſecundum quod homo: adhoc enim datur alicui aliquid, vt habeat illud, habere autem Spiritum ſanctum cōuenit Chriſto, & in quātū Deus, & in quantum homo, & ſic ſecundū vtrūquè habet Spiritum ſanctum, in quantum homo quidem, vt ſanctificātem, Eſai. 61. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxit me*, ſcilicèt hominem, in quantum vero Deus habet Spiritum ſanctum, vt manifeſtantē tantum, ſecundum quod ab eo procedit, Ioann. 12. *Ille me clarificabit*, ideſt manifeſtabit, *quia de meo accipiet*. Sic ergo vtroquè modo, ſcilicèt in quantum Deus, & in quantum homo, Chriſtus habet Spiritum ſanctum, nō ad menſuram; nam Chriſto in quantum Deus; dicitur Deus pater dare Spiritum ſanctum, non ad menſuram, quia dat ei virtutem, & poteſtatem ſpirandi Spiritum ſanctum, qui cum ſit infinitus in infinitum dat ei pater, quem quidem pater dat ei, ſicut ipſe habet, vt ſcilicèt ſicut ab eo procedit, ita & à filio; & hoc dedit per æternam generationem. Similiter, & Chriſtus in quantum homo non ad menſuram habuit Spiritum: nam hominibus datur Spiritus ſanctus ad menſuram, quia gratia eius ad menſurā eis datur; ſed Chriſtus in quantum homo non ad menſuram recepit gratiam, & ideò non ad menſuram recepit Spiritum ſanctum. Sed notādum, quod in Chriſto eſt triplex gratia, ſcilicèt vnionis, ſingularis perſonæ, quæ eſt habitualis, & capitis quæ eſt influētiæ, & quālibet iſtarum recepit Chriſtus non ad mēſuram; nam gratia vnionis, quæ non eſt habitualis, ſed quoddam donum gratuitum datur Chriſto, vt ſcilicèt in humana natura ſit filius Dei, non per participationem, ſed per naturam, in quantum ſcilicèt humana natura Chriſti vnita filio Dei in perſona ſit, quæ quidem vnio gratia dicitur, quia nullis pręcedentibus meritis hoc habuit, naturalis autem diuinitas infinita eſt: vnde ex ipſa vnione accepit donum infinitum. Sic ergo non ad menſuram recepit Spiritum ſanctum, ideſt donū & gratiam vnionis, quæ Spiritui ſancto attribuitur, in quantum gratuita: gratia autem habitualis dicitur ſecundum quod anima Chriſti plena fuit gratia, & ſapientia, ſecundum quod dicitur Ioann. 1. *Vidimus eum quaſi vnigenitū à patre plenū gratiæ, &c.*

23 De qua quidem gratia dubiū eſſe poteſt, an receperit eam ad menſuram? cum enim huiuſmodi gratia ſit donum creatum confiteri opportet, quod habeat eſſentiā finitam: quod quidem, quantum ad eſſentiam ſecundum quod quid creatum eſt, ipſa gratia habitualis finita fuit. Sed tamen Chriſtus dicitur, eam recepiſſe, non quidem ad menſuram triplici ratione: primo quidem ex parte recipientis. Manifeſtum eſt enim vnius cuiuſquè naturæ capacitatem eſſe finitam: quia & ſi infinitum bonum recipere poſsit cognoſcendo, & amādo, & fruendo, tamen ipſum recipit fruendo finitè, eſt autem cuiuslibet naturæ ſecundum ſuam ſpeciem, & naturam determinatæ capacitatis menſura, quæ tamen diuinæ poteſtati nō præiudicat, quin poſſet aliam creaturam facere maioris capacitatis; ſed iam non eſſet eiuſdem naturæ, ſecundum ſpeciem, ſicut ſi ternario addatur alia vnitas iam non erit eadem ſpecies numeri, quando igitur alicui naturæ non datur de diuina bonitate, quanta eſt capacitas naturalis ſpeciei ſuæ, videtur ei donari ſecundum aliquem menſuram, quando verò tota naturalis capacitas impletur, non videtur fieri donatio ſecundum menſuram: quia licèt ſit menſura ex parte recipientis, non tamen ex parte dantis, qui paratus eſt totum dare: ſicut ſi quis vas ad

fluuium deferens, abſquè menſura inuenit ibi aquam paratam, quamuis ipſe cum menſura recipiat propter determinatam vaſis capacitatem. Similiter igitur gratia habitualis Chriſti, finita quidem eſt ſecũdum eſſentiam, ſed dicitur infinite, & ſine menſura dari, quia tantum illi datur, quã tum natura creata capere poteſt. Secundo dicitur, dari non ad menſuram ex parte doni recepti: eo quòd nihil prohibet formam receptam in aliquo ſubiecto eſſe finitam ſecundum ſui eſſentiam, in quantum eſſe ſuum eſt in aliquo receptum.

Illud enim ſecundum eſſentiam ſuam infinitum eſt: quod habet totam plenitudinem eſſendi: quod quidem ſoli Deo conuenit, qui eſt ſuum eſſe: ſi autem ponitur aliqua forma ſpiritualis eſſe, non in ſubiecto exiſtens, puta albedo, vel color non quidem haberet eſſentiam infinitam, quia eſſentia eius eſſet determinata ad genus, vel ſpeciem: nihilominus totam plenitudinem illius ſpeciei contineret: vnde ſecundum rationem ſpeciei, abſquè termino, vel menſura eſſet habens quidquid pertinet ad illam ſpeciem. Si autem in aliquo ſubiecto recipiatur albedo, vel color non habet ſemper totum, quidquid pertinet ad rationem formæ huius de neceſsitate, & ſemper: ſed ſolum quando ſic habetur, ſicut perfecte haberi poteſt, ita quod modus habendi adæquat rei habitæ poteſtatem.

Sic igitur gratia Chriſti habitualis finita, quidem fuit ſecundum eſſentiam, ſed tamen dicitur abſque termino, & menſura fuiſſe, quia quidquid ad rationem gratiæ poterat pertinere, totum Chriſtus accepit. Alij autem non totum recipiunt, ſed vnus ſic, alius ſic: diuiſiones enim gratiarum ſunt 1. Corinth. 12. Tertiò autem ex parte cauſæ, in cauſa enim quodammodo habetur effectus. Cuicũque enim adeſt cauſa infinitæ virtutis ad influendum dicitur habere illud, quod influitur abſquè menſura, & aliquo modo infinite, puta ſi quis haberet fontem, qui aquam infinitã poſſet effluere, & infinite diceretur, abſq; menſura aquam habere. Sic anima Chriſti infinitam, & abſque menſura gratiam habet ex hoc ipſo quod habet Verbum vnitum ſibi, quod eſt totius emanationis creaturarum infinitum, & indeficiens principium. Patet autem ex his quæ dicta ſunt, quod gratia Chriſti, quæ dicitur capitis ſecundum quod ipſe eſt caput Eccleſiæ, eſt infinita, quantum ad influentiam: nam ex hoc quod habet vnde fundat dona Spiritus abſque menſura: accepit virtutem efundendi ipſam, abſquè menſura: nimirum vt gratia Chriſti ſufficiat, non ſolum ad ſalutem aliquorum hominum, ſed hominum totius mundi, iuxta illud 1. Ioan. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: & nõ pro noſtris tantum; ſed etiam totius mundi*: atquè etiam plurium mundorum ſi eſſent.

24 Ad tertiũ dubiũ reſpondetur conclusione affirmatiua, nimirum gratiam habitualem Chriſti potuiſſe quidem augeri de potentia abſoluta Dei, ſecus autem de lege ordinaria. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus ſententiam Scoti, in 3. diſt. 13. § *ad primam quæſtionem*, Durandi ibidem, quæſt. 1. Palud. quæſt. 1. Carthuſiani, q. 2. Marſilij, quæſt. 10. art. 1. in 3. parte, illius Caietani, in hoc art. 12. & 2. 2. quæſt. 24. art. 7. Bonauenturæ in 1. diſt. 17. art. 1. quæſt. 4. 2. part. diſt. & Ricardi ibidem art. 2. quæſt. 4. Driedonis, tract. 2. de captiuitate generis humani, cap. 2. part. 6. Lorca diſp. 43. & Nazarij in hoc art. 12. controuerſia vnica, negantium gratiam habitualem Chriſti potuiſſe augeri, etiam de potentia abſoluta Dei: qui diuerſimodè illam defendunt.

Augmẽtũ quoque ſuſcipere potuit de potentia abſoluta, ſecus de lege.

Alij enim de quorum numero ſunt Bonauent. Ricard. Durãd. & Driedo, dicunt ideò gratiam Chriſti non poſſe augeri, quia eſt in ſummo gradu, nõ quidem quẽ petat ex natura ſua, ſed ex limitatione ſubiecti: quia nimirum eſt capacitas animæ, quæ determinata, & limitata eſt, vtpotè ad formam determinatam, & limitatam cõſequuta: ac proinde ſummum gradum gratiæ recipiendæ, ſibi determinat, vltra quẽ alium intenſiorem recipere non poſsit: quamuis gratia ipſa, aut in ſe, aut in alio ſubiecto puta in Angelo vlterioris gradus ſit capax. Reliqui verò cum Scoto, Paludano, Marſilio, & Caietano volunt, propterea gratiam Chriſti augeri non poſſe, quia in ſe, & ex ratione ſuæ ſpeciei habet maximum termiuum, & ſummum gradũ, vltra quem augeri non poteſt, quia cũ ſit forma creata; ab intrinſeco limitata debet eſſe, & capax finitæ perfectionis. Sed noſtra concluſio defenditur à pluribus Scholaſticis cum Magiſtro in 3. diſt. 13. vt à Capreolo ibidẽ, art. 3. ad 3. aureoli cõtra 2. & in 1. diſt. 17. quæſt. 2. artic. 1. à Gabriele & Ochamo, ibidem quæſtion. 8. & Gregorio, quæſt. 6. & Valẽtia ſupra

art.

articul. 1. puncto 2. Cabrera in hoc articul. 12. diſputatione vnica, Suario diſputatione 22. ſectione ſecunda, Vazquio diſputatione 47. capite tertio, & Aluarez, diſputatione 36. Oſtenditurquè primò, quia expreſſe colligitur ex D. Thom. in hoc art. 12. in corpore, & ad 2. vbi docet gratiã Chriſti, propterea fuiſſe ſummã, & nõ potuiſſe augeri, quia habet terminũ, ſicut in alijs Beatis hoc eſt ſecundũ ordinẽ diuinæ ſapientiæ, & ordinariam legem, & quatenus non potuit Deus facere, quod ordinetur ad aliquid maius, quam ſit vnio perſonalis ad Verbum, licèt abſolutè poſsit facere aliquid melius, & maius ipſa gratia habituali Chriſti; colligitur etiam, ex quæſtion. 10. infra artic. 4. vbi ait in ſolutione ad tertium, quod licèt non poſsit dari maior gratia habitualis, quam gratia Chriſti per reſpectum ad vnionem Verbi abſolutè tamen poteſt eſſe aliquis gradus gratiæ altior, & ſublimior ſecundum infinitatem diuinæ potentiæ, & ſecunda ſecundæ quæſtione 24. articul. 7. vbi docet charitatem, quantum eſt de ſe ne dum ſeparatam, ſed etiam in ſubiecto poſſe in infinitum augeri. Eademque ratio eſt de gratia: ergo.

Secundò, quia gratia habitualis Chriſti, & noſtra ſunt eiuſdem atomæ ſpeciei eſſentialis in eſſe phyſico, licèt in eſſe morali differant modaliter, vt oſtendunt Ricardus in 3. diſtinct. 13. articul. 1. quæſ. 2. Vincentius in relection. quæſtion. 3. articul. 2. dubio 2. Cabrera articul. 9. præcedenti diſputation. 2. & Aluarez diſputatione 35. Nazarius articul. 11. controuerſia 3.

26 Sed noſtram gratiam poſſe augeri in infinitum, neque maximum terminum habere vltra quem augeri non poſsit de potentia abſoluta, patet, quia huiuſmodi terminum, & limitationem nequit habere ex parte agentis, quod eſt Deus gaudens potentia infinita ad omnia, quæ non repugnant ex parte facti, neque ex parte ipſius formæ; vtpotè, quia gratia ex ratione ſua eſt formalis participatio deitatis, quæ ſine termino eſt participabilis in infinitum, vt de charitate oſtendimus in dicto articul. 7. quæſtion. 24. neque ex parte ſubiecti, quod eſt anima Chriſti ſecundum potentiam obedientialem, & remotam capacitatem, quam habet vt Deus faciat in illa quicquid voluerit, & non repugnauerit ex parte termini hæc autem potentia, & capacitas licet actu, & cathegorematicè ſit finita, tamnen in potentia, & ſyncathegorematicè eſt infinita, hoc eſt ad gratiam maiorem, & maiorem in infinitum recipiendam: ergo ex nullo capite poteſt ei limitatio hæc reſpectu potentiæ abſolutæ conuenire. Quod autem de facto, aut de lege ordinaria gratia Chriſti creſcere non poſsit relinquitur probatum ex ſuperius dictis, ex quibus conſtat illam fuiſſe ſummam cum plenitudine, & ſine menſura, ac proinde augeri non poſſe, ita vt qua certitudine tenetur primum tenendum ſit, & ſecundum.

Neque obſtat, quod Laurencius Iuſtinianus in libro de caſto connubio, capite 10. ait Chriſtum, vt hominem didiciſſe quæ prius, tanquam inexpertus neſciebat, & quod ſicut amplius didicit humanę condolere miſeriæ, poſtquam dolores pertulit, ita ardentius fleuit ex corde. Ex quo tale deducitur argumentum Chriſtus creuit in ſcientia experimentali humanarum miſeriarum, ſed quo magis in iſta creuit, eo feruentius de illis commiſerabatur: ergo creuit in commiſeratione, & miſericordia, ac proinde in charitate, & gratia. Ad quod tandem neganda eſt minor, quia actus miſericordiæ, & charitatis in Chriſto, non ex ſcientia experimentali, ſiue acquiſita, ſed ex infuſa, quæ nullum habuit augmentum, regulabantur.

Neque etiam obſtat illud, Lucæ 2. *Puer Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia, apud Deum, & homines*, quia vt ait Diu. Thom. ad tertium, de profectu quoad effectus, non quoad habitum debet intelligi. Alias duas expoſitiones ex patribus refert Vazquius vbi ſupra, capite primo, ex quibus patet ad vtrumque fundamentum aduerſariorum.

Hinc colligo primò, idem dicendum eſſe de cæteris donis, & virtutibus infuſis Chriſti, quoad plenitudinem, infinitatem, & carentiam augmenti, quia conſequuntur ad gratiam habitualem, & iuxta eius proportionem accipiunt incrementum, & dignitatem.

Colligo ſecundo aduerſus Caietanum, & Medinam, articulo 9. & 11. & Nazarium articul. 12. controuerſia 3. gratiam habitualem Chriſti non differre ſpecie modali phyſica à noſtra ex parte ſubiecti, niſi tantum morali, eo quod vt probat Vincẽtius vbi ſupra, gratia Chriſti, & noſtra in eſſe phyſico ſunt omnino eiuſdem ſpeciei

ciei, & ſolum differunt, quia illa habet infinitatem moralem pertinentem ad ordinem hypoſtaticum, ad quem non pertinet noſtra. Si enim differret à noſtra penes aliquem modum phyſicum: maximè, quia eſſet in Chriſto, tamquam in ſubiecto connaturali, & adæquato: ſed primũ eſt falſum, quia gratia Chriſti recipitur in eius humanitate, per potentiam obedientialem, & non tanquam in ſubiecto habẽte potentiam connaturalem ad illam: Secundum verò non ſufficit, quia etiam gratia collata Beatæ Virgini, & collata Stephano fuit in vno quoque, tanquam in ſubiecto adæquato talis gratiæ ad munus, ſiue matris Dei, ſiue Diaconatus, ideò enim Beata Virgo dicitur gratia plena, & Stephanus dicitur etiam plenus gratia, Actorum 7. & tamẽ ex hoc neutra habet modum Phyſicum diſtinctum à natura: ergo.

Tum etiam, quia vnio Verbi diuini ad humanitatem, nec ratione ſui, quia eſt modus, nec ratione perſonalitatis Verbi, quę eſt relatio, poteſt eſſe forma operatiua, aut effectiua, etiam per naturalem dimanationem alicuius effectus phyſici: quia tãtum eſt terminatiua, & completiua naturæ aſſumptæ, ſolumquè data ad eſſe, & eius terminationem. Vnde neque in humanitate immediatè terminata reſultat aliquis modus Phyſicus, per quem in ratione humanitatis differat à naturis: ergo à fortiori minus reſultabit talis modus in gratia coaſumpta, & mediatè terminata, per quem in ratione gratiæ differat Phyſice à noſtra.

26 Colligo tertio aduerſus Suarium, & Vazquium vbiſupra, gratiam habitualem Chriſti in ratione gratiæ ſimpliciter, & ſine addito dicendam eſſe infinitam moraliter, eo quod vt docent Vincentius vbiſupra, Cabrera in hoc art. 11. diſput. vnica, concluſion. 4. Aluarez, diſp. 34. & Nazarius controuerſia 1. eiuſdem articuli, gratia in ratione gratiæ non abſoluitur à genere moris, quin potius illud includit, ſiue connotat, ac proinde ad illã, vt ſic pertinet moralis dignitas, & æſtimatio, ſed gratia Chriſti ex coniunctione ad Verbum habuit dignitatem, & æſtimabilitatem infinitam ſimpliciter, ſiue intrinſecam, qualis fuit valor refuſus in eius opera meritoria, & ſatisfactoria, vt volunt aliqui ex adductis auctoribus: ſiue extrinſecam, vt alijs placet: ergo ratione huiuſmodi infinitę dignitatis debet dici ſimpliciter, & ſine addito infinita in ratione gratiæ: ſat enim eſt ad hãc denominationem ſubeundam, vt huiuſmodi dignitas, licet extrinſeca ſit, connotet terminum ſimpliciter infinitum, qualis eſt perſona infinita Verbi, ob cuius etiã connotationem dignitas matris Dei dicitur infinita ſimpliciter à D. Thom. in loco citato 1. part. & quod propterea Deus non poteſt facere aliquid maius, aut melius illa, vt ſic: pariterque in ſolutione ad ſecundum huius articuli 12. fatetur D. Thom. non poſſe Deum facere quod gratia habitualis Chriſti ordinetur ad aliquid maius, aut melius, quam ſit vnio perſonalis ad Verbum.

(***)

Digitized by Google

QVAESTIO VIII.

De gratia Chriſti, ſecundum quod eſt caput Eccleſiæ, in octo articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm Chriſtus ſit caput Eccleſiæ?

Inf. q 48. ar. 1. c. & q. 49. a. 2. c. & 3. d. 13. q. 2. a. 2. & ver. q. 29 a. 3. c fi & a. 4 & ar. 5. c & op. 3. c. 223. & opuſ. 60. c 3 col 6. & 1 Cor. 11. l. 1 col. 2. & Eph. 1. fin. c. 12. ante med. to. 3.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod Chriſto ſecundum quod eſt homo, non cõpetat eſſe caput Eccleſiæ Caput enim influit ſenſum, & motum in membra. Senſus autem, & motus ſpiritualis, qui eſt per gratiam, non influitur nobis a Chriſto homine: quia ſicut Auguſt. * dicit in lib. de Trin. nec etiam Chriſtus ſecundum quod eſt homo, dat Spiritum ſanctũ ſed ſolum in quantũ eſt Deus. Ergo ei, ſecundum quod eſt homo, non competit eſſe caput Eccleſiæ.

2 Præterea, Capitis non videtur eſſe aliud caput. Sed Chriſti, ſecundum quod eſt homo, eſt caput Deus: ſecundum illud primæ ad Corinth. 11. Caput Chriſti Deus. Ergo ipſe Chriſtus non eſt caput.

3 Præterea, Caput in homine eſt quoddam particulare mẽbrũ influentiam recipiens a corde. Sed Chriſtus eſt vniuerſale principium totius Eccleſiæ. Ergo non eſt Eccleſię caput.

Sed cõtra eſt, quod dicitur Epheſ. 1 Ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut tota Eccleſia dicitur vnum corpus myſticum per ſimilitudinem ad naturale corpus hominis, quod ſecũdum diuerſa membra habet diuerſos actus (vt Apoſt. docet Rom. 12. & primæ ad Corinth. 12.) ita Chriſtus dicitur caput Eccleſiæ ſecundum ſimilitudinẽ humani capitis. In quo tria poſſumus conſiderare, ſcilicet ordinẽ, perfectionem, & virtutem. Ordinem quidem, quia caput eſt prima pars hominis, incipiendo a ſuperiori. Et inde eſt, quod omne principium conſueuit vocari caput: ſecundũ illud Ezechiel. 16. Ad omne caput viæ ędificaſti ſignum proſtitutionis tuæ. Perfectionem autem, quia in capite vigent omnes ſenſus & interiores, & exteriores cũ dicitur Iſa. 6. Senex honorabilis ipſe eſt caput. Virtutẽ vero, quia virtus, & motus cæterorũ mẽbrorũ & gubernatio eorũ in ſuis actibus, eſt â capite propter vim ſenſitiuam, & motiuam ibi dominãtem: vnde & rector dicitur caput populi ſecũdum illud 1. Reg. 15 Nonne cum paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es? Hæc autem tria competunt Chriſto ſpiritualiter. Primo enim ſecundum propinquitatem ad Deum gratia eius altior eſt, & prior, etſi non tempore: quia omnes alij receperunt gratiam per reſpectum ad gratiam ipſius: ſecundum illud Roman. 8. Quos præſciuit, hos & prædeſtinauit conformes fieri imaginis

filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus: Secundo vero perfectionem habet quantum ad plenitudinem omnium gratiarum: ſecundum illud Io. 1. Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis: vt etiam ſupra oſtenſum eſt.

q. præced. ar. 9.

* Tertio, virtutem habet influendi gratiam in omnia membra Eccleſiæ: ſecundum illud Ioann. 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus. Et ſic patet, quod Chriſtus conuenienter dicitur Eccleſiæ caput.

Ad primum ergo dicẽdum, quod dare gratiam, aut Spiritum ſanctum, conuenit Chriſto ſecundum quod Deus auctoritatiue: ſed inſtrumentaliter conuenit etiam ei, ſecundum quod homo, in quantum ſcilicet eius humanitas inſtrumentum fuit diuinitatis eius. Et ita actiones ipſius ex virtute diuinitatis fuerunt nobis ſalutiferæ: vtpote gratiam in nobis cauſantes, & per meritum, & per efficientiam quamdam. Auguſt. * autem negat Chriſtum, ſecundum quod homo eſt, dare Spiritum ſanctum per auctoritatem. Inſtrumentaliter autem, ſiue miniſterialiter etiam alij Sancti dicuntur dare Spiritum ſanctum: ſecundum illud Gal. 3. Qui tribuit vobis ſpiritum, &c.

loco cit. in arg.

Ad ſecundum dicendum, quod in metaphoricis locutionibus non opportet attendi ſimilitudinem quãtum ad omnia. ſic enim non eſſet ſimilitudo, ſed rei veritas. Capitis igitur naturalis non eſt caput aliud, quia corpus humanum non eſt pars alterius corporis. Sed corpus ſimilitudinarie dictum, id eſt aliqua multitudo ordinata eſt pars alterius multitudinis: ſicut multitudo domeſtica eſt pars multitudinis ciuilis: & ideo paterfamilias, qui eſt caput multitudinis domeſticæ, habet ſupra ſe caput, rectorẽ ciuitatis. Et per hunc modum nihil prohibet, caput Chriſti eſſe Deum, cum tamen ipſe Chriſtus ſit caput Eccleſiæ.

Ad tertium dicendum, quod caput habet manifeſtam eminentiã reſpectu cęterorum exteriorum mẽbrorum: ſed cor habet quamdam influentiam occultam. Et ideo cordi comparatur Spiritus ſanctus, qui inuiſibiliter Eccleſiam viuificat, & vnit: capiti autem comparatur ipſe Chriſtus, ſecundum viſibilem naturam, ſecundum quam homo hominibus præfertur.

CONcluſio affirmans eſt, & certa ſecundum fidem, quam probat D. Thom. in arg. *Sed contra* ex illo teſtimonio ad Epheſ. 1. *Et ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, &c.*

Dubium eſt, An prædicta concluſio ſit vera, & certa ſecundum fidem?

HOC Dubium, quòd in præſenti articulo mouet D. Th. nacta ocaſione aducti teſtimonij Pauli ad Epheſios 1. profecto introducit Angelicus præceptor, ad exactam præfati teſtimonij intelligẽtiam exhibendam; quandoquidem de more habet integras quæſtiones, ne dicã articulos exagitare ad explicandum aliquod difficile teſtimonium Sacræ Scripturæ: vt ipſemet Angelicus Doctor fatetur, quæſtion. 29. de veritate, art. 4. qui, & idem eſt, cum art. 11. quæſtionis præcedentis de infinitate gratiæ Chriſti, ſe illum introducere, ac mouere occaſione illius celebris teſtimonij, quòd Ioannis 3. habetur, *ſcilicet non enim dat Deus ſpiritũ ad mẽſurã* ſcilicet Chriſto; & ad legitimam huic teſtimonio explicationem exhibendam; haud diſimiliter, vt aductum Pauli teſtimonium explicaret preſentem mouet dubitationem, & primum huius quæſtionis articulum, nimirũ; An Chriſ-

tus

tus in quantum homo ſit caput omnis Eccleſiæ, ideſt, tam militantis, quàm triũphantis?

In qua dubitatione pars negatiua ſuadetur. Primò, ab inconuenienti, quia aliàs, etiam Chriſtus eſſet membrum Eccleſiæ, ſiquidem omne caput eſt mẽbrum totius corporis, cuius eſt caput: Conſequens autem eſſe falſum, patet, quia id negat D. Thom. in 3. diſt. 13. q. 2. art. 1. ad vltimum dicens: Chriſtum non eſſe membrum Eccleſiæ; eo quod membrum recipit influentiam à capite, & dependet à cõſortio aliorum, videlicèt, quia recipit calorem, & nutritionem à corde, & ſanguinem ab iecore. Hoc enim ait Apoſtol. 1. ad Corinth. 12. eſſe commune omnibus membris. Chriſtus autem nullum influxum recipit à cæteris Eccleſiæ membris, nimirum fidelibus: qui potius ab illo omnem influxum ſpiritualem recipiunt: ergo.

Aliud inconueniens eſt, nimirum quod aliàs Chriſtus vt homo eſſet caput omniũ rerum naturalium: conſequens eſt falſum: ergo. Sequela patet; nã Chriſtus eſt prior omnibus in genere cauſæ finalis, & perfectior illis, habetq́ue virtutem influendi in omnia illa, ſaltem meritoriè, quia per eius merita omnia renouabuntur: ſed iſtæ conditiones ſufficiunt, vt ſit caput Eccleſiæ, vt dicitur in articulo: ergo minor probatur: nam res naturales, vt ſic non proueniunt ex meritis Chriſti, quorum finis eſt redemptio ſuper naturalis hominum, vtpotè, quæ antecedenter ad merita Chriſti fuerunt ex vi decreti in mente Dei ſtatutæ, cum toto ordine naturali antecedenter ad ordinem gratiæ, & vnionis hypoſtaticæ: ergo.

2 Secundò: nam Chriſtus eſt pater Eccleſiæ, propterea enim apud Eſaiam cap. 9. vocatur pater futuri ſæculi: ergo non poteſt eſſe caput einſdem Eccleſiæ: conſequentia patet, quia caput influit in membra habentia vitam, non vero generat illa, Chriſtus vero cum ſit pater influit vitam in membra generando illa, & tribuendo illis eſſe cum vita: ergo.

Tertiò, quia Chriſtus, neq́ue eſt caput in quantum Deus, neq́ue in quantum homo: ergo nullo modo, antecedens pro 1. part. patet, quia Pater, & Spiritus ſanctus non ſunt caput Eccleſiæ inter aliàs rationes, ex eo quod non habent manifeſtam eminentiam reſpectu cæterorum membrorum, vt notat D. Thom. hic ad 3. Chriſto autem, vt eſt Deus, nihil conuenit, quod non ſit commune Patri, & Spiritui ſancto.

Pro ſecunda etiam parte probatur, idem antecedens, nam caput, vt dicitur hic ad 3. debet habere manifeſtam eminentiam, ſuper alia membra: Chriſtus autem, vt homo non habuit illam: nam ideò vt dicitur Eſai. 53. & Pſalm. 21. erat nouiſsimus virorum, imò vermis, & non homo: quæ ratio amplius cõfirmatur, quia Chriſtus in quantum homo non meruit infinite: ergo non eſt caput in quantum homo: antecedens patet, quia infinitas meriti refertur ad infinitam dignitatem præſentiæ Verbi, & ex illa prouenit; cõſequẽtia vero probatur, quia eſt caput Eccleſiæ in quantum meruit infinite: ergo ſi non meruit infinite in quantum homo, neq́ue vt ſic eſt caput.

3 Sed ijs non obſtantibus, vera, & in dubitate tenenda eſt ſententia affirmatiua: quàm Schola omnium Theologorum cum D. Thom. in hoc art. communiter defendit, pro cuius declaratione.

Dico primò. Chriſtus eſt caput totius Eccleſiæ Militantis, & Triumphantis.

Chriſtũ eſſe caput vtriuſq; Eccleſiæ Militantis, ſcilicet, & Triumphãtis eſt dogma fidei.

Prima pars huius concluſionis, quod ſit caput Eccleſiæ eſt de fide, & habetur Oſeæ 2. *Ponet ſibi caput vnum*, quòd intelligitur de Chriſto; ſed idem expreſsius aſſeritur à Paulo ad Epheſios 1. 4. & 5. & ad Colloſenſ. 1. in quibus locis D. Thom. probat Chriſtum eſſe caput Eccleſiæ; eadem ratione, qua vtitur in hoc art. nimirum, quia conueniunt illi reſpectu Eccleſiæ ſufficientes, & requiſitæ tres conditiones ad rationem capitis. Prima quidẽ, quia eſt principium ſiue primogenitus ex mortuis primatum tenens. Secunda vero, quia habet plenitudinem gratiæ, & perfectionis, vnde ſubditur: *Quod in ipſo complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare corporaliter.* Tertia verò, quia conuenit ei cauſalitas, & influxus in mẽbra. Vnde ſubditur in dicto cap. 1. ad Colloſenſes: *Et per eum reconciliare omnia in ipſum pacificans per ſanguinem ſuum, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis ſunt*: ergo.

Deinde pro 2. part. probatur concluſio, tum ex eodem teſtimonio nuper adducto, dum in illo annuitur Chriſtum ſuo influxu pacificare ideſt pacem dare vtrique Eccleſiæ tam terrenæ, quàm cœleſti.

 Tum,

Digitized by Google

Tum etiam, ex dicto teſtimonio ad Epheſ. vbi dicitur: *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam*, ideſt tam Militantem, quæ eſt hominum in preſenti viuentium, quàm Triumphantem, quæ conſtat ex hominibus, & Angelis in patria, vt interpretatur D. Thom. ibi, lect. 8. qui & ſubdit Chriſtum eſſe etiam caput Angelorũ ſecundum quaſdam communes rationes, vt dicemus art. 4. & propterea dicitur de illo ad Coloſ. 2. quod eſt caput omnis principatus, & poteſtatis, qui ſunt ordines Angelorum ad Eccleſiam Triumphã tem pertinentes; tamen ſecundum ſpeciales rationes eſt caput hominum ſpiritualiter: ergo.

4 Deinde, quia Chriſtus habet tres conditiones aſsignatas in art. & requiſitas ad rationem capitis reſpectu totius Eccleſiæ, tam Militantis, quàm Triumphantis, habet enim triplicem habitudinem ad vtramque. Primo quidem quantum ad præeminentiam in ſitu. Secundò, quoad difuſionem virtutum, quia ab illo omnes ſenſus deriuantur in membra. Item quoad conformitatem in natura: ſic ergo quantum ad præeminentiam, & quantum ad difuſionem Chriſtus eſt caput Angelorũ: nam Chriſtus præeſt Angelis ſecundum humanitatem, iuxta illud ad Hebræos 1. *Tanto melior Angelis effectus, quãto præ illis differentius nomen hæreditauit.* Item Chriſtus in quantum homo, etiam in Angelis influit nonnulla ſpiritualia dona, vt patebit, art. 4. quantum autem ad naturæ conformitatem non eſt caput ſimpliciter Angelorum, quia non conſormatur illis in natura humana: niſi tantum ſecundum quid, & analogicè in natura rationali, ſiue intellectuali ratione animæ: ſic autem eſt caput ſpecialiter hominum, quia nuſquam Angelos apræhendit, ſed ſemen habraæ, & Cantic. 4. propterea dicit ad Eccleſiam ex hominibus congregatam: *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa*, ideſt ſoror, per naturam, & ſponſa, per gratiam.

5 Dico ſecundò, Chriſtus vt homo eſt caput Eccleſiæ. Hanc concluſionem, licet videantur negare Ambroſius, ſuper caput primum ad Epheſios, & Cirilus lib. 2. ad Reg. column. 3. quatenus docent Chriſtum eſſe caput Eccleſiæ, quatenus Deus eſt, nec non alij aſſerentes Chriſtũ eſſe caput Eccleſiæ, in quantum ſimul eſt Deus, & homo. Sed nihilominus expreſſe eam habet D. Thom. 1. ad Corinth. 12. lect. 3. & de veritate, quæſt. 29. art. 4. & gloſſ. ad Epheſ. 4. in illud. *Ipſum dedit caput*, Baſilius lib. de Spiritu ſancto cap. 5. Hilarius lib. 8. de Trinitate, & Pſ. 139. Orig. homil. 2. in diuerſos, Auguſtin. lib. 1. de Trinit. cap. 12. epiſtol. 50. & 57. & in præfatione in ſecundam enarrationem Pſ. 29. & ſerm. 50. de Verbis Domini. Et probatur primò, quia Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, vt ſuſcitatus fuit à Deo ex mortuis, & quatenus per ſuum ſanguinem pacificauit omnia: ſed hæc competunt Chriſto, in quantum eſt homo: ergo Maior eſt D. Pauli ad Epheſ. 1. & ad Coloſ. 1. minor verò probatur, quia vt homo ſuſcitatus eſt à Deo, & effudit ſanguinem ad pacificandum omnia. Probatur ſecunda ratione, qua vtitur Soto in 4. d. 47. quæſt. 1. art. 2. nimirum, quia Chriſtus meruit eſſe caput Eccleſiæ, & exercet huiuſmodi munus, quatenus influit gratiam in homines, & vt ſic caput eius eſt Deus, habetque eminentiam manifeſtam ſupra cætera membra Eccleſiæ, vt oſtendit D. Thom. hic in ſolutionibus argumentorum: ergo vt homo eſt caput, probatur conſequentia, quia iſtę conditiones competunt illi, non vt eſt Deus, ſed vt eſt homo, nam vt ſic non meruit, neque inſtrumentaliter cauſat gratiam; imò neque id habet, vt Deus homo: nam vt ſic id habet ex ſe ſine merito; nam vt homo ideo eſt caput, quia eſt præcipua pars influens in alias, ſed vt Deus homo, habet virtutem influendi gratiam in alios.

Tertiò probatur: nam Chriſtus eſt caput Eccleſiæ ratione gratiæ habitualis influens in illam, vtpote quam eſſe eandem ſecundum rem cum gratia capitis dicemus, art. 5. ergo eſt caput, vt homo, probatur conſequentia, quia vt eſt homo cõpetit illi gratia habitualis.

Quartò, quia Chriſtus, vt caput ſimul eſt membrum, & pars Eccleſiæ, vt dicemus in ſolutione ad 1. ergo eſt caput, vt homo, conſequentia patet, quia eſſe membrum, & partem, ſolum poteſt competere illi, vt eſt homo; nam vt eſt Deus, vel vt eſt Deus homo, eſt totum bonum Eccleſiæ, & omnis vita ſpiritualis eius. Ambroſius vero, & Cirilus dicunt quidem, vt eſt Deus eſſe caput Eccleſiæ, vt caput ſignificat principium omnis vitæ ſpiritualis Eccleſiæ, non vero negant, quod vt homo ſit etiam caput, ſecundum prædictas cõditiones, quia eſt caput vtroque modo.

Digitized by Google

6 Dico tertio, Chriſtus, vt homo nõ ſolum habet rationem capitis politici, ſed naturalis, imo eſt caput Eccleſiæ modo excellentiori, quam caput naturale corporis.

Prima pars concluſionis, probatur à Caietano, opuſculo de fide, & operibus, cap. 9. ex eo quod caput politicum, v.g. rex in ſua membra, & ſubditos non influit vim aliquam phyſicam ad eorum actus: Chriſtus autẽ, vt dicitur ad Colloſ. 2. Spiritu ſuo viuificat membra, & per iunturas, & nexus ſub miniſtrat illis virtutem ad operationes, & augmentum gratiæ: non ſolum influxu morali, & meritorio, ſed etiam phyſico: vt oſtendemus, quæſt. 13. art. 2. ob quam rationem ſubdit Cai. ideò actiones membrorum tribui Chriſto, & è contra.

Secundò probatur; nam ſicut caput naturale vnitur membris per continuationem, quòd non habet caput politicum, ita etiam Chriſtus vnitur nobis, non ſecundum quantitatem, ſed in quantum Spiritus ſanctus, qui eſt in Chriſto, replet eius membra, & vnit illa cum Chriſto: ita D. Thom. de veritate, quæſt. 29. art. 4. citato, & in 3. d. 13. quæſt. 1. art. 2. quæſt. 3. ad 1.

7 Deinde ſecunda pars concluſionis probatur; nam caput naturale non generat membra, neque eſt principium totius motus animalis, ſed tantum eſt principiũ motus vitalis, qui fit media aprehenſione: Chriſtus autem generat omnem hominẽ in eſſe actuali membri, quia ipſe tribuit phyſicè, & moraliter omnem vitam ſupernaturalem, etiam diſpoſitiones remotas ſupernaturales, & omnes motus, & actus ſupernaturales; nam ideò ad Epheſ. 1. dictũ eſt, quod Deus benedixit nos omni benedictione in cæleſtibus in Chriſto.

Ex ijs reſpondetur ad primum fundamentum adductum pro contraria ſententia, neutrum ex illis inconuenientibus ſequi. Nõ quidem primum, quia vt docent D. Thom. in 4. diſt. 49. quæſt. 4. art. 3. ad 4. & Soto ibi; quæſt. 4. art. 2. ſi Eccleſia ſumatur pro toto corpore, & capite, ſimul Chriſtus eſt caput, & membrum Eccleſię, quia habet diſtinctionem ab alijs, quoniam in ipſo eſt vniuerſaliter gratia, quæ in alijs eſt particulariter non tamen erit membrum propriè, quia membrum dicit partialitatem, & Chriſtus habet vitam gratiæ non partialiter, ſed plene, & totaliter, quia eſt totum bonum Eccleſiæ, neque ipſe cum alijs, eſt aliquod maius bonum, quam ipſe ſolus. Cæterum gloſſ. 1. ad Corinth. 12. in illud, *membrum de membro*, & D. Thom. ibi abſolutè fatentur Chriſtũ eſſe membrum Eccleſiæ: explicant autem hoc ſub diſtinct. D. Thom. in 3. diſt. 13. quæſt. 2. art. 1 ad 6. & de veritate, quæſt. 29. art. 4. ad 6. & Turrecremata vbi ſupra, & Altiſiodorenſis lib. 3. tractatu 1. cap. 4. quæſt. 6. qui omnes dicunt duo. Primum eſt, quod Chriſtus quatenus homo, eſt caput Eccleſiæ, non eſt membrum illius; & probant hoc, quia omne membrum accipit aliquid à capite; Chriſtus autem nihil accipit à ſe ipſo, vt homo eſt, &c.

Tum etiam, quia membrum partialiter habet vitam, & ſenſum, quia eſt pars totius: Chriſtus autem non partialiter, ſed plenarie habet vitam ſpiritualem gratiæ: ob quam rationem, neque Chriſtus habet characterem Sacerdotalem, quia vt dicit D. Thom. infra quæſt. 63. art. 5. character eſt participatio Sacerdotij Chriſti, & Chriſtus habet plenam poteſtatem Sacerdotij, non partialem, & ſic neque characterem. Similiter hic, quia membrum eſt pars corporis, & pars non habet plenitudinem vitæ, ideò Chriſtus quatenus, vt homo eſt caput Eccleſiæ præhabens omnem gratiam, non eſt membrum Eccleſiæ. Secundum eſt, quod Chriſtus vt homo, eſt membrum Eccleſiæ, ſi caput Eccleſiæ aſsignetur ipſe Chriſtus, vt eſt Deus: quia tunc Chriſtus vt homo, accipit aliquid à ſe, vt eſt Deus, & ſecundum deitatem eſt caput Eccleſiæ.

Tum etiam, quia habet partialiter vitam, quæ plenariè eſt in Deo capite. Tum denique, quia primæ ad Corinth. 12. Paulus vocat illum membrum Eccleſiæ dicens; *eſtis membra de membro*. Neque ſecũdum, quod ad rationem capitis non ſufficit eſſe finem, ſed requiritur vt efficienter influat in membra; Chriſtus autem licèt ſit finis naturalium non influit in illa, niſi in ordine ad ſupernaturalem finem, & ideò ſolum eſt caput eorum, quæ ſupernaturalis finis ſunt capacia.

Chriſtum non eſſe caput creaturarum ordinis naturalis defenditur contra Galati. & Catheri.

8 Ex quo infero falſum dixiſſe, Galatinum lib. 7. de Arcanis, cap. 2. & Catherinum lib. 2. de eximia Chriſti prædeſtinatione, quatenus adſtruunt totã rerum naturalium vniuerſitatem comparari ad Chriſtum, tanquam corpus ad caput; eo

quod

quod Chriſtus, vt homo non habet influxum phyſicum, aut meritorium in res naturales, vt ſic: ergo non eſt caput illarum. Conſequentia patet, quia caput debet habere aliquem influxum in corpus: Antecedens autem de influxu phyſico aſſeritur à D. Thom, ſupra quæſt. 13. art. 2. vbi negat Chriſto omnem virtutem phyſicam etiam inſtrumentalem reſpectu creationis, vel conſeruationis rerum naturalium, vt ſic. De influxu etiam morali, & meritorio aſſeritur idem antecedens ab Auguſtin. epiſtol. 105. vbi ait: *Meruit Chriſtus, vt iuſti eſſemus, non vt homines, vel liberi eſſemus.*

Tum etiam, quia omne meritum, & influxus Chriſti redemptoris debet eſſe ſub ratione formali, & in ordine ad finem principalem eius, vel hominum redemptionem: ergo non habet aliquem influxum in res naturales vt ſic, niſi, vt ſubduntur ordini gratiæ redemptiuæ, & per conſequens, ſolum eſt caput earum, vt ordinantur ad hominum redemptionem. Nam iſto modo conſideratus Chriſtus eſt caput, per influentiam meritoriam: nam Chriſtus meruit nobis omnia media ad prædeſtinationem: de quorum numero aliquando ſunt res ordinis naturalis, vt breuitas, vel diuturnitas vitæ, &c. Ac proinde meruit iſta, quatenus deſeruiunt prædeſtinationi.

Tum denique, quia Chriſtus non habet cum rebus naturalibus, ſecundum ſe conſideratis vnitatem ſpecificam, & conuenientiam homogeneam, quam caput debet habere cum membris; neque habet aliquem influxum in illas, eo vel maximè, quod ordo naturæ conſtitutus intelligitur in mente Dei ante decretum incarnationis, iuxta noſtram, & Caietan. veriorem ſententiam ſuperius aductam: ergo non eſt proprie caput illarum, ſicut eſt hominum. Ad ſecundum patet, ex tertia concluſione.

Ad tertiũ, in ſecunda concluſione docuimus, Chriſtum eſſe caput Eccleſiæ, & vt eſt Deus, & vt eſt homo, licèt diuerſimodè, & ſecundum diuerſas rationes. Neque obſtat argumentum factum, eo quod tantum conuincit Chriſtum, non eſſe caput Eccleſiæ quatenus eſt Deus, ſecundum illas conditiones cum quibus vt homo eſt caput Eccleſiæ, non tamen conuincit Chriſtum ratione deitatis, non eſſe caput, quatenus caput dicit principium excellens inſtuens vitam gratiæ principaliter in alios.

Ad confirmationem reſpondetur, diſtingo antecedens, quod Chriſtus in quantum homo non meruit infinite, ſi ly, *in quãtum homo*, dicat principium radicale talis infinitatis, benè tamen ſi dicat principium proximum elicitiuum meriti infiniti, vt potè quod eliciebatur ab humanitate Chriſti affecta dono gratiæ habitualis, vt à principio proximo, & formali; & hoc ſufficit ad rationem capitis.

ART. II.

Vtrum Chriſtus ſit caput hominum, quantum ad corpora, vel ſolum, quantum ad animas?

AD ſecũdum ſic proceditur. Videtur, quod Chriſtus nõ ſit caput hominum, quoad corpora. Chriſtus enim dicitur caput Eccleſiæ, in quantum influit ſpiritualem ſenſum, & motum gratiæ in Eccleſiam. Sed huius ſpiritualis ſenſus, & motus capax non eſt corpus. Ergo Chriſtus nõ eſt caput hominum ſecundum corpora. *3. q. 13. q. 2. a. 2. & q. 3. & veri. q. 29 art. 4. ad 1. & op. 60. ca. 3. col. 7.*

2 Præterea, Secundum corpora communicamus cum brutis. Si ergo Chriſtus eſſet caput hominum quantũ ad corpora, ſequeretur quod etiam eſſet caput brutorum animalium: quod eſt inconueniens.

3 Præterea, Chriſtus corpus ſuum ab alijs hominibus traxit: vt patet Matth. 1. & Luc. 3. Sed caput eſt primum inter cætera membra, vt dictum eſt. * Ergo Chriſtus non eſt caput Eccleſiæ, quantum ad corpora. *art. præc. ad 3.*

Sed

Sed contra eſt, quod dicitur Philip. 3 Reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.

Reſpondeo dicendum, quôd corpus humanum habet naturalem ordinem ad animam rationalem, quæ eſt propriaforma eius, & motor, & in quantum quidem eſt forma eius recepit ab anima vitam, & cæteras propietates conuenientes humano corpori ſecundum ſuam ſpeciem: in quantum vero anima eſt motor corporis, corpus inſtrumentaliter ſeruit animæ. Sic ergo dicendum eſt, quod habet vim influendi humanitas Chriſti, in quantum eſt coniuncta Dei verbo, cui corpus vnitur per animam, vt ſupra dictum eſt.

q. 6. a. 1. * Vndetota Chriſti humanitas, ſecundum ſcilicet animam, & corpus, influit in homines, & quantum ad animam, & quantum ad corpus: ſed principaliter quantum ad animam, ſecũdario quantum ad corpus. Vno modo in quantum membra corporis exhibẽtur arma iuſtitiæ in anima exiſtenti per Chriſtum, vt Apoſtolus dicit Rom. 6. Alio modo in quantũ vita gloriæ ab anima deriuatur ad corpus, ſecũdum illud Rom. 8. Qui ſuſcitauit Chriſtũ Ieſum â mortuis. viuificabit & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem ſpiritum eius in vobis.

Ad primum ergo dicẽdũ, quod ſenſus ſpiritualis gratiæ non peruenit quidem ad corpus primo & principaliter: ſed ſecundario & inſtrumentaliter, vt dictum eſt. * *in corpore art.*

Ad ſecuncum dicendum, quod corpus animalis bruti nullam habitudinem habet ad animam rationalem, ſicut habet corpus humanũ Et ideo non eſt ſimile.

Ad tertium dicẽdum, quôd licet Chriſtus traxerit materiam corporis ab alijs hominibus: vitam tamen immortalem corporis omnes homines trahunt ab ipſo, ſecundum illud primæ ad Corinth. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.

Concluſio eſt, corpus, & anima Chriſti influunt in corpora, & animas noſtras.

ART. III.

An Chriſtus ſit caput hominum omnium?

Inf q. 13. a. 3. c. & q. 19. a. 4. c. & 1. & 3. d. 13. q. 2. ar. 1. q. 2. & 3.

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod Chriſtus no ſit caput omnium hominũ Caput enim non habet relationem niſi ad membra ſui corporis. Infideles autem nullo modo ſunt membra Eccleſiæ, quæ eſt corpus Chriſti, vt dicitur Epheſ. 1. Ergo Chriſtus nõ eſt caput omnium hominum.

2 Præterea, Apoſtolus dicit ad Epheſ. 5. quod Chriſtus tradidit ſemetipſum pro Eccleſia, vt ipſe exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam, non habẽtem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi. Sed multi ſunt etiam fideles, in quibus inuenitur macula, aut ruga peccati. Ergo nec etiam omnium fidelium Chriſtus eſt caput.

3 Præterea, Sacramẽta veteris legis cõparantur ad Criſtum, ſicut vmbra ad corpus, vt dicitur, Coloſſ. 2. Sed patres veteris teſtamenti ſacramentis illis ſuo tempore ſeruiebant ſecundum illud Hebr. 8. Qui exemplari & vmbrę deſeruiunt cæleſtiũ. Non ergo pertinebant ad corpus Chriſti: & ita Chriſtus non eſt caput omnium hominum.

Sed

Sed contra eſt, quod dicitur. 1. Timot. 4. Eſt Saluator omnium hominum, & maximè fideliũ. Et 1. Ioan. 2. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris non pro noſtris tantum, ſed etiam pro totius mundi. Saluare autem homines & propitiationem eſſe pro peccatis eorum, competit Chriſto, ſecundum quod eſt caput. Ergo Chriſtus eſt caput omnium hominum.

Reſpondeo dicendum, quod hæc eſt differentia inter corpus hominis naturale, & corpus Eccleſiæ myſticum: quod membra corporis naturalis ſunt omnia ſimul, membra autẽ corporis myſtici non ſunt omnia ſimul: neque quantum ad eſſe naturæ, quia corpus Eccleſiæ conſtituitur ex hominibus, qui fuerunt à principio mundi, vſque ad finem ipſius. Neque etiã quantum ad eſſe gratiæ: quia eorum etiam qui ſunt in vno tempore, quidam gratia carent, poſtmodum habituri, alijs eam iam habentibus. Sic igitur membra corporis myſtici accipiuntur, non ſolum ſecundum quod ſunt in actu, ſed etiã ſecũdũ quod ſunt in potẽtia. Quędã tamen ſunt, in potentia, quæ numquam reducuntur ad actum. Quædã vero ſunt, quæ quandoque reducuntur ad actum. Et hoc ſecũdum triplicem gradũ, quorum primus eſt per fidem, ſecundus per charitatem viæ tertius per fruitionem patrię. Sic ergo dicendum eſt, quod accipiendo generaliter ſecundum totum tempus mundi, Chriſtus eſt caput omnium hominum: ſed ſecũdum diuerſos gradus. Primo enim, & principaliter eſt caput eorum, qui actu vniuntur ſibi per gloriam: ſecũdo eorum, qui vniuntur ſibi per charitatem: tertio eorum, qui actu vniuntur ſibi per fidem: quarto verò eorum, qui ſibi vniuntur ſolum in potentia nondum reducta ad actum, quæ tamen eſt ad actum reducenda ſecundum diuinam prædeſtinationem: quinto verò eorum, qui in potentia ſunt ſibi vniti, quæ numquam reducetur ad actũ: ſicut homines in hoc mũdo viuentes, qui non ſunt prædeſtinati, qui tamen ex hoc ſeculo recedentes, totaliter deſinunt eſſe membra Chriſti: quia iam nec ſunt in potentia, vt Chriſto vniantur.

Ad primum ergo dicendũ, quod illi qui ſunt infideles, etſi actu non ſint de Eccleſia, ſunt tamen de Eccleſia in potentia. Quæ quidem potentia in duobus fundatur. Primo quidem, & principaliter in virtute Chriſti, quæ eſt ſufficiens ad ſalutem totius humani generis: ſecundario in arbitrij libertate.

Ad ſecundum dicendum, quod eſſe Eccleſiam glorioſam non habẽtem maculam, neque rugam, eſt vltimus finis, ad quẽ perducimur per paſsionem Chriſti. Vnde hoc erit in ſtatu patriæ, non autem in ſtatu viæ: in quo ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, vt dicitur primæ Ioannis primo. Sunt tamen quædam, ſcilicèt mortalia, quibus carent illi, qui ſunt membra Chriſti per actualem vnionem charitatis. Qui vero his ſubduntur peccatis, non ſunt membra Chriſti actualiter, ſed potentialiter: niſi forte imperfectè, per fidem informem, quæ vnit Chriſto ſecundum quid, & non ſimpliciter, vt ſcilicèt per Chriſtum homo conſequatur vitam gratiæ. Fides enim ſine operibus mortua eſt, vt dicitur Iacob. 2. Percipiũt tamen tales à Chriſto quemdam actum vitæ, qui eſt credere: ſicut ſi membrum mortificatum moueatur aliqualiter ab homine.

Ad tertium dicendum, quod ſancti Patres non inſiſtebant ſacramentis legalibus, tamquam quibuſdam rebus, ſed ſicut imaginibus, & vm-

bris

Digitized by Google

bris futurorum. Idem autem eſt motus in imaginem, in quantum eſt imago; & in rem: vt patet per Philoſ. in lib. de memor. & remin. * Et ideò antiqui Patres ſeruando legalia ſacramenta, ferebantur in Chriſtum per fidem, & dilectionem eamdem, qua & nos in ipſum ferimur. Et ita Patres antiqui pertinebant ad idem corpus Eccleſiæ ad quod nos pertinemus.

PRima concluſio, Chriſtus generali quadam ratione eſt caput omnium hominum ſecundum totum tempus mundi.

Secunda concluſio, Chriſtus eſt caput omnium præter damnatos, ſed ſecundum diuerſos gradus.

Tertia concluſio, damnati nullo modo ſunt membra Chriſti.

Circa doctrinam, quam tradit Ang. Doct. in his duobus art. duo ſunt, quæ ingerunt difficultatem inter Theologos, nimirum, quo pacto corpus Chriſti influat in animas, & corpora noſtra: neque non quo pacto ſit caput omnium hominum non ſolum præſentium, & futurorum, ſed etiam præteritorum: nec non peccatorum fidelium, aut etiam infidelium, quæ proinde à nobis ſingulis dubijs ſunt examinanda.

Dubium primum eſt: an Chriſtus ratione ſui corporis influat in membra Eccleſiæ, ſiue quantum ad animas, ſiue quantum ad corpora.

Senſus quæſtionis expenditur, & certa à dubijs ſeparantur.

10 IN quo dub. vt certa ab incertis ſeparemus, ſciendum eſt primo, quod de anima, & corpore Chriſti poſſumus loqui dupliciter, vel vt ſunt vnita inter ſe, & cum Verbo, vel vt ſunt inter ſe ſeparata, vnita tamen Verbo: ſi loquamur de illis primo modo, nec anima per ſe, nec corpus ſeorſum influunt per ſe in animas, & corpora noſtra, niſi fortè per acomodationem. Primam partem huius dicti nullus Theologorum negat. Secundam vero partem negat Suar. in commentario huius art. 2. dum ait Chriſtum per ſuum corpus eſſe caput noſtrum, quia per illud nos redemit, & ſanguine ſuo nos lauit; & in beatitudine per corpus ſuum efficienter, & obiectiue beatificabit corpora noſtra. Contrarium tamen huius aſſerimus; nam Chriſtus per corpus ſuum ſeorſum conſideratum ab anima quando erat illi coniunctum, neque influit in membra meritorie, neque phyſicè: ergo nullo modo eſt caput: quod non meritorie patet, nam meritum eſſe nequit, ſine libertate, quæ ſine anima eſſe non poteſt. Quod verò non influat phyſicè probatur primò, quia ſecluſo miraculo vnaquælibet res ſe habet ad operari, ſicut ad eſſe; ſed corpus Chriſti, vt vnitum animæ non habet per ſe eſſe: ergo nec per ſe influere, & operari.

Secundo, tota humanitas, anima, & corpus habent vim influendi in membra, ex coniunctione ad Verbum: ſed per ſe primo Verbum aſſumpſit humanitatem, & ſecundario animam, & mediante illa corpus: ergo virtus influendi in membra eodem modo deriuatur à Verbo, primo, & per ſe in humanitatem, deinde in animam, tertio in corpus.

Tertiò probatur, quia aliàs ad productionem gratiæ in nobis, v. g. deberemus ponere tria inſtrumenta, ſcilicet totam humanitatem per ſe, animam per ſe, & corpus per ſe; conſequens non debet admitti: ergo. Sequela de ſe patet: minor probatur, dupliciter primò, quia quidquid gratiæ cauſatur ab vno iſtorum inſtrumentorum cauſatur ab alio: ergo fruſtra adhiberentur alia, quæ nihil ſpeciale cauſant, quia principale agens eſt vnum tribuens ſufficientem virtutem cuilibet inſtrumento: ergo ad illius officium tantum concurrit vnum inſtrumentum. Patet conſequentia, quia hac ratione probat D. Thom. infra quæſt. 67. artic. 6. miniſtrum baptiſmi debere eſſe vnum, quia agens principale eſt vnum, tribuens ei ſufficientem virtutem ad effectum baptiſmi: & eadem ratione in materia de Angelis docet D. Thom. duos bonos Angelos, non eſſe in eodem loco, quia ſunt in loco per operationem ex ordinatione Dei, & vnuſquiſque, vt ordinatur à Deo ad talem opera-

Digitized by Google

rationem, habet virtutem ſuficientem ad illam.

Dixi: *Niſi forte, per acomodationem*, quia ſic remiſſio culpæ tribuitur paſsioni, & infuſio gratiæ, vel iuſtificatio tribuitur reſurrectioni Chriſti, quia iſti effectus habent aliquam ſimilitudinem cum prædictis cauſis; & eodem modo quo anima Chriſti proportionatur noſtræ, & corpus eius noſtro, ideò per acomodationem atribuitur animæ Chriſti influere in noſtras, & corpori eius influere in noſtra corpora.

Si verò loquamur de illis ſeparatis inter ſe, vt erant in triduo, ſic anima Chriſti, per ſe, & corpus Chriſti per ſe, habuerũt, influxum in membra; nam tunc eorum operatio ſequebatur ad eorũ eſſe, & vnionem, cum Verbo, quam tunc habebant: ſed tunc in triduo habebant eſſe, & vnionem cum Verbo, ſine coniunctione inter ſe: ergo ſimiliter habebant operationem, vnum quodlibet eorum ſeorſum, ſine concurſu alterius.

Secundò, id patet: nam teſte D. Thom. infra quæſt. 51. art. 1. ad 2. corpus Chriſti ſepultum ſine anima cauſauit noſtram ſalutem efficienter, quatenus virtute eius vt ſic; excitabuntur à ſepulchris corpora noſtra: & teſte eodem D. Thom. ibidem, quæſt. 52. art. 5. ad 3. & Caietan. art. 2. anima Chriſti tunc ſeparata à corpore cauſauit lumen gloriæ in animabus Patrum exiſtentium in limbo, & inde eduxit eas, & aliquas ex purgatorio: eodem modo loquendum eſt de corpore Chriſti, vt eſt in Euchariſtia; nam illi vt ſic tribuitur per ſe cauſare gratiam in animabus noſtris; & habere effectum in corporibus noſtris, dũ in eis mitigat fomitem, & paſsiones apetitus: ita Damaſc. lib. 4. cap. 14. Chriſoſt. hom. 4. in Matth. Cartuſ. lib. 3. in Ioan. cap. 33. & lib. 4 cap. 17. & Niſſenus oratione Cathequetica, cap. 37.

Sciendum eſt ſecundò, quod corpus Chriſti in triduo, vt vnitum Verbo poterat diei aliquo modo caput hominum, influens in animas, & corpora eorum per nam, vt inſtrumentum deitatis, teſte D. Thom. infra quæſt. 54. art. 4. ad 3. influebat in ipſam animam Chriſti, vnionẽ eius ad corpus: ergo poterat etiam influere in animas noſtras.

Confirmatur: inſtrumentum coniunctum Verbo, non minus poteſt agere in animas, quàm Sacramenta quæ ſunt inſtrumenta ſeparata: ergo corpus Chriſti in triduo, vnitum Verbo potuit habere hãc conditionem capitis, ſcilicèt influentiam in animas, & corpora, licet careat alijs cõditionibus: quia ſcilicet, nec habet excellentiam virtutum, nequè vnitatem ſpecificam nobiſcum.

13 Quibus præſupoſitis poteſt eſſe dubitatio de influxu totius humanitatis Chriſti, in corpora noſtra: nam licèt certum ſit illam per ſe primo influere in animas noſtras dona gratiæ: in certum tamen eſt, an influat aliquid ordinis ſupernaturalis, & pertinens ad finem redemptionis, in corpora noſtra, licèt ſecũdario, & minus principaliter? in quo aliquibus theologis, probatur pars negatiua: quia nullũ in humanitate Chriſti agnoſcunt influxũ circa corpora noſtra, cũ totũ eius influxum exiſtiment exerceri circa animas, in quibus conſumatur munus, & finis redemptoris, vt ſic.

Sed nihilominus vera eſt ſententia affirmans, quæ proinde à nobis ſtatuitur pro concluſione aſſerente humanitatem Chriſti influere, etiã in corpora noſtra, licèt minus principaliter, & ſecũdario, quæ ſuadetur primò: nam in apetitu ſenſitiuo ſunt virtutes morales infuſæ, & earum actus: imò vt multi volunt in cogitatiua eſt aliquis actus prudentiæ infuſæ, & aliqua cognitio obiecti materialis pertinentis ad fidem: eſt etiam ibi aliqua cognitio prophetica imaginaria; in corpore etiã erunt dotes glorioſæ; quæ omnia proueniunt ex influxu morali, & meritorio Chriſti capitis: ergo.

Secundò, quia humanitas Chriſti corporea influit in Angelos aliqua dona accidentalia, vt dicemus art. 4. ergo pariter poteſt in animas noſtras, influere vitam gratiæ: in quo ſenſu à Sanctis Patribus vocatur viuificatrix animarum.

Tertio probatur, quia ex Euangelijs conſtat humanitatem Chriſti, ſiue ipſum Chriſtum ratione ſuæ humanitatis, vel prolatione vocis, vel contactu ſuæ carnis plura miracula in corporibus hominum patraſſe: alios quidem à varijs languoribus ſanando: alios verò de morte ad vitã reuocando: hæc autem miracula patraſſe non ſolum influxu morali, & meritorio principali, ſed eliam influxu phyſico inſtrumentali, dicemus infr. quæſt. 13. art. 2.

Ex

Ex quibus patet ſolutio ad fundamentum contrariæ ſententiæ.

Dubium ſecundum eſt : An Chriſtus ſit caput omnium hominum cuiuſcumquè ſtatus?

14 IN hoc dubio tres verſantur ſententiæ, duæ extremæ, & alia media, quarũ prima aſſerit Chriſtum non eſſe caput omnium hominum, etiam viatorum, & fidelium, ſiue quia aliqui ex authoribus huius ſententiæ exiſtimant, quod nequè præſciti, etiã exiſtentes in gratia, neque peccatores fideles ſunt actu membra Chriſti; vt putarunt Auguſtin. de Roma, & Ioannes Hus: & Orig. hom. 1. in Matth. Siue etiã, quia alij exiſtimant Chriſtum non fuiſſe caput primorum parentum in ſtatu innocentiæ: eo quod nihil illis potuit influere: vtpotè, quia in illo ſtatu non indigebant beneficio redemptionis, ad quod dumtaxat extenditur meritum Chriſti redemptoris. Quæ ſententia poteſt amplius confirmari dupliciter.

Primò, quia Chriſtus non eſt caput infantium decendentium in vteris maternis, vtpotè quibus non poteſt ibi aplicari meritum Chriſti, ſcilicèt, nec per Sacramentum, nec per fidem Eccleſiæ, nec per proprios actus eorum: ergo non eſt caput omnium hominum viatorum.

Secundo, quia peccatores actu ſunt membra demonis: ergo non Chriſti. Conſequentia patet, quia aliàs Chriſtus, & demon conuenirent in eiſdem membris contra illud 2. ad Corinth. 6. *Quæ conuentio Chriſti ad Belial?*

15 Secunda ſententia è diametro oppoſita priori aſſerit Chriſtum eſſe caput omnium hominum quocumquè ſtatu exiſtentium, & iam damnatorum. Hanc tuentur, Origen. lib. 6. Periarchon, & homil. 1. in Leuitic. & homil. 24. in Num. exiſtimans damnatos omnes, immò, & demones aliquando nimirum in fine mundi fore ex meritis Chriſti conuertendos, & beatificandos. In eamdem inclinant Ambroſ. ſuper cap. 3. ad Epheſ. & Hier. ſuper cap. 4. eiuſdem epiſtolæ, & Eſai. vltim. dicens Chriſtum eſſe caput in potentia damnatorum Chriſtianorum, quia eos aliquando conuertet. Eamdem afortiori, ſequi tenetur Durand. reſpectu eorundem damnatorum Chriſtianorũ quia exiſtimat manere in illis ſupernaturalem fidem: & citra dubium eſt, quod in illis manet caracter baptiſmalis, aut etiam confirmationis & ordinis, ſi cum his Sacramentis ſuſceptis deceſſerunt: huiuſmodi characterem, vtpotè ſupernaturalem poteſtatem ad ordinem gratiæ redemptiuæ pertinentem, non niſi ex meritis redemptoris retinere poſſunt in ſtatu damnationis: ergo.

Tertia ſententia, & media aſſerit Chriſtum eſſe caput actu omnium hominum fidelium, in quocumquè ſtatu viæ exiſtentium, nec non beatorũ: ſecus autem damnatorum: & quia eſt veritati, & Angelico præceptori, in hoc art. conformior, à nobis ſtatuitur pro concluſione: & prima eius pars ſuadetur. *Chriſtus eſt caput omnium hominum fidelium cuiuſcumque ſtatus.*

Primò, quia Chriſtus actu dicitur caput eorũ in quos influit actu aliquod donum ordinis ſupernaturalis ad finẽ redẽptionis pertinẽtis: ſed in omnes fideles poſt Adamum in hac vita exiſtentium influit ad minus ſupernaturalem fidem, & characterem baptiſmalem, nec non auxilia ſufficientia, tam extrinſeca, & moralia, quàm intrinſeca, quibus poſsint ſaluari: ergo.

Secundò, quia etiam habuit influxum in primos parentes exiſtentes in ſtatu iuſtitiæ originalis, non quidem quia meruerit illis gratiam; quia ſuponimus hanc non fuiſſe illis colatam ex meritis Chriſti redẽptoris: ſed quia ex meritis Chriſti fuit per penitentiam reparata, & per gloriam conſumata in primis parentibus: ergo quã tum ad reparationẽ, & cõſumationẽ, etiã primi parentes fuerunt mẽbra Chriſti recipientes influxum gratiæ ex eius meritis.

Tertio id ipſum verificatur de animabus exiſtentibus in purgatorio, in quo nondum ſunt omnino extra ſtatum viæ, vtpotè, quia ex meritis Chriſti habent gratiam, & charitatem, cuius proinde ſunt membra viua. Tum etiam, quia quod earum paſsiones acceptentur in remiſsionem penarum, & culparum venialium: & quod ibi iuuentur ſacrificijs, & ſufragijs Eccleſiæ, totum prouenit ex gratia Dei, per Chriſti merita. Idemquè dicendum

eſt de animabus olim exiſtentibus in limbo: quia ex meritis Chriſti habebant ibi charitatem, & teſte D. Thom. infra quæſtione 52. art. 1. & 2. ex influxu animæ Chriſti receperunt lumen gloriæ: eaſquè animā Chriſti eduxiſſe de limbo, teſtatur Auguſtin. in quodam ſermon. de paſsione: hoc autem ſine ſpeciali influxu fieri non potuit: ergo. De exiſtentibus autem in patria nulli dubium eſt, cum Chriſtus ſpeciali, & perfectiori modo ſit caput totius Eccleſiæ Triũphantis; & quod plenitudinem donorum influat in animas eius ſanguine redemptas, & eius meritis ad beatitudinem perductas: quas etiam obiectiuè, ideſt tanquam ſecundarium obiectum beatitudinis beatifica.

Sed non eſt caput damnatorum.

16 Deinde ſecunda pars aduerſus authores ſecundæ opinionis probatur in primis, quantum ad damnatos nõ baptizatos. Primò, quia illi non pertinent ad Eccleſiam neceſsitate, aut voluntate: ergo nullo modo ſunt membra Chriſti, quia ſolum ſunt membra Chriſti, quæ pertinent ad Eccleſiam, quæ eſt corpus eius, vt dicitur ad Epheſ. 1. Antecedens vero probatur, pro 1. part. quia non habent characterem indelebilem, ratione cuius quilibet habens illum neceſſario pertinet ad Eccleſiam, vt ſubditus illi.

Pro ſecunda vero probatur, quia omnem Eccleſiam, quantum ad eos, qui voluntarie pertinent ad illam exhibebit Chriſtus in die iudicij glorioſam, ſine macula, aut ruga, vt dicitur ad Epheſ. 5. ſed huiuſmodi damnati nec erunt, nec poterunt eſſe glorioſi, & ſine macula cũ ſint obſtinati in malo: ergo.

Secundò probatur, quia iſti damnati non ſunt capaces alicuius boni affectus erga Deum cum ſint obſtinati in malo: ergo nec ſunt capaces influxus Chriſti, nec poſſunt eſſe membra eius: conſequentia patet, quia qui non ſunt membra Chriſti ex neceſsitate, propter Sacramentum fidei, non poſſunt eſſe membra illius, niſi vniantur ei per bonum affectum voluntatis: ergo qui non ſunt capaces illius non poſſunt eſſe membra Chriſti.

Tertiò probatur, iſti damnati, neque habent, neque habere poſſunt à Chriſto characterem baptiſmalem, aut aliud donum: ergo neque ſunt, neque eſſe poſſunt membra Chriſti. Cõſequentia patet, quia id quod ſaltem in potentia eſt membrum Chriſti, debet in potentia recipere influxum Chriſti. Antecedens autem probatur, quia ſunt in termino damnationis, & extra viam, & ſic neque habent, neque poſſunt habere aliquod bonum, quod in via non habuerint, ideò Matth. 24. dicitur de quodlibet damnato: *Diuidunt eum, &c.* quod Baſil. lib. de Spiritu ſancto, cap. 16. Orig. 2. Periarchon. cap. 9. explicant verificari, quatenus damnatus nequeat recipere aliquod donum gratiæ à Chriſto, neque poſſunt operari aliquod bonum opus referib le in Deum, & non viciatum aliqua circunſtantia: neque ad id poſſunt recipere aliquod auxilium ſufficiens gratiæ ex meritis Chriſti. De damnatis autem baptizatis, & retinentibus characterem baptiſmalem, licet videatur negari à Caietan. in opuſc. de authoritate Papæ, & Conc. tractatu 1. cap. 22. & à Durando in 3. diſt. 13. quæſt. 2. vbi ſolum damnatos infideles docet non eſſe membra Chriſti, forte ipſe ſequitur ſuã ſententiam, quod damnati retinent fidem ſupernaturalem, quàm in via habuerunt, & ſic ratione illius ſunt membra Chriſti, quorum ſententia poteſt ſuaderi. Tum, argumento facto pro ſecunda ſententia.

Tum etiam, quia teſte Innocentio in capite *veniens*, de præſbytero non baptizato, non tantum fides Sacramenti, ſed etiam Sacramentum fidei, ideſt, baptiſmus, & eius character conſtituit membrũ Eccleſiæ: damnati autem baptizati retinent characterem baptiſmalem.

Tum, quia probabilis ſententia tenet Pontificem hereticum non ipſo facto eſſe depoſitum à ſede, & dignitate capitis Eccleſiæ: ſed eſſe deponendum ab Eccleſia, ac proinde manet caput Eccleſiæ, & membrum Chriſti, propterea, quod retinet characterem baptiſmi, licèt fidem amiſſerit. Deinde Sacerdotes hæretici verè conficiunt corpus Chriſti, & aliàs ſi Epiſcopi ſint verè, veros Sacerdotes ordinant; hæc autem effici nequeunt, niſi à veris membris Chriſti, quæ recipiant eius influxum.

Tum etiam, quia Hæretici mortui puniuntur ab Eccleſia: ergo pertinent ad illam: nam teſte Paulo, Eccleſia non iudicat de his quæ foris ſunt, & per conſequens ſunt membra illius, & Chriſti.

Tum denique, quia proprius effectus baptiſmi, & characteris eius eſt incorporare nos Chriſto, & efficere membra illius: ſed ille manet

in

in infidelibus, etiam damnatis: ergo. Sed his non obſtantibus tenenda eſt vniuerſaliter de quibuſcumque damnatis ſecunda pars noſtræ aſſertionis. Tum propter argumenta facta pro damnatis non baptizatis: quæ pariter conuincunt illos, & damnatos baptizatos excluſos eſſe à corpore Eccleſiæ, & conſortio cum Chriſto. Tum etiam, quia nullus damnatus eſt pars, aut membrum Eccleſiæ, & corporis miſtici Chriſti: ergo, neque Chriſtus eſt caput illius, vtpotè, quia non eſt caput niſi eorum, quæ ſunt partes, & membra ſui corporis miſtici.

17 Nequè opoſitum conuincunt rationes factæ, quæ omnes vnico ictu iugulantur: nimirum, quia ad rationem membri Eccleſiæ recipientis influxum à Chriſto capite non ſufficit, quod retineat aliquod ſupernaturale donum, aut ſignum à principio receptum ex meritis Chriſti, ſed vltra alias conditiones recenſitas requiritur, quod illud retineat in ſtatu in quo, aut ex quo poſsit habere comunicationem, & conſortium cum Chriſto, & quod retentio ipſa talis doni ſit ex meritis Chriſti: certum autem eſt quod, licèt Chriſtus promeruerit hominibus baptizatis, vt reciperent characterem baptiſmalem: non autem meruit vt illum retinerent in inferno, neque ad hoc aplicuit merita ſua, nec pro hac retentione, ſeu cõſeruatione mortuus eſt: ſed quia character ipſe ex ſua natura eſt perpetuus, & indelebilis: hinc fit vt ſemel receptus in via ex meritis Chriſti, maneat poſtea in damnatis ad eorundem penam, & damnationem.

Et per hæc patet ad fundamentum prioris ſententiæ. Ad cuius primã confirmationem reſpondetur: Chriſtum eſſe caput omnium, qui per ſe computantur ſeparati ab alijs, & vt ſuppoſita diſtincta ab eis: pueri autem in vteris maternis non computantur vt diſtincti à matribus, vt probat D. Thom. 1. p. q. 113. art 5. ad 3. Vnde neque pro tunc habent ſuos Angelos cuſtodes: & propterea non eſt mirum quod tunc Chriſtus per ſe non influat in eos: eo vel maxime, quia eſt per accidens illos ibi mori, nam per ſe ſecundum legem ordinariam eſt, quod oriantur; & quod Chriſtus ſit caput eorum.

Ad ſecundam confirmat. reſpondetur negando conſequentiã, quia in metaphoricis locutionibus poteſt verificari, idem ſecundum diuerſas conſiderationes, vt eſſe membrum Dæmonis, & Chriſti: illius quidem ratione malitię peccati. & huius, ratione fidei, & ſpei, quæ manent in peccatore. Sicut & idem homo ſimul ſecundum diuerſas dignitates, & oficia eſt mẽbrũ diuerſorum collegiorum, & diuerſorum capitum, quæ illa gubernant.

Quid autem dicendum ſit de Chriſto comparato ad homines viatores infideles?

Reſpondetur hanc quæſtionem potiùs pertinere ad ſecundam ſecundæ quæſtione 1. artic. 10. de qua tamen videndi ſunt Cabrera in expoſitione huius articuli, & Nazarius controuerſia prima, aſſerendumque eſt Chriſtum non eſſet caput eorum ſimpliciter, & in actu, ſed tantum in potentia, & ſecundum quid.

Ad fundamentum autem ſecũdæ ſententiæ iam patet ex dictis.

ART. IV.

Vtrùm Chriſtus ſit caput Angelorum.

AD quartum ſic procedirur. Videtur, quod Chriſtus, ſecundum quod homo, non ſit caput Angelorum. Caput enim & membra ſunt vnius naturæ. Sed Chriſtus, ſecundum quod eſt homo, non eſt cõformis in natura cum Angelis, ſed ſolum cum hominibus: quia vt dicitur Hebr. 2 Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. Ergo Chriſtus, ſecundum quod homo, non eſt caput Angelorum.

3. d. 13. q. 2. a. 2. q. 1. & d. 14. a. 3. q. 2. & 6. c. Et ver. q. 29. a. 4. c. & 5. Et opu. 3. c. 222. Et 1. cor. 11. col. & Epheſ. 1. infin.

Digitized by Google

2 Prętereà, Illorum Chriſtus eſt caput, qui pertinent ad Eccleſiam, quę eſt corpus eius: vt dicitur Ephe ſios 1. Sed Angeli non pertinent ad Eccleſiam: nam Eccleſia eſt congregatio fidelium: fides autem non eſt in Angelis. Non enim ambulant per fidem, ſed per ſpeciem, alioquin pere grinarentur a Domino, ſecundum quod Apoſtolus argumentatur 2. ad Corinth. 5. Ergo Chriſtus, ſecundum quod homo, nõ eſt caput Angelorũ.

tract. 23. ante medium, & 19 tract. à medio to mo 9. 3 Præterea, Aug. dicit ſuper Ioan. * quod ſicut Verbum, quod erat in principio apud Patrem, viuificat animas: ita Verbũ caro factum viuificat corpora, quibus Angeli carent. Sed Verbũ caro factum eſt Chriſtus, ſecundum quod homo. Ergo Chriſtus ſecundum quod homo nõ influit vitam Angelis. Et ita ſecũdũ quod homo, non eſt caput Angelorum.

Sed contra eſt, quod Apoſt. dicit Col. 2. Qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis. Et eadem ratio eſt de Angelis aliorum ordinum. Eſt ergo Chriſtus caput Angelorum.

Reſpondeo dicẽdum, quod ſicut dictum eſt, † vbi eſt vnum corpus, neceſſe eſt ponere vnũ caput. Vnũ autem corpus ſimilitudinarie dicitur vna multitudo ordinata in vnũ ſecũdum diſtinctos actus ſiue officia. Manifeſtum eſt autem, quod ad vnũ finem, qui eſt gloria diuinæ fruitionis, ordinantur & homines, & Angeli. Vnde corpus Eccleſiæ myſticũ non ſolum conſiſtit ex hominibus, ſed etiam ex Angelis. Totius autem huius multitudinis Chriſtus eſt caput: quia propinquius ſe habet ad Deũ, & perfectius participat dona ipſius, non ſolum quam homines, ſed etiam quam Angeli: & de eius influẽtia non ſolum homines recipiunt, ſed etiam Angeli. Dicitur enim Epheſ. 1. quod conſtituit eum, ſcilicet Chriſtum, Deus pater ad dexteram ſuam in cæleſtibus ſupra omnẽ poteſtatem, & principatum, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolum in hoc ſeculo, ſed etiã in futuro; & omnia ſubiecit ſub pedibus eius. Et ideo Chriſtus nõ ſolum eſt caput hominum, ſed etiam Angelorum: vnde & Matth. 4. legitur, quod acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei.

Ad primum ergo dicẽdum, quod influẽtia Chriſti ſuper homines, principaliter quidem eſt quantum ad animas ſecundum quas homines conueniunt cum Angelis in natura generis, licet non in natura ſpeciei. Et ratione huius conformitatis Chriſtus poteſt dici caput Angelorum, licet deficiat conformitas quantum ad corpora.

Ad ſecundum dicendum, quod Eccleſia ſecundum ſtatum viæ eſt cõgregatio fidelium: ſed ſecundum ſtatum patriæ eſt congregatio comprehendentium. Chriſtus autem non ſolum fuit viator, ſed cõprehenſor. Et ideo non ſolum fidelium, ſed etiã comprehendentium eſt caput, vtpote pleniſsime habens gratiam, & gloriam.

Ad tertium dicendum, quod Auguſtin. * ibi loquitur ſecundum quandam aſsimilationem cauſæ ad effectum: prout ſcilicet res corporalis agit in corpus, & res ſpiritualis in res ſpirituales. Tamen humanitas Chriſti ex virtute ſpiritualis naturæ, ſcilicet diuinæ, poteſt aliquid cauſare non ſolum in ſpiritibus hominũ, ſed etiam in ſpiritibus Angelorum, propter maximam coniunctionem eius ad Deum, ſcilicet ſecundum vnionem perſonalem. *loco cit. in arg.*

Con-

Concluſio eſt affirmatiua, circa cuius explicationem duo ſunt, quæ à Theologis in controuerſiam vocantur, nimirum: An Chriſtus vere ſit caput Angelorum? & an influat in illos gratiam, & gloriam eſſentialem? Quæ proinde à nobis ſingulis dubijs ſunt examinanda.

Dubium primum eſt. An Chriſtus vt homo ſit verè, & ſimpliciter caput Angelorum?

18 In hoc dubio duæ verſantur ſententiæ. Prima eſt Bonauenturę in 3. diſt. 13. quæſt. 3. Soti in 4. diſt. 49. quæſt. 4. art. 2. Driedo lib. de captiuitate tract. 2, cap. 2. art. 5. propoſitione 4. Altiſiodorenſis lib. 3. ſummæ tract. 1. cap. 4. quæſt. 2. & Gabrielis in 3. diſt. 13. artic. 3. dub. 2. aſſerentium Chriſtũ eſſe quidem caput Angelorum in quantum eſt Deus, ſed non in quantum eſt homo: quam ſuadent tripliciter.

Primo ex teſtimonijs Sanctorũ Patrũ, nimirum Bernard. ſerm. 12. in cantica. Ciryl. Eſai. 54. Auguſt. in Enchirid. cap. 56. Chriſoſtomi, Anſel. & Theophyl. in illud ad Epheſ. 1. *Ipſum dedit caput*, dicentium Chriſtum vt Deum eſſe caput Angelorum, vt hominem vero tantum eſſe caput hominum, quia per humanitatem habet conformitatem ſpecificam cum hominibus, & non cum Angelis, & caput debet habere hanc conformitatem cum membris.

Secundo, nam Chriſtus non influit in Angelis gratiam, aut gloriam eſſentialem, vt oſtendemus dubio ſequenti. Sed aliquid imperfectum in ordine ſupernaturali, vt ſunt gaudia accidentalia, & reuelationem extra verbum facile tranſeuntẽ: ergo neque eſt caput perfectè illorum, ſed tantum inperfectè. Conſequentia patet, quia eo modo quo influit eſt caput.

Tertio probatur, ab inconuenienti duplici, quod ſequitur ex oppoſita ſententia: Alterum eſt, quod aliàs eſſet caput Adami in ſtatu innocentiæ, quod tamen eſſe falſum patet ex artic. præcedenti: quia non promeruit dona gratiæ illius ſtatus ſicut neque Angelorum. Alterum eſt, quod Chriſtus eſſet ſponſus Angelorũ, ſicut & Eccleſiæ cuius eſt caput. Conſequens autem eſſe falſum patet, quia propterea non habent dotes, quę ſunt propriæ ſponſæ, ut Theologi docent in 4. diſtinct. 49. & ideò teſte Origenes in cantica ſodales ſponſi, qui ſunt Angeli diſtinguntur ab ſponſa, ideſt Eccleſia hominum.

19 Secunda ſententia aſſerit, Chriſtum vt hominem eſſe caput Angelorum, quã ſequuntur Alenſis 3. part, quæſt. 10. membro. 2. art. 2. Ricard. in 3. diſt. 13. artic. 2. Durand. quæſt. 2. Pal. quæſt. 1. art. 2. Pagninus lib. 1. Iſagogæ cap. 23. Caietan. in comment. huius art. Suar. diſp. 23. ſect. 1. Vazq. diſp. 48. cap. 2. & 3. Lorca diſput. 45. Aluar. diſp. 38. Nazar. in controu. artic. 3. & 4. & Cabrera in expoſitione eorundem articulorum. *Defenditur ſententia tribuẽs Chriſto vt homini dignitatẽ capitis erga Angelos.*

Quæ à nobis ſtatuitur pro concluſione: & ſuadetur primo, quia eſt expreſſa Angel. Doctoris in ſolutione ad primum huius articuli, quatenus ait, *Chriſtum eſſe caput Angelorum in quantum conuenit cum eis in natura generis.* Et in ſolutione ad tertium ſubdit, *Chriſtum eſſe caput eorum, prout inſtrumentum,* Dei influit in illos: ſed Chriſtus vt homo, & nõ vt Deus conuenit cum Angelis in genere naturæ intellectualis, & influit in illam inſtrumentaliter: ergo:

Secundo probatur ex duobus teſtimonijs ſuperius allegatis, ſcilicet ad Epheſios. 1. & ad Coloſ. 1. vbi dicitur: *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, & ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ.* Et ad Coloſ. 2. *Qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis, &c.* Igitur ſi eſt caput totius Eccleſiæ, neceſſario debet eſſe caput Angelorum, vtpotè quia ex illis, & hominibus conficitur vna Eccleſia.

Tertio, nã Chriſtus habet tres cõditiones ſufficientes, & requiſitas ad munus capitis, nimirum ordo prioritatis, perfectio, & virtus influendi, vtpotè quia Chriſtus vt homo influit in Angelos gaudia accidentalia, & reuelationem extra Verbum, teſte Dioniſio cap. 3. de cœleſti Hierarchia, & Hieronim. ad Epheſ. 3. eſt etiam perfectior illis, & prior ordine dignitatis in eſſe ſpirituali propter gratiarum pleni-

tudinem: nec non conuenit cum eis in natura quantum ſufficit ad rationem capitis: nam teſte D. Tho. in 4. diſt. 45. quæſt. 4. art. 3. ad 5. caput, & membra ſi conſiderentur ſecundum ſe vt membra ſunt, non debent habere vnitatem ſpecificam, ſed tantum vt ſunt partes vnius indiuidij; & ita Chriſtus, & Angeli nõ oportet, vt ſint euiſdem ſpeciei ſecũdũ ſe; ſed ſatis eſt ſi habeãt vnitatẽ ſpecificã, vel quaſi ſpecificam, ſiue genericam, quatenus participant gratiam, & beatitudinem eiuſdem ſpeciei; hæc autẽ cõuenictia inuenitur inter Chriſtũ, vt hominem, & Angelos in quantum cõmunicant in gradu intellectualitatis ratione cuius ſunt capaces recipiendi gratiam, & beatitudinem, quæ in illis ſunt dona eiuſdem ſpecie.

Quarto probatur quod Chriſtus ſit caput Angelorum ſaltem politicum; nam id oſtenditur non tantum in hoc quod Angeli miniſtrabant ei, vt dicitur Matth. 4. ſed etiam in hoc, quod ipſe imperat Angelis vt miniſtrent nobis, propter hoc enim ad Heb. 1. dicitur, quod ſint miniſtratorij ſpiritus in miniſterium miſsi; quod autem mitantur à Chriſto probat D. Th. quæſt. 56. art. 6 ex eo quod Chriſtus eſt ſupremus gubernator Eccleſiæ: ergo ad illum pertinet imperare alijs, vt promoueant bonum Eccleſiæ qualiter promouetur per miſionem, & miniſterium Angelorum.

Confirmatur: nam vt D. Tho. ibi oſtendit Chriſtus iudicabit eos quo ad ea quæ geſerunt in miniſterium Eccleſiæ: ergo habet in eos poteſtatem. Nihilominus Chriſtus, vt homo non eſt ita perfecte caput Angelorum, ſicut eſt caput hominum, cujus rationem aſignat D. Tho. in 3. diſt. 13. quæſt. 2. art. 2. quæſtiuncula 1. & in 4. vbi ſupra, & de veritate q. 29. art. 4. ad 5 & ad Epheſ. 1. lectione vltima; nimirum quia Chriſtus conuenit nobiſcum in eadẽ ſpecie athoma naturæ, & influit nobis gratiam; non ſic autem conuenit cum Angelis conſideratis ſecundum ſuam ſpeciem, neque influit illis gratiam, vt dicemus dubio ſequenti: ergo. Tum etiam, quia hac ratione non eſt ita proprie ſponſus Angelorũ ſicut hominum, vt docuit D. Tho. in 4. vbi ſupra: Chriſtus autem eſt proprie ſponſus eorum quorum per ſe eſt caput.

20 Ad primum in contrariũ reſpondetur ſanctos illos Patres tantum velle Chriſtũ vt Deum eſſe caput Angelorum, vt hominem vero, non eſſe ita perfecte caput illorum ſicut hominum, ob defectum conuenientiæ in athoma ſpecie naturæ, & influxus gratiæ.

Ad ſecundum reſpondetur, quod tãtum conuincit idem: non autem, quod nõ ſit actu caput Angelorum, licet minus perfecte, ad hoc enim ſuficit ille influxus imperfectus

Ad tertiũ reſpõdetur, neutrũ ſequi ex aductis inconuenietibus, non quidẽ primũ quia cum merita Chriſti, & eius incarnatio fuerint prædiſtinata poſt præviſione peccati originalis, vt oſtẽdimus q. 1. ar. 3. & tũc nõ intelligebatur permanere ſtatus innocẽtiæ, ideo neq; Chriſt⁹ intelligebatur eſſe caput illius: Angeli vero mãſerunt poſt prædeſtinationẽ incarnationis, & ideò Chriſtus potuit illis influere, & eſſe caput: in ordine tamẽ executionis, etiã Chriſtus fuit caput primorum parentum, in illo ſtatu, propterea quod fuit reparator gratiæ illius, & conſũmator per gloriam, quæ ſententia eſt expreſſa Auguſtini concione 3. in Pſalm. 36. aſſerentis; quod omnes homines qui à principio ſeculi fuerũt iuſti, adiunctis etiam legionibus Angelorum conſtituerunt vnam ciuitatem vt fieret ſub vno Rege, & ſub vno Imperatore, & D. Thom. in hoc art. aſſerentis Chriſtũ eſſe caput omnium hominum generaliter ſecundum totum mundi tempus: ſub quo etiam comprehenduntur primi parẽtes in ſtatu innocentiæ, vt pote ad eandem Eccleſiam pertinentes, & habentes fidem Chriſti venturi; ex quibus Suarez in dicta ſectione 1. hanc partẽ probat, cui immerito aduerſatur Vazquius idẽ negans vbi ſupra cap. 2.

Nequè ſecundum, quia inter ſponſum, & ſponſã ſecũdũ ſe cõſideratos requiritur omnimoda vnitas ſpecificat non ſic inter caput, & mẽbra, vt dictũ eſt, nã & Deus eſt caput Angelorum, & demon eſt caput peccatorum, vt dicetur art. 7. & tamen non ſunt eiuſdem ſpeciei athomæ cum ſuis membris.

(∵)

Du

Dubium ſecundum eſt: An Chriſtus ita ſit caput Angelorum, quod phyſicè, vel meritoriè, influat illis gratiam, & beatitudinem?

(???)

21 IN quo Dub. due verſantur ſententiæ 1. affirmans eſt, quam tuẽtur Albertus, & Ricardus in 3. diſt. 13. art. 2. Cai. quæſt. præcedenti, art. 11. & in art. 4 huius, Cabr. diſp. vnica. Suar. in d. ſection. 1. & infra diſp 42. ſect. 1. Lorça diſp. 45. Cather in lib. de eximia prædeſtinatione Chriſti, & in lib. de gloria Angelorum. Vigerius tractatu de inſtitutionibus theologicis, cap. 20. §. 1. Galatinus in lib. 3. de Arcanis, cap. 4. & Flauius in lib. de Regno Chriſti, aſſerentes Chriſtum, vt hominem habuiſſe verum influxum in gratiam, & gloriam eſſentialem Angelorum, quem explicant tripliciter. Caietan. enim vult illum fuiſſe cauſæ efficientis inſtrumentalis. Lorca verò vult illum fuiſſe cauſæ finalis, exemplaris, & obiectiuæ. Reliqui deniquè volunt illum fuiſſe cauſæ efficientis moralis, & meritoriæ, & hunc adhuc explicant dupliciter, Suar. enim ait, quòd Chriſtus promeruit Angelis gratiam, & gloriam, non per paſsionem, & mortem, ſed per merita antecedentia. Alij verò exiſtimant, etiam per paſsionem, & mortem illis hæc dona permeruiſſe, ita vt Chriſtus nedum pro hominibus, ſed etiam pro Angelis fuiſſet paſſus, & mortuus. In quam ſententiam inclinant Theodor. & Theophil. ad Hebr. 2. in illud, *vt pro omnibus guſtaret mortem*: Id autem in quo omnes conueniunt ſuadent tripliciter primo ex teſtimonijs Scripturæ, vt ex illo Ioann. 14. *Nemo venit ad Patrem, niſi per me.* Vbi illa particula, *nemo*, etiam extenditur ad Angelos, ſicut in illo Matth. 10. *Nemo bonus, niſi ſolus Deus*, & Ioann. 10. *Nemo rapiet eas de manu mea.* In quibus particula, *nemo*, extenditur ad Angelos, & ex illo ad Roman. 5. *Si vnius delicto multi mortui ſunt: gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundavit*: ac proinde in Angelos. Cui conſonat, quod dicitur ad Epheſ. 1. nimirum in Chriſto, *inſtaurare omnia, quæ ſunt in cælis, & in terra*, & ad Colloſſenſes 2. quod per ſanguinem eius *pacificantur omnia, quæ ſunt in cœlis, & in terra*, & ad Epheſios 4. dicitur de corpore Eccleſiæ toto habuiſſe *incrementum charitatis ex influxu Chriſti*, ad Hebr. 2. *Vt pro omnibus guſtaret mortem, &c.* Et iterum, quod quia Chriſtus multos in gloriam aduxerat, oportebat ipſum, vt authorem ſalutis eorum, per paſsionem conſumari: non autem aduxerat ante ſuam paſsionem in gloriam, niſi ſolos Angelos. Et Apocalip. 12. de Michaele, & alijs Angelis dicitur, quod vicerunt demonem, propter ſanguinem agni: & hæc victoria fuit illos perſeuerare in gratia non obſtantibus perſuaſionibus demonum: ergo ex meritis paſsionis Chriſti habuerunt perſeuerantiam in gratia: & per conſequens ipſam gratiam.

Secundo probatur ratione, quia prædeſtinatio Chriſti fuit ante voluntatem iuſtificandi Angelos: ergo meruit illis gratiam: antecedens patet, quia vt oſtenditur, ſupra quæſtion. 1. articul. 3. & infra quæſtion. 23. Chriſtus fuit ſimpliciter primus prædeſtinatus, vt finis omnium. Conſequentia vero probatur, quia in illo priori merita Chriſti fuerunt præuiſa, vt infiniti valoris, & vt ſufficientia ad promerandam gratiam Angelis: ergo non eſt cur, non ſe extenderint cum effectu ad illam promerendam.

Tertia, quia Angeli fuerunt iuſtificati per fidem Chriſti venturi: ergo habuerunt gratiam per illum: antecedens oſtenditur à Banneſio prima parte quæſtione 57. articulo 5. & conſequentia patet, quia vt oſtendimus cum Diuo Thoma ſecunda ſecundæ quæſtione ſecunda, articulo quinto, illa miſteria ſunt neceſſario credenda ad iuſtificationem, per quæ quis efficitur beatus: certum autem eſt beatificari Angelos per viſionem Dei,

& humanitatis Chriſti: ergo & per fidem vtriuſque debuerunt iuſtificari.

Præfertur ſentẽtia negans Chriſto, vt homini influxum moralem meritorium circa Angelorum gratiã, & gloriam eſſentialem.

Secunda ſententia negans eſt, quam tuentur Bonau. Pal. & Dur. in 3. diſt. 13. Alenſ. 3. part. quæſt, 12. memb. 2. art. 3. Driedo, tract. 2. de captiu. cap. 2. part. 3. art. 5. Abulenſ. ſup. Matth. 17. queſtion. 107. Nazar, in hoc art. 4. contr. 2. & Aluar. diſp. 40. etiam tractatu de aux. diſp. 39. & 40. pro cuius ſententiæ declaratione dico primo.

Chriſtus prout eſt caput Angelorum, cauſat in eis gaudia accidentalia, & reuelationem extra Verbum: hæc tamen non meruit illis immediatè.

Hæc concluſio, pro prima parte communiter defenditur ab authoribus vtriuſque ſententiæ, & probatur, quia vt dictũ eſt dubio precedenti: Chriſtus eſt caput influens in Angelos, ſed non gloriam, & gratiam eſſentialem (vt ſtatim dicemus:) ergo gaudia accidẽtalia, quod etenim probat D. Thom ad Epheſ. 1. lect. 8. ex teſtimonio Dioniſij vbiſupra, qui id probat ex illo Eſai. 63. *Quis eſt iſte qui venit de Edom*, dicens, hæc verba eſſe ſupremorũ Angelorũ, quod autẽ ſequitur, *Ego qui loquor iuſtitiã, &c.* dicit eſſe verba Chriſti eis inmediate reſpõdẽtis: ex quo denotatur nõ ſolũ inferiores, ſed etiam ſuperiores Angelos à Chriſto homine illuminari.

Deinde ſecunda pars concluſionis, licet negetur ab authoribus primæ ſententiæ probatur tamen primo, quia eſt expreſſa D. Thom. hic ad 3. vbi explicans influxum, quem habet Chriſtus vt caput ſupra Angelos, oſtendit illum eſſe phyſicum, & inſtrumentalem, quem habet humanitas Chriſti ex coniunctione ad Verbũ; influxus autẽ per meritum, nõ eſt inſtrumentalis: ergo. Secundo probatur: anima Chriſti, vt cauſa phyſica illuminat Angelos: ergo non meritorie: antecedens patebit, infra & conſequẽtia probatur, quia teſte D. Thom. 1. part. quæſt. 62. art. 4. meritum eſt reſpectu eius ad quod non attingit vis efficiens phyſica.

Confirmatur, quia Chriſtus influit Angelis in his quæ pertinent ad actus hierarchicos, ſecundum quod vnus Angelus illuminat, purgat, & perficit alium, vt habet D. Thom. in 3. diſt. 13. quæſt. 2. art. 2. gloſſ. 1. ſed Angelus ſuperior non per meritum, ſed phyſice illuminat purgat, & perficit inferiores: ergo, & Chriſtus.

Tertio probatur, Chriſtus modo tribuit gaudium ſpeciale accidẽtale Angelis contemplantibus eius humanitatem, & hoc facit ipſe effectiuè, & obiectiuè proponendo ſe vt obiectum ex quo reſultat illud gaudium: ergo non opportet ipſum immediate meruiſſe Angelis talia gaudia, ſed tantum mediate, quatenus meruit ſibi exaltationem ſui corporis, vel meruit hominibus ipſorum conuerſionem, ex quibus obiectis ſi proponuntur Angelis creſcit eorum gaudium accidentale.

Confirmatur, quilibet peccator ſua cõuerſione cauſat nouum gaudium Angelis, iuxta illud, Lucæ 15. *Erit gaudium in cœlo ſuper vno peccatore penitentiam agente, &c.* & tamen illud non meretur eis: ergo vt Chriſtus cauſet ſimilia gaudia non oportet ea immediatè meruiſſe Angelis, ſed ſatis fuerit meruiſſe peccatoribus conuerſionem ipſorum, vel ſibi propriam exaltationem, vnde reſultat in illis tale gaudiũ.

Quarto probatur, gaudium accidentale eſt conſequens ad gloriam eſſentialem pro tali, vel tali ſtatu; ſed Chriſtus non meruit illis gloriam eſſentialem: ergo neque huiuſmodi gaudium. Conſequentia patet, quia non meretur, quæ conſequuntur aliquam formam, qui non meruit illam qua ratione nos non meremur virtutes morales infuſas conſequentes primam gratiam, quia non meremur primam gratiam. Maior autem patet: nam ad beatitudinem conſequitur naturaliter, vt quis delectetur accidentaliter de bonis accidentalibus, quæ reperiuntur in beatitudine, vt de gloria corporis, vel ſocietate aliorum, &c. vnde D. Thom. 2. 2. quæſt. 14. art. 4. ad 2. docet, quod bona quæ ſunt in beatis pertinent ad eorum ſtatum, & non cadunt ſub nouo merito.

23 Quinto probatur ratione, D. Th. de veritate vbiſupra: ſicut mereri eſt viatoris, ita & ille pro quo meretur debet eſſe viator: ſed Angeli non erant viatores quando intelligimus prædefinita eſſe merita Chriſti: ergo Chriſtus non meruit illis, minor patet ex dictis: nam Angeli præintelligũtur in gratia, & beati ante peccatũ Adami, ſicut ante illud diabolus intelligitur damnatus: ſed ante peccatum Adami non intelliguntur prædifinita merita Chriſti: ergo neque intelliguntur prædefinita, quando Angeli erant viatores: Maior verò patet ex D. Thom. ibidem, & probatur ratione, quia eſſe viatorem reſpectu alicuius præmij eſt non habere illud, ne-

què

Digitized by Google

què in ſe, neque in ſua radice non impedita, ex qua ſuo tempore infallibiliter oriatur: qua ratione beati modo non merentur gloriam corporis, qua carent, quia habent gloriam animæ, quæ eſt radix non impedita ſuo tempore illatura gloriā corporis reſurgentis: & Chriſtus modo nulla præmia accidentalia meretur; v.g. quod colatur à Barbaris: nec poſt mortem aliquid meruit nobis, quia erat extra viam; & omne gaudium accidentale, vt cultum Barbarorum iam habet in ſufficienti cauſa non impedita, ſcilicèt in ſua paſsione, & meritis, vnde reſpectu illius non erat viator: ſimiliter autem Angeli, ex hoc quod habent eſſentialem beatitudinem habent radicem, vnde infallibiliter oriatur illud gaudium accidentale, & illuminatio, quā Chriſtus poteſt in eis cauſare: ergo.

Vltimo probatur omne meritum Chriſti, etiam reſpectu præmij accidentalis eſt meritum redemptoris, ſed non eſt redemptor Angelorum: ergo illis nihil meruit, etiam accidentale. Minor, quidem patet ex eo, quod Angeli numquam fuerunt captiui, per peccatum, neque per neceſsitatem incurrendi illud; Maior verò, quia vt oſtendimus, quæſt. 1. art. 3. merita Chriſti non ſunt prædefinita, niſi vt redemptiua, aliàs enim ſi aliqua eius merita non eſſent huiuſmodi, ipſa in ordine ad illa eſſet prædeſtinatus, vt veniret independenter à peccato.

24 Dices Chriſtus meruit ſibi aliquid accidentale, vt gloriam ſui corporis, & exaltationem ſui nominis, licèt nō fuerit redemptor ſui: ergo potuit aliquid accidentale mereri Angelis, licet eorum redemptor non fuerit.

Reſpondeo negando conſequentiam, differentia eſt, quia dignitas, & diſpoſitio redemptoris poſtulat connaturaliter mereri ſibi quædam prẹmia accidentalia, quę ipſum exornant, non verò alijs. Eo quod redemptor merens, per carnem peſsibilem neceſſario debuit carere pro aliquo tempore gloria corporis, v.g. & quia dignius eſt ei accipere eam per meritum, quam ſine illo, & meritum eius cum ſit infinitum poteſt ad eam ſe extendere, ideò connaturaliter ad meritum redemptoris merentis, per carnem paſsibilem, conſequitur, vt promereatur ſibi corporis gloriam: meritum verò pro Angelis, non ita connaturaliter conſequitur ad meritum redemptoris hominum, quia ex vi redemptionis nō ſupponitur carere aliquo præmio, quod pro ſua dignitate Angeli debeant recipere ex meritis redemptoris illis inmediate applicatis; vnde conſtat eſſe valde diſparem rationem. Dixi in concluſione, *inmediatè*, quia Chriſtus merendo inmediate pro hominibus, mediatè profuit Angelis eius meritum, licet exacte non poſsit explicari talis modus, quo profuit illis: nam Hieronym. ait ad Epheſ. 4. ibi: *Qui deſcendit*, ſe optimè ſcire Crucem Chriſti Angelis profuiſſe, neſcire autem modum, quo profuit illis. Hinc infero Chriſtum cepiſſe eſſe caput Angelorum influens inmediatè illis poſt Incarnationem: nam tunc ſolum potuit illos illuminare, vel letificare conſpectu ſuæ humanitatis, & mittere illos in hominū miniſterium: Si autem loquamur de influxu mediatò per meritum inmediatè aplicatum hominibus, quod mediatè profuit Angelis, Chriſtus cępit eſſe caput eorum à tempore quo cæperunt Angeli gaudere de conuerſione Adami, vel anteà à tempore quo cæperunt miniſtrare illi ad ſuam conuerſionem; nam prouenerunt illis mediatè ex meritis Chriſti, qui merendo hominum conuerſionem conſequenter meruit, vt Angeli eis miniſtrarent ad illam, & cauſauit, vt gauderent de ea: & ratione huius influxus ex tunc cæpit eſſe caput eorum, & hoc ſolum intendit D. Thom. in quæſt. 29. de veritate, art. 4. quatenus ait Angelos eſſe viatores reſpectu præmij accidentalis, quibus proinde, & meritum Chriſti potuit profuere, quoad huiuſmodi gaudium. Nimirum non promerendo illud eis inmediatè, ſed promerendo inmediatè hominum conuerſionē de qua ipſi gauderent.

25 Dico ſecundo, Chriſtus vt caput Angelorum, nullatenus promeruit illis gratiam, & gloriam eſſentialem, hoc eſt, neque ante paſsionem, nec in ipſa paſsione, & morte. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus vtrumquè modum defendendi primam ſententiam, & eius authores, & pro 1. part. oſtenditur. Primo, quia eſt expreſſa D. Thom. in 3. diſt. 13. quæſt. 1. art. 2. & quæſt. 29. de verit. art. 4. ad 5. & art. 7. ad 5. & in hac 3. part. art. 6.

Secundò probatur, tribus rationibus theologicis ex Patribus Eccleſiæ de promptis. Prima eſt, quia aliàs pro Angelis mortuus eſſet, & eos redimeret, ſiquidem omne Chriſti meritum fuit redemptoris, & morte conſumatum, propterea enim dici-

tur, quod vna oblatione conſumauit omnia, id eſt, morte ſua, & ad Colloſ. 2. dicitur, quod per ſuum ſanguinem pacificauit quæ ſunt in cœlis, &c. Conſequens tamen nequè à Suario admittitur; contra quem militat hæc prima pars noſtræ aſſertionis: ergo.

Secunda eſt ex ordine ſignorum in diuinis decretis à nobis ſtatuto ſupra quæſtion. 1. art. 3. iuxta quem conſtat Chriſtũ fuiſſe prædeſtinatũ poſt præuiſum peccatum Adami, ac proinde, poſt decretum dãdi gratiam Adamo in ſtatu innocentiæ, & Angelis.

Tertia eſt, quia aliàs Angeli non fuiſſent glorificati ante Chriſti incarnationẽ, ſicut nec Patres veteris legis decuit glorificari ante Incarnationem Chriſti, ex cuius meritis præuiſis adepturi erant beatitudinem.

26 Tertia oſtenditur ſatisfaciendo 3. obiectionibus aduerſariorum. Prima deſumitur ex teſtimonio, Bern ſerm. 22. in cantica aſſerentis: *Qui erexit hominem lapſum, dedit ſtatim Angelo, ne laberetur, &c.* quod quidem ſolebat eſſe vnicum fundamentum pro contraria ſententia.

Secunda eſt, quia tribuendum eſt Chriſto quidquid eſt maioris excellentiæ.

Tertia, quia prius fuit prædeſtinatus Chriſtus, quam gratia præpararetur Angelis: cuius ſignum eſt, quod dicitur primogenitus omnis creaturæ; & quod demones inuidia incarnationis ipſis propoſitæ peccauerint, & quod omnes Angeli in via iuſtificati fuere per fidem incarnationis; ac proinde ex meritis Chriſti.

Ad primum itaque reſpondetur, quod Bernardus loquitur de Chriſto, vt eſt Deus, qui Angelos dicitur redemiſſe eos præueniendo, ne caderent in peccatum, & captiui manerent, & ita ſe explicat, ſermone 1. de Circunc. dicẽs: *Idem quippe & Angeli eſt Saluator, & hominis: ſed hominis ab Incarnatione, Angelis ab initio creaturæ,* vel vt explicat Sotomayor, 1. ad Thimo. 2. poteſt intelligi de Chriſto homine, & de redemptione minus propria, & ſecundum quid: quatenus Chriſtus, & eius mors pro fuit Angelis ad ſedium ipſorum reparationẽ, & amicitiæ cũ hominibus recuperationẽ ſecũdũ Aug. lib. de correptione, & gratia, cap. 11. & Hieronym. ad Epheſ. 4. vel etiam quatenus pro fuit illis quoad influxum extrinſece gubernationis, & internæ illuminationis, atquè gaudij accidentalis, iuxta eundem Auguſtin. tractatu 12. & 59. in Ioann. Dionyſium in lib. de celeſti Hierarch. cap. 7. & D. Thom. in locis citatis: quãuis Ioan. 1. lect. 10. priori faueat ſententiæ.

Ad ſecundum reſpondetur, non eſſe tribuendum Chriſto ſine fundamento, quidquid maioris eſt excellentiæ, ſed dũtaxat ea ad quæ ex vi decreti, & diuinæ, prædiſſinitionis fuit ordinatus, quæ nobis non niſi, ex diuina reuelatione potuit innoteſcere. Ad tertium negandum eſt antecedens, nequè enim colligitur ex illis ſignis, non quidem ex primo, vt oſtendimus in dicto art. 3. quæſt. 1. nequè ex 2. quia ſupponit falſum, nequè ex 3. propter rationem, quam in d. art. 3. aſsignauimus.

Deinde ſecunda pars noſtræ aſſertionis præter quam quod eſt communis ſanctorũ Patrũ, vt videre eſt apud Auguſt. in Enchirid. cap. 61. Bern. ſerm. in feria, 4. hebdomæ ſanctæ. Rupertum, Apoc. 5. & D. Thom. ad Epheſ. 1. in illud, *inſtaurare omnia, &c.* Suadetur primò, nam ideò dictum eſt Chriſtum non veniſſe, niſi in remedium peccati, quia in ſcriptura nulla alia cauſa traditur aduentus eius, niſi remedium peccati; ſed etiam mortis Chriſti nulla alia cauſa traditur in ſcriptura, niſi remedium noſtri peccati: ergo. Maior patet ex dictis, quæſt. 1. art. 3. minor verò aſſeritur ad Rom. 4. & 5. & 1. ad Cor. 15. 1. Petri 2. in quibus locis dicitur traditus propter delicta noſtra. *Chriſtus neque pro Angelis mortuus fuit.*

27 Secũdo probatur, quia 2. ad Cor. 5. dicitur: *Si vnus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt:* ſed Angeli non ſunt mortui: ergo Chriſtus nõ eſt mortuus pro illis. Minor probatur: nã illi pro quibus mortuus eſt Chriſtus, aut ſunt mortui in Adamo, aut ſunt mortui veteri vitæ peccatorum, vel dicuntur mortui, quia debent ſe gerere in mortificatione, ac ſi eſſent mortui: ita D. Thom. in eodem loco: ſed Angeli beati nullo iſtorum modorum potuerunt mori, vt de ſe patet: ergo.

Tertio probatur, quia aliàs homine nõ peccante, Chriſtus veniret in carne paſsibili, & mortali, cuius contrariũ demonſtrauimus, quæſt. 1. art. 3. Sequela probatur: nam ſi mortuus eſt pro Angelis, aliquid fuit datum Angelis intuitu mortis Chriſti: ergo ex vi talis donationis deberet Chriſtus mori, vt per mortem mereretur, quod intuitu meritorum eius collatum fuit Angelis.

Quare

Quarto probatur: mors Chriſti operatur ſalutem, & gratiam per modum meriti, ſatisfactionis, ſacrificij, & redemptionis, vt docet Diu. Thom. infra quæſtione 48. ſed Chriſtus per ſuam mortem non contulit aliquid Angelis omnibus iſtis modis: ergo. Minor probatur, non per modum ſatisfactionis, quia Angeli non habuerunt peccatum pro quo offerretur ſatisfactio: non per modum ſacrificij, quia ad Epheſios quinto, dicitur, quod traditus eſt in ſacrificium pro peccatis noſtris: & non dicitur pro Angelis. Rurſus, quia illud ſacrificium fuit hoſtia pro peccato: qua non indiguerunt Angeli; nequè per modum meriti, quia vt dictum eſt Chriſtus non meruit illis gratiam, & gloriam eſſentialem, imò nequè immediate meruit illis gaudia accidentalia, & reuelationes extra Verbum. Et tandem quod non per modum redemptionis probatur, quia redemptio, teſte Auguſtin. epiſtol. 57. ſupponit captiuitatem peccati, vel neceſsitatem incurrendi illud: ſed Angeli hanc non habuerunt: ergo.

Vltimo probatur argumento de ſumpto, ex Paulo ad Hebræ. 2. dum ait: *Qui ſantificat. & ſantificantur ex vno omnes, propter quā cauſam nō confunditur eos fratres vocare, &c. quia ergo: Pueri communicauerunt carni, & ſanguini, & ipſe participauit eiſdem, &c. Numquam enim Angelos aprahendit, ſed ſemen Abrahæ. Debuit enim per omnia fratribus aſsimilari:* In quibus verbis denotatur omnes ſanctificatos, & redemptos per Chriſtum eſſe fratres, & per omnia ſimiles illi, quia communicant in natura carnis, & ſanguinis; ſed Angeli, nec ſunt fratres, neque per omnia aſsimilantur illi, nec communicant cum illo in carne, & ſanguine: ergo.

Quæ ratio amplius confirmatur, & explicatur ex eo, quod Diu. Paulus ibi intendit docere, ideò Verbum ſumpſiſſe carnem, & non naturam Angelicam, quia ſanctificauit homines, & qui ſanctificat, & ſanctificantur debent eſſe ex vno, ſcilicet parente: ergo non ſanctificauit Angelos per paſsionem, & mortem: alias deberet ſumere naturam Angelicam: quia ea ratione aſſumpſit humanam mortalem, & paſsibilem: vt in illa patiendo, & moriendo homines ſanctificaret.

39 Dico tertiò, & vltimo, Chriſtus connaturaliter habuit ſine meritis dignitatem capitis reſpectu hominum, & Angelorum; meruit tamen illius vſum, & executionem.

Neque hanc dignitatem capitis hominum, & Angelorū habuit ex meritis.

Prima pars huius concluſionis, licèt negetur à Soto in quarto diſtinctione 47. quæſtione prima, articulo ſecundo, eſt tamen expreſſa Angelici Doctor. infra quæſtione 59. articulo tertiò ad ſecundū, vbi fatetur intentum argumenti, nimirum quod Chriſtus non obtinuit dignitatem capitis ex meritis, ſed quia erat vnigenitus à patre. Et in corpore eiuſdem articuli, diſtinguit poteſtatem iudiciariam, quam habet Chriſtus, quod poteſt conſiderari, vt conuenit illi ex humilitate paſsionis, & ſic cadit ſub merito: atquè vt competit illi ex dignitate capitis, & ſic inquit quod Chriſtus non habet illam ex meritis: ex quo tale deducitur argumentum. Chriſtus non potuit mereri dignitatem capitis quim conſequenter meruiſſet poteſtatem iudiciariam, quæ ad illam conſequitur: nam vnuſquiſquè meretur, id quod conſequitur ad terminum principalem ſui meriti: quo pacto meremur gloriam corporis, quia conſequitur ad beatitudinem animæ, quæ eſt primarius terminus noſtrorum meritorum: ſed teſte Diuo Thoma, Chriſtus non meruit poteſtatem iudiciariam, prout conſequitur ad dignitatem capitis: ergo nec ipſam poteſtatem iudiciariam.

Secundo probatur, dignitas capitis eſt proprietas conſequens vnionem ante omnem actum meritorum Chriſti: ergo. Antecedens patet: nam hæc dignitas conuenit Chriſto homini, quatenus habet maiorem gratiam, quam alij, & quatenus poteſt illis influere, & imperare; & ratione ſuæ excellentiſsimæ viſionis beatæ poteſt Angelos illuminare: hæc autem omnia conueniunt Chriſto antecedenter ad omne ipſius meritum: ergo.

Tertio, quia meritum debet eſſe reſpectu eius, quod nondum habetur, propterea enim comparatur meritum ad premium, ſicut motus ad terminū, ſed Chriſtus habuit connaturaliter à principio

cipio

cipio ſuæ conceptionis dignitatem capitis ex quo provenit, quod de plenitudine eius omnes accipiant : ergo non potuit illam promereri. Neque ſufficit, quod huiuſmodi dignitatem poſſet Chriſtus habere nouo titulo, ac proinde illam promereri ; nam alias etiam nos poſſemus promereri primam gratia, & virtutes infuſas quas habemus ſine meritis : ſiquidem per meritum, etiam haberemus illas nouo titulo.

Vltimò : nam propterea teſte Diuo Thoma prima parte quæſtione 62. articulo quarto, nullus meretur id ad quod cauſandum principaliter habet virtutem ſufficientem actiuam non impeditam, quia nullus meretur id quod in ſua præhabet poteſtate, & propterea Chriſtus non meruit valorem infinitum ſuarum operationum, quem poterat illis cõmunicare per virtutem ſufficientem, & non impeditam ex dignitate ſuppoſiti, quam habebat : ſed etiam habuit ſufficiens principium principale non impeditum à quo dimanaret gratia capitis, vel conſequeretur dignitas capitis ; nimirum vnionem perſonalem, & dignitatem infinitam ſuæ perſonalitatis: ergo.

Bene tamè eius vſum, & executionem.

31 Deinde ſecũda pars cõcluſionis probatur primò, quia aliquis vſus, & executio huius poteſtatis tribuitur in Scriptura meritis Chriſti, vt exaltatio ſuper omnem creaturam ad Philipenſ. 2. & quæ pertinet ad caput politicum, vt patet Marci vltimo.

Secundò, quia vſus huius poteſtatis non eſt Chriſto connaturalis, ſed liber, & poſterior primo actu meritorio quẽ habuit anima Chriſti: ergo non eſt cur ſubtrahatur eius merito infinito. Iuxta quam partem noſtræ aſſertionis congruenter poteſt explicari mens Soti vbi ſupra dum videtur negare huiuſmodi dignitatem capitis fuiſſe Chriſto connaturalem, & independenter à meritis communicatam. Non enim intelligendus eſt de dignitate capitis in actu primò, ſed de illa in actu ſecundo, & quãtũ ad eius vſum, & exercitiũ.

Sed obijcies, quod Chriſtus ratione ſuæ dignitatis capitalis habebat virtutem ſufficienter ad principaliter influendum in membra ſui corporis myſtici per imperium, gubernationem, & illuminationem: ergo non meruit iſtos actus, & vſum dignitatis capitis, quantum ad illos : conſequentia patet, ex ratione nuper adducta, nimirum, quia nullus meretur id quod habet in ſua poteſtate, & ad quod efficiendum habet ſufficientem virtutem principalem.

32 Reſpondetur huic obiectioni, quod licèt Chriſtus ratione dignitatis capitalis habeat ſufficientem virtutem ad eliciendos illos actus, quantum ad eorum ſpeciem, non tamen quantum ad eorum actualitatẽ, quia quantum ad hoc dependent ex libero, & gratuito influxu Dei. Et ideò ſicut potuit mereri gloriam corporis, quia ad illam habendam dependebat ex hablatione impedimenti, ad quod tollendum non habebat vt homo virtutem principalem ſufficientem, ita potuit mereri actualem executionem huius dignitatis, quia ad illam indigebat concurſu actuali Dei, quia ad illum non habebat ſufficientem concurſum principalem, aut etiam poſſumus dicere, quod ſicut gloriam corporis duplici titulo obtinuit, nimirum iure hæreditario, & connaturalitatis, atquè merito ſuæ paſsionis: ita & prædictos actus, & vſum ſuæ dignitatis capitalis obtinuit duplici titulo, nimirum, & debito connaturalitatis, quod inter cauſam, & eius connaturalem effectum intercedit, atque etiam merito ſuo, propter dictam dependentiam, quam habebant à concurſu diuino.

33 Ex his reſpondetur, ad argum. prioris ſententiæ. Ad primum quidem reſpondetur explicando ſingula teſtimonia adducta: ad quorum primum dicendum eſt, quod ſi illa particula, *nemo*, ſumitur vniuerſaliter pro Angelis ille locus intelligitur de Chriſto, vt eſt Deus, ita Auguſtin. ſermon. 4. de Verbis Domini: Chryſoſtomus, homil. 92. in Ioann. illum interprætantur: aut etiam poteſt idem locus intelligi de hominibus, vt habet Hilar. 7. de Trinitate. Neque eſt verum, illam particulam, *nemo*, abſolutè ſumptam extendi, etiam ad Angelos: nam Eccleſiaſtes 7. dicitur: *Nemo eſt qui ſemper viuat*; & Daniel 13. *Nemo nos videt*, in quibus locis particula, *nemo*, non extenditur ad Angelos, & diſtribuit iuxta ſubiectam materiam, & ibi contextus ſententiæ ſolum poſtulat, vt diſtribuat pro hominibus.

Ad ſecundum autem teſtimonium reſpondetur, quod illa particula, *plures*, ſumitur non comparatiue, ſed poſitiue

Digitized by Google

pro multis, vt Auguſtin. & D. Thom. ibi interpretantur, & id explicat Paulus dicens, quod ſicut per vnius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi, ita per vnius obedientiam multi conſtituti ſunt iuſti, ſuper abundat autem gratia Chriſti delictũ Adami, in eo quod peccatum huius tãtũ refundit in poſteros culpam originalem, gratia vero Chriſti liberat nos ab illa, & ſimul ab actualibus peccatis.

Reſpondetur ſecundo, quod gratia Chriſti in plures abundauit, quia etiam abundauit in Angelos, non faciens illos iuſtos; ſed tribuens illis modo prædicto bona accidentalia, abundauit etiam in Euam, quam iuſtificauit, ad quos tamen peccatum Adami non fuit extenſum.

Ad tertium teſtimonium reſpondetur, quod Chriſtus inſtaurauit omnia in cœlis, quia ſuo merito conuertit peccatores, per quos reparantur ruinæ Angelorum, & implentur ſedes eorum, ex quo Angelis prouenit gaudium accidentale, vt Hieron. D. Thom. & Anſelmus interpretantur, & Auguſtin. in Enchird. capit 61. & 62. pacificantur etiam cæleſtia ſanguine eius: quia per illum extinctæ ſunt inimicitiæ quas Angeli contra homines propter peccatum exercebant: vt Theophilat. & Beda, ibi, & Auguſtin. vbiſupra, capit. 64. interpretantur, dicitur autem guſtaſſe mortem pro omnibus hominibus, ſcilicet non pro Angelis.

Ad quartum dicendum eſt, quod loquitur de Eccleſia, vt eſt in hominibus, quia vt patet, inter alia loquitur de Apoſtolis, & Prophetis, & de his qui creſcebant in charitate; Angeli autem, vt ex D. Thom. probauimus in materia de Angelis non creuerunt in charitate, & gratia.

De quinto autem dicendum eſt, quod in illo fit ſermo de Deo Patre, quem quia multos Angelos in gloriam adduxerat decebat, vt Chriſtum authorem noſtræ ſalutis per paſsionem conſumaret; vt explicat ibi Diuus Thomas, aut fit ſermo de eodem Chriſto, qui ante ſuam paſsionem dicitur multos filios in gloriam aduxiſſe, quoniam ex merito futuro illius erant conſtituti extra viam: & propter ſecuritatem more prophetico præteritum, *aduxerat*, ſumitur pro futuro, *aducet*, vel tertio poteſt dici, quod loquatur de Angelis, de quibus verificatur per mortem Chriſti aductos fuiſſe in gloriam, quatenus mediate per illam eſt conſumata eorum gloria accidentaliter, vt dictum eſt.

Ad ſecundum principale, admiſo antecedenti, ſcilicet prædeſtinationem Chriſti, vt redemptoris fuiſſe priorem in genere cauſæ finalis prædeſtinatione Angelorum, & voluntate iuſtificandi illos; quia ſunt iuſtificati propter gratiam Chriſti redemptoris, de quo ſupra quæſtione prima articulo tertio, nego conſequentiam, ad cuius probationem diſtingo antecedens. Tunc merita Chriſti fuerunt præuiſa, vt infiniti valoris ſecundum ſe, & quoad ſufficientiam: Concedo antecedens, potuerunt enim, tunc quantum erat ex eorum valore aplicari pro Angelis, & pro incarnatione Patris: fuerunt infiniti valoris, quoad efficaciam, & aplicationem pro infinitis, vel pro omnibus pro quibus poterant aplicari, nego antecedens: quia ex vi decreti diuini non fuerunt prædeſtinata, vt aplicanda quantum ad actualem efficaciam pro Angelis, aut pro incarnatione Patris in quibus poterant actualem effectum ſortiri.

Ad tertium neganda eſt conſequentia, quia ſatis eſt Chriſtum eſſe conſumatorem gloriæ Angelorum tribuendo eis gaudia accidentalia, vt ex decreto Dei Angeli haberent fidem eius in ſua iuſtificatione.

(***)

ART.

ART. V.

Vtrùm gratia Chriſti, ſecundum quam eſt caput Eccleſiæ, ſit eadem cum gratia habituali eius, ſecundum quod eſt quidam homo ſingularis?

3.d.13.q 3.a.2.q.1.& 2.& 4 d.5.q.1.a.3.q.2 ad3.& ver.q.29.a.2.c.fin. & 6.& o puſ.3.c.222.& 223.& Io.3.l.6.lo.2.

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quod nō ſit eadē gratia, qua Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, cum gratia ſingulari illius hominis. Dicit enim Apoſtolus Rom. 5. Si vnius delicto multi mortui ſūt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abūdauit. Sed aliud eſt peccatū actuale ipſius Adæ, & aliud peccatum originale, quod traduxit in poſteros. Ergo alia eſt gratia perſonalis, quę eſt propria ipſius Chriſti: & alia eſt gratia eius, in quantum eſt caput Eccleſiæ, quæ ab ipſo ad alios deriuatur.

2 Præterea, Habitus diſtinguuntur ſecundum actus. Sed ad alium actum ordinatur in Chriſto gratia eius perſonalis, ſcilcet ad ſanctificationem illius animæ; & ad alium actum ordinatur gratia capitis, ſcilicet ad ſanctificandum alios. Ergo alia eſt gratia perſonalis ipſius Chriſti, & alia eſt gratia eius, in quantum eſt caput Eccleſiæ.

q.6.a.6. 3 Prӕterea, Sicut ſupra dictum eſt, † in Chriſto diſtinguitur triplex gratia, ſcilicet gratia vnionis, gratia capitis, & gratia ſingularis illius hominis. Sed gratia ſingularis Chriſti eſt alia à gratia vnionis. Ergo etiam eſt alia à gratia capitis.

Sed contra eſt quod dicitur Ioan. 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus. Secundum hoc autem eſt caput noſtrum, quod ab eo accipimus. Ergo ſecundum hoc quod habet plenitudinem gratiæ eſt caput noſtrum. Plenitudinem autem gratiæ habuit, ſecundum quod perfecte fuit in illo gratia perſonalis, vt ſupra dictum eſt. * Ergo ſecundum gratiā perſonalem eſt caput noſtrum· & ita non eſt alia gratia capitis, & alia gratia perſonalis. q.7.a.9.

Reſpondeo dicendum, quod quia vnumquodque agit in quantum eſt ens actu, & oportet quod idem ſit actus, quo aliquid eſt actu, & quo agit ſicut idem eſt calor, quo ignis eſt calidus, & quo calefacit. Non tamen omnis actus, quo aliquid eſt actu, ſufficit ad hoc, quod ſit principium agendi in alia, Cum enim agens ſit præſtātius patiente (vt Auguſt. dicit 12. ſuper Geneſ. ad literam; * & Philoſophus in 3. de anima †) oportet quod agens in alia, habeat actum ſecundū eminentiam quandam. Ditum eſt autem ſupra, * quod in anima Chriſti recepta eſt gratia ſecundum maximam eminentiam; & ideo ex eminentia gratiæ, quam accepit, cōpetit ſibi quod gratia illa ad alios deriuetur: quod pertinet ad rationem capitis. Et ideo eadem eſt ſecundum eſſentiam gratia perſonalis, qua anima Chriſti eſt iuſtificata; & gratia eius, ſecundum quam eſt caput Eccleſiæ, iuſtificans alios: differt tamen ſecundum rationem.

Augu. lib. 12. c. 19. cir. med. tom. 3. † Ari. lib. de ani. 3. tex. 19. * ar. 1. hu ius q & q. 7. a. 9.

Ad primum ergo dicēdum, quod peccatum originale in Adam, quod eſt peccatum naturæ, deriuatum eſt à peccato actuali ipſius, quod eſt peccatum perſonale: quia in eo perſona corrupit naturam: qua corruptio-

ne

ne mediante, peccatum primi hominis deriuatur ad poſteros, ſecundum quod natura corrupta corrumpit perſonam. Sed gratia non deriuatur â Chriſto in nos, mediante natura humana, ſed per ſolam perſonalem actionem ipſius Chriſti. Vnde non oportet in Chriſto diſtinguere duplicem gratiam: quarũ vna reſpondeat naturæ, alia perſonæ, ſicut in Adam diſtinguitur peccatum naturæ, & perſonę.

Ad ſecundum dicendum, quod diuerſi actus, quorum vnus eſt ratio & cauſa alterius, non diuerſificant habitum: actus autem perſonalis gratiæ, qui eſt ſanctũ facere formaliter habentem, eſt ratio iuſtificationis aliorũ, quæ pertinet ad gratiam capitis. Et inde eſt, quod per huiuſmodi differentiam non diuerſificatur eſſentia habitus.

Ad tertium dicendum, quod gratia perſonalis, & gratia capitis ordinantur ad aliquem actum: gratia autem vnionis non ordinatur ad actũ, ſed ad eſſe perſonale. Et ideo gratia perſonalis, & gratia capitis conueniunt in eſſentia habitus, non autem gratia vnionis. Quamuis perſonalis gratia poſsit quodammodo dici gratia vnionis, prout facit congruitatẽ quandam ad vnionem. Et ſecũdum hoc vna per eſſentiam eſt gratia vnionis, & gratia capitis, & gratia ſingularis perſonæ, ſed differens ſola ratione.

Conclusio eſt, eadem eſt ſecundũ eſſentiam gratia perſonalis, qua anima Chriſti eſt iuſtificata, & qua eſt caput Eccleſiæ iuſtificans alios, differens tamen ſecundum rationem.

Dubium eſt. An gratia capitalis in Chriſto ſit ipſamet gratia vnionis, aut ſola gratia habitualis?

35 IN quo dubio tres verſantur ſententiæ. Prima eſt Suarij diſput. 23. ſect. 2. aſſerentis huiuſmodi gratiam capitis in Chriſto eſſe ſolam gratiam vnionis; quam ſequuntur etiam Vazquez diſp. cit. cap. 4. & Lorca diſput 46. quæ à ſuis Authoribus ſuadetur. Primo, quia teſte Auguſtino epiſt. 57 per caput noſtrum, ſcilicet Chriſtum reconciliantur Deo, quia in illo eſt diuinitas vnigeniti facta particeps noſtræ mortalitatis, vt nos immortalitatis eius participes eſſemus: quibus verbis docet, ideò Chriſtum eſſe caput noſtrum influens in nos, quia eſt Deus homo: ergo gratia, qua vt caput influit, nõ eſt gratia habitualis, ſed vnionis, ſcilicet Deum eſſe hominem. *Proponitur ſententia Suarij conſtituens gratiam capitis in gratia vnionis.*

Quæ ratio amplius confirmatur: ex eo quod Chriſtus potuit naturã noſtrã Deo reconciliare, ſatisfacere, & mereri pro nobis, quia eſt Deus homo: nam propterea ſupra quæſt. 1. art. 2. oſtendimus nullam puram creaturam poſſe id præſtare: ergo Deum eſſe hominem, quæ eſt gratia vnionis diſtincta ab habituali, eſt gratia capitalis, per quam Chriſtus influit in homines.

Secundò, quia ablata à Chriſto gratia habituali, per ſolam gratiam vnionis remanet verum caput noſtrum, & ſi remoueatur ab illo gratia vnionis, & remaneat ſola gratia habitualis non manet caput noſtrum: ergo gratia, per quam eſt caput non eſt gratia habitualis, ſed vnionis: antecedens patet: nam tunc eius operationes eſſent infinitè meritorię, & ſatisfactoriæ pro nobis, vtpotè, quia eſſent infiniti pretij, ac valoris, & aliàs liberè exhibitæ in obſequium Dei ab homine viatore, grato, & ſancto per gratiam vnionis, quæ ſunt conditiones ad meritum ſufficientes, & requiſitæ. In hoc autem conſiſtit capitalis influentia illius: ſi autem ha-

beret

beret ſolam gratiam habitualem eſſet pura creatura, ac per conſequens non poterat mereri, & ſatiſfacere pro nobis de condigno, in quo huiuſmodi capitis influxus cõſiſtit: ergo.

36 Tertio vtendo ratione articuli, nimirum quia idẽ eſt actus quo aliquis cõſtituitur in actu, & quo operatur; ſed Chriſtus conſtituitur Sanctus in actu per gratiam vnionis: ergo per illam agit in nos, & conſequẽter illa erit capitalis. Minor oſtẽſa eſt ſupra quæſt. 7. art. 1. vbi docuimus Chriſtum formaliter eſſe ſanctum per gratiam vnionis, & hanc eſſe formam formaliter ſanctificatem: ergo. Cõfirmatur dupliciter. Primo, quia illa forma eſt principium agendi in alios, quæ participatur ſecundum eminentiam, vt habet D. Thom. in articulo: talem autem eſſe gratia vnionis patet, quia tota eminẽtia gratię habitualis prouenit à gratia vnionis: ergo hæc eſt multo eminentior, quam illa. Confirmatur ſecundo, quia propterea alię formæ habituales Chriſti ſiue naturales, ſiue ſupernaturales, licet perficiant Chriſtum cum quadam eminentia, ex gratia vnionis deriuata, tamen nequè ſunt capitales nequè influunt in alios: alioquin non ſoli gratiæ, ſed alijs donis, virtutibus, & potentijs humanitatis Chriſti tribueremus rationem capitis, aut formæ capitalis: quod non eſt admitendum: ergo neque admitendum eſt de gratia habituali. Conſequentia hæc patet a paritate rationis.

37 Quarto id probant labefactando doctrinam, quam inſerit D. Thom. in ſolutionibus argumentorum huius art. quo perſuadeat gratiam capitis non diſtingui ab habituali gratia: nam in ſolutione ad primum ait: in Adamo fuiſſe duplex peccatũ, originale ſcilicet, & perſonale: in Chriſto vero ſolum eſſe vnam gratiam, quæ ſimul ſit perſonalis, & capitalis: & in ſolutione ad ſecundum ſubdit: gratiam Chriſti habitualẽ, & capitalem non diſtigui, quia licet ordinentur ad diuerſos actus, vnus tamen eorum oritur ex alio: & idem in ſolutione ad tertium ait: gratiam perſonalem Chriſti ordinari ad aliquem actum non vero gratiam vnionis.

Sed hæc omnia dicta eſſe falſa probatur. De primo quidem, quia primum peccatum Adami etiam fuit vnum tantum ſecundum rem, & illud ſimul fuit perſonale vel capitale: ergo quantum ad hoc, inter ipſum & gratiam Chriſti, non eſt differentia. Maior ſupponitur, quia primum vt ſic non poteſt eſſe multiplex. Minor autem probatur, nam illud peccatum fuit perſonale ſiquidem corrumpit perſonam: fuit etiam originale quia in illo omnes peccauimus, & quia tranſacto actu peccati remanſit in Adamo habituale paccatũ per quod, & ipſe remãſit in ſtatu peccati, & infecit alios, ſicut & trãſacto actu quo Chriſtus ſe diſpoſuit ad gratiã, manſit in eo gratia habitualis, per quam fuit ſanctificatus, & ſanctificat alios.

De ſecundo vero probatur, quia diuerſi actus qui tendunt in ſua obiecta ſub diuerſis rationibus requirunt diſtinctos habit⁹ à quibus procedãt, licet eorũ vnus oriatur ex alio, ſed ita ſe habent gratia habitualis, & capitalis Chriſti: ergo. Mai. patet, nã ex dilectione Dei oritur timor culpæ; & tamẽ iſti actus pertinent ad diuerſos habitus charitatẽ, ſcilicet, & donũ timoris quia feruntur in ſua obiecta ſub rationibus diuerſis. Minor vero probatur, quia gratiã habitualẽ perficere ſuum obiectũ, & gratiã gratis datam ordinari ad ſantificandos alios ſunt rationes diferentes, & ſufficientes ad diſtinguendos ſpecie iſtos actus: ergo ſimiliter gratiam perſonalem, per ſe ordinari ad ſanctificãdã eius animã & gratiã eius capitalem ordinari ad ſanctificandos alios ſufficiet ad diſtinguendas illas ſpecie. Cõfirmatur, ideò teſte D. Th. hic ad primũ: peccatũ actualẽ perſonale & originale diſtinguntur in Adamo, quia licet originale fuerit ortum ex perſonali, tamen ſub diuerſa ratione, quia perſonale infecit perſonam propriam Adami, & originale perſonas aliorum, at gratia perſonalis Chriſti perfecit perſonam ipſius, & capitalis perſonas illorum: ergo ſunt diuerſa licet vna oriatur ex alia.

De tertio deniquè probatur, quia gratia perſonalis de ſe, & immediate ordinatur tãtũ ad eſſe: mediate vero ad operari: ſed idem prorſus habet gratia vnionis cũ per ſe primo ordinetur ad eſſe, mediateque ad operari: ergo. Minor probatur, quia gratia vnionis tribuit Chriſto infinitatem in merito & ſatisfactione, atque in exhibẽda hominum redemptione de rigore iuſtitiæ, quæ ſunt quædam operationes: ergo quantum ad hoc etiam ordinatur mediate ad operari.

38 Secunda ſententia eſt, quam refert idẽ Suarez vbi ſupra, quorundam aſſerentium quod gratia capitalis Chriſti ſimul

eſt

eſt ipſa gratia vnionis, & habitualis, vel conſlatum ex vtraque, cuius ſententiæ fundamentum eſt, quia gratia capitalis, vt ſæpè dictum eſt includit duo, nimirum eminentiam, & influxum: ſed Chriſtus habuit eminentiam ratione gratiæ vnionis; influxum vero in alios ratione gratiæ habitualis: ergo gratia capitis conflatur ex vtraque.

Tertia ſententia aſſerit gratiam capitalem in Chriſto eſſe ſolam gratiam habitualem, quam tenet Diu. Thom. in hoc articulo, Caietanus ibidem, eſtquè communiter recepta ab Scolaſticis in tertio diſtinctione 13. vt à Bonaventur. articulo ſecundo, quæſtione ſecunda, Ricardus articulo tertio, quæſtione ſecunda, Gabr. & Almaino ibidem, Marſilio, quæſtion. 10. articul. 1. dub. 3. Durand. quæſtion. 2. Scoto, quæſt. 9. & Alenſi 3. part. quæſtion. 11. memb. 3. & ideò indubitate eſt tenenda, pro cuius declaratione dico primò.

Gratiã capitalẽ non eſſe gratiã vnionis defenditur cõtra Neotericos.

Nequè ſola gratia vnionis, nequè conſlatum ex illa, & gratia habituali eſt gratia capitalis in Chriſto, hæc concluſio conſtituitur aduerſus authores primæ, & ſecundæ ſententiæ, & pro prima parte; probatur primo: nam illa non eſt principium proximum influens phyſicè in alios: ergo. Conſequentia patet, quia hoc requirit perfecta ratio gratiæ capitalis, vt in alios proximè, non tantum meritoriè, ſed ẽtiã phyſice ſaltẽ inſtrumentaliter influat. Antecedẽs autẽ probatur, quia gratia vnionis eſt ipſa perſona Verbi, vt vnita humanitati: vt ſic autem, nihil effectiue phyſicè cauſat, nonin inſtrumentaliter, quia hoc dicit imperfectionem repugnantem perſonæ diuinæ, quæ non poteſt moueri ab alia cauſa principaliori: nequè principaliter, quia iſto modo, non aliter concurrit, quàm perſona patris, & Spiritus ſancti; quæ tamen vt ſic nonſunt caput, de quo ſit ſermo in præſentiarum, neque conſtituunt gratiam capitalem.

Secundo, quia gratia vnionis de ſe non ordinatur ad operandum, ſed ad eſſe perſonale; quia principium operationis, eſt natura, vel virtus eius; non ſubſiſtentia perſonalis, maxime relatiua, qualis eſt perſona Verbi, quæ vocatur gratia vnionis, quia gratis vnitur humanitati: ergo non poteſt eſſe gratia capitalis quæ debet eſſe operatiua, quia eius eſt poſſe influere in membra.

Tertio probatur, quia gratia vnionis non eſt actus humanitatis: nam Deus nullius poteſt eſſe forma: ergo non eſt principium quo Chriſtus influit gratiam in membra, & per conſequens, nequè gratia capitalis. Conſequentia probatur, nam teſte Ariſt. in 2. de anima, omne principiũ operatiuum, eſt actus eius, qui illo operatur. Et explicatur hoc: omne opus procedens à gratia ſecundum eius inclinationem, vt ſic eſt meritoriũ, & gratia eſt principium. & radix talis meriti; non vero eſt meritoria omnis operatio procedens à Verbo vnito humanitati: diximus enim, quæſtion. 1. articul. 2. digeſtionem cibi in Chriſto non eſſe meritoriam ex ſe, niſi referretur in Deum: ergo licèt gratia vnionis ſufficiat ad tribuendum merito Chriſti infinitatem, quatenus terminat actionem reflexiuam ſupra ſe modo prædicto, tamen quia hoc non habet, quatenus eſt principium efficiens illius: ideo non eſt gratia capitalis, de cuius ratione eſt eſſe principium proxime influens in alios per meritum, vel influentiam phyſicam.

39 Deinde pro ſecunda parte probatur concluſio dupliciter: tum quia conſlatum ex gratia vnionis, & gratia habituali includit ipſam gratiam vnionis cui repugnat eſſe gratiam capitalem, vt dictum eſt: ergo pariter repugnabit conflato ratione illius. Conſequentia patet, quia quod repugnat parti, etiam repugnat toti; quod illam includit ratione illius met partis incluſæ.

Tum etiam, quia quando aliqua res, ſiue eſſentia conſlatur ex duobus, oportet, vt vnum comparetur ad alterum tamquam actus, ſiue forma ad potentiam: ſed neutram ex dictis gratijs in Chriſto comparari ad alteram, tamquam actum, ſiue formam ad potentiam; perſpicuum eſt, vt intuenti patebit: ergo.

Dico ſecundo, gratia habitualis Chriſti, eſt ipſa gratia capitalis, per quam influit in membra.

Hæc concluſio præter quam quod eſt expreſſa Diuo Thoma, in hoc articulo, & in tertio diſtinctione 13. quæſtione

Digitized by Google

tertia, articulo ſecundo, quæſt. prima, & in quarto diſtinctione quinta, articulo tertio, quæſt. ſecunda ad tertiũ. Probatur primo, quia Chriſtus influit in membra per gratiam habitualem, de qua propterea docuimus, ſupra quæſtione ſeptima, articulo vndezimo eſſe quodammodo infinitã, quia eſt principium proximum ſatisfactionis, & meriti infiniti: influit autem Chriſtus in ſua membra per meritum, & ſatisfactionem infinitam: ergo gratia habitualis in Chriſto, eſt gratia capitalis.

Secundo, gratia habitualis Chriſti tribuit ei eſſe partem Eccleſiæ excellentiorem cæteris, & omnes perfectiones donorum ſupernaturalium, quæ conditiones ſufficiunt, & requiruntur ad rationem capitis: ergo gratia habitualis eſt forma, per quam eſt caput Eccleſiæ. Antecedens vero probatur: nam partes Eccleſiæ eo ſunt excellentiores, quo habent maiorem gratiam: ſed gratia Chriſti cum ſit infinita, vt dictum eſt, eſt omnium maxima, & tribuit animæ Chriſti omnes perfectiones pertinentes ad ordinem gratiæ: ergo.

40 Tertio probatur, quia gratia habitualis Chriſti, eſt infinita, & plena in genere gratiæ præhabens omnem perfectionem poſsibilem gratiæ, vt diximus quæſtion. 7. articul. 11. ergo præhabet virtutem influendi in alios, vel per meritum, vel per phyſicum, & inſtrumentalem influxum, & per conſequens eſt gratia capitalis, quia hoc ſufficit illi ad eſſe capitale.

Dico tertio, gratia capitis in Chriſto addit ſupra ipſam gratiam habitualem vt ſic, modum quendam, ſeu virtutem accidentalem pertinentem ad genus cauſæ efficientis. Hæc concluſio, quæ ſtatuitur pro maiori explicatione ſecundæ ſententiæ oſtenditur ratione, qua vtitur Diu. Thom. in articul. ſub hac forma: eadem eſt forma qua ſubiectum eſt in actu, & qua agit in alios, vt eadem lux in eſſe qualitatis eſt qua lucet Sol, & illuminat alios, & eadem eſt ſcientia Magiſtri in eſſe qualitatis, qua eſt doctus in ſe, & docet alios: ergo ſimiliter eadem gratia habituali Chriſtus eſt iuſtus habitualiter, & iuſtificat alios; conotando tamen virtutem influendi in illos pertinentem ad genus cauſæ efficientis: nam gratia habitualis, prout eſt perſonalis, eſt cauſa formalis iuſtificationis Chriſti, vt capitalis verò, eſt cauſa efficiens gratiæ noſtræ, ſed in ratione cauſæ diſtinguntur ſpecie cauſa efficiens, & formalis: ergo.

41 Quod amplius declaratur: nam ſepius eademmet forma, quæ per ſe ipſam tribuit ſuum proprium effectum formalem ſubiecto, per additionem, vel cõnotationem alicuius adiũcti modi, ſiue virtutis, habet vim efficiendi, per quam pertinet ad genus cauſæ efficientis, & differt à ſe ipſa ſeorſum conſiderata ſpecie modali: quo pacto calor animalis, qui ratione ſuæ formæ eſt eiuſdem ſpeciei cum calore ignis, & tribuit eundem effectum formalem calidi animali, ratione virtutis adiunctæ, & participatæ ex coniunctione ad animam habet vim effectiuam aggenerandi carnes, & oſſa, ratione cuius pertinet ad genus cauſæ efficientis, & differt à ſe ipſo ſpecie modali. Similiter ſignificatio Sacramentorum nouæ legis, quæ in ratione talis conſtituit formaliter Sacramenta in eſſe ſigni, ratione virtutis cauſatiuæ participatæ à Chriſto, & à Deo, vt à cauſa principali ingreditur genus cauſæ efficientis, & conſtituit Sacramenta in eſſe cauſæ inſtrumentalis gratiæ, quæ vt ſic differunt à ſe ipſis in ratione ſigni ſpecie quadam modali, ſiue accidentali. Pariter in præſentiarum phyloſophamur de gratia capitali Chriſti, quæ vt ſic, eſt ipſa gratia habitualis prout includit, ſeu conotat virtutem influendi in membra; non ſolum moraliter, per modum principij merendi, & ſatisfaciendi principaliter, ſed etiam phyſicè per virtutem phyſicam, & fluidam à Deo, vt à cauſa principali gratiæ ipſi communicatam: vt oſtendemus quæſt. 13. ſequenti art. 2.

Verum hæc gratia capitalis, poteſt conſiderari dupliciter, nimirum aut in actu primo, ante actualem cauſalitatem: & ſic non addit ſupra gratiam habitualem talem virtutem, ſiue motionem: ſed tantum deſignationem à Deo, quia nimirum eſt deſignata à Deo, vt quoties voluerit influere in nobis gratiam, vtatur illa, vt inſtrumento ad gratiam producendam: hoc autem habet gratia ipſa habitualis Chriſti, vt ſic ratione talis ſubiecti: aut poteſt conſiderari, vt cauſans in actu ſecundo, ideſt, quando actu influit gratiam in homines: & tunc

ve-

verum eſt, quod diximus, ſcilicet, quod includit, ſeu addit ſupra ipſam gratiam habitualem aliquem modum, ſeu virtutem fluidam realem ratione cuius eſt cauſa phyſica inſtrumentalis noſtræ gratiæ.

42 Ex his reſpondetur ad primum, pro prima ſententia, quod Auguſtinus, ſolum vult in Chriſto ſuponi gratiam vnionis, vt ex illa deriuetur in gratiam habitualem virtus influendi in alios: non uero, quod ipſa ſit quæ influit, & per hoc patet ſimiliter ad confirmationem.

Occurritur fundamentis primæ ſententiæ.

Ad ſecundum admiſſo antecedenti, nego conſequentiam: nam licèt tunc Chriſtus foret caput hominum, per gratiam vnionis, & virtutem influendi in alios; tamen non eſſet caput eodem modo, atquè nunc, nequè gratia illa capitalis eſſet eiuſdem rationis cum ea quæ de facto in Chriſto eſt capitalis, de facto enim gratia habitualis formaliter eſt capitalis, gratia autem vnionis ad illam tantum requiritur antecedenter, & preſupoſitiue, & hoc conuincit argumentum dumtaxat.

Tunc autem gratia vnionis, non ſolum preſupoſitiue, ſed etiam formaliter ingrederetur rationem gratiæ capitalis, quantum ad vim dignificandi opera Chriſti meritoria, & ſatisfactoria ratione ſui: quantum verò ad vim phyſicè inſtrumentaliter cauſandi gratiam aliorum, ratione motionis, & virtutis adiunctæ comunicatæ à Deo.

Ad tertiũ nego conſequentiam, quia licèt Chriſtus conſtituatur ſanctus formaliter per gratiam vnionis, quia ad hoc ſufficit illam eſſe terminum humanitatis, non tamen illa eſt forma, nequè actus humanitatis, ac proinde, neque eſt principium agendi.

Ad primam confirmationem reſpondetur, quod vt forma eminens habeat principium agendi debet actuare ſubiectum per identitatem, vel informationem: perſona autem Verbi, quæ eſt gratia unionis, nullo modo iſtorum eſt forma humanitatis.

Ad ſecundam nego conſequentiam, ratio diſcriminis eſt, quia licèt omnia, quæ ſunt in Chriſto poſsint aſſumi, vt inſtrumentum phyſicum, ad aliquem effectum, non tamen poſſunt eſſe principium meriti, & ſatisfactionis, ſicut gratia: & quoniam hæc eſt conditio ad integram rationem capitis requiſita, ideo gratia habitualis eſt ſpecialiter forma capitalis, non autem cætera accidentia, aut dona habitualia Chriſti: immò nec virtutes infuſæ, quibus non competit eſſe principium radicale merendi, & ſatisfaciendi, ac dignificans ſubiectum, quod meretur, & ſatisfacit.

43 Ad quartum reſpondetur ſuſtinendam, tamquam veram doctrinam Angelici Doctoris eſſe traditam in tribus ſolutionibus argumentorũ, & quidem de prima ſciendum eſt in Adamo non tantum fuiſſe peccatum actuale, & perſonale in quo omnes peccauimus, vt dicitur ad Romanos quinto, ſed etiam ex illo deriuatam eſſe ad eius naturam quandam habitualem deordinationem, quæ ex vi generationis naturalis factæ per vim ſeminalem traducitur, ſimul cum natura, & afficit intrinſece, & formaliter peccatores omnes, qui iſto modo participant naturam, & hanc de ordinationem diſtingui ab illo peccato actuali, patet, quia diſtinguitur vt actus, & habitus, operatio, & terminus; & hoc ſuppoſito differentia clara eſt: nam in Adamo non tantum fuit peccatum actuale perſonale, ſed etiam in eius natura remanſit habitualis de ordinatio traducenda ad poſteros cum natura: in Chriſto vero, quia eius gratia non debuit traduci per naturam, ſed per actum perſonalem eius, ſcilicèt meritum ſatisfactionem, & influxum phyſicum, ideo eadem gratia perſonalis, quatenus fuit principium meriti, & ſatisfactionis in tali perſona debuit eſſe capitalis, vt ſtatim amplius explicabitur.

Ad confirmationem ex hac doctrina patet: nam differentia eſt, quod eadem gratia, vt ſanctificans Chriſtum neceſſario ſuponitur ad influxum eius capitalem in nos, per meritum ſatisfactionem, vel operationem inſtrumenti excellentiæ: idem vero peccatum, vt inficiens perſonaliter Adamum non ſupponitur, vt peccatum capitale deriuetur ad nos, ſed ſolum vt inficiens naturam. Explicatur hoc, vt Chriſtus nobis meruerit, tamquam

caput requiritur, quod ipſe perſonaliter fuerit gratus: vt vero peccatum Adami deriuetur ad nos, non requiritur quod ipſe Adamus, tamquam perſona particularis ſit actu infecta, ſed ſufficit naturam eſſe infectam, per præcedentem actum capitis, licèt ipſe perſonaliter ab illo fuerit liberatus, quando illud traducit ad nos.

De ſecunda vero dicendum eſt, quod meritum Chriſti ortum fuit ex eius gratia perſonali. Secundum eandem rationem, vt reddebat ſubiectum gratum, nam ex hoc quod ipſe ſic erat gratus ortum fuit, vt eius opera acceptarentur, ſecundum ſuum valorem, & efficaciam, quia ex eadem gratia acceptantur ſupoſitum, & eius opera, vnde ad argumentum quo hæc doctrina improbatur, neganda eſt minor, ad cuius prob. nego antecedens: nam illi habitus non ſolum diſtinguntur ratione dicta, quia præter illum diuerſum modum operandi, habent diuerſa obiecta, & diuerſas rationes formales: nam gratia iuſtificans immediatè facit hominem participem naturæ diuinæ: gratia verò ſanitatum, v. g. tantum facit potentem ſanare alios ab infirmitatibus corporalibus, licèt mediate ordinetur ad gratiam iuſtificantem, & hoc ſufficit, vt diſtinguantur ſpecie.

Ad confirmationē nego antecedens: nam ex hoc quod gratia Chriſti perficit illum perſonaliter ſequitur, quod per eandem formam influat in nos phyſicè: & moraliter: peccatum vero Adæ non deriuatur ad nos, vt infecit illum perſonaliter, ſed vt corrupit naturam quæ ſunt rationes diſtinctæ, & ita peccatum Adami non deriuatur ad nos, vt infecit illum perſonaliter: gratia autem Chriſti influit nobis, quatenus perſonaliter perficiendo ipſum fuit principium, vt mereretur pro nobis.

44 De tertia verò aliqui volunt differentiam eſſe, quod gratia habitualis ad operationē ſcilicèt viſionē beatam, ordinatur, tāquā ad finē principaliorem, gratia verò vnionis, licèt ordinetur ad opus, nō tamen, tamquam ad aliquid nobilius: ſed contra hoc eſt communis ſententia, quæ docet gratiam eſſe nobiliorem ſimpliciter viſione beata, quia licèt viſio ſit aliquo mòdo nobilior, ſcilicèt ex modo eſſendi, quia eſt actualis, & quia eſt conſecutio Dei reputata, vt vnus finis cum Deo, & quia ad ſui exiſtentiam requirit eſſentiam diuinam vnitam in ratione ſpeciei, & principij, tamen non eſt perfectior participatio Dei, quia gratia eſt totius naturæ Dei participatio, ſecundum omnes gradus: viſio verò tantum eſt participatio operationis intellectualis.

Tum etiam, quia gratia eſt natura quæ ſi fuerit perfecte conſumata in ſuo ſtatu connaturali ex illa, tamquam ex radice dimanat viſio beata, tamquam proprietas eius connaturalis, ac proinde non eſt perfectior illa. Vnde ad argumentum in oppoſitum neganda eſt minor, ad cuius probationem dictum eſt gratiam vnionis non eſſe principium efficiens infiniti meriti, quia cum non ſit actus humanitatis non eſt ei principium operandi. Concurrit ergo ad infinitatem meriti, tamquam res oblata, & materia, ſupra quam reflectitur meritum, vt ſupra docuimus: gratia verò habitualis concurrit ad illud, vt radix virtutum efficienter elicientium operationes meritorias, & ideo non eſt eadem ratio.

Ad fundamentum ſecundę ſententiæ reſpondetur diſtinguendo minorem, quia licèt ratione vnionis: habeat Chriſtus eminentiam dignificatiuam operationum ſuarum in ratione meriti, & ſatisfactionis, dignificatiuam, in quam valore perſonali: non tamen habet eminentiam operatiuam ratione illius, ſed ratione gratiæ habitualis, quæ proinde eſt gratia capitalis.

ART.

Digitized by Google

ART. VI.

Vtrum eſſe caput Eccleſiæ ſit proprium Christo?

Infr. a. 7. c. & ver. q 19. a. 4 Cor. & 1. Cor. 11. co. 3.

AD ſextum ſic procedítur. Videtur, quod eſſe caput Eccleſiæ non ſit proprium Chriſto. Dicitur enim 1. Reg. 15. Cũ eſſes paruulus in oculis tuis, caput in tribus Iſrael factus es. Sed vna eſt Eccleſia in nouo & veteri teſtamento. Ergo videtur, quod eadem ratione aliquis alius homo præter Chriſtum poterit eſſe caput Eccleſiæ.

2 Præterea, Ex hoc Chriſtus dicitur eſſe caput Eccleſiæ, quod gratiam influit Eccleſiæ membris. Sed etiam ad alios pertinet gratiam alijs præbere, ſecundum illud Epheſ. 4. Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat: ſed ſi quis bonus eſt, ad ædificationem fidei, vt det gratiã audientibus. Ergo videtur, quod etiã alij quam Chriſto competat eſſe Eccleſiæ caput.

3 Præterea, Chriſtus ex eo, quod præeſt Eccleſiæ, non ſolum dicitur caput, ſed etiam Paſtor & fundamentum Eccleſiæ. Sed non ſibi ſolum Chriſtus retinuit nomen Paſtoris, ſecundum illud 1. Petr. 5. Cum apparuerit princeps paſtorum, percipietis immarceſcibilem gloriæ coronam. Nec etiam nomen fundamẽti, ſecundum illud Apoc. 21. Murus ciuitatis habens fundamenta duodecim. Ergo videtur, quod nec etiam nomen capitis ſibi ſoli retinuerit.

Sed cõtra eſt, quod dicitur Coloſ. 2. Caput Eccleſiæ eſt, ex quo corpus per nexus & coniunctiones ſubminiſtratum & conſtructum, creſcit in augmentum Dei. Sed hoc ſoli Chriſto cõuenit. Ergo ſolus Chriſtus eſt caput Eccleſiæ.

Reſpondeo dicendum, quod caput in alia mẽbra influit dupliciter. Vno modo, quodam intrinſeco influxu: prout ſcilicet, virtus motiua & ſenſitiua, â capite deriuatur ad cætera membra. Alio modo ſecundũ quãdam exteriorem gubernationẽ: prout ſcilicet, ſecundum viſum, & alios ſenſus, qui in capite radicãtur, dirigitur homo in exterioribus actibus. Interior autem influxus gratiæ, non eſt ab aliquo, niſi â ſolo Chriſto: cuius humanitas ex hoc, quod eſt diuinitati coniuncta, habet virtutem iuſtificandi. Sed influxus in membra Eccleſiæ, quantum ad exteriorem gubernationem, poteſt alijs conueníre. Et ſecũdum hoc aliqui alij poſſut dici capita Eccleſiæ, ſecundum illud Amos 6. Optimates capita populorum. Differenter tamen â Chriſto. Primo quidem quantũ ad hoc, quod Chriſtus eſt caput omniũ eorũ, qui ad Eccleſiã pertinent, ſecũdũ omnẽ locum, & tempus, & ſtatum: alij autem homines dicuntur capita ſecundum quædam ſpecialia loca, ſicut Epiſcopi ſuarũ Eccleſiarũ: vel etiã ſecũdũ determinatũ tẽpus, ſicut Papa eſt caput totius Eccleſiæ, ſcilicet tẽpore ſui pontificatus: & ſecundum determinatum ſtatum, prout ſcilicet ſunt in ſtatu viatoris. Alio modo, quia Chriſtus eſt caput Eccleſiæ propria virtute, & auctoritate: alij vero dicuntur capita, in quantum vicem gerunt Crihſti, ſecundum illud 2. ad Corin. 2. Nam & ego quod donaui, ſi quid donaui, propter vos in perſona Chriſti: & ſecundum illud 2. ad Corin. 5. Pro Chriſto legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos.

Ad primum ergo dicẽdum, quod verbum illud intelligitur, ſecundũ quod ratio capitis conſideratur ex exteriori gubernatione: prout dicitur Rex caput regni ſui.

Ad ſecundum dicendum, quod homo non dat gratiam interius influendo, ſed exterius perſuadendo ad ea, quæ ſunt gratiæ,

Ad tertium dicendum, quod ſicut Auguſt. dicit ſuper Ioan. * Si [*tract. 46. in med. illius, co. 9.*] prępoſiti Eccleſiæ paſtores ſunt, quomodo vnus paſtor eſt, niſi quia ſunt illi omnes vnius membra paſtoris; Et ſimiliter alij poſſunt dici [*tract. 47. in Ioann. int. princip. & medium, to. 9.*] fundementa & capita, in quantum ſunt vnius capitis, & fundamenti membra. Et tamen ſicut Auguſt. ibidem dicit, † Paſtorem eſſe dedit membris ſuis, oſtium vero nemo noſtrum ſe dicit: hoc ſibi ipſe propriũ tenuit. Et hoc ideo, quia in oſtio importatur principalis auctoritas, in quantum oſtium eſt, per quod omnes ingrediuntur in domum: & ipſe ſolus Chriſtus eſt, per quem acceſſũ habemus in gratiam iſtam, in qua ſtamus. Per alia vero nomina prædicta poteſt importari auctoritas, non ſolum principalis, ſed etiam ſecundaria.

PRima concluſio, proprium eſt Chriſti eſſe caput Eccleſiæ, ſecundum interiorem influxum.

Secunda concluſio, Chriſto, & alijs eſt comune eſſe caput Eccleſiæ, ſecundum gubernationem exteriorem diferenter tamen, & diuerſimode.

Dubium eſt: An ita ſit proprium Chriſto eſſe caput Eccleſiæ, vt nulli alteri: hoc eſt, puro homini poſſet conuenire?

45 QVONIAM proprium ſtrictè dictum, vt ex Porphirio in capite de proprio accepimus, eſt illud, quod conuenit ſoli, omni, & ſemper, videndum eſt in hoc dubio, an dignitas capitis Eccleſiæ, ita ſit propria Chriſto, vt ei ſoli, omni, & ſemper conueniat: hoc autem in duplici comparatione poſſumus conſiderare, nimirum, vel de facto, & ſecundum ordinariam legem, vel etiam in ordine ad potentiam Dei abſolutam. Et quidem in prima comparatione omnes Theologi conueniunt in eo quod Chriſto propria ſit huiuſmodi dignitas capitis Eccleſiæ, quæ ſupoſitio communis eſt certa ſecundum fidem, a qua nullus catholicorum diſſentit, exceptis quibuſdam ſectarijs relatis, & refutatis à Seraphino Caponio, infra quæſtione 64. articulo quarto adſtruentibus vnumquemque hominem iuſtum eſſe præditum tanta gratia, & virtute, ſicut, & Chriſtus, ac proinde ratione gratiæ, & virtutis æqualis non minus eſſe caput Eccleſiæ, quam ſit Chriſtus, & latè probatur à Turrecremata, libro primo ſummæ Eccleſiaſticæ capite 52. & libro ſecundo capite 20. pluribus argumentis, quorum ſumma, hæc eſt. Chriſto conuenit eſſe caput Eccleſiæ per influxũ interiorẽ merendo hominibus gratiã, & ſatisfaciẽdo pro eis de condigno, & ad æqualitatẽ, nec non [*Sēſus quæſtionis, & ſtatus expenditur.*]

in-

Digitized by Google

influendo dona gratiæ in hominibus phyſicè, tamquam inſtrumentum diuinitatis coniunctum, & excellentiæ, eſt etiam eiuſdem naturæ cum membris: ſed in his conditionibus non conuenit cum Chriſto de facto aliqua perſona creata, imò neque increata: ergo. Minor probatur: de creata quidem, quia nulla perſona creata poteſt de condigno, & ad æqualitatem mereri alijs gratiam, & pro peccatis aliorum ſatisfacere. Rurſus neque eſt inſtrumentum coniunctum excellentiæ influens phyſice in alios. Quapropter Leo Papa, epiſtol. 97. cap. 2. inquit nullum ſanctorum redimere alios, vel eis dare coronas, ſed accipere à Deo, niſi ſolum Chriſtum hominem Deum. Alioquim gratis, & ſine neceſsitate moreretur Chriſtus pro hominibus, ſi aliqua pura creatura poſſet pro hominibus condignam exhibere ſatisfactionem.

De increata vero patet, quia aliæ perſonæ diuinæ, neque meritoriè, & ſatisfactoriè influunt gratiam in nobis, neque influunt illam phyſicè inſtrumentaliter, neque habent eandem naturam ſpecificam, vel genericam cum membris Eccleſiæ: ergo eſſe caput illius de facto proprium eſt Chriſto, ſiquidem conuenit illi ſoli, ideſt, nulli alteri, & omni, ideſt omni perſonæ diuinæ aſſumenti homogeneam naturam cum hominibus, quam de facto ſola perſona Verbi aſſumpſit: & ſemper, id eſt à primo inſtanti ſuæ conceptionis, vſque in ſempiternum.

46 Si autem procedat quæſtio in ſecunda comparatione, id eſt in ordine ad potentiam Dei abſolutam, adhuc poteſt fieri, & intelligi dupliciter: nimirum, vel in ordine ad perſonam Patris, ſiue Spiritusſancti, & ſic vt certa ab incertis ſeparemus communis ſententia Theologorum tenet, quod ſicut perſona Patris, & Spiritus ſancti, poteſt de potentia abſoluta aſſumere naturam humanam, vel Angelicam, conſequenter potuit, non minus quàm perſona Verbi eſſe caput Eccleſiæ influendo in homines dona gratiæ vtroquè modo prædicto, nimirum moraliter, & phyſicè, ſicut, & Chriſtus de facto influxit; vel in ordine ad alias puras intellectuales creaturas, ſiue Angelos, ſiue homines, & in hoc ſenſu diſcriminantur Theologi in duas ſententias. Prima negat Chriſto eſſe propriam iſto modo dignitatem capitis Eccleſiæ, quia potuit de potentia abſoluta purus homo eſſe caput aliorum influens in eis gratiam promerendo illam de condigno, & ſatisfaciendo de iuſtitia, pro eorum peccatis, quam tuentur Soto in quarto diſtinctione prima, quæſtione quinta articulo quarto, & Suar. hic diſputation. 30. ſection. 1. illamque ſuadent tripliciter. Primò, quia Deus poteſt tribuere puro homini eſſe caput aliorum merens de condigno, & interius eis influens gratiam: nam ita videtur docere D. Thom. in quarto diſtinction. citata quæſtione prima, articulo tertiò, quæſt. ſecunda in corpore, & ad tertium dum ait: Deum poſſe tribuere puræ creaturæ vim mundandi homines interius à peccatis, quod eſt eſſe caput eorum per influxum interiorem. Idem etiam docent Auguſtin. in tractatu quinto in Ioann. & Gloſſa in illud 1. ad Corinth. 1. *Diuiſus eſt Chriſtus*: ergo hoc non eſt proprium Chriſto.

Sententiā Soti, & Suarij proponitur adſtruens poſſe purum hominem eſſe caput Eccleſiæ merens alijs gratiā de condigno.

Secundo, quia Deus inſtituit Adamum caput hominum influens illis peccatum: ergo poterit conſtituere aliud caput influens eis gratiam. Conſequentia patet, aparitate rationis: nam licet peccatum Adami ſecundum ſe, tantum reſpiciat eius ſingularem perſonam, tamen ex pacto Dei quo conſtitutus eſt caput hominum illud fuit ſufficiens demeritum totius naturæ: ergo ſimiliter licet actus procedens à gratia particularis hominis tantum reſpiciat illud: ex pacto Dei poteſt reſpicere alios; & mereri pro eis, eo quod licet de facto actus meritorij procedentes à gratia puri hominis iuſti, promereantur de condigno eius augmentum, & gloriam, non eſt cur ex pacto, & ordinatione Dei non poſsint ſaltem de potentia abſoluta extendi ad promerendam alijs primam gratiam, & eius augmentum in preſenti vita: & gloriam in futura. Confirmatur: nam ſicut Chriſtus, tantum influit in nobis gratiam inſtrumentaliter, ſolus namque Deus eſt cauſa principalis gratiæ; ita ſimilem virtutem inſtrumentaliter influendi gratiam poteſt Deus tribuere puræ creaturæ: ergo & dignitatem capitis. Antece. probatur tripliciter.

Tũ, quia alijs tribuit vim inſtrumẽtalẽ

faciendi miracula; ac proinde, & poteſt eis tribuere vim cauſandi gratiam.

Tum etiam, quia huiuſmodi virtutem cauſandi gratiam inſtrumentaliter de facto communicat Sacramentis nouæ legis, & eorum miniſtris.

Tum deniquè, quia eſſe inſtrumentum Dei ad cauſandam gratiam phyſicè in alijs, non repugnat puræ creaturæ, nequè arguit in illa virtutem infinitam, vt dicemus infra quæſtion. 13. art. 2. ergo poteſt communicari talis virtus.

47 Tertiò arguitur; quia eſſe oſtium, non minus eſt proprium Chriſti, quam eſſe caput Eccleſiæ, vt etiam habet D. Thom. hic in ſolutione ad tertium, & tamen huiuſmodi dignitas communicatur alijs à Chriſto: ergo, & dignitas capitis poterit alijs communicari. Minor probatur, ex Apocalypſis 21. vbi dicitur cœleſtem ciuitatem habere duodecim portas, & ſupra ſingulas earum nomina Apoſtolorum: per portas autem intellexerunt Gloſſa, Ambr. Beda, Rupertus, Aretas, Victorinus, & Primaſius ſignificari Apoſtolos, & Patriarchas: ergo.

Secunda ſententia affirmans eſt, nimirum, quod iſto modo in ordine ad potentiam Dei abſolutam, & facta comparatione ad quamcumque puram creaturam, creatam, vel creabilem eſt proprium Chriſto eſſe caput Eccleſiæ, quàm communiter ſequuntur diſcipuli Diui Thomæ, nimirum Caietan. & Medin. in hoc art. Turrecremata vbi ſupra, & Vincent. in relectione gratiæ Chriſti, quæſt. 6. dubio 2. in ſolutione ad 1. quæ proinde à nobis ſtatuitur pro concluſione. Et ſuadetur primo, quia eſt expreſſa D. Thom. in 4. diſt. 20. quæſt. 1. art. 2. gloſſ. 3. ad 1. & in 4. ad Anib. diſt. 5. quæſt. 1. art. 3. vbi aſſerit nulla puram creaturam poſſe mereri de condigno alijs gratiam, & remiſsionem peccatorum eo modo, quo vnuſquiſquè iuſtus promeretur ſibi gloriam de condigno: eo quod ad ſic promerendum alijs gratiam requiritur in merito infinita efficacia, quam habere non poteſt, niſi meritum procedens à perſona infinita, qualis eſt Deus homo, vel eſſet Deus Angelus ſi aſſumeret aliqua perſona diuina naturam angelicam: ergo.

Præfertur ſententia negans Thomiſtarum.

Secundò, quia nulla pura creatura poteſt ſatisfacere de rigore iuſtitiæ pro culpa mortali propria, vel aliorum: & ideò neceſſariam fuiſſe incarnationem, vbi ad ſatisfaciendum de rigore iuſtitiæ pro culpis humani generis, docuimus ſupra quæſtion. 1. art. 2. ſed ad rationem capitis prout fuit in Chriſto requiritur iſte influxus moralis per meritum condigni, & iuſtam ſatisfactionem.

Tertiò; quia gratia habitualis cuiuſlibet puræ creaturæ rationalis, quantumbis in ſuo genere eleuetur, & perficiatur, ſolum perficitur in ordine ad ſuum ſubiectum, ſed ex hoc actibus ab ea procedentibus nequit tribuere valorem meritorium pro alijs: ergo. Maior patet; quia quælibet forma non operatiua erga extrinſecum ſubiectum non extenditur, nequè inclinatur ad finem bonum, aut conſeruationem alterius indiuidui; ſed ad ſuã; aliàs eſſet operatiua erga alienum ſubiectum: gratia autem de ſe non eſt operatiua erga ſubiectum alienum: ſed eius natura conſiſtit in hoc, quod faciat nos conſortes diuinæ naturæ, & intrinſicè ordinatos, & condignos viſione beata: ergo quantumbis perficiatur intra ſuum genus, ſolum perficietur in ordine ad proprium ſubiectum, non alienum. Minor vero probatur; quia licèt meritum per extrinſecam acceptationem poſſet actui prouenire ex ordinatione extrinſeca Dei, vt diſputatur 1. 2. quæſtion. vltima, art. 3. tamen meritum de condigno debet prouenire ex intrinſeca ordinatione, & inclinatione gratiæ, & ideò ſi gratia finita, qualis reperitur in pura creatura de ſe non ordinatur ad bonum alterius, non poterit illud de condigno promereri.

Vltimo probatur, nam licet puræ creaturæ poſsit communicari inſtrumentalis influxus interior reſpectu gratiæ, non verò eo modo, quo conuenit Chriſto, & ideò, etiã proprium eſt Chriſto eſſe caput Eccleſiæ per iſtum influxum: eo quod Chriſtus, vt homo eſt inſtrumentũ coniunctum excellentiæ habens vim influendi gratiam à ſemetipſo, & non à ſuppoſito diſtincto in natura: ergo cum hoc non poſsit communicari puræ creaturæ: nulli poterit communicari eſſe caput Eccleſiæ, tam quoad influxum morale, vt probatum eſt, quàm quoad influxum phiſicum inſtrumentalem, vt hoc argumento conuincitur.

48 Et hoc ipſum conuincit primum argumentum, ex aductis in contrarium, nimirum poſſe de potentia abſoluta commu-

communicari puro homini eſſe caput Eccleſiæ, non eo modo, quo eſt Chriſtus, ſed analogice dumtaxat, nimirum, extrinſece ordinando illud ad merendum, & ſatisfaciendum pro alijs imperfecte, & citra condignum, & ad influendum illis gratiam inſtrumentaliter per modum inſtrumenti ſeparati.

Ad ſecundum admito Adamum demeruiſſe nobis priuationem iuſtitiæ originalis, vt demonſtraui in mareria de pecato originali, quo ſupoſito ad argumentum reſpondetur, tranſeat antecedens, & nego conſequentiam: differentia eſt duplex prima, quod demeritum reſpectu illius priuationis eſt reſpectu alicuius pertinentis ad naturam ſpecificam, & Adamus erat conſtitutus caput reſpectu naturæ ſpecificæ, non reſpectu conditionũ, & operationum perſonalium: meritum vero de condigno reſpectu gratiæ requirit in merente eſſe caput eorum, pro quibus meretur, non tantum reſpectu naturæ ſpecificæ, & conditionum eius, ſed etiam reſpectu operationum perſonalium, quia gratia eſt principium earum; eſſe autem caput iſto modo requirit virtutem infinitam, vt docet D. Thom. in 4. vbi ſupra.

Secunda differentia eſt, quia demeritum cum ſit de genere malorum ſaluatur in Adamo reſpectu noſtri per hoc, quod voluntate communi naturæ defecerit à bono; quod vice omnium noſtrum tenebatur facere; ad meritum autem gratiæ de condigno, quod eſt de genere bonorum non ſufficit, vt actus acceptetur à Deo ad dandam gratiam pro illo, ſed requiritur vt habeat intrinſecam ordinationem, & inclinationem ad adquirendam gratiam alijs: dictum eſt autem nullam gratiam finitam puræ creaturæ poſſe habere iſtam inclinationem.

Ad confirmat. patet ex dictis, quod licet eſſe inſtrumentum gratiæ poſsit communicari creaturæ puræ, & non dicat perfectionem infinitam: dicit tamen illam eſſe inſtrumentum coniunctum excellentiæ operans ex virtute proprij ſupoſiti: & quia Chriſtus iſto modo capitaliter influit gratiam, ideò eſt proprium ei, & incommunicabile puræ creaturæ eſſe iſto modo caput Eccleſiæ.

49 Ad tertium reſpondetur, quod licet Greg. cant. 8. & lib. 28, moral. cap. 16. & Chryſoſtomus, ſermon. 30. in epiſtolam ad Rom. abſolute apellent prædicatores oſtia Eccleſiæ, quia per eorum doctrinam alij ingrediuntur ad fidem: tamen vt conformemur modo loquendi Angelici Doct. in ſolutione ad tertium notandum eſt, quod licet oſtium, & porta communiter accipiantur impermixtim pro eodem in profanis, & ſacris litteris: nihilominus proprie, & in rigore porta ſignificat aperturam muri, vel parietis quæ clauditur foribus, oſtium verò ſignificat ipſas fores. Vnde 3. Reg. 6. dicitur, quod *Salomon fecit duo oſtia de lignis oliuarum*, & Prouerb. 26. *Sicut oſtium vertitur in cardine*: Si ergo oſtium ſumatur pro porta tribuitur Apoſtolis, & prædicatoribus: vt volunt Chriſoſt. Gregor. & Cirillus, ſuper illud Eſaiæ 60. *Occupabit portas tuas laudatio*: Si tamen accipiatur pro foribus, ſic conuenit ſoli Chriſto, quia ſicut oſtium per ſe pulſatur, per ſe detinet volentes egredi, vel irrumpere domum, & ipſum aperitur, vel clauditur, ita Chriſtus teſte Ambroſ. lib. 9. in Lucam, cap. 1. per ſe pulſatur ab orantibus: nam alij ſancti rogantur, vt orent Chriſtũ pro nobis: & ipſe Chriſtus detinet homines in fide, & reprimit impetus perſequentium, aperitur quando ipſe, vt dicitur Actor. 16. aperit corda noſtra, vt atendamus rebus fidei, & clauditur quando negat tale auxilium. Vel dicamus cum Gregorio vbi ſupra, quod apellantur oſtium non per ſe, ſed ratione ſui capitis, ſcilicet Chriſti, cui proinde proprium eſt, eſſe caput, & oſtiũ Eccleſię.

(* * *)

ART.

Digitized by Google

ART. VII.

Vtrum diabolus ſit caput omnium malorum?

Inf. a. 8. 6.

AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur, quod diabolus non ſit caput malorum. Ad rationem enim capitis pertinet, quod influat ſenſum & motum in membra, vt dicit quædam gloſ. ſuper illud ad Epheſ. 1. Ipſum dedit caput, &c. Sed diabolus nõ habet virtutem influendi malitiam peccati, quod ex voluntate peccantis procedit. Ergo diabolus non poteſt dici caput malorum.

2 Præterea, Per quodlibet peccatum fit homo malus. Sed non omnia peccata ſũt â diabolo. Quod quidem manifeſtum eſt de peccatis dæmonum, qui non ex perſuaſione alterius peccauerunt. Similiter etiã nec omne peccatum hominis ex diabolo procedit. Dicitur enim in lib. de eccleſiaſticis dogmatibus, * Nõ omnes cogitationes noſtræ malæ, ſemper diaboli inſtinctu excitantur: ſed aliquoties ex motu arbitrij noſtri emergunt. Ergo diabolus non eſt caput omnium malorum.

c. 82. habetur inter opera Aug to. 3.

3 Preterea, Vnum caput vni corpori preficitur. Sed tota multitudo malorum non videtur habere aliquid, in quo vniantur: quia malum malo contingit eſſe contrarium: cõtingit etiam ex diuerſis defectibus, vt Dionyſ. dicit 4. cap. de diuinis nominib. * Non ergo diabolus poteſt dici caput omnium malorum.

c. 4. p. 4. inter med., & fi. Eſt Greg. li. 14. moral. c. 11. cir. princ. art. prac.

Sed contra eſt, quod ſuper illud Iob 18. Memoria illius pereat de terra, dicit gloſ. † De vnoquoque iniquo dicitur, vt ad caput, id eſt diabolum reuertatur.

Reſpondeo dicẽdum, quod ſicut ſupra dictum eſt, * caput non ſolum interius influit membris, ſed etiam exterius gubernat eorũ actus dirigendo ad aliquem finem. Sic ergo poteſt dici aliquis caput alicuius multitudinis: vel ſecundum vtrumque, ſcilicet ſecundum interiorem influxum, & exteriorem gubernationem: & ſic eſt Chriſtus caput Eccleſiæ, vt dictum eſt. * Vel ſecundũ ſolam exteriorem gubernationem: & ſic quilibet princeps, vel prælatus, eſt caput multitudinis ſibi ſubiectæ. Et per hunc modum dicitur diabolus caput omnium malorum: nam vt dicitur Iob 41. Ipſe eſt Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ. Pertinet, autem ad gubernatorem, vt eos quos gubernat, ad ſuum finem adducat: finis autem diaboli eſt auerſio rationalis creaturæ â Deo: vnde & â principio hominem ab obedientia diuini præcepti remouere tentauit. Ipſa autem auerſio â Deo, habet rationem finis, in quantum appetitur ſub ſpecie libertatis: ſecũdum illud Hierem. 2. A ſeculo confregiſti iugum, rupiſti vincula, & dixiſti, non ſeruiam. In quantum igitur ad hunc finem aliqui adducuntur peccando, ſub diaboli regimine & gubernatione cadunt: & ex hoc dicitur eorum caput.

art. prac.

Ad primum ergo dicendum, quod licet diabolus interius non influat rationali menti, tamen ſuggerendo inducit ad malum.

Ad ſecundum dicendum, quod gubernator non ſemper ſuggerit ſingulis ſubiectis, vt ſuæ voluntati obediant, ſed proponit omnibus ſignum ſuæ voluntatis: ad cuius ſequelam aliqui excitantur inducti, alij propria ſponte. Sicut patet in duce

exer-

exercitus, cuius vexillum ſequūtur milites, etiam nullo perſuadente. Sic igitur primū peccatum diaboli (qui ab initio peccauit, vt dicitur 1. Ioan. 3.) propoſitum eſt omnibus ad ſequendum: quod quidam imitantur per ſuggeſtionem ipſius, quidam propria ſponte abſque vlla ſuggeſtione. Et ſecundum hoc omniū malorum caput eſt diabolus, in quantum ipſum imitantur: ſecundū illud Sapien. 2. Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum: imitantur autem illum qui ſunt ex parte illius.

Ad tertium dicendum, quod omnia pecata conueniunt in auerſione â Deo, licet ab inuicem differant, ſecundum conuerſionem ad diuerſa commutabilia bona.

CONCLVSIO eſt: Diabolus eſt caput omnium malorum, per ſuggeſtionem, & exteriorem gubernationem.

ART. VIII.

Vtrum Antichriſtus poſsit etiam dici caput omnium malorum?

1. 2. q. 84. 1. 3. & 4. & 3. d. 13. q. 2. ar. 1. & ver. 29. a. 4. & mal. 8. ar. 1. 0. & opu. c. 223. & 1. Cor. 1. col. 3. & 4.

AD octauum ſic proceditur. Videtur, quod Antichriſtus non ſit caput malorum. Vnius enim corporis non ſunt diuerſa capita. Sed diabolus eſt caput multitudinis malorum. Non ergo Antichriſtus eſt eorum caput.

2 Pręterea, Antichriſtus eſt mēbrum diaboli. Sed caput diſtinguitur â membris. Ergo Antichriſtus non eſt caput malorum.

3 Pręterea, Caput habet influentiam in membra. Sed Antichriſtus nullam habet influentiam in malos, qui eum pręceſſerunt. Ergo Antichriſtus non eſt caput malorum.

Sed contra eſt, quod Iob 21. ſuper illud Interrogate quemlibet de viatoribus dicit Gloſ * Dum de omnium malorum corpore loqueretur ſubito ad omnium iniquorum caput Antichriſtum verba conuertit. *Eſt gloſſ. Greg. lib. 15. Mor. ca. 28. in princip. ar. 1. huius q.*

Reſpōdeo dicendū quod, ſicut ſupra dictum eſt, † in capite naturali tria inueniuntur, ſcilicet ordo, perfectio, & virtus influendi. Quantum igitur ad ordinem temporis, non dicitur Antichriſtus eſſe malorum caput, quaſi eius peccatum præceſſerit ſicut præceſsit peccatum diaboli. Similiter etiā nō dicitur eſſe caput malorū propter virtutem influendi Etſi enim aliquos ſui temporis ad malū ſit conuerſurus exterius inducendo, non tamen illi, qui ante eum fuerunt, ab ipſo ſunt in malitiam inducti, nec etiam eius malitiam ſunt imitati. Vnde ſecundum hoc non poſſet dici caput omnium malorum, ſed aliquorum. Relinquitur ergo, quod dicatur caput omnium malorum propter malitiæ perfectionem. Vnde ſuper illud ſecundæ ad Theſſal. 2. Oſtendens ſe tanquā ſit Deus, dicit Gloſ. * Sicut in Chriſto omnis plenitudo diuinitatis inhabitauit, ita in Antichriſto omnis malitiæ plenitudo: non quidem ita quod humanitas eius ſit aſſumpta â diabolo in vnitatem perſonæ, ſicut humanitas Chriſti â filio Dei: ſed quia diabolus ſuam malitiam eminentius ei influet ſuggerendo, quam omnibus alijs. Et ſecundum hoc omnes alij mali qui præceſſerunt, ſunt quaſi quædam figura Antichriſti; ſecundum illud 2. ad Theſ. 2. Myſterium iam operatur iniquitatis. *gloſ. ord. ibid.*

Ad primum ergo dicendum, quod

quod diabolus & Antichriſtus non ſunt duo capita, ſed vnum: quia Antichriſtus dicitur eſſe caput, in quantum pleniſsime inuenitur in eo impreſſa malitia diaboli. Vnde ſuper illud ſecundæ ad Theſſ. 2. Oſtendens ſe tamquam ſit Deus, dicit gloſ. * In ipſo erit caput omnium malorum, ſcilicet diabolus, qui eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbię. Non autē dicitur in eo eſſe per vnionem perſonalem, nec per intrinſecam inhabitationem: quia ſola Trinitas menti illabitur, vt dicitur in lib. de Eccleſ. dogm. † ſed per malitię effectum.

gloſſ. ord. ibid.

** c. 83. inter opera Auguſt. tom. 3.*

Ar. 1. huius q.

Ad ſecundum dicendum, quod ſicut caput Chriſti eſt Deus, & tamen ipſe eſt caput Eccleſiæ; vt ſupra dictum eſt *) ita Antichriſtus eſt membrum diaboli, & tamen eſt caput malorum.

Ad tertium dicendum, quod Antichriſtus non dicitur caput omnium malorum propter ſimilitudinem influentię, ſed propter ſimilitudinem perfectionis. In eo enim diabolus quaſi malitiam ſuam ducet ad caput per modum, quo dicitur aliquis ad caput ſuũ propoſitum ducere, cùm illud perfecerit.

Conclusio eſt, Antichriſtus eſt caput omnium malorum, non quidem propter ordinem, ſeu temporis præcedentiam, nequè propter internum, aut externum influxũ, ſed ſolum propter excellentiam in malitia.

Circa has concluſiones duo dubia controuerti ſolent à Theologis.

Primum eſt: An ſupremus demon ſit caput omnium malorum, tam demonum, quàm hominum, tam viatorum, quàm damnatorum?

Secũdũ eſt: An Antichriſtus ſit caput ſimiliter omnium malorum, tam hominum, quam demonum inferiorum, quantum ad abundantiam, & excellentiam malitiæ?

Ad quæ eodem ordine eſt reſpondendum.

50 AD primum igitur dubium reſpondetur cõcluſione affirmatiua, quę ſtatuitur aduerſus Caiet. in preſentiarum aſſerentem, nullum demonem in particulari, etiam ſupremum eſſe caput malòrum, ſed concluſionem Diui Thom. ſolum verificari de tota collectione demonum. Et probatur primo, ex illo Iob 41. *Membra carnium eius coherẽtia ſibi*, vbi gloſſa Hieronym. & Gregor. explicant, membra diaboli (de quo ibi loquitur Iob) eſſe peccatorem, & idem docent Greg. homil. 16. in Euang. & lib. 15. mor. Epiſtol. 38. Auguſtin. Pſalm. 139, in illud: *Qui cogitauerunt ſuplantare.* Ambroſ. Pſalm. 47. in illud: *Latera aquilonis*, & Iſidor. lib. 1. ſententiarum, cap. 25. regul. 7. quæ eſt de diabolo, & eius corpere. & ex illo 2. ad Thimoth. 2. *Vt reſipiſcant à laqueis diaboli, à quo captiui tenentur ad ſuam ipſius volũtatem*: detinere autem eos captiuos ad ſuam voluntatem, eſt illos, tamquam ſubditos, & captiuos pro libito dirigere, ac moue-

Supremũ demonẽ in particulari eſſe caput omniũ malorum defferdum contra Caietanum.

re,

Digitized by Google

re,& ad Epheſ. 2. ait: Paulus de ſe,& alijs iuſtis: *Aliquando ambulaſtis ſecūdū principē poteſtatis aeris huius ſpiritus, qui nūc operatur in filijs diffidētiæ, in quibus, & nos aliquādo cōuerſati ſumus*: ſed eſſe principē eſt idem, atquè eſſe caput ſecundum exteriorem gubernationem: ergo.

Secundo probatur, quia inter demones datur vnus primus, cuius ſuaſione cæteri tētant ſingulos homines de ſingulis peccatis; vt docent Origen. homil. 15. in Ioſue, quod probat, quia ad Epheſ. 6. dicitur dari inter demones, principatus, & poteſtates, & Apocal. 12. dicitur: *Draco, & Angeli eius*, & ſæpè in Euangelijs vocatur aliquis princeps demoniorum: vt Matth. 9. & 12. & Luc. 11. & ita aſſerunt Hieronym. & Gloſſa in illud: Abach. 3. *Percuſiſti caput de domo impij*: quem etiam proprio nomine, inquit Hieron. Receph. appellari, & Iuſtus Orgelitanus Epiſcop. ſuper illud, Cant. 4. *Terribilis, vt caſtrorum acies*, inquit de ſupremo demonum: *Quanti tirani, & perſecutores vna cum authore ſuo diabolo conati ſunt Eccleſiæ virtutes dirumpere, & preualere nullo modo potuerunt, &c.* eſſe autem authorem idem eſt, atquè eſſe caput malorum ſecundum externam gubernationem: ergo.

51 Tertio probatur ratione, D. Thom. qua vtitur hic ad ſecundum dicens: quod in tantum diabolus eſt caput, quatenus eius peccatum fuit propoſitum omnibus ad ſequendum, quod quidam imitantur per ſuggeſtionem ipſius; quidam propria ſponte: ſed peccatum primi demonis, non ſolum fuit propoſitum hominibus, ſed etiam alijs demonibus: vt cōſtat ex eodem D. Thom. 1. part. quæſt. 63. art. 8. vbi hoc ipſum confirmat ex illo Math. 25. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius*: ergo ſupremus demon eſt caput omnium malorum, tam hominum, quàm demonum, per ſuggeſtionem, & exteriorem gubernationē. Quæ ratio amplius confirmatur, & declaratur, ex eo quod ad huiuſmodi rationem capitis ſufficit, quod omnes peccatores imitentur diaboli peccatum, & quod omnibus fuerit propoſitum ad imitādum: ſed non ſolum homines peccatores, ſed etiam demones inferiores imitantur peccatum ſupremi demonis: ergo eſt caput omnium illorum. Eo, vel maximè, quod ex hominibus peccatoribus, & demonibus, vtpotè ordinatis ad eundem finem conſtituitur vna res publica, & multitudo, cui proinde debet præficij vnum caput. Vnde etiam, idem D. Thom. in ſolutione ad ſecundum, dicti art. 7. concludit ex illo ſapientiæ ſecundo, quod inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum, quo ſignificatur peccata hominum fuiſſe, ex inuidia diaboli introducta, & ad eius imitationem: imitantur autem eum; qui ſunt ex parte illius: ideſt, qui ſunt quodàmodo membra illius: ergo.

Vltimo probatur ocurrendo tribus inconuenientibus, quæ videntur ſequi ex noſtra ſententia.

Primum eſt, quod ex eius influxu, & ſuaſione, ſcilicèt ſupremi demonis omnia peccata in hominibus prouenirent: nam hoc requiritur, vt ſit caput illorum, & non ſufficit qnod ſuggerat eis vnum, vel alterum peccatum: quod tamen eſt falſum: nam multa peccata comitunt homines, ſine diaboli ſuggeſtione: propterea enim dicitur Iacobi 1. *Vnuſquiſquè tenetur à concupiſcentia ſua, &c.*

Secundum eſt, quod aliàs etiam Adamus eſſet caput omnium hominum peccatorum, quia influxit in eis vnum peccatum, ſcilicèt originale, quia per illum, vt dicitur ad Roman. 5. intrauit in mundum originale peccatum: quod tamen eſt falſum: ſiquidem modo perfectè eſt membrū Chriſti, cum ſit beatus.

Tertium eſt, quod aliàs etiam ſupremus demon eſſet caput omnium fidelium etiam baptizatorum, quandiu exiſtunt in peccato mortali, ſiquidem tunc imitantur eius peccatum: quod tamen videtur eſſe contra illud, 1. Ioann. 5. *Omnis qui natus eſt ex Deo, &c. Malignus non tangit eum*: tangeret autem huiuſmodi baptizatos, ſi eſſent membra illius: tangeret inquam excitando eos ad peccandum.

52 Ad primum enim inconueniens reſpondetur, non ſequi ex noſtra ſententia, quia non opportet, quod primus demon ſuggerat hominibut omnia peccata, nequè ex hoc dependet, quod ſit caput eorum: nam certum eſt, quod primus Angelus peccauit, ſine aliena ſuggeſtione: ergo idem poterit homo: alias fortior eſſet homo ad non peccandum, quam Angelus, cōtra illud Iob 40. *Qui ſeruiunt ei non ſunt ſtabiles, quanto magis, qui habitant domus luteas*: Ac proinde ſufficit ad rationem capitis, quod ſuggerat eis vnum, aut alterum peccatum, & influat in cætera,

per

per exemplum, & imitationem, quando habet excellentiam malitiæ. Secus tamen, quando ſuggerit vnum, aut alterum peccatum, & nullo modo influit in cætera: nequè habet excellentiã malitiæ, & quia Adamus iſto modo influit nobis vnum tantum peccatum, & non habet excellentiam malitiæ, ideò non eſt caput malorum, ſicut demon, qui influit in omnia modo prædicto, & habet malitiæ excellentiam. Quo verò pacto Adamus, qui eſt per ſe membrum Chriſti, cum ſit beatus, ſit aliquo modo caput malorum, & ſecundum quid; facile explicatur, ſi dicamus, quod vt caput naturæ peccans, fuit caput malorum, eſt autem membrum Chriſti ſecundum gratiam, & beatitudinem perſonalem. Ex quo patet ad ſecundum inconueniens, quod nequè ſequitur ex noſtra ſententia, quia ex illa non probatur Adamum non fuiſſe ſimpliciter caput omniũ malorum hominum. Idque ſuadetur primò: quia non fuit caput Euæ, vt peccantis, quia nequè ſuggeſtione, nequè exemplo influit in eius peccatum.

Secundo teſte D. Thom. 2. 2. quæſt. 163. art. 3. eius peccatum non fuit grauius cæteris: ergo. Probatur conſequentia, quia in capite debet reperiri ſumma perfectio totius corporis.

Tertio, quia ex intentione non dirigit omnes actus peccatorum in ſuum finem: hoc autem requiritur ad eſſe capitis ſecundum exteriorem gubernationem, vt docet D. Thom. hic. Antecedens patet, quia licèt in primo actu, quem habuit vt caput naturæ habuerit intentionem auertendi nos à Deo per peccatum naturæ, non tamen intendebat nos ab illo ſeparare, per peccata perſonalia, & prætereà modo iam retractauit illam voluntatem, quantum potuit; dixi *ſimpliciter*, quia aliquo modo, & ſecundum quid eſt caput omnium noſtrum quatenus, vt partes naturæ ex eius influxu originale peccatum contrahimus. Dixi etiam, *omnium*, nam reſpectu paruulorum decedentium cum ſolo originali Adamus eſt immediatum caput morale; demon autem eſt caput mediatum eorum, quatenus fuit caput immediatum Adami, vt comitentis primum peccatum.

53 Ad tertiũ verò licet, Ioannes Hus relatus, & damnatus in Cõcilio Cõſtantienſi, Seſſ. 15. dixerit prædeſtinatos, quantumuis peccatores non eſſe membra diaboli. Similiter, quamuis Iobinianus relatus, & refutatus à Hieronymo in lib. cõtra ipſum dixerit baptizatos nullo modo tentari à demone, nequè eſſe membra illius, quantumuis peccatores, tamen oppoſitum tenet Catholica fides, Paulus enim vbiſupra ad Epheſ. 2. de ſe ipſo fatetur, aliquando fuiſſe ſub illo Principe, ſcilicèt diabolo, & tamen fuit prędeſtinatus: & de Adamo, qui etiam fuit prædeſtinatus, determinat Conciliũ Tridentinũ, Seſſione 5. quod tempore ſui peccati, fuit ſub imperio, & poteſtate dæmonis: ac proinde tamquam eius membrum. Vnde ad argumentum aductum admittenda eſt ſequela, & neganda minor, ad cuius prob. reſpondetur teſtimouium, illud Ioannis, triplicem habere expoſitionem. Prima eſt Cirili, lib. 2. de fide ad Reginas, dicentis; quod demon non tangit baptizatos, quia eſt multo inferior viribus eorum, poſtquã à Chriſto eſt deuictus, & eius virtus per baptiſmum communicatur fidelibus. Secunda eſt, quod non tangit illos ſubijciendo eos, quatenus nati ſunt ex Deo in ſenſu compoſito, ſed ſi ſubijcit eos, id contingit quatenus non operantur ex inclinatione gratiæ, & quatenus nati ex Deo. Tertia eſt, quod non tangit ſaltem in fine vitæ natos ex Deo, hoc eſt prædeſtinatos, qui per æternam prædeſtinationem naſcuntur ex Deo, & dicuntur non tangi in fine vitæ à demone: quia vltimatè agent pœnitentiam.

54 AD ſecundum dubium, vt certa ab incertis ſeparemus ſuppono primo cum Diu. Thom. in corpor. huius articul. ſcilicèt ex tribus conditionibus ad veram rationem capitis in naturalibus, & proportionabiliter requiſitis ad methaphoricum caput in moralibus, ac politicis: quæ ſunt ordo, cauſalitas, & eminentia; in AntiChriſto, nequè reperiri ordinem durationis: quia ante ipſum multi extiterunt mali, nequè reperiri cauſalitatem, quia nullam cauſalitatem potuit habere phiſicam, aut moralem per ſuggeſtionem, & extrinſecam gubernationem reſpectu eorum, qui ipſum tempore preceſſerunt, ſed ſolã tertiam cõditionem, nimirum eminentiam in malitia poſſe in illo reperiri: & cauſalitatem ſolum reſpectu eorum, qui tempore ei coexiſtent, ac proinde dum in- *Senſus, & ſtatus quæſtionis expenditur.*

qui-

quirimus in tit.dubij: an Antichriſtus ſit caput omnium malorum; non intelligimus de capite ſecundum ordinem durationis, aut ſecundum cauſalitatem reſpectu omnium: ſed dumtaxat de capite ſecundũ tertiam conditionem, hoc eſt ſecundum eminentiam malitiæ.

Suppono ſecundo, quod facta comparatione ad homines malos, citra dubium eſt Antichriſtũ eſſe caput omnium eorum ſecundum hanc tertiam conditionem, quia proculdubio omnes in malitia excedet: & ſimiliter citra dubium eſt, quod reſpectu ſupremi demonis, non habet hanc eminentiam, vtpote à quo in malitia ſuperabitur, ac proinde cum illo non fit comparatio: neque de hoc eſt controuerſia, ſed ſolum facta comparatione ad cæteros demones inferiores. Vnde ſenſus tituli dubij eſt: Vtrùm Antichriſtus ſit caput omnium malorum, non ſolum hominum, ſed etiam demonum inferiorũ quoad eminentiam malitiæ, ita vt eos in malitia ſuperet? In quo diuiduntur theologi in duas ſententias.

Proponitur opinio Suarij, & maluendæ affirmantium Antichriſtum demones omnes, citra ſupremũ in malitia ſuperare.

55 Prima affirmans eſt: quam tuentur Suarius hic Cabrera, & Maluenda lib. 10. de Antichriſto, cap. 1. & ſuadetur primo: quia Antichriſtus eſt caput demonum aliquo modo, & ſecundum aliquã conditionem ex aſsignatis: ſed non ſecundum temporis præcedentiam, neque ſecundum influentiam cauſalitatis, vel imitationis: quia ante ipſum mali extiterunt: ergo eſt caput illorum ſecundum præcedentiam in malitia: quia nimirum eos in malitia ſuperat. Minor cum conſequentia eſt nota, & Maior probatur, tum ex eo quod D. Thom. in art. 8. abſolutè, & ſine limitatione dicit: quod Antichriſtus eſt caput omnium malorum propter malitiæ perfectionem: ſignum autem iſtud diſtributibum, etiã, diſtribuit pro demonibus.

Tum, etiã quia id clare indicat, titulus articuli, qui ſic habet. *Vtrùm Antichriſtus poſsit etiam dici caput omnium malorum?* Vbi hæc dictio copulatiua, *etiam*, inſinuat ſimilitudinem: nimirũ, ac ſi diceret. Vtrũ, ſicut diabolus eſt caput omnium malorũ, ita ſimiliter ſit caput Antichriſtus. De diabolo autem D. Thom. dixerat art. præcedenti eſſe caput omnium malorum, tam hominum, quam demonum: ergo.

Secundo probatur, ex Gloſſa 2. ad Theſal. 2. vbi dicitur, quod ſicut in Chriſto habitauit plenitudo diuinitatis, ita plenitudo iniquitatis in Antichriſto; hoc enim inſinuat Paulus dum ait, quod eſt homo peccati, & quod eius aduentus futurus eſt ſecundum operationem Satanæ, & quod extolletur ſupra omne, quod dicitur Deus; vt Gloſſ. ibi interpætatur, & D. Thom. lect. 1. circa finem ſubdit: *Sicut Chriſtus eſt melior omnibus ſanctis, ſic ille eſt peior omnibus malis, & propter hoc homo peccati dicitur*: & poſt pauca cõcludit, *quod quantum ad actum non poterit eſſe peior*: Sed Chriſtus excellit in ſanctitate, non ſolum homines, ſed Angelos: ergo, & Antichriſtus in malitia demones ſuperabit.

56 Tertiò, nam in ordine gratię, & in gradu ſanctitatis aliqua natura humana eleuata eſt ſuper Angelos, vt Beata Virgo, quæ omnes Angelos in ſanctitate ſuperat: nec non de Apoſtolis, & aliquibus ſanctis diximus in materia de charitate, quæſt. 24. art. 7. ſuperare in gratia, & ſanctitate, nedum in patria, ſed etiam in via exiſtentes plures ex Angelis: ergo pariformiter in ordine malitiæ aliqua natura humana eleuanda eſt ſupra demones. Conſequentia patet aparitate rationis, & videtur indicari à D. Thom. in loco nuper citato in illa comparatiua; ſicut Chriſtus eſt melior, ſic Antichriſtus eſt peior. Quartò idem amplius vrgetur: ex eo quod propter ea homo poteſt Angelos ſuperare in gratia: quia huius augmentum obtinetur ex auxilio Dei gratuito, cui proinde proportionatur, & non viribus naturæ. Poteſt autem inferiori naturæ, vt humanæ, conferre maiora auxilia gratuita, quàm Angelicæ, & ideo poterit natura humana, maius augmentum gratiæ obtinere, quam Angelica: ſed eadem ratio videtur militare reſpectu malitiæ: nam etiam incrementum malitiæ obtinetur ex ſubtractione auxiliorum Dei, qui poteſt plura, & maiora auxilia ſubtrahere homini, quam demoni: ergo Antichriſtus poterit, propter huiuſmodi auxiliorum ſubtractionem habere maius incrementum malitiæ, quam demones ſaltem citra ſupremum.

Confirmatur dupliciter. Primò: nam ſicut actus feruentior procedit ex collatione auxilij diuini, ita malitia peior ex ſubtractione talis auxilij: ergo ſicut poteſt Deus conferre maius auxilium inferiori naturæ humanę, vt feruentiorem actum eliciat, quam Angelo, ita & poterit ſubtrahere magis ſuum cõcurſum ab hac,

vt vehementiùs inclinetur ad malum quã Angelus, vt ſicut in ordine gratiæ homines ſuperant Angelos, ita in ordine malitię. Antecedens eſt notum, ita vt ſicut augmentum actus ex augmento auxilij prouenit: ita augmentum malitiæ ex eius denegatione. Conſequentia ſolum oſtendere intendit, quod ſicut in ordine gratiæ non attenditur diſparitas naturæ, neque in ordine malitię eſt neceſſario attendenda, & ſic ad huius deciſsionem, non ad principia naturæ eſt recurrendum. Sed eſto, ad hæc ſit recurrendum, obeſt, ſecundum in quo hominum vehementius inclinari ad malum probatur ex D. Thom. 1. part. quæſt. 63. art. 4. ad 2. dicente quod malitia aliquorum hominum poteſt dici naturalis, vel propter cõſuetudinem, quæ eſt altera natura, vel propter naturalem inclinationem ex parte naturæ ſenſitiuæ ad aliquam in ordinatam paſsionem, ſicut quidam dicuntur naturaliter iracundi, vel concupiſcentes; non autem ex parte naturæ intellectualis, ſcilicèt Angelorum; ſed inclinatio naturalis, vel conſuetudinis, vehementior eſt, quàm inclinatio electionis: ergo vehementior erit inclinatio hominis ad peccatum, quam Angeli; quia ille ex natura, & conſuetudine tendit, & iſte ſolum ex electione, vt in art. 1. huius quæſtionis dicit D. Thom.

Confirmatur ſecundo, potentia ad peccandum eſt defectus potentiæ (qua ratione negatur Chriſto, & Deo) ſed quanto fuerit aliqua potentia perfectior tanto habebit minus de defectu: ergo quanto ſuperior eſt natura Angeli, quam hominis, tanto minus habet de potentia ad peccandum: & conſequenter minus de inclinatione ad peccatum.

57 Quinto, & vltimo probatur, quia demones non creuerunt in malitia: eo quod in primo inſtanti ſui peccati toto ſuo conatu Deum contempſerunt; Antichriſtus autem plurima, & grauiſsima peccata committet, per quæ creſcet in malitia: ergo poterit ſuperare malitiam demonum, ſaltem citra ſupremum. Conſequentia patet: nam licèt Angelus maiori conatu, quam homo ſe conuertit in Deum, nihilominus homo multiplicando merita ſua in via poteſt, per huiuſmodi ſui conatus multiplicationem peruenire ad maiorem gratiam, & gloriam, quam Angelus: ergo ſimiliter licet homo vnico conatu non poſsit adequare malitiam demonis, tamen Antichriſtus multis, & grauiſsimis peccatis poterit illam excedere. Quæ ratio amplius confirmatur, ex eo quod in ſtatu damnationis, aliqui homines ſunt peiores, & magis damnati, quam aliqui demones: nam teſte D. Thom. 1. part. quæſt. 108. articul. 8. ad 3. ſicut aliqui homines iuſti aſſumuntur ad maiorem gloriam, quam aliqui Angeli, ita & aliqui homines, mali aſſumuntur ad maiorem penam, quam demones: quod eſt ſignum maioris culpæ: ergo nihil mirum, quod Antichriſtus ſit peior, & ad maiorem damnationem aſſumendus, quam cæteri demones.

Secunda ſententia eſt Caietan. hic in preſenti, & Nazarij controuerſia vnica, & Valentiæ aſſerentium Antichriſtũ eſſe caput tantum hominum, non demonum; & quia hæc eſt veritati ac doctrinæ Angelici Doctoris conformior, proinde à nobis ſtatur pro concluſione, & probatur primo, ex D. Thom. 1. part. queſtion. 63. articul. 8. ad 3. dicente, quod Angelus non habet aliquid retardans, ſed ſecundum totam ſuam virtutem mouetur in illud ad quod mouetur, ſiue in bonum, ſiue in malum: quia ergo ſupremus Angelus maiorem habuit naturalem virtutem, quàm inferiores, intenſiori motu in peccatum prolapſus eſt, & ideo factus eſt etiã in malitia maiori. Ex quibus duplex colligitur ratio, prima, Angelus non habet aliquid retardans in ſua operatione ad differentiam hominis, qui cum ſit compoſitus ex diuerſis naturis: vna alteram retardat, qua ratione ibi, quæſtion. 62. articul. 6. aſſeruit quod gratia, & gloria eis fuit collata ſecundum differentiam naturarum. Ita vt perfectiori naturæ perfectior gratia, & gloria conferatur: ergo in quocumque peccato operatur ſecundum maiorem intenſionem, quam homo. Secunda ratio: ex eo infert D. Thom. Angelum ſuperiorem eſſe etiam in malitia ſuperiorem, quia erat ſuperioris naturæ, & vehementioris inclinationis, ſed etiam quilibet demon, eſt ſuperioris naturæ Antichriſto, & vehementioris inclinationis: ergo maioris malitiæ, aliàs conſequentia D. Thom. eſſet nulla.

Præfertur ſententia Caiet. negantis maiorem malitiam Antichriſto ſupra demones.

58 Secundo principaliter probatur, licèt verum ſit, quod homo poſsit excedere demonem in malitia, ſicut, & Angelus inferior poteſt excedere ſuperiorem in gratia, tamen congruus ordo re-

rum

rum poſtulat, vt eleuatiori naturæ ſuperior gratia conferatur: ergo à fortiori idē ordo poſtulauit, vt in ſuperiori natura ſuperius ſit peccatum: quia iſte ordo licet acomodetur naturis, tamen eſt ſupra illas; at ordo malitiæ non eſt ſupra, ſed ex virtute naturali deriuatur: ergo ſicut naturæ ſuperiori contulit potentias naturales ſuperiores, ita, & permiſsiones maiores ad peccandum.

Tertiò probatur, quia Antichriſtus non eſt caput ſupremi demonis, propter perfectionem malitiæ, vt etiam admitunt aduerſarij, ex eo quod ſupremus demon ſuggeret illi omnem ſuam malitiam: & etiam quia vt habet D. Th. hic ad 2. Antichriſtus eſt caput malorum ſubordinatum diabolo: cui tamen non ſubordinaretur ſi eſſet peior illo: ſed ob eandem rationem, nequè poteſt eſſe peior alijs demonibus inferioribus, vtpotè, quia in illos non influet Antichriſtus, nequè eos gubernabit, ſed èontra ab eis dirigetur, eorum dominio ſubijcietur, ac ſuggeſtionibus acquieſcet, vt dicitur 2, ad Theſalonic. 2. & incredibile ſit illum in intenſione malitiæ demones ſuperaturum, quorum erit inſtrumentum: maximè quia habiturus eſt quēdam demonem dictum, *Maozim*, pro duce & ſocio in omnibus, vt oſtendimus, queſt. 1. de fide art. 10 & colligit idem Maluēda de Antichriſto lib. 7. cap. 12. ex illo Danielis 11. *Deum autem Maozim in loco ſuo venerabitur, & Deum quem ignorauerunt patres eius colet auro, & argento.* Ideſt, adorabit quendam demonem appellatum, *Maozim*, qui interpretur, *Deus fortis*, & eum colet in altari auri, & argenti: cum quo familiariter loquetur, & à quo in omnibus dirigetur.

Occurritur fundamētis prioris ſententiæ.

59 Ad primum reſpondetur, neg. mai. & ad primā prob. dico quod D. Th. in art. 7. conſtituit demonem caput demonum, non tamen ſequitur ex ly, *etiam*, poſita in hoc articulo, quod ſit caput Antichriſtus demonum; ſed ly, *etiam*, diſtributionem acomodam indicat, & eſt ſenſus: an ſicut demon eſt caput Angelorum malorum, ita Antichriſtus ſit caput malorum hominum.

Ad ſecundam reſpondetur, quod cōparatio illa D. Th. *Sicut Chriſtus, &c* non tenet in omnibus alijs, ſicut enim nulla creatura excedit in bonitate Chriſtum, nequè princeps demoniorum excedet in malitia Antichriſtum; intelligitur ergo, vt dictū eſt in ſuo ordine, ideſt, reſpectū hominū, quod non leuiter inſinuauit, D. Th. dum ſubdens probationē ſuæ cōparationis ait; Chriſto autē nullus homo potuit eſſe magis bonus: ad denotandū, quod exceſſus malitiæ Antichriſti eſt ſolū ſupra homines: aliàs ſi in ſua cōparatione intenderet quod excederet demones; inſufficientem probationem aſſumeret.

Ad ſecundū reſpōdetur cōcedēdo Antichriſtū nō poſſe in actu eſſe peiorē: habebat tamē ad hoc potētiā, vt ibidē dicit D. Th. Quare dicēdū eſt, illas cōparationes intelligēdas fore de Antichriſto in ordine ad cæteros homines, nō tamē in ordine ad demones. Ad tertiū admiſſo antecedēti nego cōſequētiā, quia in ordine gratiæ incremētū in hominibus non correſpōdet conatui naturæ, ſed perfectioni donorū, & efficacię auxiliorū, quæ poſſunt maiora cōmunicari hominibus quā Angelis: incremētū autē malitiæ correſpōdet conatui naturæ ſupoſita ſubtractione auxilij diuini, ac proinde cū demones maiori conatu ferantur in malum deſtituti auxilijs diuinis quā homines, ideo iſti nō poſſunt naturaliter loquēdo adequare illos in malitia. Ad 4. patet ex eadē ſolutione. Ad 1. confirmatio. nego antecedens pro 2. p. malitia enim nō creſcit ex ſubtractione auxilij, vt ex principio formali, ſed ex praua voluntatis inclinatione, & eius conatu ſupoſita ſubtractione auxilij, aut ſimul concurrente tanquā cōditione. Nequè opoſitū conuincitur ex teſtimonio aducto, D. Th. eo quòd licèt inclinatio cōſuetudinis ſeu naturæ ſenſitiuæ ſit fragilior, & efficacior cæteris paribus: non tamen quando cætera nō ſunt paria, ſicut reuera non ſunt facta cōparatione cū Angelica natura, cuius inclinatio, & conatus ad malū propter carentiam impedimenti retardantis eſt ſimpliciter vehementior.

Ad ſecūdā nego cōſequētiā: nā ſicut ratio potentiæ deffectibilis, & vertibilis in malū eſt perfectior in Angelo viatore quā in homine, ita, & potētia peccandi in illo fuit maior, & vehemētior quoad actū, & cōſequēter in termino ad maiorē malitiam & damnationem peruenit.

60 Ad quintū reſpōdetur, quod ſi aliquid cōuinceret, pariter cōuinceret Antichriſtū excedere pariter in malitia ſupremū demonū, ſed ſicut hoc nō cōuincit, ita neq; cōuincit exceſſū malitię in Antichriſto reſpectu inferiorū demonū. Vnde ad eius

Z for-

formam, vel admiſſa maio. & mino. neganda eſt conſequentia, vel etiam neganda eſt maior, eo quod etiam peccata demonum damnatorum creſcunt; & multiplicantur, quia teſte D. Thom. 2. 2. queſt. 13. art. 4. ad 2. illa peccata quæ habent damnati ſunt pœna, & pertinent ad ipſorum damnationem, & ideo ſic puniũtur illis peccatis, quæ in termino damnationis comitunt propter peccatum, quod à principio comiſſerunt: vnde ſequitur quod illud fuerit maius intenſiue omnibus peccatis ab Antichriſto comiſsis in via, ſiquidẽ tot peccatis, & eorum pœna puniũtur in termino damnationis; & inſuper ſuperbię peccatum, & inuidiæ, quod habuerunt à principio virtualiter continet omnia peccata, & mala, quæ omnibus ſuggerunt: ac proinde intenſiue excedit illa in malitia.

Cum igitur demones à principio toto conatu conuerſi fuerint in malum, & auerſi à Deo per affectũ ſuperbiæ, & inuidiæ, in quo omnia alia peccata quæ in termino damnati addiderunt, quia ſuperbia eorum ſemper aſcendit; continentur virtualiter, & eminenter, ſicut effectus in cauſa, & pœna in culpa: propterea poteſt admitti maior argumenti, nimirum quod non creuerint in malitia ſaltem intenſiue: poteſt etiam negari maior, quia propter peccata ſuper addita in ſe ipſis, & in hominibus ſuggeſta creuerunt in malitia ſaltem extenſiue: ad quam tamen nuſquam poterit malitia Antichriſti peruenire: non quidem propter ſolam rationem Caietan. quæ vt iacet ſolum probat malitiam demonis exiſtentis in termino ſuperare quidem malitiam cuiuſcumque viatoris, quantum ad perfectionem, vel exceſſum accidentalem, nimirum obſtinationis, firmæ adheſionis, & inamiſsibilitatis: quo pacto etiam quilibet beatus, quia eſt confirmatus in bono excedit quemcumque ſanctum, viatorem: in quo ſenſu dicitur Math. 11. quod minor in regno cœlorum, eſt maior Ioanne Baptiſta: cum quo tamen ſtat, quod quantum ad eſſentialem ſanctitatem, & intenſionem gratiæ, & charitatis habitualis excedatur aliquis beatus ab alio ſancto viatore, vt in dict. art. 7. quæſtion. 24. de charitat. latius oſtendimus: & pariter quoad eſſentialem malitiã, & eius intenſionem gradualem poſſet damnatus excedi à viatore: nec non demones inferiores poſſent excedi ab Antichriſto ex meritis huius rationis aſſumptæ à Caiet. niſi iuxta ſubiectam materiam aliunde, hoc eſt ex alijs rationibus adiunctis repugnaret, nimirum ex ratione perfectioris naturæ in demonibus, vehementioris conatus, & expeditioris, ſcilicet à nullo impedimento retardati, quibus commenſuranda eſt malitia, ſuppoſita æquali diuinorum auxiliorum ſubtractione, vt dictum eſt.

Ad confirmationem dicendum eſt falſum eſſe antecedens, ad cuius probationem reſpondetur, quod D. Thom. in eo loco, vt ſcite aduertit Caietan. non dicit aliquos homines damnatos fieri peiores aliquibus demonibus, ſed tantum quod aliqui homines mali aſſumuntur ad pœnam demonum: quem ad modum, & aliqui homines boni aſſumuntur ad ordines Angelorum, quoad præmium: quod non eſt intelligendum cum omnimoda ſimilitudine, ſed cum aliquali dumtaxat, nam de hominibus bonis verificatur aliquos aſſumi ad maiorem gloriam, quam Angeli, vt de beata Virgine, & de alijs aſſumi ad æqualem, & de alijs aſſumi ad minorem. De hominibus autem malis, ac damnatis neutiquam verificatur aſſumi ad maiorem, vel æqualem pœnam cum demonibus, quoad gradualem intenſionem, ſed tantum aſſumi ad pœnam demonum eiuſdem quidem rationis, quoad eſſentialia: atque etiam eiuſdem ordinis, quoad ſtatum obſtinationis, & inamiſsibilitatis.

(∴)

QVAES-

QVAESTIO IX.

De ſcientia animæ Chriſti, in quatuor articulos diuiſa.

DVO præcipit Philoſophiæ Princeps pro debito doctrinæ ordine ſeruando à primè neceſſaria: alterum lib. 1. Phyſicorum, textu 4. cap. 1. nimirum à communioribus: & alterum lib. 1. poſteriorum, cap. 1. textu 2. videlicet à quæſt. an res ſit in vnaquaquè doctrina eſſe incipiendum, quibus præceptis obtemperans Angelicus Doctor, in hoc tractatu de ſcientia animę Chriſti, primam quęſtionem inſtituit: in cuius priori articulo de ſcientia creata abſtractè ſumpta, vt ſic à communioribus exordiatur, determinat illam fuiſſe in anima Chriſti: in tribus autem poſterioribus, vt quæſtioni an ſit? plene ſatisfaciat ſpeciatim determinat ſcientiam triplicem, ſcilicèt beatam, inditam, & acquiſitam in anima Chriſti fuiſſe.

ART. I.

Vtrùm Chriſtus habuerit aliquam ſcientiam, præter diuinam.

2. d. 14 a. 2. q. 1. Et ver. q. 20. art. 2. & opuſc. 3. c. 223.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod in Chriſto non fuerit aliqua ſcientia præter diuinam. Ad hoc enim neceſſaria eſt ſcientia, vt per eam aliqua cognoſcantur. Sed Chriſtus per ſciētiam diuinam cognoſcebat omnia. Superfluum igitur fuiſſet quod in eo eſſet alia ſcientia.

2 Prætera, Lux minor per maiorem offuſcatur. Sed omnis ſcientia creata comparatur ad ſcientiam Dei increatam, ſicut lux minor ad maiorem. Ergo in Chriſto nō refulſit alia ſcientia, quam diuina.

3 Præterea, Vnio humanæ naturę ad diuinā, facta eſt in perſona, vt ex ſupra dictus patet. * Ponitur autē in Chriſto ſecundum quoſdam quędā ſcientia vnionis: per quam ſcilicet Chriſtus ea quæ ad myſterium incarnationis pertinēt, plenius ſciuit, quā aliquis alius Cum ergo vnio perſonalis contineat duas naturas, videtur quod in Chriſt nô ſint duæ ſcientiæ, ſed vna tantum ſcientia pertinens ad vtramque naturam. *q. 2. art. 2.*

Sed contra eſt, quod Ambroſius dicit in lib. de incar. * Deus in carne perfectionem naturæ aſſumpſit humanę: ſuſcepit ſenſum hominis, ſed non ſenſum carnis inflatum. Sed ad ſēſum hominis pertinet ſciētia creata. Ergo in Chriſto fuit ſciētia creata. ** cap. 7. à med. to. 2.*

Reſpondeo dicēdum, quod ſicut ex ſupra dictis patet, † filius Dei humanam naturā integram aſſumpſit, id eſt, non ſolum corpus, ſed etiam animam: non ſolum ſenſitiuam. ſed etiam rationalem. Et ideo oportuit quod haberet ſciētiam creatā, propter tria. Primo quidem propter animę perfectionem, Anima enim ſecūdum ſe conſiderara eſt in potentia ad intelligibilia cognoſcenda. Eſt enim *† quæſt. 5.*

ſicut tabula, in qua nihil eſt ſcriptũ: & tamen poſsibile eſt in ea ſcribi, propter intellectum poſſibilẽ, in quo eſt omnia fieri, vt dicitur in 3 de Aniͫ. *
*text. 18 tom. 2. Quod autẽ eſt in potentia, eſt imperfectum, niſi reducãtur ad actum. Nõ autem fuit conueniens, quod filius Dei humanam naturam imperfectã aſſumeret, ſed perfectam: vtpote qua mediante, totum humanum genus ad perfectum erat reducẽdũ. Et ideo oportuit, quod anima Chiſti eſſet perfecta per aliquã ſciẽtiã, quæ eſſet propria perfectio eius. Et ideo oportuit in Chriſto eſſe aliquã ſciẽtiã præter ſcientiam diuinam: alioquin anima Chriſti eſſet imperfectior animabus aliorũ hominum. Secũdo, quia cum quælibet res ſit propter ſuam operationem, vt dicitur in 2. de cęlo
*text. 17 tom. 2. * fruſtra haberet Chriſtus animam intellectiuam, ſi nõ intelligeret ſecũdum illam: quod pertinet ad ſciẽtiã creatam. Tertio, quia aliqua ſcientia creata pertinet ad animæ humanæ naturam, ſcilicet illa, per quam naturaliter cognoſcimus prima principia: ſcientiam enim hic large accipimus pro qualibet cognitione intellectus hnmani Nihil autem naturaliũ Chriſto defuit: quia totam humanã naturã ſuſcepit, vt ſupra dictum eſt.
q. 5. & 6. * Et ideo in ſexta Synodo damnata eſt poſitio negantium in Chriſto eſſe duas ſcientias, vel duas ſapientias.

Ad primum ergo dicẽdum, quod Chriſtus cognouit omnia per ſciẽtiã diuinã, operatione increata quæ eſt ipſa eſſentia: Dei enim intelligere eſt ſua ſubſtãtia, vt probat Philoſ. 12. metaph.
*text. 39 tom. 3. * Vnde hic actus nõ potuit eſſe animæ Chriſti, cum ſit alterius naturæ: Si igitur non fuiſſet in anima Chriſti aliqua alia ſcientia præter diuinã, nihil cognouiſſet: & ita fuiſſet fruſtra aſſumpta, cum omnis res ſit propter ſuam operationem.

Ad ſecundum dicendum, quod ſi duo lumina accipiantur eiuſdem ordinis, minus offuſcatur per maius: ſicut lumen ſolis offuſcat lumen candelæ, quorum vtrumque accipitur in ordine illuminantis. Si vero accipiantur duo lumina, ita quod maius ſit in ordine illuminantis, & minus in ordine illuminati: minus lumen nõ offuſcatur per maius, ſed magis augetur: ſicut lumen aeris per lumen ſolis. Et hoc modo lumẽ ſcientiæ non offuſcatur, ſed magis clareſcit in anima Chriſti per lumen ſcientiæ diuinæ, quæ eſt lux vera illuminans omnem hominem venientẽ in hunc mundum, vt dicitur Io. 1.

Ad tertium dicẽdũ, quod ex parte vnitorum ponitur ſciẽtia in Chriſto, & quantum ad naturam diuinã & quantũ ad humanã: ita quod propter vnionem, ſecundum quam eſt eadem hypoſtaſis Dei & hominis, id quod eſt Dei, attribuitur homini; & id quod eſt hominis, attribuitur Deo vt ſupra dictum eſt. * Sed ex parte ipſius vnionis non poteſt poni in Chriſto aliqua ſcientia. Nam vnio illa eſt ad eſſe perſonale: ſcientia autem non conuenit perſonæ, niſi ratione alicuius naturæ. q. 3. ar. in arg. reſpon.

Concluſio affirmans eſt cuius rationes dub. 1. relinquuntur examinandę.

ART. II.

Vtrùm Chriſtus habuerit ſciẽtiam, quam habent Beati, vel comprehenſores?

AD ſecundum ſic proceditur Videtur, quod in Chriſto non fuerit ſcientia Beato Inf. ar. 3. co. & q. 3 c. 223.

to

torum, vel comprehenſorum. Sciẽtia enim Beatorum eſt per participationem diuini luminis: ſecundum illud Pſal. 35. In lumine tuo videbimus lumen. Sed Chriſtus non habuit lumen diuinum tanquam participatum, ſed ipſam diuinitatem in ſe habuit ſubſtantialiter manentem: ſecundum illud Coloſſ. 2. In Chriſto inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Ergo in Chriſto non fuit ſcientia Beatorum.

2 Præterea, Scientia Beatorum eos beatos facit, ſecundum illud Io. 17. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Sed homo ille fuit beatus ex hoc ipſo, quod fuit Deo vnitus in perſona: ſecundum illud Pſal. 64. Beatus quem elegiſti, & aſſumpſiſti. Non ergo oportet ponere in ipſo ſcientiam Beatorum.

3 Præterea, Scientia duplex homini competit: vna ſecundum ſuam naturam, alia ſupra naturam. Scientia autem Beatorum, quę in diuina viſione conſiſtit, non eſt ſecundum naturam hominis: ſed ſupra eius naturam. In Chriſto autem fuit alia ſupernaturalis ſcientia multo altior, ſcilicet ſcientia diuina. Non ergo oportuit in Chriſto eſſe ſcientiam Beatorum.

Sed contra, Scientia Beatorum in Dei cognitione conſiſtit. Sed ipſe plene cognouit Deum, etiam ſecundum quod homo: ſecundum illud Ioan. 8. Scio eum & ſermonem eius ſeruo. Ergo in Chriſto fuit ſcientia Beatorum.

Reſpondeo dicendum: quod illud, quod eſt in potentia, reducitur in actum per id, quod eſt actu: oportet enim eſſe calidum id, per quod alia calefiunt. Homo autem eſt in potentia ad ſcientiam Beatorum, quæ in Dei viſione conſiſtit, & ad eã ordinatur ſicut ad finẽ: eſt enim creatura rationalis capax illius beatæ cognitionis, in quantum eſt ad imaginem Dei. Ad hunc autem finem beatitudinis hominis reducuntur per Chriſti humanitatem, ſecundum illud Heb. 2. Decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſumari. Et ideo oportuit quod cognitio beata in Dei viſione conſiſtens, excellentiſsime Chriſto homini conueniret: quia ſẽper cauſam opportet eſſe potiorem cauſato.

Ad primum ergo dicendum, quod diuinitas vnita eſt humanitati Chriſti ſecundum perſonam, non ſecundum eſſentiam, vel naturam. Sed cum vnitate perſonæ remanet diſtinctio naturarum. Et ideo anima Chriſti, quę eſt pars humanæ naturæ per aliquod lumen participatum à natura diuina, perfecta eſt ad ſcientiam beatam, qua Deus per eſſentiam videtur.

Ad ſecundum dicendum, quod ex ipſa vnione homo ille eſt beatus beatitudine increata, ſicut ex vnione eſt Deus. Sed pręter beatudinem increatam opportuit in natura humana Chriſti eſſe quamdam beatitudinem creatam, per quam anima eius in vltimo fine humanę naturæ conſtitueretur.

Ad tertium dicendum, quod viſio, ſeu ſcientia beata eſt quodammodo ſupra naturam animæ rationalis, in quantum ſcilicet propria virtute ad eam peruenire non poteſt. Alio vero modo eſt ſecũdum naturam ipſius, in quantum ſcilicet ſecũdum naturam ſuam eſt capax eius, prout ſcilicet eſt ad imaginem Dei facta: vt ſupra dictum eſt. * Sed ſcientia increata, eſt omnibus modis ſupra naturam animæ humanæ. *in corp. a.*

CONcluſio eſt affirmatiua, cuius ratio eſt, quia ea quæ ſunt in potentia non reducuntur in actum, niſi per cauſam quæ eſt in actu: homines autem viatores reducuntur in actum viſionis Beatæ per Chriſtum, vt hominem, quatenus humanæ ſalutis conſumatorem, teſte Paulo ad Hæbr. 2. ergo cõueniens fuit Chriſtum, vt hominẽ, etiã in via actu viſionis Beatæ gaudere. Quæ cõcluſio communiter recipitur à Theologis cum Magiſtro in 3. diſt. 14. aſſerentibus animam Chriſti in ſtatu viæ ab inſtanti ſuæ conceptionis viſione Beata potitã fuiſſe: idque eſſe dogma fidei ſecundario oſtendunt Cano lib. 2. de locis, c. 14. Medina in huius articuli commẽtario. Suar. diſp. 25. ſect. 1. Ranguſa, diſp. 83. Cabrera, diſp. 1. 2. & 3. & Velarm. tom. 1. cõtrouerſ. 2. lib. 4. cap. 1. & 3. Lorca, diſp. 47. & Aluar. diſp. 52. aduerſus ſectarios huius temporis; nimirum Lutherum, Caluinum, Brentium, Zuinglium, & Bezam; qui vt in anima Chriſti ſcientiam errore, atquè ignorantia admixtam defenderent, ab ea Beatam ſcientiam remouebant, & nedum ignorantia illam laboraſſe affirmabant: ſed etiam dubitatione, imò deſperatione de propria ſalute, quia in cruce clamans dixit: *Deus meus, vt quid de reliquiſti me?* cum quibus defectibus Beatitudo nõ eſt compatibilis. Oſtendunt in quam hoc dogma præfacti auctores cum D. Th. in hoc art. & opuſc. 2. c. 216. tripliciter. Tũ ex communi Sanctorũ Patrũ cõſenſu, ſuper illud Pſal. 64. *Beatus quẽ eligiſti, & aſſumpſiſti*, & Ierem. 31. fæmina circundabit virum: quo denotatur Chriſtum, vt hominẽ ab inſtanti conceptionis fuiſſe Beatũ, atquè virum perfectũ viſione Beatifica, cuius comparatione viatores nominãtur pueri, ſiue paruuli, iuxta illud 1. ad Corinth 13. *Cũ eſſem paruulus loquebar, vt paruulus, &c. Cum autem factus ſum vir euacuaui, quæ erant paruuli: videmus nũc per ſpeculũ, in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Tum etiam ex illo Ioann. 1. *Vidimus gloriã eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis*, quòd tamen incarnatum Verbum non fuiſſet plenum gratiæ, & veritatis, niſi habuiſſet gratiam, & veritatẽ conſumatam per viſionem Beatam.

Tum deniquè ratione Theologica deſumpta ex munere auctoris humanæ ſalutis, quod Chriſtus vt homo ſuſcepit, cæteros ſanctos, tamquam ſalutis auctor in ſalutem conſumatã, hoc eſt in gloriã per ducendo, dicente Paul. ad Hæbr. 2. *Decebat enim, qui multos filios in gloriam adduxerat auctorem ſalutis eorũ, per paſſionem conſumari, &c.* Tale autem principiũ noſtræ ſalutis, & immobile eſſe opportet, & virtute præſtãtiſsimũ: ergo abinitio Incarnationis debuit plenã Dei viſionẽ poſsidere: cũ quã diuina diſpenſatione dolores ſenſibiles in corpore, timor atquè triſtitia fuerunt cõpatibiles propter tres rationes, quas in diuerſis locis aſsignat D. Th. Prima eſt quã aſsignat infra q. 46. art. 8. ad primũ, quod gaudium, & triſtitia de diuerſis obiectis formalibus poſſunt compati in eodem ſubiecto: & ſic fuerũt in Chriſto Domino qui dũ de ſua beatitudine, atq; de ſua morte. vt redemptiua hominũ gaudebat, ſimul de eadẽ, vt erat malũ naturæ, atquè quatenus obiectum, & occaſio culpæ Iudæorũ contriſtabatur. Secũda quã aſsignat in 4. diſt. 49. ar. 5. eſt quia lumẽ glorię in Chriſto fuit perfectum, ac proinde remotiuum impedimentorũ, ſcilicet ſubiectionis animæ ad corpus, & dependẽtiæ à phantaſmatibus, propter quod nimia attentio intellectus ad Deum abſtrahit omnino animam à ſenſibus, & impedit eorum vſum, vt contigit Moyſi, & Paulo videntibus Deum, propter luminis imperfectionem. Tertia eſt quam aſsignat q. 10. de veritate, art. 11. ad 3. & q. 26. art. 10. nimirum quod humanitas Chriſti, quatenus inſtrumentum Dei potuit facere ne gloria animæ redundaret in corpus, ita & ne ſumma intẽſio actus vnius potẽtiæ impediret actũ alterius: cuiuſmodi fuerunt gaudiũ, & triſtitia, ſiue dolor. Illud enim fuit actus partis ſuperioris animę Chriſti: iſtę vero vtpotè paſsiones fuerunt actus partis inferioris, ſcilicet ſenſitiuæ, vel etiã ne ex gloria animæ, quæ eſt viſio beata, reſultaret gaudiũ, ſiue fruitio in parte ſuperiori voluntatis, vel ne in voluntate gaudente de Deo reſultaret, & affectus triſtitiæ, ſed ſolus ſe intra ſenſitiuum apetitum cohiberet: & hanc rationẽ aſsignat D. Th. q. 15. ſequenti art. 5. ad 3. & art. 6. in corpore.

ART.

ART. III.

Vtrùm Chriſtus habuerit ſciẽtiam inditam, vel infuſam?

inf. q. 12. a. 1. cor. & 3. di. 14. ar. 1. q. 5. & veri. q. 20. a. 2. c. fin. & a. 3. & op. 9. c. 223. & op. 2. q. 81.

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod in Chriſto non ſit alia ſcientia indita, vel infuſa præter ſcientiam beatam. Omnis enim alia ſcientia comparatur ad ſcientiam beatam, ſicut imperfectum ad perfectum. Sed præſente cognitione perfecta excluditur cognitio imperfecta: ſicut manifeſta viſio faciei excludit ænigmaticam viſionem fidei, vt patet primæ ad Cor. 13. Cum igitur in Chriſto fuerit ſciẽtia beata (vt dictum eſt *) videtur, quod non potuerit in eo eſſe alia ſciẽtia indita.

** ar. præced.*

2 Præterea. Imperfectior modus cognitionis diſponit ad perfectiorem: ſicut opinio, quæ eſt per ſyllogiſmum dialecticum, diſponit ad ſcientiam, quæ eſt per ſyllogiſmum demõſtratiuum. Habita autem perfectione, non eſt vlterius neceſſaria diſpoſitio: ſicut habito termino, non eſt neceſſarius motus. Cum ergo cognitio quæcumque alia creata cõparetur ad cognitionem beatam, ſicut imperfectum ad perfectum, & ſicut diſpoſitio ad terminum: videtur quod cum Chriſtus habuerit cognitionem beatam, non fuerit ei neceſſarium habere aliam cognitionem.

3 Præterea, Sicut materia corporalis eſt in potentia ad formã ſenſibilem, ita intellectus poſsibilis eſt in potentia ad formam intelligibilem. Sed materia corporalis non poteſt ſimul recipere duas formas ſẽſibiles, vnam perfectiorem, & aliam minus perfectam. Ergo neque anima poteſt ſimul recipere duplicem ſciẽtiam, vnam perfectiorem, & aliam minus perfectam: & ſic idem quod prius.

Sed contra eſt, quod dicitur Coloſſ. 2. quod in Chriſto ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut dictum eſt, * decebat vt natura humana aſſumpta à verbo Dei, imperfecta nõ eſſet. Omne autẽ quod eſt in potentia, eſt imperfectũ, niſi reducatur ad actũ. Intellectus autẽ poſſibilis humanus eſt in potentia ad omnia intelligibilia. Reducitur autẽ in actum per ſpecies intelligibiles, quæ ſunt quædam formæ completiuæ ipſius: vt patet ex his, quæ dicuntur in tertio de anima. * Et ideo oportet in Chriſto ponere ſcientiam inditam, inquantum per verbum Dei, animæ Chriſti ſibi perſonaliter vnitæ impreſſæ ſunt ſpecies intelligibiles ad omnia, ad quæ intellectus poſſibilis eſt in potentia. Sicut etiam per Verbum Dei impreſſæ ſunt ſpecies intelligibiles menti Angelicæ in principio creationis rerum: vt patet per Auguſt. * 2. ſuper Geneſ. ad literam. Et ideo ſicut in Angelis ſecundum eumdem Auguſt. † ponitur duplex cognitio: (vna ſcilicet matutina, per quam cognoſcunt res in Verbo: & alia veſpertina, per quã cognoſcunt res in propria natura per ſpecies ſibi inditas) ita præter ſcientiam diuinam, & increatam, eſt in Chriſto ſecundum eius animam ſcientia beata, quã cognoſcit Verbum, & res in Verbo; & ſcientia infuſa, ſiue indita, per quam cognoſcit res in propria natura per ſpecies intelligibiles humani menti proportionatas.

ar. 1. huius quæſ.

text. 32 & 38. to. 2.

c. 8. to. 3.

† lib. 11. de ciuitat. Dei, c. 7. à me. to. 5. Et li. 4. ſu. Ge. c. 24. to. 3.

Digitized by Google

Ad primum ergo dicendum, quod viſio imperfecta fidei, in ſui ratione includit opoſitum manifeſtæ viſionis: eo quod de ratione fidei eſt vt ſit de non viſis, vt in ſecunda parte dictum eſt.* Sed cognitio, quæ eſt per ſpecies inditas non includit aliquid oppoſitum cognitioni beatæ. Et ideo non eſt eadem ratio vtrobique.

2. 2. q. 1. art. 4.

Ad ſecundum dicendum, quod diſpoſitio ſe habet ad perfectionem dupliciter. Vno modo ſicut via ducens ad perfectionem: alio modo ſicut effectus à perfectione procedens Per calorem enim diſponitur materia ad ſuſcipiendam formam ignis, qua tamen adueniente, calor non ceſſat, ſed remanet quaſi quidam effectus talis formæ. Et ſimiliter opinio ex ſylogiſmo dialectico cauſata eſt via ad ſcientiam, quæ per demoſtrationem acquiritur: qua tamen acquiſita, poteſt remanere cognitio, quæ eſt per ſylogiſmum dialecticum, quaſi conſequens ſcientiam demonſtratiuam, quę eſt per cauſam. Quia ille, qui cognoſcit cauſam, ex hoc etiam magis poteſt cognoſcere ſigna probalia, ex quibus procedit dialecticus ſyllogiſmus. Et ſimiliter in Chriſto, ſimul cum ſcientia beatitudinis manet ſcientia indita, non quaſi via ad beatitudinem, ſed quaſi per beatitudinem confirmata.

Ad tertium dicendum, quod cognitio beata non fit per ſpeciem, quę ſit ſimilitudo diuinæ eſſentiæ, vel eorum, quę in diuina eſſentia cognoſcuntur: vt patet ex his, quæ in prima parte dicta ſunt.* Sed talis cognitio eſt ipſius diuinæ eſſentiæ immediate per hoc, quod ipſa eſſentia diuina vnitur menti beatæ, ſicut intelligibile intelligenti: quę quidem eſſentia diuina eſt forma excedens proportionem cuiuſlibet creaturę. Vnde nihil prohibet, quin cum hac forma ſuper excedente, ſimul inſint rationali menti ſpecies intelligibiles proportionatę ſuæ naturæ.

p. p. q. 12. ar. 2.

CONcluſio affirmans eſt, cuius rationem reddit D. Thom. ex capacitate humani intellectus poſſibilis ad recipiēdum omnes ſpecies rerum intelligibilium repræſentatas in ſe ipſis: quoniam indecens eſſet imperfectam manere: maneret autē imperfecta, niſi cognoſceret omnia intelligibilia in ſe ipſis extra Verbum: ſicut capacitas intellectus Angelici maneret imperfecta, niſi vltra cognitionem matutinam, ideſt rerū in Verbo, haberet veſpertinam cognitionem, ideſt earumdem rerum in ſe ipſis extra Verbum.

ART. IV.

Vtrùm, habuerit aliquam ſcientiam acquiſitam?

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod in Chriſto non fuerit aliqua ſciētia experimentalis acquiſita. Quicquid enim Chriſto conueniens fuit, excellētiſsime habuit. Sed Chriſtus nō habuit excellētiſsime ſciētiam acquiſitā: non enim inſtitit ſtudio literarū, quo perfectiſsime ſcientia acquiritur; dicitur enim Ioan. 7. Mirabantur Iudæi dicentes. Quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit? Ergo videtur quod in Chriſto non fuerit aliqua ſcientia acquiſita.

Inf. q. 12. ar. 12. & q. 15. ar. 8. & op. 3. c. 225. & 3. diſt. 14. ar. 3. & diſt. 8. art. 3. ſ. & ver. q. 20. a. 3.

2 Præterea. Ei quod eſt plenum, non poteſt aliquid ſuperaddi. Sed potentia animæ Chriſti fuit impleta per ſpecies intelligibiles diuinitus inditas, vt dictum eſt.* Ergo non

art. præc.

non potuerunt ſuperuenire eius animæ aliquæ ſpecies acquiſitæ.

3 Præterea, In eo qui iam habet habitum ſcientiæ, per ea quæ â ſenſu accipit, non acquiritur nouus habitus (quia ſic duæ formæ eiuſdē ſpeciei ſimul eſſent in eodem) ſed habitus qui prius inerat confirmatur, & augetur Ergo cum Chriſtus habuerit habitum ſcientiæ inditæ, non videtur quod per ea, quæ ſenſu percepit, aliquam aliam ſcientiam acquiſierit.

Sed contra eſt, quod Hebr. 5. dicitur. Cum eſſet filius Dei didicit ex his, quæ paſſus eſt, obedientiam. Glo. * id eſt, expertus eſt. Fuit ergo
Gl interli. ibid.
in Chriſto aliqua experimentalis ſcientia, quæ eſt ſcientia acquiſita.

Reſpondeo dicendum, quod
ar. 1. huius quæſ. & q. 5.
vt ex ſupra dictis. * patet, nihil eorū, quæ Deus in noſtra natura plantauit, defuit humanæ naturæ aſſumptę â Dei verbo. Manifeſtum eſt autem, quod in humana natura Deus plantauit non ſolum intellectum poſsibilem, ſed etiam intellectum agentem. Vnde neceſſe eſt dicere, quod in anima Chriſti fuit non ſolum intellectus poſsibilis, ſed etiam intellectus agens. Si autem in alijs Deus, & natura nihil fruſtra faciunt, (vt Philoſophus dicit in 1. de cœlo *) multo minus in anima Chriſti aliquid fuit fruſtra. Fruſtra autem eſt quod non habet propriam operationem: cum omnis res ſit propter ſuam operationem, vt dicitur in 2. de cælo. * Propria autem operatio intellectus agentis, eſt facerę ſpecies intelligibiles actu, abſtrahendo eas â phantaſmatibus. Vnde dicitur in 3. de anim. † quod intellectus agens eſt, quo eſt omnia facere, Sic igitur neceſſe eſt dicere, quod in Chriſto fuerint aliquæ ſpecies intelligibiles per actionem intellectus agentis, in intellectu poſsibili eius receptæ: quod eſt

te. 32. & li. 2. text. 59. to. 2. * tex. 17. to. 1. † tex. 10. to. 2.

eſſe in ipſo ſcientiam acquiſitam, quam quidam experimentalem nominant.

Et ideô, quamuis aliter alibi ſcrip 3. ſen. di. 14. q. 3.
ſerim, * dicendum eſt, in Chriſto fuiſſe ſcientiam acquiſitam: quæ pro ar. 3.
priê eſt ſcientia ſecundum modum humanum, non ſolum ex parte ſubiecti recipientis, ſed etiam ex parte cauſæ agentis. Nam talis ſcientia ponitur in Chriſto ſecundum lumen intellectus agentis, quod eſt animæ humanæ connaturale. Scientia autem infuſa attribuitur animę humanæ ſecundum lumen deſuper infuſum: qui modus cognoſcēdi eſt proportionatus naturę Angelicæ. Scientia verô beata, per quam ipſa Dei eſſentia videtur, eſt propria, & connaturalis ſoli Deo; vt in prima parte dictum eſt. *

Ad primum ergo dicendum, p. p. q. 12.
quôd cum duplex ſit modus acqui- ar. 4.
rendi ſcientiam, ſcilicêt inueniendo, & addiſcendo, modus qui eſt per inuentionem, eſt præcipuus: modus autem, qui eſt per diſciplinam, eſt ſecundarius. Vnde dicitur in 1. Ethicor * Ille quidem eſt optimus, c. 4. in ſ.
qui omnia per ſe ipſum intelligit: to. 5.
bonus autem rurſus eſt ille, qui bene dicenti obedit. Et ideô Chriſto magis competebat habere ſcientiam acquiſitam per inuentionem, quam per diſciplinam: præſertim cum ipſe daretur â Deo omnibus in doctorem: ſecundum illud Ioel 2. Lętamini in domino Deo veſtro, quia dedit vobis doctorem iuſtitiæ.

Ad ſecundum dicendum, quôd humana mens duplicem habet reſpectum. Vnum quidem ad ſuperiora: & ſecundum hunc reſpectum, anima Chriſti fuit plena per ſcientiā inditam. Alius autem reſpectus eius eſt ad inferiora, id eſt, ad phantaſmata, quæ ſunt nata mouere mentem humanam, per virtutem intellectus agen-

Digitized by Google

agentis. Oportuit autem, quôd etiã ſecundum hunc reſpectum anima Chriſti, ſcientia impleretur: non quia prima plenitudo menti humanæ ſufficeret ſecundum ſe ipſam: ſed oportebat eam perfici, etiam ſecundum comparationem ad phantaſmata.

Ad tertium dicendum, quôd alia ratio eſt de habitu acquiſito, & de habitu infuſo. Nam habitus ſcientiæ acquiritur per comparationem humanæ mentis ad phantaſmata: vnde ſecundum eamdem rationem non poteſt alius habitus iterato acquiri. Sed habitus ſcientiæ infuſę eſt alterius rationis, vtpote â ſuperiori deſcendens in animam, non ſecundum proportionem phãtaſmatum. Et ideô non eſt eadem ratio de vtroquê habitu,

Conclusio etiam eſt affirmatiua ob eam rationem, ne intellectus agens animæ Chriſti ſit ocioſus, & fruſtraneus ſine propria operatione, quæ eſt abſtrahere ſpecies intelligibiles à rebus medijs phantaſmatibus, illaſque imprimere intellectui poſsibili in quarum receptione ſcientia acquiſita, ſeu experimentalis conſumatur. Et quoniam de ſingulis his tribus ſcientijs ſingulas mouet quæſtiones, D. Tho. in quibus earum conditiones exactè examinantur: ideò ne fiat eiuſdem Doctrinæ inutilis repetio: aſſertio dũmtaxat articuli primi in præſentiarum duobus dubijs eſt examinanda.

Primum Dubium eſt: An ſit dogma fidei animam Chriſti, aliquam ſcientiam creatam habuiſſe?

Secundum eſt: An de facto cognouerit per increatam ſciẽtiam Verbi, vel ſaltem id ſit diuinæ omnipotentiæ poſsibile?

AD primum dubium reſpondetur concluſione affirmatiua, quam tuentur omnes Theologi contra errorem Monotelitarum, qui temporibus ſextæ Synodi generalis, vnam voluntatem dumtaxat in Chriſto, ſcilicet increatam, atque increatum intellectum tantum pariter aſtruebant: ac per conſequens illius increatum affectum, & huius increatam cognitionem, ſiue ſcientiam admittebant: & aduerſus Apollinarem, qui temporibus Damaſi Papæ, & Valentiniani Imperatoris, vt vidimus ſupra quæſtion. 6. art. 2. aſſerebat Verbum diuinum aſſumpſiſſe animã, ſine mente, ideſt ſine intelligendi facultate, ac proinde, ſine creata intellectione, vt referunt Epiphanius, hæreſi 77. Cirilus epiſtol. 15. Sanderus, lib. 7. de viſibili monarchia, hæreſi 81. Prateolus in Elencho hæreſum, verbo, *Apollinariſtæ*, & Lirinenſis, lib. contra profanas hæreſum nouitates, cap. 17.

2. Sed noſtra concluſio aſſerens eſſe dogma fidei in anima Chriſti fuiſſe aliquã ſcientiam creatam, ſaltem actualem, prout abſtrahit à beata, infuſa, & acquiſita defenditur ab omnibus Scholaſticis cum magiſtro in 3. diſt. 14. & cum D. Thom. in hoc art: 1. quamuis diuerſimodè eam ſuadentibus. Quidã enim illam ſuadent duplici ſerie teſtimoniorum Scripturæ, in quarum prima ſunt illa in quibus Chriſto, vt homini attribuitur aliqua ſcientia, vt Ioannis 8. *Scio vnde veni*, & cap. 13. *Scient Ieſus, quia venit hora eius*, & Matthæi 22. *Cognita autem Ieſus nequitia eorum*, & ad Hæbreos 5. *Didicit ex his quæ paſſus eſt obedientiam*: in ſecunda ſerie ſunt alia in quibus atribuuntur Chriſto aliqui actus, aut intellectus practici, aut illum ſupponentes, vt Ioannis 12. *Anima mea turbata eſt*, & Matthæi 8. dicitur, quod miratus eſt

Reſolutio dubij, animã Chriſti habuiſſe ſcientiam creatam.

Chri-

Chriſtus, & cap. 24. *Triſtis eſt anima mea:* & cap. 14. atquè Ioannis 6. & 11. dicitur illum oraſſe, quorum actuum alij ſunt partis intellectiuæ, vt oratio: alij verò, vt admiratio, triſtitia, & turbatio ſunt partis apetitiuæ, ſupponētes tamē actū partis intellectivæ. Sed Vazquius in expoſitione litteræ reſpondet teſtimonijs primæ ſeriei non conuinci veritatem fidei, quia poſſent verificari de ſcientia increata Verbi, quæ per communicationem idiomatū attribuūtur Chriſto, vt homini, ſicut & reliqua diuina attributa, atquè eorum operationes. Tamen licet hæc interprætatio poſsit adaptari trib⁹ priorbus teſtimonijs: ſecus autem quarto, quod tantum de ſciētia, aut cognitione experimentali verificari valet, quam experimento Chriſtus adiſcebat; adiſcere autem eſt, aliquam de nouo acquirere, aut ſuſcipere cognitionem; vnde ſaltem ex hoc teſtimonio conuinci valet eſſe certam de fide noſtram aſſertionē. De teſtimonijs verò ſecundæ ſeriei fateor certitudinem fidei ex illis non conuinci, quia & ſi certum ſit illos actus, aut ad potentiā cognoſcitiuam, aut ad potentiam apetitiuam expectare; id tamen non fidei, ſed ſolius phyloſophiæ, aut alterius naturalis luminis certitudine certum eſt.

3 Vnde probatur ſecunda concluſio, ex diffinitione Eccleſiæ adducta à D. Th. in fine corporis art. quæ habetur in ſexta Synodo generali, actione 4. & 8. ſub Agathone Papa, quatenus ibi diffinitur contra Macharium, & Monotelitas in Chriſto Domino, omnia quæ ad naturas expectant eſſe duplicia, & vnamquamquè naturam, cum ſuis naturalibus proprietatibus, & inſuper duas volūtates, duas operationes. creatam ſcilicet, & increatam: ac per conſequens duas ſcientias, ſeu cogitationes, alteram creati, & alteram increati intellectus reliquit Synodus difinitas. Idem diffinitur in Concilio Calcedonenſi, actione 5. & Concilio 5, Conſtantinopolitano, collation. 8. can. 7. & in epiſtol. Sophronij, quæ habetur in eiuſdem ſextæ Synodi action. 11. & aprobatur actione 13; dum contra Apolinariſtas decernitur diuinum Verbum animam aſſumpſiſſe mediante mente cum humano intellectu, atquè cogitationem, quia Apollinaris ideo mentem Chriſto denegabat, ne cogeretur in illo admittere humanam cogitationem cum pugna peccati, cuius damnans errorem Conc. determinat mentem, & humanam cogitationem in Chriſto illęſam fuiſſe à labe, & pugna peccati: alioquin errorem præfatum non omnino labefactaret: ergo de fide tenendum habemus ex his decretis in Chriſto fuiſſe operationem intellectus creati, & humanam cogitationem, atquè ſcientiam.

Tertio probatur ratione, qua vtitur D. Thom. in art. non quidem ad demonſtrandum, nequè ad connincendum ex fidei certitudine in Chriſti anima fuiſſe ſciētiam craatam, ſed ad efficaciter oſtendendum id eſſe congruentiſsimum, ſub hac forma: conueniens fuit Chriſtum aſſumere animam rationalem perfectam, ac proinde cum intellectu perfecto: ſed imperfectum intellectum aſſumpſiſſet, niſi illū aliqua ſcientia, ideſt, cognitione ſua actuatum aſſumeret.

4 Propter tria; tum quia intellectus humanus eſt in potentia ad cognitionem, omnis autem potentia ad actum non reducta eſt imperfecta: Tum etiam, quia ſicut omnis potentia eſt propter operationem, ita, & potentia intellectiua eſt propter cognitionem, quæ eſt propria eius operatio: ergo ſine illa fruſtranea eſſet, vtpotè proprio fine priuata: Tum denique, quia aliqua humana ſcientia, ideſt cognitio primorum principiorum eſt pertinens ad integritatem intellectus, vtpotè ei congenita, quàm proinde debuit Chriſtus aſſumere, cui de naturalium proprietatum integritate nihil defuit. Ex quibus pręmiſſis neutra eſt de ſe apta, aut ad demonſtrandam concluſionem lumine naturali, aut theologico, aut eius certitudinem de fide adſtruēdā; niſi quatenus in prædictis Eccleſiæ decretis continetur, aut ex illis deducitur. Maior enim poſſet verificari, de perfectione in actu primo, & quoad eſſentialia intellectus, neque ad ſaluandam conuenientiam aſſumptionis exigitur debito naturæ accidentalis perfectio intellectus conueniens illi ex actuali cognitione, cum qua non habet neceſſariam connexionem; ſed ſolum ex voluntate diuina aſſumentis vtrumquè, potentiam ſcilicet cum actu ſecundo, quæ voluntas per ſolā reuelationem Dei in ſacra Scriptura, aut Eccleſiæ diffinitionibus poteſt nobis inoteſcere, & in hoc ſenſu minor eſſet falſa; quia ſi Deus vtens ſua potentia abſoluta, ſecundum alium ordinem incarnationis intellectum, ſine actu ſecundo aſſumeret perfectum ſatis aſſumeret, quantum illi

aſſump-

aſſumptione congrueret: neque oppoſitum conuincunt duæ priores probationes: quæ tantum procedunt ſecundum communem legem gubernandi, ac dirigendi potentias ad ſuos actus: imo etiã iuxta hanc legem ſi in vno, aut altero indiuiduo ad illos numquam reducantur, non ideò imperfectæ, aut fruſtratæ dicuntur, dummodo in alijs indiuiduis eiuſdem ſpeciei proprios actus exerceant.

Tertia autem probatio de cognitione primorũ principiorum, non de actuali, ſed de ſola habituali verificatur: hæc enim ſola eſt congenita humano intellectui, vel habitus eſt congenitus, & nõ actus. Intellecta tamen maior de conuenientia ſecundum voluntatem liberam aſſumentis reuelatam in præfatis Eccleſiæ definitionibus eſt de fide, & pariter minor, cuius probationes oſtendunt reſpectu aſſumptionis factæ fuiſſe intellectum humanum imperfectum in Chriſto, ſi aliquam cognitionẽ non haberet: ac proinde illam habuiſſe, ne imperfectus aſſumeretur. Congruum ergo fuit ex natura ipſius humana intellectus: neceſſarium autem ex ſuppoſitione talis aſſumptionis quæ fuit de facto; liberũ vero fuit abſolutè Deo, qui vtrovis modo potuit aſſumere intellectũ humanũ. Primũ cõgruẽtia demõſtratur diſcurſu facto: Secundum deducitur ex diſcurſu adiuncta reuelatione: Tertium denique infertur ex diuina omnipotentia, & libera Dei voluntate.

5 Dixi in concluſione, *ſaltem actualem*, nam ſi de habituali, hoc eſt, de illa ſcientia quæ in habitibus, ſiue in habitualibus qualitatibus conſiſtit, ſicut huc uſquè non eſt diffinitum ab Eccleſia dari in anima hos habitus, ita neque eſt de fide dari huiuſmodi habitualem ſcientiam in anima Chriſti; eſt tamen certiſsimum ſuppoſita actuali ſcientia dari habitualẽ, quia conueniens fuit animam Chriſti connaturaliter, prõpte, & delectabiliter hos actus operari, ac modo perfectiori poſsibili ſecundum ordinariam legem: principia autem operandi connaturaliter, prompte, ac delectabiliter ſunt habitus, modusque operandi perfectior eſt ex habitu: ergo vt ſic eliceret anima Chriſti actuales cognitiones debuit habitibus exornari.

Illam habuiſſe quoad actũ ab initio conceptionis conſonum fidei.

Sed rogabis, num anima Chriſti ab inſtanti primo ſuæ conceptionis huiuſmodi actualem ſciẽtiam habuerit? Negant Sectarij Neoterici, Luterus, Caluinus, & Zuinglius, quos refert Belarminius libr. 4. de Chriſto, cap. 1. ſecuti antiquos Gnoſticos, vt videre eſt apud Ireneum, lib. 1. cap. 17. & eius Scoliaſtem lib. 2. cap. 49.

6 Sed iuſta communem Patrum Eccleſiæ ſententiam, & fidei magis conſonam reſpondetur affirmatiue, propter tria. Tum, quia Chriſtus ingreſſus eſt mundum in primo inſtanti ſuæ conceptionis perfectę, ſcilicet vnionis animæ rationalis cum corpore. Ex tunc autem habuit actum meritorium, & ſatisfactorium quo ſe obedientem Deo obtulit in ſacrificium, vt oſtendimus ſupra quæſtion. 1. artic. 2. Dub. 6. iuxta illud ad Hebr. 10. *Ingrediens in mundum dixit hoſtias, & oblationem noluiſti, &c. tunc dixi ecce venio, &c. In qua voluntate ſanctificati ſumus.* Qui actus non potuit non eſſe voluntatis, & intellectus, aut ſaltem regulatus à præſuppoſito actu creato intellectus humani Chriſti: ergo.

Tum etiam, quia ab inſtanti primo conceptionis fuit vir perfectus ob ſcientiam comprehenſorum, ſcilicèt viſionem beatificam, ob quam dicitur à Ieremia, cap. 30. de illo: *Fœmina circundabit virum*, non quidem ætate, ſed ſtatu vſus rationis, ac virilitate comprehenſoris; vt ſentiunt Hieronim. ibidem, Auguſtin. lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 29. Nazianz. oratione in Baſil. Bernard. homil. 2. ſuper *miſſus eſt*, Veda, homil. 1. in primam dominicam poſt Epiphan. Anſelm. lib. 2. cur Deus homo, cap. 3. & D. Thom. 3. part. quæſt. 34. art. 2. & quæſt. 7. art. 2. & 4. & quæſt. 69. art. 3. de veritate, quæſt. 20. art. 2. & quæſt. 29. art. 8. & ad Hebr. 5. lection. 2. & opuſc. 2. cap. 213.

Tum denique, quia Angeli, & Adamus in primo inſtanti ſui eſſe habuerunt actus proprios liberi arbitrij, ac proinde voluntatis, & intellectus, quibus ſe ad gratiæ iuſtificantis receptionem diſpoſuerunt, & beatitudinem promeruerunt; vt docet communiter Theologi, apud Diu. Thom. 1. part. quæſt. 62. art. 3. & quæſt. 63. & 2. 2. quæſt. 5. art. 1. ſed dignitati Chriſti capitis Eccleſiæ, & Angelorum conueniebat, vt in hac aut alia excellẽtia nõ eſſet illis inferior, neque decens erat Adamum, & Angelos hanc gloriandi occaſionem habuiſſe aduerſus ſuum caput, quod ipſi à principio creationis pollerent vſu rationis, & proprijs actibus gra-

tiam

tiam habitualem accepiſſent: ſecus vero Chriſtus: ergo.

7 Circa ſecundum dubium, duæ verſantur ſententiæ. Prima affirmans Chriſtum, vt hominem eiuſquè animam de facto cognouiſſe per ſolam increatam Dei ſcientiam, atquè cognitionem; fuit Hugonis de ſancto Victore, opuſc. de anima Chriſti, & eius ſcientia, tom. 3. operũ ipſius, & ex Scholaſticis, Ioann. de Ripa eam ex parte ſequitur, quatenus aſſerit animam Chriſti, & ſi alijs ſcientijs creatis ornatam, vidiſſe tamen Deum per ipſam increatam Dei viſionem, idquè omnibus poſsibile cenſet, licet ſoli Chriſto de facto fuerit communicatum. Cuius ſententiam refert, & refutat Capreol. in 3. diſt. 14. quæſt. 1. ad argumenta contra primam, & Caietan. art. 1. huius quæſtionis: fuerunt etiam huius ſententiæ, ex antiquis Scholaſticis Pariſienſibus, quidam relati à Gregorio in 2. diſtinct. 7. quæſt. 2. aſſerentes generaliter, quemcumquè beatum de facto Deum videre ipſa increata Dei viſione eius intellectui vnita, ad eum modum quo humanitas aſſumpta per increatam diuini verbi ſubſiſtentiã ſibi vnitam ſubſiſtit, idemquè à fortiori de anima Chriſti Domini fateri tenebantur.

Idquè in quo omnes hij authores conueniunt ſuadetur, tripliciter: primo argumento Hugonis. Diuinum Verbum, ſicut eſt diuina ſubſiſtentia, ita eſt diuina ſapiẽtia, ſed vnitum humanitati conſtituit illam ſubſiſtentem: ergo pariter vnitum animæ Chriſti conſtituet eam ſapientem. Conſequentia patet, quia ſicut ſubſiſtentia vnita naturæ conſtituit illam ſubſiſtentem, & albedo vnita corpori conſtituit illum albũ; ita ſapientia vnita animæ reddet illam ſapientem: iſte enim eſt effectus formalis ſapientiæ, ſicut ſubſiſtentię, & albedinis formales effectus ſunt ſubſiſtens, & album: vnito autem diuino Verbo animæ Chriſti, neceſſe eſt vniri ſapientiam Dei increatam, quæ eſt ipſum Verbum; ac proinde eam redere ſapientem. In quo ſenſu verificatur, quod in Chriſto ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi, & quod inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, vt dicitur ad Colloſenſes ſecundo: ergo.

Secundo probatur argumento, Ioannis de Ripa, de ſumpto ex defectu repugnantiæ, ob quem talis vnio increatæ intellectionis cum Chriſti, atquè cuiuſuis beati intellectu, nõ eſt negãda, eo quod ſimilis omnino vnio diuinæ perfectionis cum natura, aut potẽtia creata nõ repugnat: ergo neq; in iſta inuoluitur aliqua repugnãtia. Antecedens oſtenditur in tribus caſibus: quorum primus eſt de vnione, qua eſſentia diuina in ratione ſpeciei intelligibilis vnitur intellectui beati; hęc enim eſt ſimilis illi, qua vnitur eadem eſſentia in ratione ſpeciei expreſſæ: ergo ſicut poſsibilis eſt prima vnio diuinæ eſſentiæ, in ratione ſpeciei impreſſæ, ita & ſecunda, in ratione ſpeciei expreſſæ, ac per cõſequens poſſibilis eſt vnio in ratione intellectionis actualis, quæ nihil eſt aliud præter ipſam ſpeciem expreſſam, ſiue mentis conceptum.

Secundus eſt, de vnione iam aducta diuinæ ſubſiſtentiæ cum humanitate aſſumpta qua de facto vnita fuit diuina perſonalitas humanitati Chriſti, per ſolam terminationem, abſquè vlla imperfectione inheſionis, dependentiæ, aut informationis, non obſtante quod perſonalitas, ſiue ſubſiſtentia vniri petit propriæ naturæ, aut per identitatem, vt in Deo, aut per informationem, ſeu dependentiam, vt in ſubſtãtijs creatis.

Tertius eſt, de eadem vnione, quatenus per illã vnita fuit humanitati aſſumptæ mediante perſonalitate ipſa Deitas, atquè increata ſanctitas, quæ proinde reddit illam deificatam, & ſanctam ſanctitate vnionis: ergo non eſt cur non fuerit communicata, etiam ſapientia increata, atquè eſſentialis intellectio mediante perſonalitate humanitati, vt illam rederet ſapientem, & intelligentem: atque adeo nõ eſt cur, non ſit poſsibilis talis vnio inmediata intellectionis eſſentialis Dei increatæ cum intellectu cuiuſcumquè beati, vt illũ redat formaliter intelligẽtem: forma enim ſiue perfectio, quæ vnibilis eſt mediatè alicui ſubiecto, etiam erit eidem ſubiecto, vel alteri ſimili vnibilis, ſaltem per diuinam omnipotentiam, ſiquidem conditio mediationis remoueri poteſt à Dei omnipotentia, nequè reſpectu illius poteſt inuoluere repugnantiam, ſi aliàs hæc non eſt ex parte ipſius vnionis.

Tertio probatur, ab inconuenienti triplici, quod ſequitur ex opoſita ſententia. Primum eſt, quod operatio creata eſſet infinita, vtpotè ad obiectum infinitum terminata; quod proinde in illam ſuam infinitatem refundit; quantum enim eſt con-

cep-

ceptus obiectiuus tantus debet eſſe conceptus formalis: obiectiuus autem conceptus viſionis beatæ eſt ipſa deitas infinita, & immenſa viſa, vt eſt in ſe.

8 Secundum eſt, quod obiectum infinitum, nimirum deitas repræſentaretur à forma finita, & limitata: cuiuſmodi eſt viſio creata elicita ab intellectu beati; quod tamen impoſsibile eſſe adſtruit D. Thom. dum 1. part. quæſt. 12. art. 2. hac ratione negat poſſe dari ſpeciem intelligibilem creatam Dei, vt eſt in ſe repreſentatiuam.

Tertiũ eſt, quod illa cognitio in abſentia obiecti faceret animam Chriſti beatam, ſiquidem quælibet cognitio creata conſeruari poteſt per diuinam omnipotentiam in abſentia ſui obiecti: ſic autem conſeruata huiuſmodi viſio non eſt cur, non rederet animam Chriſti beatam, vtpotè cum ſit formalis beatitudo; quod tamen abſurdum eſt: ergo.

Secunda ſententia negans eſt Capreoli, & Caietani vbi ſupra, & Bonauenturæ, in eodem 3. diſtinct. 14. quæſt. 1. quam tuentur communiter recentiores, vt Vazquez 1. 2. diſp. 7. cap. 2. & hic diſp. 50. cap. 1. Suarez diſp. 24. Cabrera diſp. vnica, ſuper artic. 18. & Ranguſa in hac quæſt. diſp. 82. Aluarez diſp. 51. & Nazarius controuerſia 3. & Peſantius diſp. vnica.

Reſolutio auctoris negans animã Chriſti poſſe videre Deũ per viſionẽ increatam cõtra Ioãnem Ripa.

9 Quæ proinde à nobis ſtatuitur pro concluſione aduerſus Auctores primæ ſententiæ, habetquè duas partes, nimirum animam Chriſti de facto non videre Deũ per increatam Dei viſionem: nequè id poſſe per omnipotentiam Dei animæ Chriſti, aut alteri beato contingere.

Prima pars probatur ex eo, quod ſi anima Chriſti videret, aut cognoſceret per increatam Dei intellectionem, vnio hypoſtatica facta fuiſſet in natura, & non in perſona, ac proinde cum tribus perſonis cuius tamen oppoſitum oſtendimus: ſupra quæſt. 2. art. 1. contra Eutichianos: ergo: ſequela patet, quia cum eadem operatio, vt viſio, & intellectio ſit communis vtriq; naturę, nẽpè humanę, & diuinę, & hæc ſit cõmunis trib⁹ perſonis, cõſequẽs eſt vnionem factam fuiſſe, tum in natura, tum cum tribus perſonis, eaſquè proinde non ſolum voluntate, & affectu participes fuiſſe incarnationis.

Deinde ſecũda pars probatur duabus rationibus Theologicis, quarũ primã format ſic Vazquez, operatio vitalis cuiuſmodi eſt cognitio, & viſio habet in ſui ratione, quod procedat ab ipſo viuẽte, quod per illã dicitur operari: actioni autem increatæ Dei repugnat procedere à viuente creato: ergo. Minor eſt nota ob independentiam actionis increatæ. Maior autem patet: quia de eſſentiali ratione actionis vitalis eſt actualis dependentia à principio intrinſeco viuentis, quia talis actio per ſe, & ratione ſuæ eſſẽtię habet depẽdere, ita vt ſi vniatur potentiæ creatæ, & ab illa non dependeat, aut procedat, eſſet actio vitalis ſine ſui eſſentia, quia eſſet ſine ſua dependentia eſſentiali, quod eſt impoſſibile: vt latius oſtendit Bubalus, 1. part. quæſt. 51. artic. 3. & ipſe Vazquez 1. 2. quæſt. 3. art. 2. diſp. 9. cap. 3: ex eodem principio probat contra nominales beatitudinem noſtram in actione vitali conſiſtentem non poſſe à ſolo Deo produci, ſed neceſſario ab intellectu debere procedere, illiuſquè ſubire dependentiam, quæ eſſentialem rationem operationis vitalis intime ingreditur. Ex quo redarguitur idem Vazquez minus conſonum ſibi & veritati fuiſſe in commentario dicti art. 3. quæſtionis 51. primæ part. dum ait: dependẽtiam operationis vitalis à ſuo principio intrinſeco non eſſe de illius eſſentia, aut ſubſtantia, ſed dumtaxat modum connotatum, à quo de potentia abſoluta Dei poteſt ſeparari, & ideò veram progreſsionem, commeſtionẽ, & loqutionem exerceri quoad ſubſtantiam ab Angelis incorporibus aſſumptis: ſecus verò quoad modum connotatum, cuius tamen oppoſitum ibidẽ multis ex dicto principio, Bubalus oſtendit.

10 Secunda ratio deſumitur ex duobus reſpectibus eſſentialibus, quos actio vitalis immanens dicit ad principiũ viuens, procedentis nimirum, & informãtis: à quibus per nullam potentiam abſolui poteſt: ſed actio increata Dei, qualis eſt viſio, ſeu intellectio increata nullum ex his reſpectibus poteſt ſubinduere reſpectu intellectus creati animæ Chriſti, aut alterius beati: neque illum poteſt informare ob ſummam ſui actualitatem ſubſtantialem: ergo non poteſt eſſe actus illius: ergo neque poteſt ipſum denominare videntem, aut intelligentem. Maiorem oſtendit Caietanus, quoniam actio vitalis ſecundũ eſſe naturale eſt actus ipſius viuẽtis, quia ab ipſo procedit, & emanat, & ſi eſt

ime

immanens, eſt actus ipſius, quia ſimul in ipſo recipitur. ob quam duplicem vnionem, quam habet cum viuente, ipſum denominat tale: vt viſio denominat videntem potentiam viſiuam, & intellectio denominat animam intelligentem, quia vnitur ei, tamquam actio ab illa procedens, & in illa recepta. Prima conſequentia patet, quia deſſiciente hac duplici vnione, ſeu habitudine in intellectione increata ad intellectum creatũ, nequit eſſe actus illius: & ſecunda inde etiam patet, quod nequit denominare illam potentiam cuius actus non eſt, & cum qua non habet præfatam duplicem vnionem; vtpotè quam denominatio neceſſario præſuponit.

Expenditur ſolutio argumentor. Hugonis, & Ioãnis de Rippa.

11 Ad primum diſtinguenda eſt maior; licèt enim perſona Verbi ſit hypoſtaſis, atquè ſapientia formaliter: diuerſimode, tamen; nam eſt hypoſtaſis immediatè, & ratione ſui, ſecundum conceptum relatiuum ſubſiſtentiæ, ac perſonalitatis; eſt autem ſapientia mediate ratione eſſentiæ, & ſecundum conceptum abſolutum; vnde in ratione ſubſiſtentiæ vnitur immediatè humanitati aſſumptę, in ratione verò ſapientię vnitur eidem mediatè, quare conſtituit illam ſubſiſtentem, ſed non ſapientem, ſicut nequè conſtituit eam omnipotentem; quamuis mediatè ei vniatur omnipotentia, & ſic diſtincta maiori, admiſſaquè minori, neganda eſt conſequentia: in Chriſto autem dicitur theſauros ſapientiæ Dei eſſe, quatenus diuinum Verbum eſt, non vero ratione intellectus creati. Dicitur etiam habitare plenitudo diuinitatis in illo corporaliter, ratione vnionis, & propter idiomatum communicationem.

Ad ſecundum nego antecedens, nequè ſimile in aliquo ex illis caſibus contingit: non quidem in primo: quia ſpecies intelligibilis impreſſa habet modum actus primi, & formę intelligibilis, quę proinde in ſua ratione eſſentiali, non includit habitudinem procedentis ab alio, aut informantis, ſiue inherentis: quam dicit actus vitalis, ac proinde poteſt reperiri cũ iſta vnione intelligibili per modum actuãtis; quæ vnio non repugnat eſſentiæ diuinæ, ſicut repugnat vnio per modum actus vitalis.

Nequè in ſecundo, quia vnio ſubſiſtentiæ, etiam eſt vnio alicuius habentis rationem, puri termini, ſeu actus primi, nequè emanantis à natura, neque includentis habitudinem procedentis, & actualis emanationis, quam includit actus vitalis, & ideò vnio illius non inuoluit imperfectionem Deo repugnantem: quam includit vnio iſtius.

Nequè in tertio, quia ad communicationem huius effectus, qui eſt humanitatem eſſe ſanctam ratione deitatis, ſat eſt vnio ſubſiſtentiæ, eo quod eſſe ſanctum, neque eſt actio, neque potentia dicens ordinem principij ad operationem, & quia non eſt actio, non eſt actualis emanatio, quia non eſt potentia, non eſt forma emanans à natura illius cuius eſt potentia, ſed tantum eſt obiectum congruum diuinæ dilectionis: ideò ſimilis vnio non ſufficit, vt humanitas reddatur ſapiens à ſapientia increata, aut omnipotens à potentia increata Dei, vt oſtendimus ſupra quæſt. 8. art. 1.

12 Ad tertium reſpondetur, nullum ſequi ex illis inconuenientibus: non primum, quia circa obiectum infinitum, quod attingitur, quantum attingibile eſt, poteſt verſari actus finitus; ſicque Dei infiniti, viſio eſt finita, illum attingens finito modo.

Neque ſecundum, quia viſio beata, ſiue ſit actio ſecundum rem, ſiue ſit qualitas ſecundum rem, & actio ſecundum dici, non eſt expreſſa ſimilitudo obiecti, vt falſo putauit Vazquez in dicto cap. 2. & 1. part. diſp. 38. cap. 4 dicens tam viſione, quàm ſpecie impreſſa finita repreſentari poſſe obiectum infinitũ, ſed eſt actualis intuitio, & manifeſtatio Dei, à quo nõ infinitatur, quia illum & ſi infinitum, attingit modo finito, & non comprehenſiue.

Neque tertium; quia nulla viſio obiecti, ſine illo ſaltem in eſſe obiectiuo, & in ratione repreſentati poteſt conſeruari: ac per conſequens nequè viſio Dei, ſine Deo; cum hoc ſit de eſſentiali ratione ipſius notitiæ intuitiuæ, vt ſic: & maximè de ratione viſionis Dei, vtpotè qui, non poteſt abeſſe ſecundum locum, quia eſt vbique, nequè ſecundum eſſe, quia eſt indeffectibilis, nequè ſecundum eſſe obiectiuum, quia eſt intimè, & indefectibiliter vnitus in ratione ſpeciei intellectui beati; & quamuis per poſſibile, aut impoſſibile demus Deum abeſſe primo, ac ſecundò modo à viſione, adhuc bearet intellectum ob vnionem cum Deo in eſſe obiecti repræſentati, ſicuti eſt in ſe.

QVAES.

QVAESTIO X.

De ſcientia beata animæ Chriſti, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm anima Chriſti comprehenderit Verbum, ſiue diuinam eſſentiam?

3. di. 14. ar. 2. q. 1. & 2. & veri. q. 20. ar. 4. & 5 ca. & quo. 3. q. 2. ar. 1. c. & opu. 3. cap. 223. & 1 Tim. 6. le. 3. col. 2.

** lib. 3. de ſum. bo. c. 3.*

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod anima Chriſti comprehenderit, & cõprehẽdat Verbũ, ſiue diuinam eſſentiam. Dicit enim Iſid. * quod Trinitas ſibi ſoli nota eſt, & homini aſſũpto. Igitur homo aſſumptus communicat cum ſancta Trinitate in illa notitia ſui, quę eſt ſanctæ Trinitati propria. Huiuſmodi autem eſt notitia comprehenſionis. ergo anima Chriſti comprehendit diuinam eſſentiam.

† l. 3. ort. fid. c. 6.

2 Præterea, Magis eſt vniri Deo ſecundum eſſe perſonale, quâm ſecũdum viſionem. Sed ſicut Dam. dicit † in 3 lib. tota diuinitas in vna perſonarum eſt vnita humanæ naturæ in Chriſto. Multo ergo magis tota natura diuina videtur ab anima Chriſti: & ita videtur, quod anima Chriſti comprehenderit diuinam eſſentiam.

3 Præterea, Illud quod conuenit filio Dei per naturam cõuenit filio hominis per gratiã: vt Auguſt. * dicit in primo de Trinit. Sed comprehendere diuinam eſſẽtiam, competit filio Dei per naturam. Ergo filio hominis competit per gratiam. Et ita videtur, quod anima Chriſti per gratiam Verbum comprehenderit. *l. 1. c. 13. to. 3.*

Sed contra eſt, quod Aug. dicit in lib 83. q. * Quod ſe comprehendit, finitum eſt ſibi. Sed eſſentia diuina non eſt finita in comparatione ad animam Chriſti, cum in infinitum eam excedat. Ergo anima Chriſti nõ comprehendit Verbum. *l. 83. q. q. 14. in prin to. 4.*

Reſpondeo dicendum, quod ſicut ex ſupra * dictis patet, ſic facta eſt vnio naturarum in perſona Chriſti, quod tamen proprietas vtriuſque naturæ inconfuſa permanſerit: ita ſcilicet quod increatum manſerit increatum, & creatum manſerit infra limites creaturæ: ſicut Damaſc. * *q. 2. ar. 1. & q. 6. a. 6.*

dicit

l.3.c.3.& 4.
p.p.q. 12. a.7.

dicit in 3.lib. Eſt autem impoſsbile, quod aliqua creatura comprehendat diuinam eſſentiam, (ſicut in prima parte oſtenſum eſt †) eo quod infini tum non comprehenditur á finito. Et ideo dicẽdu m, quod anima Chriſti nullo modo comprehendit diuinam eſſentiam.

Ad primum ergo dicendum, quod homo aſſumptus conformatur diuinę Trinitati in ſui cognitione, non ratione comprehenſionis, ſed ratione cuiuſdã excellentiſsimæ cognitonis præ cæteris creaturis.

Ad ſecundũ dicendum, quod nec etiam in vnione, quæ eſt ſecundum eſſe perſonale, natura humana comprehendit Dei Verbum ſiue naturã diuinam. Quæ quamuis tota vnita fuerit humanæ naturæ in vna perſona Filij, non tamen fuit tota virtus diuinitatis ab humana natura quaſi circũſcripta. Vnde Auguſt. * dicit in Epiſtola ad Voluſianum. Scire te volo, non hoc Chriſtianam habere doctrinam, quod ita Deus infuſus ſit carni, vt curam gubernãdæ vniuerſitatis, vel deſeruerit, vel amiſerit, vel ad illud corpuſculũ quaſi cõtractã, collectãquê tranſtulerit. Et ſimiliter anima Chriſti totã Dei eſſentiã videt, non tamen eam comprehendit: quia non totaliter eam videt, ideſt, non ita perfecte ſicut viſibils eſt: vt in prima parte * expoſitum eſt.

Eſt epi. 3. non multũ remote á prin. tom. 2.

p.p.q. 12. art.7.

Ad tertium dicendum, quod Verbum illud Aug. eſt intelligendum de gratia vnionis, ſecundum quam omnia quæ dicuntur de filio Dei ſecundum diuinam naturam, etiam dicũtur de Filio hominis, propter idẽtitatem ſuppoſiti. Et ſecundum hoc vere poteſt dici, quod filius hominis, eſt comprehenſor diuinæ eſſentiæ: non quidem ſecundum animam ſed ſecundum diuinam naturam. Per quem etiãm modum poteſt dici quod Filius homnis eſt creator.

1 CONcluſio eſt negatiua, quã probat D.Th. Tũ ex Aug, in lib. 83. quęſtion. q. 14. aſſerẽte, id quod ſe cõprehendit infinitũ eſſe ſibi: diuina autem eſſentia nõ eſt finita reſpectu animæ Chriſti, vtpotè quam in infinitum excedit.

Tum etiam, quia anima Chriſti poſt vnionem permanſit cum ſuis naturalibus proprietatibus, vt ſupra quæſt. 2. art. 1. & q. 6. art. 6. dictum eſt, ac proinde finita, & creata: impoſsibile autẽ eſt diuinã eſſentiã, vtpotè infinitã comprehẽdi ab aliqua creatura, vtpotè finita, vt dictũ fuit 1. p. q. 12. ar. 7. ergo impoſsibile eſt, quod anima Chriſti diuinã eſſentiã comprehẽdat.

Dubiũ eſt de veritate, ac certitudine huius concluſionis.

IN hoc dub. omnes Scholaſtici conueniunt in vno, & diſcriminãtur in alio: cõueniunt quidẽ in veritate aſſertionis vnanimiter aſſerentes, nequè Chriſti, nequè alterius beati animam, aũt intellectum diuinam eſſentiam poſſe comprehendere: aduerſuſquè Auguſtinum de Roma Archiepiſcopum Nazarenum, qui temporibus Concilij Baſilienſis: In quodã libelo ſcripſit inter alias, hãc propoſitionẽ: *Anima Chriſti videt Deum tam clarè, & intenſe, quantum clarè, & intenſe Deus videt ſeipſum*: denotans animam Chriſti perfectè, ac proinde cõprehẽſiue cognoſcere diuinã eſſẽtiã: alioquim in claritate, & intenſionẽ cognitionẽ creatã animęChriſti cognitioni increatæ Dei nõ parificaret. Hæc ſupoſitio ab omnibus Scholaſticis amplectitur cũ Magiſtro in 3. diſt. 14. & cũ D. Th. in hoc art. atq; 1. p. q. 12. ar. 7. & probatur primò: nã in Scriptura, & apud Eccleſiæ Patres cõmmẽdatur incõprehẽſibilitas tãquã propriũ Dei predicatũ, & atributũ: quo more loquendi denotatur Deo ſoli cõuenire cõprehẽſionẽ diuinæ eſſentiæ. Igitur hæc nõ eſt alteri atribuẽdã. Maior oſtẽditur ex illo Ierem. 32. *Incõprehẽſibilis cogitatu*, Iob 11. dicũtur incõprehẽſibilia Dei veſtigia, & ad Rom. *Incõprehẽſibilia iudicia eius*: quod ſi incõprehẽſibilis eſt Deus in ſuis iudicijs, & veſtigijs, ſeu effectibꝰ multo magis in ſua eſſentia, quã incõprehẽſibilẽ eſſe diffinit Cõcil Lateran. in cap. *firmiter* de ſumma Trinit. & predicant Baſil. epiſt. 168. ad Eunomiũ, Dion. c. 2. de diuin. nom. & lib. 1. de myſtica Theologia, Cirilus Alexãdr. lib. 11. Theſaur. cap. 1. & lib. 3. in Ioann. cap. 3. Nazianz

oratione 1. & 2. Ireneus lib. 4. contra hereſes, cap. 37. Epiphanius lib. 3. hereſi 70. Chryſoſtomus, hom. 5. de incomprehenſibili Dei natura, & Auguſtinus lib. 83. quæſtionum, quæſt. 14. & lib. de verbis Domini, ſermon. 38. dicens; *attingere Deum mente magna beatitudo eſt; comprehendere vero impoſsibile.*, ex cuius doctrina id ipſum ſtatuit D. Tho. 1. part. quæſt. 14. art. 3. & lect. 3. in Ioann. Neque eneruat vim horum teſtimoniorum, quod obijcit Vazquez 1. part. diſp. 52. cap. 2. dicens in illis appellari Deum incomprehenſibilem dumtaxat facta comparatione ad viatores, cum quo ſtare poſſet illum comprehendi à beatis: quia pariter appellatur inuiſibilis, eo quod à viatoribus videri non poſsit, vt 1. ad Thimoth. 1. & 6. *Regi ſaeculorum immortali, & inuiſibili, & qui lucem inhabitat inacceſsibilem*, & Exodi 33. *Non videbit me homo, & viuet*, cum quo ſtat Deum videri à beatis; eò vel maxime, quod etiã alibi dicitur beatos comprehendere Deũ, vt 1. ad Corinth. 9. *Sic currite, vt comprehendatis*; qui propterea communiter appellantur comprehenſores, quo nomine à viatoribus diſcernuntur: non inquam eneruantur ex hoc prædicta teſtimonia; quoniam ex ſanctorum Patrum interpretatione conſtat, tum diuerſus modus loquendi Scripturæ, dum appellat Deum incomprehenſibilem, aut inuiſibilem: tum diuerſus vtriuſquè phraſis ſenſus: inuiſibilis namquè appellatur reſpectiue, aut reſpectu viatorum mortalem, ac ſenſitiuam vitam degentium; aut comparatione facta ad vires naturales intellectus: incomprehenſibilis vero appellatur abſolutè, & ſine vllo reſpectu, aut addito, quoniam Sancti Patres ſine illo dicta teſtimonia interpretantur.

Deinde probatur eadem ſuppoſitio duabus rationibus theologicis, quibus vtitur Diu. Thom. in allegata, quæſtion. 12. articul. 7. & quæſtion. 14. articul. 3. prima reducitur ad hanc formam: obiecti infiniti, quale eſt deitas, cognitio comprehenſiua non poteſt non eſſe infinita; eo quod debet illud attingere ſummo modo, & quantum attingibile eſt: quod proinde in illam ſuam refundere debet infinitatem: qua ratione oſtendimus ſupra quæſt. 1. artic. 2. dub. 3. offenſam lethalem infinitari; quia attingit Deum ſummo morali modo, quantum offendibilis eſt, auferendo ab eo quoad affectum dignitatem, ac bonitatem vltimi finis: at qui viſio, qua anima Chriſti, & cuiuslibet alterius beati Deum intuetur, nequit eſſe infinita in actu, ſiue cathegorematicè: ergo nequit eſſe comprehenſiua. Minor patet, quia talis viſio quantificari debet à ſuis proximis, & phyſicis principijs elicientibus, atquè iuxta eorum menſuram, ita vt eam excedere non valeat: huiuſmodi autem principia ſunt intellectus, ac lumen gloriæ confortans, & eleuans intellectum, quorum neutrum poteſt eſſe infinitum: non intellectus, qui eſt potentia creata, ac limitata; nequè lumen, quod in eodem finito intellectu recipitur, à quo proinde non poteſt non limitari: ergo.

Secunda ſic procedit: comprehenſio alicuius obiecti, debet ei ita adæquari, vt ſit tantæ virtutis in cognoſcendo, quanta eſt eiuſdem obiecti cognoſcibilitas: eo quod ſicut reſpectu corporum, illud dicitur comprehendi ab altero, quod ab illo totaliter adæquatè, & ſecundum omnem ſui partem capitur, ſiue concluditur, ita reſpectu intelligibilium, illud dicitur propriè ab intelligente comprehẽdi, quòd ab illo adæquate, & totaliter concipitur. hoc eſt teſte Auguſtin. in lib. de videndo Deũ, epiſtol. 112. ad Paulinum, cap. 9. ita vt nihil lateat cognoſcentem, ac per cõſequens tantus debet eſſe conceptus formalis, quãtus eſt obiectiuus: cognoſcibilitas autem Dei eſt infinita, vtpotè ad actualitatem, & eſſentiam infinitam veluti conſequuta cui proinde nequit adæquari, niſi virtus cognoſcitiua ſit infinita, quæ eſt propria Deo: ergo ſolus ille ſe poteſt comprehendere. Minor pro 1. & 2. part. patet, quia cognoſcibilitas infinita qualis eſt, quæ ad eſſentiam infinitam conſequitur non poteſt exequari, niſi per virtutem infinitam in cognoſcendo.

Pro tertia vero probatur, quoniam Deus ex eadẽ indiuiſibili radice, ſibi propria, & eſſentiali habet infinitam cognoſcibilitatem, & infinitam virtutem cognoſcitiuam: nimirum ex ſumma actualitate, & omnimoda carentia materiæ, atquè potentialitatis: ex eo enim, quod eſt in ſummo immaterialitatis, & actualitatis eſt infinite cognoſcitiuus, & infinite cognoſcibilis: ergo ſicut radix eſt ipſi ſoli Deo propria, ita vterquè veluti effectus formalis illius radicalis rationis ipſi eſt proprius: eidem enim oportet formalem effectum eſſe proprium cui & forma eſt propria.

Ter-

Digitized by Google

Tertiò probatur ſatisfaciendo huic potiſsimo fundamento, quod oppoſitam ſententiam ſuadere poteſt: quia nimirum attributa diuina ſunt eiuſdem infinitatis, & actualitatis cũ eſſentia, ac proinde eiuſdẽ cognoſcibilitatis; ob realem, & formalem identitatem, quam habent cum illa, ſed hac non obſtante anima Chriſti comprehenſiue cognoſcit nonnulla attributa vt omnipotentiam, ſcientiam viſionis, ac legem æternam: ergo & eſſentiam diuinã poterit cõprehendere, eius infinitate non obſtante. Minor probatur de omnipotentia quidem, quia intuendo illam per viſionem beatam videt quidquid actu eſt in illa, & omnem eius perfectionem, per quam eſt operatiua, & contentiua quarumlibet creaturarum poſsibiliũ: propterea enim beatus nõ poteſt videre eſſẽtiã ſine relationibus, quia ſunt actu in eſſentia, & formaliter cum illa identificantur: viſa autem omni perfectione omnipotentiæ, non poteſt non cognoſcere omnes creaturas poſsibiles, quibus cognitis ſecundum proprias, ac diſtinctiuas ipſarum rationes nõ poteſt nõ anima beata comprehendere omnipotentiam.

Deinde de ſcientia viſionis, & lege æterna probatur minor, ex eo quod ad comprehenſionem cauſæ alicuius, vel potentiæ ſatis eſt, quod ex vi viſionis ipſius cognoſcatur totum eius adæquatum obiectum, ad quod poteſt extendi: ob quam rationem negat D. Thom. dabilem eſſe cognitionem creatam omnium poſsibilium, ne cogatur admittere talem cognitionem eſſe comprehenſionem omnipotentiæ, anima autem Chriſti ex vi viſionis, qua intuetur in Deo ſcientiam viſionis, & legem æternam, cognoſcit vtriuſque adæquatum obiectum, illius quidem, quia cognoſcit omnes creaturas preteritas, preſentes, & futuras intra ęternitatem quę ſunt obiectum adequtum ſcientiæ viſionis, ſiue liberę Dei: iſtius verò, quia cum teſte D. Thom. 1. 2. quæſt. 93. art. 1. ſit ratio gubernandi, ac dirigendi omnes creaturas, tantum ſe extẽdit ad exiſtẽtes pro aliqua differẽtia tẽporis, quas omnes cognouit anima Chriſti in Verbo, ac proinde cõprehendit adæquatũ obiectũ legis æternæ.

Reſpõdetur in quã negãdo minorẽ. Ad cuius primę partis probationẽ dicẽdũ eſt, diuinã omnipotẽtia cognoſci quidẽ ab anima Chriſti, & à quolibet beato ſecũdũ totã perfectionẽ actu in illa exiſtẽtẽ cathegorematicè: ſecus verò totaliter, aut ſinchathegorematice, quãuis enim eadem ſit perfectio omnipotẽtiæ, quæ præhabet eminẽter omnes creaturas, non tamẽ videtur totaliter à beato, & adæquate; & ideò nõ oportet omnes creaturas poſsibiles videri à beato vidẽte ipſã: neceſsitas enim cognoſcendi has omnes ſecũdũ proprias earũ rationes, non oritur, niſi ex totali, & adæquata omnipotẽtiæ viſione, ſicut ex eius inadæquata viſione tantũ oritur neceſsitas cognoſcendi poſsibilia in communi dumtaxat, hoc eſt ſecundũ cõmuniſsimã rationẽ entis poſsibilis produci à diuina omnipotẽtia, aut nõ implicãtis cõtradictionem, ſecundũ quã ſunt obiectũ adæquatũ, atquè terminus connotatus diuinæ omnipotẽtiæ, qui proinde illa viſa nõ poteſt non cognoſci ab intuente illam.

Ad ſecũdæ partis probationẽ reſpõdetur, vno ex tribus modis, nimirũ cum Suario diſp. 26. ſect. 3. ſciẽtiã viſionis tãtum cõprehendi ab anima Chriſti ex parte obiecti, ſecus verò ex parte actus, qui vt ſic eſt idem cum Deo, ac proinde incõprehenſibilis ſicut ipſe Deus: aut tãtum comprehendi ex parte obiecti ſecundarij, quod ſunt effectus habẽtes éxiſtẽtiã in æternitate, ſecus autẽ ex parte obiecti primarij, quod eſt ipſa diuina eſſentia, quam Deus ſua viſionis ſciẽtia primario, & indeffectibiliter intuetur: aut ſi fiat ſermo de ſciẽtia viſionis nõ abſolute, ſed vt libera; cõprehẽdi quidẽ ab anima Chriſti nõ ſpecificatiue, & in ratione diuini attributi, quia vt ſic eſt eadem ſcientia cum naturali, & neceſſaria, quæ conuenit Deo per ſe, & indeffectibiliter, qui vnico ſolũ gaudet attributo ſciẽtiæ, quod appellatur viſionis, ſiue libera per extẽſionẽ ad effectus pro aliqua differẽtia tẽporis exiſtentes, aut exturos: ſed reduplicatiue, hoc eſt, quatenus viſionis, & libera, ſiue quãtũ ad reſpectũ rationis ad tales effectus, & eorũ connotationẽ; hoc autẽ non eſt comprehendi diuinam ſcientiam, ſimpliciter, & abſolutè ab anima Chriſti, niſi tantum ſecundum quid, nimirum quoad connotationem obiecti ſecundarij, aut quantum ad extenſionem ad illud.

Deniquè ad tertiæ partis probationẽ dices pariter vno ex duobus modis, vel poſſe cõprehẽdi legẽ ęternã ex parte obiecti ſecũdarij; ſecus vero ex parte actus, qui eſt diuina ratio, ac prouidẽtia; vel tãtũ cõprehen-

hendi ab anima Chriſti ſecundum quid, hoc eſt, ſecundum reſpectum rationis ad creaturas exiſtentes, ſiue extituras pro aliqua temporis differentia, & earum connotationem; non autem abſolutè, & ſimpliciter, atquè vt attributum diuinum, quia ſic ſumpta diuina lex in ratione adæquata nedum dictum reſpectum connotat in obliquo, ſed in recto, & veluti formaliter includit perfectionem eandem diuinę prouidentiæ, ac diuinæ cognitionis practicæ, quæ vt ſic incomprehenſibilis eſt ab intellectu creato.

3 Hoc ſuppoſito diſcriminantur Scholaſtici in aſsignando gradum certitudinis noſtræ aſſertionis in tres modos dicendi. Primus eſt Vazquij in annotatione huius articuli, & 1. part. diſputat. 42. cap. 2. exiſtimantis neutram partem aſſertionis gaudere tanta certitudine, vt oppoſitum ſit hæreſis, ſed ea dumtaxat, vt oppoſitum temeritatis nota ſit incurrendum. Secundus, & huic affinis eſt quem ſequitur Ranguſa, diſp. 86. dicens ea gaudere certitudine noſtram aſſertionem, vt dicatur proxima fidei, & eius oppoſitum ſit error, aut proximum errori. Fundamentum vtriuſquè ſententiæ ſumitur ex duplici capite: Tum quia nihil conuincitur ex locis allegatis Scripturæ ſacræ prædicantibus Deum incomprehenſibilem eſſe, ideſt comprehendi non poſſe ab aliò, præter quam à ſe.

Tum ex adducta Seſsione 22. Concil. Baſilienſis damnantis præciſſe opinionem Archiepiſcopi Nazareni, vt erroneam.

Tertius, & communiter receptus eſt, illam eſſe certã de fide; quem ſequuntur Banneſius in articul. citato quæſtion. 12. primæ partis, Medina, & Aluarez in annotatione huius articuli primi, & Suarius in allegata diſputation. 26. ſection. 2. qui à nobis ſtatuitur pro cõcluſione tenenda, & probatur à Banneſio ex locis adductis Scripturæ in quibus reuelatur Deum eſſe incomprehenſibilem: nimirum ab intellectu creato. Sed quoniam cõgruenter hæc loca explicari poſſunt de Dei incomprehenſibilitate per ordinem ad intellectum viatoris dumtaxat, aut per ordinem ad ſenſus carnales, ſiue ad vires naturales: quo pacto pariter prædicatur Deus inuiſibilis in Scriptura propterea ex illis non poteſt ſumi efficax argumentum quo conuincatur eſſe certum ſecundum fidem, Deũ à nullo intellectu beato poſſe cõprehendi, niſi adiuncta Patrum explicatione: Vnde præmiſſo hoc argumento: probatur ſecundo concluſio, ex eo quòd hereticum dogma fuit Annomeiorum ſub anno Chriſti 358. vt refert Prateol. in elencho hereſum, verbo, *Annomei*, & Auguſt. libr. de hereſibus, hereſi 54. & epiſtol. 149. ad Elpirium, & Chryſoſtom. in quinque homilijs de incomprehenſibili Dei natura, Epiphan. lib. 3. de hereſibus, hereſ. 36. & Theophilat. ſuper epiſtol. ad Epheſ. capit. 3. aſſerentium Deum comprehendi poſſe ab humano intellectu: imò & ſe iactantium, etiam in hac vita comprehendere Deum: quod quidem dogma, tamquam hæreticum ab his patribus in locis allegatis refutatur, & damnatur in Concilio Lateranenſi, capit. *Firmiter*, imò, & in Concilio Baſilienſi dicta Seſsion. 22. Nec valet quod dicit Vazquius ibi damnari dumtaxat propoſitionem Archiepiſcopi Nazareni, quatenus attribuebat animæ Chriſti cognitionem non comprehenſibam Dei, nequè qualemcumquè (hæc enim ſtare poſſet cum claritate, & intenſione citra diuinam) ſed æquè claram, & intenſam cum diuina.

Nam æqualis claritas, & intenſio in cognitione arguit æqualem perfectionem: ergo infinita arguit infinitam: ex infinita autem perfectione, ſequitur comprehenſio Dei: ac proinde eo ipſo, quòd dictus Archiepiſcopus animæ Chriſti attribuebat cognitionem Dei æquè intenſam, atquè claram cum diuina, à fortiori ei attribuebat cognitionem infinitè perfectam, & comprehenſibam Dei: iſte què eſt formalis ſenſus aſſertionis ipſius: quem prorſus damnat Concilium Baſilienſem: ergo.

Sed adhuc vrgebis ex verbis, quæ Auguſtin. in dicta epiſtol. 149. habet, dicens: *Ne quis de temeraria eius comprehenſione ſe iactet*, & iterum, *non vt hinc comprehenderemus illam diuinitatem, ſed vt hinc admoneremur non opportere nos de temeraria comprehenſione iactare* Vbi Auguſtinus appellans temerariam huiuſmodi comprehenſionem deitatis conceſſam humano intellectui, videtur ſentire non hæreticum, ſed temerarium dumtaxat eſſe illum, qui cum Annomeis iactat

dei-

deitatem ab humano intellectu poſſe cõprehendi. Reſpondetur, nihilominus huic obiectioni, non obſtare propter duo: Tũ quia Auguſtin. in hac epiſtol. conabatur Elpidium hæreſi Arriana, & Annomeia infectum, inducere ad ſobrie de diuinis rebus ſapiendum, & de vana comprehenſione Dei omnem iactantiam deponendum. Vnde quatenus hanc comprehenſionem deitatis ſibi audacia, & temerario auſu dicti ſectarij arrogabant, eam temerariam appellat, quæ alias quatenus edocta ab ipſis erat, hæretica cenſeretur.

4 Tum etiam, quia temerarium dogma eſt quid ſuperius ad hæreticum, ſicut animal ad hominem, etenim omne hæreticum dogma eſt temerarium, ſed non è contra. Vnde ſicut qui prædicat animal de homine non præſcindit à rationali, neque illud excludit: ita Auguſtinus prædicans temerarium de huiuſmodi comprehenſione deitatis, nec præſcindit ab hæreſi, nec illam excludit.

Solutio fũdamenti oppoſiti. Hinc ad primum fundamentum pro oppoſita ſententia patet ſolutio: fatemur enim ex locis Scripturæ nõ conuinci certitudinem fidei in noſtra aſſertione: niſi adiuncta Patrum explicatione.

Ad ſecundum verò negamus illam non colligi ex duplici diffinitione Eccleſiæ adducta ex Concilio Baſil. & Later. de Baſilienſi quidem ob rationem aſsignatam: de Lateranenſi vero, quia Eccleſia in illo diffinit Deum abſolutè eſſe incomprehenſibilem, non vt eius incomprehenſibilitatem ſolum prædicet, ſed vt dogma impium aliquod damnet, nimirum aut illud Annomeiorum, aut iſtud Archiepiſcopi Nazareni; aut ſimul vtrumquè: cũ ergo propoſitio Concilij ſit nõ ſimplex prædicatio, ſed diffinitio damnans dictum errorem; eius oppoſitam veritatem diffinit, ac canonicam firmat.

(???)

ART. II.

Vtrùm anima Christi in Verbo cognouerit omnia?

AD ſecũdum ſic proceditur. Videtur, quod anima Chriſti in Verbo non cognoſcat omnia. Dicitur enim Marci 13. De die autem illa nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, niſi Pater. Non ergo omnia ſcit in Verbo.

3. d. 14. a. 2. q. 2. & 4. ad 3. & 4. & ver. q. 8. art. 4. c. & q. 20. a. 4. & 5. & quol. 3. q. 2. ar. 1. c. & opuſ. 3. c. 223. & opuſ. 9. q. 81.

2 Præterea, Quanto aliquis perfectius cognoſcit aliquod principium, tanto plura in illo principio cognoſcit. Sed Deus perfectius videt eſſentiã ſuam, quam anima Chriſti. Ergo plura cognoſcit in Verbo, quã anima Chriſti. Non ergo anima Chriſti in Verbo cognoſcit omnia.

3 Præterea, Quantitas ſciẽtiæ attenditur ſecundum quantitatẽ ſcibiliũ. Si ergo anima Chriſti ſciret in Verbo omnia quæ ſcit Verbum, ſequeretur quod ſciẽtia animæ Chriſti æquaretur ſcientiæ diuinæ, creatũ videlicet increato: quod eſt impoſsibile.

Sed contra eſt, quod ſuper illud Apoc. 5. Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere diuinitatem & ſapiẽtiam: Gloſſ. * dicit, ideſt, omnium cognitionem. *gl. or. ibi.*

Reſpondeo dicendum, quod cũ quæritur an Chriſtus cognoſcat omnia in Verbo, ly omnia, poteſt dupliciter accipi. Vno modo proprie, vt diſtribuat pro omnibus, quæ quocũque modo ſunt, vel erunt, vel fue-

 runt

Digitized by Google

runt, vel facta, vel dicta, vel cogitata
â quocumque, ſecundum quodcum
que tempus. Et ſic dicendũ eſt, quod
anima Chriſti in verbo cognoſcit
omnia. Vnuſquiſque enim intelle-
ctus creatus, in Verbo cognoſcit, nõ
quidem omnia ſimpliciter, ſed tanto
plura, quanto perfectius videt Ver-
bum. Nulli tamen intellectui beato
deeſt, quin cognoſcat in Verbo om-
nia quę ad ipſum ſpectant: ad Chriſtũ
autem & ad eius dignitatẽ ſpectant
quodammodo omnia, in quantum
ei ſubiecta ſunt omnia. Ipſe etiam eſt
omnium iudex conſtitutus â Deo,
quia filius hominis eſt vt dicitur
Ioan 5. Et ideo anima Chriſti in Ver
bo cognoſcit omnia exiſtentia, ſecũ-
dum quodcumque tempus, & etiam
hominum cogitatus, quorum eſt iu-
dex: ita vt quod de eo dicitur Ioan. 2
Ipſe enim ſciebat quid eſſet in homi-
ne: poſsit intelligi non ſolum quan-
tum ad ſcientiam diuinam, ſed etiã
quantum ad ſcientiã animę eius, quã
habet in Verbo. Alio modo ly om-
nia, poteſt accepi magis large, vt ex-
tendatur non ſolum ad omnia, quæ
ſunt actu ſecundum quodcumque
tempus, ſed etiam ad omnia quæcũ-
que ſunt in potentia numquam redu
cenda vel reducta ad actum. Horum
autem quædam ſunt in ſola potentia
diuina: & huiuſmodi nõ omnia cog-
noſcit in Verbo anima Chriſti. Hoc
enim eſſet comprehendere omnia,
quæ Deus poteſt facere: quod eſſet
comprehendere diuinam virtutem,
& per conſequens diuinam eſſentiã.
Virtus enim quælibet cognoſcitur
per cognitionem omnium, in quæ
poteſt. Quædam vero ſunt non ſolũ
in potentia diuina, ſed etiam in potẽ
tia creaturę: & huiuſmodi omnia
ſcit anima Chriſti in Verbo. Com-
prehẽdit enim in Verbo omnis crea
turę eſſentiam, & per conſequens po
tentiam & virtutem, & omnia quæ
ſunt in potentia creaturæ.

Ad primum ergo dicendum,
quod illud Verbũ intellexerut Arius
& Eunomius, non quantum ad
ſcientiam animæ, quam in Chriſto
non ponebant, (vt ſupra dictum eſt * *q. 9. ar. 1.*
ſed quantum ad diuinam cognitio-
nem Filij, quem ponebant eſſe mino
rem Patre quantum ad ſcientiam.
Sed illud ſtare non poteſt: quia per
Verbum Dei facta ſunt omnia, vt di-
citur Ioan. 1. Et inter alia facta ſunt
etiam per ipſum omnia tempora. Ni
hil autẽ per ipſum factum eſt, quod
ab eo ignoretur. Dicitur ergo neſci-
re diem & horam iudicij, quia non
facit ſcire. Interrogatus enim ſuper
hoc ab Apoſtolis Act. 1. hoc eis no-
luit reuelare, Sicut ẽcõtrario legitur
Geneſ. 22. Nunc cognoui, quod ti-
meas Deum, ideſt nunc cognoſcere
te feci. Dicitur autem Pater ſcire:
quia huiuſmodi cognitionem tradi-
dit Filio. Vnde in hoc ipſo, quod di-
citur, Niſi Pater, datur intellegi
quod Filius cognoſcit, & non ſolũ
quantum ad diuinam naturam, ſed
etiam quantum ad humanam: quia
vt Chryſoſtomus * argumentatur, *Hom. 71*
ſi Chriſto homini datum eſt, vt ſciat, *in Matth.*
qualiter oporteat iudicare quod eſt *to. 2. & ho*
maius, multo magis datum eſt ei ſci- *mil. 14.*
re quod minus eſt, ſcilicet tempus *in Mar.*
iudicij. Origens tamẽ † hoc exponit *idẽ innuit.*
de Chriſto ſecundum corpus eius, *to 2.*
quod eſt Eccleſia, quæ hoc tempus *Hom. 30.*
ignorat. Quidam autem dicunt hoc *in Matt.*
eſſe intelligendum de filio Dei adop *in vlt. fol.*
tiuo, non de filio naturali. *illius ho. tom. 2.*

Ad ſecundum dicendum, quod
Deus in tantum perfectius cog-
noſcit ſuam eſſentiam, quam ani-
ma Chriſti, quod eam compre-
hendit. Et ideo cognoſcit omnia
non ſolum quæ in actu ſecundum
quodcumque tempus, quæ dicitur
cognoſcere ſcientia viſionis: ſed etiã
omnia quæcumque ipſe facere po-

teſt

teſt, quæ dicitur cognoſcere per ſimplicem intelligentiam, vt inprimo habitum eſt. * Scit ergo anima Chriſti omnia, quæ Deus in ſe ipſo cognoſcit per ſcientiam viſionis: non tamen omnia, quæ Deus in ſe ipſo cognoſcit per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. Et ita plura ſcit Deus in ſe ipſo, quam anima Chriſti.

p. p. q. 14. ar. 9.

Ad tertium dicendum, quod quantitas ſcientiæ non ſolum attenditur ſecundum numerum ſcibiliũ, ſed etiam ſecundum claritatem cognitionis. Quamuis igitur ſcientia animę Chriſti, quam habet in Verbo, parificetur ſcientiæ viſionis, quam Deus habet in ſe ipſo, quantum ad numerum ſcibilium: ſcientia tamen Dei excedit in infinitum, quantum ad claritatem cognitionis, ſcientiam animę Chriſti: quia lumen increatũ diuini intellectus, in infinitũ excedit lumen creatum, quodcunque receptum in anima Chriſti. Licet abſolute loquendo, ſcientia diuina excedat ſcientiam animæ Chriſti, non ſolum quantum ad numerum ſcibilium, vt dictum eſt. *

in co. ar.

Littera articuli expenditur.

RESpondet D. Thom. concluſione trimembri, nimirum animam Chriſti in Verbo cognouiſſe omniaque fuerunt, ſunt, & erũt pro aliqua temporis differentia; & inſuper omnia quæ ſunt in potentia creaturarum: ſecus verò omniaquè continentur in potentia diuina. Primam partem concluſionis probat D. Thom. dupliciter: Tum ex illo Apocal. 5. *Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt accipere diuinitatem, & ſapientiam, &c.* Hoc eſt omnium cognitionem: ait Gloſſa.

Tum etiam, quia vnuſquiſque beatus in Verbo cognoſcit, quę ad ipſum ſpectant: ad Chriſtum autem, & eius dignitatē expectant omnia, ſecundum quodcumque tempus exiſtentia; ergo eorum omnium cognitionem habet in Verbo.

Secundam verò probat ex eo quod anima Chriſti comprehendit in Verbo omnium creaturarum eſſentias, ac proinde potentias, & virtutes, quas comprehendere non poſſet, niſi omnia ad quę extenduntur, cognoſcendo.

Deniquè tertiam partem probat, quia anima Chriſti nõ comprehendit diuinam eſſentiam, aut omnipotentiam: ſi autem in Verbo cognoſceret omnia poſsibilia, cõprehenderet omnipotentiam, ſimul cũ diuina eſſentia; quælibet enim virtus cõprehenditur per cognitionem omnium in quæ poteſt.

ART. III.

Vtrùm anima Chriſti in Verbo cognouerit infinita?

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod anima Chriſti non poſsit cognoſcere infinita in Verbo. Quod enim infinitum cognoſcatur, repugnat definitioni infiniti prout dicitur in 3. Phyſ. † quod infinitum eſt, cuius quantitatem accipientibus, ſemper eſt aliquid extra accipere. Impoſsibile autem eſt definitionem a definito ſeparari: quia hoc eſſet contradictoria eſſe ſimul. Ergo impoſsiblle eſt, quòd anima Chriſti ſciat infinita.

1. q. 14. ar. 12. & 3. d. 14. a. 2. q. 2. ad 2. & q. 4. ad 2. & ver. q. 20. a. 4. c. & ad 1. 2. & 5. & quod. 3. q. 2. a. 1. & opu. 9. q 81.
† l. 3. phy. te. 63. ta.

2 Præterea. Infinitorũ ſciẽtia eſt infinita. Sed ſciẽtia animę Chriſti non poteſt eſſe infinita: eſt enim capacitas eius finita, cum ſit creata. Non ergo anima Chriſti poteſt cognoſcere infinita.

3 Præterea. Infinito nõ poteſt eſſe aliquid maius. Sed plura continẽtur in ſciẽtia diuina abſolutê loquẽdo, quam in ſcientia animæ Chriſti, vt dictum eſt. * Ergo anima Chriſti nõ cognoſcit infinita.

q. præc. a. 1. & ſeq.

Sed cõtra. Anima Chriſti cognoſcit totā ſuā potẽtiā, & omnia in quę poteſt. Poteſt autē in emũdationē infinitorũ peccatorũ: ſecundũ illud 1. Ioan. 2. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: nõ autē pro noſtris tantũ, ſed etiā pro totius mũdi. Ergo anima Chriſti cognoſcit infinita.

Reſpondeo dicendum, quod ſcientia nõ eſt niſi entis, eo quod ens & verum conuertuntur. Dupliciter autem dicitur aliquid ens. Vno modo ſimpliciter, quod ſcilicet eſt ens actu: alio modo ſecundũ quid, quod ſcilicet eſt ens in potentia. Et quia, vt dicitur in 9. Met. * vnumquodque cognoſcitur, ſecundũ quod eſt actu; non autem, ſecundum quod eſt in potentia: ſcientia primo & principaliter reſpicit ens actu, ſecundario autem reſpicit ens in potentia: quod quidem nõ ſecundum ſe ipſum cognoſcibile eſt, ſed ſecundum quod cognoſcitur illud, in cuius potentia exiſtit. Quantum igitur ad primum modum ſcientiæ, anima Chriſti non ſcit infinita: quia non ſunt infinita in actu, etiam ſi accipiantur omnia quæcumque ſunt in actu, ſecundũ quod cumque tẽpus: eo quod ſtatus generationis, & corruptionis nõ durat in infinitum. Vnde eſt certus numerus non ſolum eorum, quæ ſunt abſque generatione, & corruptione: ſed etiã generabilium, & corruptibilium. Quantum vero ad alium modum ſciendi, anima Chriſti in Verbo ſcit infinita: ſcit enim, vt dictum eſt, * omnia quæ ſunt in potẽtia creaturę. Vnde cum in potentia creaturæ ſint infinita, per hunc modum ſcit infinita, quaſi quadam ſcientia ſimplicis intelligentiæ, non autem ſcientia viſionis.

li. 9. met. te. 2. to. 3.

art. præc.

Ad primum ergo dicendum, quod infinitum (ſicut in prima parte dictum eſt *) dupliciter dicitur. Vno modo ſecundum rationem formę. Et ſic dicitur infinitum negatiue ſcilicet id quod eſt forma vel actus non limitatus per materiam vel ſubiectum in quo recipiatur. Et huiuſmodi infinitum, quantum eſt de ſe, eſt maxime cognoſcibile, propter perfectionem actus, licet non ſit cõprehenſibile à potentia finita creaturæ: ſic enim dicitur Deus infinitus. Et tale infinitum anima Chriſti cognoſcit, licet nõ comprehendat. Alio modo dicitur infinitum ſecundum rationem materiæ: quod quidem dicitur priuatiue, ex hoc ſcilicet, quod non habet formam quã natũ eſt habere, & per hunc modum dicitur infinitum in quantitate. Tale autem infinitum ex ſui ratione eſt ignotum: quia ſcilicet eſt quaſi materia cum priuatione formę (vt dicitur 3. Phyſ. * omnis autem cognitio eſt per formam vel actum. Sic ergo ſi huiuſmodi infinitum cognoſci debeat ſecundum modũ ipſius cogniti, impoſſibile eſt quod cognoſcatur: eſt enim modus ipſius, vt accipiatur pars eius poſt partem, vt dicitur in 3. Phyſicor. * Et hoc modo verum eſt, quod eius quantitatem accipientibus, ſcilicet parte accepta poſt partẽ, ſemper eſt aliquid extra accipere. Sed ſicut materialia poſſunt accipi ab intellectu immaterialiter & multa vnite: ita infinita poſſunt accipi ab intellectu non per modum infiniti, ſed quaſi finite: vt ſic ea quæ ſunt in ſeipſis infinita, ſint in intellectu cognoſcẽtis finita. Et hoc modo anima Chriſti ſcit infinita: in quantum ſcilicet ſcit ea non diſcurrendo per ſingula, ſed in aliquo vno, puta in aliqua creatura, in cuius potentia exiſtunt infinita, & principaliter in ipſo Verbo.

p. p. q. 7. art. 1.

l. 3. te. 65. to. 2.

l. 3. Phyſ. te. 62. & 63. to. 2.

Ad ſecundum dicendum, quod nihil prohibet aliquid eſſe infinitum vno modo, quod eſt alio modo finitum: ſicut ſi imaginemur in quantitatibus ſuperficiem, quæ ſit ſecundum longitudinem infinita, ſecundum latitudinem autem finita. Sic igitur ſi eſſent infiniti homines numero, haberent quidem infinitatem ſecundum aliquid, ſcilicet ſecũdum multitudinem: ſecundum tamen eſſentiæ rationem haberent fini-

nitatem, eo quôd omnium eſſentia eſſet limitata ſub ratione vnius ſpeciei. Sed id quod eſt ſimpliciter infinitum ſecundum eſſentiæ rationẽ, eſt Deus: vt in prima parte dictum eſt.

p.p.q.7. ar.2.
† lib.3.de ani.te.26 to.2

* Proprium autem obiectum intellectus eſt, quod quid eſt (vt dicitur 3. † de anim.) ad quod pertinet ratio ſpeciei. Sic igitur anima Chriſti propter hoc, quod habet capacitatem finitam, id quod eſt ſimpliciter infinitum ſecundum eſſentiam, ſcilicét Deum attingit quidem: ſed nõ comprehendit, vt dictum eſt.

* ar.1.huius q.

* Id autem infinitum, quod in creaturis eſt in potentia, poteſt comprehendi ab anima Chriſti: quia comparatur ad ipſam ſecundum eſſentiæ rationem: ex qua parte infinitatem non habet. Nam etiam intellectus noſter intelligit vniuerſale, puta naturam generis, vel ſpeciei: quod quodammodo habet infinitatem, in quantum poteſt de infinitis prædicari.

Ad tertium dicendum, quôd id quod eſt infinitum omnibus modis, non poteſt eſſe, niſi vnum. Vnde & Philoſophus dicit in primo de cœlo,

l.1.text.2 to.2.

* quod quia corpus eſt ad omnẽ partem dimenſionatum, impoſsibile eſt eſſe plura corpora infinita. Si tamen aliquid eſſet infinitum vno modo tantum, nihil prohiberet eſſe plura talia infinita: ſicut ſi intelligeremus plures lineas infinitas ſecundũ longitudinem, protractas in aliqua ſuperficie finita ſecundum latitudinem.

Quia igitur infinitum non eſt ſubſtantia quædam, ſed accidit rebus, quæ dicuntur infinitæ (vt dicitur in 3. Phyſicor. *)

l.3.te 37 & 38.t.2

ſicut infinitum multiplicatur ſecundum diuerſa ſubiecta, ita neceſſe eſt, quod proprietas infiniti multiplicetur: ita quôd conueniat vnicuiquâ illorum, ſecundũ illud ſubiectum. Eſt autem quædam proprietas infiniti, quôd infinito nõ ſit aliquid maius. Sic igitur ſi accipiamus vnam lineam infinitam, in illa non eſt aliquid maius infinito. Et ſimiliter ſi accipiamus quamcumquê aliarum linearum infinitarum, manifeſtum eſt quod vniuſcuiuſqué earum partes ſunt infinitæ. Opportet ergo quod omnibus illis partibus infinitis non ſit aliquid maius in illa linea: tamen in âlia linea, & in tertia erunt plures partes, etiam infinitæ præter iſtas, Et hoc etiam videmus in numeris accidere: nam ſpecies numerorum parium ſunt infinitę, ſimiliter ſpecies numerorum impariũ: & tamen numeri pares, & impares ſunt plures quâm pares. Sic igitur dicendum eſt, quod infinito ſimpliciter, & quoad omnia nihil eſt maius: infinito autem ſecundum quod determinatum, non eſt aliquid maius in illo ordine; poteſt tamen accipi aliquid aliud maius extra illum ordinem. Per hunc igitur modum infinita ſunt in potentia creaturæ, & tamẽ plura ſunt in potentia Dei, quâm in potentia creaturæ; & ſimiliter anima Chriſti ſcit infinita ſcientia ſimplicis intelligentiæ: plura tamen ſcit Deus ſecundum hunc ſcientiæ, vel intelligentiæ modum.

Concluſiô eſt bimembris, ſcilicèt entium in actu, & ſimpliciter nõ cognouit infinita: bene tamẽ entiũ ſecundum quid. Ratio primę partis eâ eſt: quia quod non eſt, non ſcitur: entia autem in actu, intellige ſubſtantialia, non ſunt infinita, etiam ſecundum quodcumquè tempus, eo quod datur terminus, & ſtatus generationis, & corruptionis. Secundæ autem partis aſsignatur duplex ratio. Prima quidem in argumento ſed contra, quia anima Chriſti cognoſcit omnia, quæ poteſt eius virtus, ac potentia: poteſt autem in emundationem infinitorum peccatorum, iuxta illud 1. Ioann, 2. ipſe eſt propiciatio pro peccatis noſtris: non autem pro noſtris tantum: ſed etiam per totius mundi. Secunda verò ea

eſt: quia ex articulo præcedenti conſtat animam Chriſti cognoſcere omnia, quæ continentur in potentia cuiuslibet creaturæ: & cum hæc ſint infinita: hinc fit animam Chriſti cognoſcere infinita in potentia: non quidem ſcientia viſionis, ſed quadam cognitione ſimplicis intelligentiæ.

Circa has concluſiones tria à Theologis controuerti ſolent: nimirum an anima Chriſti in Verbo cognouerit cuncta poſsibilia? & an cognouerit in Verbo omnia futura? & tandem an cognouerit infinita? Quæ à nobis eodem ordine ſunt examinanda.

Dubium primum eſt: An anima Chriſti Domini, cognouerit in Verbo omnia poſsibilia: ideſt tam quæ in creatura, quam quæ in Dei potentia continentur.

Opinio Magiſtri, Albert. Dur. & Gotfredi cum ſuis fundamentis proponitur.

5 IN hoc dubio tres verſantur ſentētiæ: duæ extremæ, & alia media. Prima illarum abſolutè affirmans eſt, quam tuentur Magiſter in 3. diſtinct. 14. cap. 2. Albert. ibidem, Durand. quæſt 1 art 2, Gotfredus, quæſt 2. & Scholaſt. in eadem queſt. §. *tertio modo*, & §. *poteſt dici*: dum tanquam probabilem defendit hanc ſententiam: nō quidē generaliter de quolibet beato, ſicuti illam defendunt Durand. & Gotfred. ſed ſpecialiter de anima Chriſti: dicens vno ex duobus modis defendi poſſe: nimirum aut ita, vt anima Chriſti per eamdem viſionem, qua videt diuinam eſſentiam primario, cognoſcat etiam omnia poſsibilia tāquam obiectum ſecundarium: aut ita, vt ſingulis cognitionibus ſuper aditis ad viſionem diuinæ eſſentiæ cognoſcat ſingulas rerum poſsibilium quidditates: ſiue finitæ, ſiue inſinitæ ſint. Id autem in quo omnes hi authores conueniunt ſuadetur quintupliciter. Primò quidem argumento Magiſtri: quoniam Chriſto, ſicut non eſt datus ſpiritus ad menſuram, vt dicitur Ioann. 3. ita nec ſcientia: ergo fuit illi cōmunicata ſcientia ſine menſura. Tunc vltra: ſed ſi non cognoſceret per ſcientiam creatam omnia, quæ Deus nouit per ſcientiam increatam, non haberet ſcientiam ſine menſura, & cum illa plenitudine, quam prædicat Paul. ad Coloſenſ. 2. dum ait: *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi*: ex quo teſtimonio probat Fulgentius, in quodam ſermone animam Chriſti rerum omnium ſcientiam habuiſſe: ergo. Secundò argumento Durand. ad hanc formam reducto: videns eſſentiam Dei illico cognoſcit quidditates omnium, quæ in illa naturaliter repræſentantur: & omnes creaturæ poſsibiles naturaliter in diuina eſſentia repræſentantur: ergo omnes à quocumque vidente diuinam eſſentiam cognoſcuntur. Minor eſt nota, & maior oſtenditur tripliciter. Tum quoniam nec impeditur ex parte eſſentiæ diuinæ, quia eſt ſpecies omnium expræſſa, & vt talis videtur à quolibet beato, qui in illa omnes rerum ideas intuetur: nec ex parte ipſius videntis, quòd cum poſsit cognoſcere maius, videlicet diuinam eſſentiam, à fortiori poterit cognoſcere minus, videlicèt effectus poſsibiles.

Tum etiam, quia propterea videns diuinam eſſentiam, videt neceſſario eius attributa, quod in illa naturaliter repræſententur.

Tum denique: nam propterea beatus cognoſcit vnum, aut alterum effectum poſsibilem, quia in diuina eſſentia, vt in ſpecie intelligibili, & vt in cauſa naturaliter repræſentatur: pariter autem omnes in illa naturaliter repræſentantur: ergo pariter omnes à quolibet beato cognoſcuntur.

Tertiò probatur infringendo rationem, qua nititur Diuus Thomas, tam in hoc articul. 2. quàm in 1 part. quæſt. 12. art. 8. dicens: ſi anima Chriſti, aut aliquis beatus cognoſceret omnia poſsibilia, cōprehenderet eſſentiam diuinam, & omnipotentiam, quia ex omnium poſsibilium cognitione, non ſequitur talis compræhēſio: ergo propter hoc inconueniens non eſt illa deneganda animæ Chriſti, aut cuiuis alteri beato, antecedens oſtenditur quatuor modis.

Tum, quia cognito vno effectu poſsibili in Verbo non comprehenditur Verbum, vt cauſa illius, vtpotè quod per eandem virtutem, & rationem formalem operan-

randi eſt cauſa vnius, & aliorum: ergo nec cognitis omnibus ſequitur ipſum Verbũ comprehendi, vt eſt cauſa omnium.

Tum etiam, quia illa cognitio non eſſet adęquata obiecto in eſſe rei, nec in eſſe cogniti: ſiquidem neque eſſet tam perfecta, ſicut Deus in eſſe entis, aut in eſſe cognoſcibilis: quę tamẽ adæquatio requiritur ad comprehenſionem, teſte D. Tho. 1. p. quæſt. 12. art. 7.

Tum quia, ad cognoſcendum omnes effectus poſsibiles ſufficeret cognitio infinita extenſiuè dumtaxat: hæc autem nõ eſſet comprehenſio diuinæ eſſentiæ, niſi ſimul eſſet infinita intenſiue: ergo. Dices cognitionem omnium effectum poſsibilium ſecundum eorum proprias rationes acquiditates in Verbo, nedũm extenſiuè, ſed etiam intẽſiue fore infinitam: eo quod ad manifeſtandum creaturam perfectiorem ſecundum ſpeciem requiritur maior perfectio, & intenſio, quam ad manifeſtandum creaturam inferioris ſpeciei: ergo ad manifeſtandum omnes in Verbo, requiritur infinita perfectio, & intenſio. Contra hoc eſt: nam tota collectio creaturarum poſsibilium non adæquat perfectionem deitatis in eſſendo, vtpote quæ eſt cauſa æquiuoca, & excedens reſpectu illius: ergo neque adaquat illam in ognoſci: ergo cognitio totius collectionis poſsibilium non eſſet comprehenſio deitatis. Prima conſequentia patet, quia ſicut res ſe habet ad eſſe, ita & ad cognoſci, vtpotè cum cognoſcibilitas ſit paſsio entis & quo res magis habet de eſſe materiali, eò habet magis de cognoſcibilitate. Secunda verò ex eo fit nota, quia ſi deitas in cognoſcibilitate excedit totam collectionem poſſibilium, perfectiorem petit cognitionem ad ſui comprehenſionem illa, quam iſta, neque ex comprehenſione iſtius ſequitur comprehenſio illius.

Tum denique: nam ex eo quod beatus cognoſcat omnes perfectiones quæ formaliter ſunt in Deo, nõ ſequitur quod comprehendat Deum, ergo à fortiori, neque ſequitur ex eo quod cognoſcat omnes perfectiones producibiles, virtualiter tamen exiſtentes in Deo; ſiquidem iſtæ cum illo minorem habent conexionẽ, & maiorem ab illo diſtantiam.

Quartò nã admiſſo, quod ex cognitione omniũ poſsibiliũ ſequatur cõprehẽſio eſſẽtiæ diuinæ, quãtũ ad perfectiones abſolutas ſecundũ quas præ intelligitur perſonis, & eſt productiua creaturarum, atquè illarum virtualiter, ſiue eminenter contentiua: tamen non ſequitur comprehenſió perſonarum diuinarum, ac relationum: ergo non ſequitur comprehenſio Dei abſolutè, & ſimpliciter. Conſequentia patet, quia ad comprehenſionem Dei abſolutè, & ſimpliciter requiritur, quod Deus cognoſcatur ſecundum omnia prędicata, & formalitates, quæ actu, & formaliter ſunt in ipſo, ac proinde ſecundum abſoluta, & relatiua. Antecedens autem oſtenditur ex eo, quod cognitio omnium creaturarum poſsibilium in Deo tamquam in cauſa ſolum petit attingere de Deo id per quod eſt cauſa illarum, & quod cum illis habet neceſſariam connexionem: hoc autem de ſolis prædicatis abſolutis verificatur: nimirum de omnipotentia quæ eſt productiua creaturarum, & de eſſentia diuina, prout eſt radix omnipotentiæ, ſecus autem de relationibus, & de potentia productiua perſonarum: quæ nec per ſe præ requiruntur ad productionem creaturarum, neque iſtæ cum illis habent neceſſariam conexionem, aut habitudinem dependentiæ, tamquam effectus à ſua cauſa: hæc enim præciſe eſt Deus, vt præ intellectus relationibus, & perſonis: ergo.

Quinto probatur ſuponendo in Deo reperiri decreta, nedum poſsitiua circa creaturas producendas, ſed etiam negatiua circa creaturas poſsibiles numquam producendas: eo quod diuina voluntas non potuit ab æterno habere ſe pure negatiuè, aut ſuſpendere omnem actum circa aliquas creaturas: ac proinde debuit circa quaſcumquè determinari per decretum, vel poſsitiuum de illis producẽdis, vel negatiuum de illis non producendis: & alias cum circa creaturas poſsibiles numquam producendas non fuerit determinata per decretum poſsitiuum de illarum productione conſequens eſt illam fuiſſe determinatam per decretum negatiuum de earum non productione. Quo ſuppoſito ſic argumentatur: anima Chriſti per ſcientiam beatam cognouit omnia decreta, quibus de facto diuina voluntas fuit determinata, tã circa producendas, quàm circa non producendas aliquas creaturas: hoc eſt tam poſſitiua, quàm negatiua: ſed cognitis huiuſmodi decretis negatiuis neceſſario debuit cognoſcere creaturas poſsibiles, numquam producendas, ſecundum proprias earum rationes, & quiditates: ergo ſicut cogni-

cognitis decretis poſsitiuis cognouit omnia futura, ita cognitis negatiuis cognouit omnia alia poſsibilia. Minor patet, quia implicat, quòd videntem actum aliquem lateat obiectum, vt ote quod cum illo connectitur, tamquam connotatum cum connotante, & ſpecificans cum ſpecificato: ergo cum decreta illa negatiua, ſic connectantur cum creaturis poſsilibus nō producendis ſecundum proprias earum rationes, tamquam cum obiectis, implicat illa videri ſine iſtorum cognitione.

Opinio Bonau. Scoti & Nomina. expenditur.

6 Secunda ſententia ait animam Chriſti in Verbo cognoſcere omnia, quæ Deus ipſe cognouit etiam poſsibilia non quidē actu, ſed tantum habitu, ita Bonav. in 3. diſt. 14. art. 2. quæſt. 3. Gabr. quæſt. vnica art. 1. Almai. ibidem, Scoti quæſt. 2. §. *ſed ſi iſta via*, & §. *aliter reſpondetur.* Henr. citatus ad marginem Scoti, & alegatus ab Almain. vbi ſupra, & à Gabr. quodlibet. 5. quæſt. 4. & Marſ. in eodem 3. quæſt. 10. art. 3. part. 3; qui authores vno ex duobus modis ſuam explicant ſententiam: Scotus enim ideò vult animam Chriſti cognoſcere omnia poſsibilia in Verbo habitualiter, ſiue ſecūdū habitum, quia Verbum eſt ſpeculum voluntarium, ſuapte natura repræſentatiuum omnium, & potens pro libito ſuo quæuis obiecta, ſiue futura, ſiue poſsibilia manifeſtare videnti ipſum, at D. Bonav. cum alijs exiſtimat eatenus animam Chriſti cognoſcere omnia poſsibilia in Verbo habitualiter, quatenus videt diuinam eſſentiam per habitum gloriæ qui de ſe, & in actu primo eſt potens manifeſtare, & cognoſcere omnia quæ Deus in ſua eſſentia, veluti in ſpeculo voluntario voluerit illi reuelare ſigillatim; aut ſucceſsiue: modo id fiat mediante eadem viſione beata, qua anima Chriſti videt Verbum, modo mediantibus alijs cognitionibus ſuperadditis, & à viſione beata diſtinctis: quod magis inſinuare videntur præfati authores.

Quorum fundamentum in hac parte nō eſt aliud præter illud commune, quod deſumunt ab inconuenienti, quod ſequitur ex actuali, & ſimultanea cognitione omnium futurorum, & poſsibiliū in Verbo: nimirum, aut diuinam eſſentiam comprehendi ab anima Chriſti, aut diuinam ſcientiam exæquari à ſciētia animæ Chriſti: quod tamen ſufficienter vitatur: ſi animæ Chriſti demus cognitionem omnium poſsibilium in Verbo habitualiter dumtaxat, & veluti in actu primo, qui ad actum ſecundum poſsit reduci ſucceſsiue in ſenſu explicato.

Tertia ſētētia aſſerit animā Chriſti per ſcientiam beatam non omnia poſsibilia, ſed aliqua dumtaxat cognoſcere in Verbo, ita D. Thom. in hoc art. 2. Capreol. in 3. diſtin. 14. quæſt. 2. art. 1. Ricard. art. 2. quæſt. 3. Palud. quæſt. 1. art. 3. Henriq. quodlibet. 7. quæſt. 5. Caietan. in huius art. 2. atque art. 8. quæſt. 12. 1. part. commentario, Bañez ibidem, dub. vnico, Molin. diſp. 5. membr. 2. Suar. diſp. 6. ſect. 2. & 3. Siluius in anotatione huius articuli, Aluarez, diſp. 54. Cabrera diſput. 3. Ranguſa diſp. 87. & ſequenti, Lorca diſp. 48. & Peſantius diſp. vnica, & Vazq hic diſput. 50. cap. 3. & 1. part. diſp. 49. cap. 2. & diſp. 50. cap. 3. & 4. qui authores in explicando qualiter anima Chriſti cognoſcat in Verbo aliquos effectus poſsibiles, & in aſsignando rationem ob quam non cognoſcat omnes, diſcriminantur in duos modos dicendi, Vazq. enim cum Peſantio ſequutus in hac parte Scotum vbi ſupra; Gabrielem in 3. diſtinct. 14. quæſt. vnica: Ocamum, quæſtion. 13. & Maiorem, diſt. 49. queſtion. 5. inquit animam Chriſti non cognoſcere effectus poſsibiles per eandem viſionem beatam, ſed per alias cognitiones, veluti ex illa cauſatas per nouas ſpecies inditas à Deo (ait Peſantius) repræſentantes aliquos effectus poſsibiles ex cūctis, quę in diuina eſſētia repręſentantur, ob quam cauſalitatem, & dependentiā dicitur tales effectus cognoſcere in Verbo, non quidem formaliter, ſed cauſaliter, id eſt per reuelationes factas à Verbo. Ex quo principio infert hic autor rationem ob quam anima Chriſti, aut alterius beati, nequit cognoſcere omnes effectus poſsibiles extra Verbum, & per cognitionem diſtinctam à viſione Verbi, non eſſe quod comprehenderet diuinam eſſentiam: ſiquidem ex tali cognitione omnium effectuum poſsibilium, vtpotè diſtincta à cognitione cauſæ, non ſequitur comprehenſio ipſius cauſæ: ſed eam eſſe, quod talis cognitio fieret mediante voluntaria reuelatione Dei: de quo non cōſtat voluiſſe potius reuelare vnum effectū quam alium, aut omnes: ſine fundamento autem diceretur reuelari omnes à Deo; quia nullibi conſtat huiuſmodi voluntariam reuelationem omnium poſsibilium factam fuiſſe à Deo animæ Chriſti, aut al-

te-

-terius beati. Cæteri vero ſectatores D. Thom. dicunt animam Chriſti cognoſcere in Verbo formaliter, & per eamdem ſcientiam beatam aliquos effectus poſsibiles: non tamen omnes, quoniam ex tali cognitione omnium in Verbo ſequeretur comprehenſio ipſius Verbi, & eius omnipotentię, & quia hæc eſt vera ſententia, pro eius declaratione.

Reſolutio authoris negans animæ Chriſti cognitionem omniū poſsibiliū in Verbo.

7 Dico primò, anima Chriſti non cognouit in Verbo omnes effectus, aut creaturas poſsibiles fieri à Deo. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus authores primæ ſententiæ in eo gradu certitudinis, vt oppoſitum, abſque temeritatis nota, & periculo errandi ſuſtineri non poſsit, & probatur primo ex directorio Inquiſitorū 2. part. quæſt. 11. vbi inter propoſitiones cuiuſdam Arnaldi de Villanoua, & Tarraconæ damnatas, ſecunda eſt hæc: *Quam primum anima Chriſti fuit vnita diuinitati, ſciuit omnia quæ prima veritas ſcit, quia alias non fuiſſet vna perſona cum ea*, quam tamen propoſitionem admittere tenetur, qui fatetur animam Chriſti cognoſcere in Verbo, omnia poſsibilia, etenim debet admittere cognoſcere per ſcientiam beatam ipſum Deum, & omnia futura: ergo ſi fatetur inſuper cognoſcere omnia poſsibilia, admitte cogetur ſcientiam animæ Chriſti extendi ad omnia ad quæ extenditur ſcientia ipſa diuina; quam tamē propoſitionē damnatam refert directorium vbiſupra.

Dices hinc ſequi noſtram cōcluſionē eſſe certam ſecundum fidem, ſiquidem cōtraria per ſanctæ Inquiſitionis officium eſt damnata. Reſpondeo id nō ſequi propter tria: Tum quia talis propoſitio Arnaldi; neque ab aliquo Concilio generali, neque ab aliquo Summo Pontifice: hucuſque damnata fuit; ſed ſolum ab Inquiſitoribus Tarraconæ. Tum quia propoſitio Arnaldi non eſt directè oppoſita noſtræ concluſioni; poteſt enim intelligi de ſcientia increata Dei: propoſitio enim inferebat identitatem animæ Chriſti cum perſona: ita vt ſenſus eius ſit iſte: anima Chriſti per ſcientiam increatam ſciuit omnia, quę prima veritas ſcit; alioquin non fuiſſet vna perſona cum ea, vel iſte anima Chriſti ſciuit omnia, quæ Deus ſcit, hoc eſt nedum effectus poſsibiles, & futuros, verum etiam decreta libera diuinæ voluntatis.

Propoſitio autem oppoſita noſtræ concluſioni tantum aſſerit animam Chriſti ſcire omnes effectus futuros, & poſsibiles; ex quo non ſequitur per euidentem, & formalem conſequentiam illam ſciuiſſe omnia quæ Deus ſcit.

Tum denique, quia noſtra aſſertio hucuſquè, nequè eſt diffinita, nequè colligitur per euidentem conſequentiam ex aliqua Eccleſiæ diffinitione, aut ſacræ Scripturæ reuelatione.

Sed nequè propterea oppoſita ſententia liberanda eſt ab omni cenſura, vt perperam vult Suarius vbiſupra, §. *dico primo*, cum ex illa ſatis probabiliter ſequatur propoſitio Arnaldi, qui enim admittit animam Chriſti ſcire omnes effectus futuros, & poſsibiles in Verbo, non eſt cur nō admittat illam ſcire omnia decreta libera diuinæ voluntatis, quæ circa euentus futuros opportet exerceri, ac per cōſequens debet admittere animam Chriſti ſcire omnia, quæ Deus ſcit, quæ eſt propoſitio Arnaldi damnata ab Inquiſitoribus, ex qua damnatione temeritatis notam ſaltem incurrit, vt notat Vazquez vbiſupra. Sequitur etiam per euidentem conſequentiam ex propoſitione oppoſita noſtræ aſſertioni, diuinam eſſentiam comprehendi ab anima Chriſti, quod tamen diſonat modo loquendi Scripturæ prędicantis Deum incomprehenſibilem, vt oſtendimus articulo precedenti: ergo ab huiuſmodi temeritate, ac periculo errandi non eſt excuſanda ſententia attribuens animę Chriſti, aut alterius beati cognitionem omnium futurorum, & poſsibilium in Verbo, ex qua manifeſte ſequitur comprehenſio diuinæ eſſentiæ, quā tamen admittere eſt contra fidem Ob quam rationem Banneſius illam vocat errori proximam, & Molina parum tutam in fide. Quod autem hæc ex illa manifeſtè, & per euidentem conſequentiam deducatur, ſequenti ratione oſtenditur.

Probatur ſecundò ab inconuenienti, quod infert D. Thom. dicens talem cognitionem omnium poſsibilium in Verbo fore comprehenſionem ipſius Verbi, atquè diuinæ omnipotentiæ, quæ tamen nō eſt admittenda extra Deum: ergo. Sequela patet: nam cognoſcere aliquid in Verbo eſt cognoſcere Verbum, & contentum ex vi eiuſdem cognitionis, ſicut in vniuerſum cognoſcere aliquid in aliquo medio, vel eſt cognoſcere tale medium, & ex vi cognitionis ipſius medij, vel principij: cognoſcere cōtentū in illo: quod his verbis de

cla-

clarat D. Thom. quæſt. 20. de veritate, artic. 4. Reſpondens huic quæſtioni vtrum anima Chriſti ſciat in Verbo omnia, quæ ſcit Verbum? vbi ait.

Ad euidentiam huius quæſtionis oportet intelligere, quid eſt dictu aliquid in Verbo videre: ſciendum igitur eſt, quod nihil poteſt videri in aliquo, niſi eo modo quo eſt in illo; cũtingit autem aliqua multa eſſe in alio dupliciter vno modo diuiſim & pluraliter, ſicut plures formę reſplendent in ſpeculo vna quæquè diſtiſim, &c.

Alio modo vniformiter, & ſimpliciter, ſicut plures effectus ſunt in virtute in cauſa, & etiam concluſiones in principio & membra in ſemine: quicumquè igitur aliquid intuetur conſequens eſt, quod illa videat, quæ in eo ſunt multipliciter, & diuiſim, eo quod vnumquodquè illorum ita offertur ſicut, & id vnũ in quo cõtinetur, & propterea qui videt ſpeculum, videt formas in ſpeculo reſultantes: ſed qui videt aliquid vnum non opportet, quod videat omnia quæ ſunt in eo vniformiter, & vnite, niſi quando totam virtutem illius comprehendit, ſicut qui videt aliquod principium non opportet, quod videat omnes concluſiones virtute exiſtentes in eo, niſi fortè illud comprehendat.

Res autem creatæ ſunt in Deo, non quidem multipliciter, ſed vnite: vt dicit Dioniſius, vnde cum dicitur reş eſſe in Deo, magis aſsimilatur illi modo, quo res ſunt in cauſa, & concluſiones in principio, quàm illi modo quo formę ſunt in ſpeculo, & ideò non opportet, quod quicumquè videt Verbum videat omnia, quæ Verbum in ſe ipſo videt, vt quidam dixerunt afferentes exemplum de formis, quæ continentur in ſpeculo viſo. Ipſum enim Verbũ ſe ipſum cõprehẽdit: vnde omnia, quæ in eo virtualiter cõtinẽtur, & vnitæ ſunt in eo, cognoſcit, ſe videndo, intellectus autem creati, qui Verbum non comprehendunt, non opportet, quod videndo Verbum omnia videant, quæ in Verbo ſunt, ſed tamen in hoc anima Chriſti maiori prerogatiua gaudet, quam alius intellectus creatus. Videt enim in Verbo omnia preſentia, preterita, & futura, &c.

Hactenus ſanctus Doctor, ex cuius Verbis planè colligũtur duo: alterum ad probationem maioris: nimirum quod res cognoſci in Verbo à beato eſt illas cognoſci ex vi eiuſdem cognitionis, qua cognoſcitur Verbum ipſum, ſicut concluſiones cognoſci in principio eſt illas cognoſci eadem cognitione, qua cognoſcitur principium, & imagines videri in ſpeculo, & partes in domo eſt illas videri per eandem viſionem, per quam ſpeculum, aut domus videtur. Alterum eſt ad probationem inconuenientis illati in maiori, nimirum quod cognitio omnium poſsibilium in Verbo eſſet comprehenſio eiuſdẽ Verbi, quoniam intellectus cognoſcens aliquod medium, vel principium continens plura vnite, nequit in illo omnia contenta cognoſcere, niſi totam virtutem illius medij, vel principij comprehendat: Igitur ſi anima Chriſti videt Verbum, tamquam medium in quo effectus poſsibiles vnite eminenter continentur, cognoſcendo omnes, debet & ipſum Verbum comprehendere. Quę ratio ſic deducta à Capreolo ex Verbis ſancti Doctoris, tripliciter confirmatur.

Tum quia cognitio omnium effectuũ poſsibilium in Deo cognito, vt obiecto, vel vt medio, eſt cognitio omniumquę formaliter, & eminenter ſunt in Deo, ac proinde eſt cognitio Dei, quãtũ cognoſcibilis eſt, ita vt nihil illius lateret cognoſcentẽ: ergo eſſet comprehenſio diuinæ eſſentiæ, & omnipotentiæ, iuxta diffinitionẽ comprehenſionis traditam ab Auguſtino vbi ſupra.

Secundo: nam ſi Deus decreuiſſet ſolum producere vnum beatum, & iſte cognoſceret in Verbo omnes effectus, ac modos eorum poſsibiles, re vera cognoſceret omnia, quæ Deus cognoſcit in ſe ipſo, per vtramquè ſcientiam, videlicèt viſionis, & ſimplicis intelligentiæ: ergo perfectiſsime ex parte obiecti, ſiue rei cognitæ cognoſceret Deum: quamuis non perfectiſsimo modo ex parte cognoſcentis: ergo comprehenderet illum; ac per conſequens, ſi anima Chriſti modo pariter cognoſcit omnia futura, & poſsibilia: non eſt cur non comprehendat diuinam eſſentiam.

Prima conſequentia patet, quia nihil amplius ex parte obiecti attingit vtraquè ſcientia Dei: & propterea eſt comprehenſiua ipſius Dei.

Secunda verò probatur; quia illa imperfectio, ſeu in adæquatio ex parte cognoſcentis non obſtat comprehenſioni: alioquim, nequè Angelus inferior comprehenderet formicam, aut ſuperiorem Angelum: non formicam, quia perfectiori modo

do illam cognoſcit Angelus ſuperior, vt potè vtens perfectiori lumine, & ſpecie, non Angelum ſuperiorem, quia & iſte ſeipſum perfectius cognoſcit, & inferiorē excedit in lumine, & ſpecie; ſicut & in gradu ſpecifico naturæ. Nec obſtat ſi dicas hunc beatum latere adhuc decretum illud liberum diuinæ voluntatis de non producendis alijs creaturis: nam qua facilitate Deus illud poſſet ocultare eadem poſſet huic beato manifeſtare: ergo hinc nihil ex cognitis à diuino intellectu lateret huius beati intellectum.

8 Tertio, nam cognitio hæc omnium rerum, & creaturarum poſsibilium in Deo, aut eſſet cognitio omnium idearum, aut ex illa deberet prouenire, ſed cognitio omnium idearum eſt comprehenſio diuinæ eſſentiæ: ergo. Minor patet quia cognoſcere omnes diuinas ideas eſt cognoſcere diuinam eſſentiam adęquatè & totaliter, quantum eſt imitabilis à creaturis, ac proinde quantum eſt cognoſcibilis: ergò eſt illam comprænhendere. Maior autē probatur diſtinguendo quatuor modos quibus creaturæ in Deo continentur. Primo quidem continentur in illo formaliter, & per modum perfectionis ſimplicis, quo pacto ſunt ipſe Deus formaliter, & nō ponunt in numero cum illò, vt lapis in Deo eſt Deus, & Angelus in Deo eſt Deus vnde cognitio creaturarum in Deo iſto modo, ſolum eſt cognitio eorum quæ formaliter Deo conueniunt ad intra. Secundo vero continentur creaturæ in Deo, vt in cauſa virtualiter illas præhabente. Tertiò continentur in Deo obiectiuè, vt in exemplari eminenti, & inadæquato per exceſum illas repræſentante; & quia ſic continentur in illo per modū vnius, ideſt media vna virtute effectiua; & media vna forma repræſentata, cognitio creaturarū his duobus modis ſolum eſſet confuſſa, & ſub ratione communiſſima entis creabilis; non autem ſecundum proprias earum rationes diſtinctiuas. Denique quarto continentur creaturæ obiectiuè in Deo, tanquam in exemplari adęquato, & proprio, & ſic continentur in rationibus idealibus, in quibus cognitis haberi poteſt, ac debet cognitio diſtincta creaturarum: vtpotè quæ tunc diſtinctè cognoſci poſſunt, quādo per proprias rationes repræſentantur cognoſcenti.

Dices Deum, teſtè Diu. Thoma in 3. diſtinct. 14. quæſt. 1. art. 2. quæſtiuncula 2. non habere ideas earum rerū poſsibiliū quę nec fuerunt, nec ſunt, nec erunt: & propterea huiuſmodi res poſsibiles (ait Diu. Thomas) Deus non cognoſcit per ideas diſtinctas, ſed per cognitionem ſuæ potentiæ in qua ſunt, & ideò dicitur eas cognoſcere ſimplici inteligentia.

Huic obiectioni dupliciter reſpondet Capreol. artic. 3. citato in ſolutione ad 6. Aureoli contra ſecundam: nimirū quod non opportet ſuſtinere omnia, quæ in tertio ſententiarum docuīt Diuus Thomas, quia multa eorum correxit in ſumma: vel ſecundò quod Deus habet quidem rationes, ac ſimilitudines ideales rerū purè poſſibilium: quæ tamen propriè, & completè non ſunt ideæ: quod deducit ex duobus teſtimonijs eiuſdem ſancti Doctoris: nimirum ex quæſtione 3. de veritate art. 6. vbi ait quod quia idea propriè dicta reſpicit cognitionem practicam non ſolum in actu, ſed in habitu: ideò poteſt eſſe idea eorum quæ nec fuerūt, neque ſunt, neque erunt, ſicut & de illis habet Deus cognitionem virtualiter practicam: non tamen eodem modo ſicut eorum quæ vel fuerunt, vel ſunt, vel erunt: ad hæc enim producenda terminatur idea ex propoſito diuinæ voluntatis: ſecus autem ad illa, de quibus propterea habet Deus ideas veluti indeterminatas: atque ex 1. part. quæſt. 15. art. 3. ad 2. vbi ſic habet: *Eorum quæ nec ſunt, nec erunt, nec fuerunt Deus non habet practicā cognitionem niſi in virtute tantum; vnde reſpectu eorum non eſt idea in Deo ſecundum quod idea ſignificat exemplar, ſed ſolum ſecundum quod ſignificat rationem*, &c. Ideas igitur reſpectu poſsibilium nunquam ponendorum in eſſe, agnoſcit Doctor Angelicus, incompletè ſumptas; ideſt quo ad rationem ſimilitudinis, & rationis cognoſcendi: licèt, non completè; ideſt quo ad munus exemplaris practici includentis aplicationem actualem diuinæ voluntatis: & ſumpta idea primo modo ſatis verificatur cognitionem diſtinctam poſsibilium haberi in cognitione idearum diuinarum; ideſt ſimilitudinū, ac rationum præſentatiuarum, ſicquè manet noſtra ſecunda ratio inconcuſſa.

Tertia & vltima, procedit ex alio inconuenienti, quod ex oppoſita ſententia ſequitur in hunc modum: ſi anima Christi cognoſceret in Verbo omnia poſſibilia, proculdubio eſſet talis cognitio infinita nedum extenſiuè, ſed etiam intenſiuè: dari autem huiuſmodi infinitum extra

Deum

Deum eſt impoſsibile: ergo & talis cognitio eſt impoſsibilis. Maior patet, quoniam, quo plura videntur ſecundum ſpecificas rationes; eò viſio eſt maior, ac proinde quo plures effectus videtur in Deo ſecundum eorum proprias perfectiones, eò viſio Dei eſt perfectior: ergo ſi videantur infiniti, erit viſio infinita ſecundum perfectionē cognitionis, ſed viſis omnibus poſſibilibus, & futuris, videntur effectus infiniti: ergo neceſſe eſt talem cognitionē fore infinitam, atque infinitæ perfectionis. Hanc rationem conatur Suarius vbi ſupra ſection. 3. eneruare dicens talem cognitionem neque fore infinitam ſecundum eſſentiam; quia eſſet creatura; & non Deus, vtpotè habens eſſe participatum: & à lumine finito prouenieus. Neque fore infinitam ſecundum extenſionem; quoniam non fieret ei infinitarum partium additio. Neque fore infinitam ſecundum intenſionem: quoniam non fieret ei infinitorum graduum additio; ac proinde nullo pacto foret infinita. Vnde (ait ipſe) conguentius hæc ratio ad hanc formam poſſet reduci. Ad cognoſcendas infinitas creaturas poſsibiles in Verbo non ſufficit finita viſio; & infinita non eſt dabilis: ergo neque eſt dabilis in intellectu creato viſio omnium poſsibilium in Verbo. Sed efficaciter Ranguſſa diſputat. 87. redarguit Suarij diſcurſum; eoquod coincidit cum altero quem impugnat: nam idem diſcurſus formaliter eſt, quo infertur cognitionem omnium poſsibilium in Verbo, ſi daretur; fore infinitam; atque ille quo infertur, talem cognitionem nō poſſe dari, quia infinita cognitio non eſt dabilis extra Deū; & hic eſt diſcurſus Suarij: ergo coincidit cum primo, quem nittitur labefactare.

Præterquamquod eius impugnatio deficit propter duo: Tum quia aſſumit antecedens falſum pro tertia parte, talis enim cognitio, licèt non eſſet infinita ſecūdum intenſionem, abſque graduum infinitorum additione; neque enim augmentum intenſiuum qualitatum ſpiritualium fieri per additionem graduum, ſed per maiorē radicationem in ſubiecto, oſtendimus 2.2 quæſtion. 24. art. 5. aduerſus eundem Suarium, & alios. Tum etiam, quia admiſſo antecedenti, adhuc poſſet negari conſequentia; adhuc enim talis cognitio poſſet excogitari infinita alio modo; nimirùm ſecundum indiuidualem perfectionem, quæ indiuidualis perfectio abſtrahit à maiori, aut minori extenſione, & intenſione, eadē enim numero qualitas; verbi gratia, ſcientia Phyloſophiæ Petri, poteſt eſſe minus extenſa, & intenſa modo, & poſtea magis: ergo excogitari poſſet indiuidualis perfectio illius cognitionis infinita ex infinitate obiecti, ſine infinita extenſione, aut intenſione, quæ nō ſpectant eſſentialiter ad eius indiuiduationem; vndè manet ratio noſtra inconcuſſa.

9 Dico ſecundo. Anima Christi, neque ſecundū habitū cognouit in Verbo per ſcientiam beatā omnia poſsibilia. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus auctores ſecundæ ſententiæ, & probatur primo, quia huiuſmodi habitualis cognitio omnium poſsibilium vno ex duobus modis explicatur à præfatis auctoribus; nimirū, vel quia diuina eſſentia apta nata eſt omnia repræſentare pro libito tanquam ſpeculum voluntarium: vel quia lumen gloriæ potens eſt in actu primo omnia poſsibilia manifeſtare: ſed neutro modo defendi poteſt: non quidem primo eoquod licèt diuina eſſentia poſsit repræſentare omnia poſſibilia intellectui infinito, & increato, ſecus verò intellectui finito & creato, vtpotè cui impoſsibilis eſt actualis repræſentatio omnium poſsibilium, ac proinde, & impoſsibilis eſt repræſentatio aptitudinalis, eoquod non eſt potentia, & aptitudo reſpectu actus impoſsibilis. Neque ſecundo, quia lumen gloriæ animę Chriſti, & cuiuſcunque beati eſt finitum, ac limitatum: ergo non poteſt in actum infinitum qualem eſſe diximus concluſione precedenti manifeſtationem, ſiue cognitionem omnium poſsibilium in Verbo.

Neq; ſecū dū habitū omnia poſſibilia in Verbo cognouit.

Secundo probatur; ex duplici incōuenienti quod ſequitur ex oppoſita ſententia. Primum eſt, quod lumen gloriæ animæ Chriſti eſſet ſecundum habitum, ſiue in actu primo infinitum intenſiue, vel ſecundum indiuidualem perfectionem: ſiquidem eſſet potens plures creaturas poſſibiles in infinitum, ac maioris perfectionis cognoſcere: quam cognitionem oportet eſſe infinitam altero ex his duobus modis, vel vtroque vt dictum eſt, ac proinde ad illam requiritur in lumine eliciente virtus pariformiter infinita: quod tamen eſſe impoſsibile patet, quia nullum infinitum Phyſicum in actu eſt dabile extra Deum: ergo.

Secundum eſt, quod in viſione beata da-

ta daretur ſucceſsio, viciſsitudo, & mutatio ſecundum quam eadem viſio beata modo ad pauciores modo ad plures creaturas in Verbo manifeſtandas, & cognoſcendas ſucceſsiuè extenderetur, conſequens tamen eſſe falſum, conſtat ex Auguſtino lib. 15. de Trinitat. capit. 16. aſſerente in Verbo non eſſe volubiles cogitationes beatorum, & libr. 12. confeſsion: capit. 13. vbi ſic ait de videntibus Deum: *Non ex parte, non in enigmate, non per ſpeculũ, ſed ex toto in manifeſtatione facie ad faciem, non modo hoc modo illud, ſed quod dictum eſt, noſſe ſimul ſine vlla viciſsitudine temporum,* &c. Conſtat etiam, quia de ratione beatitudinis eſt ſtabilitas & permanentia: cui opponitur prædicta viciſsitudo. Et tandem conſtat, quia viſio beata eſt operatio naturaliter reſultans poſito lumine gloriæ, & obiecto intimè vnito, ac proinde non libere, & ſucceſsiuè ex illis reſultat, ſed neceſſario tota ſimul poſitis illis naturali quadam reſultantia ad ſua terminatur obiecta: ergo. Alia argumenta adducit pro hac concluſione, Ranguſſa diſputatione 87. §. primo, à quibus ſuperſedemus, quia ad hæc facile reducuntur.

9 Dico tertio. Neque cognouit anima Chriſti omnia poſsibilia in ſeipſis: & ſi aliqua cognouerit in Verbo. Hæc concluſio pro prima parte ſuadetur ab aliquibus; de quorum numero ſunt Caietanus, in articulo 8. citato, §. *ad ſecundam autem*, & §. *ad euidentiam horum*, & Bañeſius ibidem in ſolutione ad ſecundam confirmatio: ex eo quod ex cognitione omnium poſsibilium extra Verbum, ſiue in ſeipſis ſequeretur comprehenſio ipſius Verbi, atque diuinæ eſſentiæ, quam tamen conſtat eſſe impoſsibilem. Aſſumptum autem, ſcilicet cognitionem effectus adæquati arguere comprehenſionem ipſius cauſæ, etiam ſi effectus adæquatus non cognoſcatur in cauſa non probant prædicti Auctores, ſed videntur ſupponere.

Nihilominus probari poteſt dupliciter, tum quia ſicut res ſe habet ad eſſe ita ad cognoſci; ſed colectio omnium rerum poſsibilium, non poteſt poni in eſſe, quin diuina omnipotentia, quoad operationem exhauriatur, & comprehendatur: ergo neque poteſt poni ſimul in cognoſci quin exhauriatur quoad cognoſci: quod eſt illum comprehendi.

Tum etiam, quia colectio omnium poſsibilium, non ſolum continet plures effectus ſine termino, ſed etiam plures ſine termino perfectiores, ſiquidem data quacunque creatura quantumuis perfecta poteſt Deus producere perfectiorem: obiectum autem habens partes infinitas, & infinite perfectiores ſine termino petit cognitionem infinitam, quæ proculdubio eſſet comprehenſio ipſius, & cauſę totius colectionis illorum effectuum: propter duo. Tum quia infinita; tum quia quo plures effectus attingit cognitio, etiam in ſeipſis; eò perfectius cognoſcit cauſam; ergo cognitio infinitarum creaturarum poſſibilium ſine termino, erit cognitio cauſæ infinitę perfectius eam penetrans, ac proinde comprehendens. Sed verius, ac magis ad mentem Angelici Doctoris Soto in 4. diſtinct. 49. quæſt. 3. art. 3. ad obiectiones contra quintam ait: cognitionem omnium rerum poſsibilium in ſeipſis extra Verbum, eſſe quidem impoſsibilem: non tamen arguere diuinæ eſſentiæ comprehenſionem; cui in vtroque dicto ſubſcribit Cabrera hic, diſputat. 4. probatque primum dupliciter,

Tum ex D. Thom: quæſt. 20. de veritate art. 5. ad 4. aſſerente, quod ſicut non poteſt eſſe, quod ſit factum, quidquid Deus poteſt facere; ita non poteſt poni, quod alicui creaturæ ſit manifeſtatũ, quidquid Deus poteſt facere, vel manifeſtare: Tum etiam ratione, qua ibi vtitur D. Th. nam ideò implicat omnes creaturas poſsibiles eſſe productas; quia omnipotentia maneret quoad efficaciam, & operationẽ exhauſta, & limitata ad ſolas exiſtentes; vltra quas non poteſt alias producere: ſed etiam implicat eandem efficaciam diuinæ omnipotentiæ exhauriri intelligibiliter cognitione creata: exhaurireretur autem ſi anima Chriſti, aut alius beatus omnia poſsibilia in ſeipſis ſecundum eorum differentias cognoſceret: vtpote cum nihil amplius de eius efficacia poſſet cognoſci, ſicut neque illa quidpiam aliud poſſet producere: ergo.

Secundum verò oſtendit dupliciter: tum ex D. Thom. 3. contr. gent. capit. 56. circa finem dicente viſionem claram Dei, qua beati potiuntur eſſe perfectiorem illa cognitione, quæ terminaretur ad omnia poſsibilia in ſeipſis, vtpote à nobiliori obiecto ſpecificatam: & tamen non eſt comprehenſio diuinæ eſſentiæ,

Digitized by Google

aut omnipotentiæ: ergo à fortiori, neque iſta eſſet comprehenſio diuinæ eſſentiæ.

Tum etiam, quia tota colectio creaturarum poſsibilium, neque in eſſe entis, neque in eſſe cognoſcibilis adæquat diuinam eſſentiam, aut omnipotentiam, non quidem in eſſe entis, quia eſt finita ſimpliciter, & chathegorematicè vtpotè creabilis, licèt infinita ſit in potentia, & ſinchategorematicè quatenus caret termino: neque in eſſe cognoſcibilis, quia ratio cognoſcibilis conſequitur vt paſsió ad rationem entis, & ideò graduatur iuxta illius perfectionē: diuina autem eſſentia, & omnipotentia eſt infinita ſimpliciter, & in actu ſecundum vtramque rationem: ergo cognitio illius non poteſt eſſe comprehēſio iſtius.

Dices, anima Chriſti videt Deum cuius clara viſio eſt perfectior cognitione omnium poſsibilium in ſeipſis: ſed qui poteſt ſcire maius, à fortiori poterit, & ſcire quod minus eſt: ergo poterit cognoſcere omnia poſsibilia in ſeipſis; deinde nam tota collectio omnium poſsibilium eſt obiectum finitum in eſſe entis, & in eſſe cognoſcibilis, vt dictum eſt: ergo poterit attingi per cognitionem finitam: ergo non eſt cur talis cognitio nō ſit dabilis, ac proinde poterit illam habere anima Chriſti ſaltem de potentia Dei abſoluta, quod ſi dabilis eſt, non eſt ratio ob quam de facto illam non habuerit.

Huic argumento, reſpondet Vazquez circa finem capitis 3. admittēdo poſſibilem eſſe talem cognitionem omnium rerum poſſibilium in ſeipſis de potētia abſoluta Dei, licet de facto anima Chriſti illam non habuerit, quia nulibi conſtat ei factam fuiſſe reuelationem omnium creaturarum poſsibilium extra Verbū. Idem admitit Suarius diſputat. 27. ſection. 4. circa finem. Sed falſo & leui ducti fundamento id affirmant; & melius id negat Cabrera in allegata diſputat. 4. dicens talem cognitionem eſſe impoſsibilem ob inconuenientia quæ ex illa ſequuntur; nimirum quia omnes creaturæ poſsibiles nō ſunt repræſentabiles in ſeipſis, neque in aliqua ſpecie creata & finita: niſi aut in ſola diuina eſſentia: aut in ſpeciebus infinitis, quas eſſe productas implicat, ſicut implicat omnes creaturas poſsibiles eſſe productas; vnde ad argumentum propoſitum reſpondetur cum D. Thom. quæſt. 20. de veritate art. 5. ad primum negando minor. neque enim valet quod ſi anima Chriſti ſcit maius nimirùm videndo diuinam eſſentiam, poſſit ſcire colectionem omniū poſſibilium, quæ eſt, quid minus: eo quod (ait Diu. Thomas) diuina eſſentia repræſentatur intellectui beati per ſeipſam: creaturæ autem poſsibiles non poſſunt repræſentari omnes in ſeipſis niſi in diuina eſſentia: ſicut neque valet quod ſi datur Angelus qui eſt perfectior linea infinita: dabilis ſit de potentia abſoluta talis linea.

Ex qua ſolutione, patet ad ſecundam partem obiectionis, nimirùm negando primam conſequētiam, ob adductas rationes, talis enim cognitio infinita eſſet, vtpotè poſtulans ſpeciem infinitam repręſentatiuam, & lumen proportionatū quod pariter eſſet infinitum.

10 Deinde pro ſecunda parte, probatur concluſio aduerſus auctores primi modi defendēdi tertiam ſententiā. Primo ex teſtimonijs Euangelij, in quibus Chriſtus attribuit ſibi cognitionem aliquorum poſsibilium, vt Matthæi 11, & Lucæ 10. exprobrando ciuitatibus Corozain, & Bethſaidæ ait; quia ſi in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere ſedentes peniterent, vbi poſsibilem pœnitentiam Tyriorum, & Sidionytarum teſtatur ſe cognoſcere, & Matth. 26. dixit: An putas, quia non poſſum rogare Patrē meū & exhibebit modo pluſquam duodecim legiones Angelorum? Quos euentus poſſibiles contreniens fuit ab anima Chriſti, nedum per ſcientiam inditam, ſed etiam per ſcientiam beatam, vtpotè perfectiorem cognoſci, vtpote quę modo perfectiori atingebat obiecta aliarum ſcientiarum: ergo.

Secundo, quia teſtē D. Thom. in hoc art. anima Chriſti cognouit in Verbo omnia quæ ſunt in potentia creaturarum: inter illa autē quę continentur in potentia creaturarū, plura ſunt poſsibilia, quæ nunquā fuerunt, neque erunt: ergo illa cognouit anima Chriſti per ſcientiam beatam.

Ad primum pro prima ſentētia, reſpōdeo negando antecedens, nam Spiritus dicitur datus humanitati Chriſti ſine menſura, quia fuit illi per vnionem ſubſtantialem plenitudo diuinitatis communicata; ob quam vnionem humanitas aſſumpta dicitur Deificata; ſcientia verò increata non fuit vnita intellectui humano Chriſti, vt per ipſam intelligeret,

ſed

ſed tantum creata, quam proindè neceſſe fuit dari illi ad menſuram, vtpotè finitam, & ſi per illam omnia præterita, præſentia, ac futura cognouerit: neque aliud potuit ſentire Fulgentius.

Ad ſecundum nego maiorem, ad cuius primam probationem reſpondetur impedimentum illud prouenire ex ipſo intellectu creato, qui nec diuinam eſſentiam adæquatè videt neque eſt capax totius naturalis repræſentationis ipſius.

Ad ſecundam, nego ob eam rationem videri omnia attributa diuina a beato quia in Deitate naturaliter repræſentantur: ſed ob hāc, quia ſunt perfectiones formaliter, & actu exiſtētes in Deo, quæ proinde non poſſunt, non videri ab intuente Deum ſicut eſt in ſe.

Ad tertiam, nego pariter illam eſſe rationem ob quam in Deitate viſſa videatur vnus effectus vel alter poſsibilis, fortaſis enim poſſet dari viſio Dei in aliquo beato ſine cognitione alicuius effectus poſsibilis, aut futuri, vt inſinuat D. Thomas in alegato art. 8. 1. partis in ſolutione ad 4 ex ſententia Auguſtini lib. 9. confeſs. cap. 4. ſed ob perfectionem viſionis, & conditionem luminis, ac ſpeciei intelligibilis increatæ, quæ vnitur intellectui beati, vt ratio repræſentandi potius hunc effectum poſsibilem quā alios vt infra oſtendemus.

Ad tertium nego antecedens, ad cuius primam probationē, aut poteris negare antecedens ſi velis admitere cum Capreol. in 3. d. 14. q. 2, ad 2. Scoti cont. 1. & Caietano in art. 3. ſequenti, quod comprehenſo vno affectu in Verbo, comprehendatur à beato Verbum ipſum in quantum cauſa talis effectus reduplicatiue ſumpta: aut quod verius puto admiſſo antecedenti, negabis conſequentiam ob rationem in ipſo antecedenti aſsignatam. Ad ſecundā neganda eſt maior. Ad tertiam ſuſtinebis ſolutionem ibi aſsignatam: cuius improbatio non obſtat quia procedit de colectione creaturarum poſsibiliū cognitarum in ſeipſis, & non in Verbo. Ad quartam negatur conſequentia, eoquod omnes perfectiones formaliter exiſtentes in Deo ſunt numero finitæ ſicut & atributa, & realiter formaliter conſtituuntur vna & eadē entitate diuina, cuius viſio eſt viſio omniū illarum citra comprehenſionem: cognitio autem quidditatiua omnium effectuū virtualiter in omnipotentia contētorum eſt adæquata ipſi omnipotentiæ, ac proinde eſt cōprehenſio illius: & pariter eſt comprehenſio Deitatis cui omnipotētia idētificatur.

Ad quartum nego antecedens, quia nedū Deitatis quod abſoluta, ſed etiā quo ad perſonalitates ſequitur comprehenſio; vtpotè quæ ſunt de conceptu Deitatis, & per ſe requiſitæ, vt conditio operandi ad extra.

Ad quintum nego minor. quia per vnicum tantum decretum negatiuum fuit determinata diuina voluntas ad creaturas poſsibiles nunquam producendas; ex cuius proinde viſione tantum ſequitur animam Chriſti habuiſſe cognitionem confuſā omniū poſsibiliū hoc eſt ſub ratione cōmuniſsima entis poſsibilis fieri à Deo, aut ſub ratione entis nunquā producendi.

Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ reſpond. neque illud inconueniens ſatis vitari ſi ſemel admitatur animam Chriſti in habitu cognoſcere omnia poſsibilia in aliaque grauiora labi admittentem illā habitualem, & ſucceſsiuam omnium poſsibilium cognitionem, vt conſtat ex ſecunda concluſione.

Dubium ſecundum eſt. An anima Chriſti in Verbo cognouerit futura omnia?

12 IN hoc dub. vnus fuit error ſectariorum, & duæ ſunt ſententiæ Theologorum, error fuit antiquus Gnoſticorum, qui vt refert Iren. lib. 1. contr. hæreſ. c. 17. aſſerebant Chriſtū didiciſſe Alphabetum ſub ferula preceptoris, ac proinde multa ignoraſſe que poſtea didicit ſuceſſu tēporis ab hominibus. Eundē errorē ſequti fuere quidā de ſtirpe Arrianorū dicti Gnoitæ, vel Ignoitæ quaſi ab ignorantia appellati ignorantes, quia Chriſtū faciebant ignorantē multorū euentuū, & maximè diei iudicij, & circunſtanciarū eius, vt referunt Iſidorū lib. 8. originū c. 5. Caſtro aduerſus hæreſes, verbo *Deus*, hæreſi 8. & Prat. verbo *Ignoita*; vtrū autē hij diuerſi fuerint ab Ag

 noitis,

noitis, parum refert: Caſtro, & Prateolus putant eſſe diuerſas, Vazquius verò ſequutus Sanderum libro 7. de viſibili monarchia, hæreſi 108. putat eſſe eoſdem cum Agnoitis; eos quos Gnoitas Iſidorus appellauit: eoquòd ab omnibus auctoribus ante Iſidorum Agnoitæ appellantur.

Cuius erroris meminerunt Cyrillus Alexandrinus in libro aduerſus Antropomorphitas capite 14. Nicephorus libro 18. hiſtoriæ capite 50. vbi eos appellat Themiſtianos, eoquòd à Themiſtio Preceptore originem traxiſſent; Damaſcenus libro de hæreſibus, verbo *Agnoitæ*, & Sophronius Patriarcha Ieroſolymitanus in epiſtol. ad Sergium, quæ habetur in quinta Sinodo Generali act. 11, & approbatur act. 14.

Eundem errorem his temporibus ſuſcitarunt Luterus, Caluinus, Melanthon, & alij nouatores, quos referunt Caniſius libro 3. de Deipara capite 22. & Eraſm. in illud Luc. 2. *Ieſus autē proficiebat*, & quorū fundamentū, vt cōſtat ex prædictis Patribus deſumebatur ex illis teſtimonijs Euangelij, in quibus introducitur Chriſtus interrogans aliquid quaſi illius ignarus, & maximè ex illo Matthæi 24. *De die autem illa, & hora nemo ſcit, neque Angeli cœlorum, niſi ſolus Pater*; & Marci 13. *De die autem illa, vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque Filius niſi Pater*, & ex illo Lucæ 2. *Puer autem proficiebat ætate, & ſapientia*, &c. Huic accedunt teſtimonia ſanctorum Patruum qui Chriſto vt homini attribuunt ignorantiam diei iudicij, vt Origenes homil. 3. in Matth. vbi probabilem exiſtimat opinionem eorum qui dicunt Chriſtum iudicij diem ignoraſſe, Athanaſius oratione 4. contra Arrianos verſans eundem locum Matthæi 24. ſic ait: nam ſicut vt homo cum hominibus eſurijt, & ſitit, & patitur, ita cum hominibus vt homo non nouit: & Cyrillus libro 9. Theſauri capite 4. & in libro vltimo de fide ad Reginas capit. 1. reſpondens Arrianis arguentibus ex dicto loco Matthæi Chriſtum ſecundum naturam Verbi eſſe minorem Patre ob ignorantiam diei iudicij: fatetur Chriſtum huiuſmodi ignorantiam habuiſſe, non quidem ſecundum diuinam, ſed ſecundum humanam naturam: ſecundum quam etiam fatetur in eodem capite 4. illum ignoraſſe locum vbi poſitus fuerat Lazarus mortuus quando Ioannis 11. interrogauit ſorores vbi poſuiſtis eum, & Nazianzenus oratione 36. ſic ait: *Cui igitur dubium eſſe poteſt quin horam quidem, ſcilicet iudicij, vt Deus cognitam habeat, ignoret autem vt homo?* Quibus verbis etiam reſpondetur Arrianis Chriſtum ſecundum diuinitatem, in qua eſt Patri æqualis nullam ignorantiam habuiſſe, benè tamen ſecundum humanitatem, in qua eſt minor Patri: in quo ſenſu intellexerunt locum hunc Nazianzeni Nizetas libro 3. Theſauri fidei Orthodoxæ capit. 38. & Damaſcenus lib. 3. de fide cap. 21. ergo.

13 Inter Theologos autem prima ſententia aſſerit animam Chriſti Domini non cognouiſſe in Verbo omnia futura, ſed duntaxat illa, quorum non erit ſucceſſio in infinitum cuiuſmodi ſunt ſubſtantiæ, & accidentia permanentia, ita Richardus in 3. diſtinct. 14. art. 2. quæſt. 3. eo fundamento ductus, quod exiſtimaret requiri infinitam virtutem in lumine, & atencionem in cognitione, vt eam infinitorum accidentium ſucceſſionem actu cognoſceret, vt dubio ſequenti conſtabit.

Richardi opinio, quòd anima Chriſti in Verbo ſola permanētia cognouerit.

Secunda ſententia aſſerit animam Chriſti in Verbo totam multitudinem futurorum, tam permanentium, quam ſucceſſiuorum cognouiſſe, hanc communiter defendunt Theologi cum D. Thoma in hoc articul. 2. vt Capræolus in 4. diſtinct. 49. quæſtion. 6. ad argumenta Durandi. Soto ibidem quęſt. 3. artic. 3. Ferrara 3. contra gent. capit. 59. Caietanus hic, & 1. p. quæſtion, 12. art. 8. & 2. 2. quæſt. 83. artic. 4, Suarez diſputat. 26. ſection. 3, Cabrera diſputat. 1. vſque ad 3. Ranguſſa diſputat. 88. § 4. Vazquius diſputat. 51. cap. 2. & 1. part. diſputat. 50. cap. 4. Aluarez diſputat. 54. Lorca diſputat. 48. & Nazarius in expoſitione art. 2. qui tamen vt explicent modum quo anima Chriſti in Verbo hæc futura cognoſcit, diuidūtur in tres modos dicendi. Etenim Bonauentura, & Scotus vbi ſupra, Marſilius in 3. quæſtion, 10. articul. 2. & Abulenſis Matth. 17. quæſtione 114. & Matth. 25. quæſtione 633, & Lorca exiſtimat hanc ſucceſsionem circa obiecta ſecundaria non repugnare viſioni beatæ, vt etiam probauerat 1. 2. diſputat. 25. philoſophantes pariter de cognitione futurorū, atq; de cognitione poſsibiliū dicūt animā Chriſti cognoſcere in Ver-

bo

bo omnia futura non actu, & ſimul, ſed habitu, & ſucceſsiue.

Alij vero, de quorum numero ſunt Soto & Vazquius dicunt huiuſmodi cognitionem futurorũ haberi ab anima Chriſti in Verbo, non formaliter, & ex vi eiuſdem viſionis diuinæ eſſentiæ, ſed cauſaliter per nouas reuelationes ſuperadditas, & deriuatas ex ipſa Dei viſione quemadmodum, & de cognitione rerum poſsibilium phyloſophantur. Reliqui vero docent animam Chriſti in Verbo formaliter, & ex vi eiuſdem viſionis diuinæ eſſentiæ quæcunque futura, atque intra æternitatem exiſtencia cognoſcere. Pro cuius ſententiæ declaratione.

Chriſtũ vt hominẽ cognouiſſe diẽ iudicij cum circunſtãtijs in ſingulari eſt dogma fidei.

Dico primo. Chriſtus vt homo cognouit diem iudicij cum omnibus circumſtancijs in illo futuris. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus prædictos ſectarios tanquam certa ſecundum fidem, & probatur primo: nam quinta Sinodus Generalis in epiſt. Sophronij act. 11. & 14. damnat eos, qui dicunt Chriſtum ignorare diem iudicij, tanquam hæreſi Neſtoriana infectos, quia dicere Chriſtum ignorare diem iudicij eſt confiteri illum eſſe purum hominem, quæ eſt hereſis Neſtoriana, vndè Gregorius Magn. epiſt. 42. lib. 8. merito dixit: *Quiſquis Neſtorianus non eſt, Agnoita eſſe non poteſt, nam qui ipſam Dei ſapientiã fatetur incarnatam, qua mente valet dicere eſſe aliquid quod Dei ſapientia ignoret.*

Secundo probatur, quia ſancti Patres vno ore hanc ſententiam pronunciãt tanquam antiquam Eccleſiæ tradicionem ab Apoſtolis acceptam, ita vt oppoſitam, tanquam erroneam damnent, vt Hieronymus Matth. 24. ſuper illud: *De die autem illa*, &c. & Ieremiæ 31. ſuper illud, *fœmina circundabit virum*, & Baſilius libro 4. contra Eunomium, Chryſoſtomus hom. 68. in Matthæũ, Iuſtinus mart. q. 58. de Orthodoxis. Clemens Alex. in lib. pedagogi cap. 6. & Bernar. hom. 2. ſuper *miſus eſt*, quorũ teſtimonia refert, & expendit Vazquius in alegato cap. 2. in illiſque dicti Patres aſſerunt duo nimirùm impium eſſe tribuere Chriſto, vt homini ignorantiam diei iudicij, aut alterius futuri: & Chriſtum vt hominem profeciſſe in ſapientia, tantum exterius, & quoad eius manifeſtationem, non autem interius acquirendo nouum ſapientiæ augmentum: ergo.

Tertio probatur, ratione qua vtitur Gregorius vbi ſupra: quoniam Pater omnia poſuit in manibus Chriſti; id eſt ſub eius poteſtate, iuxta illud Matthæi 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra*, & Ioannis 13, *Sciens quia õmnia dedit ei Pater in manus*: ergo & diem iudicij cum omnibus eius circunſtantijs poſuit ſub Chriſti poteſtate.

Tunc vltra, ſed non debuit ignorare aliquid eorum quæ habebat in ſua poteſtate. *Quis* ergo (ait Gregorius) *ita ſtultus eſt, vt dicat, quia accepit filius in manibus, quod neſcit?*

Quarto probatur, argumento Hieronymi, & Ambroſij vbi ſupra, nimirùm quia Chriſtus prędixit ſigna precedentia, & ſubſequentia ad iudicium, vt refertur Matthæi 24. & Marci 13. & Lucæ 21. atqui non potuit prædicere quod neſciuit: ergo ſciuit diem & horã futuri iudicij.

Vltimo probatur ex duplici congruentia, ſecundum quam cõueniens fuit Chriſtum vt hominem non ignorare diem iudicij, aut alium futurum euentum. Prima eſt, quia ſicut Chriſto reuelatus fuit dies mortis, atque ignominiæ ipſius ita cõgruum fuit vt & dies gloriæ, & exaltationis, qui proculdubio eſt dies iudicij, reuelaretur; de quo propterea ipſe dixit Lucæ 21. *Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum poteſtate magna, & maieſtate.*

Secunda eſt, quia derogat dignitati illius, in quo ſunt omnes Theſauri ſapiẽtiæ, & ſcientiæ Dei, pati alicuius euentus ignorantiam, aut errorem, etiam in homine aſſumpto, vndè & diſcipuli hanc plenitudinem ſcientiæ in eo agnoſcentes dixerunt Ioannis 16. nunc ſcimus, quia ſcis omnia.

Dices; Chriſtus vt homo abſque læſione ſuæ dignitatis ignorauit multa poſsibilia, ſiquidem non habuit ſcientiam omnium poſsibilium, vt dub. precedenti oſtendimus: ergo pariter abſque læſione ſuæ dignitatis potuit ignorantiã habere diei iudicij, aut alterius euentus futuri. Reſpondetur aliud eſſe Chriſtũ neſcire neſcientia puræ negationis, & aliud ignorare prout importat ignorantia defectum, ſeu carentiam ſciẽtiæ debitæ; in primo ſenſu potuit quidẽ Chriſtus poſsibilia neſcire, quæ ad eius ſtatũ non ſpectant: in ſecũdo verò non potuit Chriſtus ignorare aliquid ex puris euentibus maximè ex

Digitized by Google

circunſtancijs iudicij, cum omnes ad eius ſtatum, vtpote iudicij vniuerſalis, & ſalutis Auctoris pertineant; ſi enim aliquid horum neſciret; priuatiua neſcientia, ſeu ignorantia laboraret, quod eius derogat dignitati, vt iam ſequenti concluſio amplius patefiet.

14 . Dico ſecundo. Anima Chriſti cognouit in Verbo omnia præſentia præterita, ac futura, & quæcunque quouis modo præſentia in æternitate. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus priorem ſententiam. Et probatur primo argumentis factis pro precedenti concluſione, quibus conuincitur animam Chriſti cognouiſſe omnia quouis modo in æternitate præſentia: & cum alias eius ſcientia infuſa non debuerit extendi ad plura obiecta quam ſcientia beata, hinc fit vt eorum omnium futurorum habuerit noticiam in Verbo per ſcientiam beatam, quorum potuit habere noticiam per ſcientiam infuſam.

Deinde probatur tribus rationibus Theologicis. Prima eſt, qua vtuntur Sophronius Patriarcha Ieroſolymitanus in dicta epiſtola approbata à 6. Sinodo actione 14. Athanaſius ſermone 4. contra Arrianos, Hilarius libro 9. de Trinitate, & Clemens Alexand. vbi ſupra ex vnione humanitatis ad Verbum diuinum deſumpta: quia nimirùm propter huiuſmodi vnionem Chriſtus non eſt purus homo, ſed homo Deus: homini autem Deo conuenit habere noticiam in Verbo omnium futurorum, non quaſi illa ſciat per ipſam vnionem hypoſtaticam, quæ cognoſcitiua non eſt cum neque ſit habitus, neque actus pertinens ad intellectum: ſed quia vnioni hypoſtaticæ debetur, vt natura aſſumpta à Verbò ſit beata, ac proinde, ſciat in Verbo omnia quæ Deus nouit ſcientia viſionis, alioquin ſi Chriſtus vt homo alicuius eſſet ignarus, eſſet purus homo, & non Deus vt Themiſtius, Agnoitæ, & Neſtoriani, ex ignorantia diei iudicij, & aliorum euentuũ inferebant: quos tamen prædicti Patres hac ratione confutant.

Secunda ratio eſt, qua vtitur Diu. Thomas in hoc art. 2. & 1. part. quæſt. 12 art. 8. & queſt. 106. art, 1. ad 1. & in 3. diſtinct. 14. quæſt. 1. art. 2. queſtiuncula 2. & in 4. diſtinction. 49. articulo 2. ad quintum, & opuſcul. 2. capit. 216. ad hanc formam reducta, quanto aliquis intellectus clarius & perfectius penetrat aliquam cauſam tanto in ea plures effectus cognoſcit, ſicut quanto perfectius penetrat aliquod principium, tanto plures in illo percipit concluſiones; ſed creaturæ videntur in Verbo ab intellectu beati ſicut effectus in cauſa illos prehabente virtualiter, ſiue eminenter, & ſicut concluſiones in principio: ergo quo intellectus beatus perfectius, & clarius videt eſſentiam diuinam eo in illa ſicut in cauſa cognita videt plures effectus productos, aut producendos.

Tunc vltra, ſed anima Chriſti per ſciẽtiã beatã videt diuinam eſſentiam perfectiſsime ſuper omnes beatos: ergo in illa per eandem ſcientiam videt omnes effectus productos, & producendos. Maior ſtatuitur à Diu. Thoma, tanquam regula cõmunis, quæ intellecta de effectibus cognitis non in ſeipſis, ſed in cauſa, vt recte explicat Ranguſſa diſput. 89. dub. 2. §. 2. nullam patitur inſtanciam, maxime de effectibus, diuerſis ſecundum gradus perfectionis: de his enim verum habet prædictum axioma; quod ſcilicet quanto perfectius cognoſcitur cauſa tanto plures effectus cognoſcuntur in illa. Minor verò eſt eiuſdem Doctoris ſancti in locis prællegatis, & in 3. cont gent. cap. 56. & de veritate quæſt. 8. artic 4. ad 12. Et oſtenditur cum prima conſequentia, quia ſicut res ſe habet ad eſſe, ita ad cognoſci; creaturæ autem continentur in Deo ſicut effectus in cauſa: ergo quando videntur in illo debet vt in cauſa videri. Minor verò ſubſumpta cum ſecunda conſequentia patet, quia ſi anima Chriſti gaudet ſumma perfectione, & plenitudine viſionis beatæ, vt de cæteris beatis verificetur quod de plenitudine eius accipiunt, debet in Deo, rationes omnium diuinorum operũ, ac per conſequens cuncta Dei opera quæ ſunt, erunt vel fuerunt, intueri. Alioquin ſi ci-ra omnia videret, non gauderet dicta diuinę viſionis plenitudine.

Tertia ratio eſt, qua in hoc eodem art. vtitur D. Thomas ex poteſtate, & dignitate muneris Chriſti ad vnionem hypoſtaticam veluti conſequuti, deſumpta; ad quod, vtpote cum ſit capitis iudicis, ac Redemptoris vniuerſalis expectant omnia præſentia, præterita, & futura, etiam hominum cogitationes de quibus

debet

debet iudicare, quia omnia eius dicioni, & poteſtati ſubduntur, iuxta illud Matthæi vltimo: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra*, & Ioannis 13. *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus*: Atqui debuit videre in Verbo quæcunque ad eius ſtatum pertinentia: ergo. Minor patet, nam quilibet beatus in Verbo eſt conſcius eorum omnium, quæ ad eius ſtatum ſpectant: ergo à fortiori anima Chriſti. Antecedens hoc licet non probet, ſed ſupponat hic Diuus Thomas.

Suaderi tamen poteſt tripliciter, tum ex Concilio Senonenſi in decretis fidei decernente omnes ſanctos videre in Verbo quidquid eos intereſt; ideſt quidquid ad eorum ſtatum ſpectat.

Tum etiam ex perfectione beatitudinis cuius eſt implere omne deſiderium naturale beati: cuilibet autem beato in ratione intellectualis creaturæ ineſt deſiderium naturale ſciendi quæcunque ad eius ſtatum pertinentia, vtpote quia intellectus practicus appetitu innato appetit prudentiam, vt propriam ſui perfectionem: ad quam perfecte habendam exigitur noticia omnium ſingularium: teſte Diuo Thoma quæſt. ſequenti artic. 1. & 3.

Tum denique, quia Eccleſia de more habet inuocare ſanctos, vt intercedant pro nobis: in hac autem inuocatione non oramus Deum, vt illis reuelet noſtras peticiones, quod eſt manifeſtum ſignum illos in Verbo eas cognoſcere: vt teſtantur Diuus Thomas 2. 2. quæſtione 83. articulo 3. ad 2. & Caietanus ibidem articulo 4. Immo & idem Diuus Thomas in ſolutione ad ſecundum huius articuli, conſulto ait ad ſanctorum excelentiam pertinere preces noſtras cognoſcere excelentia autem ipſorum quæ alia eſt niſi beatitudo: ergo ex vi beatitudinis annuit Diuus Thomas eos preces noſtras intueri.

Eadē, eadē ſciētia beata, qua Deū intuetur.

15 Dico tertio. Anima Chriſti videt in Verbo omnes hos effectus, actu ſimul à principio ſuæ beatificationis, & per eandē ſcientia beatam, qua Deū intuetur. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Auctores primi, & ſecundi modi defendendi tertiam ſententiam, & pro prima parte oſtenditur: Tum rationibus factis dubio precedenti quibus oſtendimus ſcientiam beatam animæ Chriſti reſpectu effectuum poſsibilium eſſe actualem, & ſimultaneam omnino cognitionem: quæ proinde pariter ſe debet habere reſpectu exiſtentium, & futurorum.

Tum etiam, quia beatitudo à principio habet quietare, & ſatiare omne deſiderium naturale beati, quale eſſe circa ſciendum futura colligitur ex illo Danielis 2. *Tu rex cepiſti cogitare quid eſſet futurum poſt hæc*, &c. Propterea enim ait Auguſtinus tractatu 101. in Ioannem de illa; *Videbimus eum vbi iam nihil rogemus, nihil interrogemus quia nihil deſiderandum remanebit, nihil quærendum latebit*; ergo ex vi viſionis beatę cognoſcit anima Chriſti, ſicut & quilibet beatus à principio ſuę beatitudinis quidquid ſub eius cadit naturali deſiderio.

Deinde pro ſecunda parte, probatur tripliciter: tum rationibus factis pro concluſione precedenti quæ hanc pariter conuincunt, ſi ſub hac forma applicentur: anima Chriſti debet habere cognitionem diei iudicij, & omnium futurarum actionum per ſcientiam perfectiorem quæ illi debetur ratione vnionis hypoſtaticæ, qualis eſt ſcientia beata: & quanto clarius videt Verbum, debet in illo, vt in medio cognito ex vi eiuſdem viſionis plures effectus intueri: ſicut quanto quis perfectius videt aliquam cauſam tanto in ea videt plures effectus ex vi viſionis eiuſdem cauſæ: & cuilibet beato conuenit in Verbo videre effectus ex vi viſionis eiuſdem Verbi iuxta luminis proportionem: ergo.

Tum etiam à ſimili, quia neceſſe eſt beatum videre Deum, & creaturas eius lumini proportionatas vnico, & eodem actu propter duo; nimirùm ad ad ſaluandam diſtinctionem inuentam ab Auguſtino libro 4. de Geneſi ad literam capite 25. & libro 11. de Ciuitate capite 7. & 29. de duplici cognitione in Angelis, & cæteris beatis: altera quidem matutina qua res in Verbo; & altera veſpertina qua res in ſe ipſis, & extra Verbum cognoſcunt, & approbatam à D. Thoma 1. part. quæſtione 59. articulo 7. & 8. in eo ſenſu, vt matutina cognitio terminetur ad creaturas in Verbo, nedum ſecundum eſſe increatum Verbi, ſed etiam ſecundum proprium earum eſſe à Verbo condiſtinctum: veſpertina autem

terminetur ad eaſdem creaturas ſecundum eſſe creatum extra Verbum. Et inſuper quia ſicut eodem actu amoris amatur creatura, & Deus vt finis, ac ratio amandi creaturam in tali gradu: ita quia Deus vt viſus per viſionem beatam eſt principium, & ratio cognoſcendi aliquas creaturas; eodem actu quo videtur Deus, & illę cognoſcentur: eoquod ſic ſe habet principium in ſpeculabilibus ſicut finis in agibilibus.

Denique ex triplici inconuenienti quod ſequitur ex oppoſita ſententia. Primum eſt, quod viſio beata non terminetur ad creaturas, vt ad obiectum ſecundarium, & ad eſſentiam diuinam, vt ad obiectum primarium.

Secundum eſt, quod neque eſſet cognitio ſcientifica creaturarum.

Tertium eſt, quod neque eſſentia diuina eſſet reſpectu cognitionis creaturarum medium cognitum, ſed tantum incognitum, vtpotè non manifeſtum ex vi eiuſdem cognitionis terminatæ ad creaturas: quæ omnia pro inconuenienti habenda ſunt.

Primum quidem, quia viſio beata terminatur ad eſſentiam diuinam, & ad creaturas in illa cognitas vt exemplata ab ipſa viſione increata Dei, quę ſimul terminatur ad eſſentiam, vt ad obiectum primario cognitum, & ad creaturas vt ad obiectum ſecundario cognitum in illa: quod inſinuatur à Chriſto Ioannis 17. dicente; *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verũ Deũ, & quẽ miſiſti Ieſum Chriſtũ*, ideſt vita ęterna conſiſtit in illa viſione quæ ſimul eſt cognitio Dei, vt obiecti primarij, & humanitatis Chriſti, quæ creata eſt vt obiecti ſecundarij.

Secundum vero, quia perfectio cognitionis ſcientificæ non eſt deneganda viſioni beatæ quæ exemplatur ab increata: ac proinde ſicut hæc ſimul eſt viſio Dei, & ſcientia creaturarum; ita & illa proportionabiliter, ac percõſequẽs, debet attingere creaturas in Deo, vt in cauſa cognita.

Tertium denique, quia eſſentia reſpectu viſionis increatæ habet ſe, vt ſpecies repræſentatiua ſimul atque medium cognitum: ergo pariter reſpectu viſionis creatæ debet eſſe ſpecies repræſentatiua Deitatis, atque medium cognitum ex vi viſionis vtriuſque obiecti, ſcilicet primarij, & ſecundarij.

16 Ex hac concluſione tres inſurgunt difficultates à nobis enodandæ. Prima eſt, quia videtur ſequi viſiones beatas diſtingui ſpecie inter ſe, & à viſione animæ Chriſti, ſiquidem hæc terminatur ad aliquas creaturas ſaltem ſecundario ad quas aliæ non terminantur: diuerſitas autem obiecti ſecundarij cogniti refundit ſpecificam diſtinctionem in cognitiones.

Conſequens autem eſſe falſum patet, quia vbi non eſt diuerſitas in lumine & ſpecie intelligibili, neque poteſt eſſe in viſionibus: ſed in lumine gloriæ, & ſpecie intelligibili beatorum omnium non eſt diuerſitas ſpecifica: ergo.

Secunda eſt, quia quilibet beatus videret pariter omnes creaturas futuras, eoquod ex parte luminis, & ſpeciei eſt principium ſufficiens manifeſtandi omnes: ac proinde non eſt ratio cur limitentur ad aliquas in particulari, vel potius ad iſtas, quam ad illas.

Conſequens autem eſſe falſum patet, quia alias omnes beati eſſent æquales animæ Chriſti in numero creaturarum cognitarum, quod non eſt admitendum: ergo.

Tertia eſt, quia aliàs magis beatus ſemper videret plures creaturas, quod tamen eſſe falſum patet, quia poteſt contingere pauciores creaturas pertinere ad eius ſtatum, quam ad ſtatum alterius minus beati: ergo vt hæc vitemus inconuenientia dicendum eſt beatos in Verbo non formaliter, ſed tantum cauſaliter, & per nouas reuelationes creaturas intueri.

Ad primã difficultatẽ reſpondent quidam Iuniores beatum ex vi viſionis beatificæ videre creaturas, non tamen in eſſentia diuina, vt in obiecto primario, & ratione formali eas videndi, ſed immediatè vt obiectum compartiale viſionis, ita vt ex illis, & eſſentia diuina confletur vnum obiectum integrum, & totale. Quod contingere poteſt vno ex tribus modis, vel quia dum viſio terminatur ad eſſentiã diuinam, ſimul videt actus liberos diuinæ voluntatis, & eorum obiecta, vt connotata, nimirũ creaturas: vel quia ſimul terminatur ad omnia obiecta repreſentata in eſſentia, vt in ſpecie intelligibili, & medio incognito, quæ ſunt deitas, & creaturæ pertinentes ad ſtatum talis Beati, vel quia ſimul cum eſſentia diuina, videt Beatus

Occurritur tribus difficultatibus ex præcedẽte cõcluſione inſurgentibus.

tus viſionem increatam Dei cum eius obiectis, quæ ſunt Deus, & creaturæ futuræ.

Vnde hi authores conſequenter fatẽtur viſiones beatificas ſpecie diſtingui, vt pote gaudentes obiectis primarijs habentibus diuerſitatem ex parte connotati, ſcilicet creaturarum. Tamẽ hæc opinio reijcienda eſt, & tenenda illa, quæ aſſerit viſionem beatam non terminari æque immediatè ad deitatem, & creaturas, vt ad plura obiecta partialia, ſed immediatè ad deitate, vt ad obiectũ primariũ, & mediatè ad creaturas, vt ad obiectũ ſecũdarium in deitate, vt in medio cognito repreſentatas, iuxta quam neganda eſt cum Caietano art. 4. ſequenti, & Cabrera ibidem, diſp. 3. & 4. & Suario in expoſitione diſputationis 26. circa titulum, diuerſitas ſpecifica viſionum, propter duo. Tũ ob identitatẽ luminis gloriæ, & ſpeciei intelligibilis.

Tum etiam, ob identitatem obiecti primarij, quod eſt deitas viſa, vt eſt in ſe reſpectu cuius inuariati manentis non poſſunt viſiones ſpecie diuerſificari. Adde cum præfactis authoribus, nec de potentia abſoluta poſſe viſiones beatas ſpecie diſtingui propter tria.

Tum, quia non poſſunt non eſſe eiuſdẽ obiecti primarij, & formalis, atquè ab eadem ſpecie intelligibili.

Tum etiam, quia eadem deitas eſt ſimul ſpecies, & termiminus viſionis: vt ſi lux corporea per ſe ipſam ſine alia ſpecie videretur; non poſſent circa illam dari diuerſæ viſiones.

Tum deniquè, quia viſiones beatificæ ſunt participationes formales viſionis increatæ Dei, quæ vt ſic eſt omnino eadem, & indiuiſibilis.

Ex quibus patet ſolutio ad fundamẽtum aduerſariorum: & ad rationem dubitandi.

Ad ſecundam reſpondetur, rationem ob quam lumen, & ſpecies has potius creaturas, quàm alias beato manifeſtant eſſe ſtatus vnius cuiuſquè beati: in aſsignanda autem ratione huius determinationis plures modos dicendi Theologorum referunt, & refutant Molin. 1. part. quæſt. 12. art. 8. membro 2. Suarius hic diſp. 26. ſect. 3. & Cabrera diſp. 3. ex quibus tres probabiliores commemorabo.

Primus eſt Valenciæ in d. quæſt. 12. 1. partis puncto 6. §. *Sed reſpondemus*, & Ranguſæ hic diſp. 88. §. 4. aſſerentium huius determinationis rationem eſſe beneplacitum Dei, qui iuxta menſuram meritorum cuiuslibet beati, hæc aut illa futura in decretis ſuæ voluntatis vnicuique Beato medio lumine, & eſſentia vt ſpecie vult manifeſtare.

Secundus eſt Molinæ vbi ſupra, & membro 5. & Peſantij, diſp. citata aſſerentium rationem huius differentiæ prouenire ex duplici capite, nimirum ex maiori, aut minori intenſione luminis gloriæ, & ex diuino concurſu, quem Deus preſtat beato, vt medio lumine gloriæ in tali gradu viſionem harum creaturarum potius quam illarum eliciat. Huic à finis eſt modus, quem ſequitur Suarius in dicta ſect. 3. dicens rationem huius differentiæ ſumi ex indiuiduali differentia luminis, ac viſionis, iuxta quantitatem meritorum vnicuique correſpondentis, quod ſicut ex gradu ſpecifico habet manifeſtare Deũ & ea quæ pertinent ad naturalem apetitũ beati, nimirum genera, ac ſpecies rerum vniuerſi: ita ex indiuiduali differentia habet hæc potius ſingularia futura, quam illa Beato manifeſtare.

Tertius denique, & verior ſumit rationem huius differentiæ ex parte ſubiecti, & ſtatus ipſius, cui Deus impertitur lumen gloriæ acommodatum, quod propterea vnicuiquè beato manifeſtat illa, quæ eius ſtatum concernunt: ita communiter ſentiunt diſcipuli, D. Thom. vt Caietanus & Medina in hoc art. Cabrera diſp. 3. & Banneſius 1. part. quæſt. 12. art. 10. dub. vnico ad tertium.

Et ſuadetur primò, quia habitus ſupernaturalis perficit ſubiectum iuxta ipſius ſtatum, & inclinationem, vt quia Petrus v. g. inclinatur ſuapte natura ad magis diligendum in via parentes, & propinquos, quam extraneos, ideò charitas eum perficit ad hoc vt magis parentes, & propinquos diligat. Et quia in patria Beati inclinantur ad magis diligendum eos, qui magis coniuncti ſunt Deo propterea charitas patriæ illos ad hoc etiam inclinat, teſte Diu. Thom. 2. 2. quæſt. 26. Similiter prudentia diuerſa ſubiecta ad actus diuerſos diſponit, & inclinat: vt Prælatum inclinat & diſponit ad benè imperandum, ad quem actum non diſponit ſubditum. Et in vniuerſum quæcunque virtus maxime infuſa habet perficere ſubiectum in ordine ad actus ipſi congruentes: ergo cũ lumen gloriæ ſit habitus infuſus pariter de illo phyloſophandum eſt.

Secundo, quia huiuſmodi lumen quatenus beatificum debet quietare, & ſaciare iuxta ſuam quantitatem omne deſiderium naturrle ſui obiecti: quilibet autem beatus naturaliter rationabiliter deſidera ſcire ea, quæ ad ipſius ſtatum, aut munus ſpectant: ergo hæc debent ei à lumine gloriæ manifeſtari.

Tertio probatur impugnando duos priores modos dicendi. Primus enim deficit propter duo.

Tum quia ad idem principium eodē, vel diuerſo modo ſe habens reduci debet cognitio, vel diuerſa cognitio alicuius obiecti: ſed principium viſionis creaturarum in Verbo non eſt ſolum beneplacitum Dei, ſed lumen gloriæ cum eſſentia in ratione ſpeciei: ergo in idem lumen cum ſpecie diuerſimode participatum reduci debet diuerſitas viſionis creaturarum in Verbo.

Tum etiam, quia lumen gloriæ collatum B. Petro, v.g. de ſe habet manifeſtare aliquas creaturas in Deo, tamquam in cauſa: & non aliàs, niſi illas quas de facto manifeſtat; alioquim Deus limitaret eius connaturalem inclinationem, neque concurreret cum illo ad proprium, & connaturalem effectum; quod derogat ſuauitati diuinæ prouidentiæ: ergo huiuſmodi differentia viſionis non eſt reducenda in diuinam voluntatem, tamquam in cauſam proximā, licèt ab illa dependeat, vt à cauſa prima.

Secundus etiam deficit, propter tria inconuenientia, quæ ex illo ſequuntur.

Primum eſt, quod omnes beati æquales in beatitudine eaſdem creaturas viderent, ſiquidem habent lumen æqualis intenſionis, quatenus eſt principium videndi Deum. Conſequens autem eſſe falſum patet, quia contingere poteſt duos beatos æqualis beatitudinis eſſentialis habere diuerſos ſtatus, ac proinde reſpectum ad diuerſas creaturas, & numero inæquales.

Secundum eſt, quòd beati habentes æquale gaudium beatificum, gauderent de eiſdem creaturis ob eandem rationem. Conſequens autem eſſe falſum patet; quia Petrus habens æquale gaudium beatificum cum Paulo magis gaudet gaudio eſſentiali de ſua beatitudine, quam de aliena: de qua tamen gaudet gaudio accidentali.

Tertium eſt, quod habentes charitatem æqualis intenſionis tenerentur diligere æqualiter eaſdem creaturas: Conſequens tamen eſſe falſum patet in Petro, & Paulo habentibus, v. g. charitatem vt quatuor, quorum ille tenetur diligere magis ſuos parentes, & benefactores, & ſeipſum quam teneatur Paulus eoſdem diligere: & hoc prouenit ex intrinſeca inclinatione charitatis, prout eſt in tali ſubiecto: cui inclinationi non denegat concurſum Deus, qui cunctis cauſis ſecundis debito decētiæ debet proportionari, & acommodari: ergo.

Vltimo probatur, oſtendendo hanc eſſe expreſſam ſentētiam D. Th. pluribus in locis, nam in quæſt. 8. de veritate, art. 4. ad 12. ait, quod cognitio creaturarum licèt non pertineat ad eſſentiam beatitudinis, tamen inæqualiter, & ſecundum eius proportionem, ſequitur plurium, aut paucarum creaturarum manifeſtatio, & ideò ex viſione diuinæ eſſentiæ quædam creaturæ manifeſtantur, & quædam non; quatenus quorundam effectuum rationes ſunt latentiores, & aliorum manifeſtiores; & in corpore inquit, quod qui perfectius, & plenius videt Deum, tanto plures videt creaturas ex productis, vel producendis: & ideò anima Chriſti videt omnes; quia pleniſſime videt Deum: quæ propoſitio intelligenda eſt de maiori perfectione non eſſentiali, ſed accidentali: ſiquidem etiam, ſi nullas videret creaturas beatus, adhuc haberet eſſentialem beatitudinem, vt ibidem ad 13. & 1. part. quęſtion. 12. art. 8. ad 4. fatetur Diuus Thom. ex teſtimonio Auguſtini, lib. 5. confeſsionum, cap. 5. dicentis: *Beatus, autē qui te ſciret, etiam ſi illa neſciret; ſi autem te, & illa nouit, non propter illa Beatior, ſed propter te ſolum Beatus*, quam ſententiam Auguſtini, & D. Thom. expendit etiam Caietanus, 1. part. quæſt. 57. art. 5 in ſolutione ad argum. Scoti, & in eadem ſolutione ad 4. præalegata ex 1. part. quæſt. 12. art. 8. ait inſuper D. Thom. quòd ad deſiderium naturale beati (ſecluſo ſtatu) tantum pertinet ſcire ea quorum cognitio eſt de perfectione intellectus, cuius modi ſunt nō ſingularia futura, niſi tantum genera, & ſpecies vniuerſi: & hoc naturale deſiderium ſaciat per ſe beatitudo; idemquè repetit in dicta quæſt. 8. de veritate, art. 4. ad 1. ac proinde ſentit D. Thom. manifeſtationem futurorum in ſingulari fieri beatis ex vi viſionis Dei, iuxta proportionem luminis, & ſtatus: non tamen tamquam perti-

nen-

Digitized by Google

nentem ad eſſentiam ipſius viſionis beatificę.

17 Ad tertiam difficultatem, quatuor ſunt modi dicendi. Primus quorũdã Iuniorum aſſerentium, quod minus beatus videt in Verbo, non omnia abſolutè ad eius ſtatum pertinentia, ſed tantum omnia, quæ manifeſtari poſſunt in deitate, iuxta quãtitatem luminis: vel omnia quo ad ſubſtantiam quidem, ſed non quoad modos, & rationes prouidentiæ, & conſilij diuini.

Secundus eſt Caietani, hic & 1. part. quæſt. 57. art. 5 dicentis, quod minus beatus in ingreſſu, & principio ſuæ beatitudinis, nequit videre plures creaturas quã magis beatus: quia tunc illas videt in Verbo: bene tamen poſtea, quia iam poſt primum ingreſſum beatitudinis manifeſtantur ei creaturæ in Verbo non formaliter, ſed cauſaliter, & per nouas reuelationes.

Tertius eſt Medinæ hic dicentis, quod minus beatus poteſt videre plures creaturas in Verbo non quidem naturaliter repreſentatas, ſed voluntariè, & libere: quia ex obiectorum ſecundariorum viſione non efficitur magis beatus.

Quartus eſt, quem ſequuntur Soto, & Vazquez vbi ſupra relati, qui vt facile ſe ab hac difficultate expediant, dicunt creaturas videri à beato extra Verbum, ac per conſequens poſſe videri plures à minus beato, & pauciores à magis beato, abſquè detrimento ſuæ maioris beatitudinis eſſentialis. Sed omnes iſti modi ſunt inſufficientes.

Primus quidem, quia in eo quod aſſerit minus beatum non videre abſolute omnes creaturas, quæ ad eius ſtatum pertinent eſt contra ſententiam D. Thom. in locis ſtatim adducendis.

Secundus verò deficit in eo, quod admittit cum quarto futura videri à beatis extra Verbum ſaltem poſt primum ingreſſum beatitudinis, quod tamen eſt contra ſententiam D. Thom. qui 1. part. in dicta quæſt. 57. art. 5. ait Angelos videre miſteria gratiæ in Verbo, licèt non omnia, nec æqualiter, & 2. 2. quæſt. 83. art. 4. ad 2. docet ex doctrina Gregorij lib. 12. moralium, cap. 14. beatos cognoſcere in Verbo petitiones, & orationes noſtras, quibus ipſos imploramus, & queſt. 8. de veritate art. 8. in corpore, ad primum, & ad 15. inquit beatum videre creaturas in Verbo iuxta menſuram diuinæ viſionis, vbi abſolutè, & ſine diſtinctione primi ingreſſus beatitudinis, aut poſt ipſum, loquitur D. Thom. ergo.

Tũ etiã, quia poteſt cõtingere, quod à principio, & in ingreſſu beatitudinis ad ſtatum minus beati pertineant plures creaturę, quam ad ſtatum magis beati: ergo iã tunc videbit in Verbo, minus beatus plures creaturas, quam magis beatus: ac per conſequens non vitat Caietanus inconueniens, quod intendit vitare.

Tertius deficit, quia deſtruit illud axioma aprobatum à D. Thom. quod quãtò quis plures effectus videt in cauſa, tantò perfectius videt, & ipſam cauſam: quod quidem intellectum de effectibus diuerſis ſecundum gradus perfectionis veriſsimũ eſt: & ex illo probat D. Thom. in opuſculo 2. cap. 216. & in hoc art. Chriſtum omnia futura, etiam libera vidiſſe in Verbo, tamquam in cauſa, & 1. part. quæſt. 57. artic. 5. ex eodem principio deducit Angelos eo plure miſteria gratiæ videre in Verbo, etiam ſi repreſentetur liberè, quo ſunt beatiores, ideſt quo perfectius diuinam eſſentiam contemplantur, licet enim huiuſmodi miſteria gratiæ preſentia, vel futura repreſententur liberè, tamen repreſentantur in Deo, vt in cauſa, ac proinde quo plura ſecundum gradus perfectionis videntur, eò perfectius neceſſe eſt videri & cauſam.

Nequè obſtat, quod obijcit Ranguſa vbi ſupra, nimirum huiuſmodi futura libera videri quidem à Beato in Verbo ex vi viſionis, non tamen quatenus viſio terminatur ad eſſentiam, & eius prædicata intrinſeca, ſed quatenus terminatur ad libera decreta, quæ ſupra diuinam voluntatem tantum addunt reſpectum rationis ad obiecta, quæ Deus videnti ſuam voluntatem patefacit: & propterea non opportet quod ſit beatior ille qui plura ex huiuſmodi futuris intuetur. Non inquam obſtat hæc ſolutio quæ coincidit cum modo dicendi, Medina nuper relato de effectibus repreſentatis in eſſentia naturaliter, aut liberè in diuina voluntate, & cum illo quę habet Cabrera diſp. 3. num. 42. dicens admiti poſſe, quòd minus beatus videat plura futura, quam magis beatus: non tamen ex vi luminis, & viſionis, ſed per accidens & ratione ſtatus: quia quomodocumquè id admitatur deſtruitur prædictum axioma, & eneruantur rationes Diu. Thom. quibus probat ab anima Chriſti omnia fu-

tu-

tura etiam libera: & ab Angelis beatioribus plura miſteria gratiæ videri.

Deniquè quartus eadem ratione qua & ſecundus manet improbat, quare his reiectis. Verior eſt modus dicendi, quem ſequuntur Medina vbi ſupra in ſecunda ſolutione, & Cabrera diſput. citata, num. 49. & Suarius diſp. 26. ſect. 3. §. *ſed circa*, aſſerentes, quod magis beatus ſemper videt plures effectus in Verbo ſaltem formaliter; eo quòd D. Stephanus v.g. plures effectus videt, quam B. Dominicus; quia vel ei ex alio capite, quam ratione ſtatus plures Deus effectus manifeſtat, ſaltem poſsibiles, aut ſaltem plures rationes effectuum, vt D. Thom. in dicta ſolutione ad primum articul. 4. admittit: & ſic ſaluatur quod videat plures effectus formaliter, licet non materialiter, & quoad numerum entitatum, qui modus dicendi præter quam quòd innuitur à D. Tho. in loco citato, ſuadetur. Quia aliàs ſi minus beatus, vt fundator alicuius Religionis ratione ſtatus videret plures effectus, quam alter qui in hac vita fuerit ipſi æqualis in meritis, & ſanctitate iam æquales in meritis, & ſanctitate, non eſſent æquales in procemio eſſentiali, hoc eſt in viſione beatà, quod tamen eſſe falſum oſtendimus quæſt. 24. de charitate, art. 6. vbi docuimus, quod quantitas gloriæ eſſentialis correſpondet quantitati gratiæ charitatis viæ, ac meritorũ. Igitur dicẽdũ eſt quęcũquè beatum videre ex vi viſionis in Verbo tot creaturas determinatè, & has potius quam alias iuxta proportionem ſubiecti luminis, & ſpeciei: ſubiecti quidem propter exigentiam inclinationis, ſiue ſtatus: luminis vero, quia ex ſua differentià indiuiduali diſponit intellectum ad manifeſtationem talium creaturarum, iuxta eius exigentiam. Speciei deniquè, quia vnitur eſſentia diuina in ratione ſpeciei intellectui diſpoſito per tale lumen, vt repreſentatiua detractè earundem creaturarum iuxta exigentiam luminis diſponentis, cum quo ſtat, quod nequè manifeſtatio nequè repreſentatio talium creaturarum ſit de eſſentia viſionis beatę, quia de potentia abſoluta Dei poteſt intellectui diſpoſito per lumen manifeſtatiuum 10. creaturarum, v.g. vniri eſſentia diuina, vt repreſentatiua dũtaxat aut etiã nullius creaturę in particulari repreſentatiua, licèt cõnaturaliter, & iuxta ſuauem Dei diſpoſitionem debeat ſemper repreſentatio diuinæ ſpeciei, & extenſio viſionis ad obiecta ſecundaria fieri iuxta totam connaturalem exigentiam, & latitudinem luminis diſponentis: quem admodum de potentia abſoluta poteſt Deus facere in naturalibus, vt forma introducenda in materiam vniatur illi, non ſecundum totam exigentiam, & latitudinem diſpoſitionis naturalis: ſed citra illam quamuis cõnaturali modo, & ſecundum ordinariam legem ſemper introductio formę fiat iuxta totam naturalis diſpoſitionis exigentiam, & latitudinem.

18 Ex quibus ad rationem dubitandi admiſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia: nam licet minus beatus ex vi viſionis in ſenſu explicato videat omnes creaturas ex productis, vel producendis pertinentes ad ſuum ſtatum, & plures quam pertineant ad ſtatum magis beati: nihilominus ſemper magis beatus ex vi ſuæ viſionis videbit plures abſoluiè, quod vno ex tribus modis poteſt verificari: vel quia videbit plures formaliter, id eſt quoad modos, & rationes dependentię à diuina omnipotentia, vt dictum eſt: vel quia videbit plures eminẽter ſaltem: quia ſicut vna creatura ſuperioris ordinis excedit in eſſendo infinitas ordinis inferioris, vt vnus Angelus excedit infinita corpora in eſſe, qua de cauſa viſio, quæ de ſe eſt manifeſtatiua vnius Angeli excedit viſionem, quæ de ſe eſſet manifeſtatiua omniũ corporum ſublunarium: axiomaquè proinde D. Thom. qui perfectius videt Verbum, plures effectus videt in illo: debet intelligi de pluralitate aut formali, aut eminenti, aut ſi cætera ſunt paria, hoc eſt, niſi quãdo pauciores effectus viſi in Verbo ſunt ordinis ſuperioris excedentes plures alios ordinis inferioris, tunc enim ſtat bene à magis beato videri pauciores materialiter, & ſecundum numerum entitatum abſquè detrimento veritatis prædicti axiomatis: vel tandem verificatur, quia videbit plures, & ſecundum numerum entitatum, ſaltem poſsibiles, qui in eſſentia diuina naturaliter repreſentantur.

Sed rogabis vnde perfectior viſio magis beati determinetur ad plures creaturas poſsibiles, & potius ad iſtas, quam ad aliàs? Reſpondent communiter diſcipuli D. Thom. determinari, quidem ita ad aliquas, quod non ad omnes ex limitatione luminis cur ad iſtas autem in particulari potius quam ad alias determinetur?

Reſ-

Reſpondent diuerſimodè, Valencia enim vbiſupra Bañez 1 part. quæſt. 12. art.8.ad 2. ſecundæ ſententiæ, & Zumel ibidem dicunt hanc determinationem prouenire ex diuina volũtate, qua Deus vult vnire intellectui huius beati ſuam eſſentiam, vt repreſentatiuam iſtarum creaturarum poſsibilium, & non aliarum. Suarius vero vbiſupra, & Cabrera, diſp.4 in ſolutione ad ſecundum Reſp. hanc determinationem prouenire ex differentia indiuiduali luminis, quod ſicut ex gradu ſpecifico habet terminari taliter ad vnum obiectum formale, quod non ad aliud, vt patet etiã in habitibus ſcientiarũ: ita ex differentia indiuiduali habet intra idem obiectum formale extendi ad plura, vel pauciora obiecta ſecundaria, & taliter ad iſta quod non ad alia.

Sed noſtra reſponſio vtramquè priorem ad concordiam reducens eſt hanc determinationem, ex 3. capite prouenire: nimirum ex diuina voluntate, ex ipſo lumine gloriæ limitato, & ex diuina eſſentia in ratione ſpeciei: ex diuina quidem voluntate, vt ex principio primo extrinſeco determinante, ex lumine verò, tãquam ex principio determinatiuo proximo, & intrinſecè diſponente, quod ad talem gradum indiuidualem contractum connaturaliter diſponit intellectionem ad manifeſtationem harũ creaturarum poſsibilium determinatè: & tandem ex eſſentia diuina in ratione ſpeciei, vt ex principio formali, in quãtũ vnitur intellectui, vt repreſentatiua earundem creaturarum iuxta latitudinem, & ex gentiam connaturalem luminis diſponentis, à quibus principijs oritur viſio beata cum determinata extenſione ad hæc, ſiue ad illa obiecta ſecundaria in Verbo, quamuis de potentia abſoluta poſſet ad alia, & ad plura, vel pauciora obiecta, vel etiã ad nullum ex poſsibilibus terminari, quia viſio obiecti primarij non dẽpendet eſſentialiter ab extenſione ad ſecundarium.

19 His ſuppoſitis reſtat ſatisfacere fundamento Agnoitarum, & aliorum ſectariorum deprompto ex illo teſtimonio Math. & Marci, *de illa die nemo ſcit, &c*

Expenditur teſtimonium, Mathæi, & Marci.

Ad quod reſpondetur cũ D.Th. hic ad primum, iuxta triplicem expoſitionem, quarum prima eſt, Auguſtini lib. 1. de Trinitate, cap. 12. quod filius dicitur neſcire diem iudicij, quia neſcientes facit diſcipulos, ſicut è contra Geneſis 22. Deus dixit Abraham: nunc cognoui quod timeas Deum, ideſt nunc cognoſcere te feci, &c. huic à finis eſt expoſitio Hilarij, Canone 16. in Matthæum dicentis, ideò Chriſtum neſcire diem iudicij, quia ex diuina ordinatione non debebat illum manifeſtare.

Secunda eſt Origenis, homilia 30. in Mathæum, Gregorij Magni lib. 8. epiſt. 42. & Damaſceni lib. 3. de fide, cap. 22. aſſerentium neſcire diem iudicij; non quidẽ in ſua perſona, ſed in ſuo corpore miſtico Eccleſiæ, iuxta primam regulam Ticonij quæ attribuit capiti ea quæ ſunt corporis, & è contra.

Tertia eſt aliorum quos ſupreſſo nomine citat D.Thom. quod hæc neſcientia conuenit filio Dei, non quidem naturali, ſed adoptiuo, hoc eſt hominibus iuſtis, quibus ocultus eſt dies iudicij.

Quibus, & quartam expoſitionem poſſumus addere ex eodem Gregorio in dicta epiſtol. 42. quam ſequuntur etiam Nazianzenus, Damaſcenus, & Nicetas vbiſupra; & Caietanus ſuper Matthæi 24. nimirum quod filius, quatenus homo dicatur, neſcire diem iudicij, quia non à ſe, aut à ſua humana virtute habet cognitionẽ illius, ſed ex virtute Dei. In quo ſenſu idẽ Chriſtus Dominus alibi dixit, ſcilicet Ioaun. 7. Doctrinam ſuam, non eſſe ſuam ideſt à ſe, ſed à Patre.

Ad illud autem Lucæ 2. de profectu Chriſti in ſapientia ætate, & gratia. Tres etiam ſunt expoſitiones, iuxta quas nihil ſequitur contra noſtram, & catholicam ſententiam.

Prima eſt Damaſceni in loco citato, quod Chriſtus, vt homo ætate quidẽ creſcebat in ſe: ſapientia vero, & gratia non in ſe, ſed in ſuo corpore miſtico.

Secunda eiuſdem Damaſceni, Bernardi, hom. 2. ſuper miſſus eſt, Eutimij in eũdem locum deſumpta ex Nazianzeno, oratione citata, num. 65. adducto à D.Th. in cathena ibidem, quod Chriſtus proficiebat in gratia, & ſapientia infuſſa non incremento interno, ſed externo, & quoad manifeſtationem, quia creſcente ætate ſciẽtiam, & gratiam magis manifeſtabat.

Tertia eſt Bonauenturæ, & Theophilati in eundem locum: nimirum, quod Chriſtus cum ætate creſcebat ſapientia, & gratia non habituali, ſed actuali, hoc eſt in operibus, quæ coram Deo, & hominibus indies maiora operabatur.

Ad

Ad confirmationem ex Patribus reſpondetur vno ex duobus modis; aut illos fuiſſe in ea ſententia, vt de Athanaſio, & Cyrilo ſentiunt Ianſenius in concordia Euangelia, cap. 123. Toletus ſuper cap. 2. Lucæ, annotatione 86. Salmeron tomo 4. part. 3. tract. 4. & Vazquius diſp. citata, cap. 1. aut ſi mauis cum Ranguſa, diſp. 88. §. 4. eos loquutos fuiſſe de humanitate Chriſti conſiderata ſecundum propriam virtutem, ita vt ſenſus ſit quod humanitas Chriſti ex ſua naturali virtute nō habebat ſcientiam de die iudicij, & alijs futuris, licet eam habuiſſet ex dono gratiæ, & lumine gratuito communicato ipſi ex eo, quòd fuerit Verbo diuino vnita, & quidem de Cyrilo conſtat hanc fuiſſe eius mentem, quia lib. 1. Theſauri, cap. 1. & libr. 1. in Ioannem, cap. 17. fatetur Chriſtum creuiſſe ſapientia, & gratia ſolum ſecundum externam manifeſtationem.

De Nazianzeno autem idem colligitur ex verbis, quæ cōtinuo ſubdit dicens: *Si quis partem aſpectabilem ab ea disiungat, quæ mente ſola perſpici poteſt, &c.* ac ſi diceret Chriſtum ſecundum humanitatem, ex proprijs conſideratus, & ſecluſa coniunctione ad Verbum huiuſmodi ignorantiā habuiſſe: in eodemquè ſenſu Nicetas, & Damaſcenus Nazianzeni ſententiam interpretantur.

Dubium tertium eſt: An anima Chriſti in Verbo cognouerit infinita.

IN hoc dub. omiſſa, & ſufficienter refutata ex ſuperius dictis ſentētia Bonauenturæ, Gabrielis, Marſilij, & Scoti vbi ſupra, Henrici quodlibeto 5. quæſt. 4. Guillelmi citati à Gabriele, & Adami citati à Capreolo in 3. diſtinct. 14. quæſt. 2. art. 1. atquè à Caietano in hoc artic. 3. aſſerentium animam Chriſti cognouiſſe in Verbo per ſcientiam Beatam infinita: non quidem actu aut ſimul: ſed habitu, & ſucceſsiuè ad hunc ſenſum, quod in anima Chriſti fuerit habitualis, quædam qualitas infuſa beatifica, vel quod ipſa viſio beata animæ Chriſti, ſit quædam habitualis cognitio potens terminari ad omnia futura ſucceſsiuè ſi vellit attendere nunc ad iſtud, poſtea ad illud; & ſicque adhuc in præſenti anima Chriſti nondum cognouit actu quam plurimas cogitationes ex his quæ ſuperſunt futuræ. Reiecto igitur modo iſto cognoſcendi in Verbo habitualiter, & ſucceſsiue, vtpotè derogante ſimplicitati, æternitati, & actualitati viſionis beatæ, inter Theologos, qui admittunt viſionem beatam animæ Chriſti ſimul & actu terminari ad omnia futura, quæ ipſi in diuina eſſentia repreſentantur, tres verſantur ſententiæ.

Prima eſt Ricardi in 3. diſtinct. 14. artic. 2. quæſt. 3. aſſerentis animam Chriſti, tantum cognouiſſe finitam multitudinem eorum futurorum, quorum non eſt ſucceſſio in infinitum, hoc eſt ſubſtantiarum, cuius fundamentum eſt ab inconuenienti, quod videtur ſequi ex oppoſita ſententia nimirum, quia aliàs talis cognitio eſſet infinita actu, ſiue chathegorematicè: tale autem infinitum extra Deum, non eſt admitēdum: ergo. Sequela ſuadetur dupliciter: Tum calculatione Scoti, quia quo plura futura videntur, eò perfectior eſt viſio, & lumen: ergo ſi videntur infinita, pariter viſio, & lumen erunt infinitæ perfectionis.

Tum etiam, quia vt arguit Adamus talis cognitio æquipolleret infinitis cognitionibus quarum ſingulę ad ſingula futura terminarentur: cognitio autem æquipollens infinitis non poteſt non eſſe infinita: ergo.

Secunda ſententia affirmat animam Chriſti vidiſſe in Verbo infinitam multitudinem, & collectionem omnium futurorum, quam ſententiam duobus modis explicant, & defendunt eius auctores: alij enim de quorum numero ſunt Cabrera in hoc art. 3. diſp. 1. & 2. Nazarius, art. 4. dubitatione 2. Lorca diſp. 48. & Aluarez, diſp. 55. dicunt huiuſmodi futurorum omnium collectionem viſſam ab anima Chriſti in Verbo eſſe infinitam actu, & cathegorematicè ſecundum ſe in menſura æternitatis.

Alij vero de quorum nnmero ſunt Molina 1. part. quæſt. 12. art. 8. diſp. 5. membro 7. & quæſt. 14. art. 12. Vazquius ibidem diſp. 63. cap. 1. & 2. & in hac 3. part. diſp. 51. cap. 2. circa finem eximant dictā collectionem eſſe infinitam cathegorematicè, non quidem ſecundum ſe, niſi tantum prout cognitam, & intellectui Chriſti obiectam.

Id

Id autem in quo conueniunt præfacti authores ſuadent tripliciter: primo arguit Vazquius, quod talis cognitio adhuc non eſſet in ſe actu infinita licet ſit de obiectis actu infinitis: ergo non eſt cur animæ Chriſti denegetur. Cōſequentia patet, quia ob hanc ſolum rationem denegatur à nominalibus, & Scotiſtis animæ Chriſti actualis, & ſimultanea omnium futurorum cognitio, quia nimirum ſine infinita virtute non poſſet actu, & ſimul infinita cognoſcere: antecedens vero probatur, quia ſicut intellectus Chriſti, & cuius libet beati virtute finita videt Deum, qui infinitus eſt ſecundum eſſentiam, videt quoquè omnia eius attributa, quæ ſunt in finita ſecūdum numerum, & ſecundum eſſentiam, vt tenet probabilis opinio Theologorum; ita à fortiori poteſt virtute finita videre infinitas ſecundum multitudinem, vtpotè quod eſt minus quam infinitum ſecundum numerum, & ſecundum eſſentiam ſimul.

Secundo arguit Molina, quia duæ ſunt conditiones infiniti cathegorematice, nimirum quod contineat actu omnes ſuas partes nulla excepta, cui proinde non poſsit fieri additio, & quod careat termino: ſed vtraquè conditione gaudet collectio omnium futurorum, vt cognita: ergo vt ſic eſt infinita cathegorematicè. Minor patet, quia cōtinet omnia præterita præſentia, & futura, extra quam nullam creaturam eſt accipere quæ non obijciatur intellectui Chriſti, & inſuper caret termino quia non eſt peruenire ad vltimam ex futuris cogitationibus habendis ab vno beato, nedum ab omnibus.

Si dicas has partes, ſine termino contineri in dicta multitudine, non in actu, ſed in potentia tantum, quia nunquam ponenda eſt à parte rei, & extra cauſas ſecundum omnem ſui partē. Contra hoc inſurgit Molina dicens: quod hæc multitudo talem habet infinitatem in eſſe cognito, qualem haberet in eſſe reali, ſi omnes eius partes fuiſſent actu productæ, ſicut ſunt actu cognitæ à Deo, & ab anima Chriſti: ſi autem omnes fuiſſent productæ, procul dubio earum collectio eſſet infinita cathegorematice à parte rei: ergo nunc eſt infinita cathegorematicè in eſſe cognito.

Tertio arguunt Cabrera, & Aluarez & Lorca; quia anima Chriſti cognouit intuitiuè omnia quæ Deus cognoſcit per ſcientiam viſionis, nimirum quæ fuerunt ſunt, & erunt pro quacumquè temporis differentia, vt habet D. Thom. in hoc art. 2. ad 2. & ad 3.

Sed idem D. Thom. 1. part. quæſt. 14. art. 12. & quæſt. 20. de veritate art. 4. ad 1. probat diuinam ſcientiam viſionis extendi ad infinita ſimpliciter ideſt cathegorematicè: eo quod omnes cogitationes cordium quæ ſunt, fuerunt, & erunt intra æternitatem multiplicabuntur in infinitum: ergo pariter ſcientia animæ Chriſti extenditur ad multitudinem infinitam ſimpliciter.

21 Tertia ſententia negat hanc omnium futurorum collectionem quam anima Chriſti in Verbo intuitiue cognouit eſſe actu, & cathegorematicè infinitā, etiam in eſſe cognito: niſi in potentia, aut ſyncathegorematicè; quam ſequuntur Capreolus in 3. diſt. 14. quæſt. 2. Ferrara primo contra gentes, cap. 69. circa finem, Caietanus, & Medina, & Siluius in hoc art. 3. Suarius diſp. 26. ſect. 3. Valencia diſp. 1. punto 2. Raguſa diſp. 89. dubitatione 2. Fonſeca lib. 2. Methaphyſicæ, capit. 2. quæſt. 2. ſect. 4. & Conimbricenſes lib. 3. Phyſicorum, cap. 8. quæſt. 6. art. 1. pro cuius ſententiæ declaratione.

Dico primò, anima Chriſti per ſcientiam beatam cognouit intuitiuè infinitam multitudinem rerum præteritarum, preſentiū, & futurarum intra æternitatem.

Statuitur Christum per ſciemtiā beatam intuitiue cognouiſſe infinitam rerū multitudinem.

Hęc cōcluſio ſtatuitur aduerſus priorem ſententiam, & ſuadetur primo, quia anima Chriſti in Verbo videt nedum ſubſtantias futuras, quæ terminū habebunt, quia futurus eſt ſtatus generationū, & corruptionum per huius mundi corruptibilis deſitionem, & cœleſtium orbiū motus ceſſationem, vt hic notat D. Thom. ſed etiam cuncta accidentia, & cogitationes quarū non erit terminus: horum autē omnium multitudo non poteſt non eſt infinita, ſiquidem carent termino, & eius partes nequeunt determinato numero cōprehendi: ergo.

Secundo; nam anima Chriſti, teſte D. Thom. in hoc art. 3. cognoſcit omnia quæ ſunt in potentia creaturæ: hæc autem ſunt infinita, ſaltem ſincathegorematicè: quia non habet terminū, cum hoc tamen diſcrimine, quod reſpectu eorum habet notitiam abſtractiuam, & ſcientiam, non viſionis, ſed quaſi ſimplicis intelligentiæ: ergo.

Tertiò: nam anima Chriſti cognoſcit

cit in Verbo cuncta quæ Deus ſcit per ſuam ſcientiam viſionis: talis enim cognitio decet officium vniuerſalis Domini, ac iudicis, quo gaudebat Chriſtus: Deum autem ſua ſcientia viſionis cognoſcere multitudinem quodammodo infinitam, quæ certo numero comprehendi non poteſt, tenet D. Thom. in duobus locis adductis pro 3. argumento ſecundæ ſententiæ, & idem de ſcientia animæ Chriſti: ergo.

Neque obſtat, quod D. Thom. primo contra gent. cap. 69. & in hoc art. 3. dicat; Deum ſcientia viſionis non videre infinita, quia non erunt infinita entia, ſuppoſita fide de ceſſatione generationum: quoniam vt rectè interpretantur Caietanus, & Ferrara ibidem loquitur de entibus ſimpliciter dictis, ideſt de ſubſtantijs, quarum præfixus eſt terminus, ac certus numerus.

Sed non fuiſſe actu infinitam deffēditur contra Iuniores.

22 Dico ſecundo, nihilominus hæc multitudo omnium futurorum, neque in eſſe rei, neque in eſſe cognito appellanda eſt infinita in actu, aut cathegorematicè.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus authores ſecundæ ſententiæ, & ſuadetur primò, quia infinitum ſyncathegorematicè, ſiue in potentia eſt, teſte Philoſopho 3. Phyſicorum, cap. 6. quod non exiſtit actu, quoad omnes ſuas partes, vel quod ea parte, qua caret termino ſemper eſt in potentia, vt poſsit ei fieri additio: & eſt triplex, aliud ſecundum ſucceſsionem, vt partes temporis, & aliud ſecundum diuiſionem, vt partes continui, & aliud ſecundum additionem, vt multitudo rerum ſine termino: ſed talis eſt multitudo cogitationum futurarum in tota æternitate eò quòd æternitas non dat illis ſimultatem in actu, ita vt omnes ſint ſimul in actu intra eandem æternitatem, quam tamen ſimultaneam exiſtentiam petit infinitum cathegorematicè ſecundum multitudinem: ergo.

Secundò probatur argumēto Aureoli, quod hoc intentum conuincit: ita vt etiam illo conuictus Durandus in 1. diſt. 39. quæſt. 2. art. 2. ſibi perſuadeat, neque obiectum diuinæ ſcientiæ viſionis eſſe infinitum in actu ſecundum multitudinem: quia nimirum omne infinitum cathegorematicè, ſeu in actu eſt ens reale, ac ſingulare: ſed quodlibet ens reale in ſingulari eſt factibile à Deo: ergo & talis multitudo infinita cathegorematicè eſſet à Deo producibilis: quod tamen eſt impoſsibile ſicut impoſsibile eſt peruenire aliquando ad vltimam futurarum cogitationum.

Huic argumento dupliciter reſpondent aduerſarij. Cabrera enim, & Aluarez admittunt minorem, ſub hac diſtinctione quod illa multitudo ſit producibilis à Deo non tamen pro vna differentia temporis, ſed pro multis, & in tota æternitate: alij vero, vt Molina, & Vazquius negant maiorem, quia talis multitudo, quatenus infinita cathegorematicè non habet eſſe reale, niſi tātum eſſe cognitum. Sed neutra ſolutio eſt ſufficiens: non prima. Tum quia æternitas, neque tollit ſucceſsionem, neque dat ſimultatem partibus: ac proinde non extrahit eorum collectionem à ratione infiniti in potentia ſecundū additionē.

Tum etiam, quia infinitum cathegorematicè, & reale, petit poſſe produci ſecundum omnem ſui partem, nulla excepta: ſi enim excipias aliquam, iam reſpectu illius erit in potentia: implicat autem omnem partem huius collectionis eſſe productam aliquando: quia tunc peruentū fuiſſet ad vltimam futurarum cogitationum: ac proinde finem acciperet talis multitudo: ergo.

Tum deniquè, quia nihil eſt in æternitate, quod non ſit futurum in aliqua differentia temporis: modus autem ille ſimultatis, & actualis incluſionis intra æternitatē, neque eſt creatus, aut creabilis, neque eſt quid reale, quia eſſe in æternitate, tantum eſt denominatio extrinſeca conueniens rebus nō immutans earū intrinſecā cōditionē: ergo ſi ſecūdū ſe nō ſunt huiuſmodi partes infinitę in actu, neque prout ſunt in æternitate erunt infinitæ in actu.

Neque ſecunda propter duo: tum quia cognitio intuitiua Chriſti terminatur ad hanc multitudinem, vt eſt in ſe: ergo ſi in ſe non eſt infinita, neque in eſſe cognito: cōſequētia patet: quia ſicut res ſe habet ad eſſe, ita ad cognoſci: ac proinde ſi talis multitudo in eſſe reali nō eſt infinita actu, neque vt ſic infinita cognoſcetur. Tum etiam, quia realitas infiniti ſecundū multitudinem prouenit ex eius partibus, ſicut & cuiuslibet alterius compoſiti, ſed omnes partes huius multitudinis, ſecundū aduerſarios ſunt reales, & à Deo producendæ, ac ponendæ in eſſe intra ambitū ęternitatis, & non ſolum in eſſe cognito: ergo ſi talis multitudo eſt infinita in actu prout includit ſuas partes, etiam erit prout ſic realis: vel ſi prout ſic non habet eſſe

rea-

Digitized by Google

reale, neque habebit infinitatem in actu.

Tertio probatur, quia ſcientia animę Chriſti ex parte ſcitorum parificatur diuinæ ſcientiæ viſionis, vt habemus ex D. Thom. vbi ſupra: ſed obiectum huius nō eſt infinitum in actu: ergo neque obiectū illius. Minor probatur duplici argumento Durandi vbi ſupra.

Tum, quia vnumquodque cognoſcitur à Deo (exceptis negationibus, & priuationibus) ſecundum modum quo habet eſſe in ſe: talis autem multitudo non habet eſſe per incluſionem omnium ſuarum partium nulla excepta: hoc enim derogat eius naturæ, quæ eſt in ſemper accipiēdo aliam, & aliam partem, ad quam eſt in potentia: ergo.

Tū etiā, quia vel Deus videt ſciētia viſionis infinitas cogitationes, vel finitas in actu, ſi ſecundum habemus intentum: ſi primum ergo ſicut illæ infinitæ pertranſitæ ſunt cognitione diuina, ita & operatione poterunt pertranſiri. Vrgetur hæc conſequentia, quia ſcientia viſionis Dei, de qua loquimur, ſimul eſt practica, & aprobatiua reſpectu bonarum cogitationum, ac proinde ad nihil poteſt extendi, ad quod non poſsit extendi Dei potentia & operatio, licet enim ad plura poſsit extendi ſcientia Dei, quam eius potentia factiua, quia ſcit peccata; quæ tamen nequit facere: tamen quidquid ſcit ſcientia aprobationis, & practica ſcientia, etiam & operatione poterit pertranſiri: & ſic dabitur infinita multitudo actu producta aliquando.

23 Ad fundamentum prioris ſententiæ, tres ſunt modi dicendi Theologorū. Alij enim conuicti argumento facto admitunt infinitum augmentum extenſiuū in viſione animæ Chriſti, quod eſſe cenſent per veram, & realem addictionem partium æqualium componentium vnam entitatem: & quod talis viſio extendi non poteſt ad plura obiecta ſecundaria ex vi alicuius indiuiſibilis entitatis, ſed per additionem plurium entitatum partialium, ac proinde, vt extendatur ad infinitas creaturas, maxime ſi ſpecie diſtinguantur, requiritur tam in viſione, quam in lumine infinitarum partium additio. Cuius ſententiæ fatetur Suarius diſp. 26. ſect. 3. ſe aliquando fuiſſe ſectatorem.

Alij verò cum Caietano in hoc art. 3. dicunt ex argumento facto ſolum ſequi viſionem animæ Chriſti eſſe infinitam ſecundum quid eo modo, quo vna res ordinis ſuperioris dicitur infinita ſecundum quid, quatenus ſub ſe continere poteſt res infinitas ordinis inferioris, & propterea ad hoc vt talis viſio beata extendatur ad infinita obiecta ſecundaria in Verbo non requiritur, quod ipſa in ſe ſit infinita ſimpliciter, niſi tantum quod ſit ordinis ſuperioris, licet finita in actu, & ſimpliciter.

Verior tamen modus, & conformior doctrinæ D. Th. eſt quem ſequuntur ipſe Suarius in d. ſect. 3. § *hæc reſponſio*, Cabrera diſp. 1. in ſolutione ad 3. & ad 8. & alij Thomiſtæ aſſerentes viſionem beatam animæ Chriſti, abſque augmento extenſiuo facto per addictionem diſtinctarum partium, ſiue graduum terminari ad plures immo infinitas creaturas, nedum numero, ſed etiam ſpecie diſtinctas ex vi eiuſdem indiuiſibilis entitatis, & perſectionis quia ſicut quælibet viſio alterius beati ex vi ſuæ indiuidualis perfectionis terminatur ad vidēdū in Verbo plura obiecta ſecundaria, vt dictum eſt dubio præcedenti, ita & viſio animæ Chriſti poteſt terminari ad videndum infinita in Verbo ex vi eiuſdem indiuidualis, & indiuiſibilis perfectionis, ſine eo quod recipiat addictionem graduum, ſiue partium correſpondentium ſingulis obiectis ſecundarijs viſis in Verbo. Hic modus ſuadetur dupliciter: Tum, quia quando aliqua plura, ſiue ſolo numero, ſiue ſpecie diſtincta videntur, prout continentur, vel habent connexionem cum aliqua cauſa, quæ vel eſt finita, vel videtur modo limitato, ac finito: tunc idem lumen finitum, quod eſt ſufficiens ad videndum talem cauſam, eſt pariter ſufficiens ad videndum, illa quæ cum illa habent talem connexionem: ſed creaturæ futuræ, etiam ſi infinitæ ſint nedum numero ſed etiam ſecundum ſpecificos gradus videntur ab anima Curiſti non in ſe ipſis, & primario: ſed vt habentes connexionem cum Verbo, & vt in illo continentur, quod quidem videtur finito modo, & finito lumine: ergo idem lumen, quod ſufficit in anima Chriſti ad videndum Verbum, vt obiectum primarium ſufficiet ex vi eiuſdem perfectionis ad videndas infinitas creaturas futuras; tamquam obiecta ſecundaria media connexione, quam habent cum Verbo, & eius potentia, ac proinde viſio bea-

ta tali lumini commenſurata ex vi eiuſdẽ perfectionis terminatur ad Deum, vt ad obiectum primarium, & ad creaturas in Deo, vt ad obiecta ſecundaria.

Tum etiam labefactando duos priores modos dicendi. Primus quidem deficit, quia admittit augmentum extenſiuum, & infinitum in lumine, & viſione animæ Chriſti per additionem diſtinctarum partium, ſiue graduum quorum ſingulæ ſingulis obiectis ſecundarijs correſpondeant, quod quidem eſt abſurdũ propter duo.

Tum quia infinitum augmentum tã intenſiuum, quam extenſiuum repugnat omni rei creatæ, vt oſtendit D. Thom. 1. part. quæſt. 7. Tum etiam, quia non eſt neceſſarium tale augmentum ad ſaluandã in viſione beata animę Chriſti extenſionem ad infinita obiecta ſecundaria: nam ſicut viſio alterius beati ex vi eiuſdem entitatis indiuiſibilis, & perfectionis indiuidualis actu, & ſimul à principio extenditur ad plura obiecta ſecundaria finita, v.g. ad centum creaturas, ita viſio beata animæ Chriſti ex vi ſuæ indiuiſibilis perfectionis indiuidualis terminatur ad omnes, ac proinde infinitas creaturas futuras.

24 Secundus vero deficit, quia non ſufficienter vitat huius modi augmentũ infinitum in lumine, & viſione animæ Chriſti: nam in præſentiarum fit comparatio inter res eiuſdem ordinis, hoc eſt inter lumen, & viſionem, quæ manifeſtant creaturas finitas, & in numero determinato ex vna parte: & lumen ac viſionem quæ manifeſtant illas eaſdem creaturas, & alias plures eiuſdem generis in infinitum: ergo ſi ad videndum plures creaturas in Verbo requiritur maior perfectio luminis, ac viſionis: ad videndum infinitas requiretur infinita acretio luminis, & viſionis eiuſdem ordinis, & ſic lumen, & viſio beata animæ Chriſti, quæ ſunt eiuſdem ordinis, immò eiuſdem ſpeciei cum noſtris ad videndum infinitas creaturas indigebunt infinito augmento extenſiuo: quod tamen omnino vitandum eſt, vt impoſſibile, & ſuperfluum. Quo ſuppoſito ad formam argumenti reſpondetur negando ſequelam ad cuius primam probationem reſpondet Caietanus in hoc articul. 3. cum D. Thom. ad 2. dicens: quod infiniti ſecũdum eſſentiam, cognitio comprehenſiua eſt infinita, ſecus autem ſi ſit obiecti finiti ſecundum eſſentiam, & infiniti ſecundum quid: quia ſcientia eſt finita, vel infinita ex finitate, vel infinitate proprij obiecti: proprium autem obiectum intellectus eſt quod quid eſt: hoc eſt quidditas & eſſentia rei, ac proinde ex huius finitate, vel infinitate deſumitur finitas, vel infinitas cognitionis. Vnde non eò perfectius eſt lumen, & viſio, quò plura videntur maximè, quando illa videntur in aliqua vna cauſa. Tunc enim non fit acreſcio lumini, & viſioni, niſi res videantur in alia cauſa perfectiori: aut quando plura videantur in ſe ipſis diuerſa ſecundum gradus perfectionis, quæ tamen vt ſic numquam exient actu infinita.

Ad ſecundam reſpon. cum eodem Caietano ibidem, §. *in hac reſponſione*, & Capreolo vbiſupra art. 3. ad argumenta Adami aſſerente, quod actus ille, quo diſtincte anima Chriſti cognoſcit infinita, non æquipollet infinitis actibus ſpecifice diſtinctis, quia iſti per ſe fierent ex diuerſis ſpeciebus intelligibilibus, & terminarentur ad ſingula obiecta ſub diuerſis rationibus formalibus cuius oppoſitum contingit in illo actu, quo anima Chriſti cognoſcit infinita futura in eſſentia diuina, quia & ex eadem ſpecie intelligibili, licet infinita, tamen finito modo determinante intellectum prouenit: & terminatur ad illa plura ſub vnica ratione intelligendi, & prout in vna cauſa continentur, & repræſentantur.

Ad primum pro ſecunda ſententia nego conſequentiam quia ſecundum multitudinem: ſed ob aſsignatas in ſecunda concluſione. Ad ſecundum nego minorem, neque enim talis multitudo claudit actu omnem ſuam partem, neque caret termino pro quauis differentia temporis, quin potius terminum habet, licet illum non habeat ſecundum omnes temporis differentias collectiue.

Ad cuius improbationem negãda eſt maior, quia hæc multitudo talem habet infinitatem in eſſe cognito qualem habet ſecundum ſe, & in eſſe rei, non qualem haberet data illa hypotheſi: vnde ſicut in eſſe rei ſemper eſt in potẽtia ad vlteriorẽ partem ſine termino, ita & prout obijcitur ſcientiæ diuinæ, & animæ Chriſti, ac proinde vtroque modo includit partes finitas actu, & infinitas in potentia.

Ad

Ad tertium nego minorem, ſi de infinito cathegorematicè intelligatur: hoc enim, neque à ſcientia diuina viſionis cognoſcitur, niſi tantum infinitum ſyncathegorematice.

Hinc colliguntur tres propoſitiones in quibus plane conuenimus cùm authoribus ſecundæ ſenteтiæ. Prima eſt omnes futuræ cogitationes cordium, v.g. ſunt actu in æternitate; alioquim futuræ non eſſent, neque earum futuritionem Deus decreuiſſet: quod eſt contra hypoteſsim. Secunda eſt, omnes actu ſimul attinguntur à diuina ſciencia viſionis, & à ſcientia beata animæ Chriſti, alioquim ſi aliqua alterutram ſcientiam ſubterfugeret, neutra ſciẽtia ad omnia futura extẽderetur, quod derogat eius amplitudini, & perfectioni extenuæ. Tertia eſt, hæc multitudo omnium futurarum cogitationum, neque in ſe, neque in æternitate, neque in diuina, aut Chriſti cognitione habet vltimam, alioquim haberet terminum, & finẽ, atque adeo eſſet finita, & certo numero comprehenſa, quod eſt contra communem hypoteſim. Quibus admiſsis propoſitionibus, potius eſt nobis cum authoribus ſecũdæ ſententiæ quæſtio de modo loquendi, quam de re; aſſerimuſque in ſecunda concluſione noſtrum modum loquendi eſſe congruentiorem, quia ſimultas, & actualitas quam habet hæc multitudo omnium ſuarum partium in æternitate, aut in cognitione eſt omnino extrinſeca tenens ſe ex parte æternitatis, & cognitionis nõ autẽ ex parte ipſius multitudinis, quæ in ſe, & ſuapte natura habet intrinſecã potentialitatem, vt numquã poſſet per productionem, aut realem exiſtentiã exhauriri; hoc eſt, vt numquam poſsit fieri, aut exiſtere ſecundum omnem ſuam partẽ: ſed ſemper reſtet in illa aliqua pars producenda, & quia hæc intrinſeca potentialitas ad fieri, & eſſe conſtituit infinitum ſyncathegorematicum, propterea hac, & non alia infinitate gaudet talis multitudo; quemadmodum neque tempus, licet omnes partes actu, & ſimul ſint cognitæ à Deo, deſinit eſſe ens ſucceſsiuum, quia in ſe habet talem habitudinem ad exiſtentiam, vt nequeat ſimul exiſtere ſecundum ſuas partes, neque partes continui permanentis, licet omnes eius diuiſiones poſsibiles à Deo cognoſcantur (immo licèt exiſtant in æternitate in caſu quo Angelus ex iuſſu Dei per totam æternitatem diuideret realiter partes alicuius cõtinui) appellandæ ſunt infinitæ in actu, & cathegorematicè, qui in ſe, & ſuapte natura habent intrinſecam potenti·litatem in ordine ad productionem, & exiſtentiam realem: ita vt numquam poſsint ſecundum omnem, ſui diuiſionem pertranſiri, perueniẽdo ad vltimam: ſed ſemper reſtet vlterior diuiſsio efficienda: a qua potentialitate conſtituitur infinitum in potentia, ſiue ſyncathegorematice: & quod conuenit rei ſecundum ſe, ſemper, & vbicumque debet illi conueniret.

ART. IV.

Vtrùm anima Chriſti videat Verbum, ſiue diuinam eſſentiam clarius, qualibet alia creatura?

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod anima Chriſti non perfectius videat Verbum quam quælibet alia creatura. [Sup. q. 9… an. 1. c. & inf. q. 1… ar. 5. ad …] Perfectio enim cognitionis eſt ſecundum medium cognoſcendi, ſicut perfectior eſt cognitio, quæ habetur per medium ſyllogiſmi demonſtratiui, quâm quæ habetur per medium ſyllogiſmi dialectici. Sed omnes beati vident Verbum immediatê per ipſam diuinam eſſentiam, vt in prima parte dictum eſt. * [p. p. q. 12 ar. 2.] Ergo anima Chriſti non perfectius videt Verbum, quam quælibet alia creatura.

2 Præterea. Perfectio viſionis non excedit potentiam viſiuam. Sed potentia rationalis animæ, qualis eſt anima Chriſti, eſt infra potentiã intellectiuam Angeli: vt patet per Dion. * 4. c. cel. hier. [c. 4. à medio illius.] Ergo ani-

Digitized by Google

ma Chriſti non perfectius videt Verbum, quam Angeli.

3 Prçterea: Deus in infinitũ perfectius videt Verbum ſuum, quam anima Chriſti. Sunt ergo infiniti gradus medij poſsibiles, inter modum, quo Deus videt Verbum ſuum: & inter modum, quo anima Chriſti videt Verbum ipſum. Ergo non eſt aſſerendum, quôd anima Chriſti perfectius videat Verbum, vel eſſentiã diuinam, quã quælibet alia creatura.

Sed contra eſt, quod Apoſtolus dicit ad Epheſ. 1. quod Deus cõſtituit Chriſtum ad dexteram ſuam in cœleſtibus ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomẽ quod nominatur, non ſolum in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro. Sed in illa cœleſti gloria tãto aliquis eſt ſuperior, quanto perfectius cognoſcit Deum. Ergo anima Chriſti perfectius videt Deum, quâm quæuis alia creatura.

Reſpondeo dicendum, quod viſio diuinæ eſſentiæ conuenit omnibus beatis ſecundum participationem luminis deriuati in eos â fonte Verbi Dei: ſecundum illud Eccleſ. 1. Fons ſapientiæ Verbum Dei in excelſis. Huic autem Verbo Dei propinquius coniungitur anima Chriſti, quæ eſt vnita Verbo in perſona, quâm quæuis alia creatura. Et ideo plenius recipit influentiam luminis, in quo Deus videtur ab ipſo Verbo, quâm quæcumque alia creatura. Et ideo prç cçteris creaturis perfectius videt ipſam primam veritatem, quç eſt Dei eſſentia. Vnde dicitur Ioan. 1. Vidimus gloriam eius, quaſi vnigeniti â patre, plenum non ſolum gratiæ, ſed etiam veritatis.

Ad primum ergo dicẽdum, quod perfectio cognitionis, quantum eſt ex parte cogniti, attenditur ſecundum medium: ſed quantum eſt ex parte cognoſcentis, atenditur ſecundum potentiam, vel habitum. Et inde eſt, quod etiam inter homines per vnum medium vnus perfectius cognoſcit aliquam concluſionem, quâm alius. Et per hunc modum anima Chriſti, quæ abundantiori repletur lumine, perfectius cognoſcit diuinam eſſentiam, quam alij beati: licet omnes ipſam Dei eſſentiam videant per ſe ipſam.

Ad ſecundum dicendum, quod viſio diuinç eſſentiç excedit naturalem potentiam cuiuslibet creaturæ, vt in prima parte dictum eſt. * Et ideo gradus in ipſo attenduntur magis ſecundum ordinem gratiæ, in quo Chriſtus eſt excellentiſsimus, quâm ſecundum ordinem naturæ, ſecundum quem natura Angelica præfertur humanç. p.p.q.12. art.4.

Ad tertium dicendum, quod ſicut ſupra dictũ eſt * de gratia quod non poteſt eſſe maior gratia, quâm gratia Chriſti per reſpectum ad vnionem Verbi, idem etiam dicendum eſt, & de perfectione diuinç viſionis, licét abſolutê conſiderando, poſſit eſſe aliquis gradus ſublimior ſecundum infinitatem diuinæ potentiæ. q.7.a.12.

PRima concluſio, anima Chriſti clarius, & perfectius videt diuinam eſſentiam, quacumque alia creatura beata, quam probat D. Thom. tamquam certam ſecundum fidem dupliciter. Tum quia, Ad Epheſios 1. dicitur: *Chriſtus conſtitutus in cœleſtibus ad dexteram Patris ſupra omnem Principatum, & poteſtatem, & dominationem*, id eſt, ſupra omnes Angelos.

Tum etiam, quia ex maiore coniunctione ad Verbum diuinum humanitas Chriſti plenius, & perfectius recipit influentiam luminis quo Verbum ipſe videtur: ob quam plenitudinem dicitur de illo Ioannis 1. *Plenum gratiæ, & veritatis.*

Secunda concluſio ad 2. Hæc maior

claritas, & perfectio viſionis beatæ in Chriſto attenditur, non ſecundum quantitatem naturalis virtutis intellectus, ſed ſecundum quantitatem gratiæ in qua Chriſtus Angelis antecellit.

Tertia in ſolutione ad tertiũ nihilominus per diuinam potentiam dabilis eſt clarior viſio Dei, quam fuerit in anima Chriſti. Circa has concluſiones tria dubia examinari ſolent à Theologis. Primum eſt an inæqualitas claritatis in viſionibus beatificis proueniat in genere cauſa efficiẽtis phyſicæ ex ſolius luminis ſupernaturales inæqualitate? Secundum eſt, an de potentia abſoluta poſsit dari lumẽ gloriæ maius illo, quod fuit communicatum animæ Chriſti ſicut dabilis eſt clarior viſio. Tertium eſt, an lumina gloriæ, & viſiones beatificæ poſsint ſpecie inter ſe diuerſificari.

Ad quorum ſingula eodem ordine eſt breuiter reſpondendum.

Inæqualitas in viſionibus beatificis ex ſola luminis ſumitur inæqualitate.

26 AD primum itaque reſpondetur concluſione affirmatiua, quam ſtatuimus aduerſus eos Theologos, qui docent proximam rationem formalem, & totalem eliciendi viſionem beatificam non eſſe in ſolo lumine gloriæ: ſed ex lumine, & intellectu, vt ex duabus virtutibus partialibus integrari: ac proinde inæqualem claritatem viſionis ex inæqualitate, tam luminis, quam intellectus prouenire: de quorum numero ſunt, Durandus in 3. diſt. 14. quæſt. 1. Scotus in eodem 3. diſt. 13. ad tertiam quæſtionem, & in 4. diſt. 50. quæſtio. 6. Ricardus ibidem, diſt. 49. artic. 2. quæſt. 8. Maior ibidem, & Holcot in ſuis determinationibus, art. 1. & Caietan. in ſolutione ad ſecundum huius artic. Quatenus aſſerit perfectiorem intellectum cum æquali lumine gloriæ elicere clariorem, & perfectiorem Dei viſionem, ita vt ſi verbum diuinum aſſumeret naturam angelicam, cum æquali lumine gloriæ, atque de facto eius anima habuit, perfectius, & clarius Deum videret. Sed noſtram concluſionem defendunt, Soto in 4. diſtin. 49. quæſt. 3. art. 2. dub. 3. ad 5. Zumel, 1. par. quæſt. 12. art. 6. diſputatio. 1. Cabrera hic diſput. 1. & 2. Vazquius in expoſitione litteræ huius articuli, & 1. part. diſputat. 47. cap. 6. & Aluarez libr. 7. de auxilijs diſputatio. 63. Quæ proinde à nobis probatur primo quia eſt expreſſa ſententia D. Thom. in tribus locis nimirum in ſolutione ad ſecundum huius articuli, dum ait: *Quod gradus in viſione beatifica attenditur magis ſecundum ordinem gratiæ, quam ſecundum ordinem naturæ*, ideſt omnino attenditur ſecundum perfectionem gratuiti luminis: dictio enim *magis*, non comparatiue, ſed aduerſatiuè eſt hic accipienda iuxta communem loquendi, quo ſolemus dicere, vitam ſtudioſam eſſe ſequendam magis quam vitioſam. Et in 1. part. quæſtio. 12. art. 6. ad tertium dum ait: quod diuerſitas videndi, ideſt uiſionis beatæ, non erit ex parte obiecti, quia eadem diuina eſſentia omnibus beatis præſentabitur, neque ex diuerſa eiuſdem obiecti ſimilitudine, quia Deus ibi videtur ſine ſpecie, ac ſimilitudine creata; ſed erit ex diuerſa facultate intellectus, non quidem naturali, ſed glorioſa, ideſt luminis gloriæ. Et in tertio contra gentes capit. 58. vbi in prima ratione, ait quod ex videntibus Deum vnus poteſt perfectius altero, Deum videre quia modus operationis ſequitur formam quæ eſt principium ipſius operationis, principium autem viſionis beatæ eſt lumen gloriæ: & ideo ſecundum modum luminis erit, & modus viſionis. Secundo probatur ab inconuenienti, quod ſequitur ex oppoſita ſententia nimirum, quia aliàs æquales in meritis eſſent inæquales in premio eſſentiali, hoc eſt in viſione beata, propter inæqualitatem intellectus: vt ſi duo Angeli, vel homines diſpariũ intellectuũ, & parium meritorum eſſent, diſpari quoque viſione beata gauderent: quod tamen eſt contra contra Concilium Florentinum in decreto Fidei determinans animas ad plenum purgatas in cœlum mox recipi, & intueri Deum pro meritorum diuerſitate, alium alio perfectius, &c. ergo:

Tertio probatur argumentis quibus in q. 23. de charitate art. 2. dub. 2. & in tractatu de auxilijs q. 3. du. 3. oſtedimus ſupernaturales virtutes infuſſas potentijs animæ eſſe proximas formales, & totales rationes eliciẽdi ſupernaturales actus: à quibus proinde perfectio huiuſmodi actuũ debet quãtificari, eo quod vnuſquiſque

actus graduatur ſecundum quantitatem ſui principij proximi, & formalis, vt tradit D. Thom. in locis præalegatis.

Dixi in concluſione inæqualem perfectionem viſionis Beatæ ex inæquali lumine in genere cauſæ efficientis phi -- ſice prouenire. Nam in genere cauſæ moralis prouenit ex inæquali charitate, & gratia, vt docet D. Thom. in alegato loco 1. part. atque ex inæqualitate mæritorum in adultis, vt oſtendimus in quæſt. 24. de charitate art. 6. Dub. 2. Si autem inquiras à quo proueniat in genere cauſæ formalis? Reſpondet Cabrera diſput. 1. citata prouenire ab obiecto, quod eſt cauſa formalis extrinſeca viſionis; ſed id expreſſe contra dicit D. Thom. in dicta ſolutione ad 3. art. 6. 1. part. Vbi huiuſmodi inæqualitatem, neque ad obiectum, quod eſt omnino idē, neque ad ſpeciem intelligibilem, quæ eſt diuina eſſentia, per ſe ipſam præſens; ſed in ſolam luminis diuerſam perfectionem reducit. Vnde indubitate tenendum eſt, quod inæqualitas viſionis beatæ: neque ab obiecto: neque ab aliqua cauſa formali extrinſeca prouenit, niſi ſolum à lumine effectiuè phyſicè, à charitate, & meritis effectiuè moraliter, & ab ipſa graduali intenſione, & extenſione viſionis: tanquam à ratione formali intrinſeca. Quod mihi perſuadeo dupliciter.

Tū quia, ſi ab obiecto proueniret, aut proueniret ab obiecto ſecūdū ſe, & hoc nō quia diuina eſſētia, vt viſa in ſe, nullius eſt differentiæ, vel inæqualitatis: aut ab illo prout attingitur per diſtincta, & inæqualia lumina, & tunc inæqualitas, non à diuina eſſentia obiecta, ſed à luminibus proueniret.

Tum etiam, quia ſi diuina eſſentia, vt viſſa in ſe tribueret obiectiuè inæqualitatem intenſiuam, & numericam viſionibus poſſet quoque illis tribuere inæqualitatem ſpecificam, vt ſubeſt diuerſis earū modis tendendi: quod tamen negat, idem auctor diſputatio. 4. etiam in ordine ad potentiam Dei abſolutam: ergo dicendum eſt talem inæqualitatem, cum ſit modalis, ideſt ſecundum modos intenſionis reſpicientes ſubiectum, quia modus eſt adiacens rei determinatio, non debere ſumi ab obiecto, ſed materialiter à ſubiecto, & effectiuè à lumine, atque à charitate, & meritis reſpectiuè in ſenſu explicato.

Maius lumen inten-

Ad ſecundum dubium reſpondetur concluſione affirmatiua, quam ſtatuimus aduerſus eſtdem Caietanū, qui ſicut quæſtio. ſeptima precedenti art. 12. docuerat gratiam iuſtificantem in Chriſto ita eſſe in ſummo, vt nulla maior poſsit dari, etiam per diuinam omnipotentiam: pariter in ſolutione ad tertium huius articuli docet lumen gloriæ infuſſum animæ Chriſti, ita eſſe in ſummo gradu, vt nec per diuinam omnipotentiam poſsit dari maius. Sed noſtra concluſio eſt expreſſa D. Thomæ in dicta ſolutione ad tertium huius articuli, dum ait: *Sicut ſupra dictum eſt de gratia, quod non poteſt eſſe maior gratia; quam gratia Chriſti, per reſpectum ad vnionem Verbi, idem etiam dicendum eſt de perfectione diuinæ viſionis, licet abſolute conſiderando poſsit eſſe aliquis gradus ſublimior ſecundum infinitatem diuinæ potentiæ.* Igitur ſentit D. Thom. poſſe dari maiorem gradum perfectionis, ſaltem indiuidualis in aliqua viſione beata, quam fuerit in viſione beata animæ Chriſti ſecundum infinitatem diuinæ omnipotentiæ, ſecundum quam etiam poſſe dari maiorem gratiam iuſtificantem, quam fuerit in anima Chriſti, docuimus in dicto artic. 12. quæſt. 7. Tunc vltra, ſed hic maior gradus viſionis beatæ nequit prouenire, quoad exceſſum ex maiori perfectione naturali intellectus, vt perperam conatur Caietanus: ergo debet prouenire à maiori lumine gloriæ: ac per conſequens dabile eſt, per diuinam omnipotentiam maius lumen gloriç, quam fuerit animæ Chriſti communicatum.

ſiue de potentia abſoluta poteſt dari, quam cōmunicatum animæ Chriſti, ſed non diuerſum ſpecie.

Ad tertium reſpondetur, cum Caietano in eadem ſolutione ad tertium lumina gloriæ non poſſe diuerſificari ſecundum ſpeciem: quam concluſionem relinquimus ſufficienter probatam ex dictis dub. 2. articuli præcedentis, inſuperque illam probat ratio Caietani, quæ talis eſt: Lumina gloriæ, aut forent ſpecie diſtinguenda ex diuerſitate receptiuorum, aut ex diuerſitate obiectorum; ſed ex neutro capite, non quidem ex primo quia lumen gloriæ communicatum Angelo, non differt ſpecie à lumine communicato animç, non obſtante ſpecifica diuerſitate receptiuorum: neque ex ſecundo, quia formale obiectum luminis gloriæ, eſt idem abſque medio, ſcilicet diuina eſſentia, vt viſa in ſe abſque vllo medio, quod in illam poſsit ſpecificam diſtinctionem in eſſe obiecti refundere: ſicut in hanc eandem veritatem, terra eſt rotunda, media ſub quibus à Philoſopho, &

& mathematicō ſpeculatur, ſpecificam diuerſitatem in eſſe obiecti formalis duarum ſcientiarum ſpecie diſtinctarum, nimirum Philoſophiæ, & Aſtrologiæ refundunt.

QVAESTIO XI.

De ſcientia indita, vel infuſa animæ Chriſti in ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm ſecundum ſcientiam inditam, vel infuſam Chriſtus omnia ſciat?

Inf.q.12. a.1.c.ad 3.& 3.d. 14.ar.3. q.1.& q. 5.ad2.& ver.q.20. ari.6.& opuſ.2.c. 223.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod ſecundum hanc ſcientiam Chriſtus nō cognouerit omnia. Hęc enim ſcientia indita eſt Chriſto ad perfectionem poſsibilis intellectus eius. Sed intellectus poſsibilis animę humanæ non videtur eſſe in potentia ad omnia ſimpliciter: ſed ad illa ſola, in quæ poteſt reduci in actum per intellectum agentem, qui eſt proprium actiuum ipſius, quæ quidem ſunt cognoſcibilia ſecundum rationem naturalem. Ergo ſecundum hanc ſcientiam non cognouit Chriſtus ea quæ naturalem rationem excedunt.

2 Præterea, Phantaſmata ſe habent ad intellectum humanum, ſicut colores ad viſum: vt dicitur tertio de anima. * Sed non pertinet ad perfectionem viſiuę potentiæ cognoſcere ea quæ ſunt omnino abſquē colore. Ergo neque ad perfectionē intellectus humani pertinet cognoſcere ea, quorum non poſſunt eſſe phantaſmata, ſicut ſunt ſubſtantiæ ſeparatę. Sic ergo, cum huiuſmodi ſcientia fuerit in Chriſto ad perfectionem animæ intellectiuæ ipſius, videtur quod per huiuſmodi ſcientiam non cognouerit ſubſtantias ſeparatas.

tex.3.18 & 39.to. 2.

3 Præterea. Ad perfectionem intellectus non pertinet cognoſcerē ſingularia. Videtur ergo quod per huiuſmodi ſcientiam anima Chriſti ſingularia non cognouerit.

Sed contra eſt, quod dicitur Iſai. 11. quod repleuit eum Spiritus ſapientiæ, & intellectus, ſcien-

Digitized by Google

riæ, & conſilij. Sub quibus comprehenduntur omnia cognoſcibilia: nam ad ſapientiam pertinet cognitio omnium diuinorum: ad intellectum autem pertinet cognitio omnium immaterialium: ad ſcientiam autem pertinet cognitio omnium concluſionum: ad conſilium autem cognitio omnium agibilium. Ergo videtur quôd Chriſtus ſecundum ſcientiam inditam, ſibi per Spiritum ſanctum, habuerit omnium cognitionem.

Reſpondeo dicẽdum, quod ſicut prius dictum eſt, * conueniens fuit vt anima Chriſti omnino eſſet perfecta per hoc, quod omnis eius potẽtialitas ſit reducta ad actum. Eſt autẽ conſiderandum, quôd in anima humana, ſicut in qualibet creatura, conſideratur duplex potentia paſsiua. Vna quidem per cõparationem ad agens naturale. Alia vero per comparationem ad agens primũ, quod poteſt quamlibet creaturam reducere in actum aliquem altiorem actu, in quem reducitur per agens naturale: & hæc conſueuit vocari potentia obedientiæ in creatura. Vtraquê autem potentia animæ Chriſti fuit reducta in actum, ſecundum hanc ſciẽtiam diuinitus inditam. Et ideo ſecundum eam anima Chriſti primo quidem cognouit quæcumquê ab homine cognoſci poſſunt per virtutem luminis intellectus agentis: ſicut ſunt quæcumquê pertinent ad ſcientias humanas. Secundo vero per hanc ſcientiam cognouit Chriſtus omnia illa, quæ per reuelationem diuinam hominibus innoteſcunt: ſiue pertineant ad donum ſapientiæ, ſiue ad donum prophetiæ, ſiue ad quodcumquê donum Spiritus ſancti. Omnia enim iſta abundantius, & plenius cæteris cognouit anima Chriſti, ipſam tamen Dei eſſentiam per hanc ſcientiam non cognouit, ſed ſolum per primam, de qua ſupra dictum eſt. *

q.9. ar.2.

Ad primum ergo dicẽdum, quod ratio illa procedit de potentia naturali animæ intellectiuę, quę ſcilicêt eſt per comparationem ad agens naturale, quod eſt intellectus agens.

qu. præ. art.1.

Ad ſecundum dicendum, quod humana anima in ſtatu huius vitæ, quia quodammodo eſt ad corpus obligata, vt ſine phantaſmate intelligere non poſsit, non poteſt intelligere ſubſtantias ſeparatas. Sed poſt ſtatum huius vitę, anima ſeparata poterit aliqualiter ſubſtantias ſeparatas per ſe ipſam cognoſcere: vt in prima parte dictum eſt. * Et hoc pręcipue manifeſtum eſt circa animas beatorum. Chriſtus autem ante paſsionem non ſolum fuit viator, ſed etiã comprehenſor: vnde anima eius poterat cognoſcere ſubſtantias ſeparatas per modum quo cognoſcit anima ſeparata.

p.p.q.89 art.1.

Ad tertium dicendum, quod cognitio ſingularium non pertinet ad perfectionem animæ intellectiuæ ſecundum cognitionem ſpeculatiuam. Pertinet tamen ad perfectionem eius ſecundum cognitionem practicam, quæ non perficitur abſquê cognitione ſingularium, in quibus eſt operatio: vt dicitur in 6. AEthic. * Vnde ad prudentiam requiritur memoria pręteritorum, cognitio præſentium, & prouidentia futurorum: vt Tullius dicit in ſua Rethorica. * Quia igitur, Chriſtus habuit plenitudinem prudentiæ ſecundum donum conſilij, conſequens eſt, quod cognouerit omnia ſingularia præſentia, pręterita, & futura.

c.7. circa fin to.5. libr.2. de inuen. in fol. 4. ante fin. lib.

Con-

28 CONCLVSIO eſt Chriſtus per hanc ſcientiam nouit cuncta, quæ homines tam lumine naturali, quam per diuinam reuelationem cognoſcere poſſunt; ipſam verò Dei eſſentiam, per hanc ſcientiam non cognouit; niſi ſolum per viſionem beatificam.

ART. II.

Vtrùm Chriſtus hac ſciētia vti potuit, non conuertendo ſe ad phantaſmata?

Infr. a. 4. fin. & qu. 34. a. 2. 3 & 3. d. 1. q. 1. a. 22. ad 2. & d. 34. a. 3. q. 2. & 3. cor. & ver. q. 20. a. 3. ad 1.

AD ſecūdum ſic proceditur. Videtur, quòd anima Chriſti non potuerit intelligere ſecundum hanc ſcientiam, niſi conuertendo ſe ad phantaſmata. Quia, vt dicitur in tertiò de anima, phātaſmata comparantur ad animam intellectiuam humanam, ſicut colores ad viſum. Sed potētia viſiua Chriſti, nō potuit exire in actum, niſi conuertēdo ſe ad colores. Ergo etiam neque anima intellictiua eius potuit aliquid intelligere, niſi conuertēdo ſe ad phantaſmata.

2 Præterea, anima Chriſti eſt eiuſdem naturæ cum animabus noſtris: alioquin ipſe non eſſet eiuſdem ſpeciei nobiſcum: contra id quod Apoſtolus dicit Philip. 2. quòd eſt in ſimilitudinem hominum factus. Sed anima noſtra non poteſt intelligere, niſi conuertendo ſe ad phantaſmata. Ergo etiam neque anima Chriſti.

3 Præterea, ſenſus dati ſunt homini, vt deſeruiant intellectui. Si igitur anima Chriſti intelligere potuit abſque cōuerſione ad phantaſmata, quæ per ſenſus accipiuntur, ſequeretur quod ſenſus fruſtra fuiſſent in anima Chriſti; quod eſt inconueniens. Videtur igitur quòd anima Chriſti non potuerit intelligere, niſi conuertendo ſe ad phantaſmata.

Sed contra eſt, quod anima Chriſti cognouit quædam quæ per phantaſmata cognoſci non poſſunt, ſcilicet ſubſtantias ſeparatas. Potuit igitur intelligere non conuertendo ſe ad phantaſmata.

Reſpondeo dicendum, quòd Chriſtus in ſtatu ante paſsionem, fuit ſimul viator, & comprehenſor: vt infra magis patebit.* Et præcipuè quidem conditiones viatoris habuit ex parte corporis, in quantum fuit paſsibile, conditiones verò comprehenſoris maximè habuit ex parte animæ intellectiuæ. Eſt autem hæc cōditio animæ comprehēſoris, vt nullo modo ſubdatur ſuo corpori, aut ab eo dependeat; ſed totaliter ei dominetur. Vnde & poſt reſurrectionem, ex anima, gloria redundabit ad corpus. Ex hoc autem anima hominis viatoris indiget ad phantaſmata conuerti, quòd eſt corpori obligata, & quodāmodo ei ſubiecta, & ab eo dependēs. Et ideò animæ beatæ, & ante reſurrectionem & poſt, intelligere poſſunt abſque conuerſione ad phantaſmata. Et hoc etiam oportet dicere de anima Chriſti, quæ plenè habuit facultatem comprehenſoris.

* q. 15. art. 10.

Ad primum ergo dicendum, quòd ſimilitudo illa, quam Philoſophus ponit, non attenditur quātum ad omnia. Manifeſtū eſt enim, quòd finis potentiæ viſiuæ eſt cognoſcere colores, finis autem potentiæ intellectiuæ non eſt cognoſcere phantaſmata, ſed cognoſcere ſpecies intelligibi-

Digitized by Google

gibiles, quas apprehendit â phantaſmatibus, & in phãtaſmatibus ſecundum ſtatum præſentis vitæ. Eſt igitur ſimilitudo, quantum ad hoc, ad quod aſpicit vtraque potentia: non autem quantum ad hoc, in quod vtriuſque potentiæ conditio terminatur. Nihil autem prohibet ſecundum diuerſos ſtatus ex diuerſis rem aliquam ad ſuum finem tendere: finis tamen proprius alicuius rei ſemper eſt vnus. Et ideô licet viſus nihil cognoſcat abſque colore, intellectus tamen ſecũdum aliquem ſtatum poteſt cognoſcere abſque phantaſmate, ſed non abſque ſpecie intelligibili.

Ad ſecundum dicendum, quod licet anima Chriſti fuerit eiuſdem naturæ cum animabus noſtris, habuit tamen aliquem ſtatum, quem animę noſtræ non habent nunc in re, ſed ſolum in ſpe, ſcilicet ſtatum comprehenſoris.

Ad tertium dicẽdum, quod licet anima Chriſti potuerit intelligere, nõ cõuertẽdo ſe ad phantaſmata: poterat tamẽ intelligere, ſe ad phãtaſmata cõuertẽdo. Et ideo ſenſus nõ fuerunt fruſtra in ipſa, præſertim cum ſenſus non dentur homini ſolum ad ſcientiam intellectiuam, ſed etiam ad neceſsitatem vitæ animalis.

29 CONCLVSIO eſt, Chriſtum in huius ſcientiæ vſu, non indiguiſſe conuerſione ad phãtaſmata, quia eius anima gaudebat conditionibus comprehenſoris, quæ ſunt non ſubiici corpori; neque ab illo dependere, ſed ei dominari, ac poſse intelligere; ſine dependentia à phantaſmatibus, ſicut & animæ beatæ poſt reſurrectionem intelligent independenter à phantaſmatum vſu.

ART. III.

Vtrùm hæc ſcientia fuerit collatiua?

AD tertium ſic proceditur videtur, quod anima Chriſti hanc ſcientiam non habuerit per modum collationis. Dicit enim Dameſcenus in 3. lib. * In Chriſto non dicimus cõſilium neque electionem. Non autem remouentur hæc a Chriſto, niſi in quantum important collationem, & diſcurſum. Ergo videtur, quod in Chriſto non fuerit ſcientia collatiua, vel diſcurſiua.

3. diſ. 14. a. 3. q. 3. & ver. q. 20. ar. 3. ad 1. c. 14. non procul. à fin. & lib. 2. ca. 22. qu. præc. ar. 2.

2 Præterea, homo indiget collatione, & diſcurſu rationis ad inquirẽda ea quæ ignorat. Sed anima Chriſti cognouit omnia, vt ſupra dictum eſt. Non ergo in ea fuit ſcientia diſcurſiua vel collatiua.

3 Præterea, ſcientia animæ Chriſti ſe habuit per modum comprehenſorum, qui angelis conformantur: vt dicitur Matth. 22. Sed in angelis non eſt ſcientia diſcurſiua, ſeu collatiua: vt patet per Dionyſum * ſeptimo capite de diuinis nominibus. Ergo nec etiam in anima Chriſti fuit ſcientia diſcurſiua ſeu collatiua.

ca. 7. inter princ. & med.

Sed contra eſt, quod Chriſtus habuit animam rationalem, vt ſupra habitum eſt. * Propria autem operatio animæ rationalis eſt conferre, & diſcurrere de vno in aliud. Ergo in Chriſto fuit ſcientia diſcurſiua vel collatiua.

q. 5. ar. 3.

Reſpondeo dicendum, quod aliqua ſcientia poteſt eſſe diſcurſiua vel collatiua dupliciter. Vno modo, quãtum

tum ad ſcientiæ acquiſitionem: ſicut accidit in nobis, qui procedimus ad cogneſcendum vnum per aliud, ſicut effectus per cauſas, vel ê conuerſo. Et hoc modo ſciẽtia animæ Chriſti non fuit diſcurſiua vel collatiua: quia hæc ſcientia, de qua nunc loquimur, fuit ſibi diuinitus indita, nõ per inueſtigationem rationis acquiſita. Alio modo poteſt dici aliqua ſcientia diſcurſiua vel collactiua, quantum ad vſum: ſicut interdum ſcientes, ex cauſis concludunt effectus: nõ vt de nouo addiſcant, ſed volentes vti ſcientia, quam iam habẽt. Et hoc modo ſcientia animæ Chriſti poterat eſſe collatiua, & diſcurſiua: poterat enim ex vno aliud concludere, ſicut ſibi placebat. Sicut Matth. 17. Cum Dominus quæſiſſet â Petro, â quibus Reges terræ tributum acciperent, â filijs ſuis, an ab alienis? Petro reſpondente, quôd ab alienis: concluſit. Ergo liberi ſunt filij.

Ad primum ergo dicẽdum, quod â Chriſto excluditur cõſilium, quod eſt cum dubitatione: & per conſequens electio, quæ in ſui ratione tale conſilium includit. Non autem â Chriſto excluditur vſus conſiliandi.

Ad ſecundum dicendum, quod ratio illa procedit de diſcurſu, & collatione, prout ordinantur ad ſciẽtiam acquirendam.

Ad tertium dicendum, quod Beati conformantur Angelis, quantum ad dona gratiarum: manet tamen differentia, quæ eſt ſecundum naturam. Et ideo vti collatione, & diſcurſu eſt connaturale animabus beatorum, non autem Angelis.

CONcluſio eſt fuiſſe quidem collatiuam, non quoad eius acquiſitionem, quia diuinitus eã accepit Chriſtus, ſed quoad vſum; quia per illam potuit vnum colligere ex alio: & propterea Matthæi 17. ex eo quod Petrus interrogationi ſibi factæ à Chriſto reſpondit, tributum non à filijs, ſed ab alienis eſſe ſoluendum, intullit Chriſtus: ergo liberi ſunt filij. In his concluſionibus quatuor conditiones ſcientiæ infuſæ animæ Chriſti, aſsignat Diu. Thom. Prima eſt, quod talis ſcientia ſuapte natura eſt indita, ſiue infuſa. Secunda, quod extenditur ad omnia obiecta citra diuinam eſſentiam. Tertia, quod in ſuo vſu non dependet à phantaſmatibus: & 4. quod nequè eget diſcurſu, licèt illo vti poſsit, quæ ſingulis dubijs ſunt examinandæ.

Dubium Primum eſt: An hæc ſcientia, quam inditam appellamus in anima Christi fuerit per ſe, & ſuapte natura infuſa à Deo, ita vt ab acquiſita eiuſdem obiecti ſpecie distingueretur?

30 IN hoc dubio duæ verſantur ſententiæ. Prima negans eſt quã tuentur Alexander, 3. part. quæſtion. 13. membro 1. & 2. D. Bonauent. in 3. diſt. 14. art. 3. quæſt. 1. Gabriel, & Almain. quæſt. 2. art. 2. illamquè ſuadent dupliciter: Primò, quia illa ſcientia fuit infuſa animæ Chriſti, quæ debita erat homini in ſtatu naturæ integræ, nequè enim alia debebatur reparatori naturæ lapſæ: atqui Adamo in illo ſtatu non fuit data ſcientia per ſe infuſa, niſi tantum per accidens indita, quæ tamen per ſe erat miniſterio ſeuſuum, & naturali exercicio acquiſibilis: ergo. Minor probatur, quia

quia ſi Adamus ſcientiam ſuapte natura infuſſam habuiſſet: aut eam per peccatum amitteret, aut non: ſi primum ſine fundamento dicitur, cum hæc ſcientia non ſit donum gratiæ incompatibile cum peccato.

Si ſecundũ ergo poſt peccatum Adamus potuit intelligere, ſine miniſterio ſenſuum, & ſine vſu phantaſmatum, quæ duo præſtare poteſt ſcientia per ſe infuſa, & ſine fundamento Adamo poſt peccatum attribuuntur: ergo. Secundo ab inconuenienti, quod argŭendo ad hominem infert Scotus infra citandus contra D. Thom. quia aliàs in anima Chriſti eſſent duo accidentia ſimul ſolo numero diſtincta: nimirum ſciencia per ſe infuſa, & acquiſita eiuſdẽ obiecti: vtpote quæ ex nullo capite ſpecificam diſtinctionem haberent: nõ quidem ex parte obiecti, quod ſupponimus eſſe idem: neque ex parte actuum quos circa idem obiectum difficile eſt ſpecie diuerſificari: neque ex parte cauſæ efficientis, quia hæc non ſufficit diſtinguere effectus ſpecie, idem enim homo ſecundum ſpeciem eſt, qui producitur per generationem ab homine, & per creationem à Deo: & idem calor eſt, qui producitur à Sole, & ab igne: ergo.

Secunda ſententia affirmans eſt, quã docet D. Thom. ſupra quæſtion. 9. art. 3. eamque ſupponit in tota hac quæſtion. 11. & ſequuntur Capreolus in 3. diſtinct. 14. art. 1. Paludanus quæſtion. 2. Ricardus art. 3. quæſtion. 2. Caietanus, & Medina in locis præalegatis huius, & nonæ quæſtionis, Vazquius diſp. 52. cap. 1. Aluarez, diſp. 53. Cabrera, Nazarius, & Siluius in expoſitione eiuſdem articuli tertij quæſtionis nonæ, & Suarius diſp. 25. ſection. 3. & Lorca diſp. 49.

Intellectus Chriſti fuit exornatus ſcientia indita per ſe diſtincta ab acquiſita.

Quæ eſt communiter recepta, proptereaque à nobis ſtatuitur pro concluſione, & oſtenditur duplici ratione Theologica. Prima eſt, qua vtitur D. Thom. in d. art. 3. ad hanc formam reducta: omne quod eſt in potentia tamdiu eſt imperfectum, quandiu non reducitur ad actum: ſed intellectus humanus eſt in potentia ad omnia intelligibilia ad quorum actualem cognitionem reducitur per ſpecies inditas, ſiue infuſas rerum: ergo quandiu eſt in potentia ad huiuſmodi ſpecies eſt imperfectus.

Tunc vltra intellectum autem Chriſti non decuit huiuſmodi imperfectio: ergo à principio debuit eſſe perfectus illis ſpeciebus, ac proinde cum ſcientia infuſã, quę in his ſpeciebus, aut formaliter, aut concomitanter conſiſtit. Dices maiorem intellectam de potentia ad formam ſupernaturalem eſſe falſam, quia homo non dicitur imperfectus ex carentia donorum ſupernaturalium ad quæ eſt in potentia obedientiali: intellectam vero de potentia ad formam naturalem eſſe veram; ſed ineptam ad inferendam concluſionem D. Th. & tunc minorem eſſe falſam: quia intellectus humanus ad ſcientiam ſupernaturalem, & per ſe infuſam non eſt in potentia, niſi tantum obedientiali. Sed hęc obiectio non eneruat vim rationis factæ propter duo.

Tum quia, vt ibidem explicat Caietanus. Maior vtroque modo eſt proportionabiliter vera, & aſſumpta à D. Tho. nam ſicut homo carens perfectione naturali ad quam eſt in potentia naturali, eſt imperfectus priuatiue: ita dũ caret perfectiones ſupernaturali, ad quã eſt ordinatꝰ ab auctore ſupernaturali, eſt imperfectus priuatiuè, non quidem in genere naturæ, ſed abſolutè: & neque hoc ſecundo modo decet intellectum Chriſti fuiſſe aliquãdo imperfectum.

Tum etiam, quia licèt ex ſpeciebus quæ deſeruiunt ſcientiæ infuſæ, aliquæ ſint omnino ſupernaturales, vt illæ quæ ſunt rerum ſuper natuealium, aut inſenſibilium repreſentatiuæ: reliquas autem quæ ſunt repreſentiuæ rerum naturalium maximè ſenſibilium oportet eſſe naturales, & inditas per accidens dumtaxat intellectui Chriſti, quo pacto, & Angelis inditæ fuerunt: ergo reſpectu harum ſpecierũ intellectus Chriſti, ſicut & Angelicus, fuiſſet in potentia naturali, ac proinde imperfectus in genere naturæ, quandiu illis careret, & ſic ratio manet inconcuſa.

Secunda eſt, quia anima Chriſti à principio nullius rei habuit ignorantiam, vt ſuperius vidimus ex communi Patrũ diffinitione: ergo vltra ſcientiam beatam, qua res videbat in Verbo à principio habuit aliquam ſcientiam qua res cognoſceret in ſe ipſis extra Verbum. Tunc vltra, ſed non habuit à principio conceptionis ſcientiam acquiſitam de omnibus rebus, vtpotè quam per experientiam decurſu temporis acquiſiuit: ergo habuit ſcientiã per ſe infuſam. Hæc vltima conſequentia patet, quia ſi à principio habuiſſet de omnibus rebus ſcientiam per ſe acquiſitam, li-

cet

cet per accidens inditam à Deo, fruſtra eã de nouo acquireret, imo neque poſſet acquirere ſine prioris deſtructione propter incompatibilitatem duorum accidentium ſolo numero diſtinctorum.

Ad primum in contrarium nego maiorem. Chriſto enim vtpote homini cœleſti propter vnionis hypoſtaticæ dignitatem ſublimior ſcientia, ac proinde ſupernaturalis, quoad modum, & ſubſtantiam debebatur, quæ primo homini vtpote terreno nõ fuit debita. Ad ſecundum nego ſequellam ad cuius probat. reſpondetur illas duas ſciẽtias habere ſpecificã diſtinctionẽ ex principijs, ex actibus, & ex obiectis formaliter conſideratis: ex principijs quidem, nam licet idem effectus ſecundum ſpeciem poſſit fieri à diuerſis cauſis, quando à neutra petit per ſe produci, vt contingit in exemplis alatis ab Scoto: ſecus vero, quando ipſi effectus petunt ſuapte natura à diſtinctis efficientibus produci, vt contingit in virtutibus infuſsis, & acquiſitis circa eaſdem materias: quarum illæ per ſe à Deo immediate, iſtæ vero ab homine per exercitium naturalium potentiarum produci poſtulant: & propterea ſpecie differunt ex ordine ad cauſas. Ex actibus vero, non quia actus ſcientiæ ſupernaturalis in Chriſto ſit cognitio quidditatiua obiecti: ſecus autẽ actus ſcientiæ acquiſitæ, vt vult Vazquius, vbi ſupra num. 8. Nam actus ſcientiæ acquiſitæ, etiam poteſt eſſe cognitio quidditatiua rei ſcitæ: nedum in Chriſto, ſed etiam in nobis: abſurdum enim eſt, & contra experientiam negare Philoſophis peritis cognitionem quidditatiuam mnltarum rerum ſenſibilium: neque eſt cur ex ſpeciebus per ſenſus abſtractis à ſenſibilibus, intellectus non poſsit elicere ſpeciem intelligibilem quidditatis, per quam in cognitionem quidditatis ipſius rei ſenſibilis perueniat? Sed quia actus ſcientiæ infuſſæ per ſe eſt independens à miniſterio ſenſuũ, & vſu phantaſmatum: ſecus vero actus ſcientiæ acquiſitæ. Ex obiectis denique: quia licet in eſſe rei, & materialiter ſit idem vtriuſque ſcientiæ obiectum, quantum ad res naturales ſenſibiles; tamen à ſcientia infuſſa ſub motiuo excellentiori, vtpotè ſupernaturali, ab acquiſita vero ſub motiuo inferiori, ideſt naturali, ſub quo à quolibet noſtrum habente eandem ſcientiam attingitur.

Dubium ſecundum eſt: quæ obiecta per huiuſmodi ſcientiam infuſam, anima Chriſti cognouerit?

QVoniam quinquè ſunt genera entium ad quæ ſcientia infuſa animæ Chriſti comparari poteſt: nimirum poſsibilia, & effectus naturales exiſtentes intra ambitum æternitatis, actus liberi, tam hominũ, quàm Angelorum, effectus ſupernaturales, ſeu miſteria gratiæ, & ipſa Dei increata eſſentia cum Trinitate perſonarum; ideò de ſingulis ſtatuendæ ſunt ſingulæ concluſiones.

32 Dico igitur primò, animam Chriſti per ſcientiam infuſam non cognouiſſe omnes effectus poſsibiles fieri à Deo. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Magiſtrum, Alexandrum, Alenſem, & alios qui in 3. diſtinct. 14. dicunt animam Chriſti habuiſſe ſcientiam omnium poſsibilium, neque hoc limitant ad ſcientiam beatã potius quam ad infuſſam: imò videtur hæc perfectio magis ſcientiæ infuſſæ conuenire, quia neque vllam inuoluit repugnantiam, neque ex illa ſequitur compræhenſio Dei, ſiquidem per illam non cognoſcũtur creaturæ poſsibiles in Deo, ſed in proprio genere, & in ſe ipſis extra Deum. Sed noſtra concluſio defenditur à Caietano in hoc articulo à Durando, & Ricardo in 3. diſtin. 14. quæſt. 4. Marſilio quæſt. 10. Suario diſput. 27. ſect. 4. eſtque expreſſa D. Thom. infra quæſt. 13. art. 1. ad ſecundum, & quæſt. 20. de veritate, art. 5. Et recipitur cõmuniter ab omnibus Theologis, qui fatentur, vt ſupra vidimus Chriſtum neque per ſcientiam beatam cognouiſſe omnia poſsibilia: ex quo fundamento probatur prima concluſio. Quia Chriſtus non debuit plura cognoſcere per ſcientiam infuſſam, quam per beatã, imò in ſententia Auguſtini, neque ſcientia veſpertina extenditur ad plures res, quàm matutina, ſed ad eaſdẽ diuerſo modo: ergo ſi per ſcientiam beatam, ideſt matutinam Chriſtus non cognouit omnes effectus poſsibiles, vt dictũ eſt, à fortiori neque illos cognouit per ſcientiam inditam, ideſt veſpertinam. Secundò, quia impoſsibile eſſe ſcientiam

Per quam tamen non cognouit omnes effectus poſsibiles.

tiã finitã ad omnia poſsibilia diſtinctè cognita extendi oſtendimus ſupr. q. 10. art. 1. aduerſus eundẽ Suarium, & Vazquiũ, ex eo quòd aut eſſet comprehẽſio cauſæ, hoc eſt diuinæ omnipotentiæ: aut lumen talis ſcientiæ infinitum augmentum intẽſionis haberet per extenſionem ad infinitas creaturas poſsibiles ſecundũ gradum ſpecificũ diſtinctas: aut quia in ſe ipſis extra Deum nequeunt infinitæ illæ creaturę repreſentari. Tertiò, quia admiſſo gratis hoc nõ eſſe impoſsibile, ad huc non eſt neceſſariũ, neque eſt fundamentum ſufficiens ad id aſſerendum, neque enim confert ad maiorẽ perfectionem, aut ſanctitatem animę Chriſti, neque ad munus capitis, & vniuerſalis iudicis exercendum: & hoc ſufficit vt talis cognitio omnium poſsibilium Chriſto denegetur: etenim ſine huiuſmodi neceſsitate, aut conuenientia non eſt illico tribuendum animæ Chriſti quicquid non implicat apertam contradictionem.

Dico ſecundo, anima Chriſti per ſcientiam inditam omnes res naturales præteritas, exiſtentes, & futuras intra ambitum æternitatis, cognouit. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Scotum in 3. diſt. 14. q. 3. & Durandum ibidem queſt. 3. & 4. aſſerẽtes animam Chriſti cognouiſſe quidem huiuſmodi res naturales per ſcientiam inditam per accidens, quæ eſt eiuſdem rationis, cum acquiſita; ſed non per illam, quam appellamus per ſe infuſſam, & ſupernaturalem: eò quòd circa huiuſmodi res naturales exiſtimant duas ſcientias ſpecie diſtingui non poſſe ex deffectu ſufficientis obiecti diſtinctionis. Sed noſtra concluſio eſt D. Thom. in hoc articulo, & Caietani; & Capreoli in 3. diſt. 14. quæſt. 1. ar. 1. Paludani, ibidem q. 2. Marſilij quæſt. 10. art. 2. recipiturque ab omnibus Theologis, qui admittunt in anima Chriſti hanc ſcientiam per ſe infuſſam, vt videre eſt hic apud Suarium diſp. 27, ſect. 1. Vazquiũ diſp. 53. c. 1. & Cabre, diſp. 1. & 2. Naza. cõtro. vnica à q. 1. vſq; ad 4. Lorcã diſp. 5. & probatur tripliciter. Tũ à priori, quia lumen ſuperioris ordinis, nedum ad ſuperiora, ſed etiam ad inferiora extendi poteſt, tã quam ſub obiecto ſuo comprehenſa, quo enim virtus eſt ſuperior, eo eſt vniuerſalior: exemplum eſt in intellectu, qui perfectiori modo extenditur ad ea, quæ cadunt ſub obiecto ſenſus, licet non è contra: ergo lumen ſcientiæ infuſſæ, quod eſt ordinis ſuperioris, poteſt non ſolum res ſupernaturales; ſed etiam naturales ſub obiecto ſuo attingere, & has quidem nobiliori modo, quam lumen ſcientiæ inferioris, ſeu acquiſitæ.

Tum etiam à poſteriori, & veluti à congruentia: quia congruũ eſt, quod anima Chriſti perfectiori modo, quam Angeli cognoſceret res naturales in proprio genere extra verbum: ſi autem ſolum illas cognoſceret per ſcientiam acquiſitam, ſeu infuſſam per accidens: proculdubio in perfectiorem ſcientiam de illis habuiſſet, ſiquidem talis ſcientia in perfectior eſſet ſecundum ſuam ſpeciem omni ſcientia naturali angelica, ſicut & intellectus Chriſti ſecundum naturalia imperfectior eſt omni intellectu Angelico: ergo. Tertiò ad hominem contra Scotum, qui in dicta diſt. 14. quæſtio. 4. Dubitat an Chriſtus per hanc ſciẽtiam inditam perfectius cognoſcat res naturales cognitione abſtractiua, quam Angeli ſimili cognitione? Cui dubitationi reſpondet, quod ſi ſpecies infuſſæ animæ Chriſti ad cognoſcẽdas huiuſmodi res naturales ſint multo perfectiores ſpeciebus Angelicis: ita vt ſuperent in perfectione ſpecies Angelicas magis, quam intellectus Angelicus ſuperet intellectum humanũ, tunc cognitio animæ Chriſti erit perfectior cognitione Angelica; nã quod deeſt perfectionis in lumine naturali intellectus Chriſti compenſatur ex perfectione ſpeciei infuſſę: ſecus autem ſi ſpecies intelligibiles inditæ intellectui Chriſti ad res naturales cognoſcendas ſint imperfectiores ſpeciebus Angelicis: ergo vel tenetur admittere Scotus poſſe in intellectu humano dari ſpecies intelligibiles rerum naturalium per ſe infuſſas, & ſuperioris ordinis, quam ſint ſpecies earundem rerum Angelo connaturales: ac proinde ſcientiam de huiuſmodi rebus naturalibus in intellectu Chriſti potuiſſe eſſe per ſe infuſſam, & perfectiorem ſcientia Angelica: vel ſi hoc non admitit fruſtranea eſt eius dubitatio, & minus cõformis eius anteriori ſententiæ, ſi enim hęc ſcientia quatenus verſatur circa res naturales, tantum eſt per accidens infuſſa, vt ipſe docuerat quæſt. 3. conſequẽter debebat ſuponere pariter ſpecies cum illa infuſſas earundem rerum naturalium imperfectiores eſſe ſpeciebus Angelicis: vtpote ordinis inferioris, & naturali perfectioni humani ingenij commenſuratas: ac proinde oppoſitum huius indubium vertere, nec poterat nec debebat.

Qui-

Quibus rationibus pariter conuinci ur quod anima Chriſti cognouit huiuſmodi res naturales non ſolum, quoad quidditates, ſed etiam in ſingulari, & quoad eorũ exiſtẽtias. Quæ amplius confirmantur ratione, quam ſubdit D. Thom. hic in ſolutione ad tertium, quia nimirum cognitio horum ſingularium pertinet ad perfectionem prudentiæ regalis, & monarchicæ, quam anima Chriſti habebat ſuæ poteſtati commenſuratam, vt ſicuti vti potuit omnibus rebus naturalibus, quia omnium data eſt ei poteſtas vt dicitur 1. ad Corint. 15. & ad Hæb. 2. & Matth. vltimo: ita per prudẽtiã dirigeret vſum omniũ rerũ naturalium: huiuſmodi autem perfecta; & regalis, ſiue monarchica totius orbis prudẽtia petit habere perfectam cognitionem ſaltem practicam omniũ ſingularium in proprio genere: ergo.

Bene tamẽ cogitationes cordiũ penetrauit

Dico tertio de omnibus actibus liberis, cogitationibus cordium, atque futuris contingentibus habuit anima Chriſti certam, & clarã notitiam per huiuſmodi ſcientiã infuſſam. Hæc concluſio eſt D. Tho. hic ad tertium, & communiter à Theologis recepta, neque in hoc eſt aliquod diſcrimen inter illos, niſi dumtaxat, an reſpectu actuum liberorum contingentium futurorum, & nõdũ exiſtentium in propria differentia temporis ſit notitia, quam habet animi Chriſti intuitiua, qualis eſt reſpectu iam exiſtentium, vel tantum abſtractiua? De quo infra ex profeſſo iudicium feremus, nunc autem ſolum probatur id in quo omnes Theologi conueniũt pluribus rationibus quibus vtuntur Cabrera diſput. 3. & Suarius in dict. diſput. 27. ſect. 2. quarum ſumma hæc eſt. Quia huiuſmodi cognitio omnium actuum liberorum, & futurorum cõtingentium in proprio genere, & extra verbum debita erat dignitati animæ Chriſti, tum ad munus ſupremi, & vniuerſalis iudicis, qui de his potiſsimum iudicaturus eſt.

Tum etiam, quia ad perfectam prudentiam, & prouidentiam Chriſti de omnibus ſingularibus eſt neceſſaria. Tum denique, quia pertinet ad conſummatum donum prophetiæ, & munus Doctoris exercendum, quo Chriſtus vſus eſt vt viator ad docendam, & confirmandam fidem reuelando ſcilicet cogitationes cordium, & ſæpe prædicendo euentus futuros. Neque decebat, quod Chriſtus in huiuſmodi actuum liberorum perfecta cognitione dependeret ab ipſius cogitantis voluntate, ſeu locutione, ſiquidem potuit aliunde habere omnia neceſſaria ad talem cognitionem, nimirum ex parte principij, luminis, huiuſmodi ſcientiæ inditæ cum ſpeciebus pariter per ſe infuſis talium actuum repræſentatiuis, & ex parte obiecti, aut eorum exiſtentiam in æternitate, aut determinationem in cauſa, hoc eſt in decreto diuinæ voluntatis, aut ipſam obiectiuam determinationem, nimirũ futuritionem ipſorum actuum, ſeu effectuum contingentium: etenim rem eſſe futuram veritas quædam eſt, omnis autem veritas de ſe cognoſcibilis eſt ab illo qui habet ſufficiens principium cognoſcẽdi quale eſt in huiuſmodi ſcientia, & ſpeciebus infuſis animæ Chriſti: vtpote medijs quibus partipationem quandã habet diuinæ ſcientiæ ad cognoſcendum actus liberos ſine dependentia à voluntate ipſius cogitantis, & futura contingentia antequam exiſtant in propria menſura. Ex quo liquet D. Thomam hic correxiſſe ſententiam 3. diſtin. 14. q. 1. ar. 3. quæſtiunc. 1. & quæſt. 20. de veritate art. 6. vbi ab hac ſcientia exemerat geſta particularia hominum, cogitationes cordiũ, & futura cõtingẽtia, vtpote non pertinentia ad perfectionem partis intellectiuæ.

Dico quarto anima Chriſti per ſcientiã inditam cognouit omnes res ſupernaturales, & cũcta miſteria gratiæ. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Alexandrum 3. pat. quæſt. 13. membro 1. & 2. & Altiſsiodorenſem, lib. 3. ſummæ tractatu 1. capit. 5. exiſtimantes ab huiuſmodi ſcientia indita non attingi miſterium Incarnationis, aut modũ vnionis hypoſtaticæ, qui eſt in humanitate Chriſti receptus, quapropter hi auctores addũt animæ Chriſti præter tres ſciẽtias numeratas, videlicet beatam, infuſſam, & acquiſitam, aliam quartam ab his diſtinctam, quam vocant vnionis; quorum ratio poteſt eſſe duplex. Tum quia myſterium Incarnationis eſt ordinis ſuperioris in eſſendo, quam gratia, & omnes aliæ res ſupernaturales creatæ: ergo, & in cognoſcendo: ac proinde petit cognoſci à ſcientia ſuperioris ordinis, quam infuſa. Conſequẽtia patet, quia ſicut res ſe habet ad eſſe ita ad cognoſci, & antecedens eſt notum ex his quę docuimus in q. 1. de Incarnatione, quod ſcilicet ordo hypoſtaticꝰ nobilior eſt ordine gratiæ, & naturæ. Tum etiam, quia myſteriũ Incarnationis non poteſt clare, videri aut ſciri quim videatur ipſa perſona

diuini

diuini Verbi, quod fieri nõ poteſt per ſciẽtiam infuſſam Chriſti: ergo opus eſt alia ſcientia ſuperiori. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur: quia myſteriũ Incarnationis, aut ſumitur adæquatè prout includit vtrũque extremũ vnionis, quorum vnũ eſt perſona Verbi, & ſic certum eſt non poſſe clarè videri, aut ſciri ſine perſona Verbi: aut ſumitur pro ipſo modo vnionis hypoſtaticę in humanitate recepto: qui cũ ſit quędam actualis adhæſio humanitatis ad Verbũ, neq; videri poteſt, niſi viſo ipſo Verbo: ergo. Sed noſtra concluſio defenditur communiter à Theologis, ſup. relatis concluſi 1. eſtque expreſſa D. Th. in hoc asticulo, & propterea probatur, quia huiuſmodi res ſupernaturales ſunt finitæ perfectionis: ac proinde repreſentari poſſunt prout in ſe ſunt per ſpecies creatas eiuſdem ordinis: ergo etiã poſſunt lumine finito eiuſdẽ ordinis ſupernaturalis clarè, & quidditatiuè cognoſci: quòd proinde lumen ſcientificum potuit communicari animæ Chriſti, & aliàs cum ſint plures rationes congruentiæ ob quas de facto fuerit ei communictaum nimirũ: quia Chriſtꝰ eſt auctor gratiæ, & ſupernaturalium myſteriorum, & quia eſt caput hominũ, & Angelorum in ordine gratiæ: atque ſupremꝰ iudex omnium actuum liberorum, quorũ aliqui meritorij, & ſupernaturales ſunt; alij vero peccaminoſi contra ordinem ipſiꝰ gratiæ. Et tandem quia decuit vt Chriſtus cognoſceret perfectè res ſupernaturales, non ſolũ in Verbo per ſciam beatã, ſed etiã in proprio genere per infuſã, quæ ad illas cognoſcendas potiſsimè ponitur in animi Chriſti, ideò nõ eſt illi de facto denegãda.

Neque obſtant rationes aduerſariorum: ad primam enim reſpõd. iuxta ea quę docuimus in prologo huius 3. part. vnionem hypoſtaticam contineri ſub obiecto huius ſcientiæ infuſæ, ſicut & continetur reſpectu Theologi ſub obiecto eiuſdẽ ſciẽtiæ Theologiæ, quæ agit de Deo, & his quæ pertinent ad Deum, cadũtque ſub mediata Dei reuelatione. Cum enim ſit modus iſte vnionis creatus, & finitus poterit per ſimilem ſpeciem repræſentari in proprio genere, & prout eſt in ſe ipſo, ac proinde per ſcientiam inditam cognoſci, cuius obiectum contineat omnes res creatas, & finitas ſupernaturales quatenus cognoſcibiles in propio genere extra verbu: quia hæc eſt vna ratio formalis ſcibilis eis conueniens, vnicam ſcientiam potens ſpecificare. Ad ſecundam reſpondetur, quod ſicut poteſt clarè videri aliquod accidens, & modus in hærentiæ ipſius, non videndo clarè ſubiectum, cui inhæret: & ſicut per ſcientiam infuſam Chriſtus cognouit clarè actus ſupernaturales noſtros fidei charitatis, imo & viſionis beatæ, quin per illam videret diuinam eſſentiam, quæ eſt immediatus terminus, & obiectum horum actuũ: ita & potuit optimè videre clarè modum vnionis hypoſtaticæ per ſcientiã infuſam, non viſa perſona Verbi, quæ eſt terminus eius immediatus. Etſi oporteret illam videre ex viſsione vnionis, adhuc id præſtaret ſcientia beata, & non aliqua ſcientia vnionis, ab his duabus diſtincta: huiuſmodi enim ſcientia omnino ſuperflua, & ficticia eſt, vt tradit D. Thom. ſup. q. 1. art. 1. ad 3. dicens: quòd ſcientia conuenit Chriſto ratione naturæ, ideſt in aliqua natura, vnde neceſſe eſt, vel eſſe increatam qualis eſt ipſa ſcientia diuina conueniens Chriſto ratione Deitatis, vel eſſe creatam, & hæc vel eſt clara viſio Dei in ſe ipſo, quæ dicitur ſcientia beata, vel eſt ſcientia creaturarum per proprias ſpecies, & Dei tantum abſtractiua, quæ ſi ſit humano ingenio proportionata, & per ſe naturaliter ab illo acquiſsibilis erit naturalis, & acquiſita, ſi autem ſit ſupernaturalis, & nullatenus humano ingenio acquiſibilis dicetur indita, ſiue infuſſa: quæquidem poterit denominari ſcientiá vnionis obiectiuè aut cauſaliter quatenus per ipſam cognoſcitur ipſa vnio, vel quatenus data eſt ratione vnionis: non vero quia ſit à cæteris diſtincta, aut quia ad vnionem conſequatur aliqua ſcientia diſtincta ab illis ſcientijs, quæ conſequuntur ad naturam: cum enim vnio non ſit operatiua, nec detur ad operandum, ſed ad ſubſiſtendum, neque alicuius ſcientiæ peculiaris principij eſſe poteſt.

Dico quinto anima Chriſti per ſcientiam inditam habuit notitiam euidentem abſtractiuam, quoad an eſt de diuina eſſentia, & myſterio Trinitatis. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus ſententiam negantem quorundam iuniorum de quorum numero eſt Vazquius hic diſputatio. 53. capit. 2. & ſequentibus, & Lorca in dicta diſput. 50. Durandus in 1. quæſtio. 3. prologi, & in 3. diſt. 14. quæſtion. 3. & Bañes, 1. part. quæſtio. 32. articul. 1. dub. 2.

Nec non per illam euidenter quoad an eſt myſterium Trinitatis.

Sed

Sed noſtra concluſio defenditur à Caietano in art. 1. huius quæſt. à Ferrar. 3. cõt. gent. cap. 62. §. *Adid quod vltimo*, à Medina in dicto artic. 1. ad quintum. Suario diſputat. 27. ſect. 5. Aluarez diſput. 62. & à Cabrera diſput. 5. 6 & 7. Nazar controuerſ. vnic. q. 6. Zumel. 1. p. q. 32. art. 1. diſp. 2. & Capreol. in 2. diſt. 23. q. vnica.

In quibus tradit quatuor de huiuſmodi cognitione myſterij Trinitatis.

Primo, quod illã non habuit Chriſtus per hanc ſcientiam infuſam.

Secundo, quod non fuit quidditatiua, ſed tantum quoad an eſt.

Tertio, quod illam habuit, aut per teſtimonium Dei atteſtantis ſe eſſe Trinum, aut per ſpeciem infuſam, qua extra Verbum cognouit viſionem beatam ſui, aut alterius beati.

Quarto, quod per ſpecies rerum naturalium, & ſupernaturalium cognitionem habuit de prædicatis eſſentialibus Dei vt vnius, tum diſcurſiua cognitione, tum eadem cognitione qua res ipſas naturales, aut ſupernaturales cognoſcebat, primario quidem ad res ipſas, & ſecundario ad Deum vt finem, & auctorem earum, terminata.

Quæ concluſio ſuadetur quadrupliciter à ſuis Auctorib. Primo, quia talis notitia abſtractiua euidẽs quoad an eſt, de myſterio Trinitatis dabilis eſt in viatoribus, vt oſtendit Capreolus in 2. diſtinctione 23. quæſtione vnica art. 3. eiuſque poſſibilitatem omnes Scholaſtici admittunt, vnico excepto Durando in eadẽ diſtinct. ſecundi queſtion. 2. ſuppoſita autem eius poſſibilitate non eſt cur denegetur animę Chriſti viatoris ſiquidem aliquam perfectionem includit ad eius dignitatem pertinentem: vt ſicut quatenus comprehenſor habuit ſcientiam beatam, etiam quatenus viator haberet aliquam ſupernaturalem ſcientiam de Deo Trino, & vno: ergo.

Secundo, nam quatuor ſunt media per quæ anima Chriſti potuit huiuſmodi notitiam ſupernaturalem de Deo trino & vno habere; nimirùm ſpecies aliqua indita à Deo repræſentans quoad an eſt perſonas, ſiue relationes diuinas; quam ex nullo capite conſtat eſſe impoſſibilem, ac proinde potuiſſe animæ Chriſti communicari. Deinde teſtimonium, ſiue atteſtatio diuina, qua Deus reuelaret Chriſto ſe eſſe Trinum, de qua atteſtatione, ſiue loqutione Chriſtus haberet euidentiam ſicut eam habuit ſupremus Angelus dum erat viator de myſterio Trinitatis in atteſtante, quin habuiſſet euidentiam de ipſo myſterio reuelato in ſe.

Rurſus modus vnionis hypoſtaticæ habens cõnexionem cum hypoſtaſi Filij ex cuius intuitione, per ſcientiam infuſam anima Chriſti haberet euidentiam eſſe in Deo Filium, ac proinde Patrem, & amorem ab vtroque procedẽtem. Denique actus aliquis ſupernaturalis habens connexionem cum Deo vt trino, vt actus Fidei quo credit viator Deum eſſe trinum, & vnum, & actus charitatis quo diligit Deum vt trinum & vnum, & actus viſionis beatæ terminatus ad Deum vt eſt in ſe: ex his enim actibus potuit anima Chriſti videre priorem in intellectu viatoris, & duos poſteriores in intellectu, & voluntate comprehenſoris per ſpecies eorũ quidditatiue repræſentatiuas ſibi à Deo infuſas: ex quibus ſic cognitis non poterat nõ cognoſcere euidenter eorum obiectum ſaltem quoad an eſt.

Quæ ratio amplius confirmatur, quia ſicut per ſcientiam naturalem ex effectibus creationis habuit notitiam euidentiam quoad an eſt de Deo creatore vt vno: ita ex prædicta reuelatione, & ex prædictibus actibus à ſe cognitis poterat Chriſtus facere per ſcientiam infuſam hunc diſcurſum: Deus eſt qui teſtatur ſe eſſe trinum & vnum, & quicquid Deus dicit eſt verum, quia eſt ſummè verax: ergo verũ eſt Deum eſſe trinum & vnum: & ſimiliter Petrus, verbi gratia credit Fide diuina cui non poteſt ſub eſſe falſum, Deum eſſe Trinum; aut videt viſione beata, quam ego intueor, Deum vt eſt in tribus perſonis: ergo ita eſt, quod Deus ſit Trinus in perſonis, &c. Neque enim anima Chriſti per ſcientiam infuſam cognoſcebat diuinam loqutionem, & prædictos actus ſolum incomplexè, & ſimplici apprehenſione, ſed etiam complexè, & quoad connexionem prædicati cum ſubiecto, ita vt prædictas propoſitiones formare poſſet, & ex illis præfatas concluſiones inducere: ergo.

Tertio, ab inconuenienti duplici, quod ſequitur ex oppoſita ſententia, alterum eſt quod Chriſtus in quantum viator eſſet minus perfectus, & peioris con-

Digitized by Google

ditionis cœteris viatoribus, quia iſti habent cognitionem ſupernaturalem, ſcilicet fidei diuinæ de myſterio Trinitatis, Chriſtus autem vt viator nullam haberet niſi tantum vt comprehenſor per ſcientiam beatam, quia neqne haberet naturalem cognitionem per ſcientiam acquiſitã, vtpote cum nullus effectus naturalis procedat à Deo vt trino, aut habeat connexionem cum illo, ac proinde neque poteſt inducere illius cognitionem: neque ſupernaturalem, quia hanc deberet habere per ſcientiam infuſam, quod tamen negat oppoſita ſententia.

Alterum eſt, quod Chriſtus vt viator, nec poſſet orare Deum, aut illum diligere vt Trinum, nec poſſet loqui de myſterio Trinitatis, ſiquidem neque ex vi huius ſcientiæ infuſæ cognouit Deum, neque habuit aliud lumẽ quo vt viator cognouerit myſterium Trinitatis quæ tamen admittenda non ſunt: ergo.

Vltimo probatur, ſatisfaciendo duabus obiectionibus aduerſariorũ. Prima eſt, quia Diu. Thom. in artic. 1. huius quæſtionis, poſtquam numerauit omnia & ſingula ad quæ ſcientia infuſa Chriſti extenditur, concludit dicens: *Ipſam tamen Dei eſſentiam per hanc ſcientiam non cognouit, ſed ſolum per primam*, ideſt, *per beatam*, ac ſi diceret nullatenus per ſcientiam infuſam cognouit diuinam eſſentiam: niſi per beatam, neque clarioribus verbis potuit ſuam mentem Diu. Thom. exprimere.

Secunda eſt, quia cum talis cognitio non eſſet intuitiua, ſiue quidditatiua diuinæ eſſentiæ, vt eſt in ſe alioquin foret beatifica: eſſet abſtractiua: ergo vel obſcura qualis eſt cognitio fidei humanæ ſiue diuinæ, vel euidens per aliud: tunc vltra, ſed non poteſt eſſe obſcura, quia hæc non eſt in Chriſto admitenda, vtpote incompatibilis cum viſione beata: neque euidens per aliud, vt patet diſcurrendo per omnia media per quæ talis euidentia haberi poſſet: aut enim eſſet per cauſam. & hoc non quia nulla eſt cauſa diuinæ eſſentiæ, aut Trinitatis: aut per effectum & hoc non quia nullus effectus prouenit à Deo vt Trino, cum opera ad extra Trinitatis ſint indiuiſa, aut per Dei teſtimonium: & hoc non propter duo.

Tum quia aſſenſus quo anima Chriſti cognoſceret Deum eſſe Trinum inniteretur teſtimonio Dei reuelantis, ac proinde eſſet obſcurus, & fidei diuinæ, ſicut aſſenſus fidei humanæ eſt ille qui innititur teſtimonio alicuius hominis, & aſſenſus opinionis eſt, qui humanæ auctoritati, vel rationi probabili innititur. Neque obſtat quod talis aſſenſus haberet euidentiam in atteſtante, cum hac enim cõpatitur obſcuritas rei in ſe quæ eſt propria fidei diuinæ, vt contigit primo Angelo, qui dum eſſet viator cum euidentia diuinæ atteſtationis habuit aſſenſum fidei Theologicæ obſcurum duntaxat reſpectu obiecti reuelati in ſe, vt in quæſtione 5. de fide art. 1. docuimus.

Tum etiam, quia intellectus videntis Deum cuiusmodi erat intellectus Chriſti, nullatenus moueretur ad habendum talem aſſenſum ex vi teſtimonij extrinſeci: quia in conſpectu claræ viſionis, & obiecti clarè viſi nequit mouere teſtimonium extrinſecum: ſicut neque agens debile poteſt mouere in conſpectu fortioris: ergo, aut haberetur per actum terminatum ad Trinitatem, tanquam ad obiectum, vt eſt actus fidei, vel viſio beata, aut per effectũ habentem connexionem cum diuinis perſonis, vt cum termino ſuæ habitudinis, vt vnio hypoſtatica connectitur cum hypoſtaſi diuini Verbi.

Sed neque hęc media ſufficiunt ad generandam notitiam euidentem Trinitatis quoad an eſt extra claram Dei viſionem. Quia actus fidei ęſt medium extrinſecum, reſpectu obiecti crediti, & pariter viſio beata eſt extrinſeca obiecto viſo: nec non modus vnionis, licèt terminetur ad perſonam Verbi nihil tamen intrinſecum ponit in illa: ergo optimè poſſunt hæc media euidenter cognoſci per ſcientiam infuſam Chriſti non cognita euidenter eſſentia diuina, aut Trinitate: neque ex illis euidenter cognitis generatur euidentia huius; ſicut neque ex teſtimonio Dei reuelantis euidenter cognito, vtpotè extrinſeco generatur euidentia obiecti reuelati, vt dictum eſt.

Ad quarum primam reſpondetur, quod Diu. Thom. tantum intendit excludere à ſcientia infuſa Chriſti cognitionem euidentem diuinæ eſſentiæ, vt eſt in ſe, hoc eſt quidditatiuam, & intuitiuam: ſecus autem abſtractiuam, & euidẽtem per aliud, ſeu quoad an eſt: vndè ſicut dictio excluſiua *ſolum*, non excludit naturalem cognitionem quam Chriſtus habuit de Deo ex effectibus per ſcientiam acquiſitam, abſtractiuam quidem, & euidentem

quoad

quoad an eſt, ita neque excludit ſimilem cognitionem quam potuit habere per ſciẽtiam infuſam extra viſionem beatam.

Ad ſecundam admiſſa conſequentia prioris diſcurſus. Pro ſecunda parte, neganda eſt minor poſterioris pro ſecunda parte: ad cuius probationem reſpondetur huiuſmodi euidentiam abſtractiuam de diuina eſſentia haberi à Chriſto vno ex tribus poſterioribus modis recenſitis in argumento, aut omnibus ſimul.

Et ad improbationes primi, dicendum eſt, quod talis aſſenſus innitens teſtimonio Dei reuelantis clare cognito poteſt ſufficienter habere euidentiam obiecti reuelati quoad an eſt, quæ licèt non ſit tanta, quanta eſt euidentia claræ viſionis obiecti in ſe, tamen eſt maior quam poſsit habere fides, quæ intrinſece eſt obſcura, & incompatibilis cum clara viſione obiecti, cum qua tamen nõ eſt incompatibilis prædicta cognitio abſtractiua euidens in atteſtante. Neque inconuenit aliquam rem videri in ſe & ſimul in Imagine; ac proinde neque inconuenit ſimul ab anima Chriſti videri diuinam eſſentiam in ſe per viſionem beatam, & in atteſtante, aut in aliquo actu, vel effectu habente cum illa neceſſariam conexionem: cum enim vterque modus cognitionis ſit compatibilis, & importet aliquam congruentem perfectionem non eſt cur non fuerit in anima Chriſti.

Ex quo patet ad ſecundi, & tertij modi improbationes.

36 Ex hucuſque dictis tres oriuntur difficultates enodandæ. Prima eſt, an Chriſtus per ſcientiam infuſam cognouerit hæc omnia obiecta actu ſimul, vel tantum habitu & ſucceſsiuè? Secunda eſt, an permanſerit in eorum omnium actuali conſideratione, vel ab illa aliquando ceſſauerit? Tertia eſt, an reſpectu futurorum, & præteritorum habuerit notitiam intuitiuam quemadmodum reſpectu præſentium?

Ad primam reſpondent Marſilius in 3. quæſtione 10. articulo 2. in quarta illius parte vnico actu adequato Chriſtum hac ſcientia omnia eius obiecta contemplaſſe, Scotus verò in 3. diſtinctione 14. §. *Ad quæſtionem poteſt dici*, Gabriel, & Almainus ibidem quæſtione 1. articulo 2. animam Chriſti cognouiſſe habitualiter quidem per ſcientiam inditam omnes rerum quidditates, & naturas ſpecificas, ac genericas, quę finitę ſunt: non verò cognouiſſe in actu, aut in habitu omnia ſingularia præterita, præſentia & futura quę infinita ſunt, ac proinde petunt infinitas ſpecies ad ſui cognitionem, quas tamen anima Chriſti non habebat. Richardus verò in eadẽ diſtinctione tertij artic. 4. quæſtione 1. cui ſubſcribit Lorca diſputatione 51. membro 2. reſpondet Chriſtum hac ſcientia cognouiſſe in habitu omnia ſingularia de genere ſubſtantiæ quæ ſinita ſunt, quia habuit ſufficiens principium in actu primo cognoſcẽdi illa: nõ tamẽ cognouiſſe in actu ſimul aut habitu omnia ſingularia, tam de genere ſubſtantiæ, quam de genere accidentis, quia ad hoc indigeret infinita virtute, infinitis ſpeciebus, & infinitis intellectionibus quas non potuit habere ſimul intellectus Chriſti, imò & infinita attentione ob cuius defectum neque potuit ad infinita obiecta ſimul attendere eo conatu quo ad ſingula ſeorſim attenderet: Vazquius deinde in dicta diſputatione 53. capite 2. numero 15. reſpondet Chriſtum per hanc ſcientiam omnia ſimul obiecta recenſita cognouiſſe actu aliquando, vno ex duobus modis; nimirum vel cognoſcendo ſingula ſingulis cognitionibus, ac proinde infinita infinitis: vel finitis cognitionibus, ita vt eadẽ cognitione plura ſiue omnia indiuidua vnius ſpeciei, aut etiam vnius generis attingeret ita vt ſicut intellectui Chriſti ſpecies intelligibiles finitæ infinita futura repræſentauerunt: ita & finitis cognitionibus ab eo cognita fuerunt aliquando: Suarius denique diſputatio 28. ſectione 1. Reſpondet plures fuiſſe actus huius ſcientiæ, qui modus eſt communiter receptus ab Scholaſticis in 3. diſtinction. 14. atque conformior Diuo Thomæ in articulo 3. & 5. huius quæſtionis. Et hic modus dicendi, quia verior à nobis eſt amplectendus, & probatur à ſufficienti aliorum impugnatione. Talis enim notitia actualis omnium rerum, & indiuiduorum decebat Chriſtum ob eius dignitatem, ac proinde non eſt ei deneganda: ſed non potuit eam habere per vnum actum adequatum ob multitudinem obiectorum materialium, ſpecierum, & varios modos cognoſcendi, neque per infinitas ſpecies, aut cognitiones, vtpotè quia implicat dari infinitum cathegorematicè ſecundum multitudinem, vt oſtendit D. Thom. 1. parte, quæſtione 7. articul. 3. & 4. ergo.

Digitized by Google

Maior patet, quia ſi anima Chriſti huiuſmodi actualem notitiam omnium rerum non haberet per ſcientiam inditam, proculdubio haberet aliquam ignorantiam vt viator: nimirùm de illis futuris de quibus neque actualem, neque habitualem ſcientiam habebat in ſententia Scoti: etenim ſcientia beata non conueniebat ei vt viatori, per acquiſitam autem non poterat habere certam cognitionem de futuris liberis, aut contingentibus: vel etiā de illis futuris quæ ſunt de genere accidentis reſpectu quorum Richardus denegat Chriſto abſolutè, & non ſolum vt viatori omnē notitiam tam habitualem, quam actualem, ac proinde tenetur in illo admittere talium futurorum ignorantiam, quæ eſt carentia ſcientiæ, tam actualis, quam habitualis alicuius rei: ignorantiam autem oſtendimus ſupra dedecere Chriſtum, eiuſque muneri, ac dignitati derogare, & cum ex alio capite infinitæ ſpecies, aut cognitiones actu ſimul non ſint dabiles, vt vult Vazquius in primo modo, aut parte ſuæ ſententiæ, dicendum eſt finitis ſpeciebus, & cognitionibus Chriſtum omnium rerum notitiam actualem habuiſſe. Nam quælibet ſpecies indita intellectui Chriſti ob ſui eminentiam (vt contingit in ſpeciebus inditis Angelorum) nedum repræſentabat quidditatem abſtractam ab exiſtentia, ſed etiam vt concernētem pro ſuo tempore exiſtentiam: & inſuper conexionem cum accidentibus ſuperuenturis; verbi gratia ſpecies Petri repræſentabat Chriſto vltra prædicata eſſentialia, eius accidentia; verbi gratia futuram Petri lectionem, & vtriuſque extremi conexionem, ac proinde Petrum vt lecturum: ex cuius proinde ſpeciei repræſentatione, & vſu poterat Chriſtus elicere proprium conceptum futuritionis negationis Petri, verbigratia, quam prædixit, & meæ craſtinæ lectionis, ac ſimilium futurorum contingentium, ac liberorum. Et pariter eodem conceptu ſiue cognitione ob eius eminentiam vti poterat ad pluriū indiuiduorum, atque plurium eorum conexionum notitiam habendam. Ex quo ſufficienter vitatur periculum admittendi infinitam in actu multitudinem ſpecierū, aut cognitionum.

37 Ad ſecundam reſpondent aliqui Theologi, de quorum numero ſunt Vazquius in dicto capite 2. §. *Alterum vero*, & Cabrera in articulo 5. ſequenti diſputatione vnica; Chriſtum habuiſſe quidem aliquando per ſcientiam inditam actualem conſiderationem omnium rerum, ſed non ſemper in illa permanſiſſe. Eo quod primum decebat Chriſtum, vt oſtenſum eſt, ſecundum verò, non erat ei neceſſarium: neque enim ex eius defectu incurrit ignorantiam aliquam, nam ignorantia eſt carentia omnimoda, tum habitualis, tum actualis, præſentis & præteritæ cognitionis: Chriſtus autem licet habuerit pro tunc non conſiderationem actualem aliquorum obiectorum non tamen habuit ignorantiam, quia neque habuiſſet carentiam actualis cognitionis prę teritæ, & ſemel habitæ, neque carentiam habitualis ſcientiæ, quam retinebat vt per illam poſſet quando vellet, ſe reducere ad actualem conſiderationem omnium, vel aliquorum obiectorum, ne fruſtra maneret in illo talis ſcientia ſecundum habitum.

Si dicas: in Chriſto perſeueranter manſit cognitio propriæ viſionis beatæ, quæ cognitio fuit actus ſcientiæ infuſæ: ergo, & debuit perſeueranter manere cognitio totius obiecti ipſius viſionis, quod complectitur omnia præterita præſentia, & futura ſingularia viſſa in eſſentia diuina.

Reſpondetur vno ex duobus modis; nimirùm, aut ſolum in Chriſto manſiſſe perſeueranter cognitionem aliquam ſcientiæ infuſæ reſpectu alicuius obiecti determinati, qualis fuit cognitio propriæ viſionis beatæ, quæ quidem viſionem beatam clare repræſentabat, vtpotè ad illam directè, & primario terminata, eius verò obiectum ad quod indirectè, & ſecundario terminabatur, tantum repræſentabat confuſè, hoc eſt ſub ratione obiecti connotati ipſius viſionis: hæc autem ſententia ſolum negat animæ Chriſti perſeuerantem cognitionem ſcientiæ infuſæ circa omnia ſingularia diſtinctè, & ſecundum propria repræſentata. Aut quod illa cognitio propriæ viſionis beatæ non fuit actus ſcientiæ infuſæ, ſed eadem met viſio beata, quæ ob ſui eminentiam eſt reflexiua ſupra ſe ipſam, ac proinde eſt permanens conſideratio, & ſui obiecti, ſcilicet diuinæ eſſentiæ, & ſui ipſius.

Alij verò, de quorum numero eſt Aluarez diſputatione 57. & Suarius diſputatione 28. ſectione 1. dubio 2. & 3. ſe-

Digitized by Google

ſequi Richardum in 3. diſtinctione 14. articulo 4. quæſtione 1. reſpondent animam Chriſti per ſcientiam infuſam neque omnia prædicta obiecta ſemper, neque ſimul conſideraſſe, niſi tantum ſucceſſiuè, ſcilicet quandoque hæc, & quandoque illa.

Quod ſuadent tripliciter: tum quia actus ſcientiæ infuſæ non fuit menſuratus æternitate: ergo neque potuit eſſe ſimultanea omnium obiectorum cognitio.

Tum etiam, quia teſte D. Thom. 1. parte, quæſtione 55. articulo 3. nulla ſpecies intelligibilis poteſt eſſe omnium obiectorum repræſentatiua extra diuinam eſſentiam, quia nequit omnium rerum eſſe naturalis ſimilitudo: ergo à fortiori neque vna cognitio.

Tum denique, quia teſtè eodem Diu. Thom. ibidem quæſtione 58. articulo 2. Angelus per ſcientiam inditam non poteſt modo connaturali ſimul plura per modum plurium intelligere actualiter, niſi per modum vnius, hoc eſt quatenus vnica ſpecie repræſentantur: ergo neque anima Chriſti. Sed his non obſtantibus, quæ tantum conuincunt ſimultaneam omnium rerum conſiderationem, quam habuit anima Chriſti per ſcientiam infuſam, non potuiſſe fieri vnico actu, vt Cabreta vbi ſupra inſinuat ſequtus Marſilium in 3. quæſtione 10. articulo 2. in quo eius ſententiam probamus, ſtandum eſt in priori ſententia, quia conuenientius fuit Chriſtum vt viatorem ſimul aliquando totum fructum ſuæ Paſsionis, ac proinde omnium redimendorum merita, demerita, cogitationes, & actus cognouiſſe, non quidem vnico, ſed pluribus actibus.

Vnde ad primum fundamentum poſterioris ſententiæ admiſſo antecedenti neganda eſt conſequentia, illo enim tantum conuincitur cognitionem ſimultaneam omnium rerum non fuiſſe perſeuerantem, ac permanentem, non tamen quod non fuerit aliquando ſaltem in tranſitu.

Ad ſecundum admiſſo antecedenti, & conſequentia nihil infertur contra noſtram ſententiam quæ non in vnico actu, ſed in pluribus ponit ſimultaneam in anima Chriſti omniũ rerũ cognitionẽ.

Ad tertium neganda eſt conſequentia, quia in Angelo non neceſſario eſt admittendus ſpecialis concurſus ſuplẽs imbecibilitatem virtutis naturalis, qui tamen admittendus eſt in anima Chriſti, vt ratione illius confortatus, & eleuatus eius intellectus poſsit ſimul plura per modum plurium actu conſiderare, neque hic modus eſſet huic ſcientiæ miraculoſus, ſed connaturalis.

Ad tertiam duę etiam ſunt ſententię Theologorum. Prima quidẽ affirmans Chriſtum per ſcientiam infuſam habuiſſe præteritorum, & futurorum notitiam intuitiuam, quam cum Caietano in art. 1. huius quæſt. §. *Ad ſecundum*, ſequntur Suarius diſputat. 27. ſect. 2. vt probabilem, §. *hac difficultas*, Aluarez diſput. 60. & Vazquius diſputat. 52. cap. 4. circa finem.

Illamque ſuadent tripliciter: primo quidem arguit Vazquius quod hæc notitia futurorum in Chriſto eſt quidditatiua rei exiſtentis, aut extituræ in propria differentia tẽporis (ſecluſa pręſentia phyſica in æternitate quam fictitia reputauerat idẽ auctor 1. p. diſp. 60. c. 3.) & hoc ſufficit vt ſit notitia intuitiua: ergo. Min. probatur dupliciter. Tum quia ſcientia Dei per hoc preciſſe eſt intuitiua futurorũ, vt idem auctor probauerat in eadem 1. p. diſput. 134. c. 1. Tum etiam quia eadem eſt notitia in Chriſto, ſicut & in Deo rei quãdo eſt futura, atque quando exiſtit, neque enim variatur notitia ex accidentali variatione rei cognitæ, ſed quia res exiſtit, eſt intuitiua: ergo & antequam exiſtat.

Secundo arguit Suarius, quod per viſionem beatam intellectus creatus Chriſti habet notitiam intuitiuam futurorum per participationem diuinæ ſcientię, quę futura intuetur: ergo etiam poterit ei communicari intuitiua cognitio eorundem futurorum in proprio genere: cum in huius communicatione, & participatione nulla appareat repugnantia, & aliàs cedat in Chriſti dignitatem.

Tertio arguit ex Caiet. Aluar. quia Deus poteſt ſupplere præſentiã obiecti infundendo ſpeciẽ repręſentantẽ obiectũ futurũ cũ exiſtẽtia qualis multis Prophetis fuit infuſa, & propterea in Sacra Scriptura appellantur vidẽtes, quaſi ſpeculãtes intuitiuè futura & aliàs lumẽ ſciẽtiæ infuſæ eſt ſufficiẽs de ſe videre quãcũq; rẽ creatã ſibi vt præſentẽ obiectam: ergo neque ex parte luminis, neque ex parte ſpeciei fuit in Chriſto defectus ob quem non poſſet

habere notitiam intuitiuam futurorum.

Eò vel maximè ſubdit Aluarez in huius confirmationem, quod illam habuit reſpectu præteritorum : hæc enim in Angelis admittitur, ac proinde in Chriſto eſt admittenda : ergo & illam habuit reſpectu futurorum.

Secunda negans eſt, quam ſequuntur Scotus in tertio diſtinctione 14 quæſtione 3. Cabrera hic articulo 1. diſputatione 4. Suarius vt probabiliorem vbiſupra §. *ſecundus modus*, Nazarius in controuerſia vnica quæſtione 4. Aſſerentes Chriſtum per ſcientiam infuſam habuiſſe de futuris contingentibus cognitionem duntaxat abſtractiuam. Quę ſententia veritati, ac Diu. Thom. conformior eſt, & ideò ſtatuitur à nobis pro concluſione.

Et ſuadetur dupliciter: primò labefactando omnes modos quibus talis notitia intuitiua futurorum contingentium per ſcientiam infuſam à Chriſto haberi poſſet : aut enim poſſet haberi, quia menſuraretur, æternitate ratione cuius contineret duratio huiuſmodi notitiæ illam differentiam temporis in qua futurum habiturum eſt ſuam exiſtentiã, quod proinde tali notitiæ coexiſteret ſicut omnia futura coexiſtunt æternitati, & ideò Deus habet de illis ſcientiam viſionis. Aut quia ſpecies futuri infuſa animæ Chriſti repræſentat ipſum nedum quoad quiddi tatem; & prædicata eſſentialia, ſed etiam quoad exiſtentiam in actu exercito, verbi gratia, ſpecies Antichriſti repræſentat ipſum cum exiſtentia, quam habebit in propria differentia temporis, hoc eſt repreſentat Antichriſtum exiſtere, ſiue vt exiſtentem. Aut tandem quia eadem ſpecies obiecti cuiuſcunque; verbi gratia, Antichriſti repræſentat ipſum pariter, & eodemmodo ſine ſui variatione, quando non exiſtit, atque quando exiſtit, atque proportionabiliter notitia huiuſmodi ſpeciei correſpondens, eadem, & inuariata manens terminatur ad rem eiuſque quidditatem ſiue exiſtentem, ſiue non exiſtentem: ex quo fit, vt dum ſit clara, & quidditatiua, ſit quoque intuitiua : neque alij ſunt modi excogitati hucuſque à Theologis adſtruendi futurorum notitiam intuitiuam: ſed nullus ex his ſuſtineri poteſt.

Non primus quia actus ſcientiæ infuſæ in Chriſto fuerunt liberi quoad exercitium, quia pro ſua voluntate potuit illos exercere, atque omittere, ſeu ab eorum exercitio ceſare quoties voluiſſet, ac proinde non fuerunt permanentes, & indefectibiles, neque menſurati æternitate : verbi gratia, cognitio quam habebat per ſcientiam infuſam de Antichriſto non fuit indefectibilis, & neceſſaria quoad exercitium, quia liberè eam eliciebat, & liberè ab ea ceſſabat quando volebat : eòquod teſtè Diu. Thom. 1. 2. quæſtione 10. articulo 2. numquam intellectus, aut voluntas neceſsitatur quoad exercitium actus ab obiecto, niſi habeat ſummum bonum ſibi præſens, vt eſt præſens beatis : ac proinde cum actus ſcientiæ infuſæ Chriſti verſentur circa obiecta creata; & aliàs non ſint motus primò primi præuenientes vſum rationis, propterea nequit in illis quoad exercitium neceſsitari, & conſequenter fictitia eſt in eis participatio menſuræ æternitatis.

Neque ſecundus; quia talis ſpecies determinata futuri, vt exiſtentis in propria differentia temporis eſt impoſſibilis, & quamuis vt verum fatear eius implicatio, & repugnantia non ſit ad eò manifeſta, tamen à poſteriori colligi poteſt, ex eòquod talis ſpecies, aut eſt naturalis, aut infuſa per ſe, & ſupernaturalis : ſed neque poteſt eſſe naturalis, aliàs futura contingentia neque Angelis, neque Chriſto eſſent naturaliter oculta defectu luminis, quod in ipſis viget, aut defectu ſpeciei ſiquidem, & hæc dabilis eſt intra ordinem naturæ : cuius tamen oppoſitum docet Diuus Thomas 1. parte quæſtione 57. articulo tertio: neque ſupernaturalis quia repræſentatio cuiuſuis ſpeciei debet eſſe per aſsimilationem cum obiecto : dum autem obiectum non exiſtit, non eſt capax talis aſsimilationis ſicut neque eſt extremum relationis ſimilitudinis. Quo enim pacto Antichriſtus non exiſtens poteſt fundare ſimilitudinem cum ſpecie cuius aſsimilatio eſt ad Antichriſtum vt exiſtentem? Profecto nullo, ac proinde cum Antichriſtus reſpectu intellectus Chriſti, & ſpeciei infuſæ, quam modo habes

de

de illo non coexiſtat, vt dictum eſt, neque poteſt ei vt exiſtens aſsimilari.

Neque tertius, quia præterquamquod illa ſpecies indifferenter, & eodem modo repræſentaret quidditatem rei cum exiſtentia, & ſine illa: non poteſt dari extra diuinam eſſentiam, cuius proprius eſt, ob ſui immutabilitatem, modus iſte repræſentationis. Immo adhuc ſi daretur inclinaret ad falſum, quia repræſentaret rem exiſtentem quando non exiſtit, ac proinde non poſſet infundi à Deo, qui ad falſum inclinare non poteſt: neque talis notitia orta ex huiuſmodi ſpecie eſſet intuitiua, ſed tantum abſtractiua: conditio enim cognitionis quidditatiuæ, & euidentis non ſufficit illam conſtituere intuitiuam, vt patet in Sapientibus qui de obiectis naturalium ſcientiarum habent quidditatiuas, & euidentes notitias, dumtaxat abſtractiuas, qualem habet Philoſophus de roſa naſcitura, & Aſtrologus de Eclipſi futura.

Secundo probatur, ſatisfaciendo fundamentis prioris ſententiæ: quorum primum nil amplius conuincit, quam quod talis notitia ſit clara, & quidditatiua futurorum quod non inficiamur concedere.

Ad ſecundum neganda eſt conſequentia, quia viſio beata terminatur ad eſſentiam diuinam in qua, vt inſupereminenti ſpecie repræſentantur futura cum exiſtentia, & aliàs menſuratur æternitate participata ratione cuius poteſt futurorum proprias differentias temporis amplecti, & virtualiter continere, quæ duæ conditiones deficiunt actibus ſcientiæ infuſæ, vt dictum eſt.

Ad tertium negandum eſt antecedens ob aſsignatam rationem repugnantiæ, ob quam neque Prophetis vnquam potuit talis ſpecies communicari. Qui nihilominus ratione euidentiæ quoad an eſt, quam de futuris habebant, videntes appellabantur: immo quælibet cognitio intellectualis, quantumuis ænigmatica in Sacra Scriptura dici ſolet viſio, iuxta illud Pauli ſecundæ ad Corinthios decimotertio. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate.*

Ad confirmationem, aut negabis antecedens, quia præteritum non minus caret exiſtentia, quam futurum, ac proinde non magis eſt repræſentabile cum illa vnum quam alterum: aut admiſſo antecedenti, negabis conſequentiam quia res poſtquam ſemel exiſtit etiam tranſacta exiſtentia, & relinquit aſsimilationem ſui in ſpecie, & manet cum determinatione oppoſita indifferentiæ, quam habet futurum contingens antequam exiſtat; ob quas conditiones præteritum poteſt cum exiſtentia repræſentari in ſpecie indita, ſecus autem futurum. Vndè de illo, & non de iſto potuit habere Chriſtus per ſcientiam infuſam notitiam intuitiuam.

Dixi per ſcientiam infuſam: cognouiſſe Chriſtũ notitia abſtractiua pręterita, & futura contingentia: vel etiam præterita notitia intuitiua, futura autem, notitia duntaxat abſtractiua: nam lumine Prophetico, quo & præterita & futura Chriſtus prædicere ſolebat, vt Ioannis octauo de præteritis actibus Abrahami, & Lucæ 19. de futuro excidio Hieroſolymæ ciuitatis prophetauit, habuit quidem notitiam abſtractiuam, euidentem tamen ſaltem quoad an eſt de præteriris, ac futuris in ſeipſis, & in atteſtante, hoc eſt, quia euidenter cognouit teſtimonium Dei illa ſibi reuelantis, cui vt ſic euidenter cognito non innititur fides, quæ in Chriſto, & beatis eſſe non poteſt, ſed lumen Propheticum, quod cum viſione clara Dei, compati poteſt circa ſecundaria obiecta, vt docuimus q. 7. præcedenti artic. 8. reuelatio autem iſta præteritorum, & futurorum facta fuit per hoc quod Deus in intellectu Chriſti impreſsit lumen Propheticum talis virtutis ac conditionis, vt medio illo formaret conceptum illius futuri, ſeu præteriti, quod manifeſtare volebat medijs nouis ſpeciebus impreſsis, aut eiſdem quibus intellectus Chriſti aliàs erat iam informatus de nouo ordinatis ad formandam talem rei præteritæ, aut futuræ conceptionem, ex qua etiam cognoſceret euidenter modum illum loquendi interius, & reuelandi eſſe proprium Dei, ac proinde Deum eſſe loquentem: ſicut in humanis audita voce Petri, verbi gratia, etiam non viſa eius perſona euidenter intelligimus Petrum eſſe qui loquitur, ita cognito euidenter actu Fidei infuſæ, aut etiam Prophetiæ, clarè

videbit quis illam eſſe ſupernaturalem, neque ab alio quam à Deo eſſe poſſe.

Dubium tertium eſt. An Chriſtus indiguerit in vſu huius ſcientiæ conuerſione ad phantaſmata?

Placita Theologorum varia recēſetur.

39 IN hoc dubio tres verſantur ſententiæ, duæ extremæ, & vna media, quarum prima ait Chriſtum nullatenus per hanc ſcientiam potuiſſe vti conuerſione ad phantaſmata. Hanc tuetur Vazquius diſputatione 52. capit. 2. & Lorca diſputat. 51., membro 2. & ſuadent dupliciter. Primo quia intellectum conuerti ad phantaſmata nihil aliud eſt, quam quod dum intellectus aliquam rem conſiderat, eandem ſimul ſentiat cogitatiua, præuia quadam cogitatione à qua vt à cõditione præreqiſita conſideratio intellectus depandeat: hác enim dependentiam, & conexionem ſignificant Philoſophi in illa præpoſitione *ad*, ſiue *per*, dum communiter dicunt intellectum cognoſcere conuertendo ſe ad phantaſmata, vel per conuerſionem ad phantaſmata: maxime Ariſtoteles 3. de anima textu 30. & 33. dicens: *intellectiuum igitur iſas formas in phantaſmatibus ipſis intelligit*, &c. Sed ſcientia infuſa Chriſti, neque dependentiam à phantaſmatibus, neque connexionem cum eorum cogitatione habebat: ergo.

Minor patet, quia talis ſcientia non fuit acquiſita per ſpecies ſenſuum, neque indita dependentur ab illis, ſed dependenter à ſolis ſpeciebus infuſis, quæ ſunt alterius omnino rationis ab ſpeciebus ſenſuum, cum quibus proinde nullam habent ſimilitudinem, aut affinitatem: ergo.

Secundo ab inconuenienti triplici. Primum eſt, quod alias anima Chriſti etiam in cognitione ſubſtantiarum ſeparatarum, ſcilicet Angelorum, quam habebat per ſcientiam infuſſam poſſet conuerti ad phantaſmata: conſeqnens tamen eſſe falſum patet quia huiuſmodi ſpirituales ſubſtantię nullatenus in phantaſmatibus relucebant.

Secundum eſt, quod in cognitione rerum materialium, & ſenſibilium ſemper hæc ſcientia conuerteretur ad phantaſmata, vtpotè quę ſemper in phantaſmatibus relucebant ab intellectu agente illuſtratis, cuius illuſtratio, vtpotè naturalis actio, ſuſpendi aut impediri ab anima Chriſti minimè poterat.

Tertium eſt, quod etiam beati poſt reſurrectionem poſſent vti viſione beata per conuerſionem ad phantaſmata: poterunt enim ſimul videndo Deum, cogitare aliquam imaginem ſenſibilem ad inſtar cuius Deum in hac vita mortali cognoſcebant: ergo ſi hęc ſola concomitantia cogitatus; & intellectionis eſt ſufficiens ad ſaluandum vſum phantaſmatum, fieret tunc in viſione beata conuerſio ad phantaſmata, quæ tamen inconuenientia admittenda non ſunt: ergo.

Secunda ſententia eſt Durandi in 3. diſtinct. 14. quæſt. 3. & eſt eorum qui exiſtimant hanc ſcientiam eſſe, vt vidimus dub. 1. inditam per accidens, atque eiuſdem ſpeciei cum ſcientia acquiſita, cõſequenter aſſerunt intellectum Chriſti in vſu huius ſcientiæ indiguiſſe conuerſione ad phantaſmata: eo quod vnaquæque perfectio recipitur admodum ſubiecti recipientis: ſed hæc ſcientia indita recipitur in intellectu Chriſti, vt viatoris, qui vt ſic & ſecundum ſe aptus natus eſt cognoſcere duntaxat per conuerſionem ad phantaſmata: ergo.

Tertia ſententia, aſſerit animam Chriſti in vſu, ex actibus huius ſcientiæ non indiguiſſe conuerſione ad phantaſmata; potuiſſe tamen libere ſe conuerti ad illa, nimirum quando hac ſcientia contemplabatur anima Chriſti obiecta ſenſibilia, quorum habebat phantaſmata, ita Caietanus, & Medina in art. 2. huius quæſtionis, Suarius diſputatio. 28. ſection. 1. Cabrera diſputatione 2. & Nazarius in hoc art. 2. controuerſia vnica, & Aluarez diſputat. 63. & quia hęc eſt expreſſa ſententia D. Thom. in eodem art. 2. pro eius declaratione.

Eligitur ſētētia tribuēs animæ Chriſti in vſu ſciētiæ inditæ cōuerſionē ad phātaſmata ſine indigētia.

40 Dico primo. Anima Chriſti in vſu huius ſcientię circa obiecta ſenſibilia potuit vti conuerſione ad phantaſmata. Hęc concluſio ſtatuitur aduerſus auctores primæ ſententię, & probatur primo, quia Diu. Thom. in ſolutione ad tertium

tium articuli ſecundi, & in art. 4. ſequenti ait ſcientiam infuſam animæ Chriſti eſſe ſecundumquid imperfectiorem ſcientia indita Angelorum, hoc eſt ex parte ſubiecti, & eiuſmodi cognoſcendi; quia modus cognoſcendi animæ eſt per conuerſionẽ ad phantaſmata: ſi autem anima Chriſti nunquam poſſet in actibus huius ſcientiæ vti tali conuerſione, non refunderet Diu. Thom. huiuſmodi vſum in tali ſcientiæ imperfectionem: ergo.

Secundo, quia intellectum conuerti ad phantaſmata, aut eſt illum contemplari res relucentes in phantaſmatibus illuſtratis per intellectum agentem, aut eſt contemplari res ad quarum cogitationem ſimul mouet, & applicat phantaſiam: ſed vtrouis modo potuit intellectus Chriſti in actibus huius ſcientiæ liberè vti huiuſmodi conuerſione.

Primo quidem, quia contemplabatur hac ſcientia res ſenſibiles, & materiales relucentes in phantaſmatibus.

Secundo autem, quia hæc ſcientia ſimul contemplando huiuſmodi res materiales potuit efficaciter mouère, & applicare phantaſiam ad earum actualem cogitationem quamuis ſine imperfectione dependentiæ, ac neceſſariæ connexionis, cum qua vſus phantaſmatum reperitur in nobis: ergo.

Dico ſecundo. Anima Chriſti in actibus huius ſcientiæ nullatenus dependebat ab vſu phantaſmatum, neque illo indigebat. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Auctores ſecundæ ſententiæ, & ſuadetur triplici ratione, quarum prima eſt, qua vtitur Diuus Thomas in hoc articulo 2. ſub hac forma: Chriſtus ſecundũ animam nedum erat viator, ſed ſimul comprehenſor, ac proinde habebat conditiones comprehẽſoris, quarum vna eſt quod anima non ſubdatur corpori, ſed ei plenè dominetur: dependentia autem ab vſu phantaſmatum, & indigentia illius prouenit ex ſubiectione animæ ad corpus: ergo anima Chriſti fuit ab huiuſmodi perfectione vindicata.

Hanc rationem dupliciter Vazquius conatur infringere. Primo, quia ex ſtatu comprehenſoris non ſequitur Chriſtum non indiguiſſe vſu phantaſmatum in hoc, aut illo determinato genere cognitionis, niſi tantum in omni genere cognitionis intellectiuæ: vndè beati poſt reſurrectionem in actibus ſcientiarum acquiſitarum indigebunt vſu phantaſmatum, ſicut & in hac vita: & tamen erunt comprehenſores: ſatis enim erit illis ſi in vſu ſcientiæ beatæ non indigeant cõuerſione ad phantaſmata.

Secundo, quia ratio huius independentiæ à phantaſmatibus aſsignanda erat ex natura ipſius ſcientiæ infuſæ, & non ex conditione ipſius intellectus Chriſti ſecundum ſe, qui vt ſic, & prout eſt actus corporis, vniuocè cum noſtris conueniens, potius huiuſmodi dependentiam ab vſu phãtaſmatum exigebat: neque ex conditione ſtatus comprehenſoris: nam etiam ſi anima Chriſti hunc ſtatum non habuiſſet in hac vita, nec viſione beata frueretur, adhuc in actibus huius ſcientiæ quæ per ſe eſt infuſa, & ſupernaturalis ab vſu phantaſmatum nõ dependeret, quod tamen non præſtat ratio Diu. Thom. vtpote ex ſtatu comprehenſoris deſumpta: ergo. Sed ab his obiectionibus vindicatur ratio Diui Thomæ.

Ad primam enim, negandum eſt antecedens: imò ſtatus comprehenſoris vindicat omnino animam ab indigentia conuerſionis ad phantaſmata, in quocunque genere cognitionis intellectiuæ quamuis non à facultate liberè conuertẽdi ſe ad illa circa obiecta in phantaſmatibus relucentia.

Ad ſecundam verò reſpondet Caietanus quod D. Thom. ſupponebat hãc ſcientiam, vtpotè per ſe infuſam à Deo non habere dependentiam ab vſu phantaſmatum, ſed ſi illam haberet, eſſet ex partè ſubiecti; ideſt intellectus cuius eſt perfectio; & propterea voluit oſtendere, quod neque ex hoc capite talem dependentiã haberet propter conditionem, nimirùm ſtatus comprehenſoris eleuantis, & vindicantis intellectum ab illa naturali imperfectione, vt ſic exactè probatũ relinqueret huiuſmodi imperfectionẽ dependẽtiæ ab vſu phantaſmatum neutiquam, & ex nullo cap. ſciẽtiæ inditæ Chriſti cõuenire.

Secunda ratio eſt veluti à priori, quia eatenus aliqua ſciẽtia in ſuis actibus dependet ab vſu phantaſmatũ quatenus vtitur ſpeciebus abſtractis à ſenſibus, & habentibus ſimilitudinẽ cũ ſpeciebus ſenſuum: ſed ſpecies deſeruientes ſcientiæ infuſæ Chriſti ſunt omnino diuerſæ rationis ab illis, quas intellectus accipit à ſenſibus, vtpotè infuſæ immediatè à Deo: ergo.

Tertia procedit veluti à ſigno, &

à poſteriori: nam intellectus Chriſti poterat etiam in ſomno exercere actus huius ſcientię, quod eſt manifeſtum ſignum illā non indigere vſu phātaſmatum; quia ſomnus ſicut & amentia ligat potentias ſenſitiuas impeditque earum vſum: ergo.

Maior colligitur ex natura huiuſmodi ſcientię quę eſt ſupernaturalis, & per ſe indita: cuius proinde vſus haberi poteſt independenter à potētijs ſenſitiuis & earum actibus, vt docet D. Thom. 1. 2. quæſt. 113. art. 3. ad 2. dicens propterea poſſe Prophetas in ſomno illuminari à Deo, & vti lumine Prophetiæ iuxta illud Numerorum XII. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini per ſomnium, aut in viſione loquar ad eum.* Propterea etiā poſſe dono ſapientiæ, aut ſcientiæ illuminari; quia cū iſta perficiāt intellectum qui præcedit voluntatem, inde eſt quod abſque completo motu liberi arbitrij, & in dormiēdo poſſint intellectui infundi, iuxta illud Iobi 33. *Quando irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum, & erudiens eos inſtruit diſciplinam*: ſic Adamus in ſopore, & obdormiens agnouit futurū myſterium Incarnationis, in matrimonio ſui cum Eua de coſta eius educta obumbratum: ſic etiam Salomon accepit ſapientiam à Deo in ſomno, vt refertur tertij Regum 3. & ſecundi Paralipomenon 1.

41 Ad primum pro prima ſententia, neganda eſt maior pro ſecunda parte, conuerſio enim ad phantaſmata poteſt aliquando fieri pro libito, & non ex indigentia, aut neceſsitate, vt dictum eſt.

Ad ſecundum reſpondetur, quod nullum ſequitur ex illis inconuenientibus, non primum quia nos aſſeruimus, nō quidem in omni cognitione, ſed tantum in cognitione rerum ſenſibiliū potuiſſe ſciētiam infuſam Chriſti vti conuerſione ad phantaſmata.

Neque ſecundum, quia ante actualem cogitationem phantaſiæ res ſenſibiles non actualiter, ſed tantum aptitudinaliter in phantaſmatibus relucent, ad quam actualem cogitationem non ſemper applicabatur phantaſia ab intellectu Chriſti.

Neque tertium, quia de Deo non habetur proprium phantaſma ſicut neque de Angelo.

Ad fundamentum pro ſecunda ſententia reſpondetur, vel negando minorem ſi ly *vt*, ſumatur reduplicatiuè, neque enim hæc ſcientia eſt perfectio intellectus Chriſti vt viatoris, ſed vt intellectus eſt ſecundum ſe, & ſolitariè ſumpti, qui vt ſic abſtrahit à concomitantia vtriuſque ſtatus: vel diſtinguēdo minorem ex duobus modis: primo ſic: intellectus viatoris eſt aptus natus intelligere cum dependentia à phantaſmatibus puri viatoris, concedo: viatoris ſimul, & comprehenſoris nego. Secundo ſic ſi intellectus viatoris conſideretur ſecundum potentiam naturalem concedo, ſecundum obedientialem nego: & quia hæc ſcientia, vtpotè ſupernaturalis cum ſuis ſpeciebus actuat intellectum Chriſti ſecundum potentiam obedientialem, ideò intellectus ſic actuatus manet independens ab vſu phantaſmatum.

Dubium quartum eſt. An anima Chriſti in actibus huius ſcientiæ potuerit, ac debuerit vti diſcurſu?

IN hoc dubio tres verſantur ſentētiæ. Prima eſt Alexand. 3. p. q. 13. art. 5. & Durandi vbi ſupra aſſerentium modum operandi huius ſcientiæ eſſe eundem, qui eſt homini connaturalis, ac proinde neceſſario eſſe per modum compoſitionis, & diſcurſus; ſiue procedendo à notis ad ignota, & nondum actū conſiderata, vt vult Alexander, ſiue vt vult Durandus procedendo ab vno noto ad alterum notum idque probant dupliciter. Tū ex communi ſua exiſtimatione; quod hæc ſcientia ſit per accidens infuſa, & eiuſdem rationis cum acquiſitis, ac proinde perficiat intellectum Chriſti ſecundum connaturalem eius modum intelligendi qui eſt cum compoſitione, & diſcurſu. Tum etiā, ſubdit Durandus, quia neceſsitas diſcurrēdi oritur ex modo intelligendi per conuerſionem ad phantaſmata, & multiplicitate, ac ſucceſsione conceptuū: ſed anima Chriſti intelligit cum dependentia ab vſu phantaſmatum, & aliàs, neque vnico conceptu neque ſimul, ſed ſucceſsiuè obiecta huius ſcientiæ conſiderat: ergo ex cognitione vnius peruenit in cognitionem alterius, quod eſt diſcurrere.

Se-

Secunda eſt Suarij diſputatione 28. ſectione 2. & Vazquij diſputatione 52. capite 3. qui ſequuti Bonauenturam in 3. diſtinctione 14. artic. 3. quæſtione 2. ad vltimum, & Richardum artic. 4. quæſtione 3. aſſerunt actus huius ſcientiæ nõ poſſe admittere compoſitionem, aut diſcurſum, ſed neceſſario debere fieri per modum ſimplicis intelligentiæ.

Quam ſuadent tripliciter: primo arguit Vazquius ex Damaſceno lib. 2. de fide cap. 22. dicentis in Chriſto non fuiſſe conſultationem, quæ eſt diſcurſus practicus circa agenda, eo quod conſultatio importat ignorantiã illius de quo fit, eadẽque imperfectio militat in diſcurſu ſpeculatiuo: ergo.

Secundo, quia diſcurſus proprie importat ad minus duas cognitiones realiter diſtinctas, quarum vna non ſolũ ſit, poſt aliam vt falſo exiſtimauit Durandus, ſed etiam fiat, & deducatur ex alia: & quod obiectum vnius ſit per ſe notum, & obiectum alterius fiat notũ per aliud: neque enim ſufficit ad verum diſcurſum, ſi ex duobus obiectis per ſe notis cognitio vnius excitet intellectum ad cognitionem alterius: ſed Chriſtus, ſicut, & Angelus, plures res maximè habentes aliquam connexionem, vt naturam cum ſuis paſſionibus, & ſubiectum cum ſuis accidentibus cognoſcebat ſimplici conceptu: & illas res circa quas formabat plures conceptus, adhuc cognoſcebat vt per ſe notas medijs ſpeciebus quidditatiuè repræſentantibus eas in ſeipſis: ergo. Qua ratione, ait Vazquius ſe probaſſe 1. parte diſputat. 221. cap. 2. modum intelligẽdi Angelorum eſſe expertem diſcurſus.

Tertio arguit Suarius, quia proprius, & connaturalis modus intelligendi per hanc ſcientiam eſt per ſimplicem intuitum, ſeu cognitionem: huiuſmodi autem modus operandi per ſe; & ex natura ſua opponitur diſcurſui, & compoſitioni: ergo nunquam hæc ſciẽtia poteſt ab hoc modo operandi alienari, aut oppoſitum admittere.

Conſequentia patet, quia proptẽrea per habitum principiorum nequeunt cognoſci principia per diſcurſum, quoniã ille habitus intuetur ſuapte natura principia in ſeipſis ſimplici cognitione.

Pariter ponitur in illa diſcurſus poſsibilitas, ſed non neceſsitas.

Tertia ſententia, & veluti media aſſerit actus huius ſcientiæ eſſe quidem ſuapte natura per modum ſimplicis intelligentiæ, cognoſcendo ſcilicet prędicatum in ſubiecto, concluſionem in principio, effectum in cauſa, & è contra: nihilominus ex conditione ſubiecti potuiſſe hanc ſciẽtiam vti aliquando compoſitione ſiue diſcurſu. Hanc communiter docent diſcipuli D. Thom. circa art. 3. vt Caietanus, & Cabrera in expoſitione eiuſdem articuli, Lorca diſp. 51. memb. 2. & Nazarius in cõtrouerſ. vnica & Aluarez diſp. 64. quę quia eſt expręſſa D. Th. ibidem proinde à nobis ſtatuitur pro concluſione.

Et probatur primo, ratione qua ipſe vtitur in corpore articuli ſub hac forma: hæc ſcientia licèt quia indita à Deo non fuerit diſcurſiua, aut collatiua quantum ad ſui acquiſitionem, vtpotè cum nõ fuerit per inueſtigationem rationis acquiſita: fuit tamen diſcurſiua, vel collatiua, quantum ad vſum quatenus Chriſtus poterat pro libito vti illa concludendo vnũ ex alio, & inferendo effectum ex cauſa, qui proculdubio eſſet diſcurſus: illumq; de facto feciſſe, conſtat Matthęi 17. quando interrogans Petrum, à quibus Reges terræ tributum acciperent à filijs ſuis an ab alienis, Petro reſpondente, quod ab alienis concluſsit: *ergo liberi ſunt filij.*

Huic rationi dupliciter reſpondet Vazquius. Primo, quod Chriſtus vocetenus protulit hanc illationem non mẽte conceptam, ſicut Angelus ſi in corpore appareret ſimilem illationem poſſet proferre vt ſe in modo loquendi hominibus accommodaret, nec tamen eam mente conciperet aut formaret. Secundo quod Chriſtus expreſsit diſcurſum ſcientiæ acquiſitæ non infuſæ.

Sed neutra ſolutio enervat vim rationis factæ. Non prima quia talis ficta repræſentatio non congruebat apparitioni Verbi diuini in natura humana ſecũdum quam verus fuit homo, ac proinde vt verus homo debuit loqui ea verbis exprimendo, quę prius mente concepiſſet: poſſet autem congruere apparitioni Angeli in corpore, qui nec verum corpus humanum aſſumit, neque verus homo efficitur, neque vt talis tenetur in omnibus humanum modum loquendi ſeruare.

Neque ſecunda, quia prædictus diſcurſus non potuit eſſe ſcientiæ acquiſitæ naturalis, vtpotè cum fuerit de ſupernaturali obiecto, hoc eſt de filiatione naturali ipſius Chriſti, & adoptiua iuſtorũ, ex qua vt interprætatur D. Thom. in eo-

dem

dem loco, intulit ſe vt filium naturalē Dei, eſſe omnino liberum ab obligatione ſoluendi cenſum, & per conformitatem ad ipſum, qui eſt primogenitus in multis fratribus, reliquos iuſtos habentes filiationem adoptiuam pariter eſſe liberos à cenſu, nō quidem ſecundũ carnem, ſecundum quam etiam iuſti tenentur ſoluere tributa Principibus iuxta illud Pauli ad Roman. 8. *Reddite omnibus debita cui tributum tributũ*, &c. ſed ſecundum ſpiritum, ſecundum quē accipiunt adoptiuam filiationem, & ſpiritualem libertatem: fateor tamen potuiſſe eſſe hunc diſcurſum Theologicum, ideſt à Theologia acquiſita formatum, quæ circa veritates ſupernaturales in ſuis principijs reuelatas ſiue euidentes poteſt verſari, ſed cum pariter potuerit eſſe ſcientiæ infuſæ, & aliàs hæc fuerit in Chriſto perfectior non eſt cur prædictus diſcurſus ei denegetur, & ſcientiæ imperfectiori attribuatur talis enim attributio voluntaria eſt, & qua facilitate dicitur, eadem à nobis reijcitur. Vnde manet ratio Diu. Thom. inconcuſſa.

Secundo probatur, quia neceſsitas aut potentia diſcurrendi oritur ex neceſsitate ſiue potentia vtendi phantaſmatibus: vnde hæc duo quaſi conſequenter ſe habētia reſpectiue parificat D. Thom. in his duobus articulis: & pariter ea, aut negat, aut attribuit alicui intellectui coniuncto: ſed anima Chriſti poterat in actibus ſcientiæ inditæ conuerti ad phantaſmata, vt cōſtat ex dubio præcedenti: ergo etiam poterat vti diſcurſu ſi vellet quamuis eo non indiguerit.

Huic argumento reſpondet Suar. negando maiorem: eo quod conuerſio ad phantaſmata in ſcientia indita Chriſti ſolum dicit concomitātiam extrinſecam potentiæ inferioris motæ, & applicatæ à ſuperiori: diſcurſus autem importat intrinſecam imperfectionem actibus ipſius ſcientiæ quæ diſcurſu vtitur, ac proinde potuiſſe ſcientiam infuſam Chriſti abſque læſione ſuæ perfectionis vti phantaſmate, ſed non diſcurſu. Hæc tamen ſolutio eſt inſufficiens quia ſicut diſcurſus eſt intrinſecus actibus ſcientiæ diſcurrentis ita conuerſio ad phantaſmata eſt intrinſeca ſcientiæ mouenti, & applicanti potentiam ſenſitiuam ad actu cogitādum: hæc enim motio, & applicatio non poteſt nō fieri per aliquem actum proprium, & elicitum talis ſcientiæ.

Ac proinde, aut neutrum, aut vtrumque ponit intrinſecam imperfectionem in actibus ipſius ſcientiæ: & quando neutrum fit ex indigentia, ſeu neceſsitate, proculdubio neutrum ponit imperfectionem, quare neque ſcientiæ inditæ Chriſti eſt denegandum.

Ad primum pro prima ſententia, iam ſatis conſtat ſuppoſitionem illam eſſe falſam. Ad ſecundum diſtinguenda eſt minor, iuxta nuper dicta in ſecunda probatione concluſionis. *Ocurritur fundamētis aduerſariorum.*

Ad primum pro ſecunda ſententia reſpondet D. Thom. ſolut. ad 1. art. 3. explicando illud teſtimonium Damaſceni, & aliud ſimile ex lib. 3. cap. 14. dicens conſilium quod eſt cum dubitatione, excludi à Chriſto, ſecus verò illud quod eſt vſus cōſiliandi: ac ſi diceret: conſultatio quæ fit cum diſcurſu ordinato ad inquirendum de medio, vſque tunc ignorato, non eſt ponēda in Chriſto, bene tamen illa quæ fit, vel ex dono conſilij ſine diſcurſu, vel ex prudentia cum diſcurſu ordinato ad actu iudicādum de medio, de quo antea intellectus actu non iudicabat. Sic etiam diſcurſum ſpeculatiuum ordinatum ad ſcientiẽ acquiſitionem, & ignorantiæ remotionem negat D. Thom. ſcientiæ infuſæ Chriſti, non verò illum qui ex ſcientia iam conſumata procedit, deducendo ex vna veritate actu conſiderata, & cogitata aliam habitualiter quidem iam ſcitam, ſed de nouo conſiderādam actu & cogitandam.

Ad ſecundum reſpondetur, quod cum non omnia obiecta ſcientiæ infuſæ ſint Chriſto pariter nota, & euidentia: ex effectibus enim creatis quidditatiuè, & intuitiuè cognitis cognoſcit abſtractiuè, & à poſteriori Deum quoad prędicata eſſentialia: nec non ex teſtimonio Dei reuelantis euidenter & quidditatiuè ſibi noto, cognouit myſterium Trinitatis quoad an eſt, & futura contingentia quidditatiuè, licèt abſtractiuè, vt docuimus dubio 2. & fatetur idem Suarius diſputatione 27. ſectione ſecunda, & quinta: ac proinde non eſt cur ex effectibus ſic præcognitis, non poſsit deducere actualem conſiderationem alicuius prædicati eſſentialis Dei putà omnipotentiæ, vel miſericordiæ. Neque eſt cur ex teſtimonio Dei ſic præcognito non poſsit liberè deducere actualem conſideratione Trinitatis quoad an eſt, aut quidditatiuã alicuius futuri euentus cognitionem in ſe-

ipſo

ipſo ſiquidem hæc deductio in libera eſt Chriſti poteſtate ob naturalem conditionem humani intellectus, quamuis ad eam ex neceſſitate non teneatur. Iuxta quam diſtinctionem neganda eſt minor argumenti pro ſecunda parte.

Ad tertium neganda eſt conſequentia, quia ſæpe contingit aliquam potentiam ſiue habitum à modo ſibi naturali operandi pro aliquo ſtatu alienari: ſic enim anima coniuncta, cuius naturalis modus intelligendi eſt cum vſu phantaſmatũ, & cum diſcurſu, in ſtatu beatitudinis etiam in corpore reaſumpto poteſt vtrunque ſubterfugere, etiam in actibus ſcientiarum, & ſpecierum acquiſitarum, vt docet Diuus Thomas in 3. diſtinctione 31. quæſtione 2. art. 4. & in 4. diſtinct. 50. q. 1. art. 2. ad 1. neque oppoſitum habet hic ad primum dum ait, connaturale eſſe animabus beatorum vti collatione, & diſcurſu non autem Angelis: quia loquitur de connaturalitate non quoad neceſſitatem, ſed quoad permiſsionem, & poſsibilitatem. Sic etiã de Angelis qui ſuapte natura habent modum intelligendi ſimplici intuitu fatentur aduerſarij poſſe vti quandoque compoſitione & diſcurſu. Molina enim 1. p. quæſtione 58. fatetur illos poſſe, ac debere vti compoſitione, & diſcurſu quoties prædicatum & ſubiectum: ſiue effectus, & cauſa nequeunt ab eis eadem noritia comprehendi: Vazquius verò ibidem diſputatione 223. cap. 1. & 2. & Suarius lib. 2 de Angelis cap. 33. fatetur illos poſſe, ac debere componere quoties prædicatum, & ſubiectum ſunt adeo diuerſa, vt nequeant eadẽ ſpecie repræſentari. Haud diſsimiliter ſciẽtia infuſa poterit intelligere cum diſcurſu, & compoſitione ex conditione ſubiecti, ſcilicet intellectus humani coniuncti, licèt de ſe habeat naturalem modum intelligendum ſimplici intuitu. Neque eſt ſimile de habitu primorum principiorum, qui nec ratione ſui, nec ratione ſubiecti, aut obiecti eſt aptus natus diſcurrere, non ratione ſui, quia eſt ſimplex intelligentia principiorum: vnde & appellari ſolet intellectꝰ primorum principiorum; nec ratione ſubiecti, quia humanus intellectus circa prima principia non eſt diſcurſiuus ad inſtar Angelici, vt ſic verificetur axioma Dionyſij, quod ſupremum infimi, idẽſt humani intellectus attingit infimum ſupremi, ideſt Angelici: neque ratione obiecti quod eſt veritas primorum principiorum quæ tantum vt per ſe nota, & non vt nota per aliud cadit ſub huiuſmodi habitus attingẽtia.

ART. IV.

Vtrùm hæc ſcientia in Chriſto fuerit maior ſcientia Angelorum?

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod huiuſmodi ſcientia in Chriſto fuerit minor, quam in Angelis. Perfectio enim proportionatur perfectibili. Sed anima humana ſecundum ordinem naturæ eſt infra naturam Angelicam. Cum igitur ſcientia, de qua nũc loquimur, ſit indita animæ Chriſti ad perfectionem ipſius; videtur quod huiuſmodi ſcientia fuerit infra ſcientiam, qua perficitur natura Angelica. *ſup. q. 10. a. 4. & inf. a. 6. ad 1. & q. 34. a. 4. c. & q. 59. a. 6. c. et 3. diſ. 14. a. 1. q. 2. ad 1. et a. 2 q. 2. c. et a. 3. q. 2. c. et ve. ri. q. 20. a. 3. c. et a. 4. c. et 6. c. et op. 3. cap. 123.*

2 Præterea, ſcientia animæ Chriſti fuit aliquo modo collatiua, & diſcurſiua: quod non poteſt dici de ſcientia Angelica. Ergo ſcientia animę Chriſti fuit inferior ſcientia Angelorum.

3 Præterea, quanto aliqua ſcientia eſt magis immaterialis, tanto eſt potior. Sed ſcientia Angelorum eſt immaterialior, quã ſcientia animæ Chriſti: quia anima Chriſti eſt actus corporis, & habet conuerſionem ad phantaſmata: quod de angelis dici non poteſt. Ergo ſcientia angelorum eſt potior, quã ſciẽtia animæ Chriſti.

Sed contra eſt, quod Apoſtol. dicit Hebr. 2. Eum autem, qui modico quam Angeli minoratus eſt, videmus Ieſum propter Paſsionem mortis, gloria & honore coronatũ. Ex quo apparet, quod propter ſolam

lam paſsionem mortis dicatur Chriſtus ab Angelis minoratus. Non ergo propter ſcientiam.

Reſpondeo dicendum, quod ſcientia indita animæ Chriſti poteſt dupliciter conſiderari. Vno modo ſecundum illud, quod habuit â cauſa influente: alio modo ſecundũ id, quod habuit ex ſubiecto recipiente. Quantum igitur ad primum, ſcientia indita animæ Chriſti fuit multo excellentior, quâm Angelorum ſcientia, & quantum ad multitudinem cognitorum, & quantum ad ſcientiæ certitudinem: quia lumẽ ſpiritualis gratiæ, quod eſt inditum animæ Chriſti, eſt multo excellentius, quam lumen, quod pertinet ad naturam Angelicam. Quantum autem ad ſecundum, ſcientia indita animæ Chriſti eſt infra ſcientiam Angelicam, ſcilicet quantum ad modum cognoſcendi, qui eſt naturalis animę humanæ, qui ſcilicet eſt per conuerſionem ad phantaſmata, & per collationem & diſcurſum. Et per hoc patet reſponſio ad obiecta.

4 CONCLVSIO eſt, hanc ſcientiam ex parte principij influentis, ac proinde ſimpliciter fuiſſe maiorem ſcientia Angelorum, quia plura & clarius cognouit; minorem vero ſecundum modum conuenientem ei ex parte ſubiecti, ac proinde ſecundum quid: quia Chriſtus vti potuit hac ſcientia per conuerſionem ad phantaſmata, & per diſcurſum, ſecus vero Angeli.

ART. V.

Vtrùm hæc ſcientia fuerit habitualis?

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quôd in Chriſto non fuerit habitualis ſcientia. Dictum eſt * enim, quod animam Chriſti decuit maxima perfectio ſcientiæ. Sed maior eſt perfectio ſcientiæ exiſtentis in actu, quâm exiſtentis in potentia vel habitu. Ergo conueniens fuiſſe videtur, quôd omnia ſciret in actu. Non ergo habuit habitualem ſcientiam. 3.d.14. 1.q.2.& 3. & ver. q.20.a.2. *q.9.a.1

2 Præterea, Cum habitus ordinetur ad actum, fruſtra videtur eſſe habitualis ſcientia, quæ numquam in actũ reducitur. Cum autem Chriſtus ſciuerit omnia, (ſicut iam dictũ eſt *) non potuiſſet actu omnia illa cõſiderare, vnum poſt aliud cogitando: quia infinita non eſt enumerãdo pertrãſire. Fruſtra igitur fuiſſet in eo quorundam ſcientia habitualis: quod eſt inconueniens. Habuit ergo actualem ſcientiam omnium quæ ſciuit, & nõ habitualem. q.10.a.2.

3 Præterea, ſcientia habitualis eſt quædam perfectio ſcientis. Perfectio autem eſt nobilior perfectibili. Si igitur in anima Chriſti fuiſſet aliquis habitus ſcientiæ creatus, ſequeretur quod aliquid creatũ eſſet nobilius, quã anima Chriſti. Non igitur in anima Chriſti fuit ſciẽtia habitualis.

Sed contra, ſcientia Chriſti, de qua nunc loquimur, vniuoca fuit ſcientiæ noſtræ: ſicut & anima eius fuit vnius ſpeciei cum anima noſtra. Sed ſcientia noſtra eſt in genere habitus. Ergo & ſcientia Chri-

Chriſti fuit habitualis.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt *, modus huius ſcientiæ inditæ animæ Chriſti fuit conueniens ipſi ſubiecto recipienti: nam receptum eſt in recipiente per modum recipientis. Eſt autem hic modus connaturalis animæ humanę, vt quandoque ſit intelligens actu, quandoque in potentia: medium autem inter puram potentiam, & actum completum, eſt habitus: eiuſdem autem generis ſunt medium, & extrema. Et ſic patet quod modus cõnaturalis animæ humanæ eſt, vt recipiat ſcientiam per modum habitus. Et ideò dicendum eſt, quod ſcientia indita animæ Chriſti fuit habitualis, & poterat ea vti quando volebat.

art. præc.

Ad primum ergo dicendum, quod in anima Chriſti fuit duplex cognitio, & vtraque ſuo modo perfectiſsima. Vna quidem excedens modum naturæ humanæ: quia ſcilicet vidit Dei eſſentiam, & alia in ipſa; & hæc fuit perfectiſsima ſimpliciter, & talis cognitio non fuit habitualis, ſed actualis reſpectu omnium, quæ hoc modo cognouit. Alia autem cognitio fuit in Chriſto ſecundum modum proportionatum humanæ naturæ: prout ſcilicet cognouit res per ſpecies ſibi diuinitus inditas, de qua cognitione nunc loquimur. Et hæc cognitio non fuit ſimpliciter perfectiſsima: ſed perfectiſsima in genere humanæ cognitionis: vndê non oportuit, quod eſſet ſemper in actu.

Ad ſecundum dicendum, quod habitus reducitur in actum ad imperium voluntatis: nam habitus eſt, quo quis agit cum voluerit. Voluntas autem indeterminatè ſe habet ad infinita. Nec tamen hoc eſt fruſtra, licet non in omnia actualiter tendat, dummodo tendat actualiter in id, quod conuenit loco, & tempori. Et ideo etiam habitus non eſt fruſtra: licet non omnia reducantur in actum, quæ habitui ſubiacent: dũmodo reducatur in actum id, quod congruit ad debitum finem voluntatis ſecundum exigentiam negotiorum & temporis.

Ad tertium dicendum, quôd bonum, ſicut & ens, dupliciter dicitur. Vno modo ſimpliciter, & ſic bonum & ens dicitur ſubſtantia, quæ in ſuo eſſe, & in ſua bonitate ſubſiſtit. Alio modo dicitur ens & bonum ſecundum quid: & hoc modo dicitur ens, & bonum accidens: non quia ipſum habeat eſſe, & bonitatem, ſed quia eius ſubiectum eſt ens, & bonum. Sic igitur ſcientia habitualis non eſt ſimpliciter melior, aut dignior, quâm anima Chriſti, ſed ſecundum quid: cum tota bonitas habitualis ſcientiæ cedat in bonitatem ſubiecti.

ART. VI.

Vtrùm hæc ſcientia fuerit diſtincta per diuerſos habitus?

AD ſextum ſic proceditur. Videtur, quod in anima Chriſti nõ fuerit niſi vnus habitus ſcientiæ. Quanto enim ſciẽtia eſt perfectior, tanto eſt magis vnita: vndè & Angeli ſuperiores per formas magis vniuerſales cognoſcunt, vt in prima parte dictum eſt *. Sed ſcientia Chriſti fuit perfectiſsima: ergo fuit maximè vna. Non ergo fuit diſtincta per plures habitus.

3. d. 14. a. 3. q. 3.

p. p. q. 55 art. 3.

2 Præ-

2 Præterea, Fides noſtra deriuatur â ſcientia Chriſti: vndê dicitur Hebr, 12. Aſpicientes in auctorem fidei & conſummatorem Ieſum. Sed vnus eſt habitus fidei de omnibus credibilibus: vt in ſecunda parte dictum eſt*. Ergo multo magis in Chriſto non fuit niſi vnus habitus ſcientiæ.

2. 2. q. 4. art. 6.

3 Præterea, ſcientiæ diſtinguuntur ſecundum diuerſas rationes ſcibilium. Sed anima Chriſti omnia ſciuit ſecūdum vnam rationem, ſcilicet ſecundum lumen diuinitus infuſum. Ergo in Chriſto fuit tantū vnus habitus ſcientiæ.

Sed contra eſt, quod Zachariç 3. dicitur quod ſuper lapidem vnum ideſt Chriſtum, ſunt ſeptem oculi. Per oculum autem ſcientia intelligitur. Ergo videtur, quod in Chriſto fuerint plures habitus ſcientiæ.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut dictum eſt*, Scientia indita animæ Chriſti habuit modum connaturalem animæ humanæ. Eſt autem connaturale animæ humanæ, vt recipiat ſpecies in minori vniuerſalitate, quam Angeli, ita ſcilicet quod diuerſas naturas ſpecificas per diuerſas ſpecies intelligibiles cognoſcat. Ex hoc autem contingit quod in nobis ſint diuerſi habitus ſcientiarum, quia ſunt diuerſa ſcibilium genera: in quantum ſcilicet, ea quę reducuntur in vnum genus, eodem habitu ſcientiæ cognoſcuntur, ſicut dicitur in primo Poſter. † quod vna ſcientia eſt, quæ eſt vnius generis ſubiecti. Et ideô ſcientia indita animæ Chriſti, fuit diſtincta ſecundum diuerſos habitus.

a. 4. hu. q.

te. 43. t. 4

Ad primum ergo dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt*, ſcientia animæ Chriſti eſt perfectiſsima, & excedens Angelorum ſcientiam, quantum ad id, quod conſideratur in ea ex parte Dei influentis: eſt tamen infra ſcientiam Angelicam, quantum ad modum recipientis. Et ad huiuſmodi modum pertinet, quod ſciētia illa per multos habitus diſtinguatur, quaſi per ſpecies magis particulares exiſtens.

a. 4. hu. q.

Ad ſecundum dicendum, quod fides noſtra innititur primæ veritati: & ideô Chriſtus eſt Auctor Fidei noſtræ ſecundum diuinam ſcientiam, quæ eſt ſimpliciter vna.

Ad tertium dicendum, quod lumen diuinitus infuſum, eſt communis ratio intelligendi ea, quæ diuinitus reuelantur: ſicut & lumen intellectus agentis eorum, quę naturaliter cognoſcuntur. Et ideô oportuit eſſe in anima Chriſti proprias ſpecies ſingularum rerum, ad cognoſcendum cognitione propria vnumquodque. Et ſecundum hoc oportuit eſſe diuerſos habitus ſcientiæ in anima Chriſti: vt dictum eſt*. *in corp. a.*

CONCLVSIO vtriuſque articuli eſt affirmans, nimirùm ſcientiam hanc fuiſſe habitualē atque per diuerſos habitus diſtinctam. Per diuerſos autem habitus intelligit D. Thom: varias ſpecies intelligibiles inditas animæ Chriſti.

Poſtquam Diu. Thom. in tribus prioribus articulis explicuit excelentiam huius ſcientiæ ex parte actûs, nunc in tribus poſterioribus eandem proſequitur ex parte habitus. Circa cuius concluſiones, tria à Theologis controuerti ſolent; nimirùm an hæc ſcientia fuerit perfectior, quá ſcientia indita Angelorum de eiſdem obiectis? Et an fuerit habitus ab ſpeciebus intelligibilibus diſtinctus, ac tandem an ſimplex, vel compoſita qualitas fuerit nec nec? Quæ proinde à nobis eodem ordine ſingulis dubijs examinanda ſunt.

(;)

Di-

Dubium primum eſt: An ſcientia infuſa Chriſti fuerit perfectior ex parte modi, luminis, & ſpecierum, quam ſcientia indita Angelorum?

Expenditur ſenſus & ſtatus quæſtionis.

45 IN hoc dubio comparatio fit, quoad triplicem perfectionem ſcilicet luminis, ſpeciei, ac modi claritatis, quia ex hoc triplici capite poteſt eſſe exceſſus inter virtutes intellectuales, & exceſſus ſecundum vnam perfectionem poteſt inueniri ſine exceſſu ſecundum aliam, & è contra: vt aſſenſus fidei diuinæ excedit ex parte luminis, vtpotè ſupernaturalis, aſſenſum ſcientiæ naturalis, à quo tamen exceditur in mōdo claritatis, & euidentiæ, & aſſenſus metaphyſicæ excedit ex parte luminis aſſenſum phyloſophiæ; ſed non ex parte ſpecierum, quia æedem pecies poſſunt vtrique deſeruire. Igitur ſecundum hanc triplicem comparationem tres verſantur ſententię. Prima eſt Scoti in 3. diſtinctio. 14. quæſtio. 3. & 4. Bonauentur. artic. 1. quæſt. 1. & aliorum exiſtimantium, hanc ſcientiam eſſe per accidens infuſam, & eiuſdem rationis cum acquiſita, qui dicunt illam eſſe imperfectiorem ſimpliciter, hoc eſt ex parte luminis, & claritatis notitię: perfectiorem, vero ſecundum quid hoc eſt ex parte ſpecierum: quod probat Scotus dupliciter. Tum quia conueniens fuit Chriſtum habuiſſe perfectiſsimam ſcientiam ex aliquo capite ſicut habuit perfectiſsimam gratiam, vt probauerat idem Scotus diſtinctio. 13. ſed non potuit eſſe hæc ſcientia perfectiſsima ex parte habitus, vtpotè cum ſit eiuſdem rationis cum ſcientia acquiſita. neque ex parte intellectus, qui eſt imperfectior Angelico; neque ex parte notitiæ quæ perfectioni luminis, & intellectus debet commenſurari: ergo ex parte ſpecierū. Neque valet ſolutio Caietani in art. 6, quod gratia non eſt ſemen, aut radix ſcientiæ ſicut gloriæ, cui proindè debeat cōmmenſurari perfectio ſcientiæ ſicut gloriæ: nam Scotus non infert perfectiorem ſcientiam ex perfectiori gratia vt fructum ex ſua radice; ſed arguit à proportione quia in omnibus donis ſupernaturalibus gratiæ, & ſcientiæ debuit ſuperare Angelos, & ratio exigens in illo maximam gratiam, pariter exigebat maximam ſcientiam ſaltem ex parte ſpecierum, quæ proinde debuerūt eſſe perfectiſsimæ, in ordine etiam ad potentiam Dei abſolutam. Tum etiam, quia notitia rerum abſtractiua in Chriſto nō fuit quidditatiua benè tamen in Angelis: intuitiua vero fiebat immediatè ex obiecto extrinſeco; & intellectu ſine ſpecie intermedia, intellectus autem Chriſti imperfectior eſt, quam Angelicus: ergo vtraque notitia in Chriſto fuit imperfectior, quam in Angelis.

46 Secunda ſententia eſt Vazquij diſput. 52. cap. 4. & diſput. 54. cap. 4. & Suarij diſput. 29. ſect. 1. aſſerentium, cum Ricardo in 3. diſt. 14. art. 4. hanc ſcientiam eſſe nobiliorem in Chriſto, quam in Angelis ex parte luminis, clariratis & ex parte ſpecierum quia vniuerſaliores fuerunt, quam in Angelis. Ex quo proinde inferunt illam eſſe nobiliorem ſimpliciter, & abſolutè: quamuis diuerſimodè, nam Vazquius exiſtimans hanc ſcientiam in ſolis ſpeciebus, ſine aliquo habitu ſuperaddito conſiſtere: dum ait ſpecies fuiſſe perfectiores, & vniuerſaliores conſequenter infert hanc ſcietiam eſſe ſimpliciter ex parte ſpecierum, & luminis perfectiorem: atque etiam ex parte claritatis, & certitudinis, vtriuſque notitiæ tam intuitiuæ, quam abſtractiuæ, quia vtraque fit ex intellectu, & ſpecie eleuante, cui proinde debet commenſurari, Suarius vero diſtinguens lumen habitus ab ipſis ſpeciebus: ait proportionabiliter vtrumque graduari ſecundum perfectionem, & notitiam cum vtroque, vtpotè quæ à lumine, & ſpecie procedit, ac per conſequens debet ei commenſurari. *I*d autem in quo conueniunt de maiori vniuerſalitate ſpecierum ſuadent, tripliciter. Vazquius quidem, ex eò quòd Chriſto non eſt denegandum id quod maioris perfectionis eſt, habere autem ſpecies pauciores, & vniuerſaliores maioris perfectionis eſt: ergo. Suarius vero arguit, tum ex authoritate Diu. Thom. in 3. diſtin. 14. articul. 3. quæſtiun. 4. vbi tenuit hanc ſententiam dicens: quod

Ee quanto

quanto limpidius videt intellectus, tanto ex paucioribus poteſt cognoſcere plura; vnde cum anima Chriſti habuerit limpidiſsimam cognitionem inter omnes creaturas, ſcientia eius fuit magis vnita, & per formas magis vniuerſales, quam aliqua ſcientia creaturæ: ergo. Tum etiā quia alias Chriſtus vtens hac ſcientia modo connaturali, nō poſſet tam multa ſimul intelligere, ſicut Angelus, quia ſolū ea poteſt ſimul intelligere, quæ vnica ſpecie repreſentantur, ſecundum doctrinam eiuſdem Diu. Thom. ergo.

Tertia ſententia aſſerit hanc ſcientiam eſſe perfectiorem ſimpliciter, & abſolute ſcientia Angelorum, hoc eſt ex parte modi claritatis, luminis, & ſpecierum, non quia vniuerſaliores, ſed quia efficatiores, & ſuperioris, ſcilicet ſupernaturalis ordinis fuerint: tamen ſecundum quid, hoc eſt ex conditione ſubiecti fuiſſe imperfectiorem: hanc communiter tuentur diſcipuli D. Thom. cum ſuo authore vt Caietan. & Medina in art. 4. Cabrera in artic. 4. & diſput. 1. & 5. art. 6. Lorca diſput. 5 1. membro 1. Nazarius controuerſia vnica, & in artic. 6. controuerſi. 1. & Aluarez diſputatione. 65. & ideo pro eius declaratione.

Ex parte luminis, & ſpecierum ſcientia indita Chriſti excedit inditam Angelorum.

47 Dico primo hæc ſcientia ex parte luminis, & claritatis notitiæ ſuperat ſcientiā inditam Angelorum. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus authores primæ ſententiæ, & probatur primo, quia fuit lumē per ſe infuſum, & ſupernaturale, vt conſtat ex ſuperius dictis: acproinde fuit ordinis ſuperioris quam ſcientia Angelorum, quæ eſt per accidens indita, & per ſe eſt connaturalis intellectui Angelico: ergo eſt perfectior illa.

Secundo quia vtraque notitia, tam intuitiua, quam abſtractiua eſt perfectior in Chriſto, quam in Angelis: ergo à lumine perfectiori proueniens. Conſequentia patet, quia intellectus inferior, cum æquali lumine, aut minus perfecto nequit elicere notitiam perfectiorem, hac enim ratione oſtendimus ſupra contra Caietanum, quod intellectus inferior cum lumine æquali gloriæ, quod eſt ratio totalis proxima agendi, nequit viſionem perfectiorem elicere: ergo cum intellectus Chriſti ſit inferior Angelico non poſſet elicere notitiam perfectiorem cum lumine ſcientiæ infuſæ æquali, vel minus perfecto. antecedens autem probatur, quia vtraque notitia reſpectiuè eſt clarior, & certior: abſtractiua quidem, quia non efficitur a ſolo intellectu; ſed ab intellectu medio lumine, & ſpecie eleuante, quibus proinde commenſuratur, a lumineque habet claritatem, & certitudinem, & ab ſpecie expræſsiorem, & altiorem repræſentationem: & eadem ratio eſt de intuitiua, vtpotè quæ nequit fieri immediatè ab intellectu, & obiecto extrinſeco; niſi media ſpecie: nam vt arguit Caietanus contra Scotum, obiectum extrinſecum ob defectum indiſtantiæ, & quando eſt futurum ob deffectum exiſtentiæ, nequit coniungi cum intellectu ad productionem notitiæ: quia quod eſt extra intellectum non poteſt producere notitiam intra intellectum, & quod non exiſtit, nequit effectiuè operari: ergo.

Dico ſecundo hæc ſcientia Chriſti ſuperat ſcientiam inditam Angelorum ex parte ſpecierum, acproinde ſimpliciter, non quia ſpecies ſint vniuerſaliores; ſed quia efficatiores, & altiores: ſuperatur tamen ab illa ſecundum quid, ex conditione ſubiecti recipientis. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus authores 2. ſententiæ, & pro 1. part. probatur primo ratione qua vtitur Diu. Thom. in hoc artic. 6. nimirum, quia ſpecies inditæ Chriſto habent modum connaturalem intellectus humani, non adhuc ſenſum, quod ſint illi connaturales, & eum perficiant ſecundum potentiam naturalem, vt falſo interpratatur Suarius; ſed adhuc, quod huiuſmodi ſpecies licet in ſe ſint ſupernaturales, & ordinis gratiæ, vt idem Diu. Thom. in articul. 4 docuerat dicens ſcientiam inditam animæ Chriſti ſecundum omne illud, quod habuit à Deo influente eſſe multo excellentiorem, quam ſcientia Angelorum, & quantum ad multitudinem cognitorum, & quantum ad certitudinem ipſius ſcientiæ, quæ eſt lumē ſpiritualis gratiæ, ſpecies autem lumini debent proportionari: nihilominus proportionantur intellectui recipienti imitando modum, illius quantum ad hoc, quod ſicut humanus intellectus eſt aptus natus cognoſcere, per ſpecies minus vniuerſales, quam ſunt Angelicæ, hoc eſt ſingulas naturas ſpecificas ſingulis ſpeciebus: ita & ſpecies huius ſcientiæ datæ ſunt ſingulæ ad ſingulas naturas ſpecificas repræſentandas: quia tamen ſunt ordinis ſupernaturalis, ſicut & lumen ſcientiæ,

cuj

cui commenſurantur, ideò ſunt expreſsioris, & efficacioris repreſentationis, quam Angelicæ: ergo ſunt perfectiores illis, licet minus vniuerſales.

Secundo probatur ad hominem contra aduerſarios: nam alias vna tantũ ſpecies eſſe in Chriſto repreſentatiua omnium obiectorum huius ſcientiæ, vt fatetur Marſilius in 3. quæſt. 10. art. 2. part. 4. concluſio. 2. Cuius tamen ſententiã, vt nouam, & ſingularem reijciunt: ergo. Sequela patet, quia fundamentum cui innituntur, vt recedant à ſententia D. Thom eſt quia quanto ſpecies eſt vniuerſalior, tanto magis decet dignitatem Chriſti; ſed ſpecies omnium creaturarum repreſentatiua eſſet vniuerſaliſsima. Et aliàs argumentum Marſilij ſuadet illam non eſſe impoſsibilem, vt eo conuictus idem Suarius fatetur: nimirum quia data quacumque ſpecie vniuerſali poteſt Deus producere aliam vniuerſaliorem, & plurium rerum repræſentatiuã, quovſque perueniatur ad ſpeciem omniũ rerum repræſeneatiuam: ergo vel non deberent recedere à ſententia D. Thom. vel tenentur ex hoc fundamento, non reijcere ſententiam Marſilij. Et ex his colligitur ſecunda pars concluſionis, quod hæc ſcientia ſuperet ſimpliciter, & abſolutè ſcientiam Angelorum, quia ſuperat illam ex parte luminis, ſpecierum, & modi cognoſcẽdi. Deinde 2. pars probatur à D. Thoma in eodem art. 4. & in 3. diſtinct. citata, art. 3. quæſtiunc. 2. quoniam Chriſtus cognoſcebat obiecta huius ſcientiæ intellectu poſsibili cuius obiectum relucet in phãtaſmate: acproinde cognoſcebat illa cum continuitate temporis, & inſuper contemplando ea in phantaſmatibus quoties illis vti volebat: à quibus imperfectionibus liber eſt modus cognoſcendi Angelorum: ergo.

48 Ad primũ pro prima ſententia, reſpõde. illo tantũ cõuinci, quod nos nõ negamus: nimirum hanc ſcientiam Chriſti ſuperare ſimpliciter ſcientiam Angelorum, & maxime ex parte ſpecierum: non quia ſint perfectiſsimæ, quibus Deus alias perfectiores de potentia abſoluta, non poſsit producere, vt perperam intendit Scotus, quia nec ſic gratia habitualis Chriſti fuit perfectiſsima: ſed quoniam ſunt ordinis altioris, & perfectioris, quam ſpecies Angelicæ, vt dictum eſt. Ad ſecundum patet ex prima concluſione.

Ad primũ pro ſecũda ſententia negãda eſt maior, neque enim eſt ponẽdũ in Chriſto ſemper id quod eſt maioris perfectionis alioquim vnica tantũ ſpecies pro ſcientia indita eſſet in illo, quod tamen negant aduerſarij; ſed id quod eſt conuenictius eius dignitati, & modo operandi naturæ humanæ, cuius veritatem oſtẽdere voluit: huic autem congruebant ſpecies minus vniuerſales. Ad ſecundum patet D. Thom. correxiſſe illam priorem ſententiam in hoc art. 6. Ad ſecundum negãda eſt ſequella, quia vt conſtat ex dubio 2. præcedentium articulorum in ſolutione ſecundæ difficultatis intellectui Chriſti in vſu huius ſcientię connaturalis, & debitus erat concurſus diuinus, quo poſſet plura conſiderare vtendo pluribus ac diuerſis ſpeciebus: quoties vellet, qui tamen non eſt debitus, nec connaturalis ſcientiæ inditę Angelorum.

Dubium ſecundum eſt: An hæc ſcientia ſit habitus realiter diſtinctus ab ſpeciebus impreſsis.

IN hoc dubio tres verſantur ſententiæ prima tenens illam conſiſtere formaliter in ipſis ſpeciebus eſt Vazquij hic diſputat. 54. capit. 2. & Valentiæ punto 1. eamque vt probabilem iuxta mentem D. Thom. ſuſtinet Medina in expoſitione, art. 5. & 6. & ſuadetur, tripliciter.

Primo quia, poſtquam D. Thom. in articul. 5. docuerat hanc ſcientiam eſſe habitualem, in art. 6. ſubdit illam diſtingui in plures habitus, ideſt ſpecies intelligibiles quaſi ex his integratam, & in 3. diſtinctio. 14. articul. 3. quæſtiuncul. 1. ait eſſe vnum habitum ex multis ſpeciebus conflatum, & quæſt. 20. de veritate, art. 2. concludit collectionei pſam ſpecierum: ergo D. Thom. non diſtinguit huiuſmodi ſcientiam ab ſpeciebus.

Secundo arguit Vazquius ex axiomate, quo vſus fuerat, 1. part. diſputatione 43. capitul. 7. ad probandum ſufficere ad viſionem beatam intellectum beati cum ſolo lumine, vel cum ſola ſpe-

cie, & quod confirmauerat, 1. 2. diſputat.
34. cap. 3. nimirum, quando ad omnem ra
tionem repertam in effectu ſufficit ali-
quod vnum principium, nequit ei fieri ad-
ditio alterius noui ad influendum in ta-
lem effectum requiſiti; ſed ad omnem ra-
tionem repertam in actu ſcientiæ inditæ
ſufficit intellectus Chriſti cum ſolis ſpe-
ciebus: ergo. Minor patet, quia tãtũ repe-
ritur in illo ratio generica cognitionis, &
ſpecifica talis cognitionis. Ad primam ſuf-
ficit intellectiua potentia à qua omnis e-
ius actus habet, quod ſi cognitio. Ad
ſecundam ſufficit ſpecies propriam aqua
cognitio fit determinata potius huius, quã
illius obiecti: ergo.

Tertio nam ſi vltra ſpecies exigere-
tur habitus eſſet vel ad facile, & promptè,
vel ad ſimpliciter operandam cognitio-
nem talis obiecti; ſed neque exigitur ad
primum, quia ſpeciès impreſſæ poſſunt
præſtare hunc modum operandi faciliter,
& connaturaliter: faciliter quidem, quia
obiecta repreſentant clarè, & quidditati-
uè: ac proinde ſine difficultate: connatura
liter vero, quia ſunt permanenter in Chri-
ſti intellectu. Neque ad ſecundum quia in
tellectus intelligens res ſine compoſitio-
ne, & diuiſione, ſimplici intuitu eas apre-
hendit, & iudicat; maximè quando cog-
cit illas clarè, & quidditatiuè prout ſunt
in ſe ipſis, ſicut contingit in Angelis, &
idem dicendum eſt de intellectu Chriſti
in actibus huius ſcientiæ: ergo ſolis ſpecie
bus diſponitur ad ſimpliciter aprehenden-
dum, & iudicandum.

Secunda ſenentia eſt Marſilij in 3. quæ
ſtio. 10. art. 2. part. 2. concluſio. 4. & Sua-
rij diſputatio. 29. ſect. 4. aſſerentium hanc
ſcientiam eſſe habitum diſtinctum ab ſpe-
ciebus, ſed minimè diſtinctũ à lumine glo
riæ, quorum fundamentum eſt, quia idem
lumen ſufficit ad cognoſcendas res in ver-
bo, & in ſe ipſis: ergo ex eodem lumine glo
riæ, ex quo primariè oritur cognitio ma-
tutina, qua creaturę cognoſcuntur in Ver
bo poteſt ſecundario oriri cognitio veſ-
pertina earundem creaturarum in proprio
generè, ſeu in ſe ipſis, quæ eſt actus ſcien-
tię infuſæ. Antecedẽs probat Suarius, quia
virtus attingens obiectum quod eſt tale
per eſſentiam poteſt eius participationes
attingere, vt patet inductione in potentia
viſiua, quæ lucem, & colores lucidos per
participationem attingit, & in charitate,
quæ ad diligendum bonum per eſſentiam
in Deo, per participationem in proximis
extenditur: ergo pariter idem lumen glo-
riæ erit cognoſcitiuum diuinæ eſſentiæ, &
creaturarum in ſe ipſis.

49 Tertia ſententia aſſerens hãc ſcientiã
eſſe habitum diſtinctum ab ſpeciebus, &
à lumine gloriæ eſt Ricardi in 3. diſt. 14.
art. 3. quæſt. 4. Capreoli ibidem. Bonau.
ibidem quæſt. 1. art. 1. Caiet. in art. 6. circa
ſolutionem tertij, & 1. 2. quæſt. 54. artic.
4. §. *quoad quartum*, Bergomenſis in con-
cordantijs locorum D. Thom. dubit. 216.
& Nazar. in hoc art. 6. controuerſi. 4. &
Aluar. diſput. in hoc art. 6. Cabrer. in hoc
art. 6. diſput. 4. pro cuius declaratione.

Eligitur ſententia diſtinguens illam ab ſpeciebus.

Dico primo ſcientia indita animæ Chri
ſti eſt habitus diſtinctus ab ſpeciebus: Hęc
concluſio ſtatuitur aduerſus auctores pri-
mæ ſententiæ, & probatur.

Primo quia ad omnem cognitionẽ ſciẽ
tificã, tã naturalem quã ſupernaturalẽ præ
ter intellectum, & ſpeciem obiecti requiri
tur ex parte potentiæ aliqua facultas; &
habilitas, vt patet inductione in cognitione
philoſophię, ad quam requiritur habitus
philoſophiæ; in aſſenſu fidei ad quem re-
quiritur virtus Theologica, & ſupernatu-
ralis præter ſpecies quæ ſunt naturales, &
acquiſitæ, & in viſione beatifica ad quam
preter ſpeciem in creatam, quæ eſt diuina
eſſentia requiritur habitus creatus lumi-
nis gloriæ, & ſic de alijs: ergo pariter in no
ſtro caſu.

Secundo probatur argumento ad homi
nem, quia ipſe Vazquius, diſput. 55. cap.
3. admitit ſcientiam acquiſitam eſſe habi-
tum acquiſitum ab ſpeciebus diſtinctum,
Et non eſt ratio ſpecialis id negandi in ſciẽ
tia infuſa: ergo.

Tertio probatur ex triplici in conueniẽ
ti. Primum eſt, quod hęc ſcientia nõ differ
ret à donis ſapientiæ, & ſcientiæ in Chriſ-
to, ſiquidẽ æedem ſpecies ipſis deſeruiũt,
quod tamen abſurdum eſt, ſicut abſurdum
eſt dicere hanc ſcientiam eſſe vnũ, vel duo
ex donis Spiritus Sancti in Chriſto: ergo.
Secundum eſt, quod humanus intellectus
ex ſua natnrali virtute haberet efficatiã,
& vim effectiuam circa obiectum ſuperna
turale, ſiquidẽ cum ſola ſpecie eſt facultas
proxime eliciens actum ſupernaturalẽ hu
ius ſcientiæ, cuius tamen oppoſitũ oſtẽdi
m⁹; q. 23. de chari. art. 2. Tertiũ eſt, quod
ſpecies intelligibiles cõcurrerẽt effectiuè,
& quoad exerciciũ ad actum cognitionis,
& nõ tãtũ obiectiuè, ſiuę formaliter, &
quoad

quoad ſpeciem cognitionis : quod tamen eſſe falſum oſtendimus in eodē loco, quia aliàs duplex eſſet concurſus partialis in eodem genere cauſalitatis, vnus a potentia, & alter ab ſpecie, & conſequenter duplex actus cognitionis: ergo.

Dico ſecundo, hæc ſcientia eſt habitus realiter diſtinctus à lumine gloriæ. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Auctores ſecundæ ſententiæ, & probatur primo. Quia propterea D. Thom. ſæpius diſtinguit hāc ſcientiā à ſcientia beata, vt quæſt. 9. præcedenti, art. 2. & 3. & quæſt. 10. art. 3. & 4. & in hac quæſt. 11. art. 6. Deinde probatur à Cabrera in dicta diſputat. 5. pluribus rationibus Theologicis quarum ſumma hæc eſt, quia lumen gloriæ eſt proprium beatorum: eſt cognoſcitiuum Dei in ſe, vtitur ſola eſſentia diuina: vt ſpecie, agit ſemper ſecundum vltimum poteutiæ independenter ab vſu, & applicatione liberi arbitrij, quæ omnes eonditiones deficiunt ſcientiæ infuſæ: ergo.

Ad primum pro prima ſententia reſpōdetur D. Thom. in illis locis non aduerſari noſtræ ſententiæ: nam in primo per habitus intelligit ſpecies ipſas propter concommitantiam, & connotationem, quia ſcilicet ſpecies concommitantur habitū ſcientificum, & ab illo connotantur: in ſecundò vero non ait ſcientiam inditam componi ex pluribus ſpeciebus; ſed tamen eſſe vnū habitū, & multas ſpecies, quod nōs nō inficimur: in tertio fateor appellare, habitum huius ſcientiæ collectionē ſpecierū, & forte fuit tunc in ea ſententia, aut id affirmat non in ſenſu formali, ſed cauſuli ob connotationem, & commitantiam.

Ad ſecundum neganda eſt minor pro vtraque parte.

Ad tertium ſimiliter neganda eſt minor pro prima parte. Ad fundamētum ſecundæ ſententiæ nego antecedens, quia cognoſcere res in verbo, & in ſe ipſis ſunt modi adeò diuerſi, vt eidem habitui, ſiue lumini nequeant conuenire : differunt enim penes media in quibus fit cognitio, vt oſtendit D. Thom. in 3. diſtin. 14. art. 3. queſtiuncula 1.

Dubium tertium eſt: An hæc ſcientia ſit compoſita ex pluribus qualitatibus.

50 IN hoc dubio duæ ſunt ſententiæ Theologorum, prima affirmans, quam ſequuntur Bonauentura in dicta diſtinctione 14. articul, 3. quæſtion. 2. Caietanus, vbi ſupra Cabrera diſputation. 6. & Vazquius diſputation. citata capit. 4. & illam ſuadent tripliciter.

Primo arguit Vazquius, quod huiuſmodi ſcientia formaliter conſiſtit in ſpeciebus, iſtę autem ſunt multæ, vt oſtenſum eſt: ergo, & ſcientia eſt multiplex qualitas: quia tamen conuenit illis idem modus cognoſcedi ſcilicet independenter ab vſu phantaſmatum, & ſine diſcurſu, atque compoſitione, ſeu diuiſione propterea dicitur vna ſcientia, licet ex pluribus qualitatibus coaleſcat.

Secundo arguit Caietanus ab authoritate D. Thom. in hoc articul. 6. expreſſè aſſerentis hanc ſcientiam diſtingui ſecundum plures habitus: qui proinde videtur correxiſſe priorem ſententiam, quam tenuerat in alegata quæſtiunc. 4. tertij ſententiarum, vbi dixerat Chriſtum circa omnia obiecta ſcientiæ infuſæ habuiſſe, tātum vnum habitum, & multas ſpecies: ergo.

Tertio, quia, vbi ſunt diuerſi actus, diuerſi modi tendendi, & diuerſæ rationes formales neceſſe eſt, & habitus eſſe diuerſos, vtpotè qui ex prædictis actibus modis, & rationibus ſpecificantur, ſed hæc diuerſitas reperitur in huiuſmodi ſcientia: maximè circa res ordinis naturalis, ac ſupernaturalis, quas attingit: ergo. Minor patet, quia cū rerū naturalium ſint ſpecies naturales deſeruientes huic ſcientiæ, & rerum ſupernaturalium ſint ſpecies ſupernaturales, conſequenter & actus ipſius ſcientiæ, circa res naturales debent eſſe naturales, & circa res ſupernaturalis ordinis ſupernaturales, vtpotè proportionati ſpeciebus à quibus dependent, ſimili-

militerque circa res diuerſi ordinis nequit eadem formalis ratio aut modus tendendi huic ſcientiæ conuenire: ergo.

Deffenditur illam eſſe ſimplicem qualitatem.

Secūda negās eſt, quā ſequūtur Ricardus, vbi ſupra Marſilius q. 10. art. 2. part. 4. Bergomenſis in loco citato, Medina artic. 6. & Suarius diſput. 29. ſectio. 3. Nazarius controuer. 2. & Lorca diſputat. 5. membr. 2 & Aluar. in art. 6. quæ quia veritati, & D. Thom. conformior eſt ſtatuitur à nobis concluſione, & oſtenditur ratione, qua ipſe Sāctus Doctor 1. 2. quæſt. 54. art. 4. generaliter probat omnem habitum ſiue virtutem eſſe ſimplicem qualitatem, ad hanc ſcientiam applicata. Quia nimirum habitus attingens omnia ſua obiecta partialia, ſiue materialia ſub eadem ratione formali, vnus & ſimplex eſt, neque enim ex materiali diſtinctione obiectorum multiplicatur: ſed ſcientia indita Chriſti ſub eadem ratione formali attingit omnia ſua obiecta, tam ordinis naturæ, quam ſupernaturalis, vt ex ſolutione argumētorū patebit: ergo vnꝰ & ſimplex habitꝰ eſt.

Ad primum in contrarium reſpōdetur negando ſuppoſitum.

51 Ad ſecundum reſpondet Bergomenſis, vbi ſupr. D. Tho. non mutaſſe ſententiam, ſed eandem in dicta quæſtiune. 4. & in hoc art. 6. retinuiſſe ibi enim dixit hāc ſcientiā eſſe vnū habitū habētē annexas plures ſpecies, & hic idem repetit: nam dum ait hanc ſcientiam diſtingui in plures habitus ſignificat illam eſſe habitum diuiſum non in ſe formaliter, ſed ex parte ſpecierum connotatarum.

Ad tertium nego minorē ad cuius probationem dicendum eſt ſpecies deſeruientes huic ſcientiæ tam rerum naturaliū, quā ſupernaturalium eſſe ſupernaturales, & perſe infuſas, quia repræſentat illas modo altiori, & expreſsiori, vt oſtendit Suarius diſput. 29. ſect. 1. Nazar. vbi ſupr. & Cabrera diſp. 1. art. 6. fatetur. Neque eſt ſimile de ſpeciebus deſeruientibus fidei Theologicæ, quæ licet ſit habitus ſupernaturalis, vtitur tamen ſpeciebus naturalibus, & acquiſitis, quia neque cognoſcit res repræſentatas clarè, & quidditatiuè, ſed ænigmaticè, neque tales ſpecies immediatè cōcurrūt ad actū fidei, qui eſt ſupernaturalis aſſenſus, ſed tantū ad præuiā ſimplicem aprehēſionē, quæ eſt naturalis, ſimiliter actus huiuſmodi ſcientiæ circa res, tam ſupernaturalis, quam naturalis ordinis ſunt ſupernatrrales, quia attingit illas quatenus altiori modo ſcilicet independenter ab vſu phantaſmatum, & cōpoſitione, ſiue diſcurſus ſimplici conceptu, qui ſimul eſt aprehenſio, & iudicium, per illud humē manifeſtantur, vt idem Suarius, vbi ſupra oſtendit, & Cabrera diſputatio. 1. fatetur, quo pacto fides, & charitas obiecta ſua tam naturalia, quam ſupernaturalia actibus ſupernaturalibus attingunt, quia ſub altiori ratione extenduntur.

QVAE-

Digitized by Google

QVAESTIO XII.

De ſcientia animæ Chriſti acquiſita, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm ſecundum hanc ſcientiam Chriſtus cognouerit omnia?

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod ſecundum hanc ſcientiam Chriſtus nõ omnia cognouerit. Huiuſmodi enim ſcientia per experientiam acquiritur. Sed Chriſtus non omnia expertus eſt. Non igitur omnia ſecundum hanc ſcientiam ſciuit.

2 Præterea. Homo ſcientiam per ſenſum acquirit. Sed non omnia ſenſibilia ſenſibus corporalibus Chriſti fuerunt ſubiecta. Non igitur ſecundum hanc ſciẽtiam omnia cognouit Chriſtus.

3 Præterea. Quantitas ſcientiæ attenditur ſecundum ſcibilia. Si igitur ſecundum hanc ſcientiam Chriſtus omnia ſciuiſſet, eſſet in eo ſcientia acquiſita æqualis ſcientiæ infuſæ, & ſcientiæ beatæ: quod eſt inconueniens. Non ergo ſecundum hanc ſcientiam Chriſtus omnia ſciuit.

Sed contra eſt, quod nihil imperfectum fuit in Chriſto quantum ad animam. Fuiſſet autem imperfecta hac eius ſcientia, ſi ſecundum eam non ſciuiſſet omnia: quia imperfectum eſt, cui poteſt fieri additio. Ergo ſecundum hanc ſcientiam Chriſtus omnia ſciuit.

Reſpondeo dicendum, quod ſcientia acquiſita ponitur in anima Chriſti (vt ſupra dictum eſt *) propter conuenientiam intellectus agentis, ne eius actio ſit otioſa, quæ facit intelligibilia in actu: ſicut & ſcientia indita, vel infuſa ponitur in anima Chriſti ad perfectionem intellectus poſsibilis. Sicut autem intellectus poſsibilis eſt, quo eſt omnia fieri: ita intellectus agens eſt, quo eſt omnia facere, vt dicitur in 3. de anima * Et ideô ſicut per ſcientiam inditam ſciuit anima Chriſti omnia illa, ad quæ intellectus poſsibilis eſt quocumque modo in potentia: ita per ſcientiam acquiſitam ſciuit omnia illa, quæ poſſunt ſciri per actionem intellectus agentis.

q. 9. art. 2

text. 18. to. 2.

Ad primum ergo dicendum, quôd ſcientia rerum acquiri poteſt non ſolum per experientiam ipſarum, ſed etiam per experientiam quarumdam aliarum rerũ: cũ ex virtute luminis intellectus agẽtis poſ-

ſit homo procedere ad intelligendum effectus per cauſas, & cauſas per effectus, & ſimilia per ſimilia, & contraria per contraria. Sic igitur licet Chriſtus non fuerit omnia expertus: ex his tamen, quæ expertus eſt, in omnium deuenit notitiam.

Ad ſecundum dicendum, quod licet ſenſibus corporalibus Chriſti non fuerint ſubiecta omnia ſenſibilia: fuerunt tamen ſenſibus eius ſubiecta aliqua ſenſibilia, ex quibus propter excellentiſsimam vim rationis eius potuit in aliorum notitiam deuenire, per modum prædictum. * Sicut videndo corpora cœleſtia potuit comprehendere eorum virtutes, & effectus, quos habent in iſtis inferioribus, qui eius ſenſibus non ſubiacebant. Et eadem ratione ex quibuſcumque alijs in aliorum notitiam deuenire potuit.

In corpore art.

Ad tertium dicendum, quod ſecundum iſtam ſcientiam anima Chriſti non ſimpliciter cognouit omnia: ſed illa omnia, quæ per lumen intellectus agentis homini ſunt cognoſcibilia. Vnde per hanc ſcientiam non cognouit eſſentiam ſubſtantiarum ſeparatarum, nec etiam ſingularia præterita, præſentia, & futura, quæ tamen cognouit per ſcientiam inditam: vt ſupra dictum eſt. *

In corpore art. & q. præc. & q. 9. ar. 3. & 4.

Concluſio nouit omnia, quæ miniſterio intellectus agentis abſtrahentis ſpecies à ſenſibus cognoſcere potuit.

(∴)

ART. II.

Vtrum Christus in hac ſcientia profecerit.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod ſecundum hanc ſcientiam Chriſtus non profecerit. Sicut enim ſecū dum ſcientiam beatitudinis, & ſecū dum ſcientiam infuſam Chriſtus cognouit omnia: ita & ſecundum hanc ſcientiam acquiſitam, vt ex dictis patet. † Sed ſecundum illas ſciētias non profecit. Ergo nec ſecundum iſtam.

Sup. q. 7. a. 12. ad 3. & inf. a. 3. 3. & q. 15 a. 8. & 3. d. 13. lit. in fin. & d. 14. art. 3. & ver. q. 5. & verſ. 20. art. 6. ad 3 & opuſ. 3. cap. 223. & lo. 1. libr. 10. col 1. fi. & Heb. 5. co. 6.

† a. præc.

2 Preterea, Proficere eſt imperfecti, quia perfectum additionem nō recipit. Sed in Chriſto non eſt ponere ſcientiam imperfectam. Ergo ſecundum hanc ſcientiam Chriſtus non profecit.

3 Præterea, Damaſc. † dicit, qui proficere dicunt Chriſtum ſapientia, & gratia, vt additamētum ſenſus ſuſcipientem, non venerantur vnionē, quę eſt ſecundum hypoſtaſim. Sed impium eſt illam vnionem non venerari. Ergo impiū eſt dicere, quod ſcientia eius, additamentum acceperit.

** lib. 3. ca 11. orth. fid. paulò à princip.*

Sed contra eſt, quod dicitur Lucę 2. quod Ieſus proficiebat ſapientia, & ętate, & gratia, apud Deum, & homines. Et Ambroſ. † dicit, quod proficiebat ſecundum ſapientiam humanam. Humana autem ſapientia eſt, quæ humano modo acquiritur, ſcilicet per lumen intellectus agentis. Ergo Chriſtus ſecundum hanc ſcientiam profecit.

li. de Inca. Dom. ſac. cap. 7. ad med. to. 7.

Reſpondeo dicendum, quod du-

duplex eſt profectus ſcientiæ. Vnus quidem ſecundum eſſentiam: prout ſcilicet ipſe habitus ſcientiæ augetur. Alius autem ſecundum effectũ: puta ſi aliquis ſecundum eundem, & æqualem ſcientiæ habitum, primo minora alijs demonſtret, & poſtea maiora, & ſubtiliora. Hoc autem ſecundo modo manifeſtum eſt, quòd Chriſtus in ſcientia, & gratia profecit, ſicut & in ætate, quia ſcilicet ſecundum augmentum ætatis opera maiora faciebat, quæ ſcilicet maiorem ſcientiam & gratiam demõſtrabat. Sed quantum ad ipſum habitum ſcientiæ manifeſtum eſt, quôd habitus ſcientiæ infuſæ in eo non eſt augmentatus: cum â principio plenariê fuerit ſibi omnium ſcientia infuſa & multo minus ſcientia beata in eo augeri potuit. De ſcientia enim diuina, quod non poſsit augeri, ſupra in prima parte dictum eſt. * Si igitur præter habitum ſcientiæ infuſum nõ ſit in anima Chriſti aliquis habitus ſciẽtię acquiſitæ (vt quibuſdam videtur, * & mihi aliquando viſum eſt) nulla ſcientia in Chriſto augmentata fuit ſecundum eſſentiam, ſed ſolum per experientiam, ideſt conuerſionem ſpecierum intelligibiliũ inditarum ad phantaſmata. Et ſecundum hoc dicunt, quod ſcientia Chriſti profecit ſecundum experientiã, conuertendo ſcilicet ſpecies intelligibiles inditas ad ea, quę denouo per ſenſum accepit. Sed quia inconueniens videtur, quod aliqua naturalis actio intelligibilis Chriſto deeſſet: cum extrahere ſpecies intelligibiles â phantaſmatibus ſit quædam naturalis actio hominis ſecundum intellectum agentem, conueniens videtur hanc etiam actionem in Chriſto ponere. Et ex hoc ſequitur, quod in anima Chriſti aliquis habitus ſcientiæ fuerit, qui per huiuſmodi abſtractionem ſpecierum potuerit augmẽtari, ex hoc ſcilicet, quod intellectus agens poſt primas ſpecies intelligibiles abſtractas à phantaſmatibus, poterat etiam alias, & alias abſtrahere.

p. p. q. 14. art. 15. 3. ſent. d. 14. q. 3. art. 3.

Ad primum ergo dicendũ, quod tam ſcientia infuſa animę Chriſti, quâm ſcientia beata fuit effectus agẽtis infinitæ virtutis, qui poteſt ſimul totum operari & itã in neutra ſcientia Chriſtus profecit, ſed â principio eam perfectam habuit. Sed ſcientia acquiſita cauſatur ab intellectu agente, qui non ſimul totum operatur, ſed ſucceſsiue. Et ideo ſecundum hanc ſcientiam Chriſtus non â principio ſciuit omnia, ſed paulatim, & poſt aliquod tempus, ſcilicet in perfecta ætate: Quod patet ex hoc, quod Euangeliſta ſimul dicit eum profeciſſe ſcientia, & ætate.

Ad ſecundum dicendum, quod hęc etiam ſcientia in Chriſto ſemper fuit perfecta ſecũdum tempus: licet non ſemper fuerit perfecta ſimpliciter, & ſecundum naturam. Et ideo potuit habere augmentum.

Ad tertium dicendum, quod verbum Damaſceni * intelligitur quantum ad illos, qui dicunt ſimpliciter fuiſſe factam additionem ſcientiæ Chriſti, ſcilicet ſecundum quamcũque eius ſcientiam: & præcipué ſecũdum infuſam, quę cauſatur in anima Chriſti ex vnione ad Verbum. Non autem intelligitur de augmento ſciẽtiæ, quæ ex naturali agente cauſatur. *l. 3. c. 22.*

CONCLVSIO ſi præter ſciẽtiam inditam ponamus in Chriſto alium habitum ſcientię acquiſitæ miniſterio abſtractionis intellectus agentis, ſicut probabilior tenet opinio, neceſſe eſt & ponere habitum ſcientiæ qui indiès verum incrementum ſuſceperit.

ARTIC. III.

Vtrùm Chriſtus aliquid ab homine didicerit?

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quòd Chriſtus aliquid ab hominibus didicerit. Dicitur enim Luc. 2. quòd inuenerunt eum in templo in medio Doctorum interrogantem illos, & reſpondentem: interrogare vero, & reſpondere eſt addiſcentis. Ergo Chriſtus aliquid didicit ab hominibus.

2 Præterea, acquirere ſcientiam ab homine docente, videtur eſſe nobilius, quàm acquirere à rebus ſenſibilibus, quia in anima hominis docẽtis ſunt ſpecies intelligibiles in actu, in rebus autem ſenſibilibus ſunt ſpecies intelligibiles ſolum in potentia. Sed Chriſtus accipiebat ſcientiã experimentalem ex rebus ſenſibilibus, vt dictum eſt.* Ergo multo magis poterat accipere ſcientiam addiſcendo ab hominibus. *art. præc.*

3 Præterea, Chriſtus ſecundum ſcientiam experimentalem non omnia à principio ſciuit, ſed in ea profecit, vt dictum eſt.* Sed quilibet audiens ſermonem ſignificatiuum alicuius poteſt addiſcere, quod neſcit. Ergo Chriſtus potuit ab hominibus aliqua addiſcere, quæ ſecundum hãc ſcientiam neſciebat. *ar. præc.*

Sed contra eſt, quod dicitur Iſai. 55. Ecce teſtem populis dedi eum, ducem ac præceptorem Gentibus. Præceptoris autem non eſt doceri, ſed docere. Ergo Chriſtus non accepit aliquam ſcientiam per doctrinã alicuius hominis.

Reſpondeo dicendum, quod in quolibet genere, id quod eſt primũ mouens non mouetur ſecundum illam ſpeciem motus: ſicut primum alterans non alteratur. Chriſtus autem conſtitutus eſt à Deo caput Eccleſiæ, quinimo omnium hominum (vt ſupra dictum eſt*,) vt non ſolum omnes per ipſum gratiam acciperẽt, ſed etiam vt omnes ab eo doctrinam veritatis reciperẽt. Vnde ipſe dicit Io. 18. In hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati. Et ideo non fuit conueniens eius dignitati, vt à quocumque homine doceretur. *q. 8. ar. 3.*

Ad primum ergo dicẽdum, quod ſicut Orig.* dicit ſuper Luc. Dominus interrogabat, non vt aliquid addiſceret, ſed vt interrogatus erudiret. Ex vno quippe doctrinæ fonte manat & interrogare, & reſpondere ſapienter. Vnde & ibidem in Euangelio ſequitur, quod ſtupebant omnes, qui eum audiebant ſuper prudentia, & reſponſis eius. *hom. 19. in fi. to. 3.*

Ad ſecundum dicendum, quod ille qui addiſcit ab homine, non accipit immediate ſcientiam à ſpeciebus intelligibilibus, quæ ſunt in mẽte ipſius, ſed mediãtibus vocibus ſenſibilibus, tanquam ſignis intelligibilium conceptionum. Sicut autem voces ab homine formatæ ſunt ſigna intellectualis ſcientiæ ipſius, ita creaturæ à Deo conditæ, ſunt ſigna ſapientiæ eius. Vnde dicitur Eccleſ. 1. quod Deus effudit ſapientiam ſuper omnia opera ſua. Sicut igitur dignius eſt doceri à Deo, quàm ab homine: ita dignius eſt accipere ſciẽtiam per ſenſibiles creaturas, quàm per hominis doctrinam.

Ad tertium dicendum, quod Ieſus proficiebat in ſcientia experimẽtali, ſicut & in ætate: vt dictum eſt*. Sicut autem ætas opportuna requiritur ad hoc, quod homo accipiat ſciẽtiam per inuentionem: ita etiam ad *arti præc.*

hoc

hoc, quod accipiat ſcientiam per diſciplinam. Dominus autem nihil fecit, quod non congrueret eius ætati: & ideo audiendis doctrinę ſermonibus, non accommodauit auditũ, niſi illo tempore, quo poterat etiam per viam experientiæ talem ſcientiæ gradum attigiſſe. Vnde Greg. * dicit ſuper Ezech. Duodecimo anno ætatis ſuæ interrogare dignatus eſt homines in terra, quia iuxta rationis vſum doctrinæ ſermo non ſuppetit, niſi in ætate perfecta.

hom. 2. parum à pri.

ART. IV.

Vtrùm Chriſtus aliquid acceperit ab Angelis?

Inf. q. 30. a. 2. ad 1. & d. 13. q. 2. ar. 2. q. 1. & d. 14. art. 3. q. 6.

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quòd Chriſtus ab Angelis ſcientiam acceperit. Dicitur enim Luc. 22. quod apparuit Chriſto Angelus de cœlo, confortans eum. Sed confortatio fit per verba confortatoria docentis: ſecundum illud Iob 4. Ecce docuiſti plurimos, & manus laſſas roboraſti: vacillantes confirmauerunt ſermones tui. Ergo Chriſtus ab Angelis edoctus eſt.

c. 4. nõ procul à fi. c.

2 Præterea. Dion. * dicit 4. cœleſt. hier. Video enim, quod & ipſe Ieſus, ſupercœleſtium ſubſtantiarum ſuperſubſtantialis ſubſtantia, ad noſtram intranſmutabiliter veniens, obedienter ſubijcitur patris, & Dei per Angelos formationibus. Videtur igitur, quòd ipſe Chriſtus ordinationi legis diuinæ ſubijci voluerit, per quam homines mediantibus Angelis erudiuntur.

3 Præterea. Sicut corpus humanum naturali ordine ſubijcitur corporibus cœleſtibus: ita etiam humana mens Angelicis mentibus. Sed corpus Chriſti ſubiectum fuit impreſsionibus cœleſtium corporum: paſſus eſt enim calorem æſtate, & in hyeme frigus, ſicut & alias humanas paſsiones. Ergo etiam eius mens humana ſubiacebat illuminationibus ſuper cœleſtium ſpirituum.

Sed contra eſt, quod Dion. * dicit 7. cap. cœleſ. hier. quòd ſupremi Angeli ad ipſum Ieſum quęſtionem faciunt, diuiniquè illius operis, & pro nobis aſſumptæ carnis ſciẽtiam diſcunt. & eos ipſe Ieſus, ſine medio docet. Non eſt autem eiuſdem docere, & doceri. Ergo Chriſtus non accepit ſcientiam ab Angelis.

ca. 7. post med, illius

Reſpondeo dicendum, quod ſicut anima humana media eſt inter ſpirituales ſubſtantias, & res corporales: ita duobus modis nata eſt perfici. Vno quidem modo per ſcientiam acceptam ex rebus ſenſibilibus; alio modo per ſcientiam inditam, ſiue impreſſam ex illuminatione ſpiritualium ſubſtantiarum. Vtroquè autem modo anima Chriſti fuit perfecta: ex ſenſibilibus quidem ſecundum ſcientiam experimentalem, ad quam quidem non requiritur lumẽ Angelicum, ſed ſufficit lumen intellectus agentis: ex impreſsione vero ſuperiori ſecundum ſcientiam infuſam, quâm eſt immediatè adeptus à Deo. Sicut enim ſupra communẽ modum creaturæ anima illa vnita eſt Verbo in vnitate perſonę: ita ſupra communem modum hominũ, immediate ab ipſo Dei Verbo repleta eſt ſcientia, & gratia. Non autem mediantibus Angelis, qui etiam ex influentia Verbi rerum ſcientiam in ſui principio acceperunt, ſicut in 2. ſuper Geneſ. ad lit. Auguſt. * dicit.

lib. 2. c. 8. to. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod

quod illa confortatio Angeli non fuit per modum inſtructionis, ſed ad demonſtrandam proprietatem humanæ naturæ. Vnde Veda dicit ſuper Luc. * In documento vtriuſquê naturæ, & Angeli ei miniſtraſſe, & eum confortaſſe dicuntur. Creator enim creaturæ ſuæ non eguit præſidio: ſed homo factus, ſicut propter nos triſtis eſt, ita propter nos confortatur, vt ſcilicet in nobis fides incarnationis ipſius confirmetur.

lib. 6. in Luc. c. 92 ſecundum ord. Beda ante me. 10. 2.

Ad ſecundum dicendum, quod Dyoniſ. dicit Chriſtum fuiſſe formationibus Angelicis ſubiectum: non ratione ſui ipſius, ſed ratione eorum, quæ circa eius incarnationem agebantur, & circa miniſtrationem eius in infantili ætate conſtituti. Vnde ibidem ſubdit, quod per medios Angelos nuntiatur Ioſeph â patre, diſpenſata Ieſu ad AEgyptum receſsio, & rurſum ad Iudæam de AEgypto traductio.

Ad tertium dicendum, quod filius Dei aſſumpſit corpus paſsibile, (vt infra dicetur *) ſed animam perfectam ſcientia, & gratia. Et ideo corpus eius conuenienter fuit ſubiectum impreſsioni cœleſtium corporum: anima vero eius non fuit ſubiecta impreſsioni cęleſtium ſpirituum.

q. 14. a. 1

CONcluſio vtriuſquè articuli eſt negatiua, quia non fuit conueniens Chriſtum aliquid ſuæ ſciẽtiæ ab hominibus, aut ab Angelis accepiſſe.

Circa has concluſiones tria dubia à Theologis controuerti ſolent.

Primum eſt: An Chriſtus habuerit ſcientiam acquiſitam, proprijs actibus comparatam?

Secundum eſt: An verè profecerit in illa?

Tertium eſt: An aliquod eius incrementum ab hominibus, ſiue ab Angelis acceperit?

Ad quorum ſingula eodem ordine eſt reſpondendum.

52 AD primum igitur dubium, vnum ſupponimus, & alterum inquirimus: ſupponimus quidem cum D. Tho. *Expenditur ſtatus queſtionis*
in art. 1. quod Chriſtus habuerit aliquam ſcientiam ex ſuo genere acquiſitam circa obiecta dumtaxat, quę per abſtractionem intellectus agentis poſſunt fieri cognoſcibilia: a qua ſuppoſitione voluntarie diſſentit ſolus Suarius, diſp. 30. ſect. 1. exiſtimans huiuſmodi ſcientiam, etiam ad res immateriales, & ſubſtantias ſeparatas cognoſcendas extendi. Sed noſtra ſuppoſitio manifeſtè conuincitur ratione ipſa D. Thom. quia ſcilicet hęc ſcientia ponitur in Chriſto, propter conuenientiam intellectus agentis, ac proinde ad ea dumtaxat extenditur, quæ ſpecies ſui poſſunt ſenſibus ingerere, à quibus intellectus agens poſſit elicere ſpecies intelligibiles, hæc autem ſolum ſunt res materiales, & ſenſibi-

les;

ſes: ergo. Inquirimus autem de modo quo hanc ſcientiam Chriſtus habuit: An ſcilicet per infuſionem à Deo, vel comparando eam proprijs actibus? In quo ſunt duæ ſententiæ.

Prima tenens eam fuiſſe per accidens inditam à Deo. Quæ tripliciter defenditur à ſuis auctoribus. Alij enim de quorũ numero ſunt Bonauentura in 3. diſt. 14. art. 3. quæſt. 2. Durandus quæſt. 4. Gabriel quæſt. vnica; art. 3. & Scotus quæſt. 3. §. *contra concluſionem*, Suarius diſp. citata, ſect. 2. dicunt hanc ſcientiam acquiſitam fuiſſe per infuſionem à Deo; quia illam non diſtingunt eſſentialiter à ſciencia infuſa. In quo ſenſu illam ſuadent tripliciter primo argumento Scoti; quia iſtæ duæ ſcientiæ non diſtinguntur ſpecie: ergo ſi eſſent ſimul in intellectu Chriſti, duo accidentia ſolo numero diſtincta in eodem ſubiecto reperirentur, quod eſt inconueniens.

Secundò arguit Durandus, quia inconueniens eſt Chriſtum aliquid didiciſſe ab hominibus: ergo & accipere ſcientiam à rebus.

Tertio arguit idem Durandus; quod ſcientia acquiſita per ſenſus comparatur ex præſentia rerum ſenſibilium: ſed Chriſto ob eius modeſtiam, & vitæ breuitatem paucisſimę res ſenſibiles præſentes fuerunt: ergo eius ſciẽtia acquiſita fuiſſet modicisſima, ita vt per illam non cognouiſſet cuncta quæ operatione intellectus agentis poſſunt fieri actu intelligibilia.

Alij vero de quorum numero ſunt D. Thom. in alegata diſt. tertij, art. 3. quæſtiuncula 3. in corpore, & quæſtiuncula 5. ad 3. Ricardus, & Paludanus ibidẽ quęſt. 2. & Suarius diſp. 30. ſect. 2. Lorca diſp. 49. vt probabilem ſequitur, quamuis diſtinguant in Chriſto ſcientiam per ſe infuſam ab acquiſita, nihilominus dicunt hanc fuiſſe inditam per accidens quoad lumen, & ſpecies.

Alij verò Iuniores Thomiſtæ volunt illam fuiſſe inditam quantum ad lumen, & acquiſitam quantum ad ſpecies. Id autem in quo conueniunt ſuadent tripliciter.

Tum ex teſtimonio Damaſceni in libro, *quomodo ad imaginem Dei facti ſumus*; dicentis: ſicut corpus Chriſti non fuit paulatim formatum, ſed ſtatim ab initio perfectũ: ita eius anima ab initio debuit perfectam poſsidere ſapientiam.

53 Tum etiam, quia primo parenti fuit indita à Deo ſcientia naturalis quam ipſe proprio labore poterat comparare: ergo à fortiori Chriſto, ob eius maiorẽ dignitatem.

Tum etiam, quia alias Chriſtus profeciſſet in huiuſmodi ſcientia ſucceſsiuè eã ex nouarum ſpecierum abſtractione, & viu augendo; quod tamen eſt contra communem ſententiam Patrum: ergo.

Secunda ſententia aſſerens hanc ſcientiam fuiſſe à Chriſto proprijs actibus comparatam, quoad lumen, & ſpecies; eſt D. Thom. quæſt. 9. præcedenti art. 4. vbi retractat priorem opinionem quam fatetur ſe aliquando ſuſtinuiſſe, Capreoli in 3. diſt. 14. art. 2. Maioris quæſt. 5. & Marſilij quæſt. 10. art. 2. part; 4. concluſione 5. defenditurque à Caietano, Medina, & Cabrera in d. art. 4. & à Vazquio diſput. 55. cap. 2. & à Nazario quæſt. 9. præcedenti art. 4. controuerſia vnica; & Aluarez diſp. 53. & ideo à nobis ſtatuitur pro concluſione, probaturquè primo ex Patribus, qui ex tribus locis Scripturæ eam deducunt ſcilicet ex illo ad Hæbreos 5. *Cum eſſet filius Dei, didicit ex his quæ paſſus eſt obedientiam*, ſcilicet in laboribus quos paſſus eſt pro nobis: & ex illo; Matthæi 24. & Marci 13. *De die autem illa nemo ſcit neque Angeli, neque filius, niſi Pater, &c.* ex quibus locis Origines, homilia 50. in Mathæum, Cirilus lib. vltim. de fide ad Reginas, cap. 3. Ricardus de ſancto Victore, lib. 1. de Emanuele cap. 15. Laurencius Iuſtinianus in lib. de caſto connubio cap. 10. & Bernardus in lib. de gradibus humilitatis circa principium colligunt Chriſtum, vt hominem aliquam ſcientiam experientia didiciſſe, ſecundùm quam etiam dicitur ignoraſſe, ideſt neſciſſe diem iudicij, & ex illo Eſaiæ 7. *Ante quam puer ſciat bonum, & malum, &c.* & cap. 8. *Ante quam puer ſciat vocare patrem, aut matrem auferet ſpolia Damaſci, &c.* ideſt per ſcientiam acquiſitam, & experimentalem, interpretatur Fulgentius ad Traſimundũ, cap. 7. & Ambroſius lib. de Incarnationis Dominicæ Sacramento, cap. 7. quod ipſum confirmat ex illo Lucæ 2. *Et Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate*, & inſuper, *& confortabatur plenus ſapientia, &c.* ideſt implebatur ſapientia de nouo acquiſita, vt ipſe legit; & interpretatur: ergo.

Scientia acquiſitam Chriſto fuit per actus proprios cõparata.

Secundo probatur ratione Theologica, qua vtitur D. Thom. in d. art. 4. ſub hac forma: Chriſtus aſſumpſit humanitatẽ cum

cum intellectui agente, qui eſſet fruſtraneus niſi exerceret propriam operationem abſtrahendi ſpecies, fruſtra enim eſt potentia quæ non reducitur ad actum: ergo ne fruſtraneus eſſet, debuit abſtrahere nouas ſpecies, quibus Chriſtus nouum genus cognitionis quotidie comparaſſet. Huic rationi obijcit Scotus vbi ſupra, falſam eſſe minorem, neque illud axioma cui innititur eſſe vniuerſaliter verum: nã in beatis eſt intellectus agens, qui tamen non abſtrahit ſpecies, neque illas abſtraxit in Adamo, ſimiliter in corporibus reſurgentium erit potentia nutritiua ſine proprio actu nutriendi: ergo non ſemper redditur fruſtanea potentia quæ caret proprio actu.

54 Ob hanc obiectionẽ Vazquius in loco citato exiſtimat etiam rationem Diu. Thom. infirmam eſſe ac proinde aliter: nimirum ſub hac forma eſſe formandam: modus cognoſcendi per ſpecies abſtractas à ſenſibus, & cum dependentia, & conuerſione ad phantaſmata non eſt denegandus Chriſto, quia connaturalis eſt animæ, & intellectui agenti pro hoc ſtatu: ergo &c. Sed nihilominus licèt hæc ratio ſit efficax pro concluſione non minus efficax eſt prout formatur à D. Thom. quæ proinde vindicanda eſt à prædicta obiectione. Ad quam reſpõdetur nullum ex adductis exemplis conuincere: & quidem de duobus prioribus ab Scoto adductis reſpondet Caietanus, quod intellectus agens in beatis, & in Adamo habuit aliquam propriam operationem, non abſtrahendi ſpecies, ſed illuſtrandi obiecta: hæc tamen ratio nulla eſt, quia actio illuſtrandi obiecta non eſt diſtincta ab abſtractione ſpecierum, quia neque intellectus agens poteſt habere alium influxum in res exteriores preter abſtractionem ſpecierum ab illis: neque illas aliter illuſtrat, niſi faciendo eas intelligibiles in actu primò media abſtractione ſpecierum. Igitur alia ratio aſsignanda eſt: nimirum quod intellectui agenti non eſt connaturalis operatio abſtrahendi, niſi pro hoc ſtatu viæ, ac proinde, vt non ſit fruſtraneus in ſtatu beatitudinis ſat eſt, quod illam in hoc ſtatu aliquando exercuerit, & in illo maneat ad ornatum, & propter neceſſariam naturæ integritatem, connexionemquè cum anima, & connaturalem ab ea dimanationem Chriſtus autem aſſumpſit intellectum agentem coniunctum corpori pro hoc ſtatu, ac proinde ſi connaturali operationẽ abſtrahendi omnino caruiſſet, proculdubio fruſtraneus fuiſſet.

In Adamo vero intellectus agens de facto ſpecies abſtraxit aliquarum rerum quas nouo experimento adiſcebat: non quidem ad nouam ſcientiam acquirendã, ſed ad perceptæ iam ſcientiæ per infuſionem incrementum, & extenſionem.

De tertio autem exemplo à Vazquio ſub inducto de potentia nutritiua dicendum eſt, quod operatio nutriendi non eſt ei connaturalis pro omni ſtatu, niſi tantum pro iſto in quo corpus animale indiget reparare ſubſtantiæ portionem, quam continua caloris naturalis actione deperdit, & ideò ſat eſt, vt in hoc ſtatu eam aliquando exercuerit ne in ſtatu reſurrectionis ſit fruſtranea, ac proinde cũ Chriſtus aſſumpſerit intellectum agentem in ſtatu pro quo ei connaturalis eſt operatio abſtrahendi ſpecies ſi illas numquam abſtraheret fruſtra talem intellectum aſſumeret, & ſic ratio D. Thom. manet inconcuſa.

55 Ad primũ in contrarium reſpondetur illas ſcientias non eſſe eiuſdem ſpeciei, vt conſtat ex ſæpius dictis. *Ocurritur fundamentis prioris opinionis.*

Ad ſecundum nego conſequẽtiam, quia Chriſtus in accipiendo à rebus non ſubdebatur eis, ſed potius eas ſibi ſubordinabat, & illis vtebatur eliciendo phantaſmata ex eis, & ex phantaſmatibus elicitis ſine arte, hoc eſt veluti per naturam virtute ſcilicet naturali intellectus agentis eliciebat ſpecies intelligibiles: qui autem accipit ſcientiam ab homine addiſcit ex illo, quia ſubditur ei, vt magiſtro, & inſtructori per artem, quod Chriſto omnium hominum futuro Doctori non congruebat.

Ad tertium reſpondet primo Caietanus in dicto art. 4. quæſt. 9. quod Chriſtus ab initio habuit præſentia phantaſmata omnium rerum ſenſibilium miniſterio Angelorum, vt ex illis ſpecies intelligibiles eliceret: ſicut in deſerto eidem eſurienti Angeli cibos miniſtrarunt, vt reffertur Matthæi 4. Secundo reſpondet ex doctrina D. Thom. in ſolutione ad 2. art. 1. huius quæſtion. 12. Chriſtũ ex ſpecie vnius ſingularis, v. g. cœli potuiſſe omnes eius effectus cognoſcere, ac proinde non indiguiſſe eorum phantaſmatibus, & ſpeciebus, ſic enim verificatur (ait ille) doctrina D. Thom. in eodem art. aſſerẽtis Chriſtum per hanc ſcientiam cognouiſſe omnia

quæ

quæ ope intellectus agentis poſſunt fieri cognoſcibilia.

Tertio reſpondent alij iuniores, quod Chriſto fuerunt inditæ ſpecies earum rerum ſenſibilium, quę eius ſenſibus numquam erant ocurſuræ: vt ſic, per ſpecies à ſenſibus abſtractas cognoſceret immediate eas res quas ſenſibus percipiebat: & mediate ſiue per diſcurſum cognoſceret alias quarum ſpecies inditas iam habebat. Sed omnes iſtæ ſolutiones ſunt inſufficientes. Prima quidem propter tria. Tum quia voluntarie, & ſine fundamento adſtruitur illa aductio omnium phantaſmatum facta miniſterio Angelorum, neque ſignari poteſt à Caietano tempus determinatum in quo facta fuerit, vnde qua facilitate dicitur ab illo. eadem à nobis reicitur: eo vel maxime, quod ſi aliqua ratio eſſet illam adſtruēdi, conuenientius foret Chriſtum accipere ab initio per infuſionem huiuſmodi ſpecies quam eas abſtrahere à phantaſmatibus modo inſolito, & præter naturā.

Tum etiam, quia vel facta fuit ſine rebus ſenſibilibus, vel cum illis: non primū, quia Angeli non potuerunt phantaſmata infundere potentiæ cogitatiuæ Chriſti, ſicut neque in animam noſtram, aut eius potentias internas agere poſſunt, nouas formas illis imprimendo: neque ſecundum, quia incredibile eſt Chriſtum repente in vno temporis momento habuiſſe ſibi præſentia ex cunctis vniuerſi naturis ſingula indiuidua quæ propè infinita eſſent, vt reptilium, volatilium, & piſcium, &c.

Tum denique, quia aliqua non cognouit, niſi ex his quæ paſſus eſt; vt obedientiam, quam teſte Paulo ad Hæbreos 5. experimento paſsionis cognouit: ergo hoc quod eſt obedire non cognouerat per ſcientiam acquiſitam, ante paſsionem, alias id non didiciſſet ex his quæ paſſus eſt quod eſt contra Pauli ſententiam.

56 Secunda vero deficit propter duo: Tum, quia licet Chriſtus per ſciētiam acquiſitam facilius, & perfectius res materiales cognoſceret, quam cæteri homines, eo quod & ingenij acumine, & à ſciencia infuſa qua eaſdem res cognoſcebat altiori modo, iuuabatur: non tamen eas comprehenſiuè, neque ita perfectè cognoſcebat, vt viſa vna omnes eius effectus quantumuis ignotos penetraret ante diuturnam experietiam: v.g. viſo magnete non illico cognouit illum habere vim trahendi ferrum, neque viſo Sole cognouit vim generandi aurum in hac parte terræ potius, quam in illa, ante horum effectuum aliqualem experientiam.

Tum etiam, quia ſola ſpecies vnius ſingularis, v.g. cœli non eſt apta repreſentare naturas ita diuerſas cuiuſmodi ſunt in omnibus ſublunaribus corporibus quę ab illo cauſantur, cum enim repreſentatio ſpeciei fiat per aſsimilationem, & hanc nō habeat cum tot rebus adeò diuerſis: ideò neque eas poterat repreſentare: & ſi poſſet aliquos effectus: nimirum magis proprios ipſius, ac magis notos repreſentare. Et hoc vult D. Thom. in dicta ſolutione ad ſecundum.

Tertia denique deficit, quia Chriſtus vel poterat vti illis ſpeciebus per accidens infuſis, vel non: ſi primum ergo debebat vti illis conuertendo ſe ad phantaſmata propria earundem rerum: hæc enim eſt connexio ſpecierum per ſe acquiſitarum cum phantaſmatibus; vt intellectus vtendo ſpecie, ſimul conuertatur ad phantaſma proprium cum quo habet ſimilitudinem, & non ad alienum cum quo affinitatem non habet; ac proinde Chriſtus non poterat ſpeciebus iſtis cognoſcere illa obiecta quorum phantaſmata nondum ſenſibus acquiſierat. Si ſecundum ergo fruſtra huiuſmodi ſpecies habebat inditas ab initio. Quare his reiectis dicendum eſt Chriſtum hac ſcientia non ſubito, aut ſtatim omnia obiecta ſenſibilia cognouiſſe, ſed paulatim, & ſucceſsiuè habuiſſe cognitionem eorum quæ ſentiebat, & quorum phantaſmata accipiebat, ſicque pariter ſucceſſu temporis eorum ſpecies accepiſſe: nec propterea parum in hac ſcientia profecit, ſed plurimum ob ingenij acumen ſupra cæteros homines, & ſcientiæ infuſæ iuuamen.

Ad primum ſecundi ordinis reſpondetur. Damaſcenum loqui de ſcientia abſolutè, ideſt de Beata, & infuſa quas Chriſtus habuit à principio.

57 Ad ſecundum nego conſequentiam, quia Adamus fuit productus in ætate virili, vt eſſet poſterorum caput, & Doctor ac Dominus omnium rerū: proptereaque fuit conueniens; vt à principio haberet ſcientias, & ſpecies inditas, vt omnibus animalibus nomina propria imponeret, vt dicitur Geneſ. 2. nec tamen hoc obſtitit, quo minus etiam experientia multa alia didiciſſet, & in talibus ſcientijs profeciſſet: Chriſtus autem fuit genitus in ætate infantili in qua ſicut non debebat, vt via

tor perfectus in hoc mundo conuerſari, ita nequè debuit ſciẽtias acquiſitas à principio perfectas accipere, ſed paulatim eas comparare.

Ad tertium fatemur Chriſtum profeciſſe in ſcientia acquiſita, ſicut cæteri homines, quod non eſſe contra Patres dubio ſequenti conſtabit.

58 AD ſecundum dubium duæ verſantur ſententiæ circa huius ſcientiæ incrementũ. Prima negans verũ habuiſſe augmentum, niſi ſolum quoad extrinſecam manifeſtationem, & hominum exiſtimationem, quam tuentur illi auctores qui putant hanc ſcientiam fuiſſe per accidens inditam à Deo, aut illam non diſtingui à ſciencia infuſa quos ſupra retulimus: idquè ſuadent dupliciter. Primo, quia ſicut Chriſto à principio conueniebat plenitudo gratiæ, & ideò eius gratia habitualis non habuit verum augmentum, licet de ſe ſit augmentabilis per intenſionem: vt oſtẽdimus cum D. Thom. ſupra quæſt. 7. art. 12. ita & plenitudo ſapientiæ: ergo ob cõditionem plenitudinis fuit abinitio in termino ſapientiæ, ſicut & gratiæ: ac proinde ſicut hæc, ita nequè illa potuit augeri. Secundò, quia videtur eſſe communis ſentẽtia ſanctorum Patrum, qui teſtimoniũ illud Luc. 2. *Et Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines*, interpretantur de profectu ſcientiæ, & gratiæ quoad effectus, & externam manifeſtationem, quatenus Chriſtus ſecundum ætatis incrementa magis ſanctitatem, & ſapiẽtiam manifeſtabat, tam in operibus quæ erant circa proximos, quã in his quę erant circa Deum, de quorum numero ſunt Nazianzen orat. 20 in laudẽ Baſilij, Damaſcenus lib. 3. de fide cap. 22. Bernardus homil. 2 ſuper miſſus eſt, Euthymius, Theophilatus, & Bonauent. ſuper Luc. 2. Magiſter Sententiarum in 3. diſt. 13. & alij quorum teſtimonia ad hunc ſenſum referunt Cano lib. 12. de locis, cap. 14. ad 4. & Vazquius in hac 3. part. diſp. 47. capit. 1. eundemquè ſenſum ſequutus fuit Diu. Thom. ſupra quæſtion. 7. artic. 12. ad tertium dicens Chriſtum in ſapientia, & gratia profeciſſe ſecundum maiorũ operum erga Deum, & homines manifeſtationẽ, quamuis in 3. diſt 14. art. 3. queſtiuncula 5. & quæſt 20. de veritate, art. 6. ad tertium priorem ſententiam ſequutus in alio ſenſu prædictum teſtimonium Euãgelij interpretatus fuerit dicens: Chriſtum ſapientia profeciſſe quantum ad experientiam eorum quæ habitu ſciebat.

Secunda ſententia affirmans ſcientiam Chriſti acquiſitam verum incrementum ſuſcepiſſe, eſt D. Thom. in hoc art. 2. Caietani, Medinæ, Cabreræ in expoſitione eiuſdem articuli Vazquij, diſp. 55. cap. 4. ad 5. Aluarez, & Siluij in expoſitione artic. 2. & aliorum omnium exiſtimantium ſcientiam Chriſti acquiſitam fuiſſe ab illo quoad habitum, & ſpecies proprijs actibus comparatam, & propterea ſtatuitur à nobis pro concluſione. Et oſtenditur duabus rationibus Theologicis, quarum prima deducitur ex hoc art. 2. in hunc modum: hæc ſcientia non fuit à principio indita Chriſto, nequè fuit in termino, ſicut gratia habitualis à principio fuit in ſummo ob rationem aſsignatam: & aliàs huiuſmodi ſcientia fuit eiuſdem rationis cũ noſtris, quoad habitum, ſpecies, & vſum: ergo ſicut noſtrę continuo vſu, & exercitio recipiunt verum augmentum, ita & illa.

Secunda eſt, quà vtitur D. Thom. quæſtion. 15. ſequenti art. 8 ad probandum in Chriſto fuiſſe admirationem ſub hac forma. Admiratio eſt de aliquo obiecto nouo, & inſolito; ſed intellectui Chriſti ſecundum ſcientiam experimẽtalem ocurrebant noua obiecta, & inſolita: ergo de huiuſmodi obiectis, & reſpectu huius generis cognitionis habuit admirationẽ. Tunc vltra, ſed experimentalis cognitio, quæ eſt repetita cognitio ſenſus, & ſimul intellectus circa idem, vel conſimile ſingulare, apta nata eſt generare habitualem ſcientiam, & ſemel genitam augere; qua ratione probat D. Thom. 2. 2. quæſt. 49. artic. 1. habitum prudentiæ experimento generari, eo quod teſte Philoſopho 2. Ethicorum, cap. 1. virtus intellectualis habet generationem, & augmentum ex experimẽto, & tempore: experimentum autem fit ex pluribus memorijs, teſte eodem Philoſopho lib. 1. Metaphyſicæ, cap. 1. ideſt ex pluribus notitijs præteritis, ſiue de præterito ſingulari: ergo ſicut ex practica cognitione experimentali generatur prudentia, ita ex ſpeculatiua experientia generabatur in Chriſto virtus intellectualis ſpeculatiua qualis eſt ſcientia, vel ſemel genita augebatur: ergo non illam habebat inditam à principio: alias de eodem ſingu-

Præfertur ſententia tribuens verũ augmentum ſcientiæ acquiſitæ animæ Chriſti.

lari

lari habuiſſet tres ſcientias, & tres ſpecies extra Verbũ nimirum de eodem templo hieroſolimitano, v.g. cognito in proprio genere extra Verbum habuiſſet ſcientiã infuſam per ſe, & infuſam per accidens, & experimento acquiſitam: & ſimiliter tres ſpecies huiuſmodi ſcientijs deſeruientes, quod quidem eſſet ſuperfluum, & impoſsibile: ſuperfluum quia ſecunda ſciencia ſufficiens eſſet ad habendum quodcumquè genus cognitionis naturalis de tali indiuiduo: & impoſsibile, quia iſtæ duæ ſcientiæ poſteriores, & earum ſpecies, vtpotè eiuſdẽ ordinis naturalis, & obiecti, eſſent accidẽtia ſolo numero diſtincta, quæ proinde incõpoſsibilia ſunt in eodẽ ſubiecto.

Ad primũ in cõtrariũ diſtingo antecedens pro 2 part. Chriſtus à principio fuit plenus ſapiẽtia abſolutè concedo, ſapiẽtia huius generis, ſcilicet acquiſita, nego.

Ad ſecundum reſpondetur Sanctos Patres loqui in hoc ſenſu, quod Chriſtus nõ profecerit in ſapientia abſolutè, & ſimpliciter hoc eſt beata, & per ſe infuſa, cũ quo ſtat eum profeciſſe in tali genere ſapientiæ, videlicet acquiſitæ.

Minime tamen illam ab hominibus didiciſſe.

60 Ad tertium dubiũ ratio dubitandi pro parte affirmatiua deſumitur ex illo Lucæ 22. Apparuit autem illi Angelus de cœlo confortans eum, &c. Sed niſi Angelus illuminaret intellectum Chriſti, vt aliquam rationem conſolatoriam melius conſideraſſet, & expendiſſet, nequè verè confortaret, & conſolaretur eum, quod eſt cõtra prædictum teſtimoniũ: ergo. Sed nihilominus communis Theologorum ſententia eſt negatiua, quæ & à nobis ſtatuitur pro cõcluſione cõtra hæreticos Agnoitas aſſerentes, vt ſupra vidimus: Chriſtũ didiſciſſe litteras ſub færula præceptoris. Et probatur primò, quia ipſum non didiſciſſe ab hominibus colligitur ex ipſo Iudæorũ teſtimonio, qui Ioan. 7. dicebant quomodo hic litteras ſcit cum non didicerit?

Secũdo, quia nõ decebat Chriſtũ edoceri ab illis quorũ erat Doctor nõ ſolũ autẽ fuit hominũ Doctor, ſed & Angelorũ eos illuminãdo teſte Dyon. c. 7. de cœl. hier. & Aug. lib. 2. de Gen. ad litterã c. 8. ergo.

Tertiò, quia ſi aliquãdo Chriſtus illuminaretur ab Angelo, maximè in caſu adducto, quãdo ab illo fuit cõfortatus in horto: ſed nequè tunc ab illo fuiſſe illuminatũ pa[illegible]et, quia vt Chriſtũ illuminaret Angelus debebat ei proponere, & expẽdere, ſiue externis ſignis, vt vnus homo edocet alterũ, ſiue interius propõnẽdo obiectũ, ſicut vnus Angelus aliũ illuminat: aliquam rationẽ, quã antea ignoraret, aut nõ cõſideraret: ſed Chriſtus habebat in prõptu omnẽ rationẽ mitigãdi ſuũ dolorẽ, ita vt nulla eũ per ignorãtiã, vel inconſideratione ſubterfugeret: ergo.

Ad rationẽ autẽ dubitãdi duo ſunt modi dicẽdi. Prim⁹ eſt, quẽ ſequũtur Vazq. diſp. 56. c. 2. & Silu. in expoſit. art. qui aduerſantes cõmuni ſententiæ Patrũ dicũt Chriſtũ, ſicut nec illuminationem, ita nequè cõfortatũ fuiſſe ab Angelo, quod ſuadent tripliciter. Tum, quia habebat cauſas efficaciores remouẽdi omnẽ dolorẽ, & triſtitiã, ſcilicet beatã viſionẽ, & delectationẽ de Deo viſo: quæ tamẽ diuina diſpenſatione nõ impedierunt omnino huiuſmodi paſsiones, vt explicaretur veritas naturæ humanæ: ergo ſuperflua erat alia ratio cõſolatoria minus efficax. Tũ etiã, quia hanc Angelus potuit adhibere, vel illuminãdo de illa intellectũ Chriſti, vel propõnẽdo ei externa obiecta ſenſibilia ex quibus cõſolaretur: nõ primũ, quia hoc eſſet eum edocere, & inſtruere, quod negat cõmunis ſentẽtia Theologorũ cũ D. Th. nequè ſecũdũ, quia ſi viſio beata non ſinebatur lenire dolorẽ quẽ tamen de ſe poterat abſumere, cur ſineretur tale obiectũ propoſitũ quod de ſe erat minus efficax? Inſuper, & tunc nõ ab Angelo, ſed ab ipſis obiectis diceretur cõſolatione accipere: Tũ denique, quia hoc repugnat cõtextui vbi poſt apparitionẽ, & confortationẽ Angeli ſubditur quod fact⁹ in agonia prolixius orabat, ideſt in magno timore cum trepidatione, quæ eſt extrema ſpecies timoris: ergo ſi poſt colloquiũ Angeli timor creuit non fuit mitigatus ex illo.

61 Sed communis ſententia Patrum eſt, quam amplectitur D. Thom. in hoc art. 4. ad 1. & in 2. diſt. 11. art. 3. ad 7. eaque fuit Hyer. in 2. Dialogo cõtra Pelagianos, Cirilli epiſt. 9. Epiphan. in ancorato, & hæreſi 69. Beda ſuper Lucã c 92. lib. 6. Theophil. Hugon. Lyran. & aliorũ quos refert, & ſequitur Barradas tom. 4. lib. 6. c. 14. quã etiã defendunt Lorca, hic diſp. 52. & Nazar. cõtrouerſia vnica aſſerẽtes Chriſtũ fuiſſe quidẽ ſine inſtructione cõſolatũ, & cõfortatũ ab Angelo, hoc eſt non fuiſſe ab Angelo edoctũ, aut illuminatũ, bene tamẽ cõſolatũ, & cõfortatũ vno ex duobus modis, nimirum, aut quatenus laudes in eũ proferebat, aut quia ver- *Quo pacto confortationẽ ſine doctrina ab Angelo accepit.*

bis conſolatorijs vtebatur, quibus in illo excitaret experimentalē aliquā cōſiderationē, ſiue cognitionē rationū, & motiuorū ex quib⁹ ſolatium aliquod acciperet, ſicut homo in cōflitu poſitus ex preſentia amici collaudātis, & cōgratulātis cōſolari. Ex his ad primū fundamētū Vazquij neganda eſt conſequentia, quia hæc conſolatio nō fuit ex indigētia adhibita Chriſto (vt vult Caiet.) ſed ex diuina diſpēſatione ad oſtēſionē veritatis humanę naturę.

Ad ſecundum nego antecedens, quia tantum fuit exhibita hæc congratulatio conſolatoria ad eum morem quo Angeli in aſſumptis corporibus hominibus loqui ſolent.

Ad tertium pariter nego antecedens, quia & ſi ad modicum tempus timorem leniuit, non tamen illum omnino extinxit, qui propterea ſuæ naturæ relictus, ex diuina diſpenſatione ſtatim iterum potuit conſurgere, & animam affligere.

QVAESTIO XIII.

De potentia animæ Chriſti, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm anima Chriſti habuerit omnipotentiam ſimpliciter?

inf. 3. a. huius q. & q. 21. a. 1. ad 1. & 1. d. 43 q. 1. a. 2. ad 2. & 3. & d. 14 a. 4.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod anima Chriſti habuerit omnipotentiā. Dicit enim Ambroſ. ſuper Luc.* Potētiam, quā Dei filius naturaliter habet, homo erat ex tempore accepturus. Sed hoc precipuê videtur eſſe ſecūdum animam, quæ eſt potior pars hominis. Cū ergo filius Dei ab æterno omnipotētiam habuerit, videtur quod anima Chriſti ex tempore omnipotentiam acceperit.

** gloſſ. ord. id habet ex Amb. Luc. 1. ſuper illud. Hic erit magnus*

q. 10. ar. 2.

2 Præterea. Sicut potentia Dei eſt infinita, ita etiam & eius ſcientia. Sed anima Chriſti habet omniū ſciētiam, quæ ſcit Deus quodammodo: vt ſupra dictum eſt. † Ergo etiam habet omnium potentiam, & ita eſt omnipotens.

3 Præterea. Anima Chriſti habet omnem ſcientiam. Sed ſcientiarum quædam eſt practica, quædam ſpeculatiua. Ergo habet eorum quæ ſcit, ſcientiam practicam, vt ſcilicet ſciat facere ea, quæ ſcit. Et ſic videtur, quod omnia facere poſsit.

Sed cōtra. Illud quod eſt propriū Dei, non poteſt alicui creaturæ conuenire. Sed propriū eſt Dei eſſe omnipotētem: ſecundum illud Exod. 15. Iſte Deus meus, & glorificabo eū. Et poſtea ſubditur, omnipotens nomen eius. Ergo anima Chriſti cū ſit creatura, non habet omnipotentiam.

Reſpondeo dicēdum, quod ſicut ſupra dictum eſt, * in myſterio incarnationis, ita facta eſt vnio in perſona, quôd tamen remanſit diſtinctio naturarum, vtraque ſcilicet natura retinente id quod ſibi eſt propriū. Potentia autem actiua cuiuſlibet rei ſequitur formam ipſius, quæ eſt principium agendi. Forma autem vel eſt ipſa natura rei, ſicut in ſimplicibus: vel eſt conſtituens ipſam rei naturam, in his ſcilicet, quæ ſunt compoſita ex materia & forma. Vnde manifeſtum

q. 2. ar. 1. & 2.

eſt

eſt, quod potentia actiua cuiuſlibet rei, conſequitur naturã ipſius. Et per hunc modum, omnipotentia conſequenter ſe habet ad diuinam naturã. Quia enim natura diuina eſt ipſum eſſe Dei incircumſcritum, (vt patet per Dionyſ. * 5. cap. de diu. nom.) inde eſt, quod habet potentiam actiuã reſpectu omnium, quæ poſſunt habere rationem entis: quod eſt habere omnipotentiam. Sicut & quælibet alia res habet potentiam actiuam reſpectu eorum, ad quæ ſe extendit perfectio ſuæ naturæ: ſicut calidum ad calefaciendum. Cum igitur anima Chriſti ſit pars humanę naturæ, impoſsibile eſt, quôd omnipotentiam habeat.

c. 5. ante med.

Ad primum ergo dicẽdũ, quôd homo accepit ex tempore omnipotentiam, quam filius Dei habuit ab æterno, per ipſam vnionẽ perſonæ: ex qua factum eſt, vt ſicut homo dicitur Deus, ita dicatur omnipotens. Non quaſi ſit alia omnipotentia hominis, quam filij Dei, ſicut nec alia deitas: ſed eo quod eſt vna perſona Dei, & hominis.

Ad ſecundum dicendum, quod alia ratio eſt de ſcientia, & de potentia actiua: ſicut quidam dicunt. Nam potentia actiua cõſequitur ipſam naturam rei, eo quod actio conſideratur vt egrediens ab agente. Scientia autem nõ ſemper habetur per ipſam eſſentiam, vel formam ſcientis, ſed poteſt haberi per aſsimilationẽ ſciẽtis ad res ſcitas, ſecundum ſimilitudines ſuſceptas. Sed hæc ratio non videtur ſufficere: quia ſicut aliquis poteſt cognoſcere per ſimilitudinẽ ſuſceptam ab alio, ita etiam poteſt agere per formam ab alio ſuſceptam: ſicut aqua vel ferrum calefacit per calorem ſuſceptum ab igne. Non ergo per hoc prohibetur, quin ſicut anima Chriſti per ſimilitudines omniũ rerum ſibi â Deo inditas, poteſt omnia cognoſcere, ita per eaſdem ſimilitudines poſsit ea facere.

Eſt igitur vlterius cõſiderandũ, quod id quod â ſuperiori natura in inferiori recipitur, habetur per inferiorem modum: non enim calor in eadem perfectione & virtute recipitur ab aqua, qua eſt in igne. Quia igitur anima Chriſti inferioris naturę eſt, quam natura diuina, ſimilitudines rerum non recipiuntur in ipſa anima Chriſti, ſecundum eamdem perfectionem & virtutem, ſecundũ quam ſunt in natura diuina. Et inde eſt, quod ſcientia animæ Chriſti eſt inferior ſcientia diuina, quantum ad modum cognoſcendi, quia Deus perfectius cognoſcit res, quam anima Chriſti: & quantum etiam ad numerum ſcitorum, quia anima Chriſti non cognoſcit omnia, quæ Deus poteſt facere, quæ tamen Deus cognoſcit ſcientia ſimplicis intelligentiæ, licet cognoſcat omnia præſentia, præterita, & futura, quæ Deus cognoſcit ſcientia viſionis. Et ſimiliter ſimilitudines rerũ animæ Chriſti inditæ non adęquant virtutem diuinam in agendo, vt ſcilicet poſsint omnia agere, quæ Deus poteſt, vel etiam eo modo agere, ſicut Deus agit: qui agit infinita virtute, cuius creatura non eſt capax. Nulla autem res eſt, ad cuius cognitionem aliqualiter habẽdã requiratur virtus infinita, licet aliquis modus cognoſcendi ſit virtutis infinitę. Quędã tamẽ ſũt, quæ non poſſunt fieri, niſi â virtute infinita, ſicut creatio, & alia huiuſmodi, vt patet ex his, quæ in prima parte dicta ſunt. * Et ideô anima Chriſti, quę cum ſit creatura, eſt virtutis finitę poteſt quidem omnia cognoſcere ſed non per omnem modum: non autem poteſt omnia facere, quod pertinet ad rationem omnipotentiæ Et inter cætera manifeſtum eſt, quod non poteſt creare ſeipſam.

p. p. q. 45.

Ad tertium dicendum, quod anima Chriſti habuit & ſciētiam practicam, & ſpeculatiuam: non tamen oportet, quod omnium illorum habeat ſcientiam practicam, quorum habuit ſcientiam ſpeculatiuam. Ad ſcientiam enim ſpeculatiuā habendam ſufficit ſola cōformitas, vel aſſimilatio ſcientis ad rem ſcitā: ad ſcientiam autem practicam requiritur, quod formæ rerum, quæ ſunt in intellectu, ſint factiuæ. Plus autem eſt habere formā, & imprimere formam habitam in alterum, quâm ſolū habere formam: ſicut plus eſt lucere, & illuminare, quā ſolum lucere. Et inde eſt, quod anima Chriſti habet quidem ſpeculatiuam ſcientiam creādi (ſcit enim qualiter Deus creat,) ſed non habet huius rei ſcientiam practicam: quia non habet ſcientiam creationis factiuam.

1 Concluſio negans eſt: quam probat S. Doct. Tum quia proprium Dei eſt omnipotentem eſſe, iuxta illud, Exodi 25. *Omnipotens nomen eius*, quod autem proprium eſt Dei nequit alicui creaturæ conuenire qualis eſt anima Chriſti. Tum etiā, quia in Chriſto manſit diſtinctio naturarum diuinæ, ſcilicet, & humanæ, vtraque retinente id quod ſibi eſt proprium: omnipotentia autem conſequitur ad naturam diuinam tamquam eius proprium attributum, ſicut & quęlibet alia potentia actiua conſequitur ad formam illius rei, quæ eſt principium agēdi: igitur cum anima Chriſti ſit pars humanę naturæ, impoſſibile eſt, quod habeat omnipotentiam, quæ eſt proprietas naturæ diuinæ.

Dubium eſt de veritate huius concluſionis?

Et ratio dubitādi ſumitur, ex triplici c. Primò, quia modus loquēdi S. Patrū videtur Chriſto, vt homini, ac proinde ratione animę attribuere omnipotētiā: ita enim loquūtur, Ambr. & gloſſa ſuper illud Lucæ 1. *Hic erit magnus* dicens: *Potentiam quā Dei filius naturaliter, habet homo erat ex tempore accepturus*, idem habet Hyer. ac Rabban. ſuper illud Matth. vlt. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra*, Athan. in Euangelio de Deipara, Cirillus lib. de incarn. c. 8. & Damaſc. lib. 3. de fide c. 8. Nicetas lib. 3. Theſaur. c. 38. & Theophilus Alexandrin. ſuper illud Ioan. 13. *Sciens quia omnia ei dedit Pater in manus.*

Secundo, quia ſicut perſona filij eſt ſubſiſtētia, & propterea vnita humanitati cōſtituit illā ſubſiſtentē ita eſt omnipotentia, & aliàs vnitur humanitati ſaltem mediāte ſubſiſtentia: ergo formaliter conſtituit eā omnipotentem. Conſequentia patet à paritate rationis, & inſuper à ſimili: quoniā propterea humanitas redditur ſancta, & grata formaliter à deitate ſibi vnita, quia eſt ſanctificans forma, & ideò cōmunicata humanitati non poteſt non reddere illā ſanctam: eo quod omnis forma cōmunicata ſubiecto cōmunicat ei ſuum effectum formalem: ſed etiam deitas eſt ſua omnipotentia, & vnitur humanitati, vt natura, & omnipotens: ergo præſtat ei hunc effectū formalem, qui eſt reddere eā omnipotētē.

2 Tertiò, quia nō obſtat ratio D. Th. in art. nam licèt exiſtentia ſequatur ad formam, & naturam, & humanitas ſit alia natura à diuina: tamen exiſtit per exiſtentiā diuinam in Chriſto, vt docet D. Th. infra q. 17. art. 2. ergo etiam poteſt fieri potens per potētiā diuinā licet hęc ſequatur ad naturā diuinā à qua diſtinguitur humanitas. Ex quo ſic vrgetur amplius argumentū: operatio ſequitur eſſe, vnūquodque enim agit in quātum eſt in actu, & ideo perfectior exiſtētia cōducit ad perfectiorē operationē: ſed humanitas Chriſti eſt cōſtituta in actu per exiſtentiā diuinā: ergo eſt potens in operationes ad quas extenditur eſſe diuinū: ac proinde ad quas extēditur potentia actiua Dei, quæ ab eius eſſe non diſtinguitur.

Sed his non obſtātibus cōcluſio ſancti Doct. eſt indubitate tenenda tāquā certa ſecundum fidem: quā ſtatuimus aduerſus Sectarios Vbichiſtas aſſerentes in repetitione Vbitemvergæ, humanitati Chriſti fuiſſe cōmunicata omnia diuina attributa ex vi vnionis hipoſtaticæ cum tanta perfectione, & plenitudine, cum quanta conueniunt Deo: cum eademque communicare humanitati ſuos effectus formales, ita vt humanitas per ęternitatē ſit ęterna, per immenſitatē ſibi vnitam ſit vbiquè, & pariter per omnipotētiā diuinā ſit omnipotens *Animam Chriſti non habuiſſe omnipotentiā eſt dogma fidei.*

tens: quia hæc formalis,& plena cõmunicatio attributorũ pertinet ad idiomatũ cõmunicationẽ: alioquin quãdo dicimus hũc hominẽ eſſe æternũ, immẽſum,& omnipotẽtẽ fieret ſenſus, quod ratione ſolius deitatis ſit æternus, immẽſus,& omnipotens: & nõ ratione humanitatis: ac proinde nihil diuinũ diceremus de humanitate,& cõſequenter deſtueretur idiomatũ cõmunicatio à ſanctis Patribus ſtabilita.

Sed noſtra cõcluſio cõmuniter defenditur ab Scholaſticis cũ Mag. 3.d.14. Bonauent, ibi, art. 3. Dur. q. 5. Palud. q. 3. Ricard. art. 2. Gabr. q. 1. art. 3. dub. 2. Alenſi 3. p. q. 14. & à recentioribus cũ D.Th. in hoc articulo. Probaturquè primo hic à Suario diſp. 31. ſect. 1. ex Eccleſiæ diffinitione, qua diſſiniuit in Chriſto poſt vnionẽ mãſiſſe duas naturas incõfuſas, ac diſtinctas cũ ſuis duplicibus proprietatibus: nimirũ in Conc. Calced. act. 5. in 5. Synodo generali, act 4.& in 6. Synodo act. 4. 11.& 17. in Concil. Later. ſub Martino primo, conſultatione vltim. can. 9.& trib⁹ ſequentibus, ſed potẽtia actiua eſt proprietas naturæ: ergo ſicut in Chriſto mãſit duplex natura, ita,& duplex potentia: altera finita propria naturæ humanæ,& altera infinita propria naturæ diuinæ, ſcilicet omnipotentia.

Secũdo probatur ex altero principio diffinito in eiſdẽ locis, à nobis ſupra expoſito, q. 2. art. 1. contra Euthichianos: nimirũ, quod vnio hipoſtatica facta fuit in perſona,& nõ in natura: ſi autẽ humanitas euaderet omnipotẽs per omnipotẽtiã diuinã; cum hæc ſit eſſentialis, & cõmunis tribus perſonis facta fuiſſet vnio in aliquo eſſentiali,& cõmuni tribus perſonis, ac proinde cũ omnibus illis,& nõ cũ ſola perſona Verbi, quod eſt contra fidem; ergo.

Tertio: nam vel omnipotẽtia communicaretur humanitati immediatè,& per ſe ipſam, vel mediante aliquo dono creato: ſed neutro modo: ergo. Maior patet à ſufficiẽti diuiſione,& minor, quod non primo modo probatur, quia aut per idẽtitatẽ,& hæc eſſet cõfuſio naturarũ Eutychiana ab Eccleſia damnata, aut per informationem,& hæc vnio eſſet facta in natura, vtpote cuius terminus eſſet omnipotentia, quæ eſt idem cũ natura Dei, informans humanitatem,& cõmunicans illi ſuũ eſſe: quæ vnio & eſt damnata ab Eccleſia aduerſus eoſdẽ Sectarios, præter quã quod repugnat diuino attributo ſubire munus formæ informantis. Quod nõ ſecũdo modo patet, quia tale donũ, vtpote creatũ, in entitate,& actualitate, ac proinde in virtute,& efficacia, quæ ad entitatẽ,& actualitatẽ ſequitur eſſet inferius quã omnipotẽtia: quæ tria dicit in ſuo conceptu, videlicet ex parte obiecti collectionem omniũ factibiliũ, ex parte agentis continentiã eminentẽ earũdem per modum cauſę principalis, & ex parte modi agendi omnimodã independentiã à concurſu alterius agentis ſuperioris, quorũ nullũ cõpeteret humanitati Chriſti, etiã per quodvis donũ creatum eleuatæ. Non primum quia obiectũ potentiæ operatiuę ipſius non cõprehendit omnia factibilia, quia ſaltẽ ſeipſam nequit producere ſicut nequit ſibi ipſi præexiſtere: neque ſecũdũ quia res perfectiores quã ſit ipſa nõ poteſt producere vt cauſa principalis: minuſque poteſt illas, aut alias imperfectiores creare quia ad hoc requiritur virtus infinita ſimpliciter quæ creaturæ conuenire nõ poteſt. Denique neq; tertiũ quia in nulla operatione poteſt dependentiam à diuino cõcurſu ſubterfugere: qua ratione conuincitur circa nullum effectum humanitatem Chriſti habuiſſe omnipotentiam.

4 Ad primum reſpondetur adducta, & ſimilia teſtimonia Patrum, vno ex duobus modis poſſe explicari: primus eſt quẽ D. Thom. attigit ad ſecundũ dicens omnipotẽtiã cõmunicatã fuiſſe humanitati Chriſti per ipſam vnionẽ perſonalẽ ratione cuius propria Dei dicũtur de homine per idiomatũ cõmunicationẽ: ita vt hic homo, nimirũ Chriſtus verè ſit omnipotens ſicut & eſt Deus.

Secundus eſt quem ſequitur Vazq. diſput. 57. c. 1. dicens Patres tantũ voluiſſe indicare fuiſſe cõmunicatã humanitati aſſumptæ ex vnione ad Verbũ virtutem inſtrumentalẽ operandi miracula & alia opera propria diuinæ omnipotentiæ: & quia hæc virt⁹ participatio quædã eſt omnipotentiæ propterea dicitur à Patribus omnipotentiã cõmunicatã fuiſſe humanitati ad eũ modũ quo ſolemus dicere in inſtrumẽtis alicuius artis virtutẽ ipſam artis inueniri, hancque eſſe mentẽ S. Patrũ inde colligit Vaſq. quod loquantur de humanitate abſtractè ſumpta, cui pariter ſcientiã omnium rerũ, atque omnipotentiã attribuũt.

Ad ſecũdũ admiſſa maiori,& min. nego cõſequẽtiã quia perſona filij eſt ſubſiſtẽtia immediatè & ratione ſui, ac ſecũdũ cõceptum relatiuum: quę vt cõſtituat huma-

nitatem ſubſiſtentem ſufficit quod illi vniatur per modum termini in qua vnione nulla admiſcetur imperfectio repugnans Deo: eſt autem omnipotentiã mediante, & ratione eſſentiæ abſolutæ mediante qua vnitur humanitati aſſumptæ: quæ vnio non ſufficit vt illam conſtituat omnipotentem, ſed requiritur inſuper quod deitas, & ſimiliter omnipotẽtiã vniretur, tamquam actus: & forma, ſiue tanquam potẽtia operatiua, & principium quo ipſius humanitatis: in qua vnione involuitur imperfectio repugnans Deo: ſicut ob ſimilem impetfectionem repugnat ei vniri alicui creaturæ per modum formæ informantis, aut per modum luminis, aut per modum intellectus, ſiue voluntatis: quo pacto neque ſapientia increata poteſt humanitatẽ Chriſti conſtituere ſapientem formaliter, licet ei vnita fuerit ſecundario mediante eſſentia, & perſonalitate.

Ad confirmationem diſtinguenda eſt maior iuxta ea quę docemus, ſupra art. 1. nimirum, quia vt deitas ſit forma ſanctificans non oportet, quod vniatur humanitati per modum formæ informantis, ſed ſat eſt, quod ei vniatur per modum termini, nam eo ipſo, quod humanitatem terminat media ſubſiſtentia reddit illam ſanctá idest obiectum congruum diuini amoris; nihil enim amplius dicit in ſuo conceptu formali eſſe ſanctum, quam eſſe dignum, & congruum obiectum diuini amoris: eſſe autem humanitatem omnipotentem deberet prouenire à forma intrinſece informante, quia hæc denominatio potentis agere, non poteſt non prouenire à forma intrinſeca ipſius agentis, vt dictum eſt.

Ad tertium nego antecedens, ad cuius primam probationem dicẽdum eſt, quod exiſtentia non ſequitur ad naturam, vt eius proprietas, ſicut ſequitur potentia actiua, ſed eſt actus ſuppoſiti debitus tamen naturæ.

Ad ſecundam reſpondeo, quod operatio ſequitur ad actum naturæ, quæ eſt radicale principium operandi, non ad actum ſuppoſiti qualis eſt exiſtẽtia, quę nõ eſt ratio formalis operandi, ſed ſola conditio licet inſuplebilis; cui proinde non debet magnitudo, vel perfectio operationis cõmenſurari. Dices ex eo, quod humanitati communicetur exiſtentia, non ſequitur fieri vnionẽ in aliquo communi omnibus perſonis, quia exiſtentia determinatur per perſonalitatem filij, ſed etiã omnipotentia cõmunicata humanitati determinatur per eandem perſonalitatem: ergo licet eam reddat omnipotentem, non ſequitur vnionem fieri in natura, aut in aliquo cõmuni.

Reſpondetur negando minorem; quia omnipotentia eſt proprietas naturæ diuinæ, & non eſt actus ſuppoſiti, ac proinde ſupponit concretum deitatis cui tribuet ſuum effectum formalem.

5 Hinc colligo primo falſo dixiſſe Suarium in dicta lect. 1. circa finem, quod humanitas Chriſti non habet perfectiorem exiſtentiam, ſicut nequè habet perfectiorem naturam, aut potentiam operatiuam, quia putat exiſtentiam ab eſſentia non diſtingui, & ideò in humanitate Chriſti fuiſſe exiſtentiam creatam, ſubſiſtẽtiam vero increatam, ſed vtramquè pariter fuiſſe increatam oſtendemus infra quæſtion. 17. art. 2.

Colligo ſecundo aduerſus Bonauenturam, in 3. diſt. 14. q. 2. art. 2. & Ricard. ibidem humanitatem aſſumptam ex vi vnionis non euaſiſſe potentiorem phyſicè ad operãdum quam eſſet ex natura ſua, cuius ratio eſt, quia in humanitate aſſumpta quatuor poſſumus conſiderare: nimirum naturam ipſam humanã, diuinam ſubſiſtentiam, exiſtentiam, & modum vnionis: ſed per nullum ex his fuit potentior phyſicè: non per primum, quia natura eſt eadem cum ſuis proprietatibus invariata manens, ac per conſequens ex vnione ſicut non fit alia natura, ita neque aduenit illi alia potentia, ſiue proprietas; nequè per ſecundum, aut tertium, quia nequè ſubſiſtentia, aut exiſtentia ſunt actus operatiui, ſed tantum ſunt actus ſuppoſiti requiſiti, vt conditiones ad operandum, nequè alias Verbum vnitur humanitati, vt forma operatiua, niſi tantum vt terminus: nequè per quartum, quia modus vnionis non eſt forma operatiua, neque datur ad operari, niſi tantum adeſſe perſonale: ergo.

ART.

Digitized by Google

ART. II.

Vtrùm anima Chriſti habuerit omnipotentiam reſpectu immutationis creaturarum.

AD ſecūdum ſic proceditur. Videtur, quod anima Chriſti habuerit omnipotentiam reſpectu immutationis creaturarū. Dicit enim ipſe Matth. vlt. Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra. Sed nomine cœli, & terræ intelligitur omnis creatura, vt patet cum dicitur Gen. 1. in principio creauit Deus cœlum, & terram. Ergo videtur quod anima Chriſti habeat omnipotentiam reſpectu immutationis creaturarum.

2 Prærerea. Anima Chriſti eſt perfectior qualibet creatura. Sed quę libet creatura poteſt moueri ab aliqua creatura; dicit enim Aug. in 3. * de Trin. quod ſicut corpora craſsiora, & inferiora per ſubtiliora, & potentiora quodam ordine regunrur: ita omnia corpora per ſpiritum vitæ; & ſpiritus vitæ irrationalis, per ſpiritum vitę rationalem; & ſpiritus vitæ rationalis deſertor, atque peccator, per ſpiritum vitæ rationalē piū, iuſtum. Anima autem Chriſti etiam ipſos ſupremos ſpiritus mouet, illuminando eos: vt dicit Dion. 7. c. cœleſt. hierar. * Ergo videtur, quod anima Chriſti habeat omnipotentiam reſpectu immutationis creaturarū.

c. 4. nō procul à prin. tom. 3.

poſt me.

3 Præterea. Anima Chriſti habuit pleniſsimê gratiam miraculorum, ſeu virtutum, ſicut & cæteras gratias. Sed omnis immutatio creaturæ poteſt ad gratiam miraculorū pertinere, cū etiam miraculoſe cœleſtia corpora â ſuo ordine immutata fuerint: ſicut Dion. probat in epiſtola ad Polycarpum. * Ergo anima Chriſti habuit omnipotentiam reſpectu immutationis creaturarum.

per totam epiſt.

Sed cōtra eſt, quod eiuſdē eſt trāſmutare creaturas, cuius eſt eas cōſeruare. Sed hoc eſt ſolius Dei, ſecundū illud Heb. 1. Portans omnia Verbo virtutis ſuæ. Ergo ſolius Dei eſt habere omnipotētiam teſpectu immutationis creaturarum. Non ergo hoc conuenit animæ Chriſti.

Reſpondeo dicendum, quod hîc duplici diſtinctione eſt opus. Quarū prima eſt ex parte tranſmutationis crearurarū; quæ triplex eſt. Vna quidē eſt naturalis; quæ ſcilicet fit â proprio agente ſecundū ordinem naturæ. Alia vero eſt miraculoſa: quæ fit ab agente ſupernaturali, ſupra cōſuetū ordinem, & curſum naturæ: ſicut reſuſcitatio mortuorum. Tertia autem eſt, ſecundum quod omnis creatura vertibilis eſt in nihil. Secūda autē diſtinctio eſt accipiēda ex parte animæ Chriſti, quæ dupliciter conſiderari poteſt. Vno modo ſecūdū propriā naturam, & virtutē; ſiue naturalē, ſiue gratuitā. Alio modo prout eſt inſtrumētū Verbi Dei, ſibi perſonaliter vniti. Si ergo loquamur de anima Chrii ſecundū propriā naturā, & virtutem, ſiue naturalem, ſiue gratuitam, potentiam habuit ad illos effectus faciendos, qui ſunt animæ conuenientes: puta ad gubernādum corpus, & ad diſponendos humanos actus, & etiam ad illuminandum per gratiæ, & ſciētiæ plenitudinem omnes creaturas rationales ab eius perfectione deficientes, per modum, quo hoc eſt conueniens creaturæ rationali. Si autem loquamur de anima Chriſti ſecundum quod eſt inſtrumentum Verbi ſibi vniti: ſic habuit inſtrumentalem vir-

Digitized by Google

tutem ad omnes immutationes miraculoſas faciendas, ordinabiles ad incarnationis finem: qui eſt inſtaurare omnia, ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terris ſunt. Immutationes vero creaturarum, ſecundum quod ſunt vertibiles in nihil, correſpondent creationi rerum: prout ſcilicet producuntur ex nihilo. Et ideo ſicut ſolus Deus poteſt creare, ita ſolus poteſt creaturas in nihilum redigere, qui etiam ſolus eas in eſſe coſeruat, ne in nihilum decidant. Sic ergo dicendum eſt, quod anima Chriſti non habet omnipotentiam reſpectu immutationis creaturarum.

Super illud Mat. 28. Data eſt mihi omnis poteſtas, to. 9 ar. præc. ad 1.

Ad primum ergo dicendum, quod ſicut Hieronym. * dicit. Illi poteſtas data eſt, qui paulo ante crucifixus, qui ſepultus in tumulo, qui poſtea reſurrexit; ideſt Chriſto, ſecundum quod homo. Dicitur autem ſibi omnis poteſtas data ratione vnionis, per quam factum eſt, vt homo eſſet omnipotens: vt ſupra dictum eſt. † Et quamuis hoc ante reſurrectionem innotuerit Angelis, poſt reſurrectionem tamen innotuit omnibus hominibus, vt Remigius dicit. Tunc autem dicuntur res fieri, quando innoteſcunt. Et ideo poſt reſurrectionem dicit Dominus ſibi datam omnem poteſtatē in cœlo, & in terra.

Ad ſecundum dicendum, quod licet omnis creatura ſit mutabilis ab alia creatura præter ſupremum Angelum, qui tamen poteſt illuminari ab anima Chriſti: non tamen immutatio omnis, quæ poteſt fieri circa creaturam poteſt fieri â creatura: ſed quædam immutationes poſſunt fieri â ſolo Deo. Quæcumqué tamen immutationes poſſunt fieri per creaturas, poſſunt etiam fieri per animam Chriſti, ſecundum quod eſt inſtrumentum Verbi: non autem ſecundum propriam naturam, & virtutem: quia quædam huiuſmodi immutationum non pertinent ad animam, neque quantum ad ordinem naturæ, nequé quantum ad ordinem gratiæ.

Ad tertium dicendum, quod (ſicut dictum eſt * in ſecunda parte) gratia virtutum, ſeu miraculorum datur animæ alicuius Sancti, non vt propria virtute ei conueniat miracula facere, ſed vt per virtutem diuinam huiuſmodi miracula fiant. Et hęc quidem gratia excellentiſsime data eſt animæ Chriſti, vt ſcilicet non ſolum ipſe miracula faceret, ſed etiam vt hanc gratiam in alios transfunderet. Vnde dicitur Matth. 10. quod conuocatis duodecim Diſcipulis, dedit eis poteſtatem ſpirituum immundorum, vt eijcerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.

p. 2. q. 111. a. 1.

6 POſtquam D. Thom. in art. 1. negauit humanitati Chriſti omnipotentiam ſimpliciter: in hoc ſolum negat ei omnipotentiam ſecundum quid, hoc eſt ad immutādas creaturas, ſemel productas: poſſet namquè anima Chriſti intelligi cum omnipotentia ad immutandam omnem creaturam ſemel productam, quamuis eā non haberet ad producendum de nouo creaturam, vnde poſtquam in art. 1. diffiniuit animæ Chriſti non conuenire omnipotentiam ſimpliciter, merito & abſquè vitio repetitionis in hoc art. 2. inquirit an ſaltem habeat omnipotentiam, qua poſsit immutare creaturas ſemel productas? & reſpondet tribus concluſionibus: quarum prima eſt: anima Chriſti habuit virtutem ad omnes effectus, qui ſunt connaturales animæ humanæ, tam ſecundum potentiā cōnaturalē, quā ſecūdū potētiā gratuitā.

Secūda, anima Chriſti habuit vt inſtrumētū Verbi virtutē ad omnes immutationes miraculoſas, qui ad finem incarnationis ordinari poſſunt: præter illā qua creaturæ in nihilum poſſunt redigi.

Tertia, quæ colligitur ex ſecūda, humanitas Chriſti abſolute non habet omnipotentiam ad immutandas creaturas. Ratio primæ cōcluſionis eſt, quia humanitas

Chri-

Chriſti fuit perfecta, & integra eum omnibus humanis facultatibus operatiuis, fuit quoque exornata donis ac virtutibus gratiæ, quibus connaturali ac perfecto modo vt agens principale, ſupernaturales operationes eliceret, vt conſtat ex ſuperius dictis.

Ratio ſecundæ eſt, quia Chriſtus vt homo fuit caput, & conſumator humanę ſalutis, & ideò habuit plenitudinem gratiarum ac per conſequens virtutem faciendi miracula excepta annihilatione, quia hæc ſicut, & creatio cui correſpondet eſt opus ſolius Dei. Denique ratio tertiæ concluſionis eſt, quia vbi deeſt potentia ad creationem, & annihilationē non ſaluatur omnipotentia ad omnes immutationes creaturarum. Circa has concluſiones quatuor à Theologis de potentia humanitatis Chriſti controuerti ſolent. Nimirum an fuerit cauſa principalis phyſica ſupernaturalium donorum gratiæ in alijs hominibus, vel tantum moralis? An ſit ſaltem cauſa phyſica inſtrumentalis huiuſmodi donorum, ac miraculorum? Deinde quæ ſit iſta virtus phyſica inſtrumentalis? Et tamdem cur ad creandum, ſiue ad annihilandum nequeat extendi? Quæ à nobis eodem ordine ſunt examinanda.

Dubium primum eſt: An humanitas Chriſti Domini instuat in alios homines dona gratiæ in genere cauſæ efficientis phyſicæ principalis?

Proponitur ſtatus quæſtionis & id in quo omnes conueniunt.

7 IN hoc dubio omnes Theologi conueniunt in vno, & diſcriminantur in alio, coueniunt quidem in eo quod humanitas Chriſti, ſiue Chriſtus vt homo ſit cauſa principalis moralis noſtræ iuſtificationis, ac cæterorū donorum, quæ iuſtificationem commitantur,

Quæ ſuppoſitio ſuadetur tripliciter, tū authoritate. D. Thom. qui 4. contra gent. c. 74. & 3. diſtin. 19. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 2. & 4. diſt. 6. quæſt. 2. art. 2. quæſtiun. 2. aſſerit Chriſtum vt hominem eſſe cauſam principalem noſtræ iuſtificationis: non quidem phyſicā, quia id impoſsible eſſe, & alienum à mente Sancti Doctoris oſtendemus: ergo ſentit eſſe principalem moralem. Tū & ratione ex eodem Sācto Doctore deducta: quoniam Chriſtus vt homo eſt cauſa noſtræ iuſtificationis ac donorum gratiæ per meritum, & ſatisfactionem: agens autem liberum per meritum, & ſatisfactionem, licet ſit cauſa efficiens phyſica principalis reſpectu ipſius actus meritorij, & ſatisfactorij, tamen reſpectu præmij conſequendi eſt cauſa principalis moralis, ſicut & homo iuſtus dum augmentum gratiæ, & gloriæ obtinet per meritum illud moraliter principaliter in ſe ipſo producit, & ſicut imperans, aut conſulens aliquid, dicitur illud efficere, tanquam agens principale morale: ergo pariter Chriſtus, vt homo dum per meritum, & ſatisfactionem noſtram obtinuit iuſtificationem, & peccatorum remiſsionem, illam vt agens principale morale operatus eſt: eo vel maxime, quod in hoc genere cauſalitatis nulli alteri agenti principali ſubordinatur, neque enim Deus eſt merens, aut ſatisfaciens pro nobis, niſi ſolus Chriſtus, vt homo qui ex gratia vnionis, & donis à Deo in humanitate acceptis de condigno noſtram gratiā, & ſalutem promeruit, & pro offenſis ſatisfecit. Diſcriminantur autem circa cauſalitatem phyſicā cauſæ principalis efficientis in duas ſententias. Prima tribuēs Chriſto vt homini huiuſmodi phyſicam cauſalitatem agentis principalis reſpectu gratiæ, & donorum in alijs hominibus eſt Medinę hic dub. vltim. concluſio. 8. & Cabrerę diſputat. 2. aſſerētium humanitatem Chriſti eſſe cauſam ſecundam principalem phyſicam ſaltem per accidens noſtræ gratiæ ad eum modum, quo ferrum calidum eſt cauſa principalis callefactionis.

Quam ſuadent tripliciter primo ex teſtimonijs ſcripuræ in quib⁹ hæc dignitas agētis principalis phyſici videtur attribui Chriſto vt homini: propterea enim dicitur author gratiæ, & ſalutis noſtrę, vt Ioann. 1. *Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*, in quo denotatur teſte Chryſoſtomo, Theophylato, & Auguſtino tract. 3. in Ioann. diſcrimen inter Moyſem, & Chriſtum pœnes hoc, quod à Moyſe, tanquam à miniſtro famulo, & inſtrumento data eſt lex, à Chriſto

autem tanquam à Domino authoritatem habente facta eſt gratia, eadem authoritas ſignificatur in illo Matth. 9. *Vt ſciatis quod filius hominis habet poteſtatem remittendi peccata*, & Eſai. 9. dum appellatur pater futuri ſæculi, & ad Roman. 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui*, & ad Hæbr. 2. *Decebat eum qui multos filios in gloriam adduxerat authorem ſalutis eorum per paſsionem conſumari*, in quibus locis Chriſto vt homini attribuitur; quod ſit pater adoptans, & cui iuſti aſsimilantur in eſſe ſupernaturali gratiæ: agens autē quod producit effectum ex authoritate, & poteſtate propria; atque aſsimilans illum ſibi, ſicut pater aſsimilat ſibi filium eſt principale phyſicum: ergo huiuſmodi eſt Chriſtus: quatenus homo reſpectu noſtrę gratiæ. Secundo ex conditionibus cauſæ efficientis phyſicę principalis, quæ ſunt iſtæ: nimirum, quod habeat formam principaliorem, vel ſaltem æque principalem, cum effectu quæ ſit ei ratio agendi, quod effectus per ſe talem formam in cauſa præſupponat quod poſsit talem effectum per ſe, & independenter à quocumque inſtrumento producere: cui & effectus aſimilitetur, atqui omnes has conditiones in Chriſti humanitate reperiri patet: nam habet gratiam habitualem perfectè, & cum plenitudine, tā quam caput influens per illam in cæteros iuſtificatos, quorum iuſtificatio præſupponit huiuſmodi gratiæ plenitudinem in Chriſto, quem oportuit eſſe ſanctum, & gratum vt nos gratificaret: poteſtque ſine Sacramento, aut aliquo alio inſtrumento gratiam nobis conferre, per quam ei aſsimilamur, vt dictū eſt: ergo. Quod ſi dicas humanitatem Chriſti non habere gratiam vt formam ſibi propriam debitam, & connaturalem, quod tamen requiritur vt ſit cauſa principalis. Contra arguitur tertio; nam præterquam quod gratia habitualis debita, & propria eſt Chriſto vt homini de quo propterea dicitur Ioann. 1. *Vidimus gloriam eius gloriam, quaſi vnigeniti plenum gratiæ*, & D. Thom. ſupr. quæſt. 7. articul. 9. ait gratiā collatam fuiſſe Chriſto vt vniuerſali principio in genere habentiū gratiā, quaſi ei ſit debita plenitudo ſicut vniuerſali principio debita eſt plenitudo virtutis in tali genere, & capiti plenitudo ſenſus, adhuc ſatis eſt ſi humanitas habeat quodomocumque gratiam, vt ſubiectum ſubſtentans illam, vt ſit cauſa principalis, quo pacto aqua ſubſtentans calorem, etſi extraneum, eſt cauſa principalis calefactionis, quia habet formā, quæ eſt ratio agedi principaliter, ſcilicet calorem: vnde teſte Caietano 22. quæſt. 23. art. 2. circa ſolutio. 3. actus participatus in ſubiecto alterius naturæ qualis eſt calefactio proueniens ab aqua calida poteſt referri in duplex agens principale quod: ac particulare, & proximum: nimirum in ignem vt in agens particulare propriū cui forma eſt cō naturalis, & in cuius virtute operatur vbicumque ſit, & in aquam vt in agens quod particulare ſuſtētans formā extraneam: ergo licet ſolus Deus ſit cauſa principalis gratiæ primo modo hoc eſt, tamquam cui connaturalis eſt talis forma: tamen humanitas Chriſti erit cauſa principalis, ſecundo modo tamquam vtens tali gratia, & ſubſtentans illam.

Secunda ſententia negans eſt, quam cō muniter tuentur Theologi cum Magiſtr. in 3. diſtin. 14. Bonauen. & Duran. ibidē quæſt. 5. Paludanus in 4. diſtin. 1. Soto ibi. quæſt. 3. art. 3. Scotus ibid. diſtin. 2. & 4. diſtin. 5. quęſt. 3. Cano. in relectione de Sacramentis par. 4. Petrus de Soto lib. de inſtitutio. Sacerdotis part. 1. Vazqui. 1. part. diſpution. 167. capit. 3. Caietan. in hoc articulo, et ſupra quæſt. 7. art. 9. et quæſt. 8. art. 1. et infra quęſtio. 64. art. 1. Driedo libr. de capt. et redempt. generi humani, tract. 2. cap. 1. part. 2. membr. 2. Stapleton. lib. 7. de iuſtificatio. Vega lib. 7. in Concil. cap. 10. Suar. diſput. 31. ſectio. 4. et Naçarius controuer. 1. et quia hęc eſt expreſſa ſententia D. Thom. pluribus in locis nimirum, ſupr. quęſt. 8. art. 1. ad 1. et infra quęſt. 62. art. 5. et quęſt. 64. art. 3. et 12. quæſt. 112. art. 1. ad 2. lib. 4. contra gent. c. 41. & de veritate quæſt. 27. art. 3. ad 7. & quæſtio. 29. art. 4. ad 1. ideo à nobis ſtatuitur proconcl. 1.

9 Et oſtenditur primo, nam Concilium Triden. Seſsion. 6. cap. 7. numerans omnes cauſas phyſicas noſtræ iuſtificationis, ait ſolum Deum eſſe cauſam efficientem intellige principalem; nam de inſtrumentali paulo poſt ait eſſe baptiſmum non excludendo cætera Sacramenta, & merito quia ex modo loquendi ſcrituparæ colligitur proprium eſſe Dei gratiam infundere, & gloriam dare, atque remittere peccata, vt Pſalm. 83. *Gratiam, & gloriam Dominus*, Oſeæ 13. *Saluator non eſt præter me*, Iob 14. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, non ne tu qui ſolus*

Solus De⁹ eſt cauſa principalis phyſica gratia iuſtificantis.

eſt

ni: & ad Roman. 8. *Deus qui iuſtificat, &c.* quo more loquendi ſignificatur ſolũ Deũ eſſe cauſam principalem phyſicam gratiæ, ſicut quia operatio miraculorũ tribuitur ſoli Deo denotatur ſolum Deum eſſe cauſam principalem miraculorum, licet alij ſancti ſint inſtrumenta diuinæ virtutis ad illa patranda.

Secundo oſtenditur quatuor rationibus Theologicis quarum prima eſt qua vtitur D. Thom. 4. contra gent. cap. 15. ratione 21. ſub hac forma, adoptare in filios Dei non poteſt eſſe opus alterius, niſi ſolius Dei: quia ſolus ille qui per naturam eſt Deus poteſt facere alios filios Dei per adoptionem, vnde ad Galat. 4. Apoſtolus tribuit Deo huiuſmodi opus dicens: *Miſit Deus filium ſuum, vt adoptionem filiorum reciperemus.* Deus autem efficit homines filios ſui adoptiuos per gratiam iuſtificantem iuxta illud, ad Roman. 8. *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater*: ergo ſolus Deus poteſt eſſe cauſa principalis gratiæ iuſtificantis ſicut, & adoptionis. Secunda eſt quia gratia producitur in anima hominis, non ſecundum potentiam naturalem; ſed obedientialem; quia ſoli Deo ſubditur vt agenti principali. Dices igitur, neque actus ſupernaturales dilectionis Dei, aut illuminationis aliorum hominum eliciuntur à Chriſto vt à cauſa principali; conſequens eſt falſum, & contra D. Thom. hic: ergo.

Reſpondeo negando conſequẽtiã quia dilectio ſupernaturalis ſupponit habitũ eiuſdem ordinis: & ita non recipitur in anima Chriſti ſecundum obedientialem nudam; ſed eleuatam per habitum, vel ſecundum potentiam connaturalem ipſius habitus: illuminatio vero eſt per modum proponentis obiectum abſque productione alicuius luminis in ſubiecto illuminato, & ideo potuit Chriſtus vt homo illam principaliter efficere vt hic innuit D. Thom. Tertia eſt quia vel gratia Chriſti produceret gratiam per ſe, aut per aliam formam, non per ſe quia non eſt productiua alterius gratiæ in alio ſubiecto: propter tria. Tum quia hæc eſt communis conditio omniũ habituum, vt tantum ſint operatiui actuum, & non habituum conſimilium extra ſuum ſubiectum vt indutione probari poteſt in omnibus, & ſingulis habitibus, tam infuſiſque acquiſitis: & multo minus gratia, quę neque actuum eſt proximeoperatiua, quia datur ad eſſe, & non ad operari. Tum etiã quia per ſe eſt immediata participatio Deitatis à qua proinde poſtulat ſuapte natura immediate produci, & participari. Tũ denique quia alias gratia petri, v. g. & cuiuſcũque puri hominis iuſti poſſet ſimilem gratiam producere in alio homine: ſiquidem eſt eiuſdem athomæ ſpeciei cum gratia Chriſti: quod tamẽ eſt omnino falſum, ſicut & quod purus homo gratus poſſit alios, vt cauſa principalis ſanctificare: neque per aliam formam, quę neceſſario eſſet imperfectior. Quarta eſt, quod aut cauſaret gratiam in alijs hominibus per motionem tranſeuntem; aut per actum vitalem immanentem: non primo modo, quia derogat perfectioni gratiæ quę eſt veluti naturaſpiritualis, & ſupernaturalis ordinata ad operandum, tantum per actus immanentes intra ſuum ſubiectum. Neque ſecundo quia actus immanens ſupernaturalis, nihil poteſt phyſicè operari effectiuè, quia neque habitum, neque eius augmentum: ergo multo minus in extraneo ſubiecto. Dices gratia Chriſti eſt capitis: ergo influens propria virtute: ergo vt agens principale.

Reſpondetur influere quidem moraliter principaliter per meritum, & ſatisfactionem, & phyſice inſtrumentaliter, non à propria virtute; neque ab vnione quę nõ eſt operatiua, ſed à virtute quadam ei impreſſa à Deo, quæ eſt vis inſtrumentalis ab illo, vt ab agente principali deriuata, ratione cuius dicitur gratia Chriſti capitalis, ſolum diuerſa ab habituali gratia ſecundum modalem ſpeciem ob iſtum modum virtutis ei ſuperuenientem, ſicut calor animalis in homine differt à naturali penes modalem quamdam virtutem inſtrumentalem ei adiunctam ex coniunctione ad animam ratione cuius fit potens carnẽ, & oſſa agenerare.

10 Dico ſecundo Chriſtus vt homo ſiue eius humanitas nedum moralem; ſed etiam phyſicũ influxum ſaltim inſtrumentalem habuit in noſtram iuſtificationem. Hæc cõcluſio ſtatuitur aduerſus nõnullos ex authoribus 2. ſentẽtiæ exiſtimãtes Chriſtum vt hominem reſpectu noſtræ iuſtificationis: nullatenus eſſe cauſam phyſicam efficentem; ſed dumtaxat moralem per modum orantis, ſiue de præcantis: de quorũ numero ſunt Durandus, Scotus, Petrus de Soto, Cano, Vega, & Vazquius in locis præallegatis.

Et ſuadetur primo ex tribus teſtimonijs

Digitized by Google

nijs Scripturæ in quibus Chriſto vt homini huiuſmodi phyſica efficientia reſpectu noſtræ iuſtificationis attribuitur. Nimirum ex illo Ioann. 1. *Gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*: Verbũ enim *facta*, phyſicam efficientiam denotat ſaltem inſtrumentalem: quam non minus denotat comparatio, qua Chriſtus eiuſdem Ioannis cap. 15. ſe viti, & iuſtos palmitibus cõparauit dicens: *Sicut palmes non poteſt ferre fructus à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos, niſi in me manſeritis, ego ſum vitis vos palmites*, &c. quia ſicut vitis influit phyſicæ vitam vegetatiuã in palmites: ita Chriſtus vitã ſpiritualem in homines iuſtos; necnon comparatio illa facta à Paulo ad Roman. 5. inter delictũ Adami, & iuſtitiam Chriſti: *Vbi abundauit delictum ſuperabũdauit & gratia, &c.* Qua denotatur quod ſic Chriſtus influit in noſtrã iuſtificationẽ ſicut Adamus influxit damnationem, & culpã originalẽ in poſteros: quamquidem ad productionẽ naturæ efficienter phyſice, & non ſolum moraliter transfudit eo modo, quo priuatio capax eſt terminandi phyſicũ influxum. His accedit modus loquendi Concilij Epheſini primi in pluribus anathematiſmis ibi à probatis, & in Epiſtola Cirilli ad Neſtorium appellantis carnem Chriſti viuificatricem, eo quòd habeat virtutẽ influendi in alios homines vitã ſpiritualem, quæ virtus nõ poteſt non eſſe phyſica: vtpotè carni communicata, tota enim moralis cauſalitas ad animam expectat: ergo.

Deinde probatur tribus rationibus, ſiue congruentijs Theologicis. Prima eſt, quia talis cauſalitas phyſica decet humanitatẽ Chriſti: vtpotè capitis vniuerſalis, eamque maximè exornat: ergo non eſt illi deneganda. Secunda eſt quia Sacramenta nouæ legis quorum author eſt Chriſtus & quæ ſunt inſtrumenta ſeparata diuinitatis gaudent huiuſmodi phyſica cauſalitate reſpectu noſtræ gratiæ, vt docent Theologi cum D. Thom. infra quæſt. 62. art. 1. ergo à fortiori illa gaudebit Chriſtus, vt homo qui eſt inſtrumentum coniunctũ à quo Sacramenta mouẽtur. Tertia eſt quia Chriſtus vt homo habuit virtutẽ phyſicam patrandi opera miraculoſa, quæ ad hũmanam ſalutem, & iuſtificationem ordinantur, vt ſequenti dubio oſtendemus: ergo congruum eſt vt illam pariter habuerit ad ipſam iuſtificationẽ efficientiam.

11 Ad primum pro contra ſententia reſpondetur explicando ſingula teſtimonia. In primo itaque tantum ſignificatur Chriſtum vt Deum eſſe authorẽ gratiæ, & ſalutis humanæ, tamquam cauſam principalem phyſicam, & quatenus hominem eſſe cauſam principalem moralẽ, hoc eſt merentem illam de condigno, in quo à Moyſe, & à quolibet puro homine, qui neque fuit redemptor humani generis, neque caput Eccleſiæ, proculdubio diſcriminatur. In ſecũdo tantũ attribuitur Chriſto, vt homini poteſtas remittendi peccata, vt cauſæ principalis moralis influẽtis per meritum, aut poteſtas phyſica inſtrumentalis excellentiæ: nimirum inſtrumenti coniuncti diuinitati, & excellentiæ, quæ propria fuit Chriſti Domini. In tribus autem poſterioribus ſolum denotatur Chriſtum quatenus Deum eſſe principium noſtræ generationis per adoptionem gratiæ, quæquidem dignitas, & cauſalitas, licet communis ſit toti Trinitati, ſoli tamen filio apropriatur per accommodationem, quia filiatio noſtra adoptiua per gratiam eſt participatio filiationis naturalis Dei, & ab illa exemplata. *Occurritur fundamentis Medinæ, & Cabreræ.*

Ad ſecundum argumentum nego minor, pro 2. & 3. part. nam gratia habitualis redemptoris, neque per ſe eſt operatiua gratiæ hominum redimendorum, neque per ſe. & ex natura rei ad illam præſupponitur. Non primum quia eſt eiuſdẽ ſpeciei cum noſtra: vnde ſicut noſtra non eſt operatiua alterius gratiæ, ita neque illa: neque ſecundum, quia & ſi humanitati Chriſti fuerit debita gratia habitualis ratione vnionis debito condecentiæ non tamẽ debito connaturalitatis ac porpriæ paſſionis dimanantis, vtpotè quæ ſine gratia habituali cum ſolo auxilio actuali, & gratia vnionis potuiſſet noſtram gratiam cauſare, & promereri de condigno: ex gratia enim vnionis eius meritũ haberet infinitum valorem, non minus ſine gratia habituali, quam cum illa: ceteras autem conditiones habuit, non quia cauſa principalis phyſica eſſet; ſed quia erat cauſa inſtrumẽtalis excellentiæ, & moralis per meritum connaturaliter eliccitum a gratia habituali, in quo modo cauſandi aſsimilatur ei, quem habet cauſa phyſica principalis.

Ad tertium admiſſo gratiam habitualem eſſe debitam, & connaturalem Chriſto in ſenſu explicato ratione vnionis, & propter munus capitis ac redemptoris,

quod

quod quidem eſt debitum condecentiæ, ſeu dignitatis veluti connaturalis, in prædictiſque teſtimonis innuitur: non tamen eſt debitum connaturalis, ac propriæ paſſionis. Et adhuc vtroque debito admiſſo gratis, non ſequitur intentum argumenti, quare neganda eſt maior ad cuius probat. Reſpondetur: tunc ſubiectum ſubſtentans formam aliquam extraneam eſſe cauſam principalem phyſicam effectus producti, veluti per accidens, quando talis forma ratione ſui eſt operatiua illius effectus, vt contingit in aqua calida, quæ ratione caloris producit calefactionem. Secus vero, quando talis forma non eſt per ſe, & ratione ſui operatiua; niſi ſolum ratione alicuius virtutis inſtrumentalis ſuperadditæ, quo pacto humanitas Chriſti, & eius gratia habitualis non ratione ſui eſt productiua gratiæ in alijs hominibus, niſi tantũ ratione virtutis ſuperadditæ, ratione cuius fit gratia capitalis, ſiue capitis, quæ virtus ſuperaddita, quia nec eſt nobilior, neque æque nobilis cum noſtra gratia; vtpotè cum nulla forma creata poſsit eſſe tam immediata, & formalis participatio diuinæ naturæ, ſicut gratia, ideò tantum eſt inſtrumẽtalis virtus: vtpotè minus perfecta ratione cuius humanitas aſſumpta eſt cauſa phyſica inſtrumentalis noſtræ gratiæ. Sed obijcies: humanitas Chriſti eodem modo fuit cauſa noſtræ gratiæ iuſtificantis, atq; gratiæ Patrum veteris legis; ſed reſpectu gratiæ illorum, tantum fuit cauſa moralis: vtpotè quia phyſicus influxus & efficiẽtia non potuit conuenire humanitati, tunc nondum exiſtenti in rerum natura; niſi in ſola Dei appræhenſione, & intentione: ergo neque illum habet reſpectu noſtræ gratiæ. Reſpondetur cum Aluarez hic diſputatio. 38. negando aſſumptum maioris: diuerſimode namque antiquorum atque noſtram gratiam produxit humanitas Chriſti, noſtram enim produxit, & phyſicè inſtrumentaliter, & moraliter meritoriè per modum cauſæ efficientis moralis, hoc eſt morali efficientia: antiquorum vero gratiam cauſauit non phyſicè, ob rationem aſſignatam, ſed meritoriè per modum finis, hoc eſt per meritum futurum præuiſſum à Deo, & poſtea in tempore exhibitum, tãquam pretium anticipatæ ſolutionis, vt oſtendimus ſupra quæſtion. 2. artic. 11.

Dubium ſecundum eſt: An humanitas Chriſti Domini habuerit virtutem phyſicè, nedum moraliter effectiuam miraculorum.

12 IN hoc dubio omnes Theologi conueniunt in duobus, & in alijs duobus diſcriminantur. Primo quidem conueniunt in eo, quod humanitas Chriſti habuerit virtutem, & poteſtatem efficiendi vera miracula, prout virtus efficiẽs abſtrahit à morali, & phyſica: hęc ſuppoſitio prob. à Theologis aduerſus duos errores Sectariorum, quorũ primus fuit Vualdenſium negantiũ in Eccleſia Dei vera fuiſſe miracula, & illa quæ à Chriſto facta in Euangelijs narrãtur: quorum errorem referunt, & refutant Ricardus 3. diſt. 15. art. 2. quæ. 2. Æneas Syluius, qui & poſtea fuit Pius Secundus lib. de origin. Bohemorum, capit. 35. Guido Carmelita lib. contra hæreſes, cap. 25. Alphonſus de Caſtro, verbo, *miraculum*, & Mychael de Medina lib. 2. de recta fide in Deum, cap. 7. Secundus fuit aliorũ exiſtimantium miracula, quæ narrantur à Chriſto facta, non Dei, ſed Demonis virtute, vel magiæ arte, aut & virtute naturali optimi temperamenti fuiſſe patrata. Primum ſenſere Phariſæi Matth. 12, & Lucæ 11. obijcientes Chriſto Domino in Beelzebu principe Dæmoniorum eijcere Dæmonia: quorum errorem poſtea ſecutos fuiſſe Vigilantium, Eutracium, & Eunonyum, refert Lindanus dialogo 2. ſuarum dubitationum. Secundum vero ſenſere quidam Apoſtatæ relati à Michaele de Medina, vbi ſupra, de quorum numero fuit Petrus Aponẽſis, qui vuglo dicitur Cõciliator in vigeſsima differentia de propinquitate iuſtitialis, ſeu optimi temperamẽti.

Expenditur ſtatus quæſtionis & id in quo omnes conueniunt.

Sed hæc noſtra prima ſuppoſitio eſt dogma fidei, & prob. primo ex Canonica Euangeliorum hiſtoria, in qua narrantur plura diuina, & inſolita opera facta à Chriſto Domino, vt Lazari, atque aliorum mortuorum ſuſcitationes, cæcorum illumi-

Digitized by Google

illuminationes, Dæmonum à corporibus
obſeſsis ſubitæ expulſiones, ſuper maris
aquas inceſsio, atque his ſimilia, quæ vera
fuiſſe miracula euidens erat hominibus ea
intuentibus(nedum Angelis) euidentia
quadam humana, & naturali: ita vt eis nul
lus intellectus bene diſpoſitus poſſet refra
gari: nobis quoque ſuppoſita fide, qua cre
dimus Euãgelicæ hiſtoriæ, euidens eſt pa
riter veritas huiuſmodi miraculorũ, quia
de ratione miraculi ſunt duo, ſcilicet condi
tio inſoliti, & quod ſuperet virtutem cau-
ſarum naturalium, quæ duo euidens eſt in
illis operibus reperta fuiſſe, quod enim in-
ſolita eſſent ſuſcitatio mortui, & viſus reſ-
titutio, ſurdi ſanatio, Dæmoniorum ſubita
expulſio perſpicuum eſt. Quod autem ne-
queant fieri per cauſas naturales, etiam eſt
manifeſtum: quia à priuatione ad habitum
non eſt regreſſus per naturam in reuoca-
tione animæ ſemel auulſæ à corpore, in vi-
ſus, & auditus reſtitutione, in alijs vero mi
raculis vt in infirmitatum ſanatione, & Dæ
monum expulſione id ipſum oſtendebat
modus ea operandi nimirum ſubito, & per
imperium, & ad qu amcumque diſtantiam,
ſine dependentia à propinquitate ſecun-
dum locum, ac ſine impedimento corporis
inter medij, qui modus agendi alienus om
nino eſt ab agentibus naturalibus. Proba
tur ſecundo nam experientia fuit res mani
feſta, & conſtans veros fuiſſe effectus ho-
rum miraculorum. Nimirum quod Laza-
rus fuerit mortuus, & ſepultus, atque poſ
tea inter homines familiariter conuixerit,
neque à Iudæis fuit negatum, quod ille cæ
cus à natiuitate, vt refertur Ioan. 9. fuerit
prius cæcus, & poſtea viſum receperit, ne-
que hoſtes Chriſti negare auſi ſunt; ſed tã
tum virtute, & pacto Dæmonis attribue-
re: idipſum de cæco muto, & obſeſſo dixe
runt Luc. 11. Chriſto improperantes veri
tatem effectus volentes nolentes experti,
quos conuicit Chriſtus ea ratione, quia a-
lioquim regnum Diaboli diſſolueretur, ſi-
quidem omne Regnum in ſe diuiſſum deſ-
ſolabitur. Tertio quia Chriſtus habuit om
nes gratias gratis datas, vt habet D. Tho-
mas. ſupra quæſt. 7. art. 9. non dicentes im
perſectionem, ſed illarum vna, & ex potiſ-
ſimis eſt virtus patrandi miracula, quę di-
citur operatio virtutum primę ad Corin.
12. Hinc infertur, neque virtute Dæmo-
nis, aut naturalis temperamenti potuiſſe
huiuſmodi miracula à Chriſto Domino
patrari, non quidem virtute Dæmonis, tũ
ob rationes morales quibus id probauit
idem Dominus Luc. 11. Tum etiam, quia
virtus Dæmonis naturalis eſt, hoc eſt in-
tra limites cauſæ, & agentis ordinis natu-
ræ; verum autem miraculum quale eſt cę-
ci illuminatio. aut mortui ſuſcitatio eſt ſu-
pra omnem virtutem cauſarum ſecundarũ
naturalium, ſiue ordinis naturæ teſte D.
Thom. 1. part. quæſt. 105. art. 7. & 8. Si
enim ſit effectus ſupra virtutem huma-
nam dumtaxat, & non ſupra virtutem An
gelicam, erit quidem inſolitus, & mirabi-
lis reſpectu huminum, non tamen proprie
miraculoſus: cuius generis fuere prodigia,
quæ facta fuiſſe à magis Pharaonis in E-
gypto narrat ſacra Scriptura, Exod. 7. &
facturus eſt Antechriſtus, vt dicitur Mat-
thęi 24. & 2. ad Theſalo. 2. neque virtute
naturalis temperamẽti, quia admiſſo Chiſ
tum habuiſſe ex ſpeciali Dei prouidentia,
& concurſu Spiritus Sancti corpus illius
perfectiſsimi, & optimi temperamenti,
quod medici temperamentum iuſtitię, ſeu
ad pondus appellant, tamen adhuc virtute
illius nõ potuit vera miracula operari prop
ter duo. Tum quia tale temperamẽtum na
turale eſt, atque natutalis virtutis, & effi-
cacitatis: ergo nequaquam potens eſſet in
opera excedentia virtutem totius naturæ.
Tum etiã quia, etſi virtutem, & efficacita-
tem haberet operandi aliquid in alia cor-
pora, & efficiẽdi in illis ſanitatem, ſicut è
contra praua humani corporis conſtitutio
nocere alijs ſolet, vt in his qui ob huiuſmo
di prauam conſtitutionem alios faſcinant
tamen non haberet virtutem operan-
di tot, ac tam inſignia opera miraculoſa;
quot Chriſtus operatus legitur, quæ enim
virtus naturalis temperamenti potuiſſet
mortuos ſuſcitare, cæcos illuminare, lepro
ſos repente mundare?

13 Conueniunt ſecundo in eo, quod
humanitas Chriſti huiuſmodi virtutem
veluti in actu primo à principio conceptio
nis habuerit, & vſque in finem mundi, im-
mo in æternum ſit habitura, quoniam vir-
tus hęc data eſt Chriſto propter vnionem:
ac proinde ex quo humanitas fuit aſſump-
ta, & quandiù durabit vnio, debuit eam ha
bere: & ſicut vnio ipſa eſt permanens, &
perpetua, ita & huiuſmodi poteſtas mira-
culorum effectiua in actu primo, perpe-
tuo, & ſemper hoc eſt habitualiter debuit
ac debet Chriſtum commitari, & eius vnio
nem, ob quam illi conuenit ac debetur. De
eius autem actuali vſu non conuenit in-

terPatres:nam licet Ioann. 2.dicatur illud miraculum conuertendi aquam in vinum fuiſſe initium ſignorum, quæ fecit Ieſus id eſt primum miraculorum:tamen hoc nõ obſtante teſte Chryſoſtomo hom. 16. in Ioan.ſicut aliquibus placet illud non fuiſſe abſolute primum;niſi tantum ſecundum quid,hoc eſt primum publicè,& palam patratum,quo Chriſtus ſuam gloriam cœpit mundo manifeſtare:cum quo ſtat aliqua alia miracula ab ipſo in natiuitate, & infantia fuiſſe patrata.

Cõmunior tamẽ ſentẽtia Patrũ eſt illud abſulutè fuiſſe primũ: acproinde nullum aliud miraculũ fuiſſe à Chriſto antea patratũ;ſed ex tũc incepiſſe habere vſum huiuſmodi poteſtatis,ſic enim ſentiunt Chriſoſto. vbi ſup.relatus. Tertul.in lib.de Baptiſmo,cap. 9. Epiphan. hæreſi. Euthym.& Theophylatus ſupr.Ioann.cap. 2. & D. Thom.eamdem ſententiam amplectitur infra quæſt.43.art.3.Similiter probabile eſt vſum huiuſmodi poteſtatis habere, & habiturum fore,vſque in mundi finem in cœlo:nam probabile ſatis eſt omne lumen communicatum,& communicandum animabus beatis,atque gaudia accidẽtalia fieri mediante hac virtute humanitatis Chriſti;nec non mediante eadem faciendam eſſe futuram mortuorum reſurrectionem, maxime reſurgentium ad gloriam: cunctaque dona ſupernaturalia,& gratia,quę in noſtra militante Eccleſia hominibus conferuntur communicari.& communicanda fore à Deo mediante huiuſmodi virtute Chriſti è cœlo influentis, ſiue mediate, vt in his qui per Sacramenta iuſtificantur, ſiue immediate vt in alijs qui iuſtificantur extra Sacramentũ,vt probabilius,& dignitati,atque uneri Chriſti capitis conformius oſtendit Suarius diſput.citata ſect.2. §.*dices*,aduerſus Vegam qui lib.6.in Concil.c.14.huiuſmodi influxum humanitati Chriſti denegat poſtquã ad cœlos aſcẽdit.

His igitur ſuppoſitis diſcriminantur Theologi in alijs duobus. Primo quidẽ in explicando genere cauſalitatis,atque efficientiæ huius virtutis, ſiue poteſtatis humanitatis Chriſti diuiduntur in duas ſententias. Prima quidem negat ei efficientiam realem phyſicam, ſolumque moralem tribuit qua humanitas Chriſti miraculoſos effectus operetur, aut per meritum orationem,ſiue impetrationem, aut etiam ſimul ex pacto,quod cum illa pepigit Deꝰ vt ad exhibitionem, aut poſitionem talis operis,ſiue petitionis,ſiue tactus ipſius humanitatis effectum miraculoſum talem produceret:ita Duran.in 3.diſt.14. quæſtio.5,ad 2.Bonauen.& Ricar.diſtin. 13. art.2.quæſt.3.Gabr.ibidem dub. 3. idem Durand.in 4.diſtin.1.quæſtio. 4.Scotus ibidem quæſt.1.& 4.Alenſis 3.part. quæſtio.13.membr.3.art.3.Altiſiodor.5.parte ſummæ tract.1.cap.4.quæſt.2.& Vazquius hic diſput.57.cap.5.

Proponitur ſententia negans humanitati aſſump. virtutem phyſicam inſtrumentariam effectricem miraculorum

Qui illam ſuadent qua druplicĩter:primo teſtimonijs duobus D.Thom. nimirum ex 3.ſentent.diſtin.16.quæſt. 3. art. 6 vbi ait in humanitate Chriſti,aut alterius Sancti ſolum eſſe virtutem admiraculoſe immutandum corpora per modum orationis,ac interceſsionis: qui concurſus plane eſt ſolius cauſæ moralis non phyſici inſtaumenti Neque valet duplex ſolutio Caietani aſſerentis D Thom.aut mutaſſe ſententiam in hoc articulo,aut nomine orationis intellexiſſe modum operandi phyſici inſtrumenti,quia D.Thom.nullis verbis vtitur in hoc articulo,ex quibus liceat colligere prædictam ſententiam retractaſſe;nec nomine orationis potuit accipere phyſicum influxum magis,quam poſſet per rubrum accipere viride. Deinde in quæſt.6.de potentia art.3 ait idem Sanct. Doctor,modum quo angelici ſpiritus operantur miracula eſſe defferendo ad creaturas imperium Dei,qui eſt cauſa principalis miraculorum:modus autem iſte operandi per delationem imperij eſt proculdubio moralis:propterea enim Ferrarienſis lib.3. contra gent.cap.102.in hanc ſententiam inclinans probat ex hoc teſtimonio D. Thom.cauſalitatem, quam reliquiæ ſanctorum habent circa miracula eſſe tantum moralem:ergo D.Thom.non agnoſcit in humanitate Chriſti,genus illud operandi miracula per modum phyſici inſtrumenti,aut per influxum phyſicum.

Secundo arguit Vazquius diſcurrendo per omnes modos quibus aſſumi poteſt phyſicum inſtrumentum ad effectum principalis agentis operandum: qui plane ad hos quatuor reduci poſſunt, aut enim poteſt aſſumi inſtrumentum aliquod ad quẽlibet effectum ex beneplacito agẽtis principalis, & pro ſola eius libera voluntate, aut ratione alicuius potentiæ obedientialis actiuæ inſitæ rei,quæ vt inſtrumentum aſſumitur, aut per ſolam extrinſecam aſsiſtenciam, & cooperationem principalis agentis,ſibi inſtrumentum ſubordinantis,

nulla

nulla virtute intrinſeca ad ipſum inſtrumentum deriuatur, aut tandem poſſet aſſumi per virtutem eleuantem intrinſecè, quæ ſit qualitas aliqua in ipſo inſtrumento recepta, ſed nullo his modis humanitas Chriſti poteſt aſſumi à Deo vt inſtrumentum phyſicum ad opera miraculoſa: ergo neutiquam. Maior patet à ſufficienti diuiſione, & minorem probat Vazquius diſcurrendo per ſingulas partes, quod non primo, quia nulla res eſt aſſumptibilis vt phyſicum inſtrumenrum ad aliquem effectum pro ſolo libito, & beneplacito agentis principalis; niſi ex ſua natura habeat vim aliquam, inclinationem, & præparationem ad talem effectum, qua ratione probat D. Thom. 1. part quæſt. 45. art. 5. nullā creaturam poſſe aſſumi à Deo vt inſtrumentum ad creandum, quia nequit habere huiuſmodi præuiam diſpoſitionem, ſiue operationem circa rem non exiſtentem, & aliàs huiuſmodi præuia operatio, & diſpoſitio requiritur in omni inſtrumento alioquim fruſtra aſſumeretur ab agente principali: fruſtra quoque vnaquaque ars haberet propria, ac determinata inſtrumenta ad ſuos effectus. Neque ſecundo modo, quia talem potentiam obedientialem actiuam inſitam vnicuique creaturæ ad quemlibet effectum miraculoſum producendum fictitiam eſſe oſtenderat, 1. part. diſp. 176. Rurſus neque tertio modo, quia ſola aſsiſtentia, aut cooperatio principalis agentis, nihil intrinſecum ponit inſtrumento per modum formæ, aut virtutis, ratione cuius fiat potentius, & virtuoſius, quam ante talem extrinſecam aſsiſtentiam, & cooperationem, quæ tamen intrinſeca actuatio, & receptio virtutis eſt neceſſario requiſita vt inſtrumentum phyſicum fiat potens in actu primo ad operandum. Denique quod neq; quarto modo probat, quia talis virtus, ſiue qualitas phyſica ad opera miraculoſa patranda, neque humanitati Chriſti, neque alijs creaturis corporeis communicari poteſt ob plures rationes repugnantiæ, quas idem author adduxerat in dicta diſput. 176. & nos dub. ſeq. adducemus: ergo.

14 Tertio arguit idem Vazquius ex doctrina plurium Thomiſtarum aſſerentium de ratione inſtrumenti eſſe, quod habeat phyſicum contactum cum paſſo, & præuiam in illud operationem, quam in dict. loco 1. part. videtur requirere D. Thom. in quolibet inſtrumento. Sed Chriſtus multa miracula patrauit, ſine huiuſmodi contactu, aut præuia operatione: ergo reſpectu horum non habuit concurſum phyſici inſtrumenti: minor patet, quia Chriſtus multoties miracula operatus fuit in abſentes, vt Ioann. 11. cum Lazarum ſuſcitauit, & eius animam ex Lymbo ad corpus reuocauit, & cap. 4 cum filium abſentem Reguli ſuſcitauit, cui propterea dixit: *Vade filias tuus viuit*, & Matth. 8. filium Centurionis ægrotantem ſanauit dicens: *Vade fiat tibi ſicut vis, & ſanatus eſt puer in illa horæ*: in huiuſmodi autem abſentes, neque humanitas Chriſti habuit contactum aliquem Phyſicum, neque præuiā aliquam operationem ex propria virtute naturali exercuit: quia in corpus diſtans nulla creatura virtute naturali agere poteſt; numquid vox Chriſti corpus Lazari tetigit, aut fores Lymbi percuſsit? Aut ad domos Reguli & Centurionis peruenit vbi dicti ęgroti iacebant?

Dices, perueniſſe quidem ſecundum contactum quendam virtutis per quē & miraculoſe fuit vox, ſiue eius virtus ad dicta loca diſtantia delata. Contra hoc eſt, nam ſic miraculo miraculum adiungimus, & præter miraculum principale damus aliud ad præuiam operationem debitam inſtrumento phyſico exercendam: quæ quidem miraculorum multiplicatio fit ſine vllo fundamento, ac neceſsitate.

Quarto arguit Vazquius ex quibuſdam generibus miraculorum à Chriſto patratis, reſpectu quorum nequiuit eſſe phyſicum inſtrumentum, & eadem ratio eſt de alijs, ſiquidem eodem modo, ac eodem genere cauſalitatis debuit omnia miracula operari, nimirum, aut phyſice, aut moraliter: ergo.

Maior patet in duobus generibus miraculorum. Primum eſt expulſio Dæmonum à corporibus obſeſsis: & ſecundū inceſsio ſuper aquas: in quib⁹ nullus phyſicus concurſus humanitatis potuit interuenire: non quidem in primo quia illud potuit fieri vno ex duobus modis, nimirum, aut imprimendo Dœmoni aliquem impulſum, vt a corpore exiret, & taceret, vt quādo dixit Lucæ 4. obmuteſce, & exi de homine: aut immittendo in Dœmonem aliquam cogitationem media qua ipſe moueretur ad exeundum vel tacendum.

Sed neutro modo apparet poſsibilis concurſus phyſicus, non priori quia talis impulſus è loco diuulſiui eſt quidē

capax

capax corpus, minime autem Angelus: ſilentium autem Dæmonis tantum conſiſtebat in negatione alicuius effectus poſitiui ab ipſo Dœmone incorpore obieſſo producti, quæ negatio nequit concurſum phyſicum terminare. Neque poſteriori, quia talis cogitatio, etſi potuiſſet à Deo vt à cauſa principali in intellectum Dœmonis, ſicut & cuiuslibet Angeli immitti, & ab humanitate Chriſti vt à phyſico inſtrumento: tamen neque neceſſaria erat, neque congruebat modo quo Chriſtus Dœmones expellebat, & compeſcebat: vtpote qui erat per imperium, cui ipſi obtemperabant incunctanter.

Neque in ſecundo genere erat poſſibilis concurſus phyſicus, quia tale genus miraculi poterat fieri vno ex tribus modis, ſcilicet aut media dote agilitatis communicata pro tempore illo humanitati Chriſti, ſicut tempore transfigurationis fuit ei communicata dos claritatis, & hoc non, quia tunc humanitas per ſe ipſam media ſua dote aggilitatis poſſet talem inceſsionem facere, vt cauſa principalis, & ne dum inſtrumentalis, ſicut & potuit in transfiguratione clareſcere, vt cauſa principalis: aut impediendo per diuinam omnipotentiam corporis mollem, & grauitatem ne ſuper aquas grauitaret, & grauitando pedibus premeret, ſicut quando Habachuc Daniel. 14. appræhenſo vno crine capitis eius ductus eſt ab Angelo in Babilonem.

Sed neque hoc modo potuit fieri huiuſmodi miraculum propter duo: tum quia hoc impedimentum appoſitum grauitati corporis Chriſti conſiſteret in ſola denegatione concurſus diuini, ne deorſum tenderet: ad hanc autem negationem nullum inſtrumentum poteſt phyſice concurrere: ergo.

Tum quia eſt contra communem ſentiam, Sanct. patrum aſſerentium corpus Chriſti ſuper aquas grauitaſſe, eaſque pedibus conculcaſſe, & veſtigijs compreſſiſſe de quorum numero ſunt Dyoniſ. Epiſtol. 4 ad Caium, & capitul. 2. de diuinis nominibus, Beda Marci 6. Super illud, *& volebat præterire eos*, & Rabbanus, ſuper illud Matthæi 14. & Marci 6. *Ieſus incedebat ſuper mare*, & Clytoueus in eodem capite, quam ſententiam Theodori Epiſcopi Pharanitani damnant, vt erroneam aſſerentis Chriſtum corporali pondere caruiſſe, quando ſuper mare deambulauit, & Damaſcenus libr. 3 de fide capit. 15. quorum teſtimonia, & verba refert Vazquius vbi ſupra. Aut tamdem feciendo vt aquæ ſolidaretur, & ne difluerent, atque cederent grauitati corporis eas calcantis. Sed neque hoc modo fieri potuit, quia vel hoc factum fuit à Deo tribuente aquis aliquam occultam qualitatem, qua ſolidatæ fuerint ad quam qualitatem efficiendam inſtrumentaliter concurreret humanitas Chriſti, & hoc non quia voluntariè, & ſine fundamento ponitur talis qualitas. Vel quia Deus ſubſtraxit ſuum concurſum aquis, ne compreſſæ mouerentur, & diſfluerent, & ſi hoc modo factum fuit, quod veriſimilius eſt, nequiuit humanitas Chriſti phyſice inſtrumentaliter concurrere ad tale miraculum, quia pura negatio nullatenus eſt phyſice producibilis: ergo.

15 Secunda ſententia affirmans eſt, quam tuentur Caietanus, in hoc articulo, & infra quæſtion. 62. articul. 1. Paludan. in 4. diſtinction. 1. queſtion. 1. Soto quæſtion. 3. articul. 5. Capreol. quæſtion. 1. art 3. ad argumenta contra quartam, & diſtinctio. 13. ad argumenta contra primam, & in 3. diſtinct. 25. articul. 3. ad argumenta contra primam; Ferrar. 3. contra gentes, capit. 56. Vega libr. 7. in Concilium, cap. 11 & 13. Driedo ſectio. 1. de captiuitate, & redemptione generis humani, cap. 2. part. 3. articul. 6, Suarius diſputatio 31. ſect. 3. Cabrera diſputation. 3. Vincentius in relectione quæſtion. 6 pagin. 830. Nazarius controuerſia ſecunda, & tertia, Peſan. diſputation. 21. & Puteanus dubitatio. ſecunda, & 3. qui Authores in explicando modum eſſendi, ſiue permanentiam huius virtutis miraculorum effectricis in huminatate Chriſti diſcriminantur in quatuor modos dicendi. Alij enim de quorum numero eſt Suarius diſputatione, & ſectione citata, dicunt illam eſſe qualitatem habitualem, quod ſuadent tripliciter.

Tum quia Chriſtus vtebatur illa quando, & vbi volebat ad nutum ſuæ voluntatis, id enim ſignificatur Matth. 8. *Domine ſi vis potes me mundare*, quod dictum leproſi ipſe Dominus approbauit hac reſponſione dicens: *volo: mundare*, & Ioannes 11. orationem premiſit

ad Lazari ſuſcitationem, non quod ipſa indigeret vt ille dixit, ſed ob duritiem & incredulitatem adſtantium *Iudæorum*: propria autem conditio habituum eſt, vt eis pro ſuo arbitrio, quis vtatur quando & vbi voluerit: ergo.

Secundo quia hæc virtus eſt debita humanitati Chriſti, ratione vnionis cũ Verbo, & veluti ad illam conſecuta, Concilio Epheſino in Epiſtol. 10. Cyrilli Anathematiſmo 11. dicente: carnem Chriſti eſſe viuificatricem propter vnionem ad Verbum, ſed vnio eſt per manens, & perpetua: ergo & talis virtus. Tum denique, quia huiuſmodi habitualis qualitas inſtrumentalis operatiua miraculorum dabilis eſt: & aliàs congruit humanitati Chriſti: ergo non eſt cur ei denegetur. Maior patet à ſimili: nam in Sacerdotibus eſt qualitas habitualis; nimirum character ad conſecrandum corpus Chriſti, quæ conſecratio non differt à miraculo ex parte operis, aut obiecti cũ ſit opꝰ omnino ſupernaturale, niſi tantum ex parte modi quo fit, quia nimirum fit ſecundum legem ordinariam, præter quam tamen debet fieri miraculum propriè ſumptum. Deinde ipſa anima Chriſti poteſt ſecundum habitualis ſcientiæ plenitudinem alios illuminare, teſte Diu. Thom. in artic. 1. huius quæſtionis, poteſt etiam virtute, ac dono habituali prophetare: huiuſmodi autem opera nõ ſunt minoris virtutis, ac perfectionis, quam miraculorum patratio: ſicut neque donum ſcientiæ, aut prophetiæ eſt minus, quam donum faciendi miracula: imo vtrumque videtur eſſe maius iſto, quia pertinet ad potentiam intelectiuam, & datur ad actus intelligendi ſupernaturales, qui ſunt nobiliores productione miraculi: ergo etiam & hoc donum faciendi miracula potuit habere habituale.

Alij vero Iuniores dicunt huiuſmodi virtutem factiuam miraculorum in Chriſti humanitate, nec fuiſſe habitualem, nec tranſeuntem ſuperadditam, ſed permanentem in ipſa potentia obedientiali humanitatis, vt volunt idem Suarius Peſan. diſputation. 3. & Putean. dubitatio. 3. aut in ipſa vnione cum Verbo, & aſsiſtentia diuinitatis conſiſtentem, vt vult Nazarius, controuer. 3.

Alij autem de quorum numero ſunt, Vega lib. 7. in Concil. capit. 14. dub. 2. Medina hic dubio 5. & Cabrera, diſputation. 3. dicunt neque in Chriſto; neque in alijs ſanctis dari, imo, nec dabilem eſſe ſaltem de lege ordinaria virtutem habitualem operatiuam miraculorum, fuiſſe tamen in Chriſto homine, iſtam virtutem habitualiter, & per modum habitus inhęrentẽ, quãuis de ſe, & ex natura ſua erat tranſiens, & fluida.

Alij denique volunt hanc virtutem præſto fuiſſe Chriſto quoties vti volebat, ſed nec fuiſſe hobitualem, atque habitualiter illi inhærentem, & quoniam hæc eſt vera ſententia pro eius declaratione.

16 Dico primo humanitas Chriſti Domini habuit, & habet virtutem phyſicè operatiuam miraculorum. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Authores primæ ſententiæ, & probatur primo argumento, quo vtitur Cirillus Alexandrinus in dicta Epiſtol. 10. approbata à Concilio Epheſino Anathematiſmo 11. ſub his verbis: *Si quis carnem Domini non confitetur eſſe viuificam, &c. Anathema ſit*, & in libr. 1. de Fide ad Reginas, capit. *Quod vita, & viuificus Chriſtus*, & libro 4. ſuper Ioannem capit. 14. ad hanc formam reducto: Chriſtus multoties operabatur miracula, ſine verbo, atque oratione, ſolo tactu phyſico carnis ſuæ, ſed iſte eſt modus operandi proprius inſtrumenti phyſici, & non cauſæ moralis: ergo. Minor eſt nota, quia cauſa moralis agit verbo, aut oratione impetrando.

Deffenditur in humanitate aſſumpta virtus phyſica effectrix miraculorum

Maior vero patet ex Euangelijs nimirum Matthæi 8. vbi refertur quod Chriſtus ſanauit ſocrum Simonis appræhenſa ſolum illius manu, & Marci 5. ac Lucæ 8. vbi refertur ſanaſſe mulierem patientem fluxum ſanguinis ſolo tactu Fymbriæ veſtimentorum ipſius, in cuius ſignum, & ipſe Dominus dixit: *Ego ſenſi virtutem de me exiſſe*, de qua ſimiliter virtute dictum fuerat, cap. 6. *Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes*: quod quidem non de virtute increata Dei: vtpote illi permanenter vnita, ſed de alia virtute creata tranſeunte, & in eius humanitate recepta poteſt, ac debet verificari. Vnde concludit Cyrillus ſic: *Non ergo verbo ſolum ſemper (vt diximus) verum etiam tactu mortuos excitabat, vt oſtenderet corpus quoque ſuum viuificare poſſe*, quibus verbis, & quo more loquendi ſignificat plane vir

tutem

tutem phyſicè viuificatricem.

Secundò probatur argumento, quo vtitur Gregorius Magnus lib. 2. dialog. cap. 30. ſub hac forma: operari miracula ex poteſtate, & imperiò eſt phyſice illa operari, ſicut operari illa ex prece, & oratione eſt ea moraliter. Neque enim aliter diſtingui poſſunt iſti duo modi operandi miracula quos in aliquibus Sanctis, ait Gregorius inuentos fuiſſe: vt patet in diuo Petro qui Act horum 5. oratione ſuſcitauit Thabitam. Annaniam vero, & Saphyram ex poteſtate, & impetio morti addixit; ſed Chriſtus miracula quandoque ex poteſtate, & imperio patrabat, non prece aut oratione aliqua vtens: ergo phyſicè illa operabatur: minor patet ex Euangelijs: nam Lucæ 5. Paralyticum ſanauit dicens ei ſurge tolle lectum tuum, & Matth 8. Leproſum mundauit imperando dicens *volo. Mūdare*, & Ioann. 11. Lazarum à morte ſuſcitauit exclamans: *Lazare veni foras*, & Matth. 8. dicitur quod imperauit ventis, & Marc 2 ac Ioan. 7. *Vt ſciatis, quod filius hominis habet poteſtatem remittendi peccata, tibi dico ſurge*, qui modus imperandi, & efficiēdi denotat realem, & phyſicum influxum circa miracula: ergo.

Vltimo probatur, quia humanitas Chriſti fuit inſtrumentum, & organum diuinitatis, nedum ad gratiam in alijs hominibus cauſandam; ſed etiam ad efficienda miracula in confirmationem legis, quam ſtabiliebat, ac doctrinæ quam prædicabat; ſed nequiuit eſſe inſtrumentum morale: alioquim Deus ipſe eſſet agens principale morale, in cuius virtute ageret humanitas Chriſti moraliter, ac ſubordinans ſibi illam in eodem genere cauſalitatis; quod eſt impoſsibile, ſicut & quod Deus agat per meritum, & deprecationem, quod eſt inferioris: ergo fuit inſtrumētum phyſicum ſubordinatum Deo, vt cauſæ principali phyſicæ. Maior patet, quia Sacramenta nouæ legis ſunt inſtrumenta phyſica Dei ad cauſandam gratiam, & quilibet Sacerdos per characterem eſt inſtrumentum phyſicum ad conſecrationem corporis Chriſti. quæ eſt opus ſupernaturale, & plures ſancti ex ſententia Gregorij, vbi ſupra, fuere inſtrumenta diuinitatis ad patranda miracula, ideſt phyſicè: ergo & humanitas Chriſti debuit eſſe phyſicum inſtrumentum Deitatis ad gratiam cauſandam, & miracula patranda. Conſequentia hæc exinde fit nota, quod excellentia, virtus, & poteſtas, quæ Sacramentis, quæ Sacerdotibus, & alijs ſanctis fuit conceſſa, non eſt Chriſto homini deneganda.

Dico ſecundo huiuſmodi virtus phyſicè operatiua miraculorum, neque fuit habitualis, neque habitualiter, aut permanenter inhærens humanitati Chriſti; ſed tranſiens, fluida, ac tandiù ſolum durans, quandiù efficientia, ſeu productio miraculi durabat. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus tres modos priores defendendi ſecundam ſententiam, & pro prima parte probatur quia teſte Diu. Thom. 2. 2. quæſtion. 178. artic. 1. ad primum, & 3. contra gentes, cap. 154 impoſsibile eſt dari, aut communicari hominibus, ſiue alijs creaturis qualitatem habitualem, & permanentem, quæ ſit phyſicè miraculorum operatiua, quod ſi intelligatur de virtute completa; & ſuapte natura proportionata per modum cauſæ principalis; licet ſecundæ, ad miracula patranda, eſt ſimpliciter impoſsibile, quia talis virtus arguit infinitatem, ac proinde non eſt factibilis, neque communicabilis creaturæ propter tria.

Quæ fuit qualitas tranſiens & ac fluida.

Tum quia operatio miraculorum debet fieri non ſolum præter ordinem alicuius naturæ, vel cauſæ creatæ, ſed ſupra ordinem totius naturæ creatæ, alioquim propriè miraculum non eſſet, vt dictum eſt, teſte eodem Diu. Thom. in dicto articul. 1. quæſtion. 178. ad ſecundum aſſerente, non habere veram rationem miraculi ea, quæ fiunt virtute naturalium cauſarum, ſicut in 1. part. dictum eſt, hoc eſt quæſtio. 114. art. 5. ſed operatio miraculorum eſt, quæ fit virtute diuina operante principaliter.

Tum etiam, quia eiuſdem proſus virtutis eſt condere legem communem, & in illa diſpenſare: ſolius autem omnipotentiæ diuinæ eſt condere, & ſtatuere in genere cauſæ principalis legem, & ordinem naturæ: ergo & ſolius omnipotentiæ debet eſſe poſſe ex propria virtute, & per modum cauſæ principalis diſpenſare in tali lege, operando ſcilicet aliquod miraculum, quod in ſui ratione habet fieri præter communem legem, & ordinem naturæ.

Tum denique, quia effectus miraculoſus, teſte D. Tho. 1. p. q. 115. art. 2. ad 4.

non educitur de potentia naturali creaturæ; ſed tantum de potentia obedientiali, ſaltem quoad modum operis: obedientialis autem potentia immediate ſubditur ſoli diuinæ omnipotentiæ, tamquam cauſę principali: vtpotè à qua ſola eſt immediate transmutabilis: ergo nulli virtuti creaturæ vt cauſæ principali poteſt immediate ſubdi, aut ab illa tranſmutari per miraculoſum effectum. Si intelligatur de virtute incompleta, & inſtrumentaria non videtur, ſimpliciter impoſsibile talem virtutem communicabilem eſſe creaturis à diuina omnipotentia habitualem, & permanentem, quæ ſit inſtrumentaliter miraculorum operatiua, cooperãdo ſcilicet omnipotẽtię diuinę vt cauſę principali eorũdẽ miraculorum, eſt tamen impoſsibile ſecundũ communem, & ordinariam legem propter diſcrimen à D. Th. aſsignatum inter opera miraculorum, prophetiæ, & ſimilium gratiarum quæ appellantur gratis datæ, & actus virtutum infuſarum cuiuſmodi ſunt credere, ſperare, ac diligere: quod ad iſtos cum ſint neceſſarij per totam hominis vitã & cadat ſub pręcepto, ſecundum ordinariã legem gratiæ dantur habitus ſupernaturales quibus homines permanenter, & connaturaliter poſsint tales actus, ad quos tenentur elicere quando velint: ad prædicta autem opera virtutis miraculorum, & prophetiæ, vtpote nec neceſſaria hominibus ad ſalutem, nec cadentia ſub pręcepto communiter impoſito Eccleſiæ, nec frequentia per totam vitam non dantur habitus: ergo.

Secundo probatur quia, ſi daretur huiuſmodi qualitas habitualis in humanitate Chriſti, maximè vt prompte, & facile, ac quando voluiſſet miracula operari, illa operaretur, & vteretur huiuſmodi virtute: nec enim aliud fundamentum habent aduerſarij; ſed hanc rationem eſſe inſufficientem oſtenditur dupliciter. Tum quia ſatis eſt, ſi huiuſmodi virtutem habuiſſet Chriſtus oblatam à Deo vt quoties illa vti voluiſſet, ei præſto adeſſet ex pacto, & ordinatione Dei: ſic enim Gentiles qui Euangelium non audierunt poſſunt quando, & quoties voluerint conuerti, & ad id tenentur licet per accidens excuſſentur ob ignorantiam, vel deffectũ miniſtri, quia habẽt auxilium ſufficiens, ſaltem oblatũ à Deo ex lege, ſecundum quam ſtatuit Deus velle omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Tum etiam, quia Chriſtus habebat, vt homo auxilia gratiæ efficacia, ſiue cõgrua in ſua poteſtate adactus ſupernaturales eius muneri Doctoris, ac capitis congruentes, nimirum ad docendum, & illuminandum homines doctrina, & gratia, & ad prædicãdũ, quia quoties, & quando volebat poterat hos actus exercere, ad quos vltra dona habitualia, ſciẽtię & gratiæ requiruntur auxilia ſupernaturalia, quæ ſunt motiones, ſiue qualitates fluidæ, ac tranſeuntes, vt oſtendimus in tractatu de auxilijs: ergo ſicut hæc habebat Chriſtus in ſua poteſtate licet permanentia nõ eſſent: ita & virtutem miraculorum poterat habere in ſua poteſtate proportionabiliter, vt illa vteretur quoties vellet in confirmationem ſuæ doctrinę, ac prædicationis licet permanens, & habitualis non eſſet.

Tertio quia hæc virtus eſt inſtrumentalis ex vi cuius ſubordinatur humanitas Chriſti omnipotentiæ Dei, vt agenti principali: atqui omnis virtus eleuans inſtrumentum, & ſubordinans illud agenti principali eſt motio tranſiens, ſeu qualitas fluida vt inductione patet in inſtrumentis artium, quæ tandiù retinent virtutem inſtrumentalem effectiuam, quandiù ab artifice mouentur actualiter: ergo.

Dices ſicut calor naturalis ex coniunctione ad animam habet virtutem permanentem, ſiue per modũ habitus inſtrumentariam ad aggenerationem carnis: cur etiam humanitas aſſumpta ex coniunctione ad verbum non habebit huiuſmodi virtutem inſtrumentalem permanentem miraculorum effectiuam? Reſpondetur coniunctionem caloris ad animam eſſe formæ ad formam, ex qua proinde deriuari poteſt connaturaliter virtus permanens: coniunctionem autem humanitatis ad verbum eſſe formæ ad ſuppoſitum, ex quo vt ſic nulla virtus operatiua deriuatur: quoniam nec ſuppoſitum ipſum ratione ſui eſt operatiuum, maxime diuinum cum ſit relatio: & quia reſpectu humanitatis, tantũ habet munus terminantis, neque vnio eſt operatiua, quia tantum habet vnire extrema, & quia tantum datur ad eſſe, & nullatenus ad operari, & tandem quia Chriſtus potuit mereri, imo forte de facto meruit virtutem faciendi miracula: ſuam autem vnionem hypoſtaticam mereri non potuit, ſicuti neque ad eam præexiſtere: ergo.

17 Deinde ſecunda pras concluſio-

nis

nis licet probabiliter ſubſtineri poſsit, quod huiuſmodi virtus factiua miraculorum fuerit permanenter, & habitualiter in humanitate Chriſti, etſi ex ſua natura tranſiens fuerit: tamen quia neque id requiritur, neque cum fundamento aſſeritur propterea probabilior eſt ſecunda pars noſtræ concluſionis, & oſtenditur eiſdem rationibus quibus oſtenſa fuit prima pars. Nā pariformiter illis cōuincitur huiuſmodi virtutem, neque fuiſſe habitualē, neque fuiſſe habitualiter in humanitati Chriſti. Denique tertia pars concluſionis ex duabus prioribus colligitur à ſufficiente aliarum excluſione, quia ſi hæc virtus fuit in humanitate Chriſti, & nō fuit habitualis, neque adhæſit illi per modum habitus: ergo tantum fuit tranſiens, & fluida ſolū durans pro eo tempore, pro quo durabat miraculi effectio. Hinc colligitur aduerſus Suarium, qui in dict. diſp. 31. ſect. 3. & 4. ſupponit eadem virtute phyſica ſupernaturali inſtrumentali humanitatem Chriſti influere gratiam in alijs hominibus, & miracula patraſſe, non eadem; ſed diuerſa virtute hæc opera effeciſſe, eo quod licet vtraque virtus tam productiua gratiæ, quá productiua miraculorum conueniat in ratione virtutis diuinæ ſupernaturalis effectiuæ, & inſtrumentalis, tamen diſconuenit in eo, quod illa efficit gratiam ſecundū ordinariam legem in Eccleſia ſtatutā, hæc vero operatur præpter ordinariam legem omnium cauſarum: qui duo modi operandi, ita diuerſi ſunt, vt eidem virtuti formali nequeant conuenire: ergo His accedit quod in noſtra ſententia iſtæ virtutes ſunt tranſeuntes, ac fluidæ, quæ pro ſingulis operibus repetuntur, & dantur de nouo, & quamuis circa omnia miracula ſolum repetantur ſecundum materialem, & numericā diſtinctionem, quia eadem ſecundum ſpeciem virtus poteſt eſſe principium efficiendi quæcumque miracula, vt expreſſe habet D. Th. in dict. q. 178. art. 1. ad primū dicens: quod ſicut prophetia ſe extēdit ad omnia, quæ ſupernaturaliter cognoſci poſſunt: ita operatio virtutum ſe extendit ad omnia quæ ſupernaturaliter fieri poſſunt, eo quod omnia conueniunt in eadem ratione formali veluti vniuoca, quæ eſt fieri ab omnipotētia diuina ſupra cōmunē, & ordinariam legem: tamen quando applicatur humanitas Chriſti ad efficiendam gratiam in aliquo homine, ſiue cum Sacramento, ſiue ſine illo, tunc neceſſe eſt ob rationē adductam dari ei nouam virtutem phyſicam non ſolum numero; ſed etiam ſpecie diſtinctam ab illa, quæ eſt effectiua miraculorum: eo vel maxime. quod per hanc virtutem cauſatiuam gratiæ denominatur Chriſtus caput Eccleſiæ, eiuſque gratia habitualis dicitur capitalis, cui proinde probabile eſt talem virtutem inhærere. virtus autem effectiua miraculorum, neque conſtituit Chriſtum caput Eccleſiæ, neque eius gratiam denominat capitalem, neque recipitur in gratia; ſed in tota humanitate, atque in carne Chriſti, quæ ſigna manifeſta ſunt ſpecificę diſtinctionis: ergo.

18 Ad primum pro prima ſententia reſpondetur, explicando ſingularia teſtimonia D. Th. ad quorū primum ſuſtinēda eſt ſolutio Caietan. quia illam ſententiam manifeſtè correxit D. Th. in hoc art. dum in corpore, & ad ſecundum ait humanitatem Chriſti habuiſſe virtutem inſtrumentalem ad omnes immutationes miraculoſas faciendas, quibus verbis proculdubio admittit in illa effectiuam virtutem phyſicam, quā non agnouerat, vel non admiſſerat in allegato loco tertij ſent. *Occurritur fundamentis Vazquij.*

Ad ſecundum vero dicendum eſt, quod per modum illum deferendi imperium Dei ad creaturas nedum poteſt intelligi moralis cauſalitas; ſed phyſica: ac proinde D. Th. in illo loco de potentia, ſi non expreſſit huiuſmodi virtutem inſtrumentalē phyſicam; neque illam abſolute negauit.

Ad ſecundum principale admiſſa maiori neganda eſt minor pro vltima parte, ad cuius improbationem patebit ex dicendis dubio ſequent.

Ad tertium vno ex duobus modis reſpondetur à diſcipulis D. Th. aliquibus enim placet de quorum numero ſunt Vega, vbi ſup. & Caiet. 22. q. 178. a. 1. quod quādo humanitas Chriſti operatur miracula ſola prece oratione, aut voce, ſine cōtactu externo phyſico, illa operabatur moraliter per modū cauſæ impetratorię, qui modus condiſtinguitur à modo operandi, illa ex poteſtate, & imperio iuxta allegatā doctrinam Greg. Alijs autem de quorū numero ſunt idem Caiet. in hoc a. 2. §. *dicendū eſt ergo*, Suar. & Cabrer. in locis citatis: quod humanitas Chriſti ſemper miracula patrabat inſtrumentaliter phyſice, & ſi vteretur prece, aut oratione, hac enim impetrabat phyſicam virtutem à Deo, qua miraculum ipſum phyſicè operabatur, aut ſimul illud moraliter impetratoriè,

Digitized by Google

& phyſicè cauſabat ad eum modum, quo miniſter Sacramanti extremę vnctionis phyſicè vt inſtrumentum Dei, & moraliter gratiam illius Sacramenti cauſat, dũ vtitur forma per modũm precis, & orationis dicens: indulgeat tibi Deus, &c. ob rationes quas aſsignat D. Th. in 4. diſt. 23. q. 1. art. 4. quæſt. 2. modus autem quo humanitas Chaiſti ex propria virtute diſponebat ad effectũ principalis agentis, ſcilicet Dei, in eo conſiſtit quod exercendo propriam aliquã actionẽ, ſiue externam, ſiue internam deferebat per illam imperium Dei ad creaturã in qua miraculoſus effectus erat producendus, & quia talis actio præuia eſt neceſſaria in omni inſtrumento, propterea dicitur præerequiri præuiam diſpoſitionem circa ſubiectum miraculoſi effectus, quod quidem tangebat quãtumuis diſtãs contactu virtutis. Ex quo patet ad formã argumenti: neganda eſt minor ad cuius improbationem ſubſtinenda eſt ſolutio ibi aſſignata. Neq; ex huius improbatione aliquod inconueniẽs ſequitur, aut ſuperflua miraculorum multiplicatio, quia cõtactus ille virtutis vocis Chriſti circa rem diſtantem non erat nouum miraculum; ſed eleuatio ipſius humanitatis neceſſaria, & debita ad productionem miraculi efficiẽdi ex vi cuius eleuationis conſequebatur talis contactus virtutis in ipſa miraculi eiuſdẽ productione.

Ad quartum principale reſpondetur negando maior, pro vtraque parte: ad primę què partis improbationem dicendum eſt illam Dæmonum expulſionem cõgruẽter potuiſſe fieri ſecũdo modo, neque ex illo aliquid incongruitatis oſtenditur, ad improbationem 2. part. dicendum eſt miraculum illud incedendi ſuper aquas cõgruẽter potuiſſe fieri tertio modo, vt ſic ſaluetur humanitatem Chriſti imprimere effectiue inſtrumentaliter aliquã qualitatem ocultã aquis, quã ſolidarentur, neque ex hoc aliquid incongruitatis ſequitur. Si autẽ vno ex alijs duobus modis fiebat, tunc dicendũ eſt aut fieri ab humanitate Chriſti principaliter, aut tantum moraliter, & impetratoriè, neque eſt eadem ratio de alijs miraculis, quæ fieri non potuerunt per ſolam diuini concurſus denegationem.

Ad primum pro primo modo explicandi ſecundã ſententiã reſpondetur, quod licet poſſe vti aliqua virtute, quando quis voluerit ſit proprium habitus ſecundo modo, id eſt, quia conuenit omni; ſed non ſoli teſte Porphyrio, in c. de proprio, non tamen eſt proprium, quarto modo, quia non conuenit omnibus habitibus ſollis, & ſemper: poteſt enim cõuenire alijs virtutibus, & qualitatibus licet habituales nõ ſint, & hic conuenit huiuſmodi virtuti inſtrumentali vt Chriſtus poſsit vti illa quando, & quomodo voluerit, quia eã ſẽper habet paratã à Deo, licet permanens, & habitualis non ſit, iuxta quã diſtintionem diſtinguẽda eſt minor argumenti.

Ad ſecundum nego conſequentiam licet enim talis virtus ſit debita Chriſto propter vnionem, ſatis eſt quod illi adſit quoties voluerit illa vti.

Ad tertium nego min. quamuis enim ſit dabilis talis qualitas habitualis de potentia abſoluta Dei, non tamen congruenter eſt dabilis ſecundum legem ordinariã, neque omnia quæ factibilia ſunt dè potentia abſoluta, Deus conceſsit de facto humanitati Chriſti, neq; eſt ſimile de charactere Sacerdotali, quia ad rectã gubernationẽ Eccleſiæ pertinet, vt Sacerdotes habeant permanentem poteſtatẽ, qua poſsint quotieſcumque voluerint corpus Chriſti conſecrare, vt numquã deſiciat in Eccleſia huiuſmodi iuge ſacrificium, quod Deus voluit ſecundum ordinariam legem à ſuis Sacerdotibus operari. De potẽtia autem illuminandi alios per ſcientię habitualis plenitudinẽ, alia ratio eſt, quia huiuſmodi illuminatio fit à Chriſto homine nõ per phyſicum influxum, quo in alios homines aliquod lumẽ imprimat, ſed tantum per modum proponentis, & manifeſtantis myſteria illis occulta: proponere autem manifeſtare, & docere effectus ſunt ſcientiæ habituralis. De prophetia autem dicendum eſt eodem modo, atque de virtute miraculorum operatiua: nimirum vtrãque eſſe fluidam, & tranſeuntem in Chriſto, ſicut & in alijs ſanctis in quibus pariter lumen propheticum eſt fluidum, & tranſiens: licet aliqui habitualiter dicantur prophetæ, quia ad hoc munus conſignati, & deputati ſunt à Deo, cum hoc tamen diſcrimine, quod Chriſto lumen propheticum preſto aderat quoties prophetare volebat, alijs autem ſanctis non ita preſto, & imprompte aderat lumen propheticum, quoties ipſi vellent prophetare; ſed tunc quando Deus vult ipſos ad prophetandum mouere, & illuminare.

Dubium

Dubium tertium eſt: In quo cõſiſtat huiuſmodi virtus inſtrumentalis phyſica hamanitatis Chriſti miraculorum operatiua?

19 IN hoc dub. 3. verſantur ſentẽtiæ. Prima eſt Suarij in dicta diſ. 31. ſect. 5. & 6. cui ſubſcribũt Paſantius diſp. 3. & Puteanus dubit. 3. aſſerentis hanc virtutem eſſe potentiam obedientialem actiuam ipſi humanitati Chriſti innatam quæ nõ eſt aliud quã entitas ipſius humanitatis quatenus ordinabilis per voluntatem Dei ad effectus miraculoſos, ſiue ſupernaturales efficiendos, ad quos habet paratum à Deo concurſum ſpecialem: ita vt huiuſmodi virtus integretur ex duobus: nimirum ex entitate humanitatis, vt ex potentia remota, atque ex ordinatione diuinæ voluntatis cum præparatione ſpecialis auxilij, ſiue concurſus ad tales effectus. Quorũ neutrũ ſuperaddit aliquid nouum intrinſecum ipſi humanitati, & ratione primi cõuenit humanitas Chriſti cum omnibus alijs creaturis hoc eſt ratione potentiæ remotæ, quæ in entitate ordinabili à Deo, & aſſumptibili per modũ Inſtrumenti conſiſtit, à quibus tamen diſcriminatur ratione ſecundi hoc eſt, ratione actualis ordinis & proparationis auxilij ſpecialis per quem fit proxime potẽs in tales effectus miraculoſos, in quo ſenſu probat hic Author ſuam ſententiam his quinque argumentis.

Fulcitur potentia obedientialis actiua à Suario inuenta.

Primo quidem ab authoritate ſanctorũ Patrum, & Scholaſticorũ: nam in primis huiuſmodi potentiam actiuam obedientialem ad opera ſupernaturalia, & miraculoſa efficienda per modum inſtrumenti diuinæ omnipotentiæ inſitam rebus omnibus agnoſcere videtur, Aug. lib. 9. de Trinit. cap. 17. in illis verbis: *Super hunc autem motum curſumque rerum naturalium poteſtas creatoris habet apud ſe poteſtatẽ de his omnibus facere aliud quã eorũ, quaſi ſeminales rationes habẽt*, & infra ſubdit exẽpla dicẽs: *Vt quod lignũ aridũ repente floreat, & fructũ gignat, & aſsina loquatur, &c.* & D. Tho. in 4. d. 8. q. 2. art. 3. ad 4. dicens: *Sicut creaturæ ineſt obedientiæ potentia vt in ea fiat quidquid creator diſpoſuerit, ita & vt ea mediante fiat, quæ eſt ratio inſtrumenti*, vbi ſicut in prioribus verbis nimirum, *vt in ea fiat, &c.* agnoſcit potentiam obedientialem paſsiuam: ita in poſterioribus, ſcilicet, *vt ea mediante fiat, &c.* agnoſcit potentiam obedientialem actiuam inſitam rebus condiſtinctam à paſsiua, in qua ratio inſtrumenti diuinæ omnipotentiæ conſiſtit: nam eſſe id mediante quo Deus facit quidquid diſpoſuerit eſt habitudo potentiæ actiuæ inſtrumentaliter concurrentis. Et Bon. in 4. diſt. 10. ar. 2. q. 2. ad ſecundum idem denotat, dum ait in creatura fuiſſe potentiam obedientiæ ad tranſubſtantiationem corporis Chriſti, & miraculoſam eius conceptionem efficiendam. Eamdem obedientialem potentiam actiuam ſignificauit Alenſis 4. part. quæſtio. 34. membr. 5. art. 2. dum ait ſic: cum ergo obijcitur quod virtus creata non poteſt in aliquid, quod eſt ſupra communem naturam. *Dicendum quod hoc forte verum eſt per ſe, habet tamen vt adiuncta à virtute increata*, & tamdem eamdem ſignificat Caietan. in hoc art. 2. dicens Deum efficere miracula per creaturam non dando illi virtutem; ſed vtendo illa inſtrumentaliter, ſub his verbis: *Reducitur enim res illa de potentia obedientiali ad actum, cum de non inſtrumento fit inſtrumentum quod fieri conſtat ex hoc ſolo, quod Deus vtitur illa inſtrumentaliter ad opus miraculoſum*, quæ verba neutiquam de potentia obedientiali paſsiua, niſi tantum de actiua, vtpote quæ ſine ſuperaddita virtute ſupernaturali per ſolũ vſũ diuinæ omnipotẽtiæ fit inſtrumẽtũ operatiuũ: ergo.

Secundo quia ad omnipotentiam Dei pertinet vt poſsit vti creatura ſua ad omnẽ effectũ, & ſecũdum omnẽ modũ nõ inuoluentẽ contradictionẽ, ſed in hoc genere eleuationis nulla inuoluitur cõtradictio, aut repugnantia: ergo ad omnipotentiã Dei pertinet vt poſsit vti qualibet creatura vt inſtrumento ad omnẽ ſupernaturalem effectum, in quo talis repugnãtia, aut cõtradictio non inueniatur: ergo & è cõuerſo ex parte creaturæ debet eſſe ad debitã ſubordinationẽ, & ſubiectionem, erga Deũ ſufficiẽs fundamẽtũ per quod poſsit obedire Deo ad huiuſmodi vſum inſtrumẽtalem. Vtraque conſequentia eſt nota: & minor patet quia conſentaneum eſt diuinæ omnipotentiæ, & naturis ipſarum creaturarũ, vt eas cõdiderit diuina omnipotentia cũ hac ſubijcibilitate, & facultate per quã obedire poſsint Deo, vt per illam faciat, quidquid voluerit vltra eius vires natura-

les. Maior autẽ probatur, quia ad omnipotentiam Dei ſpectat, vt extendat ſe ad omne poſsibile, & ad omnem modum operãdi poſsibilem non implicantem alias contradictionem.

Tertio arguit ex comparatione ad potentiam paſsiuam obedictialem, hęc enim dabilis eſt in ipſis creaturis ad recipiendas formas ſupernaturales: nimirum ad gratiã vnionem hypoſtaticam, & viſionem beatificam, quę cũ formæ ſupernaturales ſint, & educibiles de potentia ſubiecti non poſunt deduci de potentia naturali; niſi tãtũ de potentia obedientiali: ergo pariformiter in eſt eiſdem creaturis potentia obediẽtialis actiua, ad quos vis effectus ſupernaturales producendos. Antecedens præter quam, quod ſufficienter eſt declaratum, cõmuniter recipitur à Theologis, & conſequentia probatur, tripliciter. Tum quia, ſi quæ incõueniẽtia ſequũtur ex potẽtia obediẽtiali actiuá, eadẽ ſequũtur ex paſsiua, vt quod extendatur vltra terminos naturæ, ac ſupra vel præter legem ordinariam, &c. quæ tamen non obſtant, quo minus detur potentia paſsiua: ergo neque obſtabunt: quominus detur actiua. Tũ etiã quia eiuſdem ordinis, & generis ſunt actus, & potẽtia, teſte Philo. 9. met. Vnde ſi in natura creata eſt potentia paſsiua ad ſupernaturalem effectum in eadem debet eſſe potentia actiua per quam paſsiua poſsit reduci ad talem actum. Tum denique, quia pariformiter pertinet ad omnipotentiam Dei omnimoda potentia obedientialis per quam ſcilicet creaturæ obediant illi in agendo, atque in recipiendo; ſed non poſſunt illi obedire in recipiendo: niſi habeant potentiam paſsiuam: ergo neque in agendo, niſi habeant potentiam actiuã: quale enim eſt imperium ex parte imperantis, talis debet eſſe potentia ex parte illius cui imperium imponitur.

Quarto arguitur ex potẽtia actiua, quę reperitur in noſtro intellectu, & voluntate reſpectu actuum ſupernaturalium nimirum fidei ſpei, & charitatis, vere enim datur in noſtro intellectu, & voluntatẽ potẽtia actiua reſpectu horum actuum ſupernaturalium, hæc autem eſt potentia obedientialis: ergo iam datur in anima noſtra obedientialis potentia actiua in ordine ad actus ſupernaturales vitales: ergo pariformiter in alijs rebus datur potentia actiua innata ad cooperandum Deo imperanti, & mouenti ad effectus, & actiones ſupernaturales: Maior probatur, quia huiuſmodi actus ſunt, quoadmodum, & entitatẽ ſupernaturales, vt tenet communis, & magis recepta ſententia theologorum, & alias quia vitales ſunt dependent, & dimanant à potentijs animæ noſtrę vt à principio intrinſeco: ac proinde neceſſe eſt huiuſmodi potentias in illos actiue influere ratione vitalitatis, & libertatis, vnde & Conc. Trid. Canon. 4. Seſsio. 6. diffinit hos actus diſponentes ad gratiam effectiue procedere à noſtro libero arbitrio, & quia diſponunt ad gratiam quatenus ſupernaturales ſunt, ideò cõſequẽter determinat Cõciliũ procedere à libero arbitrio in quantum ſunt ſupernaturales: minor autem cũ prima conſequentia patet, quia cum vis actiua, quæ in eſt noſtro libero arbitrio ad influendũ in huiuſmodi actus ſupernaturales ſit ad agẽdũ extra ſiue ſupra limites naturæ, nequit eſſe naturalis; neque omnino ſupernaturalis cum inſit potentijs animæ noſtræ ab intrinſeco, & antecedenter ad eleuationẽ per habitus ſupernaturales: ergo eſt vis actiua obedientialis. Secunda autẽ conſequentia inde fit nota, quia non eſt maior repugnantia in alijs rebus actiue concurrere ad effectus ſupernatutaleſ quã ſit in potentijs animę noſtræ reſpectu actuũ vitaliũ ſupernaturaliũ: imo maior quodammodo videtur eſſe repugnãtia in huiuſmodi actibus, quia vitales ſunt, & inquantum tales maiorẽ dependentiam habere videntur ab intrinſeco, & connaturali principio: ergo.

Vltimo arguitur ex ẽplis in quibus alię res per potentiã innatam, ſine aliqua ſuper addita, & intrinſeca forma actiue poſſunt cooperari ad effectũ principalis agẽtis, ſic enim calor natura ſua eſt inſtrumentũ ſubordinatũ reſpectu diuerſorum agentiũ in ordine ad effectus ipſo perfectiores, vt reſpectu ignis ad productionẽ alterius ignis, & reſpectu animæ ad a generationã carnis phantaſma quoque reſpectu intellectus agẽtis eſt potens inſtrumentaliter concurrere ad productionẽ ſpeciei intelligibilis, & cogitatiua in homine ad eliciendũ diſcurſum circa ſingularia ex coniunctione ad intellectum, & membra exteriora ex ſubordinatione ad imperium volũtatis mouẽtur ad actus, & motus quos de ſe eficere nõ poſſunt, idem & proportionabiliter cõtingit in inſtrumentis artiumquę ex ſubordinatione ad ingenium humanum, & artem mira opera efficiunt, quæ vim naturalem taliũ inſtrumentorum excedunt: ergo.

Digitized by Google

20 Secunda ſententia aſſerit huiuſmodi virtutẽ per quã humanitas Chriſti, vel quælibet alia creatura cõſtituitur in ratione inſtrumenti Dei ad effectus ſupernaturales, & miraculoſos conſiſtere in ſola extrinſeca, & actuali ſubordinatione ipſius creaturæ ad virtutẽ, & omnipotentiã Dei principalis agentis, quæ ſubordinatio, nihil reale poſitiuũ, & intrinſecum ponit ſupra entitatem ipſius inſtrumenti, quam ſententiã, vt probabilem defendit Vicen. in relectio. de gratia Chriſti, q. 6. & eã attribuit Suar. vbi ſup. Caiet. in hoc art. 2. & Ferrarien. 3. contra gent. c. 56. quatenus aſſerũt creaturam eleuari ad efficiendum effectũ ſupernaturalem, vt inſtrumentũ Dei, ſine qualitate, aut motione intrinſeca: quatenus per ſe ipſam, vel per ſuam actionem intimat, vel defert imperium Dei, per quod quilibet effectus, quamtumuis ſupernaturalis, & miraculoſus fieri poteſt, quæ ſententia ſuadetur tripliciter. Primo, quia omnis natura inferior ex ſola coniũctione, & ſubordinatione ad ſuperiorem poteſt aliqua efficere, quæ ex ſe non poterat, vt patet in exemplis adductis in vltimo argumento prioris ſententiæ; ſed omnis creatura ſubordinatur Deo, quando per illam vult aliquid efficere: ergo ex tali ſubordinatione poterit in effectus ſupernaturales in quos de ſe non poterat. Secundo quia huiuſmodi ſubordinatio, & coniunctio ad agens principale ſufficit, vt cauſa inferior, & ſubordinata tranſeat de non potente in potententem: ergo: Antecedens probatur exemplis: nam id contingit quando vnus aſſociatus alteri portat lapidem, quem ſe ſolo portare non poterat, & ex alterius aſſociatione, nihil intrinſecum recipit, & gentiles atque infideles per ſolum auxiliũ ſufficiens oblatum à Deo dicuntur poſſe credere, & conuerti in Deum alioquim eſſent extra ſalutis ſtatum, quod non eſt dicẽdum. Et ſimiliter Sacerdos per ſolam aſſignationem ouium poteſt exercere actũ iuriſdictionis: nimirum ligandi atque abſoluendi ad quos, tamen ante talem deſignationem non erat potens: ergo. Tertio quia quando Deus producit media creatura, vt inſtrumento aliquem effectum miraculoſſum, eadem actione ſimplici illũ producit, quæ proinde non poſtulat duas virtutes quarum altera ſit in principali agente: nempe in Deo, & altera in inſtrumento nempe in creatura, eo vel maxime quod inſtrumeutum non operatur virtute propria, ſed ſola virtute principalis agentis: ergo nõ cõſtituitur in actu primo, per aliquã virtutem ad ipſum intrinſecè deriuatam, niſi per inmediatam coniunctionẽ, & ſubordinatiouem ad virtutem agentis principalis.

Tertia ſentẽtia aſſerit humanitatẽ Chriſti conſtitui in ratione inſtrumenti phyſici reſpectu miraculorum per aliquam virtutem intrinſecam ſupernaturalem tranſeũtem ac fluidam à Deo vt à principali agẽte cõmunicatam pro eo tempore, pro quo durat miraculoſi operis productio, & idẽ dicẽdum eſſe de Sacramẽtis nouæ legis ad productionem gratiæ, & alijs inſtrumẽtis diuinæ omnipotentiæ ad efficienda opera ſupernaturalia, & miraculoſſa: ita Palud. in 4. d. 1. q. 1. Capr. ibidem art. 3. ad argumenta contra 4. & d. 13. q. 1. ad arg. contra 1. & in 3. d. 25. q. vnica art. 3. ad arg. contra 1. Soto in eadem diſt. 1. q. 3. art. 5. Scot. in eadem diſt. 1. 4. q. 4. & Ricard. art. 4 q. 3. quamuis hanc efficientiam phyſicam denegant humanitati Chriſti, & Sacramentis, tamen ſi admittatur, neceſſariũ putãt fieri media aliqua intrinſeca qualitate: eãdẽ ſequũtur Ferr. vbi ſup. & Caiet. in hoc art. § *ad euidentiã*, horũ, & infra q. 62. a. 1. Mart. de Ledeſ., 1. p. 4. q. 3. a. 4. & Cabr. hic diſp. 4. & Naz. cotro. 3. qui Authores in tres modos dicẽdi diuiduntur: alij enim dequorum non ſunt Caiet, Ferr. Ledeſma, & Cabr, exiſtimant hanc virtutem intrinſecam eleuantem humanitatem Chriſti, & cætera inſtrumenta diuinæ omnipotentiæ ad ſupernaturales eſſectus eſſe motum ipſum artificioſum, & ſupernaturalẽ, quo Deus vtitur huiuſmodi creaturis ad tales effectus producendos, quod ſuadent.

Expenditur modus dicendi Caietani de motu artificioſſo inſtrumentis communicato.

Tripliciter: tum quia non ſunt multiplicandæ entitates, ſine neceſsitate; ſed ſolus iſte motus ſufficit in omnibus inſtrumentis, tam naturæ quã artis ad conſtituenda illa in actu primo vt inductione probari poteſt: nam calor inſtrumentum eſt naturale ſubſtãtiæ ad generandũ ignẽ, in quo tamẽ nulla eſt alia virtus diſtincta ab entitate caloris, & motu quo applicatur ad talem operationẽ, ſimiliter in fidibus artificioſè pulſatis nulla alia virtus eſt ad producendum ſonum artificioſſum præter motum artificioſſum quo à muſico pulſantur, & idem proportionabiliter contingit in penicillo, & alijs inſtrumentis artis: ergo pariformiter in inſtrumentis Dei agentis ſupernaturalis ſufficiet vſus paſsimus, & mo-

tus quo creaturæ ad producendos ſupernaturales effectus à Deo mobentur, & applicantur. Tum etiam quia D. Tho. infra queſt. 62. art. 1. & 4. ait cauſam inſtrumentalem non agere virtute ſuæ formę, ſed ſolo motu quo à principali agente mouetur, & ſimili motu ſacramenta nouæ legis cauſare gratiam: quam virtutem ſemper ſignificat nomine motionis, vt videre eſt apud Diu. Thom. quæſt. 22. de verit. art. 4. ergo in motione tranſeunte conſtituenda eſt talis virtus inſtrumentaria iuxta mentem D. Thom.

Tum denique, quia humanitas Chriſti non conſtituitur in ratione inſtrumenti per potentiam obedētialem actiuam, neque per extrinſecam ſubordinationem ad omnipotentiam Dei, neque per aliquā qualitatē: ergo conſtituitur ſolum per huiuſmodi motum, ſiue motionem artificioſam.

Conſequentia patet à ſufficienti diuiſione, & aliarum ſententiarum excluſione: antecedens autem pro prima, & ſecunda parte patebit ex dicendis concluſione prima & ſecunda, pro tertia autem parte oſtenditur non poſſe huiuſmodi virtutem inſtrumentalem miraculorum effectricem humanitatis Chriſti conſiſtere in aliqua qualitate propter quatuor inconuenientia quę ex huiuſmodi qualitate oriuntur.

Primum eſt, quod talis qualitas ſuapte natura, & ex ſua connaturali virtute eſſet cauſa effectiua miraculorum, ac proinde in genere cauſę principalis, & perfectioris, quam effectus miraculoſus: iſtæ enim ſunt conditiones cauſæ principalis, & perfectioris, vt virtute propria, & connaturali produceat effectum diſtinctæ rationis.

Conſequens autem eſſe falſum, patet quia contra rationem virtutis creaturæ, ac finitę eſt quod habeat vim propriam, ac connaturalem ad productionem miraculi per modum agentis principalis: & de ratione miraculi eſt quod excedat omnem virtutem propriam, & connaturalem omnis cauſæ creatæ: ergo. Sequela verò patet, quia ſi talis qualitas propria virtute miracula non poſſet efficere, indigeret alia virtute ſuperaddita eleuāte, de qua ſi qualitas foret, eadē quæſtio eſſet, & eadē implicatio: ſequereturque proceſſus in infinitū, ac proinde vt vitetur iſte proceſſus. Dicendum eſt illam qualitatem ex ſua connaturali virtute eſſe effectricem miraculorū.

Secundum eſt, quod eſſet corporea ſi quidem ſubiectatur in carne Chriſti quæ tactu, & voce interdum miracula operabatur, in corpore autē non poteſt ſubiectari per modū formæ informantis, & inhærentis forma quæ non ſit corporea, vtpote dependens à corpore in eſſe, & fieri, ob quā rationem forma equi eſt corporea, licet indibiſibilis, quia dependet à corpore in eſſe & fieri. Præterquamquod hæc qualitas etiā diuiſibilis eſſet, vtpote extenſa, & habens partes quarum vna informaret vnam partem Corporis Chriſti, & alia alteram ſi quidem in quacunq; parte Corporis Chriſti reperiebatur.

Conſequens autem eſſe falſum patet, quia qualitas corporea eſſet improportionata ad effectus ſpirituales producendos cuiuſmodi ſunt productio gratiæ, & expulſio Dœmonum: ergo.

Tertium eſt, quod talis virtus dependeret in ſua operatione à diſtantia loci, reſiſtentia paſsi, & à diſpoſitione medij; ſiquidem omnis qualitas creata, & finita, ac maxime corporea dependet in omni ſua operatione ab huiuſmodi conditionibus.

Conſequens autem eſſe falſum patet, ex modo operandi talis virtutis Chriſti, vtpote quæ miracula operabatur in quacunque diſtantia, & ex imperio independenter à prędictis diſpoſitionibus loci, medij, & paſsi: ergo.

Quartum eſt, quod humanitas Chriſti ſecundū intrinſecā diſpoſitionem ſuam fuiſſet impaſsibilis, & tātū miraculoſe ex diuina diſpenſatione pati potuiſſet, quod tamen eſt contra fidem: ergo. Sequela patet, quia ſi hæc qualitas ſuapte natura habet de ſe efficere miraculoſos effectus ſanitatis, & reſurrectionis in alijs corporibus, pariter à Chriſti corpore fugaret omnem languorem, atque mortē omnino excluderet: vtpote cum his contrarijs incompatibilis in ſubiecto cui proximè, ac debitè eſt applicata: nulli autem proximius, & melius poteſt applicari, quam ipſi corpori in quo ſubiectatur.

Alij verò, de quorum numero eſt Nazarius docent eſſe vnionem ipſam hypoſtaticā cū aſsiſtētia diuinitatis, eo quod inſtrumenta coniuncta quale eſt humanitas Chriſti per ſolam coniunctionem conſtituuntur in actu primo & in brachio patet experientia: ergo.

Alij denique, de quorū numero ſunt Paludanus in 4. diſt. 1. & diſt. 36. Capr. in eadem diſt. 1. q. 1. art. 3. ad argumenta contra quartam, Ferrar. vbi ſupra. Scotus, &

Richard.

Richard. vbi ſup. & alij, quos retulimus in
tractatu de auxilijs conſtituentes auxilia
ſupernaturalia inqualitatibus fluidis, &
ſuapte natura tranſeuntibus, dicunt conſiſ
tere inqualitate fluida proxime operatiua,
quorum ſententiam vt veriorem ibidem ſe
cuti ſumus, & hic amplectimur, pro cuius
declaratione.

Denegatur rebus naturalib⁹ potentia obedientialis actiua effectuum ſupernaturalium.

21 Dico primo neque humanitas Chri
ſti, neque alia creatura ordinis naturæ per
ſolā potentiam obedientialem cōſtituitur
in ratione inſtrumenti in actu primo potē
tis operari opera ſupernaturalia, ſiue mira
culoſa. Hęc concluſio ſtatuitur aduerſus
authores primę ſētētię. Et probatur primo
à priori: nam talis potentia obedientialis,
quam ingenuè fatemur in omnibus creatu
ris ad productionem effectuum ſupernatu
ralium, non eſt actiua proxime, & ſimpli-
citer per id quod habet innatum, vel dima-
nās ab ipſis naturis creatis; ſed per id quod
recipit intrinſecū ab authore ſupernatura
li talē creaturā eleuante: hoc autem intrin
ſecū eſt virtus proxime operatiua ſuperna
turalis effectiua, condiſtincta à potētia o-
bedientiali innata: ergo antecedenter ad re
ceptionē talis virtutis ſupernaturalis non
erat potētia obedientialis innata actiua pro
xime, & ſimpliciter: ergo neq; erat inſtru-
mentum in actu primo productiuo ſuper-
naturalis effectus conſtitutū. Vtraq; cōſe
quentia eſt nota: & minor patet quia ſup-
ponimus hanc virtutē eleuantē, quàm au-
thor ſupernaturalis communicat rebus in
ordine ad ſupernaturales effectus, aut eſſe
habitum ſupernaturalem, v.g. fidei ſpei
vel charitatis, ſiue auxilium eiuſdem ordi
nis ad actus vitales ſupernaturales elicien
dos: aut eſſe motionem, ſiue qualitatē ali-
quam fluidā in ordine ad alios effectus ſu
pernaturales, & miraculoſos, quæ virtus
ſecundū ſe operatiua eſt, quia per ſe datur
ad operari. Maior autē declaratur ſic, quā
do Deus vtitur aliqua creatura vt inſtru-
mento, v.g. humanitate Chriſti ad produ-
ctionē alicuius miraculi, & quando vtitur
meo intellectu ad actū fidei eliciendum vi
taliter, antecedenter ad eleuationē re vera
tā in humanitate Chriſti, quā in meo intel
lectu tantum eſt quædā capacitas innata,
vt poſsit eleuari ad recipiendā ſupernatu-
ralem formā operatiuā, qua cōſtituatur po
tēs in actu primo ad talē effectū, ſiue actū ſu
pernaturalē. Vnde capacitas hęc vt pręue
nit eleuationē, dūtaxat eſt formaliter paſsi
ua, quia ordinatur ad recipiendū, & qualis
eſt terminus habitudinis potentiæ, talis &
ipſa potentia debet eſſe: cauſaliter tamē ſi
ue remote, aut radicaliter eſt actiua; quia
eſt apta nata fieri actiua per receptionem
formæ eleuantis: poſt cuius receptionem
iā formaliter fit actiua; ſed non à ſe, hoc
eſt ab illa capacitate innata, quæ præuenit
eleuationē; ſed à virtute ſupernaturali ele-
uante recepta, per quā ſubordinatur, & cō
iungitur Deo vt agenti principali ſuperna
turalis effectus, & in hoc ſenſu admittimus
in omnibus rebus naturalibus potentiam
obedientialē innatā ad ſupernaturales effe
ctus producendos. Dices poſt eleuationē
intrinſecā jam potentia humanitatis Chri
ſti, ſiue mei intellectus non eſt obedientia
lis; ſed formaliter ſupernaturalis, & in ſu-
pernaturali ordine conſtituta: ergo nō eſt
appellanda actiua obedientialis. Fateor cō
ſequentiā: melius appellari ſupernaturalē,
vel potētiā obedietialē eleuata, poteſt tamē
appellari obedietialis actiua nō ratione pri
mi, hoc eſt capacitatis innatæ, quæ pręſup
ponitur ad eleuationem; ſed ratione ſubſe-
cuti, hoc eſt ſupernaturalis formæ eleuātis.

Secundò probatur concluſio ab in-
conuenienti quadruplici, quod ſequi-
tur ex oppoſita ſententia. Primū eſt quia
fauet Pelagianiſmo ideſt errori eorū, qui
ex ſtirpe Pelagij pullulantes ita extollūt
innatam virtutem noſtri liberi arbitrij, vt
dicāt illud habere naturalem vim ad ſuper
naturales actus, qua & poſsit initium præ
bere ſuæ iuſtificationis, ſe que ad illam diſ
ponere: ſiquidem admittit hæc ſentētia hu
iuſmodi potentiam obedientialem actiuā
innatam in noſtro libero arbitrio ad ſuper
naturales actus eliciendos, ſicut & in alijs
rebus ad alios effectus ſupernaturales, &
miraculoſos, quod tamē periculoſum eſſe
in fide oſtendimus in tractatu de auxilijs,
& materia de prædeſt. prædictum errorem
late confutando. Neq; hoc inconueniens
vitat prædictus author dicens talem potē
tiā obedientialē actiuā noſtri liberi arbi-
trij, hoc eſt intellectus, & volūtatis eſſe in
completā, & eleuari per cōcurſum Dei, au
thoris ſupernaturalis, & per ſubordinatio
nem, atque aſſociationem ad illum. Nam
vel iſte cōcurſus Dei cū quo intellectus, ſi
ue volūtas noſtra dicitur potēs elicere actū
vitalē ſupernaturalē, ponit aliquid intrin-
ſecū in ipſa potētia antecedenter ad eliciē
tiam actus ſecundi, vel nihil ponit, ſed ſo-
lum eſt concōmitans; et concōmitanter ſe
habens cum potentia immediate influit

in

in eius actum. Si ſecundum habemus intentum: quia tunc iam ipſa potentia ſine intrinſeco dono gratiæ habet vim influendi in actus ſupernaturales. Si primum: aut hoc intrinſecè receptum in potẽtia eſt vis aliqua proximè actiua actus ſupernaturalis tanquam completa, & totalis ratio agẽdi: vel tanquam partialis duntaxat: vel nullatenus actiua: ſed non poteſt dici tertium, quia tunc nihil conduceret talis ſupernaturalis forma ad influendũ, ac proinde ſuperflua eſſet. Neque ſecundum quia tunc iam cõpartialis virtus actiua influẽs in actũ ſupernaturalẽ eſſet in potẽtia obedientiali innata noſtri liberi arbitrij, quemadmodum in vnoquoque duorũ portãtiũ lapidem reperitur compartialis virtus proxime influens in talem effectum: ergo dicendum eſt primum, nimirũ quod talis forma eſt totalis ratio proxima agẽdi, ac proinde potentia obediẽtialis innata, quæ per illam eleuatur nõ erit de ſe actiua, ſed tãtũ paſsiua & eleuabilis.

Secundũ eſt quod in omnibus rebus ordinis naturæ daretur aliqua formalitas ſupernaturalis innata, & ipſis debita quod tamen eſſe falſum patet; quia cũ huiuſmodi formalitas potentiæ obedientialis actiuæ ſit ſecundũ prædictum Auctorem innata connaturalis, & debita ipſis rebus naturalibus, atque de earum potentia educta, vel cum ipſis congenita ſiue identificata, nequit eſſe ſupernaturalis formaliter, & ſubiectiue quia implicat formalitates diuerſi ordinis nedum generis inter ſe formaliter identificari, aut intrinſece, & neceſſario conecti: ergo. Sequela autem patet, quia aut iſta formalitas potentiæ obedientialis actiuæ eſt naturalis ſicut entitas cum qua identificatur, aut à qua dimanat, & cum qua connectitur: aut eſt formaliter, & ſubiectiuè ſupernaturalis. Si ſecundum, habemus intentum ſequelæ. Si vero primum: talis potentia erat omnino inproportionata ad ſupernaturales actus, ſiue effectus ſicut & ad illos eſt improportionata quælibet alia res ſiue virtus naturalis, ac proinde nequit eſſe actiua reſpectu illorum.

Tertium eſt, quod nullam creaturã poſſet Auctor naturæ producere quin operaretur ſimul vt Auctor ſupernaturalis; ſiquidẽ in quacunque natura neceſſario debet reperiri huiuſmodi potentia obediẽtialis actiua ſupernaturalis: ac proinde producta à Deo vt Auctore ſupernaturali. Conſequens autem eſſe abſurdum patet, quia adhuc ſuppoſito ordine naturæ, & creatione totius vniuerſi liberum fuit Deo eleuare illum ad ordinem gratiæ, vtpotè quia poſſet illũ relinquere omnino in puris naturalibus ſine tali eleuatione, vt tanquam notiſsimum ſupponũt Theologi 1. 2. in tota q. 109. de gratia vbi multa inquirunt de homine condito in puris naturalibus ſupponentes quidẽ poſſe hominẽ condi à Deo de potentia abſoluta in tali ſtatu purorum naturalium ſine vlla eleuatione: ergo.

Quartum eſt, quod non ſaluarentur decreta Conc. Trid. ſeſs. 6. can. 2. & 3. de neceſsitate gratiæ diuinæ per Ieſum Chriſtũ collatæ, in quorum priori decernit Concilium ſub anathemate diuinam gratiã eſſe homini neceſſariã non ſolũ ad facilius promerendum vitã æternam, ſed etiam ad ſimpliciter, ita vt per liberi arbitrij vires, neq; ægrè, aut difficulter id poſsit; in poſteriori verò diffinit hominẽ nullatenus poſſe credere, ſperare, diligere, aut pœnitere ſicut opportet ſine præueniẽte Spiritus ſancti adiutorio, quæ congruenter intelligi non poſſunt de ſola gratia extrinſeca qualis eſt concurſus Dei tantũ in operationẽ liberi arbitrij humani terminatus ſine appoſitione alicuius doni ſupernaturalis intrinſecè afficientis ipſum liberũ arbitriũ, & hominis potentiã: ergo nullatenus dici poteſt ſufficere ad huiuſmodi ſupernaturales operationes potentiã obedientialem innatã liberi arbitrij cũ ſolo concurſu Dei in ipſas operationes ſupernaturales terminato.

Tertio & vltimo probatur concluſio ex defectu vnitatis huiuſmodi potẽtiæ obedientialis actiuæ quæ nec poteſt eſſe vnius athomæ ſpeciei in omnibus creaturis, nec diuerſæ: ergo nullius ẽſt entitatis, ac proinde fictitia eſt: conſequentia patet quia vnitas eſt paſsio entis, ac per conſequens cui non cõpetit debita vnitas, neq; cõpetit vera entitas. Antecedẽs autẽ prob. quod non ſit eiuſdẽ athomæ ſpeciei quia incredibile eſt potentiã, ſiue proprietatem eiuſdẽ athomæ ſpeciei idẽtificari cũ rebus diuerſorũ prædicamẽtorũ putà cũ ſubſtãtia, quantitate, qualitate, &c. aut cõſequi ad naturas primo diuerſas, quod autẽ non ſit diuerſę ſpeciei, probatur quia huiuſmodi potentia ſecundũ eius Auctores reſpicit eãdẽ omnino rationẽ formalẽ obiecti, nimirùm factibile à diuina omnipotentia mediante creatura: à qua vt ſic nequeunt

plus

plures potentiæ ſecundum ſpeciem diuer
ſificari. Neque hęc ratio pariter militat in
potētia obediētiali paſsiua, quam nos in
omnibus creaturis congenitam fatemur:
quoniam hæc conflatur ex duobus, nimi-
rum ex innata capacitate creaturæ ad reci
piendum à Deo, quam importat pro ſub-
ſtracto, & ex reſpectu rationis ſubijcibili
tatis ad omnipotentiam Dei, vel ex nega-
tione repugnantiæ quam connotat de for
mali, & ratione cuius habet creatura non
repugnantiam, vt recipiat à Deo quidquid
in illa facere voluerit: & quidē quantū ad
capacitatem diuerſificatur iuxta diuerſita
tem ipſarum rerum, cum quibus identifica
tur: quantū verò ad relationē rationis ſiue
ad negationem repugnantiæ, quæ forma-
liter eſt quid rationis, eiuſdē athomæ ſpe-
ciei eſt in omnibus rebus, quia non incon
uenit res primo diuerſas in aliquo ente ra-
tionis vniuocari: ſic enim cuncta mundi
ſingularia in intentione indiuidui, & om-
nes naturæ ſpecificæ in intentione ſpecie-
tatis, & omnes naturæ genericæ in inten-
tione genereitatis quæ eſt eiuſdē athomæ
ſpeciei vniuocantur; non diſsimiliter om-
nes creaturæ vniuerſi in negatione repug
nantiæ, & reſpectu rationis ſubijcibilita-
tis ad omnipotentiam Dei, vt in eis faciat,
quidquid voluerit, vniuocantur.

Labefactatur extrinſecæ ſubordinationis ſufficiētia ad effectū miraculoſum efficiēdum.

22 Dico ſecundò. Neque hu-
manitas Chriſti, neque alia creatura ex ſo
la coniunctione cū Deo, & ſubordinatio-
ne ad eius omnipotētiā habet virtutē phy
ſicā inſtrumentalē ad producēdos effectus
ſupernaturales, ſiue miraculoſos. Hæc cō
cluſio ſtatuitur aduerſus Auctores ſecun-
dæ ſententiæ, & oſtenditur ex triplici cap.
Primo quidē ex parte ipſius inſtrumenti,
quod præter coniunctionē, & ſubordina-
tionē ad agēs principale indiget aliqua mo
tione intrinſeca ſiue virtute impręſſa me-
dia qua effectiuè concurrat ad effectū agē
tis principalis, vt inductione patet in om-
nibus inſtrumentis, tā artificialibus quam
moralibus, ſerra enim vltra coniunctionē
cū artifice ad artificioſe ſcindendū indiget
motione recepta ab ipſo, & chordę pari-
ter ſine motione pulſantis eas non poſsūt
cōcentū muſicū facere: ſimiliter ſeruus vl
tra ſubordinationē ad Dominū imperātē
cui per imperiū veluti moraliter vnitur, &
ſubordinatur requirit virtutē phyſicā exe
cutiuā media qua exequitur imperiū Do-
mini ſui: ergo pariter inſtrumenta ſubordi
nata Deo ad effect⁹ miraculoſos, & ſuper
naturales efficiendos vltra imperiū ex par
te Dei, & ſubordinationē ex parte creatu-
rarū indigēt aliqua virtute impræſſa, aut
motione intrinſeca cui⁹ ratione poſsint ad
tales effect⁹ cōcurrere, & Deo cooperari.

Secundo ex cōditione ipſius actus pri-
mi operatiui cuius formalis effectus eſt cō
ſtituere ſubiectū potens agere: qui effect⁹
formalis nō poteſt cōmunicari ſubiecto,
aut inſtrumēto, niſi ab aliqua forma intrin
ſecè in ipſo recepta, quæ ſit formalis ratio
operādi: ergo hæc requiritur præter cōiū
ctionē, & ſubordinationē cū Deo: maior
eſt nota. & min. probatur dupliciter. Tū
quia huiuſmodi concretū potēs agere eſt
effect⁹ formalis, & denominatio ab intrin
ſeca qualitate proueniēs, hoc eſt ab aliqua
forma operatiua, quæ ſit primæ, vel ſecun
dæ ſpeciei qualitatis, nā huiuſmodi dūta-
xat qualitatis ſpecies ſunt in creaturis per
ſe operatiuæ: ergo ſicut albū nō poteſt fie
ri, niſi ab albedine intrinſeca, & calidū à ca
lore intrinſeco: & ſic de alijs cōcretis præ
dicamenti qualitatis, ita neque potens age
re poteſt conſtitui, niſi à qualitate operati
ua intrinſecè recepta. Tū etiā quia iſte trā
ſitus de non potente in potētē operari effe
ctū miraculoſum non poteſt fieri in huma
nitate Chriſti, aut alia creatura, niſi per re
ceptionē, & aduentū alicuius intrinſecæ
virtutis: eo quod licet in alijs prædicatis
reſpectiuis poſsit tranſire idem ſubiectum
de vno contradictorio in alterū ſine eius
intrinſeca mutatione per ſolā alterius ter-
tij mutationē, ſicut colūna trāſit de nō dex
tera in dexterā ſine mutatione ſui, prop-
ter ſolā mutationem hominis poſiti iux-
ta illā, tamen huiuſmodi tranſitus de nō po
tente in potentē operari, vtpote cū ſit de
vno cōtradictorio prædicato in alterū ab
ſolutum, & reale de genere qualitatis, vt di
ctū eſt, nequit fieri per ſolā mutationē al-
terius tertij, hoc eſt temporis, effectus, vel
Dei (nec enim reſpectu effectus miraculo
ſi in alijs poteſt aliqua nouitas ſuperueni-
re) non quidē per mutationē tēporis, quia
ſola mutatio tēporis; v. g. quod Deus ab
æterno decreuerit, vt in hoc tēpore fiat iſ
te effect⁹ miraculoſus ab humanitate Chri
ſti per concurſum diuinū nō ſufficit vt hu
manitas fiat in ſe potētior quam antea, ac
per cōſequēs neq; ſufficit, vt poſsit in talē
effectū actiue influere. Neq; per mutatio
nē ipſi⁹ effect⁹, quia cū ille ſit omnino ex
tra humanitatē ex ei⁹ mutatione nō ſequi
tur quod humanitas recipiat aliquid intrin
ſecè

Digitized by Google

ſece antecederet prioritate naturæ ad ipſum effectũ, perquod in ſe fiat potẽs influe in illũ, & per quod illũ contineat virtualiter. Et tandẽ neq; permutationẽ Dei, quia hęc repugnat eius immutabilitati: vtpotè apud quẽ nulla eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio: ergo vt fiat talis tranſitus requiritur mutatio in ipſa humanitate, per aduentum alicuius formæ ratione cuius ipſa humanitas fiat potẽs in actu primo, & præhabeat, atq; cõtineat virtualiter ipſum effectũ, quẽ ante receptionẽ talis formæ, neq; virtualiter præhabebat, neq; proximè, & ſimpliciter poterat operari.

Tertio probatur ex parte ipſius coniunctionis, & ſubordinationis, quæ neque eſt localis cũ hęc nõ ſufficiat, vt humanitas, vel alia creatura poſsit effectũ ſupernaturalẽ producere inſtrumẽtaliter: Deus enim omnibus rebus eſt pręſens, vtpotè in quo viuimus mouemur, & ſumus: acproinde ſecũdũ localẽ cõiunctionẽ nõ magis vni quã alteri creaturæ vnitur, neq; eſt formalis, quia Deo repugnat eſſe formã phyſicã alicuius creaturę, vt probat D. Th. 1. p. q. 3. a. 8. neq; eſt hypoſt. quia hãc nõ habet niſi cũ ſola humanitate, & adhuc in illa talis vnio nõ eſt operatiua quia eſt mod⁹ dat⁹ per ſe ad eſſe perſonale, & non ad operari: ergo nulla coniunctio, aut ſubordinatio creaturæ cũ Deo poteſt ex cogitari, quæ ſit operatiua, aut quę tribuat creaturæ vim operãdi ſupernaturales effect⁹. Si dicas hãc cõiũctionẽ, & ſubordinationẽ eſſe alterius rationis à prædictis quia eſt per imperiũ, & in genere cauſalitatis, ſicut cauſa ſecunda ſubordinatur primæ, & mobile ſuo motori, & ſeruus domino imperãti. Contra hoc eſt, nam vel hęc coniunctio, ſecundũ cauſalitatẽ, motionẽ, & imperiũ ponit aliquã vim actiuã intrinſece receptã in creatura, qua Deus vtitur vt inſtrumento, vel nihil ponit in illa. Si primum iam non reddetur inſtrumẽtũ potens operari per ſolã coniũctionẽ, ſed per illã virtutẽ intrinſece receptã diſtinctã ab ipſa coniunctione, quod eſt contra intentũ Authorũ huius ſententię, quã impugnamus. Si ſecundum implicat, quod ſine appoſitione alicuius intrinſici, quod ſit de genere qualitatis, vel motionis operatiuæ conſtituatur creatura aliqua inſtrumẽtũ potens operari miraculoſum effectũ, ob rationes aſsignata, eo vel maxime quod in hoc caſu, & admiſſa hac hypotheſi, nihil poteſt cõſiderari in ipſo inſtrumẽto, quod ſit virtus operatiua ratione cuius ipſum influat in talẽ effectũ, etenim ſolũ poteſt cõſiderari, vel ipſa cõiunctio, cum Deo vel ipſa virtus increata, & omnipotẽtia Dei, quorũ neutrũ poteſt eſſe ratio operãdi ipſi inſtrumẽto: non quidẽ cõiunctio, quia eſt ſolũ relatio ſimultanei concurſus ad effectũ, quæ vt ſic operatiua nõ eſt; neq; virtus increata, aut omnipotentia, quia hæc ob ſui indepẽdentiã, neq; poteſt eſſe actus, neq; forma creaturæ: acproinde neque poteſt ei vniri, vt virtus ipſius: ergo neque poteſt illam conſtituere formaliter potentem operari.

23 Dico tertio huiuſmodi virtus inſtrumentalis cõſtituẽs humanitatẽ Chriſti, ſiue aliã creaturã in actu 1. in ratione inſtrumenti potẽtis cõcurre ad ſupernaturales, & miraculoſos effectus eſt aliqua forma ſupernaturalis ipſi humanitati inhærens quæ nõ in motione, aut vnione; ſed in qualitate de ſe fluida, & trãſeunte cõſiſtit. Hęc cõcluſio ſtatuitur aduerſus Authores 1. & 2. modi defendendi 3. ſentẽtiam, & pro authoribus 3. & quantũ ad 1. partem patet à ſufficienti diuiſione, & aliarum ſententiarum excluſione. *Aſtruitur huiuſmodi virtus inſtrumentaris, in qualitate fluida ſupernaturali.*

Deinde quoad 2. partem probatur rationibus, quibus Suar. in d. ſect. 5. §. *ſecũdus modus*, impugnat huiuſmodi artificioſam motionẽ, ſiue motũ, quę ad hãc ſummã reduci poſſunt: implicat paſsiuũ motũ recipi in humanitate, qui ſit forma operatiua, & principiũ operandi effectum ſupernaturalem propter tria. Tum quia forma conſtituens ſubiectũ potens operari non poteſt, nõ eſſe de genere qualitatis 1. aut 2. ſpeciei, quia huiuſmodi concretũ potens operari eſt effectus formalis qualitatis, & eſt denominatio qualis, & qualitas eſt à qua quales denominamur. Tũ etiã, quia huiuſmodi motus paſsiuè receptus in humanitatẽ, vel in alio corpore tantũ eſt applicatio illius ad iſtũ, vel illũ locũ, vel expulſio ab iſto vel illo loco: applicatio autẽ nequit eſſe ratio agẽdi, niſi tantũ cõditio requiſita.

Tũ deniq, quia vel iſte motus debet eſſe, aut localis ad vbi, aut augmentationis ad quantitatẽ, aut alterationis ad qualitatẽ terminatus, ſi primũ neq; ratione ſui, neque ratione termini poteſt eſſe ratio operandi, ſimiliter ſi detur ſecũdũ, quia neq; vbi, neque quantitas ſunt formæ operatiuæ: ſi tertiũ, neceſſe eſt, quod talis motus producat qualitatẽ aliquã in inſtrumento moto, & ſic erit ratio operandi non ratione ſui, ſed ratione ipſius qualitatis, quod

eſt

eſt intentum noſtrum: neque po eſt excogitari alia ſpecies ad quam pertineat huiuſmodi motus, quia tantũ ad tria dicta prędicamẽta datur per ſe motus: ergo tenẽda eſt tertia pars noſtrę aſſertionis: nimirũ quod huiuſmodi virtus inſtrumẽtalis cõſiſtat in quadã qualitate fluida, & traſeũte, quæ à ſufficiẽti partiũ enumeratione relinquitur probata ex dictis. Si enim huiuſmodi virtus debet conſiſtere in aliquo intrinſeco, quod nequit eſſe potentia obedientialis actiua innata, neque ſubordinatio ad agens principale, neque ſola motio paſsiue receptã in inſtrumẽto: igitur erit qualitas primę aut ſecũdæ ſpeciei, & cum dubio præcedẽti oſtenderimus huiuſmodi qualitatem nõ eſſe habitualem, aut permanentem de lege ordinaria reſtat, vt ſit qualitas tranſiens, & fluida ex natura ſua. Relinquitur etiã ſufficienter probata eiſdem rationibus quibus in tractatu de auxilijs oſtendimus auxilia diuinæ gratiæ cõſiſtere in qualitatibꝰ fluidis, & tranſeuntibus habentibus modũ diſpoſitionis, ide enim conuincitur de huiuſmodi virtute inſtrumentali, quia datur per modum auxilij actualis, atque ſupernaturalis diſpoſitionis. Sed rogabis vnde huiuſmodi qualitas habet eſſe fluidũ, & trãſiens Videtur enim ex nullo capite id poſſe ei cõtingere: non enim hoc habet à ſubiecto, quod eſt potentia obediẽtialis paſsiua permanens in creatura, neque à cauſa efficiẽti quæ eſt Deus qui habet eſſe permanens firmũ, & immutabile in ſe, & in ſuis decretis; ac proinde etiã in decreto libero quo vult communicare huiuſmodi qualitatẽ creaturæ, hic & nunc v.g. habet firmitatẽ, & permanentiam, ſimiliter, neque ex parte alicuius contrarij expellentis illam à ſubiecto: quia cum ſit qualitas diuina dependens à Deo in fieri, & eſſe, nullũ habet cõtrariũ à quo poſsit corrumpi, ſicut neque lux illud habet, quia quædam qualitas cœleſtis eſt: denique, neque ex natura ſua poteſt habere eſſe fluidum: quia tunc ſuapte natura inclinaret ad ſui deſitionẽ, quæ inclinatio repugnat omni creaturæ, nulla enim eſt quæ ſuapte natura non inclinet ad conſeruationem ſui eſſe, voluntariè igitur cõſtituitur huiuſmodi qualitas tranſiens ſi non habet cauſas aliquas ſuę mobilitatis.

Reſpondetur, nihilominus qualitatem hanc ſicut, & alias ſimiles auxiliorum diuinæ gratiæ eſſe fluidam, & tranſeuntem ex natura ſua, quod quidẽ poteſt habere ex duplici capite, vel ex efficacia diuinæ voluntatis, quæ ſicut vult cum cauſis ſecũdis producere effectus non ſolum quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad modum, ideſt cõtingentes medijs cauſis contingentibus, & liberos medijs cauſis liberis, & neceſſarios medijs cauſis neceſſario operantibus: ita & ad illam pertinet in ipſis cauſis ſecundis producere formas quas voluerit, quoad ſubſtantiam, & quoad modum, ideſt permanentes, & habituales quas voluerit permanere; & fluidas, ſiue tranſeuntes quas voluerit habere eſſe tranſiens, & fluens, aut ex conditione, & mutabilitate ipſius creaturæ recipiẽtis talem virtutem operatiuã: quia cum hęc detur per modum auxilij actualis ad operationem, ſicut operatio habet eſſe tranſiens, & fluens ab ipſa cauſa creata, quæ non poteſt continuo, & inceſſanter operari, ſed neceſſe eſt, vt quandoque ſuſpendat actualem operationem, ita & auxilium, ſiue virtus data per modũ auxilij, ſequitur naturam operationis, cum qua habet infallibilem connexionẽ quoad inceptionem, & ſuſpenſionem, ſiue durationẽ, ita vt durante operatione duret huiuſmodi virtus, ſiue auxiliũ, & pariter deſinat illa deſinẽte, & cauſa deſitionis vnius ſit etiam cauſa deſitionis alterius.

Deinde pro tertia parte probatur. Tum quia vnio hypoſtatica eſt modus, & non forma operatiua: Tum etiam, quia vt idẽ Nazarius admittit controuerſ. 5. ratio agendi in actu 2. in humanitate. & alijs inſtrumentis eſt motio paſsiue recepta: ergo, & hæc eſt forma operatiua in actu voluntario, &c.

Dico quarto, & vltimo huiuſmodi virtus inſtrumentalis phyſica eleuans, & conſtitnens humanitatem Chriſti, ſiue quamcumque aliam creaturam in ratione inſtrumenti phyſici ad effectus miraculoſos eſt tota ratio proxima agendi, & influendi in tales effectus: hæc concluſio ſtatuitur aduerſus eoſdem Authores potentiæ obedientialis actiuæ, & ſubordinationis, ſiue eleuationis extrinſecæ, & pręter quam: quod colligitur ſufficienter ex præcedentibus concluſionibus. eo quod ſi ex parte entitatis ipſius humanitatis, ſiue creaturæ non datur aliqua potentia, ſiue principiũ proximę influens partialiter conſequens eſt, quod tota ratio agendi proxima, & influendi in effectum miraculoſum ſit ipſa virtus ſupernaturalis ſuper addita eleuans intrinſece humanitatem, ſiue creaturam in ratione inſtrumenti oſtenditur primo in- *Quæ eſt tota ratio proxima operandi.*

du-

ductione in omnibus alijs, & ſingulis for-
mis, ac virtutibus ſupernaturalibus opera
tiuis eleuantibus creaturas, ſiue potentias
ordinis naturalis ad effectus, ſiue actus ſu
pernaturales eliciendos: vt virtus illa quæ
eleuat, & cōſtituit Sacramēta nouæ legis
in ratione inſtrumēti phyſici ad producē-
dam gratiā eſt tota ratio proxima efficien
di gratiā ex parte ipſorū Sacramentorū:
neq; enim in aqua Baptiſmi, aut oleo con-
firmationis, ſiue extremęunctionis eſt ali-
qua cōpartialis virtus cōgenita effectiua
gratiæ: & virtus ſuperaddita igni inferni
cōſtituēs illū in ratione inſtrumenti diui-
næ iuſtitiæ ad torquēdos ſpiritus damnato
rū eſt tota ratio formalis proxima influē-
di in huiuſmodi effectū: ita vt ex parte ip-
ſius ignis, quæ eſt eiuſdē ſpeciei cū noſtro
non ſit aliqua virtus cōgenita partialis ad
operandū huiuſmodi ſupernaturalē effe-
ctū. Nec non lumen gloriæ in intellectu
beati eſt tota ratio formalis, & proxima eli
ciēdi viſionē beatificā, & ſimiliter chari-
tas in voluntate hominis iuſtificati eſt to-
ta ratio formalis, & proxima eliciēdi actū
dilectionis Dei ſuper omnia, & ſic de ſin-
gulis: ergo pariter dicēdū eſt de huiuſmo-
di virtute phyſica inſtrumētali eleuāte hu
manitatē Chriſti ad effectus miraculoſos,
ſiue ſupernaturales efficiendos.

Secundo oſtenditur argumento, quo
vtitur Aug. in libr. de bono perſeuerantię
c. 6. & in Enchy. cap. 32. & lib. de prædeſt
Sanct. c, 2. ab inconuenięti, quod ſequitur
ex oppoſita ſententia; nimirū, quia ſi vo-
luntas, ſiue naturalis facultas liberi arbi-
trij humani eſſet media virtus operati-
ua ad actus ſupernaturales; quibus cum
gratia Dei diſponitur homo ad iuſtifica-
tionem, pariter poſſemus dicere, quod nō
eſt Dei miſerentis, ſed hominis volentis,
atque currentis eadem congruentia, atque
dixit Paulus ad Romanos 9. non eſt vo-
lentis, neque currentis, ſed Dei miſeren-
tis: quod tamen derogat modo loquēdi
Pauli in prædicto teſtimonio: ergo.

Sequela patet, quia propterea conuer
ſio hominis eſt Dei miſerentis, & non ho-
minis volentis, ſiue currentis, quia eſt ex
dono Dei, quod tantum concurrit partiali
ter: ergo ſi naturalis facultas liberi arbi-
trij, etiam eſſet partialis virtus: pariter talis
cōuerſio eſſet hominis volentis, atq; currē
tis quatenus prouenit ab huiuſmodi partia
li, ac media virtute naturali, & vt ſic nō eſ-
ſet Dei miſerentis, quia non procederet ex
dono gratuito Dei: ergo pariter ac propor
tionabiliter effectus miraculoſus dicere-
tur humanitatis operantis, & non gratiæ
eleuantis illam, quod non eſt minus abſur
dum, quam conuerſionem hominis adſcri-
bi eius facultati naturali, & non dono
Dei.

Tertio probatur à priori hac ratione
oſtenſiua: quia nimirum quotieſcumque
duæ cauſæ partiales, ſiue virtutes proxi-
mæ in eodem genere cauſalitatis, & effi-
cientiæ operantur ad eundem effectum,
neceſſe eſt eas gaudere diſtinctis concur-
ſibus, & exercere proprios, ac diſtinctos
influxus partiales circa talem effectum,
vt inductione, & experimento conſtat in
pluribus trahentibus nauim, vel portan-
tibus lapidem quorum ſinguli ſingulos
habent concurſus, & influxus, quia vt
cauſæ compartiales eiuſdem generis coo-
perantur ad eumdem effectum, ſed huma-
nitas Chriſti eleuata per huiuſmodi ſuper
naturalem virtutem phyſicam inſtrumen-
talem non exercet diſtinctum concurſum,
ſiue influxum ab illo, qui eſt proprius hu-
iuſmodi virtutis inſtrumentalis eleuantis,
circa miraculoſum effectum: ergo non cō-
currunt, tamquam duæ virtutes partiales
in genere cauſæ efficiētis. Minor patet quia
humanitas eleuata, & huiuſmodi virtus e-
leuās eodē indibiſibiliter influxu, atq; cō-
curſu ſupernaturali concurrunt ad eūdem
effectum miraculoſum producendum, alio
quin ſi duos concurſus, & influxus habē-
rent pariter haberent duas actiones reſpe-
ctu eiuſdem effectus miraculoſi alteram
quidem à virtute innata humanitatis, alte-
ram vero à virtute ſupernaturali eleuante:
ſiquidē concurſus, & influxus cauſæ effi-
ciētis eſt idē formaliter cum eius actione,
quod tamen eſt falſum, vt ipſi aduer-
ſarij fatētur: nā licet in inſtrumēto admit-
tāt actionē præuiā ortam ex propria natu
ra, & virtute inſtrumenti; tamē circa attin-
gentiā effectus agentis principalis non ad
ſcribūt ei duas operationes; ſed vnicā dūta
xat indiuiduale, qua in virtute agētis prin
cipalis ad eius effectum cooperatur: ergo.

Huic argumento reſpondent aduer
ſarij negando maior, cuius vnicam inſtan
tiam dumtaxat adducunt: nimirum in in-
tellectu, & ſpecie intelligibili, quæ tam-
quam duo principia partialia proxima cō
currunt eodem influxu ad eumdem actū
intellectionis: neq; enim ſpecies intelligibi
lis habet diſtinctū cōcurſu, & influxū ab
intellectu,

Digitized by Google

intellectũ, alioquim multiplicatis huiuſmodi concurſibus, & influxibus multiplicarentur actus intelligendi, quia in intellectu, & ſpecie ipſe actus intelligedi eſt eius concurſus, ſiue influxus. Sed hæc non eſt legitima inſtantia maioris aſſumptæ eo quod maior aſſumpta procedit de cauſis partialibus in eodem genere cauſalitatis ſiue efficientiæ: intellectus autẽ, & ſpecies intelligibilis, neque ſunt cauſę partiales intellectionis: neque in eodem genere cauſalitatis: non primum quia vnaquæque eſt totalis in ſuo genere: intellectus enim concurrit, vt potentia, ſpecies vero concurrit ex parte obiecti cuius vicem gerit: certum autem eſt, quod potentia, & obiectum ſunt principia totalia in ſuo genere.

Neque ſecundum, quia intellectus, vtpote potentia vitalis concurrit effectiuè ad ſpeciem, & exercitium actus: ſpecies vero in ſententia probabiliori tantum concurrit formaliter hoc eſt vt principium formale ſpecificans: iſte enim eſt proprius cõcurſus obiecti cuius ipſa vicem gerit: & in omni ſententia ſpecies intelligibilis tantũ concurrit determinando intellectum ad rationem ſpecificam actus, ac proinde non ſunt cauſæ compartiales in eodem genere reſpectu eiuſdem indiuiſibilis formalitatis in effectu, vnde manet ratio noſtra inconcuſa.

Sed obijcies: hæc virtus miraculorum operatiua conſiſtit in quodã auxilio actuali fluido, & tranſeunti, vt dictũ eſt: ſed auxilia actualia, & efficacia non habent conſtituere potentiã in actu primo, aut tribuere ei rationem formalem agendi, ſed tantũ eam applicare ad exercitium operationis: ergo talis virtus, neque eſt totalis ratio proxima operandi miraculoſos effectus. Reſpõdetur duo eſſe genera auxiliorum actualium, & efficacium, vt oſtendimus in tractatu de auxilijs: alia enim ſunt quę ſupponunt potentiam completam, & conſtitutam in actu primo per habitum ſupernaturalem, vel per aliud auxilium ſufficiens, & hæc tantum habent applicare potẽtiam ad operationem, cuius generis ſunt auxilia quę dantur intellectui habenti fidẽ ad credendum, & voluntati habenti charitatem ad amandum, vel habenti virtutem ſpei ad ſperandum: alia vero ſunt quæ non ſupponunt potentiam conſtitutam in actu primo per habitum, ſed dantur potentiæ nudæ, vt illam ſimul conſtituant in actu primo, & applicent ad operationem, & hæc ſimiliter præſtant munus auxilij ſufficiẽtis, & efficacis: ac proinde tribuunt potentiæ nedum applicationem, ſed etiam integram proximã rationem agendi, & huius generis ſunt auxilia, quæ homini peccatori dantur ad eliciendum actus timoris ſeruilis, & attritionis, qui propter ſuam imperfectionem non procedunt à virtute, ſed ab auxilio: & ſimiliter illa auxilia in quibus conſiſtunt gratiæ gratis datę, de quarum numero eſt huiuſmodi virtus miraculorum operatiua.

Ad primum pro prima ſententia reſpondetur, ex illis teſtimonijs ſolũ conuinci potentiam obedientialem paſsiuam innatam, quæ per formam ſupernaturalem eleuantẽ fiat actiua intra ordinẽ ſupernaturalem cõſtituta: hoc enim dumtaxat vult Auguſtinus loco citato: idem etiam ſuadet D. Th. qui per illa verba, vt in ea fiat quidquid creator diſpoſuerit denotat potẽtiam obedientialem paſsiuam: per ſubſequentia autem verba, *vt mediante ea fiat, &c.* denotat eamdem potentiam cõſtitutam iam in ratione actiuæ per virtutem ſupernaturalem eleuantem. Neque amplius voluit Bonauentura, & Alenſis: ſimiliter, neque Caietanus dicens creaturam reduci de potentia obedientiali ad actum, & fieri de non inſtrumento inſtrumentum, per hoc quod Deus vtitur illa ad opus miraculoſum: nã nomine huius vſus paſsiui non intelligit ſolam extrinſecam coniunctionem inſtrumenti cũ Deo, ſed ſupernaturalem virtutem intrinſecè receptã in illo nomine vſus, vel motionis ſignificatam.

Ad ſecundũ nego minorẽ, ad cuius probationem, patet ex dictis eleuationem illã omnimodo extrinſecam non poſſe mutare creaturam de non potente operari ad potẽtẽ operari in actu primo, ſine manifeſta repugnantia.

Ad tertiũ admiſſo antecedẽti neganda eſt cõſequẽtia ad cuius primã probationẽ reſpõdetur, quod ex potentia obediẽtiali paſsiua quã nos adſtruimus nulla ſequuntur incõueniẽtia, quia nos nõ adſtruimus illã potẽtiã obediẽtialẽ paſsiuã, quæ ſecũdũ aliquos Thomiſtas eſt formalitas quædã ſupernaturalis congenita in creaturis, aut cuius eſſentia cõſiſtat in aliquo ordine cõpleto potentię tranſcendentali cuius totum eſſe ſit reſpectiuum ad actum recipiendi formas ſupernaturales: ex hac enim fatemur ſequi omnia inconuenientia illata ex potentia obedientiali actiua: ſed

ſolum admittimus illam quæ in ipſa entitate creaturæ prout capax recipiendi à Deo formas ſupernaturales, atque in ſola radicali capacitate conſiſtit, quæ ſupra entitatem ipſius creaturæ addit ſolum reſpectum rationis ſubijcibilitatis ad omnipotentiam Dei.

Ad ſecundum reſpondetur, quod illud axioma ſolum tenet in actu, & potentia quæ conſiſtit in ordine poſitiuo (vt bene probat Nazarius controuerſia 4.) tranſcendentali per ſe primo ordinato ad actũ, qualis non eſt huiuſmodi capacitas, ſiue potentia obedientialis paſsiua, & ideò nõ oportet illam eſſe eiuſdem generis cum actu, quem recipit, aut cum agente cui ſubijcitur, ſicut neque opportet potentiam paſſiuam animæ noſtræ reſpectu ſuarum proprietatum, quas recipit in mente eſſe eiuſdem ordinis cum illis ob eandem rationẽ: nimirum; quia conſiſtit in ſola capacitate, quæ nõ ponit in numero cum ſubſtãtia ipſius animæ.

Ad tertium admiſſa maiori, & minori, diſtingo conſequens non poſſunt creaturæ obedire Deo in agendo, niſi per potentiam obedientialem actiuam in natam nego, niſi per potentiam obedientialem conſtitutam actiuam poſt eleuationem intrinſecam concedo conſequentiam.

Ad quartum reſpondetur, quod in noſtro intellectu, & voluntate reſpectu actuum vitalium ſupernaturalium (ſuppoſita ſententia iam communiter recepta actus, nimirum virtutum infuſarum eſſe ſupernaturales, quoad entitatem, & modum vitalitatis) inuenitur potentia ante eleuationem factam per habitum ſupernaturalem, vel per auxilium, quod ſupleat vicem habitus: actiua quidem ſecũdum quid & cum addito hoc eſt actiua remota radicalis, & improportionata: quæ tamen eſt actiua proxima, & proportionata reſpectu actuum naturalium: & intrinſecè eleuata ſit actiua ſimpliciter, & proximè atque proportionata reſpectu actuum ſupernaturalium: quæ iam tunc non eſt appellãda obedientialis ſed ſupernaturalis. Iuxta quam diſtinctionem diſtinguenda eſt maior, & ſimiliter minor, & neganda conſequentia. Quo modo autem eadem omnino potentia ſecundum gradum ſpecificum ſit naturalis, & proportionata reſpectu vnius actus, & remota atque improportionata reſpectu alterius intra latitudinem eiuſdẽ obiecti analogi, à quo talis potentia ſpecificatur oſtendimus in loco allegato de charitate.

Ad quintum reſpondetur negando antecedens, neque enim in aliquo ex adductis exemplis ſit res potens operari in actu primo, ſine aliquo ſuper addito intrinſeco, niſi quando talis res conſiſtit formaliter in genere virtutis, & potentiæ actiuæ: vnde, quia calor eſt naturalis virtus ignis ideò poteſt in virtute ipſius, hoc eſt vt virtus ipſius attingere effectus ipſius ignis, licet perfectiores ipſo calore: tamen calor animalis non ſit potens ad aggeneratione carnis, niſi ex coniunctione ad animam participet aliquam virtutem, & qualitatem effectiuam, quam proportionabiliter participant phantaſmata ab intellectu agente ad productionem ſpeciei intelligibilis: & ſimiliter illam participat cogitatiua in homine: niſi dicamus cogitatiuam in homine habere diſtinctam perfectionem, ſaltem indiuidualem, quam non habet in brutis, & ratione huius poterit in homine elicere diſcurſum, quem non poteſt in brutis. De membris autem exterioribus dicendum eſt, in illis eſſe potentiam executiuam: & in inſtrumentis artium motionem paſsiuam; ratione cuius illa poſſunt exequi imperium voluntatis, & ita cooperari artifici.

Ad primum pro ſecunda ſententia dicẽdũ eſt, quod natura inferior ex ſola coniũctione, & ſubordinatione ad ſuperiorẽ nõ ſit potentior quam eſſet ſecundum ſe ſecluſa tali ſubordinatione: niſi quando ipſa eſt virtus formæ ſuperioris, vt cõtingit in calore ignis, & cogitatiua hominis, vt dictũ eſt ſub qua diſtinctione diſtinguẽda eſt maior: & admiſſa minori neganda eſt conſequentia.

25 Ad ſecundum nego antecedens ad cuius probationem reſpondetur, nihil cõuinci exemplis adductis: nõ quidem primo, quia quando duo aſſociantur ad portãdum lapidem, v.g. vnuſquiſque illorũ per intrinſecam virtutem eſt potens ad partem ponderis ſibi proportionatam, & ſic vterque ſimiliter eſt potens ad totum pondus.

Neque ſecundo quia licet infideles negatiuè, qui nullam notitiã habent Euangelij, dicantur poſſe credere, & ſaluari propter auxilia extrinſeca, & oblata: hoc intelligendum eſt in ſenſu morali, ac de morali potentia quatenus moraliter loquendo dicimur poſſe, id quod per amicos poſſumus: non autem loquendo de potẽtia phyſica, & proxima, hanc enim habent quouſque

que Deus confert illis intrinſeca auxilia gratiæ ſufficientia, neque tandem tertio quia Sacerdos ſit potens phyſice ad illos actus iuriſdictionis: nimirum ligandi, atque abſoluendi per charecterem, & ſupernaturalem poteſtatem ordinis, quam accepit in ipſa ſui conſecratione: tamen quia aſſignatio ouium requiritur vt conditio neceſſaria, deffectu huiuſmodi conditionis; non erat antea potens potentia quidē morali, & expedita, bene autem potentia ſimpliciter, & phyſica, ſicut ignis ante applicationem ad combuſtibile potens quidem eſt phyſice illud calefacere, ſed non potentia applicata, & expedita.

Ad tertiū reſpondetur iuxta duas ſententias quarū meminimus in q. de prædeſt. ar. 2. alteram quidem aſſerētium actiones quibus Deus producit res ad extra eſſe formaliter tranſeūtes, iuxta quā ſentētiā eadem actio cauſæ ſecundæ ſimul eſt actio Dei prout egreditur à Deo, & cauſæ ſecūdæ, prout egreditur ab ipſa creatura, & ſimiliter eadem actio inſtrumenti, circa effectum miraculoſum erit actio Dei, vt etiam fatetur Suar. ſect. 9. & huic ſententiæ fauet Diu. Thom. infra quæſt. 19. art. 1. ad 2. dicens: ſic igitur actio inſtrumenti in quantum eſt inſtrumentum, nō eſt alia ab actione principalis agentis: poteſt tamen habere aliam operationem, prout eſt res quædam. Sic igitur operatio, quæ eſt humanæ naturæ in Chriſto in quantū eſt inſtrumentum diuinitatis non eſt alia ab operatione diuinitatis, non enim eſt alia ſaluatio, quā ſaluat humanitas Chriſti, & diuinitas eius, &c. Alteram vero aſſerentium actiones Dei productiuas ad extra eſſe formaliter immanētes, & virtualiter dūtaxat tranſeuntes, eo quod ſunt actiones diuini intellectus practici, atque voluntatis, quā ſententiam oſtendimus eſſe magis conformem menti D. Th. propterea iuxta illam ad argumentum negandum eſt antecedēs. nam actio inſtrumenti eſt creata, & tranſiens: actio vero Dei eſt increata eius intellectio, ſiue volitio, & formaliter immanēs, qua Deus imperat talē effectū miraculoſum mediante hoc inſtrumento produci. Neque contrarius eſt ſibi D. Th. in loco proxime citato: quoniam dum ait operationē humanitatis, in quantū eſt inſtrumentum diuinitatis, non eſſe aliam ab operatione diuinitatis loquitur de operatione diuinitatis nō formaliter; ſed terminatiuè ita vt ſenſus ſit, quod operatio perueniens ab humanitate Chriſti, tamquam ab inſtrumento diuinitatis eſt etiam operatio diuinitatis terminatiuè, quia eſt terminus actionis diuinitatis: eatenus enim illa actio humanitatis attingi effectum miraculoſum, & proprium Dei, quatenus terminat diuinum imperium, & illi ſubordinatur: in quo ſenſu illuminatio Solis calefactio ignis, & aliæ actiones cauſarum ſecundarum poſſunt appellari operationes Dei, quatenus ab illo egrediuntur, & eius imperium ſiue concurſum virtualiter tranſeuntem terminant, & ei ſubordinantur, quamuis formaliter non ſint actiones Dei, eo quod non ſunt actus complentes, ſiue perficientes diuinum intellectum, aut voluntatem. imo potiori iure actio, qua humanitas Chriſti, vt inſtrumentum operabatur miraculoſum effectū, poteſt dici propria Dei quia non procedit à propria virtute humanitatis, vt à cauſa ſecunda principali, niſi à virtute eleuante illam, tamquam inſtrumētum Dei mouentis, & imperantis ad talem effectum producendum.

26 Ad primum autem pro Authoribus prioris modi defendendi tertiam ſententiam reſpond. negando minorem: neque oppoſitum conuincunt exempla adducta. Non primum de calore ob rationem ſuperius aſſignatam: neque ſecundum, aut tertium de inſtrumentis artis, quia illa non efficiuntur potentia operari in actu primo per ſolam motionem, ſed per qualitatem fluidam, quæ quia fluida, & tranſiens eſt dicitur motio gramaticalis, & ſecundum dici, quia habet ſe ad modum motionis.

Ad ſecundum reſpondetur eadem ſolutione, quod Diu. Thom. huiuſmodi virtutem tranſeuntem ſignificat quandoquè nomine motus, & motionis, quia eſt motio ſecundum dici, non autem ſecundum eſſe: alioquin illam appellat nomine potentiæ, ſeu virtutis in alijs locis, vt infra, loquens de Sacramento Euchariſtiæ, quæſt. 78. art. 4. & quæſt. 6. de potentia, art. 4. & in 4. d. 1. quæſt. 1. art. 4. quæſt. 2.

Ad tertium nego antecedens pro tertia parte: ad cuius probationem reſpondetur nullum ſequi ex illis inconuenientibus in adſtruenda huiuſmodi qualitate: non quidem primum, quia cum talis qualitas ſit incompleta, & imperfecta virtus participans quaſi in tranſitu aliqualem virtutem diuinæ omnipotentiæ: propterea tantum ſe ipſa eſt potens efficere effectum mira-

culoſum inſtrumentaliter, hoc eſt vt inſtrumentalis virtus ſubordinata diuinæ omnipotentiæ, vt cauſæ principali, & ab eius applicatione dependens. Nequè ſecundùm: quia vel eſt corporea ſubiectiuè, & formaliter, & ſpiritualis terminatiuè, quando terminatur ad effectum purè ſpiritualem, vt vult Paludanus: vel etiam eſt formaliter & ſubiectiuè ſpiritualis, atquè indiuiſibilis, quæ tamen, quia tranſiens, & fluida eſt non habens eſſe permanens in ſubiecto corporeo ideò non oportet, quod ſequatur modum ipſius recipientis, vt vult Capreolus, habetquè fundamentum in D. Thom. in allegata, quæſt. 62. art. 4. aſſerente id ipſum de virtute recepta in Sacramentis, præter quam quod hoc ipſum inconueniens pariter ſequitur ex motione virtuoſa recepta in humanitate Chriſti, & Sacramentis licet non ſit in genere qualitatis.

Nequè tertium, quia cum huiuſmodi virtus ſit participatio omnipotentiæ diuinæ, & eius inſtrumentum proximum, & formale, propterea non alligatur conditionibus diſtantiæ loci, medij & cætera.

Nequè quartum, quia huiuſmodi virtus tantum explicatur in illum effectum ad quem à diuina omnipotentia ordinatur, & applicatur, quæ vt in plurimum imprimit talem virtutem inſtrumentis ad operandum effectus non in ipſis per modũ cauſæ formalis, ſed extra ipſa in alijs ſubiectis, per modum cauſæ efficientis.

Dubium quartum eſt: An humanitas Chriſti in quantum inſtrumentum diuinitatis potuerit extendi ad effectum creationis vel annihilationis.

27 IN hoc dubio, quod de obiecto extenſionis virtutis inſtrumentariæ Chriſti miraculorum effectricis inſtituimus, omnes Theologi communiunt in duobus: & diſcriminantur in vno. Conueniunt quidem primo in eo quod humanitas Chriſti potuerit extendi, & de facto fuerit extenſa ad effectus loco diſtantes: eo quod illa conditio communiter à Philoſophis requiſita ad agendum, ſcilicet vt agens & paſſum ſint ſimul: aut non eſt ſimpliciter requiſita in omnibus agentibus, niſi tantum in particularibus cauſis, aut tãtũ eſt requiſita ex natura rei, & non intrinſice in ordine ad potentiam Dei abſolutam, vt potecum non ſit eſſentialis, vel intrinſeca ipſi principio agendi, aut actioni, adquè ſufficit contactus virtualis, vt docet D. Thoma infra quæſt. 56. art. 1. ad 3. ergo non eſt ratio quare de potentia Dei abſoluta non poſsit creatura agere, ſine huiuſmodi propinquitate locali. Vnde, & ſine illa, & ſine aliquo contactu corporeo Chriſtus miracula operatus legitur, vt patet in ſuſcitatione Lazari, & filij Reguli, & exſiccatione ficulneæ.

Secundò conueniunt in eo, quod nequè humanitas Chriſti, nequè alia creatura poteſt agere in res diſtantes ſecundum tempus eo quod huiuſmodi ſimultas temporis, & realis exiſtentia ſit conditio per ſe, & ſimpliciter requiſita ex parte agentis omnino in ſuplebilis à Deo non minus, quam apprehenſio finis eſt in ſuplebilis conditio ad finalizandum: vt latè probat Suarius, hic ſect. 8. aduerſus Capreolum, 4. diſt. 13. quæſt. vnic. art. 3. ad argumenta contra primam, & Sotum diſt. 1. quæſt. 2. art. 3. aſſerentes humanitatem Chriſti, tamquam phyſicum inſtrumentum communicaſſe gratiam Patribus antiquæ legis qui ipſam præceſſerunt, quę tamen ſententia ſuſtineri non poteſt, niſi benignè interpretetur de cauſalitate morali meritoria, & finali. Sic enim certum eſt Chriſtum Dominum præuiſum in genere cauſæ finalis potuiſſe mouere Deum, vt conferret intuitu meritorum ipſius gratiam antiquis Patribus, vt dub. præcedenti oſtendimus concluſione 1. & probabile eſt etiam potuiſſe ſic apprehenſum in mente diuina antè quam realiter exiſteret extra cauſas concurrere ad conferendam prædictam gratiam in genere cauſæ efficientis moralis: quia ad huiuſmodi genus cauſalitatis probabile eſt non requiri phyſicam exiſtentiã, ſicut nequè ad genus cauſæ finalis. Noſtra tamen ſuppoſitio ſuadetur primo, quia ad cauſalitatem efficientię

phy-

phyſicæ requiritur tamquam conditio intrinſeca, & inſuplebilis exiſtentia realis, quia vnumquodque agit in quantum eſt in actu. Secundo quia ex oppoſita ſententia ſequuntur manifeſta inconuenientia implicantia contradictionem, vt quod cauſa efficeret ſine virtute, quia quod non exiſtit, nihil eſt, ac proinde, neque virtutem realem habet per quam influere poſſit, & à qua effectus dependere poſſet: & inſuper quod creatura poſſet aſſumi, vt phyſicum inſtrumentum ad ſui productionem, vel creationem, nec non quod principium efficiens meriti poſſet cadere ſub eodem merito, quæ tamen inconuenientia reputant Theologi.

Primum quidem, quia nequit creatura præſupponi exiſtens ante quam ſit producta.

Secundum vero, quia nequit meritum præexiſtere realiter ſuo principio efficienti: quæ tamen ceſſant ſi ſemel admittamus rem poſſe efficere realiter ante quam realiter exiſtat. Neq; obſtat, quod plures Theologi cum Diu. Thom. infra quæſtion. 50. art. 6. & quæſtion. 52. art. 5. ad ſecundum, & quæſtion. 56. artic. 1. & quæſtion. 57. art. 6. aſſerunt paſsionem mortem, & reſurrectionem Chriſti efficienter cauſare noſtram iuſtificationem, & reſurrectionem: quæ tamen modo non exiſtunt realiter, ſed ſunt tranſacta. Quoniam ea ſententia ad hunc ſenſum intelligenda eſt, non quaſi huiuſmodi actiones, ſiue paſsiones tranſactæ per ſe modo cauſent efficienter noſtram iuſtificationem, ſed quod humanitas Chriſti in qua illæ manent veluti virtualiter, ſit cauſa efficiens noſtræ inſtificationis, & reſurrectionis; ita vt per quandam accomodationem humanitas Chriſti, vt ſubiecta morti dicatur eſſe inſtrumentum ad liberandum nos à morte peccati, & vt affecta reſurrectione ſit accommodatum inſtrumentum noſtræ reſurrectionis, &c.

Quibus ſuppoſitis diſcriminantur Theologi in explicando: an humanitas Chriſti potuerit operari effectus miraculoſos ſine propria actione præuia, in duas ſententias extreme oppoſitas. Prima affirmans eſt, quam ſequitur Suarius ſection. 9. qui conſequenter aſſerit humanitatem Chriſti, & quamlibet aliam creaturam poſſe aſſumi, vt inſtrumentum creationis, & annihilationis, & Peſantius diſput. 3. concluſion. 5. quæ ſuadetur tripliciter. Tum quia probabile eſt de facto humanitatem Chriſti concurriſſe ad creationem aliquarum rerum, vt tenent Chriſoſt. hom. 86. in Ioann. & Euthymius Ioann. 21. ſuper illa verba: *Vt ergo deſcenderunt in terram viderunt prunas poſitas, & piſcem ſuperpoſitum, & panem*, aſſerentes hæc tria fuiſſe producta à Chriſto de nouo ex nulla præſuppoſita materia, idemque Tolletus ibidem affirmat potuiſſe fieri licet incertum ſit, an de facto ita contigerit: ergo.

Secundo, quia ex tribus generibus inſtrumentorum ad quæ omnia inſtrumenta reduci poſſunt vnum eſt eorum que per actionem ſibi connaturalem efficiunt aliquem effectum, qui ſit diſpoſitio, ſeu præparatio præuia ad effectum principalis agentis ad quem non attingit immediate operatio inſtrumenti: Secundum eſt eorũ per quæ agens principale attingit ad productionem ſui effectus ſine alia noua, aut diſtincta actione, niſi ſolum media eadem actione ſui inſtrumenti, quod gerit vicem ipſius agentis principalis, & operatur in abſentia illius, vt ſemem in abſentia generantis.

Tertium genus eſt eorum, quæ ſua actione attingunt productionem effectus agentis principalis, quod ſimul ſua actione propria influit in eundem effectum, ita vt eadem actio ſimul ſit, & agentis principalis, & inſtrumenti ſecundum diuerſos reſpectus: & hoc genus inſtrumentorum non eget actione præuia ad actionem, & effectum agentis principalis: ſed ad huiuſmodi genus pertinent inſtrumenta diuina quæ aſſumuntur à Deo ſupra ordinem naturalem ad effectus miraculoſos, & ſupernaturales: ergo non indigent huiuſmodi actione præuia, ac proinde poterunt aſſumi à Deo ad creationem, & anihilationem.

Tertio, quia vbi agens principale, & inſtrumentum operantur eadem actione non requiritur actio præuia ex parte inſtrumenti, ſed quando Deus vtitur humanitate Chriſti, vel alia creatura, vt inſtrumento ad producendum effectum miraculoſum, operantur illum media eadem actione indiuiſibili: ergo.

28 Secunda ſententia eſt negatiua; quam communiter tuentur diſcipuli, D. Thom. cum ſuo Authore in hoc articul. 2. vt Caietanus, & Cabrera diſput. 5. & Medina infra q. 48. art. 6. circa finem, quæ proinde à nobis ſtatuitur pro conclu-

ſione, & probatur primo ratione, qua vtitur D. Thom. 1. part. quæſt. 45. art. 5. & lib. 2. contra gentes, cap. 21. ratione 6. deſumpta ex actione præuia, quæ requiritur in omni inſtrumento etiã diuino, vt media illa operetur ad effectum principalis agentis, & deferat ad illum, ſiue ad ſubiectum in quo producendus eſt talis effectus imperium Dei, ſiue principalis agentis virtutem: hæc autem actio ſiue delatio diuini imperij non poteſt exerceri circa nihil, ſed neceſſario petit præſuppoſitum ſubiectum: ergo implicat creaturam eſſe inſtrumentum phyſicum ad creationem. Minor eſt nota, & maior probatur à Diu. Thom. quia alias non haberet vnaquæquè ars determinata inſtrumenta, nequè vnum inſtrumentum aſſumeretur ad vnum effectum potius quam ad alium, quæ probatio licèt non militet, niſi in inſtrumentis naturalibus, & artificialibus, quæ diſponunt ad effectum principalis agentis media aliqua vera actione ipſis connaturali: tamen in inſtrumentis diuinæ omnipotentiæ in quibus non requiritur aliqua connaturalis vera actio, ſed ſufficit actio, vel paſsio, vel adaptatio quædam, & proportio, vt colligitur ex eodem Diu. Thom. 22. quæſt. 178. art. 1. ad primum, & aduertit Cabrera, diſput. 4. circa finem, maior aſſumpta etiam eſt vera, intellecta de actione non rigoroſa, ſed latè ſumpta quatenus extenditur ad paſsionem, adaptationem, & proportionem: ſic enim intellecta verum eſt, etiam in ordine ad diuinam omnipotentiam, quod omne inſtrumentum indiget actione præuia; quam nulla creatura exercere poteſt circa nihil, eo quod ad nihil non poteſt deferre diuinum imperium. Vndè immerito hanc rationem Medina vbiſupra, vt inefficacem relinquit, & aliam deſumptam ex ordine creaturarum inter ſe ſine fundamento ab ipſo excogitatã, & à D. Thom. omnino alienam aſſumit.

Secundo probatur ratione eiuſdem D. Thom. 1. part. quæſtion. 104. artic. 3. ad 3. & quæſt. 5. de potentia artic. 3. ſub hac forma: quia annihilatio nequit fieri per aliquam actionem, ſed potius per ceſſationem ipſius Dei ab omni actione per quam conſeruat rem in eſſe, & per ſuſpenſionem diuini concurſus circa illam: Deo autem ſuſpendente ſuum concurſum non poteſt aliqua creatura moueri à Deo, ac proinde nequè poteſt inſtrumentaliter cõcurrere: ergo implicat illam inſtrumentaliter concurrere ad annihilationem.

Tertio probatur duabus rationibus, quas inſinuat Diu. Thom. in hoc articulo. Prima eſt, quia eiuſdem eſt creare, atquè annihilare: ſolus autem Deus poteſt creare: ergo & ſolus ille poteſt annihilare. Minor conſtans eſt in doctrina Diu. Thom. & multis rationibus probatur ab ipſo in dicto cap. 21. ſecundi contra gentes. Maior autem probatur, quia annihilatio ſicut creatio requirit infinitam virtutem, eo quod eius terminus eſt ens ſecundum totam rationem entis, quæ vt ſic dicit aliquid infinitatem, quod productione, vel deſtructione infinita poteſt, ac debet pertranſiri, ac proinde requirit in agente virtutem infinitam.

Secunda eſt, quia eiuſdem eſt annihilare cuius eſt conſeruare: ſed ſolius Dei eſt conſeruare creaturas: ergo & ſolius Dei eſt poſſe eas annihilare. Minor eſt certa ſicut & quod ſolius Dei eſt creare loquendo de conſeruatione totius entitatis, quæ eſt continuata productio creatiua; & maior etiã intellecta de eadem conſeruatione, quæ per ſe terminatur ad conſeruandam totam rationem entis in vnaquaquè creatura, eſt certa in doctrina D. Thom. quia ſolus Deus poteſt totam entitatem conſeruare, ſicut & ex nihilo producere: alioquim quoad vnam, vel alteram partem entitatis, vel quoad vnionem vnius cum altera, ſicut cauſa ſecunda poteſt aliquem effectum producere ita, & illum poteſt conſeruare. Ex his patet ad primum pro contraria ſententia, negandum enim eſt eius antecedens; quia ſine vllo fundamento attribuitur humanitati Chriſti concurſus ad creationem illarum trium rerum: quæ aut à ſolo Deo creatæ fuere, ex ſententia dictorum Patrum, aut etiã media humanitate Chriſti productæ fuere non per creationem rigoroſe ſumptam: ſed per nouam quandam, ac mirabilem productionem, ex præſuppoſita materia quæ largè creatio appellari ſolet.

Ad ſecundum, neganda eſt minor.

Ad tertium reſpondetur, vel negando minorem iuxta dicta, vel negando maiorem: nam licet Deus, & creatura concurrant eadem actione ad effectum miraculoſum, tamen hoc non obſtat quo minus creatura aliam actionem præuiam ſecundum propriam virtutem exerceat diſ-

po-

ponentem, vel præparantem quodammodo ad effectum principalis agentis: etenim hanc exerceret ex propria virtute, & natura, illam vero qua attingeret effectum Dei, exerceret in virtute ipſius Dei: ſiue illa actio præuia debeat eſſe vera, & ſecundum eſſe in inſtrumētis diuinis, vt vult Ferrara vbiſupra, ſiue tantum ſecundum dici, & gramaticaliter, vt noſtra tenet ſententia.

ART. III.

Vtrum anima Chriſti habuerit omnipotentiam reſpectu proprij corporis.

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod anima Chriſti habuerit omnipotētiam reſpectu proprij corporis. Dicit enim Damaſcen. im 2. lib. * quod omnia naturalia fuerunt Chriſto voluntaria: volens enim eſuriuit, volēs ſitiuit, volens timuit, volens mortuus eſt, &c. Sed ex hoc Deus dicitur omnipotens, quia omnia quæcūque voluit fecit. Ergo videtur quod anima Chriſti habuerit omnipotentiam reſpectu naturalium operationum proprij corporis.

li 3. orth. fid. ca. 20. & 23.

2 Præterea. In Chriſto fuit perfectius humana natura, quā in Adā: in quo ſecundum originalem iuſtitiam, quam habuit in innocentiæ ſtatu, corpus habebat omnino ſubiectum animę, vt nihil in corpore poſſet accidere contra animæ voluntatem. Ergo multo magis anima Chriſti habuit omnipotentiam reſpectu ſui corporis.

3 Præterea. Ad imaginationem animæ naturaliter corpus immutatur, & tanto magis, quanto magis anima fuerit fortis imaginationis, vt in prima parte habitum eſt. Sed anima Chriſti habuit virtutem perfectiſsimam, & quantum ad imaginationem, & quantum ad alias vires. Ergo anima Chriſti fuit omnipotēs in reſpectu ad corpus proprium.

Sed cōtra eſt, quod dicitur Heb. 2. quod debuit per omnia fratribus aſsimilari, & præcipue in his quæ pertinent ad conditionem naturæ humanæ. Sed ad conditionem humanæ naturæ pertinet quod valetudo corporis, & eius nutritio, & augmētum imperio rationis, ſeu voluntatis non ſubdantur: quia naturalia ſoli Deo qui eſt auctor naturæ, ſubduntur. Ergo nec in Chriſto ſubdebantur. Nō igitur anima Chriſti fuit omnipotens reſpectu proprij corporis.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut dictum eſt, * anima Chriſti poteſt dupliciter conſiderari. Vno modo ſecundum propriam naturam, & virtutem. Et hoc modo, ſicut nō poterat immutare exteriora corpora â curſu, & ordine naturæ: ita etiam nō poterat immutare proprium corpus â naturali diſpoſitione: quia anima Chriſti ſecundum propriam naturā, habet determinatam proportionem ad ſuum corpus. Alio modo poteſt conſiderari anima Chriſti, ſecundum quod eſt inſtrumentum vnitum Verbo Dei in perſona. Et ſic ſubdebatur eius poteſtati totaliter omnis diſpoſitio proprij corporis. Quia tamen virtus actionis non proprie attribuitur inſtrumēto, ſed principali agēti: talis omnipotētia magis attribuitur ipſi Verbo Dei, quā animæ Chriſti.

art. præ.

Ad primum ergo dicēdum, quod Verbum Damaſceni * eſt intelligendum quantum ad voluntatem Chriſti diuinam: quia ſicut ipſe in pręcedēti cap. † dicit, beneplacito diuinę voluntatis permittebatur carni pati, & operari quæ propria.

citatum in arg.
li 3. c. 15. ante. & 14.

Ad ſecundum dicendum, quòd non pertinebat hoc ad originalem iuſtitiam, quam Adam habuit in ſtatu innocentiæ, quod anima hominis haberet virtutem tranſmutandi proprium corpus in quamcumque formam: ſed quod poſſet ipſum conſeruare abſque omni nocumento. Et hanc etiam virtutem Chriſtus aſſumere potuiſſet, ſi voluiſſet. Sed cum ſint tres ſtatus hominum, ſcilicét innoceutiæ, culpæ, & gloriæ: ſicut de ſtatu gloriæ aſſumpſit comprehenſionem, & de ſtatu innocentiæ immunitatem à peccato, ita & de ſtatu culpę aſſumpſit neceſsitatem ſubiacendi pœnalitatibus huius vitæ, vt infra * dicetur. *q. 14. a. 2.*

Ad tertium dicendum, quod imaginationi, ſi fuerit fortis, naturaliter obedit corpus quantum ad aliqua: puta quantum ad caſum de trabe in alto poſita: quia imaginatio nata eſt eſſe principium motus localis: vt dicitur 3, de anima. * *text. 48. & ſeq. to. 2.* Similirer etiam, quantum ad alterationem, quæ eſt ſecundum calorem, & frigus, & alia conſequentia: eo quod ex imaginatione conſequenter natæ ſunt conſequi animæ paſsiones, ſecundũ quas mouetur cor, & ſic per commotionem ſpirituum totum corpus alteratur. Aliæ verò diſpoſitiones corporales, quæ non habeut naturalem ordinem ad imaginationem, non tranſmutanrur ab imaginatione, quantũcumque ſit fortis: puta figura manus vel pedis, vel aliquid ſimile.

Conclufio eſt animam Chriſti talem omnipotentiam non habere ſecundum propriam virtutem; benè tamẽ in virtute Dei, & quatenus inſtrumentum eſt diuinitatis: quia ſic habet ſuum corpus profectè ſubiectũ ſuæ poteſtati totaliter quæ virtus ſiue omnipotentia, non tam attribuitur inſtrumẽto, hoc eſt animæ Chriſti, quam virtuti diuini Verbi, & ideò ſimpliciter deneganda eſt animæ Chriſti.

ART. IV.

Vtrùm anima Chriſti habuerit omnipotẽtiam reſpectu exequutionis ſuæ voluntatis?

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod anima Chriſti non habuerit omnipotentiam reſpectu exequutionis propriæ voluntatis. Dicitur enim Mar. 7. quod ingreſſus domum, neminem voluit ſcire, & non potuit latere. Non ergo potuit in omnibus exequi propoſitum ſuæ voluntatis.

2 Præterea. Præceptum eſt ſignum voluntatis: vt in prima parte dictum eſt. * Sed Dominus quædã facienda præcepit, quorum contraria acciderunt. *p. p. q. 19. ar. 12.* Dicitur enim Matth. 9. quod cæcis illuminatis, comminatus eſt Ieſus dicens. Videte ne quis ſciat: illi autem exeuntes, diffamauerunt illum per totam terram illam. Non ergo in omnibus potuit exequi propoſitum ſuæ voluntatis.

3 Præeerea. Id quod poteſt aliquis facere, non petit ab alio. Sed Dominus petiuit â Patre, orando illud quod fieri volebat: dicitur enim Luc. 6. quod exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Ergo non potuit exequi in omnibus propoſitum ſuæ voluntatis.

Sed contra eſt, quod dicit Auguſtin. * in lib. de Quæſtionibus veteris, & noui teſtamenti. *Qui incipit: Deus quidẽ perfectus eſt, q. 77. in princ. to. 4* Impoſsibile eſt, vt Saluatoris voluntas non impleatur: nec poteſt velle, quod

ſcit

ſcit fieri non debere.

Reſpondeo dicendum, quod anima Chriſti dupliciter aliquid voluit. Vno modo quaſi per ſe implendum. Et ſic dicendum eſt, quod quicquid voluit, potuit: non enim conueniret ſapientiæ eius, vt aliquid vellet per ſe facere, quod ſuæ virtuti non ſubiaceret. Alio modo voluit aliquid, vt implendum virtute diuina: ſicut reſuſcitationem proprij corporis, & alia huiuſmodi miraculoſa opera. Quæ quidem non poterat propria virtute, ſed ſecundum quod erat inſtrumentum diuinitatis: vt dictum eſt. *

** a. 1. huius quæſt.*

Ad primum ergo dicendum, quod ſicut Auguſtin. † dicit in lib. de Quæſtionibus veteris, & noui Teſtamenti. Quod factum eſt, hoc voluiſſe dicendus eſt Chriſtus. Aduertendum eſt enim, quod illud in finibus geſtum eſt Gentilium, quibus adhuc tempus prædicandi non erat; vltro tamen venientes ad fidem, non ſuſcipere inuidiæ erat. A ſuis ergo noluit prædicari, requiri autem ſe voluit; & ita factum eſt. Vel poteſt dici, quod hæc voluntas Chriſti non fuit de eo, quod per eam fiendum erat, ſed de eo quod erat fiendum per alios: quod non ſubiacebat humanę voluntati ipſius. Vnde in Epiſt. * Agathonis Papę, quę eſt recepta in ſexta Synodo, legitur. † Ergo ne ille omnium Conditor, ac Redemptor, in terris latere volens nō potuit, niſi hoc ad humanā ei⁹ voluntatem, quam temporaliter eſt dignatus aſſumere, redigatur?

† lib. & c. citatis in argum. ſed contra.

** Quæ habetur in 6. ſynod. gener. Cōſtant. à med. illius in action. 4*

† recepta eſt in 8. actione 6. ſynod. gen. & lecta fuit in action. 4.

Ad ſecundum dicendum, quod ſicut Gregor. * dicit 19. Moral. per hoc, quod Dominus præcepit taceri virtutes ſuas, ſeruis ſuis ſe ſequentibus exemplum dedit, vt ipſi quidem virtutes ſuas occultari deſiderent; & tamen vt alij eorum exemplo proficiant, prodantur inuiti. Sic ergo præceptum illud deſignabat voluntatem ipſius, qui humanam gloriam refugiebat: ſecundum illud Ioannis octauo. Ego gloriam meam non quæro. Volebat tamen abſolute præſertim ſecundum diuinam voluntatem, vt publicaretur miraculum factum, propter aliorum vtilitatem.

** cap. 18. poſt med.*

Ad tertium dicendum, quod Chriſtus orabat, & pro his, quæ virtute diuina fienda erant; & pro his etiam, quę humana voluntate erat facturus; quia virtus, & operatio animæ Chriſti dependebant â Deo, qui operatur in nobis velle, & perficere, vt dicitur Philip. 2.

CONCLVSIO bimēbris eſt, nī mirum, quod anima Chriſti potuit quidquid voluit implendū per ſeipſum, ac virtute propria ſed vt inſtrumentum diuinitatis potuit, quidquid voluit implendum virtute diuina, ſiue per ipſum Deum ſicut reſurrectionem proprij corporis, & alia huiuſmodi miracula.

Circa has concluſiones. 1

Dubium eſt. An potentia expedita, & efficax animæ Chriſti ſe extenderit ad omnia, ad quæ ſe extendit eius humana voluntas?

29 IN hoc dubio omnes Theologi, in tribus propoſitionibus cōueniunt. Prima eſt, quod anima Chriſti ſecūdū propriā naturā nō habuit omnipotētiā circa propriū corpus, hoc eſt nō potuit illud immutare omnibus modis, & præter ordinem naturæ: eo quod facere miracula non poterat anima Chriſti ſecundum propriam virtutem: ſed

Proponitur ſenſus quæſtionis, & id in quo non eſt diſſidium.

ſed immutare corpus à ſua naturali diſpoſitione, vel præter ordinem naturæ, hoc eſt mutando ipſum corpus in alteram figuram non poteſt fieri ſine miraculo : ergo. Tum etiam quia in his quæ pertinent ad conditionem humanæ naturæ, vt in actionibus naturalibus, animæ vegetatiuæ nutritione ſcilicet & augmentatione corpus non ſubditur imperio rationis: neque in diſpoſitionibus corporalibus, quæ non ſubduntur imaginationi, aut paſsionibus animæ, vt in figura manus, vel pedis non ſubijcitur imperio ipſius animæ, ergo quã tum ad huiuſmodi diſpoſitiones non habebat anima Chriſti virtutem immutandi, & alterandi corpus proprium, ſicut nec alienum.

Secunda eſt anima Chriſti, vt inſtrumentum diuini Verbi, & in virtute illius poterat quidquid volebat efficere tam circa proprium corpus, quam circa alias creaturas: eo quod vt ſic habebat virtutem operandi omnia opera quantumuis miraculoſa ad quæ ordinabatur à diuina omnipotẽtia vnde ſicut hęc poterat in quemcunque effectum miraculoſum, vt cauſa principalis, ita & illa poterat ſimiliter in quemcunque miraculoſum effectum vt cauſa inſtrumentalis quia habebat potentiam obedentialem, vt per illã poſſet Deus facere quidquid voluiſſet.

Tertia eſt, anima Chriſti conſiderata ſecundum propriam virtutem poterat efficere quidquid volebat impleri per ſeipſam voluntate nimirùm abſoluta, & conſequenti, cuius ratio eſt duplex. Tum quia cum humana voluntas Chriſti, ſit etiã voluntas ſuppoſiti diuini, ſi aliquando non impleretur eſſet imperfectio animæ Chriſti, quæ in ipſum diuinum ſuppoſitum refunderetur: vellet enim voluntate abſoluta aliquid implendum ſua propria virtute quod tamen non poſſet. Tũ etiã, quia anima Chriſti huiuſmodi voluntate abſoluta non volebat niſi ea quæ ſciebat Deum velle voluntate abſoluta, & conſequenti, vtpotè quæ illi erat nota, ſed voluntas abſoluta, & conſequens Dei ſiue beneplaciti ſemper impletur: ergo pariter, & hæc voluntas Chriſti ſemper erat implenda: dixi *voluntate abſoluta & conſequenti*; nam ſi ſermo ſit de voluntate conditionata ſiue inefficaci, & veluti antecedenti non omnia quæ voluit anima Chriſti adimpleta ſunt, nam Matth. 26. morti appropinquans dixit voluntate conditionata, & inefficaci *Tranſeat à me calix iſte*, ſcilicet mortis: quod tamen non fuit adimpletum.

In explicanda autem alia quarta propoſitione nimirùm, an anima Chriſti volens ſecundum propriam virtutem aliquid vt adimplendum per alios, ſemper ſortita fuerit effectum, ita vt talis voluntas abſoluta, & conſequens ſiue beneplaciti efficiendi aliquid per alios ſemper fuerit adimpleta?

30 Diſcriminantur Theologi in tres ſententias quarum duæ ſunt extremæ, & & alia eſt media. Prima eſt affirmatiua, quorundam Thomiſtarum recentiorum: quæ habet fundamentum in Diu. Thom. art. 4. in prima ſolutione ad primum, vbi ait ex Auguſtino quæſt. 77. veteris, & noui teſtamenti, quod Chriſtus quando Marci 7. domum ingreſſus voluit neminẽ ſcire, & non potuit latere: voluit quidem non manifeſtari à ſuis, & ita factum eſt, & alias voluit requiri ab alijs, & ita factum eſt, quia ſemper eius voluntas fuit adimpleta. Quæ ſententia vlterius ſuadetur à ſuis Auctoribus tripliciter.

Tum ab inconuenienti duplici, quod ſequitur ex oppoſita ſententia. Primum eſt quod ſi huiuſmodi humana voluntas abſoluta Christi vellet aliquid per alios impleri quod adimpletum non fuiſſet iam diſcordaret à voluntate diuina volendo, ſcilicet oppoſitum illius quod diuina voluntas voluit efficaciter impleri, cum quã tamen omnimodam conformitatem habere debebat.

Secundum eſt, quod voluntas Chriſti fuiſſet imprudens volendo, ſcilicet abſolutè aliquem euentum quẽ certo ſciebat non fore: etenim anima Chriſti plenè cognouit omnia decreta diuinæ voluntatis, ac omnes euentus futuros, vt oſtendimus ſupra quæſt. 10. art. 2. & 3. ergo ſi haberet hunc actum abſolutum volo mortẽ euadere; verbi gratia. quam tamen certo ſciebat non fore euaſurum proculdubio talis actus imprudens eſſet. Tum etiã, quia in omnibus illis teſtimonijs Euangelij in quibus inſinuatur voluntatem Chriſti aliquid voluiſſe, quod tamen adimpletum nõ fuit vt quando Marci 7. & Matth. 9. dicitur illum voluiſſe latere quod tamen non potuit aſſequi, poſſunt ac debent intelligi de voluntate inefficaci, ac conditionata, neque eſt cur de voluntate abſoluta, & efficaci intelligatur prædicta teſtimonia: ergo.

Tum

Tum denique, quia propterea anima Christi, vt inſtrumentum Dei quidquid voluit fieri, ſiue per ſe, ſiue per alios ſemper fuit adimpletum ob maximam conformitatem ipſius cum voluntate diuina: ſed hanc conformitatem etiã habebat ſecundum propriam naturam, & virtutem: ergo neque vt ſic potuit velle aliquid faciendum per alios, quod non fuerit adimpletum.

31 Secunda ſententia eſt aliorum Thomiſtarum aſſerentium quod tam reſpectu eorum, quæ anima Christi volebat facere per ſeipſam, quam reſpectu eorum, quæ facere volebat per alios ſemper, & ſine vlla diſtinctione eius voluntas fuerit adimpleta, eoquod in neutro caſu, abſque vitio imprudentiæ potuit velle aliquod efficaciter, quod tamen ſciret non eſſe adimplendum; alioquin etiã poſſemus concedere animam Chriſti efficaciter voluiſſe aliquos ſaluari, quos ſciebat non fore ſaluandos, quod tamen non eſt admittendum: ergo.

Tertia ſententia eſt Caietani. In hoc articulo 4. circa ſolutionem ad primũ Medinæ & Cabrera ibidem, atque Vazquij diſputatio 58. capit. 2. aſſerentium quod reſpectu eorum quæ voluntate abſoluta voluit anima Chriſti per alios fieri, non ſemper fuit adimpleta: bene tamen reſpectu eorum quæ per ſeipſam fieri voluit propria virtute. Hęc eſt expræſſa Diu. Thom. in ſecunda ſolutione ad primum art. 4. & propterea ſtatuitur à nobis pro concluſione.

Voluntas Chriſti humana in his quæ per alios fieri voluit nõ ſemper fuit impleta.

Et probatur primo. Nam conſuetus mos Diui Thomæ eſt quoties alicui argumento aſsignat duas ſolutiones, proferre ſecundam ex propria ſententia, & primam ex aliorum ſententia, ſed in dicta ſecunda ſolutione ait voluntatem Chriſti in caſu adducto ex Marci 7. non fuiſſe de eoquod per illam erat faciendum, ſed de illo quod erat faciẽdum per alios quod quidem non ſubiacebat eius humanæ voluntati; vbi proculdubio admittit circa ea quę efficienda erant per alios ad aliquid amplius ſe extendiſſe humanam voluntatem Chriſti, quam eius potentiam expeditam, & efficacem, ac proinde aliquid voluiſſe quod non fuit adimpletum: ergo.

Secundo probatur ex epiſtola Agathonis Papæ quæ recitata fuit in ſexta Synodo Generali actione 4. & recepta in 8. vbi prædictus Pontifex probat in Chriſto fuiſſe humanam voluntatem ex eo quod aliquid voluerit quod non fuerit adimpletum ex adducto teſtimonio Marci 7. ſub his verbis, & iterum ſurgens venit in partes Tyri, & ingreſſus in domum noluit aliquem ſcire, & non potuit latere: ergo ne ille omnium Conditor, ac Redemptor de quo dicitur omnia quæ voluit Dominus fecit in cœlo, & in terra, &c. Niſi hoc ad humanam eius voluntatem, quam temporaliter dignatus eſt aſſumere dirigatur? *Quanto ergo errore talia non diſcernens inuoluitur, vt dicat vna, & eadem iterum voluntate in domo vili volentem latere non poſſe ſecũdum Euangelica teſtimonia?* Ex quibus tale deducitur argumẽtum: hoc quod eſt Chriſtum non potuiſſe latere quando voluit refertur, teſte Agathone ad humanam volũtatem, ita vt ex hoc oſtendatur aduerſus Monotelitas fuiſſe in Chriſto duplicem voluntatem: ſed nequit intelligi de inefficaci, & conditionata: hac enim etiam Deus vult multa quæ non implentur nam vult homines ſaluos fieri, quod tamen nõ adimpletur: ergo debet intelligi de abſoluta, & efficaci.

Tertio quia ſolius Dei eſt proprium quod eius potentia æquetur cum voluntate efficaci de quo canitur: omnia quæcumque voluit fecit, & cuius velle eſt ipſum, quod poſſe: ergo bene potuit voluntas humana efficax Chriſti velle aliquid efficiẽdum per alios quod tamen non potuerit potentia expedita, & efficaci adimplere.

32 Ex his ad primum pro prima ſententia reſpondetur nullum ſequi ex illis inconuenientibus: non primum quia vt voluntas humana Chriſti non diſcordauerit à diuina, neque ei fuerit cõtraria ſufficit, quod voluerit ſub vna ratione illud, quod ſub alia diſplicebat voluntati diuinæ, aut è contra & ſic potuit placere Deo manifeſtatio aduentus Chriſti ſub vna ratione, & diſplicere humanitati Chriſti ſub alia, abſque pugna voluntatum.

Tum etiam quia tunc quis contrariatur voluntati diuinæ quando conatur oppoſitum illius quod Deus ſolus per ſeipſum facere decreuit: ſecus autem quando conatur facere oppoſitum illius quod Deus decreuit facere medijs cauſis ſecundis liberis, quæ ex præcepto non tenentur illud facere: tunc enim ſicut & illis liberũ eſt abſque præcepto illud non facere, ita

etiã, & alijs licitum eſt abſque peccato illud eis diſſuadere, & in contrarium inclinare, quod contingit in caſu argumenti.

Neque ſecundum, quia vt talis volitio non fuerit imprudens in Chriſto, & contra rectam rationem ſatis eſt, quod nõ fuerit fruſtrà, nam licet illum effectum occultationis non habuerit, tamen alium habuit, quem indicauit Damaſcenus lib. 3. de fide cap. 17. nimirùm, oſtendere hominibus ineſſe ſibi humanæ voluntatis imbecillitatem, quæ aliquid vellet quod tamen conſequi non poſſet.

Ad ſecundum nego antecedens. Ad tertium nego maiorem; nam ratio ob quam humanitas Chriſti, vt inſtrumentũ Dei potuit quidquid voluit fieri, non eſt ſola conformitas cum voluntate diuina: ſed ſubordinatio ad virtutem, & omnipotentiam Dei, eiuſque actualem motionẽ per quam poterat omne id ad quod à diuina omnipotentia ordinabatur, & mouebatur.

Ad fundamentum autem ſecundæ ſententiæ patet ex dictis.

QVAESTIO XIIII.

De defectibus corporis aſſumptis à Filio Dei, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm Filius Dei in humana natura aſſumere debuerit corporis defectus?

3. d. 15. q. 1. a. 1. et d. 22. q. 2. a. 1. q. 1. c. et 4. c. c. 55. 11. et op. 3 c. 42. et 47 AD primum ſic proceditur. Videtur, quôd filius Dei non debuerit aſſumere humanam naturam cum corporis defectibus. Sicut enim anima vnita eſt perſonaliter Verbo Dei, ita & corpus. Sed anima Chriſti habuit omnimodam perfectionem, & quãtum ad gratiam, & quantum ad ſciẽtiam, vt ſupra dictum eſt*. Ergo etiam corpus eius debuit eſſe omnibus modis perfectum, nullum in ſe habens defectum. q. 7. a. 9. et q. 9. a. 1.

2 Præterea, anima Chriſti videbat Verbum Dei ea viſione, qua Beati vident (vt ſupra dictum eſt*) q. 9. a. 2. & ſic anima Chriſti erat beata. Sed ex beatitudine animæ glorificatur corpus: dicit enim Auguſtin. in epiſtola ad Dioſcorum*. Tam potenti natura Deus fecit animam, vt Ep. 56. in multũ ante med. tom. ex eius pleniſsima beatitudine redũdet etiam in inferiorem naturam, quod eſt corpus, non beatitudo, quæ fruentis, & intelligentis eſt propria; ſed plenitudo ſanitatis, ideſt, incorruptionis vigor. Corpus igitur Chriſti fuit incorruptibile, & abſ-

abſque omni defectu.

3 Præterea, pœna conſequitur culpam. Sed in Chriſto non fuit aliqua culpa: ſecūdum illud 1. Pet. 2. Qui peccatum non fecit. Ergo nec defectus corporales, qui ſunt pœnales, in eo eſſe debuerunt.

4 Præterea, nullus ſapiens aſſumit idquod impedit ipſum â proprio fine. Sed per huiuſmodi defectus corporales multipliciter videtur impediri finis incarnationis. Primo quidem, quia propter huiuſmodi infirmitates, homines ab eius cognitione impediebātur: ſecundū illud Iſai. 53. Deſiderauimus eum deſpectum & nouiſſimum virorum virum dolorum, & ſcientem infirmitatem, & quaſi abſconditus eſt vultus eius, & deſpectus: vnde nec reputauimus eum. Secundo, quia ſanctorum Patrum deſiderium non videtur impleri: ex quorum perſona dicitur Iſai. 51. Conſurge, conſurge, induere fortitudinem brachium Domini. Tertio, quia congruentius per fortitudinem, quam per infirmitatem, videbatur & poteſtas diaboli poſſe ſuperari, & humana infirmitas poſſe ſanari. Non ergo videtur conueniens fuiſſe, quod filius Dei humanam naturam aſſumpſerit cum corporalibus infirmitatibus, ſiue defectibus.

Sed contra eſt, quod dicitur Hebr. 2. In eo, in quo paſſus ipſe eſt & tentatus, potens eſt, & eis qui tentātur, auxiliari. Sed ad hoc venit, vt nos adiuuaret: vnde & Dauid dicebat, Leuaui oculos meos in mōtes, vnde veniet auxilium mihi. Ego conueniens fuit, vt Filius Dei carnem aſſumpſerit infirmitatibus humanis ſubiacentem, vt in ea poſſit pati & tentari: & ſic auxilium nobis ferre.

Reſpondeo dicendum, conueniens fuiſſe corpus aſſumptum â Filio Dei humanis infirmitatibus & defectibus ſubiacere: & præcipué propter tria. Primo quidem, quia ad hoc filius Dei carne aſſumpta venit in mundum, vt pro peccato humani generis ſatisfaceret. Vnus autem pro peccato alterius ſatisfacit dum pęnam pro peccato alterius debitam, in ſe ſuſcipit. Huiuſmodi autem defectus corporales, ſcilicet mors, fames, ſitis, & huiuſmodi ſunt pœna peccati, quod eſt in mundum per Adam introductum, ſecundum illud Roman. 5. Per vnum hominem peccatum intrauit in mundū, & per peccatum mors. Vnde conueniens fuit quantum ad finem incarnationis, quod huiuſmodi pœnalitates in noſtra natura ſuſciperet vice noſtra, ſecundum illud Iſai. 53. Verê languores noſtros ipſe tulit. Secundo, propter fidem incarnationis aſtruendam. Cum enim natura humana non aliter eſſet nota hominibus, niſi prout huiuſmodi corporalibus defectibus ſubiacet: ſi ſine his defectibus filius Dei humanam naturam aſſumpſiſſet, videretur non fuiſſe verus homo, nec veram carnē habuiſſe, ſed phantaſticam, vt Manichæi poſuerunt. Et ideo, vt dicitur Philippenſ. 2. Exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Vnde, & beatus Thomas per aſpectum vulnerum eſt ad fidem reuocatus, vt dicitur Ioann. 20. Tertio, propter exemplum patientiæ, quod nobis exhibet, paſſiones & defectus humanos fortiter tolerando. Vnde dicitur Hebr. 12. Suſtinuit â peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem, vt non fatigemini animis veſtris deficientes.

Ad primum ergo dicendum, quod ſatisfactio pro peccatis alterius, habet quidem quaſi materiam

pœ-

pœnas quas aliquis pro peccato alterius ſuſtinet: ſed pro principio habet habitum animæ, ex quo inclinatur ad volendum ſatisfacere pro alio, & ex quo ſatisfactio efficaciã habet. Non enim eſſet efficax ſatisfactio, niſi ex charitate procederet, vt infra dicetur *. Et ideo oportuit animam Chriſti, & perfectam eſſe, quantum ad habitus ſcientiarum, & virtutum, vt haberet facultatẽ ſatisfaciendi: & quod corpus eſſet ſubiectum infirmitatibus, vt ei ſatisfactionis materia non deeſſet.

In materia de ſatisf. id erat factu- rus: nõ com pleuit.

Ad ſecundum dicendum, quod ſecundum naturalem habitudinem, quæ eſt inter animam & corpus, ex gloria animæ, redũdat gloria ad corpus. Sed hæc naturalis habitudo in Chriſto ſubiacebat voluntati diuinitatis ipſius: ex qua factum eſt, quod beatitudo remaneret in anima, & non deriuaretur ad corpus, ſed caro pateretur: quæ conueniunt naturæ paſsibili; ſecundum illud quod Damaſcen * dicit, quod beneplacito diuinæ voluntatis, permittebatur carni pati, & operari quæ propria.

ll. 3. c. 15. ãm. et c. 14

Ad tertium dicendum, quod pœna ſemper ſequitur culpam actualem, vel originalem, quandoq; quidem eius qui punitur: quãdoque autem alterius, pro quo ille, qui pœnas patitur, ſatisfacit. Et ita accidit in Chriſto, ſecundum illud Iſai. 53. Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.

Ad quartum dicendum, quod infirmitas aſſumpta à Chriſto non impediuit finem incarnationis, ſed maxime promouit, vt dictum eſt †. Et quamuis per huiuſmodi infirmitates abſconderetur eius diuinitas: manifeſtabatur tamen humanitas, quæ eſt via ad diuinitatẽ perueniẽdi, ſecundum illud Rom. 5. Acceſſum habemus per Ieſum Chriſtũ ad Deũ. Deſiderabãt autem antiqui Patres in Chriſto, non quidem fortitudinem corporalem, ſed ſpiritualem, per quã & diabolum vicit, & humanam infirmitatem ſanauit.

In cor. art.

33 CONCLVSIO eſt: conueniens fuit corpus vt aſſumptum à Filio Dei humanis infirmitatibus, & defectibus ſubiacere. Probatur à D. Th. tum ex illo ad Hebr. 2. *in eo in quo paſſus ipſe eſt tentatus potens eſt, & eis qui tẽtantur auxiliari*: ergo cum venerit ad nos adiuuandum debuit aſſumere carnem paſsibilem, vt in illa poſſet pati, & tentari, & ſic nobis auxiliari. Tum etiam tribus rationibus in corpore articuli: quarum prima deſumitur ex fine incarnationis qui fuit redẽptio generis humani & ſatisfactio pro eius peccatis: Satisfactio autem pro peccatis alterius conuenienter exhibetur ſuſtinendo pœnam debitam pro illis: ergo & Chriſtus conuenienter ſatisfecit ſuſtinendo mortem, famem, ſitim, & alios ſimiles defectus corporales, qui fuerunt pœna culpæ originalis, iuxta illud ad Rom. 5. *per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors.*

Secunda deſumitur ex neceſsitate confirmandi nos in fide de veritate incarnationis, demonſtrando enim per huiuſmodi defectus ſe habere verum corpus, & non phantaſticum Chriſtus Dominus, maxime adſtruitur fides incarnationis: vnde B. Thom. per aſpectum vulnerum, ad fidem conuerſus eſt.

Tertia, quia cõueniens fuit aſſũptio huiuſmodi defectuum vt nobis patiẽtiæ præberet exemplum, iuxta illud ad Hebr. 12. *Suſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem, vt non fatigemini animis veſtris deficientes.*

ART. II.

Vtrùm Chriſtus neceſsitatem his defectibus ſubiacendi aſſumpſerit?

Inf q.15.a 5.ad 1.& 2.q.3.q.1 a.2.q.1.c. fin. AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod Chriſtus non ex neceſsitate his defectibus ſubiacuerit. Dicitur enim Iſai.53. Oblatus eſt, quia ipſe voluit: & loquitur de oblatione ad paſsionem. Sed voluntas opponitur neceſsitati. Ergo Chriſtus non ex neceſsitate ſubiacuit corporalibus defectibus.

[illegible]q.c.10. in fin. 2 Præterea, Damaſcen.* dicit in 3.lib. Nihil coactum in Chriſto conſideratur, ſed omnia voluntaria. Sed quod eſt voluntarium, non eſt neceſſarium. Ergo huiuſmodi defectus non fuerunt ex neceſsitate in Chriſto.

3 Præterea, neceſsitas infertur ab aliquo potentiori. Sed nulla creatura eſt potentior, quam anima Chriſti, ad quam pertinebat proprium corpus conſeruare. Ergo huiuſmodi defectus, ſeu infirmitates non fuerunt in Chriſto ex neceſsitate.

Sed contra eſt, quod Apoſtolus dicit Roman.8. Miſit Deus filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati. Sed conditio carnis peccati eſt, quod habeat neceſsitatē moriendi, & ſuſtinendi alias huiuſmodi paſsiones. Ergo talis neceſsitas ſuſtinendi hos defectus fuit in carne Chriſti.

Reſpondeo dicendum, quod duplex eſt neceſsitas. Vna quidem coactionis, quæ fit ab agente extrinſeco. Et hæc quidem neceſsitas contrariatur & naturæ, & voluntati: quorum vtrumque eſt principiū intrinſecum. Alia autem eſt neceſsitas naturalis, quæ conſequitur principia naturalia, puta formam ſicut neceſſarium eſt ignem calefacere; vel materiam, ſicut neceſſarium eſt corpus ex contrarijs compoſitum diſſolui. Secundum igitur hanc neceſsitatem, quæ conſequitur materiam, corpus Chriſti ſubiectum fuit neceſsitati mortis, & aliorum huiuſmodi defectuum: quia ſicut dictum eſt*, beneplacito diuinæ voluntatis, carni Chriſti permittebatur agere, & pati quæ propria. a.præ.ad 2 Hæc autem neceſsitas cauſatur ex principijs carnis humanæ, vt dictum eſt*. In iſto art. Si autem loquamur de neceſſitate coactionis, ſecundum quidem quod repugnat naturæ corporali: ſic iterum corpus Chriſti, ſecundum conditionem propriæ naturæ, neceſſitati ſubiacuit, & claui perforantis, & flagelli percutientis. Secundum verò quod neceſsitas talis repugnat voluntati, manifeſtum eſt; quod in Chriſto nō fuit neceſsitas horum defectuum, neque per reſpectum ad diuinam voluntatem, neque per reſpectum ad voluntatem humanam Chriſti abſolutê, prout ſequitur rationem deliberantem: ſed ſolum ſecundum naturalem motum voluntatis, prout ſcilicet naturaliter refugit mortem, & etiam corporis nocumēta.

Ad primum ergo dicendum, quôd Chriſtus dicitur oblatus, quia voluit, & voluntate diuina, & voluntate humana deliberata: licet mors eſſet contra naturalem motū voluntatis humanæ, vt Damaſcen. dicit*. li.3.c.23 & 24.

Ad ſecundum patet reſponſio ex dictis.

Ad In cor. art.

Ad tertium dicendum, quod nihil fuit potentius, quâm anima Chriſti abſolutê: nihil tamen prohibet aliquid fuiſſe potentius, quãtum ad hunc effectum: ſicut clauus ad perforandum. Et hoc dico, ſecundum quod anima Chriſti conſideratur ſecundum propriam naturam, & virtutem.

PRIMA concluſio, qua reſpondet D. Thom. eſt corpus Chriſti ſecundum neceſsitatem naturalem quæ conſequitur principia naturalia, ſcilicet materiam, & formam fuit ſubiectũ morti, & alijs neceſsitatibus, quam probat dupliciter: tum in argumento, ſed contra ex illo ad Rom. 8. *Miſit Deus filiũ ſuũ in ſimilitudinẽ carnis peccati*, cõditio autem carnis peccati eſt, vt his defectibus ex neceſsitate ſubiaceat. Tum etiam in corpore articuli, quia ex beneplacito diuinæ voluntatis permittebatur carni Chriſti agere, & pati quæ erant propria carnis: vt teſtatur Damaſc. lib. 3. de fide cap. 14. ſed neceſsitas naturalis cauſabatur ex proprijs principijs naturæ humanæ, vtpote ad illa conſequuta: cum enim humana caro compoſita ſit ex contrarijs: neceſſe eſt; & naturale ipſam aliquando diſſolui propter pugnam continuam contrariorum.

Secunda concluſio, Chriſti corpus ſecundum conditionem propriæ naturæ fuit ſubiectum his defectibus neceſsitate coactionis quæ repugnat eius naturæ corporali: eoquod patiebatur violentiam illatam; v. g. à flagellis, ſpinis, & clauis perforantibus ipſum.

Tertia eſt nihilominus nõ fuit ſubiectum neceſsitate coactionis prouenientе ab extrinſeco agente quæ repugnaret voluntati diuinæ, aut humanæ abſolutè, hoc eſt prout ſequitur rationem deliberantem: ſed ſecundum motum naturalẽ voluntatis prout ſcilicet naturaliter refugit mortem, & alia corporis nocumenta, Eoquod voluntariè acceptabantur ab humana voluntate Chriſti, per conformitatem ad diuinam.

ART. III.

Vtrùm Chriſtus defectus corporales contraxerit?

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod Chriſtus defectus corporales contraxerit. Illud enim contrahere dicimur, quod ſimul cum natura ex origine trahimus. Sed Chriſtus ſimul cũ natura humana defectus, & infirmitates corporales per ſuam originẽ traxit à matre, cuius caro huiuſmodi defectibus ſubiacebat. Ergo videtur, quod hos defectus contraxerit. 3. d. 15. q. 1. a. 3. & d. 21. q. 1. a. 2. c. 113. pnſ. 5. ca. 223.

2 Præterea, idquod ex principijs naturæ cauſatur, ſimul cum natura trahitur, & ita contrahitur. Sed huiuſmodi pœnalitates cauſãtur ex principijs naturæ humanæ. Ergo eas Chriſtus contraxit,

3 Præterea, ſecundum huiuſmodi defectus Chriſtus alijs hominibus ſimilatur, vt dicitur Hebr. 2. Sed alij homines huiuſmodi defectus cõtraxerunt. Ergo videtur, quod etiam Chriſtus huiuſmodi defectus contraxerit.

Sed contra eſt, quod huiuſmodi defectus contrahuntur ex peccato, ſecundum illud Roman 5. Per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors. Sed in Chriſto non habuit locum peccatum. Ergo huiuſmodi defectus Chriſtus non contraxit.

Reſpondeo dicendum, quod in verbo contrahendi, intelligitur ordo

ordo effectus ad cauſam: vt ſcilicet illud dicatur contrahi, quod ſimul cum ſua cauſa ex neceſsitate trahitur. Cauſa autem mortis, & horum defectum in humana natura eſt peccatum: quia per peccatum mors intrauit in hunc mundum, vt dicitur Rom. 5. Et ideo illi propriè dicuncuntur hos defectus conttahere, qui ex debito peccati hos defectus incurrunt. Chriſtus autem hos defectus non habuit ex debito peccati: quia vt Auguſtin dicit * exponens illud Ioann. 3. Qui de ſurſum venit, ſuper omnes eſt. De ſurſum venit Chriſtus, ideſt de altitudine naturæ humanæ, quam habuit ante peccatum primi hominis. Accepit enim naturam humanam abſque peccato, in illa puritate, in qua erat in ſtatu innocentiæ: & ſimili modo potuiſſet aſſumere humanam naturam abſque defectibus. Sic igitur patet, quod Chriſtus non contraxit hos defectus, quaſi ex debito peccati eos ſuſcipiens, ſed ex propria voluntate.

** refertur 3. ſent. d. 16. & habetur in gloſ. ord. ſupr. hunc locum.*

Ad primum ergò dicendum, quod caro Virginis concepta fuit in originali peccato, & ideo hos defectus contraxit. Sed caro Chriſti ex Virgine aſſumpſit naturam abſque culpa. Et ſimiliter potuiſſet naturam aſſumere abſque pœna, ſed voluit ſuſcipere pœnam propter opus noſtræ redemptionis implendum, vt dictum eſt.* Et ideo habuit huiuſmodi defectus, nō contrahendo, ſed voluntariè aſſumendo.

** artic. 1. huius q.*

Ad ſecundum dicendum, quod cauſa mortis, & aliorum corporalium defectuum in humana natura, eſt duplex. Vnda quidem remota, quæ accipitur ex parte principiorum materialium humani corporis, inquantum eſt ex contrarijs compoſitum; ſed hæc cauſa impediebatur per originalem iuſtiam. Et ideo proxima cauſa mortis, & aliorum defectuū eſt peccatū: per quod ſubtracta eſt originalis iuſtitia. Et propter hoc, quia Chriſtus fuit ſine peccato, dicitur non contraxiſſe huiuſmodi defectus, ſed voluntariè aſſumpſiſſe.

Ad tertium dicendum, quod Chriſtus in huiuſmodi defectibus, aſsimilatus eſt alijs hominibus, quātum ad qualitatem defectuum, non autem quantum ad cauſam. Et ideo Chriſtus non contraxit huiuſmodi defectus ſicut alij.

Concluſio eſt negans, nimirum; quod Chriſtus non contraxit, ſed voluntariè ſuſcepit, quam probat dupliciter. Tum ex Paulo ad Roman. 5. aſſerente: defectus corporales contrahi ex peccato, quod quidem in Chriſto locum non habuit.

Tum etiam hac ratione, quia per verbum contrahendi ſignificatur ordo effectus ad cauſam: illud enim dicitur contrahi, quod ſimul cū ſua cauſa ex neceſsitate trahitur; ſed Chriſtus non habuit ordinē ad cauſam iſtorum effectuū, quia hos defectus non ex neceſsitate contraxit hoc eſt debito peccati, vt docet Auguſtin. relatus in 3. ſententia diſtinctio. 16. & habetur in gloſſa ordinaria ſuper illud Ioann. 3. qui deſurſum venit, & cætera: ergo voluntarie ſuſcepit, quia ſicut aſſumpſit naturam in puritate innocentiæ: ita potuiſſet aſſumere, ſine his defectibus.

* * *

ART. IV.

Vtrùm Chriſtus omnes defectus corporales hominum aſſumere debuerit?

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod Chriſtus omnes defectus corporales hominum aſſumere debuerit. Dicit enim Damaſcen.* Quod eſt in aſſumptibile, eſt incurabile. Sed Chriſtus venerat omnes defectus noſtros curare. Ergo omnes defectus noſtros aſſumere debuit.

Sup.q.12 a.4.ad 3. & inf. q. 15.ar.1. c & q.46 a 4.ad 3. & 3 d 1. q.2.1. & d.15.q.1 a.1 & d. 22.q.2.a 1.q.1.& 4 co.c.55 ad 11.& opuſ 3.c. 22. & 228. *li.3.c.6 & 18. † At. 1.

2 Præterea, dictum eſt, † quod ad hoc quod Chriſtus pro nobis ſatisfaceret, debuit habere habitus perfectiuos in anima, & defectus in corpore. Sed Chriſtus ex parte animæ aſſumpſit plenitudinem omnis gratiæ. Ergo ex parte corporis debuit aſſumere omnes defectus.

3 Preterea, inter omnes defectus corporales præcipuum locum tenet mors. Sed Chriſtus mortem aſſumpſit. Ergo multo magis omnes alios defectus aſſumere debuit.

Sed contra eſt, quod contraria non poſſunt ſimul fieri in eodem. Sed quædam infirmitates ſunt ſibi ipſis contrariæ, vtpotê ex contrarijs principijs cauſatæ. Ergo non potuit eſſe, quod Chriſtus omnes infirmitates humanas aſſumeret.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut dictum eſt, * Chriſtus defectus humanos aſſumpſit, ad ſatisfaciendū pro peccato humanæ naturę ad quod requirebatur, quod haberet perfectionem ſcientiæ, & gratiæ in anima. Illos ergo defectus Chriſtus aſſumere debuit, qui conſequuntur ex peccato communi totius naturæ, nec tamen repugnant perfectioni ſcientiæ & gratiæ. Sic igitur non fuit conueniens vt omnes defectus, ſeu infirmitates humanas aſſumeret. Sunt enim quidam defectus, qui repugnant perfectioni ſcientiæ, & gratiæ: ſicut ignorantia, pronitas ad malum, & difficultas ad bonum. Quidam autem defectus ſunt, qui non conſequuntur communiter totam humanam naturam, propter peccatum primi parentis, ſed cauſantur in aliquibus hominibus ex quibuſdam particularibus cauſis: ſicut lepra, & morbus caducus, & alia huiuſmodi. Qui quidem defectus, quandoque cauſantur ex culpa hominis, puta ex inordinato victu: quandoque autem ex defectu virtutis formatiuæ. Quorum neutrum conuenit Chriſto: quia & caro eius de Spiritu Sancto concepta eſt, qui eſt infinitæ ſapientiæ, & virtutis, errare, & deficere non potens: & ipſe nihil inordinatum in regimine ſuæ vitæ exercuit. Sunt autem tertij defectus, qui in omnibus hominibus communiter inueniuntur, ex peccato Primi parentis: ſicut mors, fames, ſitis, & alia huiuſmodi. Et hos defectus omnes Chriſtus ſuſcepit, quos vocat Damaſcen. * naturales & indetractibiles paſsiones: naturales quidem, quia conſequuntur cōmuniter totam naturam humanam: indetra-

Ar.1. & 2.huiusq.

li.1.orth. fid. c. 14. in fin. & li.3.c.20.

indetractibiles autem, quia defectum ſcientiæ, & gratiæ non important.

Ad primum ergo dicendum, quôd omnes particulares defectus hominum, cauſantur ex corruptibilitate, & paſsibilitate corporis, ſuper additis quibuſdã particularibus cauſis. Et ideò cũ Chriſtus curauerit paſſibilitatem, & corruptibilitatem corporis noſtri, per hoc quôd eã aſſumpſit: ex conſequenti omnes alios defectus curauit.

Ad ſecundum dicendum, quod plenitudo omnis gratiæ, & ſcientiæ, animæ Chriſti ſecundum ſe debebatur ex hoc ipſo, quòd erat à Verbo Dei aſſumpta: & ideò abſolutê omnem plenitudinem ſapientiæ, & gratiæ Chriſtus aſſumpſit. Sed defectus noſtros diſpenſatiue aſſumpſit, vt pro peccato noſtro ſatisfaceret, non quia ei ſecundum ſe competerent. Et ideò non oportuit, quôd omnes aſſumeret, ſed ſolum illos, qui ſuffiiciebant ad ſatisfaciendum pro peccato totius humanæ naturæ.

Ad tertium dicendum, quôd mors in omnes homines deuenit ex peccato primi parentis: non autem quidam alij defectus, licet ſint morte minores. Vnde non eſt ſimilis ratio.

RESPONDET Diuus Thom. tribus concluſionibus quarum prima eſt: non fuit cõueniens vt Chriſtus aſſummeret omnes defectus, ſeu infirmitates humanas. Probatur primo, quia ſunt aliqui defectus omninò contrarij, & ex diuerſis principijs cauſati: ergo non potuit omnes aſſumere. Deinde in corpore, quia Chriſtus aſſumpſit defectus ad ſatisfaciendum pro humana natura, ad quod requirebatur præfectio ſcientiæ, & gratiæ in anima: ergo non debuit aſſumere defectus qui cõtrariantur gratiæ, & ſcientiæ, vt ſunt ignorantia, pronitas ad malum. & difficultas ad bonum cum repugnet præfectioni Redemptoris.

Secunda concluſio non aſſumpſit defectus, qui non ex corruptione naturæ; ſed ex particularibus cauſis oriuntur, vt lepra, morbus caducus, & alij huiuſmodi, neque eos, qui ex inordinato victu, & ex defectu virtutis formatiuæ. Probatur quia caro Chriſti eſt concepta de Spiritu Sancto, qui eſt infinitæ ſapientię, & virtutis, & errare, ſeu deficere non poteſt: & ipſe Chriſtus nihil inordinatum in regimine ſuæ vitæ exercuit.

Tertia concluſio, Chriſtus aſſumpſit omnes defectus qui communiter reperiũtur in hominibus ex natura corrupta, vt ſunt mors. fames, ſitis, &c.

Circa has concluſiones, quatuor dubia examinari ſolent à Theologis.

Primum eſt. An Chriſtus Dominus aſſumpſerit paſſiones, & defectus corporales proprios corporis paſſibilis?

Secundum eſt. An huiuſmodi defectus voluntarij, vel violenti, naturales vel ſupernaturales ſint appellandi?

Tertium eſt. An habuerit neceſſitatem ſubeundi mortem?

Digitized by Google

Quartum eſt. An omnes defectus corporales aſſumpſerit, & inter illos etiam motum ſiue localem mutationem?

Ad quorum ſingula eodem ordine breuiter eſt reſpondendum?

41 AD primum igitur reſpondetur concluſione affirmatiua: nimirũ Chriſti corpus vere ſubiectum fuiſſe paſſionib⁹, ac defectibus proprijs carnis paſſibilis. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus duos errores, quorum primus fuit Manicheorum aſſerentium Verbum Diuinum, non aſſumpſiſſe verum corpus, ſed phantaſticum, & imaginarium. Secundus fuit aliorum aſſerentium aſſumpſiſſe quidem verum corpus, ſed non paſſibile, & eiuſdem rationis cum noſtro, ſed cœleſte, & impaſſibile: cuius erroris Sectatores fuerunt Seueritæ, qui à Iulliano Alicarnaſęo, & Caian. originem traxerunt, vt referunt Nicephorus lib. 17. Hiſtoriæ, capit. 29. & Damaſcen. libr. 3. de Fide, capit. 28. in eodemque errore fuiſſe Iuſtinianum Imperatorẽ refertur apud Euagrium lib. 4. Hiſt. c. 19. & Nicephorum, vbi ſup. c. 31. qui tamen excuſſat Imperatorem ab huiuſmodi errore culpabili, eo quod per ignorantiã in illum lapſus fuerit, & nõ pertinaciter in eo perſeuerauerit: eiuſdem etiã erroris fuit Theodorus relatus à Beda lib. 2. in Marc. c. 28. & à D. Th. in catena Math. 14. quatenus aſſerebat Chriſti corpus habuiſſe dotem agilitatis, qua ſuper aquas ambulabat: eiuſdẽque erroris fuiſſe Hylarium, quamuis per ignorantiam, & inculpabiliter, teſtantur Claudius Mamertus Epiſcopus Viennenſis lib. 2. de ſtatu animæ, c. 1. qui habetur tom. 5. Bibliothecæ Maldonatus Matth. 26. verſu 37. Belar. tom. 1. lib. 4. de Chriſti anima, c. 8. Salmer. rom. 10. de paſſione Chriſti, tract. 11. & Medin. in expoſit. art. 2. & Vazq. hic diſput. 59. c. 1. n. 4. & 5. quatenus Diuus Hylarius in illud Pſal. 68. *Saluum me fac Deus & in ſiti mea, &c.* & in pręfatione Pſ. 138. & lib. 10. de Trinit. ait paſſiones aſſumptas à Chriſto non fuiſſe naturales, hoc eſt veras, ſed aſſumptas hoc eſt apparẽtes, neque Chriſtum ſenſiſſe in illis vllum dolorem: *Afferunt* (ait ille) *hæc quidem impetũ paſſionis, non tamen paſſionis dolorem inferrent: vt tellum aliquod, aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aera vulnerans,* &c. propter quę teſtimonia præfati Authores Hilarium ignorantia inuincibili laborantem in hunc errorẽ lapſum fuiſſe teſtatur, imo D. Th. q. 26. de verit. a. 8. ad 7. in 1. ſolut. ad teſtimonium Hylarij ex lib. 10. de Trinit. vbi dicit fuiſſe in Chriſto domino vim pœnæ, ſine ſenſu pænę; inquit hoc verbũ Hylarij poſt modũ ab ipſo fuiſſe retractatũ, & idem ſentit in 3. d. 15. in expoſitione textus, & in eadẽ diſtin. ad Annib. dicens: *Verba hæc Hylarij videntur à Chriſto dolorem paſſionis, & timorem excludere, quatripliciter ſoluuntur: quidam enim dicunt Hylarium hoc retractaſſe: & hoc dicebat Guillelmus Epiſcopus Pariſienſis, quod viderat Epiſtolam retractationis, & c. Et hoc videtur probabile ex his Authoribus, quas in littera Magiſter inducit, &c.* & idem teſtatur Bon. in 3. diſt. 16. a. 1. q. 1. inquiens ſe audiuiſſe Guillel. Pariſien. dicentẽ ſe vidiſſe, & legiſſe librũ in quo Hylar. hunc errorem retractauit, & idem refert Ricard. in eodẽ 3. diſt. 15. in expoſitione litterę, & Alberr. & Carthu. ibidẽ, qui quidem omnes dũ fatentur libellum dictæ retractationis, qui in operibus Hylarij modo non extat, videntur admittere illũ hunc errorẽ ſecutum fuiſſe in operibus, quæ nunç excuſſa habemus. Sed nihilominus præfati Scholaſtici diuerſis modis ſententiam Hylar. pie, & benigne interpretãtur: Magiſt. enim in d. d. 15. & D. Th. ibidem, atque in hac 3. p. q. ſeq. art. 5. ad primum dicunt Hylarium non negaſse in Chriſto verum dolorem, & ſenſum illius: niſi tantum dominium doloris, atque meritum, ſiue cauſam ortam ex peccato, & in 2. ſolutione ad prædictum argumentum 7. art. 8 de verit. ait D. Thom. quod Hyralius illum ſenſum pœnæ negauit in Chriſto non corporeũ quidẽ, id eſt conſumatum in parte corporea, & ſenſitiua; ſed eum qui peruenit, vſque ad pertur

bandam

bandam, & commutandam rationem, ſicut ſolet contingere in alijs hominibus in quibus paſsio doloris, ſeu timoris quandoque rationem præuenit, & ei dominatur, Alexand. vero 3. p. q. 17. memb. 1. ar. 2. intelligit Hylar. in eodem ſenſu: ita vt non negauerit in Chriſto verum dolorem; ſed docuerit omne dolorem, quem Chriſtus paſſus eſt, etiam ab extrinſeca cauſa ſubditũ fuiſſe volũtati, & imperio rationis ipſius.

Denique Bonau. & alij contendunt eũ aliter excuſare: nimirum quod ſolum negauerit ſenſum doloris in Verbo Dei, ſecundnm ſe, non autem in humanitate aſſumpta, quæ expoſitio re vera non conſonat verbis Hylarij (vt ait D. Thom. ſup.) quia in illis aperte loquitur de ipſo corpore, & carne humanitatis, & non de Verbo diuino, ſecundum ſe, aut in propria natura: quare iuxta priores expoſitiones poteſt Hylarius ſuffieienter excuſari ab huiuſmodi errore, & contra eius Sectatores, ſtatuitur noſtra concluſio, tamquam certa ſecundum Fidem, quam communiter ſequuntur Theologi, cum Mag. in 3. diſtin. 15. vbi hæc quæſtio de defectibus, & paſſionibus corporis Chriſti proprium locũ, & ſedem habet, & cum D. Thom. in hoc art. 1. vt Caietanus, Medin. & Cabrera in expoſitione articuli, Suarius diſputat. 31. ſectio. 1. & Vazquius diſput. 59. capit. 2. & oſtenditur primo ex teſtimonijs ſcripturæ, quæ ſunt in duplici ſerie: in prima continentur illa, quæ ſignificant Chriſtum corporeos defectus aſſumpſiſſe proprios corporis paſsibilis, in ſecunda vero continentur alia, quæ ſignificant Chriſtum verum ſenſum horum defectuum habuiſſe, doloris nimirum timoris, ſiue triſtitiæ. Ad primam quidem ſpectat illud Eſai. 53. *Vere languores noſtros ipſe tulit*, & Luc. 22. nonne oportuit pati Chriſtum: & ita intrare in gloriam ſuam? Et ad Hæbr. 2. propter corpus paſsibile dicitur Chriſtum fuiſſe minoratum paulo minus ab Angelis, eo quod pueri communicauerũt carni, & ſanguini, ideſt quia ſimilis factus fuit fratrib⁹ in corpore paſsibili, vt miſericors fieret, & 1. Petri. Secũdo *Chriſtus paſſus eſt pro nobis vobis relinquens exemplum*. Deinde ad ſecundã ſeriem pertinet illud Matth. 4. *Cum ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibns poſtea eſurijt*, & illud Ioan. 4. *Fatigatus exitinere ſedebat, ſic ſupra fontem*, & c. 19. *Sitio*, & ad Hæb. 5. *Didicit ex his, quæ paſſus eſt obedientiam*, & Eſai. 53. *Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras attritus eſt propter ſcelera noſtra*, & Luc. 22. *Factus inagonia, &c.* & Matth. 26. *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*, quibus ſignificatur Chriſtum dolorem, triſtitiam, timorem, ſitim, & ſimiles paſsiones habuiſſe: ergo.

Secundo probatur ex diffinitionibus Eccleſiæ, eſt enim hæc veritas diffinita in Concilio Epheſin. Anathem. 12. & in Cõcil. Tolet. 1. in confeſsio. Fidei, & in Lateranen. ſub Martino I. conſul. 5. can. 4. & in 6. Syn. Act. 11. in Epiſt. Sophronij, vbi ad probandam veritatem naturæ humanæ in Chriſto enumerat Patriarcha Sophronius ſitim, famem, & ſimiles paſsiones humanitatis, quas Chriſtus ſenſit, his accedunt manifeſta teſtimonia Patrum: nimirũ Damaſi Papæ, Leonis, Ambroſij, Auguſt. Damaſc. & Tertulian. quæ recenſent Suarius, & Vazquius, vbi ſupr.

Tertio probatur ratione, qua vtitur Damaſ. lib. 3. de Fide cap. 28. quia nimirum ſi Chriſti corpus non fuiſſet paſsibile, neq; ſubiectum paſsiobibus corporis paſsibilis nõ eſt eiuſdem naturæ cũ noſtro; ſed quia huic rationi reſpondebant ſectarij: negando ſequelam, quia dicebant corpus Chriſti fuiſſe incorruptibile, & inpaſsibile, nõ quidem ex natura ſua; ſed ex Dei gratia quæ incorruptibilitas non obſtat identitati naturę, quemadmodum, neq; obſtat in corporibus glorioſis, quominus ſint eiuſdẽ ſubſtãtiæ, & naturæ cũ noſtris. Propterea aliter formanda eſt hæc ratio Damaſce. ne à ſectarijs infringatur: nimirum ſub hac forma, vel Chriſti corpus fuit à principio in ſtatu viæ in paſsibile per naturam, vel ex dono gratiæ, ſi primũ ergo non fuiſſet eiuſdem ſubſtantiæ cum noſtro, quod eſt intentum Damaſcen. ſi ſecundũ ergo numquam fuiſſet aptum operi redemptionis, neq; de illo verificarentur, quæ in Euangelijs narrãtur, ſed ſolum ſecundum apparentiam, & phantaſiam geſta eſſent, quod tamen deſtruit omnẽ veritatem redemptionis: Fidei Incarnationis, & exẽpli propter quod exhibendum huiuſmodi paſsiones, & defectus humanos, dicitur Chriſtus ſuſcepiſſe, quæ ſunt congruentiæ quas affert Diu. Thom. in corpore articuli.

Quarto probatur duab⁹ rationibus quibus vtitur D. Th. in prædictis locis de verit. & 3. ſent. quæ ſuppoſita reuelatione facta in Euagelijs manifeſte conuincunt, hanc veritatem: prima, qua vtitur in d. diſtin. 15. q. 2. a. 3. quæſt. 1. nimirum quia ſi-

cut delectatio ſenſibilis cauſatur ex coniūctione conuenientis ſecūdum ſenſum, ita dolor ſenſibilis cauſatur ex coniunctione diſconuenientis, ſeu nociui; ſed in corpore Chriſti fuit applicatio ſenſibilis nociui & diſconuenientis temperamento corporis, quia fuit vera læſio, & diuiſio cōtinui per clauos, & vulnera; v. g. ergo cum in illo fuerit verus tactus, oportuit & eſſe dolorem. Secunda eſt, qua vtitur in dicto articulo de verit. quia in Chriſto viatore, nō tantum fuere paſsiones reſpectu boni, vt gaudium, & amor: nam hæc etiam fuerunt in ſtatu innocentiæ, & erunt in corporibus beatorū; ſed etiā reſpectu mali, quia fuit in illo appræhenſio nociui, ex qua naturaliter cauſantur triſtitia, dolor, & metus: ergo & huiuſmodi paſsiones fuerunt in illo.

Vltimo probatur ſatisfaciendo fundamento ſectariorum deſſumpto ex illo Pſalmo 15. & Act. 2. *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*, ad quod reſpondetur nomine corruptionis ſignificari poſſe, & humanam paſsionem, quæ in ſola diuiſione vnius partis ab alia, vel in ſeparatione animæ à corpore conſiſtit: aut etiam vltimam diſſolutionem, qua corpus reſoluitur in elemēta, ſiue eius putrefactionem. Et in prædicto teſtimonio ſolum ſignificatur nomine corruptionis hæc vltima diſſolutio, ſiue putrefactio: ita vt ſenſus ſit, non dabis, ideſt non permittes ſanctum tuum, hoc eſt corpus Chriſti tui pati in morte, & ſepulchro vltimam diſſolutionem, ſiue putrefactionem.

Paſsiones fuerunt in duplici ſenſu Chriſto naturales.

38 Ad ſecundum dub. reſpondetur trib⁹ cōcluſionib⁹: quarū prima, eſt huiuſmodi paſsiones, & defectus fuerunt Chriſto naturales in duplici ſenſu, ideſt verę, & non tantum apparentes, & conſecutæ ad naturalem corporis diſpoſitionem. Hęc cōcluſio eſt certa, ſecundum fidem, & ſtatuitur aduerſus prædictos ſectarios, qui dicebāt has paſsiones fuiſſe nōnaturales; ſed aſſumptas, ideſt quoad apparīētiam, ſicut in comedijs, quando quis aſſumit perſonam Regis, illa perſona dicitur aſſumpta, & nō vera, ſeu naturalis, in quo etiam ſenſu locutum fuiſſe Hylarium conſtat ex eius teſtimonijs à Magiſtro adductis; ſed noſtra cōcluſio in vtroque ſenſu probatur ex cōmuni ſententia Patrum, quia Damaſce. lib. 3. de Fide, c. 20. & Nicet lib. 3. Theſau. c. 36. vocant eas naturales licet aſſumptas à Verbo, quia Verbum diuinum aſſumēdo humanitatē integram cū omnibus ſuis proprietatibus, excepto peccato, eas pariter aſſumpſit. Deinde Sophron. in dict. Epiſt. quæ habetur in 6. Syn. actio. 11. eas naturales appellat, & irrepræhenſibiles: vtpotè quia ad ipſam naturam independenter à conſenſu voluntatis humanæ Chriſti cōſequntur, quod quidē poteſt verificari de huiuſmodi paſsionibus, & defectibus, ſcilicet famè, ſiti, dolore, & ſimilibus dupliciter. Tum in actu primo, & quoad aptitudinem: ita vt ſenſus ſit, quod aptitudo ad famem, ſitim, & dolorem cōſequitur ad naturā humani corporis Chriſti, & hic ſenſus veriſsimus eſt, ſicut & quod ad illā naturaliter conſequitur conditio paſsibilitatis, & cōpoſitio ex contrarijs qualitatibus, ex qua ſimul cōſequitur diſpoſitio paſsibilitatis, & corruptibilitatis, hoc eſt proxima aptitudo ad paſsionē, & corruptionē. Tū etiā de illis in actu 2. ita vt ſenſus ſit actualē famem, ſitim, & dolorem naturaliter, & indepēdenter à cōſenſu libero Chriſti conſecutas fuiſſe naturam humani corporis, & eius naturalem diſpoſitionem in Chriſto, & hic ſenſus verus eſt nō abſolute; ſed ex quadā ſuppoſitione, hoc eſt ſemel ſuppoſita cauſa famis, ſitis ac doloris, & applicata Chriſto homini nō potuit nō neceſſario ei⁹ corpus pati famē, ſitim, & dolorem, quamuis abſolute voluntarie quęſierit Chriſtus occaſionem patiendi, & dolendi, & voluntariè ſe obtulerit cauſis paſſionis, et doloris: tamen facta ſuppoſitione applicationis taliū cauſarum neceſſario patiebatur, & dolebat: quia proculdubio neceſsitatem patiendi, & dolendi cum alijs proprietatibus corporis paſsibilis aſſumpſit. Neq; obſtat quod Damaſc. & Nicetas in locis præallegatis has paſsiones dixerūt fuiſſe in Chriſto ſupra naturam: *Quoniā ea quæ naturalia erant in Domino* (ait Damaſ.) *voluntatem hautquaquam anteuertebant.* Nā in his verbis noluerunt ſignificare huiuſmodi paſsiones eſſe ſupernaturales, ſed dūtaxat eas indicare voluerunt non contigiſſe in Chriſto ſecūdū conſuetū modū, quo in alijs hominibus cōtingere ſolēt, in quibus frequēter ſolēt præuenire rationē, & voluntatis deliberationem; ſed aut ſequebantur, aut committabantur eam.

Cōtra concluſionem hanc inſurgit quædā difficultas: nimirū quia quod alicui cōuenit per miraculū non poteſt ei conuenire naturaliter: aut neceſſario: ſiquidem iſti duo modi conueniendi oppoſiti ſunt,

ſed

ſed corpori Chriſti conueniunt per miraculũ conditio paſsibilitatis, & alij defect⁹ ad illam conſecuti: vtpote quia corpus cõiunctũ animæ Beatæ ex debito, & connaturaliter eſt glorioſum, & impaſsibile: ita vt miraculum ſit maximum, quod maneat paſsibile, & obnoxium cæteris defectibus & paſsionibus proprijs corporis paſsibilis: ergo iſti nequeunt illi conuenire naturaliter, aut neceſſario.

Huic difficultati reſpondet Medina in hoc a.2. dupliciter: primo quidem, quod ſuppoſito illo miraculo quo Deus voluit gloriam animæ non deribari in corpus mãſiſſe ſubiectum naturali neceſsitati patiendi illos defectus corporis. Vnde falſum eſt: quidquid alicui cõuenit ſuppoſito aliquo miraculo non eſſe illi naturale, & neceſſarium.

Secundo reſpondetur cũ D. Thom. de verit. q.29.a.6. ad 4 quod quando anima beata omnibus modis, in ordine ſcilicet ad Deũ, & ad propriũ corpus non communicat gloriã, eſt miraculũ: quando vero anima tãtũ eſt beata per ordinẽ ad Deũ, & nõ per ordinem ad proprium corpus, cuius eſt forma, tunc non eſt miraculũ, nõ fieri talẽ communicationẽ, & hanc exiſtimat Medina eſſe meliorẽ ſolutionem. Sed re vera hæc ſolutio contradicit D. Thom. infra quæſtio.45. artic.2. aſſerenti diuina diſpenſatione factum fuiſſe ne gloria animæ Chriſti Domini redũdaret in eius corpus, & ita miraculũ fuiſſe, quod eius corpus cõiũctũ animę beatę maneret paſsibile in ſtatu viæ docet ibidẽ Caiet. Nec D. Th. in allegato a.6 de verit. ad 4 ſibi fuit cõtrarius: nã ibi reddens rationem cur gloria corporis potuit promereri à Chriſto domino: ſiquidẽ erat ei debita, & cõnaturaliter ab ei⁹ anima beata dimanans? Reſpõdet de facto gloriam corporis, non ſic dimanaſſe ab anima Chriſti in ſtatu viæ ex diuina diſpenſatione ei⁹ dimanationẽ impediẽte: eo quod eius anima non fuit beata, tã in ordine ad Deũ, quẽ in ordine ad corpus: niſi tantum in ordine ad Deũ, & propterea potuiſſe illã promereri. Quare ſtandũ eſt in prima ſolutione: iuxta quã ad formam argumenti negãda eſt maior: bene enim poteſt aliquid conuenire alicui ſubiecto per miraculũ præſuppoſitum, & antecedens: & aliàs cõuenire illi neceſſario, & naturaliter; quo pacto paſsibilitas cõuenit corpori Chriſti in ſtatu viæ per miraculũ antecedens, hoc eſt in virtute primi miraculi impediẽtis redundãtiã gloriæ animæ in corpus, & actualẽ eius dimanationẽ, & tamen conuenit illi ſimul neceſſario, & naturaliter, tamquã propria conditio corporis corruptibilis, & mortalis: cuius manifeſtũ ſignum eſt, quod claritas, & gloria, quam aſſumpſit in transfiguratione fuit illi miraculoſa, & ſupra ordinariam legem, ſupra quam eſt quod corpus paſsibile habeat claritatem corporis glorioſi, etiam ad modicũ tempus, vt teſtãtur D. Thom. & Caiet. in loco allegato: ſi autem conditio paſsibilitatis nõ fuiſſet propria, & naturalis corpori Chriſti, ceſſaret transfigurationis miraculum: nam corpus non neceſſario, & naturaliter paſsibile indueret claritatem, quod miraculum eſſet.

39 Secunda concluſio eſt, nihilominus Chriſtus dominus voluntariè ſimpliciter aſſumpſit huiuſmodi deffectus, atque paſsiones. Hæc concluſio cõmuniter recipitur ab ſcholaſticis, cum Mag. in 3. diſtinctio.18. & cum D. Thom. in hoc art. vt à Marſilio quæſt.11. Alexan 3. part. quæſtio.17. memb.1. Ricar. ar.1. quæſt.2. Scoto quæſt.2. Bouauen. queſt.3. Duran. & Paludan. quæſt.1. Suar. diſp.32. Sect.3. Vazquio diſput.59. ca.3. Medina, & Cabrera in expoſitione eiuſdem articuli, & Abulenſis in cap.8. Matth. quæſt. 50. & Paradoxa 3. c.21. & quia ratio voluntarij deſumitur per habitudinẽ ad aliquã volũtatẽ, & in Chriſto fuerit duplex volũtas diuina ſcil. & humana, & poſsit in duplici ſtatu cõſiderari: nimirũ, vt indeliberata, & antevertẽs deliberationem rationis, vel vt deliberata hoc eſt, vt ſubſequens deliberationem rationis: propterea conditio voluntarij reperta in huiuſmodi defectibus, & paſſionibus poteſt eis conuenire, vel per cõparationẽ ad volũtatẽ diuinam Chriſti, vel ad humanam deliberatam, aut etiam indeliberatam, vel ſimul per comparationem ad vtramque voluntatem, tam diuinã quã humanam. Igitur omnes Theologi citati cõueniunt, in eo quod huiuſmodi paſsiones famis, ſitis, doloris, &c. fuerunt voluntariæ Chriſto domino per comparationẽ ad voluntatem diuinam, quia illas voluntariè aſſumpſit verbum diuinũ, ſicut volũtariè aſſumpſit humanitatem, & eadẽ volũtate voluit aſſumere humanitatis defectus, ac paſſiones illi proprias. Deinde cõueniũt in eo quod fuerint volũtariæ per comparationẽ ad voluntatem humanam deliberatam, & abſolutam, ſiue efficacem antecedentem quidem, & acceptãtem ad hũc ſenſum

Voluntariè nihilominus fuit earum ſuſceptio.

 quod

quod Chriſtus Dominus voluntariè per voluntatem humanam quæſiuit opportunitates, & occaſiones, atque applicuit ſibi cauſas huiuſmodi paſsionum, nimirum famis, ſitis, doloris, &c. ex quibus ſic applicatis naturaliter, & neceſſario ſequebantur huiuſmodi paſsiones in corpore Chriſti Domini, qui tamen voluntariè illas acceptabat.

In quo ſenſu probatur concluſio ſic cõmuniter recepta à Theolog. 1. ex illo Pſ. 39. dicto in perſona Chriſti Domini, *corpus autem adaptaſti mihi tunc dixi, ecce venio in capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerẽ voluntatem tuam Deus meus volui.* Secundo, quia hic eſt ſenſus epiſtolæ Sophronij in d. 6. Syn. act. 11. & D. Th. in hoc art. & Damaſc. in loco citato, ſcilicet lib. 3. de fide c. 20. vbi aſſerit huiuſmodi paſsiones fuiſſe Chriſto voluntarias, & ſupernaturales, & cùm ſubdit: *volens ſiti, volens fame, &c. affectus eſt*, & tranſacto ſpatio 40. dierum ieiunans eſurijt, quia voluit.

Tertio probatur, quia in huiuſmodi paſsionibus, & defectibus Chriſtus meruit, & ſatisfecit pro hominibus, ſi autem nõ eſſent volũtarię, nec mereretur, nec ſatisfaceret in illis quia conditio meriti, & ſatisfactionis eſt voluntarium, atque liberum. Diſcriminantur autem Theologi nõnihil in modo loquendi ob diuerſas cõparationes ad voluntates diſtinctas Chriſti in modo loquẽdi. Alij enim de quorũ numero ſunt Bonau. & Almayn. dicunt has paſsiones fuiſſe Chriſto volũtarias ſolũ voluntate concomitante, & non antecedente. Alij vero relati à Richard. dicunt illas fuiſſe voluntarias etiam voluntate antecedenti, ita vt etiam applicatis cauſis potuerit eas impedire, & non fuerit ſubiectus neceſsitati eas patiendi: in quam ſententiam inclinant Alexand. & Abulenſ. Alij denique dicunt illas fuiſſe volũtarias vtroque modo, nimirum voluntate diuina, & humana, tam antecedente, quã concomitante; quorum ſententia & modus loquendi nobis placet ſupponendo pro eius maiori declaratione huiuſmodi paſiones fuiſſe indũplici differẽtia: aliæ quidẽ quarũ cauſas & ocaſiones aplicatas nõ poterat Chriſt⁹ impedire volũtate humana per proprias ei⁹ vires vt ſenſum frigoris, vel caloris quæ dependẽt ex cœli, & aſtrorũ influxu, qui ab humana voluntate Chriſti impediri nõ poterat: aliæ autẽ ſunt, quarũ cauſas impedire poterat humana voluntas Chriſti per proprias vires vt famis, & ſitis, quas propria virtute impedire, aut repellere poterat. Vnde comparatæ omnes huiuſmodi paſsiones ad voluntatem diuinam erãt voluntariæ voluntate concomitante, & antecedente nedum per modũ obiecti cõplacentiæ, ſed etiam per modum effectus: cõcomitanti quidem quia complacebat ſibi in illis, antecedente verò quia diuina volũtas, & etiã humanitas Chriſti, vt inſtrumentum diuinæ voluntatis, & omnipotẽtiæ illas poterat impedire, & non impediebat. Si autem comparentur ad voluntatem humanam Chriſti ſecundum proprias eius vires naturales, ſic paſsiones primi generis erant voluntariæ voluntate concomitante, & acceptante per modum obiecti complacentiæ, ſed non antecedente, & cauſante, quia ſcilicet humana voluntas Chriſti illas acceptabat, & in eis complacebat, ſed eas impedire non poterat, & ideo reſpectũ earum non ſe habebat, vt voluntas cauſans ſiue antecedens: bene autem reſpectu paſsionũ ſecundi generis, quia antecedenter eas poterat impedire, aut earum occaſsiones ſubterfugere, nam licet Chriſtus ieiunans ſpatio 40. dierum, v. g. non potuerit famem impedire; tamen poterat propria virtute, aut non ieiunium incipere, aut ſemel inceptum ſoluere: iuxta quam diſtinctionem poſſunt etiam ad concordiam prędictorum Auctorum diuerſa placita, ac modi loquendi reduci.

40 Tertia concluſio eſt, nihilominus huiuſmodi paſsiones fuerunt coactæ, & violentæ ſecundum quid in Chriſto Domino: hoc eſt per reſpectum ad naturam corporis, & animam, vt eius formam naturalem, atque per reſpectum ad voluntatem naturalem, ſiue indeliberatam. Hæc concluſio eſt communiter recepta ab eiſdẽ Theolog. ſup. citat. vno excepto Vazquio, qui in d. diſp. 59. c. 3. non admittens in Chriſti humana volũtate actũ indeliberatum, conſequẽter aſſerit huiuſmodi paſſiones nõ fuiſſe violentas, & in volũtarias per cõparationẽ ad voluntatem indeliberatam, ſed ſolũ per cõparationem ad naturã corporis, & animæ, atque ad voluntatem, quandam ſimplicem, & naturalẽ ſiue ineſficacẽ, hoc eſt per cõparationẽ ad ſimplicẽ, & ineſficacẽ quãdã diſplicẽtiã. Quod ſuadet dupliciter: tum quia actus indeliberatus dicit imperfectionẽ, hoc eſt negationẽ debitæ deliberationis: ergo nullus act⁹ indeliberatus eſt ponendus in voluntate

Fuerũt quoq; violentæ reſpectu volũtatis indeliberatæ.

Chri-

Chriſti, ſicut neque admittēda eſt in illa talis imperfectio: eo vel maxime quod per ſcientiā beatā, & infuſā anima Chriſti prævidebat omnes motus naturales ſuæ volūtatis, ac proinde & illos præueniebat, vnde non erant in illo indeliberati, & præuenientes vſum rationis. Tum etiā, quia vel huiuſmodi motus internus volūtatis Chriſti quo mortem, & paſsionē refugiebat erat efficax, & abſolutus; vel inefficax, & conditionatus, ſi primū ergo mors, & paſſio fuiſſet abſolutè, & ſimpliciter inuolūtaria, & violēta contra internū affectū nō ſolum naturę, ſed etiam voluntatis Chriſti quod non eſt dicendū, quia abſolute volūtariè oblatus fuit morti & paſsioni, vtpote, de quo dicitur Eſai. 53. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*: Si ſecundū: ergo ratio ob quam mors, & paſsio fuit ei violenta per comparationē ad voluntatē naturalē, nō eſt quia talis voluntas erat indeliberata, hoc enim parū refert ſi aliàs fuit efficax, ſed quia erat conditionata, & inefficax quædam diſplicētia. Eandem ſententiā ex parte ſequitur Medin. in eod. art. 2. dicens uoluntatē illam, qua Chriſtus mortē refugiebat non fuiſſe indeliberatā, ſed potius ſubſecutam ad deliberationē rationis, dici tamen naturalē eo quod ſequebatur rationes humanas ob quas volebat non mori. Sed noſtra concluſio cōmuniter defenditur à prædictis Auctoribus, ſpecialiterquè à Suario, & Cabrera vbi ſupra, & à Caietano hic.

Et probatur quia huiuſmodi paſsiones erant læſiuæ corporis, ac proinde eius naturæ violentę, & conſequenter animæ quatenus forma erat corporis. Deinde quia aliqua voluntate Chriſtus vt homo paſsionē, & mortem refugiebat, vt patet ex illo Matth. 26. *Pater ſi poſsibile eſt transeat à me calix iſte*: ergo reſpectu illius volūtatis etiam fuit illi mors inuoluntaria, & coacta: tunc vltra ſed non eſt inconueniens huiuſmodi actum voluntatis eſſe indeliberatum hoc eſt negatiuè non deliberatū: eo quod cū ſit mot⁹ naturalis, eſt neceſſari⁹, ac proinde anteuertens liberū vſum voluntatis, & rationis deliberationem: neque hæc eſt imperfectio indecens voluntatē humanā Chriſti, quia talis deliberatio, aut liber vſus non debetur illi actui pro eo ſtatu, ac proinde nō caret perfectione ſibi debita, neque eſt imperfectio priuatiua.

Ex quibus patet ad primū argumentū Vazquij, de quo tamen propriā ſententiā ſtatuemus infra q. 18. dub. 3. admiſſa enim ſententia Vazquij nihil cōtra nos, qui ſolū nomine voluntatis indeliberatę hic accipimus eā quæ naturalis, & inefficax eſt. Ad ſecundum vero reſpondetur illū motū voluntatis naturalē, & indeliberationem fuiſſe quidē ſimplicē, & inefficacē, ſiue cōditionatū: & quāuis fuiſſet efficax in ſuo genere, tamen quia mors fuit volūtate deliberata, & efficaci volita, & acceptata, quę abſolute præualet in homine, & quouis agente libero, ideo tantū ſecundū quid fuit illi involūtaria mors reſpectu voluntatis naturalis, & efficacis in eodē genere naturæ; neque obſtat præuiſio illi per ſciētiam beatam & infuſam, quia ea nō obſtante voluit Deus permittere humanitati Chriſti agere, & pati ea, quæ erant propria carnis & voluntatis, vt natura eſt; quemadmodū enim ſtat aliquid, nimirum id quod ex metu graui facimus, eſſe ſimpliciter voluntariū, & ſecundumquid inuoluntarium reſpectu eiuſdem voluntatis deliberatæ: ita à fortiori reſpectu diuerſarū voluntatum; ſcilicet deliberatæ, & indeliberatæ ſtat bene eandem mortem fuiſſe Chriſto voluntariam ſimpliciter, & inuoluntariam ſecūdum quid.

Sed ex hac concluſione ſic intellecta, & explicata inſurgit difficultas hæc; nimirum quomodo Iudæi potuerunt peccare occidendo Chriſtum, ſiquidem nullus peccat conformando ſe voluntati diuinæ, & humanæ Chriſti quæ etiā fuit impeccabilis, ſed Iudæi occidendo Chriſtum cōformabant ſe vtrique voluntati: ergo nō peccabant.

Huic difficultati reſpondent Medina, & Cabrera negādo minor, quia diuina voluntas, & humanitas Chriſti volebant quidem paſsionem ex parte Chriſti recipientis non vero actionem tenentem ſe ex parte occidentium, quam tamen ipſi volebant in quo non conformabantur diuinæ volūtati: & in hoc ſenſu dixit Petrus Actor. 4. de gentibus, & populis conuenientibus ad occiſionem Chriſti quod conuenerunt *facere quæ manus tua, & conſilium tuum decreuerunt fieri*: quia ſcilicet paſsio, & non actio fuit à Deo decreta & volita. Sed inſurges, qui vult effectum, neceſſario & vult illius cauſam ex qua neceſſario ſequitur: cauſa autem neceſſario illa ſuæ paſsionis Chriſti fuit actio Iudæorum: ergo diuina, & humana voluntas Chriſti volens paſsionem debuit, & velle actionem. Reſpondetur veram eſſe maiorem quando ille

qui vult effectum, vult illum vt faciendũ à ſeipſo: ſecus autem quando vult effectum, non vt faciendum à ſeipſo, ſed vt recipiendum ab alio agente: tunc enim ſatis eſt vt velit effectum, quod permittat eius cauſam. Et ſic contingit in præſentiarum,

Chriſtus ſuſcepit neceſſitatem ſubeundi mortẽ, & alios defectus.

41 AD tertium dubium reſpondemus Chriſtum ſuſcepiſſe neceſſitatem moriendi, ſicut & ſubeundi cœteros defectus hucuſque aſsignatos. Hanc concluſionem communiter docent Scholaſtici cum Magiſt. 3. diſtinct. 16. & cum D. Thom. hoc art. 2. vt Alexand. 3. part. quæſtion. 17. membro 1. art. 2. Bonauentura in dict. diſtinct. 16. art. 1. quæſt. 3. Richardus quæſt. 2. Durand. quæſt. 1. Scot. quæſtion. 2, Gabr. quæſt. vnica artic. 2. Paludan. & Almaynus quæſt. vnica, Medina & Cabrera in expoſitione huius articuli 2. Vazquius diſputatione 60. capit. 1. & Suarius diſputatione 32. ſect. 2.

Et probatur, tum quia eſt expræſſa ſententia Auguſtini lib. 2. de peccatorũ meritis cap. 21. aſſerentis Chriſtum, & ſi non fuiſſet à Iudæis occiſus, ad mortem ſeneſcendo fore peruẽturum. Tum etiam, quia licet fuerit voluntarius reſpectu mortis ab inimicis inferendæ, vtpote quã poterat euitare, & vltrò ſe illi obtulerit iuxta illud Ioann. 14. *Surgite eamus hinc*, & cap. 19. *Poteſtatem non haberes in me, niſi tibi datum eſſet deſuper*, & Eſai. 53. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*: tamen reſpectu mortis prouenientis à cauſa naturali habuit in ſeipſo cauſam neceſſariam, hoc eſt neceſſario illatiuam talis mortis, etiam ſi nullus tiranus eam inferret: eo quod eius corpus fuit paſsibile & compoſitum ex quator elementis, hoc eſt ex quatuor qualitatibus primis, & cõtrarijs ad quandam temperiem redactis; & alias indigens alimento, ex cuius repaſsione, & actione continua oportet tandem calorem naturalem debilitari, & ad finem peruenire.

Dices: cauſam ex qua mors in hominibus efficitur neceſſaria; eſſe aut peccatum aut aliquem morbum corporalem; peccatum quidem, iuxta illud Roman. 5. *per peccatum introiuit mors in mundũ*, & iterum, *corpus propter peccatum eſt mortuum*, ideſt moriendi neceſsitati ſubiectum: morbum vero quia ſententia probabilis eſt pluriũ medicorum non poſſe hominem ſenio cõfici, aut naturaliter mori, niſi præoccupeatur ab aliqua qualitate morboſa, aut ægritudine: ſed Chriſtus neque peccatum habuit, neque morbum aliquem contraxit, vt dicemus dub. ſequenti: ergo.

Reſpondetur huic obiectioni quantum ad primam partem, quod prima & potiſsima cauſa moriendi per ſe non eſt peccatum, ſed tantum eſt ipſa conditio naturalis corporis mortalis, & paſsibilis: ſed quia hanc impediebat iuſtitia originalis, quam remouit peccatum, ideò dicitur peccatum cauſa neceſsitatis moriendi, quia fuit cauſa remouens prohibens: vel quia eſt conditio veluti proxima contrahendi huiuſmodi neceſsitatem: vnde abſque peccato manſit in Chriſto propter ipſam paſsibilis corporis conditionem cauſa prima & potiſsima neceſsitatis moriendi. Poteſt etiam dici in illo fuiſſe neceſsitatem moriendi ortam ex peccato non quidem proprio, ſed Adami, cuius pœnalitates in ſe ſuſcepit Chriſtus, iuxta illud Eſaiæ 53. *Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.*

Quoad ſecundam verò partem reſpondetur, aut ſententiam illam Medicorum non eſſe ſubſtinendam, niſi vt in pluribus & regulariter, ac proinde non opus eſſe illam in Chriſto verificare, ſi relictus ſuæ naturæ ad ſenectutem peruẽniret: aut illa admiſſa, tunc Chriſtus præuia aliqua ægritudine ad mortem diſponeretur: ſed hic caſus cum ſit de potentia abſoluta non obſtat ſentẽtiæ cõmuni D. Thom. ac Theologorum aſſerentium Chriſtum nullo morbo laboraſſe; quæ procedit ſecundum ordinariam legem, & ex ſuppoſitione diuinæ prouidentiæ circa Chriſtum. In aſsignanda autem cauſa naturali huius neceſsitatis moriendi, tam in Chriſto, quam in cæteris hominibus præter peccatum, & ſecluſa violentia Tyranni, varia refert Vazquius capite 2, diſputationis citatæ placita Medicorũ, & Theologorum.

Alij enim exiſtimant cum Galeno tantum eſſe cauſam externam, vt cœli, vel aëris intemperiem. Alij verò cum Durando, & Scoto, & Bonauentura dicunt huiuſmodi cauſam eſſe nedum extrinſecam, ſed etiam intrinſecam in ipſa compoſitione corporis ex contrarijs qualitatibus elementorum; aliam cauſam naturalem ſenectutis & mortis aſsignant Ariſtoteles

in opuſcul. de longitudine, & breuitate vitæ, & Auicena fen. 1. capitis primi de temperamentis in ipſo calore naturali perpetuo abſumente, & exſiccante humidum noſtrum radicale, ex quo efficitur, vt ſeipſum paulatim deſtruat, dum materiam humidi radicalis in qua eſt, & conſeruatur paulatim abſumit: ſicuti ignis dum magis abſumit materiam lignorum in qua conſeruatur: magis ſeipſum deſtruit.

42 Sed his ſententijs reiectis: prima quidem, quia ei poſſet Chriſtus, vtpote optimi temperamenti reſiſtere, & eam per ſuam ſcientiam facile poſſet vitare. Et quia alias etiam in Beatis maneret interna cauſa mortis ſiquidem manet in illis materia cum priuatione contrariæ formæ, & ſolũ diceretur corpus beati immortale quia à nullo exteriori contrario pati poteſt: quod tamen non eſt dicendum: ergo.

Secunda verò, quia in mixto vna qualitas non poteſt agere in aliam, verbi gratia calor in frigus non poteſt agere, niſi creſceret, ita vt ipſius intenſione frigus remitteretur: ſed calor in eadem parte mixti, verbi gratia vbi eſt cum frigore, neque poteſt creſcere virtute propria, & à ſeipſo vt conſtat; neque virtute ſubſtantiæ, in qua eſt, vtpote quæ ſuapte natura poſtulat quatuor qualitates in certo temperamento, & diſpoſitione: ergo talis exceſſus ex alio capite debet prouenire.

Tertia denique, quia calor naturalis alienum non fouetur, neque ita conſeruatur ſuapte natura ex corruptione materiæ ſicut calor ignis: ſed potius datur animali, vt inſtrumentum vnicum naturæ, & eius operationum vitalium, idem autem nequit eſſe principium vitæ, & mortis: ergo. Verior ſententia eſt Diu. Thom. in 2. diſtinction. 19, quæſtion. 1. artic. 4. & 1. part. quæſtion. 97; articul. 4. Caietani ibidem, Scoti 3. diſtinction. 16. quæſtion. 2. Paludan. quæſtion. 1. Valeſij lib. 6. controuerſiarum cap. 1. & aliorum aſſerẽtium cauſam ſenectutis, & mortis eſſe indigentiam cibi conuertendi in ſubſtantiam aliti ex vi caloris naturalis, qui ſemper reſtituit ſubſtantiam minus humidam loco ſubſtantię deſtructæ, eo quod agendo in cibum, & potum ſemper repatitur, & continuo debilitatur: vnde in omnibus viuentibus certus, ac determinatus eſt terminus, ac periodus vitæ, quemadmodũ contingere videmus in plantis, & herbis, ac ſegetibus quæ intra annum in quo naſcuntur, & creſcunt, etiam intereunt eum ad maturitatem fructus, & ſeminis perueniũt, vltra quam nec viuere poſſunt: quod non prouenit ab inclementia cœli, aut aëris, aut à ſiccitate terræ, nam in eodem tempore, & ſub eadem cœli regione, & terræ diſpoſitione contingit vnam herbam quæ prius nata eſt ad maturitatem peruenire, & exſiccari, ſeu mori: aliam verò diuerſæ vel etiã eiuſdem ſpeciei viridem permanere, & flores producere: ea ſolum de cauſa, quod poſterius, quam altera nata ſit: ſignum igitur eſt cauſam internam ſenectutis & mortis pariter in animalibus eſſe indigẽtiam cibi, & alimenti quæ agendo in ipſum animal eius ſubſtantiam debilitant paulatim, ſicut cum vinum infunditur aquæ licet eam in ſe conuertat, tamen virtus ipſius vini remiſsior manet, quam antea erat; ita vt ſi paulatim adderetur aqua tandem ſubſtantia vini corrumperetur.

43 AD quartum dubium reſpõdetur diſcurrendo ſigillatim per ſingula genera defectuum, quæ humanitas Chriſti ſecundum corpus ſuſcipere potuit. Igitur dico primo, Chriſti corpus vere habuit defectus contrarios diſpoſitioni corporis impaſsibilis, & glorioſi. Hæc eſt certa ſecundum fidem, quia fides docet habuiſſe Chriſtum corpus vere paſsibile, ac mortale, ac proinde carens dotibus, ſeu perfectionibus gloriæ.

Dico ſecundo. Chriſtum non aſſumpſiſſe defectus diſpoſitioni naturali corpori humano paſsibili debitę in tali ſtatu contrarios; vnde aſſumpſit optimum tẽperamentum, optimamque complexionẽ humani corporis, atque perfectam pulchritudinem. Hæc concluſio eſt ita certa, vt oppoſitum aliqua temeritate non careat; ſtatuiturque aduerſus Michaelem de Medina qui lib. 2. de recta fide in Deum cap. 7. ait Chriſtum habuiſſe corporis deformitatem iuxta illud Eſaiæ 53. non erat ei ſpecies neque decor, & iterũ, & quaſi abſconditus vultus eius: idemque videtur aſſeruiſſe Tertullianus lib. contra Iudæos, cap. 14. & lib. 3. contra Marcion. & lib. de carne Chriſti ductus ea ratione, quod ſi habuiſſet figuram glorioſi corporis, aut nimiæ claritatis, aut pulchritudinis non

fuiſſe

fuiſſent Iudæi auſi eius faciem ſputaminibus contaminare, aut eius carnem contumelijs afficere.

Sed noſtra concluſio eſt communiter recepta à Patribus, qui illud Pſalm. 44. *Speciosus forma præ filijs hominum*, explicant de pulchritudine corporis, vt Auguſtin. & Caſsiodorus, & Bernard. ſermon. 1. de omnibus ſanctis & Chryſoſtom, homil. 18. in Matth. dicens, quod ſicut in ſignis perficiendis mirabilis fuit, ita viſu gratioſiſsimus fuiſſe dicitur, & Hyeronym. tomo 3. epiſt. 160. ad Principian. Naziãzen. orat. 2. paſchæ, Clemens Alexand. lib. 3. pędagogi cap. 1. Diu. Thom. infra quęſt. 53, art. 1. ad 3. Abulenſis paradoxa 1. Suar. diſputat. 32. ſect. 2. Vaſqu. & alij Iuniores in expoſitione huius art. 4.

Et ſuadetur primo, quia huiuſmodi perfectiones cum pertineant ad debitã compoſitionẽ humani corporis, per ſe decebant, & conueniebant corpori perfecto quale debuit eſſe Chriſti corpus, vtpote ab Spiritu ſanto immediate formatum, & perfectiſsimæ animę, proportionatum, & adaptatum.

Secundo, quia vt arguit D. Thomas in hoc art. 4. Chriſtus tantum aſſumpſit illos defectus qui ex peccato originali in omnibus indiuiduis humanæ naturæ proueniunt & aliàs ad meritum, & ſatisfactionem conducunt: Iſti autem defectus; nimirum imperfecta complexio deformitas, &c. neque proueniunt in omnibus hominibus ex communi peccato naturæ, neque conducunt ad meritum, & ſatisfactionem: ergo neque à Chriſto debuerunt aſſumi.

Tertio, quia pulchritudo teſte Dionyſio cap. 4. de diuinis nominibus, Auguſtin. lib. 22. de ciuitate cap. 29. & D. Thoma 1. part. quęſt. 39. art. 8. & 2. 2. quæſt. 145. art. 2. & 2. ad Corinth. 11. lect. 2. cõſiſtit in tribus: nimirùm in omnium membrorum integritate, eorumdem debita proportione, ac debito colore natiuo qui oritur ex optimo temperamento, & complexione, hæc autem tria conſtat Chriſtũ habuiſſe ob rationes adductas, & colligitur ex forma eius, quam deſcribit Nicephor. libr. 1. hiſtoriæ cap, vltim. & Lentulus in epiſtola ad Senatum Romanum miſſa, quam refert Caſaneus in cathalogo gloriæ Mundi 4. p. conſideratione 6. Neque oppoſitum conuincitur ex adducto teſtimonio Eſaiæ, quia in illo ſolum ſignificatur ſecundum Cyrillum pulchritudinem diuinitatis ſub corpore mortali occultari, vel ſecundum Vigilium lib. 2. contra Eutychem, & Tertullianum vbiſupra, quod pulchritudo corporis in paſsione. & morte propter tormenta fuit quaſi deformata, & abolita ad modicum tempus, neque Tertullianus in locis adductis maxime in vltimo aliud intendit quam contra relatos ſectarios aſſerentes Chriſtum aſſumpſiſſe corpus cœleſte, & impaſsibile, aſſerere illud non habuiſſe cœleſtem claritatẽ quod optima ratione conuincit: nimirùm quia ſi illam haberet cohiberentur Iudæi ab eius contumelijs.

Nullum morbum aut ægritudinem de facto ſuſcepit Chriſtus.

Dico tertio. Chriſtus non ſuſcepit de facto aliquem morbum, vel infirmitatem. Hæc concluſio ſtatuitur in eo gradu certitudinis vt oppoſitum ſit error, temeritaſque blaſphemia non carens, aduerſus Helipandum qui in ſua confeſsione Chriſtum leproſum fuiſſe affirmauit, & aduerſus alios aſſerentes illum habuiſſe morbum caducum, in aliaſque ægritudines incidiſſe.

Sed noſtra concluſio eſt communiter recepta à Patribus, & à Theologis cum Diu. Thom. hoc artic. 4. eamque tenent Athanaſ. lib, de incarnatione Verbi, gloſſa, Rabannus, Lyra, & Dionyſ. Cartuſian. ſuper illud Matth. 8. *Vt adimpleretur quod dictum eſt per Eſaiam*: Auguſtin, tractat. 91. in Ioann. Hyeronymus Eſai. 53. & Abulenſ. paradoxa 3. quęſt. 21. Richardo in 3. diſtinct. 15. art. 1. quæſt. 3. Durãdus quæſt. 1. Caietanus tomo 2. opuſculorum tractatu 13. qui eſt de ſpaſmo Beatæ Virginis, Medina, Cabrera, Vazquius in expoſitione art. 4. & Suarius diſputatione citata ſect. 2.

Suaderturque primo ex Concilio Francofordienſi in epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ ſpecialiter determinante contra Helipandum Chriſtum morbo lepræ non laboraſſe eademque ratio videtur eſſe de alijs ægritudinibus ergo.

Secundo, quia ægritudo iuxta cõmunem Medicorum ſententiam, non eſt quæuis primarum qualitatum intemperies, ſed illa quæ prouenit ex humorum aliqua corruptione, vel putrefactione: hanc autem Chriſtus non habuit: vtpote optimo temperamento, & complexione gaudens: ergo.

Tertio, ratione Athanaſij vbiſupra, quia non decebat illum pati infirmita-

tem

tem, qui homines ab infirmitatibus curare veniebat.

Vltimo probatur ratione D. Thom. quia iſti defectus nec ſunt communes omnibus hominibus ex peccato naturę prouenientes: ſed ex quibuſdam cauſis particularibus, nimirum vel ex defectu virtutis formatiuæ, vel ex culpa ipſius patientis, quarum neutra in Chriſto locum habere potuit. Nō prima, quia eius corpus immediate fuit formatum à virtute Spiritus Sancti: neque ſecunda, quia propter ſuę plenitudinem gratię, & ſcientiæ, neque aliquem exceſſum culpabilem facere potuit in cibo, aut potu: & omnem exceſſum inculpabilem hoc eſt ab extriuſeca æris, & cœli intemperie prouenientē facile vitare poterat, & alias iſti defectus ad meritum, & ſatisfactionem non conducebant.

Vtrum autem ſuſceperit Chriſtus neceſsitatem patiendi aliquem morbum, vel infirmitatem? Reſpondent aliqui Theologi negatiuè, quia exiſtimant Chriſtum, neque morbo aliquo de facto laboraſſe, neque neceſsitati incidendi in vllum morbum fuiſſe ſubiectum, ita vt ſi non fuiſſet violenter occiſus, nullo morbo, ſed ſola ſenectute confectus obiiſſet, cui ſententiæ fauere videtur, D. Thom. in hoc art. 4. & eandem vt probabilem ſequuntur Suarius diſput. citata, ſect. 2. & Cabrera in expoſitione artic. 4. eo quod exiſtimant non eſſe vniuerſaliter veram ſententiam illam Valleſij lib. 6. controuerſ. cap. 1. & aliorum Medicorum aſſerentium non poſſe accidere naturaliter mortem naturalem ex ſola ſenectute, ſine aliqua præuia febri, aut humorum corruptione, ſiuè putrefactione, ſed potius poſſe aliquando licet rarò & præter communem, & regularem vſum vitæ humanæ contingere mortem naturalem, abſque præuia ægritudine per ſolam remiſsionem caloris naturalis: niſi ipſa ſenectus, & caloris naturalis remiſsio appelletur large loquendo morbus, ſiue ęgritudo.

Vazquius vero, in expoſitione ar. 4. ſecutus præfatam ſententiam Medicorum affirmat Chriſtum, ſubiectum fuiſſe neceſſitati patiendi aliquem morbum, eo quod exiſtimat non poſſe contingere naturalem mortem, ſine præuia ægritudine; ac proinde, ſi Chriſtus non fuiſſet violenter occiſus, neceſſario incideret in aliquem morbum, vt moreretur, ſicut etiam erat ſubiectus neceſsitati moriendi: nequè hoc eſt contra D. Thom. qui in eo articulo ſolum excludit à Chriſto ſecundum ordinariā legem eos morbos, qui ex defectu virtutis formatiuæ, vel ex aliquo culpabili exceſſu proueniunt, quæ ſolutiones probabiliter, & iuxta mentem D. Thom. ſuſtineri poſſunt. Sed obijcies illud, Eſaiæ 53. *Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit*: quo denotatur Chriſtum de facto humanis languoribus fuiſſe ſubiectum. Huic teſtimonio reſpondent Foreirus in ſuis commentarijs ad Eſaiam, Cabrera in expoſitione dicti art. 4. & alij communiter dupliciter.

Primo, quod Verbum, *tullit* idem ſignificat, atquè abſtulit, ita vt ſenſus ſit, quod Chriſtus ab hominibus abſtulit morbos, & languores, quos tamen in ſe non ſuſcepit, iuxta illud, Iob. 8. *Quàre non aufers iniquitatem meam*: & in eodem ſenſu allegatur à Matth. cap. 8 vbi dum refert ſanitatem quam Chriſtus Dominus contulit ſoerui Simonis, & alijs infirmis ſubdit, *vt adimpleretur, quod dictum eſt per Eſaiam Prophetam dicentem: ipſe infirmitates noſtras accepit, & ægrotationes portauit, &c.*

Secundò, quod propterea dicitur tuliſſe languores noſtros, quia illos tullit quò ad effectum, hoc eſt eorum pœnas in quo ſenſu ſubditur ab Eſaia in fine eiuſdem capitis. *& ipſe peccata multorum tulit*: & 1. Petri 2. *Qui peccatà noſtra ipſe pertulit ſuper lignum.* Sed primam ſolutionem impugnat Vazquius in dicto art. 4. quaſi ſine fundamento à Foreiro adductam; eo quod illa duo verba, *tullit*, atquè *portauit* à Propheta in eodem ſenſu accipiuntur, ſed per verbum *portauit*, ſignificat dolores fuiſſe à Chriſto in ſe ipſo ſuſceptos: ergo & per Verbum *tullit*: eo vel maximè, quod Verbum *tullit* idem eſt in Propheta, atquè *pertulit*; quo vtitur in fine capitis, & ad quod alluſit Petrus in dicto loco ſuæ Canonicæ: ſed quia expoſitio Foreiri conſona eſt contextui, & in eo ſenſu adductus fuiſſe videtur ille locus à D. Mattheo vbi ſupra, non eſt contemnenda, nec ſine fundamento dicta, ſed potius ſine fundamento à præfato Authore impugnata: cuius diſcurſus nihil conuincit, quia iuxta diuerſitatem materiæ vtitur Propheta prædictis verbis, quandoque in vno, & quandoquè in alio ſenſu.

Deindè

Digitized by Google

45 Deinde dicendum eſt, Chriſtum ſuſcepiſſe motum, & circumſcriptionem localẽ, quæ veritas eſt de fide contra Sectarios Vbiquiſtas. Et probatur primo nam de tempore quo fuit viator, dicitur Ioannis 6. *Cum vidiſſet turba, quod Ieſus nõ eſſet ibi*, & cap. 11. *Vt ſciatis, quia non eram ibi*: de tempore vero poſt mortem, & reſurrectionem, dicitur Ioannis 16. *Relinquo mundum, & vado ad patrem*: Marci 16. *Surrexit non eſt hic*, & Actorum primo: *Aſſumptus eſt in cœlum*, & infra: *Sic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.*

Secundo probatur ex Concilijs, & Patribus; nam in ſexta Synodo, actione 11. expreſſe dicitur aſſumpſiſſe corporis circumſcriptionem, & in ſeptima Synodo actione 6. tomo 6. vbi damnatur nonus canon Conciliabuli Conſtantinopolitani, & ex profeſſo varijs Scripturæ teſtimonijs probatur Chriſtum ante & poſt reſurrectionem fuiſſe loco ſecundum humanitatem circumſcriptum, & inferius actione 7. poſt fidei definitionem anathemate feriuntur id negantes. Et in Lateranenſi Concilio ſub Martino Primo, canone 4. *Si quis non confitetur Chriſtum circumſcriptum corpore, & incircumſcriptum Deitate*, &c. *condemnatus*, & ratione probatur, quia hęc proprietas eſſendi vbiquè non fuit communicata humanitati, vt falſo contendebant prædicti Sectarij, ſcilicet Iacobus Faber Stapulenſis, Lutherus, Brentius, & Chenitius relati à Prateolo in elencho hereſum, à Lindano, dialogo 2. & à Belarmino lib. 3. de incarnatione capit. 1. nequè enim fuit illi communicata voluntariè; quia de tali voluntate non conſtat in ſacra Scriptura, imò repugnat ipſi miſterio incarnationis, in quo manſerunt naturæ cũ ſuis proprietatibus inconfuſæ. Si autem immenſitas Deitatis per ſe ipſam communicaretur humanitati, & formaliter illam faceret vbiquè exiſtentem, proculdubio eſſet confuſio naturarum: & vnio facta fuiſſet in natura: nequè eſt vbiquè, aut immenſa ex vi vnionis ob eamdem rationem; quia talis vnio facta fuit in perſona, & non in natura: alioquin pariter humanitas eſſet æterna, & ſapiens ſapientia increata: quod eſt incidere in errorem Euchetis: ergo.

QVAES-

Digitized by Google

QVAESTIO XV.

De defectibus animæ à Chriſto aſſumptis, in decem articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm in Chriſto fuerit peccatum?

Inf q.32. a 7. & 3. d.3.q.1.c. fi.& d.12. q.1.ca. & quol. 4. q. 11.a.1.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod in Chriſto fuerit peccatum. Dicitur enim in Pſalm. 21. Deus Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti? longe à ſalute mea verba delictorum meorum Sed hæc verba dicuntur ex perſona ipſius Chriſti: vt patet ex hoc, quod ipſe ea in cruce protulit. Ergo videtur, quod in Chriſto fuerint delicta.

2 Præterea, Roman. 5 dicit Apoſtolus, quod in Adam omnes peccauerunt: quia ſcilicet in eo originaliter fuerunt. Sed Chriſtus etiam originaliter fuit in Adam. Ergo in eo peccauit.

3 Præterea, Apoſtolus dicit Hebr. 2. quod in eo, in quo Chriſtus paſſus eſt, & tentatus, potens eſt, & his qui tentãtur auxiliari. Sed maxime indigebamus auxilio eius cõtra peccatum. Ergo videtur quod in eo fuerit peccatum.

4 Præterea, Secundæ ad Cor. 5. dicitur, quod Deus eum, qui non nouerat peccatum, ſcilicet Chriſtum, pro nobis peccatum fecit. Sed illud vere eſt, quod à Deo factum eſt. Ergo in Chriſto vere fuit peccatum.

5 Præterea, Sicut Auguſtin. * *c. 11. tom. 3.* dicit in lib. de Agone Chriſtiano; in homine Chriſto ſe nobis ad exemplum vitæ præbuit filius Dei. Sed homo indiget exemplo non ſolum ad recte viuendum, ſed etiam ad hoc, quod pœniteat de peccatis. Ergo videtur, quod in Chriſto debuerit eſſe peccatum, vt de peccatis pœnitendo, pœnitentiæ nobis daret exemplum.

Sed contra eſt, quod ipſe dicit Ioann. 8. Quis ex vobis arguet me de peccato?

Reſpondeo dicendum; quod ſicut ſupra dictum eſt, * *ar. 1. & 2. huius q.* Chriſtus ſuſcepit defectus noſtros; vt pro nobis ſatisfaceret, & vt veritatem humanæ naturæ comprobaret: & vt nobis fieret exemplum virtutis. Secundum quæ tria manifeſtum eſt, quod defectum peccati aſſumere non debuit. Primo quidem, quia peccatum nihil opera-

tur

tur ad ſatisfactionem: quinimmo virtutem ſatisfactionis impedit: quia vt dicitur Eccleſ. 24 Dona iniquorum non probat Altiſsimus. Similiter etiam ex peccato non demonſtratur veritas humanæ naturæ: quia peccatum non pertinet ad humanam naturam, cuius Deus eſt cauſa: ſed magis eſt contra naturam, per ſeminationem diaboli introductum, vt Damaſcen. dicit. *li. 2. c. 30. & lib. 3. c. 20.* * Tertio, quia peccando exemplum virtutis præbere non potuit: cum peccatum contrarietur virtuti. Et ideô Chriſtus nullo modo aſſumpſit defectum peccati, nec originalis, nec actualis: ſecundum illud quod dicitur 1. Pet. 2. Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius.

Ad primum ergo dicendum, quod ſicut Damaſcen. dicit in 3. lib. * *lib. 3. ort. fid. c. 25.* dupliciter dicitur aliquid de Chriſto. Vno modo ſecundum proprietatem naturalem, & hypoſtaticam: ſicut dicitur quod Deus factus eſt homo, & quod paſſus eſt pro nobis. Alio modo ſecundum proprietatem perſonalem, & habitudinalem: prout ſcilicet aliqua dicuntur de ipſo in perſona noſtra, quæ ſibi ſecundum ſe nullo modo conueniunt. Vnde & inter ſeptem regulas Ticonij, quas Auguſtin. ponit * *li. 3. c. 31. tom. 3.* in 3. de Doct. Chriſtiana, prima ponitur de Domino, & eius corpore: cum ſcilicet Chriſti, & Eccleſiæ vna perſona æſtimatur. Et ſecundum hoc Chriſtus ex perſona membrorum ſuorum loquens dicit, Verba delictorum meorum: non quod in ipſo capite delicta fuerint.

li. 10. c. 19 & 20. to. 3 Ad ſecundum dicendum, quod ſicut dicit Auguſtin. 10. ſuper Geneſ. ad litteram, non eodem omni modo Chriſtus fuit in Adam, & in alijs Patribus, quo nos ibi fuimus. Nos enim fuimus in Adam ſecundum ſeminalem rationem, & ſecundum corpulentam ſubſtantiam: quia ſcilicet (vt ipſe ibidem dicit) cum ſit in ſemine, & viſibilis corpulentia, & inuiſibilis ratio, vtrumque currit ex Adam. Sed Chriſtus viſibilem carnis ſubſtantiam de carne Virginis ſumpſit: ratio vero conceptionis eius non â ſemine virili, ſed longe aliter, ac deſuper venit. Vnde non fuit in Adam ſecundum ſeminalem rationem, ſed ſolum ſecundum corpulentam ſubſtantiam. Et ideo Chriſtus non accepit actiue ab Adam humanam naturam, ſed ſolum materialiter: actiue vero a Spiritu ſancto. Sicut & ipſe Adam materialiter ſumpſit corpus ex limo terræ, actiue a Deo. Et propter hoc Chriſtus non peccauit in Adam, in quo fuit ſolum ſecundum materiam.

Ad tertium dicendum, quod Chriſtus ex ſua tentatione, & paſsione nobis auxiliatus eſt, pro nobis ſatisfaciendo: ſed peccatum non cooperatur ad ſatisfactionem, ſed magis ipſam impedit, vt dictum eſt. * *In eo art. & q. 4. a. 6. ad 2.* Et ideo non opportuit, quod peccatum in ſe haberet, ſed quod omnino eſſet purus â peccato: alioquin pœna, quam ſuſtinuit, fuiſſet ſibi debita pro proprio peccato.

Ad quartum dicendum, quod Deus fecit Chriſtum peccatum: non quidem vt in ſe peccatum haberet, ſed quia fecit eum hoſtiam pro peccato. Sicut & Oſeæ 4. dicitur. Peccata populi mei comedent, ſcilicet Sacerdotes, qui ſecundum legem comedebant hoſtias pro peccato oblatas. Et ſecundum hunc modum dicitur

Iſai.

Digitized by Google

Iſai. 53. quod Dominus poſuit in eo iniquitatem omnium: quia ſcilicet eum tradidit, vt eſſet hoſtia pro peccatis omnium hominum: vel fecit eum peccatum, ideſt, habentem ſimilitudinem carnis peccati, vt dicitur Roman. 8. & hoc propter corpus paſsibile, & mortale, quod aſſumpſit.

Ad quintum dicendum, quod pœnitens laudabile exemplum dare poteſt, non ex eo quod peccauit, ſed in hoc, quod voluntariê pœnam ſuſtinet pro peccato. Vnde Chriſtus dedit maximum exemplum pœnitentibus: dum non pro peccato proprio, ſed pro peccatis aliorum voluit pœnam ſubire.

CONCLVSIO eſt negatiua, quæ probatur à Diu. Thom. Tum ex illo Ioannis 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato*: & primæ Petri ſecundo: *Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius.*

Tum etiam, quia Chriſtus aſſumpſit humanos defectus ad ſatisfaciendum pro nobis, ad veritatem naturæ comprobandam, & ad virtutis exemplum: ſed defectus peccati ad nullum iſtorum valet: non ad primum, quia Deus dona iniquorum non probat Eccleſiaſtici 34. Neque ad ſecundum, quia peccatum non demonſtrat veritatem naturæ, cum ſit magis contra naturam. Neque ad tertium, quia eſt contrarium virtuti: ergo.

ART. II.

Vtrùm in Chriſto fuerit fomes peccati?

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod in Chriſto fuerit fomes peccati. Ab eodem enim principio deriuatur fomes pecati, & paſsibilitas corporis, ſiue mortalitas: ſcilicet ex ſubtractione originalis iuſtitiæ, per quā ſimul inferiores vires animæ ſubdebantur rationi, & corpus animæ. Sed in Chriſto fuit paſsibilitas corporis, & mortalitas. Ergo etiam in eo fuit fomes peccati.

Inf. q. 27. a. 3. c & 1. & 3. d. 17. a. 1. q. 2. ad 4. & opuſ. 3. ca. 231.

2 Præterea. Sicut Damaſcen. dicit * in 3. lib Beneplacito diuinæ voluntatis permittebantur caro Chriſti pati, & operari quæ propria. Sed proprium eſt carni, vt concupiſcat delectabilia ſibi. Cum igitur nihil aliud ſit fomes, quam concupiſcentia (vt dicitur in Gloſ. * Roman 7.) videtur, quod in Chriſto fuerit fomes peccati.

li. 3. orth. fid. c. 15. à med. & c. 14.

** Gl. ord. ſup. illud Rom. 7. ve obediatis.*

3 Preterea. Ratione fomitis peccati, caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, vt dicitur Galat. 3, Sed tanto ſpiritus oſtenditur fortior, & magis dignus corona, quanto magis ſuperat hoſtem, ſcilicet concupiſcentiā carnis: ſecundum illud 2. ad Tim. 3. Nō coronabitur, niſi qui legitime certauerit. Chriſtus autem habuit fortiſsimum, & victorioſiſsimum ſpiritum & maxime dignum corona, ſecundū illud Apoc. 6. Data eſt ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret. Videtur ergo quod in Chriſto maxime debuerit eſſe fomes peccati.

Sed contra eſt, quod dicitur Mat-

th. 1. Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. Sed Spiritus ſanctus excludit peccatum, & inclinationem peccati, quæ importatur nomine fomitis. Ergo in Chriſto non fuit fomes peccati.

q. 7 ar. 2. & 9. Reſpondeo dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, * Chriſtus perfectiſsime habuit gratiam, & omnes virtutes. Virtus autem moralis, quæ eſt * in rationali parte animæ, eam facit eſſe rationi ſubiectam: & tanto magis, quanto perfectior fuerit virtus: ſicut temperantia concupiſcibilem, & fortitudo, & manſuetudo iraſcibilem: vt in ſecunda parte dictum eſt. * Ad rationem autem fomitis pertinet inclinatio ſenſualis appetitus in id, quod eſt contra rationem. Sic igitur patet, quod quanto virtus in aliquo fuerit magis perfecta, tanto magis in eo debilitatur vis fomitis. Cum igitur in Chriſto fuerit virtus ſecundum perfectiſsimum gradum, conſequens eſt, quod in eo fomes peccati non fuerit: cum etiam iſte defectus non ſit ordinabilis ad ſatisfaciendum, ſed potius inclinet ad contrarium ſatisfactioni.

*al. irrationali.

1. 2. q. 56 ar. 4.

Ad primum ergo dicendum, quod inferiores vires pertinentes ad ſenſibilem appetitum, naturaliter ſunt obedibiles rationi: non autem vires corporales, vel humorum corporalium, vel etiam ipſius animæ vegetabilis, vt patet in primo Ethicor. * Et ideo perfectio virtutis, quę eſt ſecundum rationem rectam, non excludit paſsibilitatem corporis: excludit autem fomitem peccati: cuius ratio conſiſtit in reſiſtentia ſenſualis appetitus ad rationem.

* cap. vlt. tom. 5.

Ad ſecundum dicendum, quod caro naturaliter cõcupiſcit id quod eſt ſibi delectabile concupiſcentia appetitus ſenſitiui: ſed caro hominis (qui eſt animal rationale) hoc concupiſcit ſecundum modum, & ordinem rationis. Et hoc modo caro Chriſti concupiſcentia appetitus ſenſitiui naturaliter appetebat eſcam, & potum, & ſomnum, & alia quæ ſecundum rectam rationem appetuntur, vt patet per Damaſcen. * in 3. lib. Ex hoc autem nõ ſequitur, quod in Chriſto fuerit fomes peccati, qui importat concupiſcentiam delectabilium, præter ordinem rationis.

li. 3. orth. fid. c. 14.

Ad tertium dicendum, quod fortitudo ſpiritus aliqualis oſtenditur ex hoc, quod reſiſtit concupiſcentiæ carnis ſibi contrariantis: ſed maior fortitudo ſpiritus oſtenditur, ſi per eius virtutem totaliter caro cõprimatur, ne contra ſpiritum concupiſcere poſsit. Et ideo hoc competebat Chriſto: cuius ſpiritus ſummum fortitudinis gradum attigerat. Et licet non ſuſtinuerit impugnationem interiorem ex parte fomitis: ſuſtinuit tamen exteriorem impugnationem ex parte mundi, & diaboli, quos ſuperando victoriæ coronam promeruit.

2 Conclusio eſt negatiua, quam probat D. Thom. Primo ex illo Matth. 1, quod in ea natum eſt de Spiritu ſancto eſt: ergo cum Spiritus ſanctus excludat peccatum, & inclinationẽ peccati in qua fomes conſiſtit: conſequens eſt, quod ſicut in Chriſto non fuit peccatũ, ita neque fuerit fomes peccati. Deinde in corpore articuli eam probat hac duplici ratione Theologica. Prima quidem eſt, quia ad ſtatum plenitudinis gratiæ, & virtutum quem habuit Chriſtus pertinet, vt omnino excludatur inclinatio ad peccatum ab eodẽ ſubiecto, ac proinde fomes qui in huiuſmodi inclinatione conſiſtit: quanto enim virtus moralis eſt fortior, & maior, tanto magis ſubijcit appetitum rationi, ac proinde tanto magis debilitat fomitem, ſeu inclinationem ad peccandum: ergo cum virtutes in Chriſto fuerint in ſummo, ac pleniſsimo gradu, omnino fomitem extinxerunt.

Secūda eſt, quia Chriſtus tantū debuit aſſumere defectus pertinentes ad meritū, & ſatisfactionem: ad quod munus non ſolum non pertinet fomes, verum etiam impedit: ergo non debuit illum aſſumere.

ART. III.

Vtrùm in Chriſto fuerit ignorantia?

3. diſ. 17. a. 1. q. 2. ad 5

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod in Chriſto fuerit ignorātia. Illud enim verê fuit in Chriſto, quod ſibi competit ſecūdum humanam naturam, licet ei non competat ſecundum diuinam, ſicut paſsio, & mors. Sed ignorantia conuenit Chriſto, ſecundum humanam naturam: dicit enim Damaſcen. in 3, lib. * quod ignorantem, & ſeruilem aſſumpſit naturam. Ergo ignorātia verê fuit in Chriſto.

lib. 3. orth. fid. c 21. in princ.

2 Præterea. Aliquis dicitur ignorans per notitiæ defectum. Sed aliqua notitia defuit Chriſto: dicit enim Apoſtol. 2. ad Cor. 5. Eum qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit. Ergo in Chriſto fuit ignorantiá.

3 Præterea. Iſai. 8. dicitur, Antequam ſciat puer vocare patrem ſuū, & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci. * Puer autem ille eſt Chriſtus. Ergo in Chriſto fuit aliquarum rerum ignorantia.

Aug ſer. 4. de Epiph. to. 10.

Sed contra. Ignorantia per ignorantiam non tollitur. Chriſtus autē ad hoc venit, vt ignorantias noſtras auferret: venit enim vt illuminaret his, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent. Ergo in Chriſto ignorantia non fuit.

Reſpondeo dicēdum, quod ſicut in Chriſto fuit plenitudo gratiæ, & virtutis, ita in ipſo fuit plenitudo omnis ſcientiæ, vt ex præmiſsis patet. * Sicut autem in Chriſto plenitudo gratiæ, & virtutis excludit fomitem peccati, ita plenitudo ſcientiæ excludit ignorantiam, quæ ſcientiæ opponitur. Vnde ſicut in Chriſto non fuit fomes peccati, ita non fuit in eo ignorantia.

q. 7. ar. 9. & q. 9. ar. 1.

Ad primum ergo dicēdum, quod natura â Chriſto aſſumpta poteſt dupliciter conſiderari. Vno modo, ſecundum rationem ſuæ ſpeciei: & ſecundum hoc dicit Damaſcen. * eam eſſe ignorantem, & ſeruilem. Vnde ſubdit. Nam ſerua quidem eſt hominis natura eius, qui fecit ipſam, Dei ſcilicet, & non habet futurorum cognitionem. Alio modo poteſt conſiderari ſecundum id, quod habet ex vnione ad hypoſtaſim diuinam, ex qua habet plenitudinem ſcientiæ, & gratiæ: ſecundum illud Ioann. 1. Vidimus eum quaſi vnigenitum â Patre, plenū gratiæ, & veritatis. Et hoc modo natura humana in Chriſto ignorantiam non habuit.

loco cit. in arg.

Ad ſecundū dicendū, quod Chriſtus dicitur non nouiſſe peccatum, quia neſciuit per experientiam, ſciuit autem per ſimplicem notitiam.

Ad tertium dicēdum, quod loquitur ibi Propheta de ſcientia humana Chriſti. Dicit enim, Antequam ſciat puer, ſcilicet ſecūdum humanitatē, vocare patrem ſuum, ſcilicet Ioſeph (qui pater eius fuit putatiuus) & matrem ſuam, ſcilicet Mariam; auferetur fortitudo Damaſci. Quod non eſt ſic intelligendum, quaſi aliquando fuerit homo, & hoc neſciuerit: ſed antequam ſciat, ideſt, antequam fiat homo ſcientiam habens humanam auferetur. Vel ad litteram, fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ, per regem Aſſyriorum. Vel ſpiritualiter,

Digitized by Google

liter, quia nondum natus, populum ſuum ſola inuocatione ſaluauit, vt gloſſ. * Hieron. ibi exponit. Auguſtin. tamen in ſermo. † de Epi. dicit, hoc eſſe completum in adoratione Magorum. Ait enim, Antequam per humanam carnem, humana verba proferret, accepit virtutem Damaſci, ſcilicet diuitias, in quibus Damaſcus præſumebat: in diuitijs autem principatus auro defertur. Spolia vero Samariæ, idem ipſi erant qui eam incolebāt. Samaria namque pro idololatria ponitur: illic enim populus Iſrael auerſus â Domino, ad idola colenda conuerſus eſt. Hæc igitur prima ſpolia puer idololatriæ dominationi detraxit. Et ſecundum hoc intelligitur. Antequam ſciat, ideſt, antequam oſtendat ſe ſcire.

Hier. ibi. to. 5.
† ſerm. 4. qui eſt 32. in ord. ante me. to. 10.

5 CONCLUSIO negans eſt, cuius duplex aſsignatur ratio à Diu. Thom. Prima quidem, quia ignorātia nō tollitur per ignorantiam, ſed Chriſtus venit illuminare eos, qui in tenebris ſedebant, & noſtras tollere ignorantias: ergo non fuit conueniens illum habuiſſe ignorantiam.

Secunda eſt, quia in Chriſto pariter fuit plenitudo ſcientiæ, ſicut & plenitudo gratiæ, atquè virtutis, vt conſtat ex quæſtionibus præcedentibus; ſed plenitudo gratiæ, atquè virtutis excludit in Chriſto fomitem peccati: ergo pariter plenitudo ſcientiæ excludit ignorantiam, vtpote quæ ſcientiæ opponitur.

(**)

ART. IV.

Vtrùm anima Chriſti fuerit paſsibilis?

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod anima Chriſti non fuerit paſsibilis. Nihil enim patitur, niſi â fortiori: quia agens præſtantius eſt patiente, vt patet per Auguſt. 12. ſuper Geneſ. * ad litteram, & per Philoſ. 3. de Anim. † Sed nulla creatura fuit præſtantior, quam anima Chriſti. Ergo anima Chriſti non potuit ab aliqua creatura pati, & ita non fuit paſsibilis: fruſtra enim in ea fuiſſet potentia patiendi, ſi â nullo pati potuiſſet.

*3. diſt. 15. q. 1. a. 2. q. 1. ad 2. & a. 3. q. 2. a. 1. q. 1. & 2. diſt. 33. li & a. 3. c. a. 4. & op. 6. c. 3. c. 5. * c. 16. à med. to. 3. † tex. 17. to. 2.*

2 Præterea. Tullius in lib. * de Tuſcul. quæſtionib. dicit, quod paſſiones animæ ſunt quædam ægritudines. Sed in anima Chriſti non fuit aliqua ægritudo: nam ægritudo animæ ſequitur peccatum: vt patet per illud Pſal. 40. Sana animam meam, quia peccaui tibi. Ergo in Chriſto non fuerunt animæ paſsiones.

** li. 4. in fol. 3. à princ. lib. & ſeq.*

3 Præterea. Paſsiones animæ videntur idem eſſe cum fomite peccati: vnde & Apoſtolus Roman 7. vocat eas paſsiones peccatorum. Sed in Chriſto non fuit fomes peccati, vt ſupra dictum eſt. † Ergo videtur, quod non fuerint in eo animæ paſsiones; & ita anima Chriſti non fuit paſsibilis.

† a. 2. huius quæſt.

Sed contra eſt, quod in Pſalm. 87. dicitur ex perſona Chriſti, Repleta eſt malis anima mea; nō quidem peccatis, ſed humanis malis, ideſt, doloribus, vt Gl. ibi * exponit. Sic ergo anima Chriſti fuit paſsibilis.

** Eſt Gl. ex Aug. in hoc loco Pſal. 87.*

Reſpondeo dicendum, quod ani-

animam in corpore conſtitutam dupliciter contingit pati. Vno modo paſsione corporali: alio modo paſsione animali. Paſsione quidem corporali patitur per corporis læſionem. Cùm enim anima ſit forma corporis, conſequens eſt, quod vnum ſit eſſe animæ, & corporis: & ideò corpore perturbato per aliquam corpoream paſsionem, neceſſe eſt quod anima per accidens perturbetur; ſcilicet quantum ad eſſe, quod habet in corpore. Quia igitur corpus Chriſti fuit paſsibile, & mortale; (vt ſupra habitum q.14.a.2 eſt *) neceſſe fuit, vt etiam eius anima hoc modo paſsibilis eſſet. Paſsione autem animali pati dicitur anima ſecundum operationem, quæ vel eſt propria animæ, vel principalius eſt animæ, quam corporis. Et quamuis etiam ſecundum intelligere, & ſentire dicatur hoc modo anima aliquid pati: tamen p.2.q.22. a.2.& 3. ſicut in ſecunda parte dictum eſt, † propriſsime dicuntur paſsiones animæ affectiones appetitus ſenſitiui, quæ in Chriſto fuerunt, ſicut & cætera, quæ ad naturam hominis pertinent. Vnde Auguſtin. * *c.9.parum ante me.to.5. dicit in 14. de ciuitat. Dei, ipſe Dominus in forma ſerui vitam agere dignatus humanam, adhibuit eas, vbi adhibendas eſſe iudicauit: neque enim in quo verum erat hominis corpus, & verus hominis animus, falſus erat humanus affectus. Sciendum tamen eſt, quod huiuſmodi paſsiones aliter fuerunt in Chriſto, quam in nobis, quantum ad tria. Primo quidem quantum ad obiectum: quia in nobis plerumque huiuſmodi paſsiones feruntur ad illicita: quod in Chriſto non fuit. Secundo quantum ad principium: quia huiuſmodi paſsiones frequenter in nobis præueniunt iudicium rationis: ſed in Chriſto omnes motus ſenſitiui appetitus oriebantur ſecundum diſpoſitionem rationis. Vnde Auguſtin. dicit 14. de ciuitat. Dei, * quod hos motus certæ diſpenſationis gratia, ca.9.parũ ante med. to.5. ita cum voluit Chriſtus ſuſcepit animo humano, ſicut cum voluit, factus eſt homo. Tertio quantum ad effectum: quia in nobis quandoque huiuſmodi motus non ſiſtunt in appetitu ſenſitiuo, ſed trahunt rationem: quod in Chriſto non fuit: quia motus naturaliter humanæ carni conuenientes, ſic ex eius diſpoſitione in appetitu ſenſitiuo manebant, quod ratio ex his nullo modo impediebatur facere quæ conueniebant. Vnde Hieronym. † ca.26.in Matth.ſuper illud Cœpit triſta. to 9. dicit ſuper Matth. quod Dominus noſter, vt veritatem aſſumpti hominis probaret, vere quidem contriſtatus eſt. Sed nè paſsio in animo illius dominaretur, per propaſsionem dicitur, quod cœpit contriſtari: vt paſsio perfecta intelligatur, quando animo, ideſt, rationi dominatur: propaſsio autem, quando eſt inchoata in appetitu ſenſitiuo, ſed vlterius non ſe extendit.

Ad primum ergo dicendum, quod anima Chriſti poterat quidem reſiſtere paſsionibus, vt ei non ſuperuenirent, præſertim virtute diuina: ſed propria voluntate ſe paſsionibus ſubijciebat tam corporalibus, quam animalibus.

Ad ſecundum dicendum, quod Tullius * ibi loquitur ſecundum opinionem Stoicorum, qui non vocabant paſsiones, quoſcunque motus appetitus ſenſitiui, ſed ſolum inordinatos: tales autem paſsiones manifeſtum eſt in Chriſto non fuiſſe. loc.cit.in arg.2.

Ad tertiũ dicẽdũ, quod paſsiones peccatorũ, ſunt motus appetitus ſenſitiui in illicita tẽdẽtes: quod nõ fuit in Chriſto, ſicut nec fomes peccati.

4 CONcluſio affirmans eſt, nimirum animam Chriſti fuiſſe paſsibilē, & paſsione corporali, & paſsione animali, cuius prima pars probatur, quia corpus Chriſti fuit paſsibile, & mortale vt dictum eſt: ac proinde ſubiectũ læſionibus, quas nō potuit non pati, ac ſentire anima Chriſti in quantum forma talis corporis conſtituens vnum eſſe cum illo: ergo.

Deinde ſecunda pars probatur tripliciter. Tum ex illo Pſalm. 87. *Repleta eſt malis anima mea*, ideſt doloribus: Tum etiam, quia paſsiones animales propriè ſumptæ ſunt affectiones appetitus ſenſitiui: quæ proinde pertinent ad veram naturam hominis: ergo eas debuit Chriſtus aſſumere. Tum deniquè ex ſententia Auguſtin. lib. 14. de ciuitate cap. 9. hoc ipſum atteſtantis, huiuſmodi autem affectiones appetitus, concludit D. Thom. fuiſſe in Chriſto diuerſimode quam in nobis quantum ad tria. Primo quidem quantum ad obiectũ, quia noſtræ multoties in ilicita feruntur: Secundo ratione principij, quia in nobis ſolent præuenire iudicium rationis. Tertio, quoad effectum, quia noſtræ non ſiſtunt in appetitu ſenſitiuo, ſed trahunt rationem. Secus autē in Chriſto cujus propterea affectiones appellantur à Diu. Hieronym. cap. 26. in Matth. pro paſsiones.

ART. V.

Vtrùm in Chriſto fuerit dolor ſenſibilis?

Infr. q. 46. a. 6. c. & 3. diſ. 15. q. 2. a. 3. q. 1. & ve. q. 26. a. 8. cor. fi. & ad 8. & op. 3. c. 239.
** in 2 fol. à pri. li.*
† lib. 10. de tri. ante me. lib.

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quod in Chriſto non fuerit verus dolor ſenſibilis. Dicit enim Hilarius in 10. de Trinitat. Cùm pro Chriſto mori ſit vita, quid ipſe in mortis ſacramento doluiſſe exiſtimandus eſt, qui pro ſe morientibus vitam rependit? Et infra † dicit. Vnigenitus Deus hominem verum, non deficiens à ſe Deo ſumpſit: in quem quamuis aut ictus incideret, aut vulnus deſcenderet, aut nodi cōcurrerent, aut ſuſpenſio eleuaret: afferrent quidem hæc impetum paſsionis, non tamen dolorem paſsionis inferrent, vt telum aliquod aquam perforans. Non igitur in Chriſto fuit verus dolor.

2 Præterea. Hoc proprium videtur eſſe carni in peccato conceptæ, quod neceſsitati doloris ſubiaceat. Sed caro Chriſti non eſt cum peccato concepta, ſed ex Spiritu ſancto in vtero virginali. Non ergo ſubiacuit neceſsitati patiendi dolorem.

3 Præterea. Delectatio contemplationis diuinorum diminuit ſenſum doloris: vnde & Martyres in paſsionibus ſuis tolerabilius ſuſtinuerunt ex conſideratione diuini amoris. Sed anima Chriſti ſummê delectabatur in contemplatione Dei, quem per eſſentiam videbat: vt ſupra dictum eſt. * Non ergo poterat ſentire aliquem dolorem. *q. 9. a. 2.*

Sed contra eſt, quod Iſai. 53. dicitur. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit.

Reſpondeo dicendum, quod (ſicut patet ex his, quæ in ſecunda parte * dicta ſunt) ad veritatem doloris ſenſibilis, requiritur læſio corporis, & ſenſus læſionis. Corpus autem Chriſti lædi poterat, quia erat paſsibile, & mortale: vt ſupra † habitum eſt. Nec defuit ei ſenſus læſionis: cum anima Chriſti perfecte haberet omnes potentias naturales. Vnde nulli dubium debet eſſe, quin in Chriſto fuerit verus dolor. *p. 2. q. 35.* *q. 14. a. 1.*

Ad primum ergo dicendum, quod in omnibus illis verbis, & ſimilibus, Hilarius à carne Chriſti non veritatem doloris, ſed neceſsitatem excludere intendit. Vnde poſt præmiſſa verba ſubdit. * Neque enim *loc. cit.*

cum, arg.

tum, cum ſitiuit, aut eſuriuit, aut fleuit, bibiſſe Dominus, aut manducaſſe, aut doluiſſe monſtratus eſt: ſed ad demonſtrandam corporis veritatem, corporis conſuetudo ſuſcepta eſt: ita vt naturæ noſtræ conſuetudine, conſuetudini ſit corporis ſatisfactum: vel cum potum, & cibum accepit, non ſe neceſsitati corporis, ſed conſuetudini tribuit: & non accepit neceſsitatem per comparationem ad cauſam primam horum defectuum, quæ eſt peccatum, vt ſupra dictum eſt: * vt ſcilicet ea ratione dicatur caro Chriſti non ſubiacuiſſe neceſsitati horum defectuum, quia non fuit in ea peccatum. Vnde ſubdit, * Habuit enim, ſcilicet Chriſtus, corpus, ſed originis ſuæ proprium: neque ex vitijs humanæ conceptionis exiſtens, ſed in forma corporis noſtri, virtutis ſuæ poteſtate ſubſiſtens. Quantum tamen ad cauſam propinquam horum defectuũ, quæ eſt compoſitio contrariorum, caro Chriſti ſubiacuit neceſsitati horum defectuum: vt ſupra dictum eſt. *

q. 14. a. 2. & art. 3. ad 2.

* lib. 10. de trin. ante me. illius

q. 14. a. 2.

Ad ſecundum dicendum, quod caro in peccato concepta ſubiacet dolori, non ſolum ex neceſsitate naturalium principiorum, ſed etiam ex neceſsitate reatus peccati. Quæ quidem neceſsitas in Chriſto non fuit: ſed ſolum neceſsitas naturaliũ principiorum.

Ad tertium dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, * virtute diuinitatis Chriſti, diſpenſatiuè ſic beatitudo in anima continebatur, quod non deriuabat ad corpus, vt eius paſſibilitas, & moralitas tolleretur. Et eadem ratione delectatio contemplationis, ſic retinebatur in mente, quod non deriuabatur ad vires ſenſibiles, ne per hoc dolor ſenſibilis excluderetur.

q. 14. a. 1. ad 2.

5 Concluſio affirmans eſt, quam probat S. Doct. dupliciter. Tum ex illo Eſaiæ 53. *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit.* Tum etiam, quia in Chriſto fuit læſio corporis, & ſenſus læſionis, vtpote, quia eius corpus fuit paſsibile, & eius anima habuit omnes potẽtias naturales, & ſenſitiuas: ſed dolor ſenſibiles, nihil eſt aliud, quam ſenſus læſionis: ergo.

ART. VI.

Vtrum in Chriſto fuerit triſtitia?

AD ſextum ſic proceditur. Videtur, quod in Chriſto non fuerit triſtitia. Dicitur enim de Chriſto, Iſai 42. No erit triſtis, nec turbulentus.

Inf. q. 46. a. 2. & 3. d. diſ. 15. q. 2. a. 3. q. 3. c & ad 5. & op. 3. c. 238.

2 Præterea, Prouerb. 12. dicitur, Non contriſtabit iuſtum quicqnid ei acciderit. Et huius rationem Stoici aſsignabant: quia nullus triſtatur, niſi de amiſione ſuorum bonorum: iuſtus autem non reputat bona ſua, niſi iuſtitiam, & virtutem, quas non poteſt amittere: alioquin ſubijceretur iuſtus fortunæ, ſi pro amiſſione bonorum fortunæ triſtaretur. Sed Chriſtus fuit maximè iuſtus: ſecundum illud Hierem. 23. Hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus Iuſtus noſter. Ergo in eo non fuit triſtitia.

3 Præterea, Philoſophus dicit in 7 Ethic * quod omnis triſtitia eſt malũ, & fugiẽdũ. Sed nullũ malũ fugiẽdũ fuit in Chriſto. Ergo in Chriſto non fuit triſtitia.

ca. 13. & 14. to. 5.

4 Prçterea, Sicut Auguſt. † dicit 14. de ciuit. Dei, Triſtitia eſt de his, quæ nobis nolentibus accidũt.

c. 6. in me. to. 5.

Sed nihil paſſus eſt Chriſtus contra ſuam voluntatem: dicitur enim Iſai. 53. Oblatus eſt, quia ipſe voluit. Non ergo in Chriſto fuit triſtitia.

Sed contra eſt, quod dicit Dominus Matth. 26. Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Et Ambroſ. dicit in 3. de Trinitat. * vt homo triſtitiam habuit: ſuſcepit enim triſtitiam meam confidenter: triſtitiam nomino, qui crucem prædico.

li. 2. de fi. ad Grat. c. 2. poſt me. to. 2 artic. præc ad 3.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut dictum eſt, † delectatio diuinæ contemplationis, ita per diſpenſationem diuinæ virtutis retinebatur in mente Chriſti, quôd non deriuabatur ad vires ſenſitiuas, vt per hoc dolor ſenſibilis excluderetur. Sicut autem dolor ſenſibilis eſt in appetitu ſenſitiuo, ita & triſtitia. Sed eſt differentia ſecundum motiuum ſiue obiectum: nam obiectum, & motiuum doloris eſt læſio, ſenſu tactus percepta ſicut cum aliquis vulneratur. Obiectum autem, & motiuum triſtitiæ, eſt nociuum, ſeu malum interius apprehenſum, ſiue per rationem, ſiue per imaginationem (vt in ſecunda parte habitum eſt *) ſicut cum aliquis triſtatur de amiſsione gratiæ, vel pecuniæ. Potuit autem anima Chriſti interius apprehendere aliquid, vt nociuum: & quantum ad ſe, ſicut paſsio, & mors eius fuit: & quã tum ad alios, ſicut peccatum Diſcipulorum, vel etiam Iudæorum occidentium ipſum. Et ideô ſicut in Chriſto potuit eſſe verus dolor, ita potuit in eo eſſe vera triſtitia, alio tamen modo quâm in nobis, ſecundum illa tria quæ ſupra aſsignata ſunt, * cum communiter de paſsionibus animæ Chriſti loqueremur.

p. 2. q. 35. art. 2.

a 4. huius quæſt.

Ad primum ergo dicẽdum, quod triſtitia remouetur à Chriſto ſecundum paſsionem perfectam; fuit tamen in eo initiata ſecundum propaſſionem. Vnde dicitur Matth. 26. Cœpit contriſtari, & mœſtus eſſe. Aliud enim eſt contriſtari, aliud incipere contriſtari, vt Hieron. * ibidem dicit.

** Matth. c. 26. to. 9*

Ad ſecundum dicendum, quôd ſicut Auguſtin. dicit in 14. de ciuitat. Dei, † pro tribus perturbationibus, ſcilicet, cupiditate, lætitia, & timore, Stoici tres * eupathias, ideſt, bonas paſsiones in animo ſapientis poſuerunt: ſcilicet pro cupiditate volũtatem, pro lætitia gaudium, pro metu cautionem. Sed pro triſtitia negauerunt eſſe poſſe aliquid in animo ſapiẽtis: quia triſtitia de malo eſt, quod iam accidit: nullum autem malum exiſtimant poſſe accidere ſapienti. Et hoc ideo eſt: quia non credebant aliquid eſſe bonum, niſi honeſtum, quod homines bonos facit: nec aliquid eſſe malum, niſi inhoneſtum, per quod homines mali fiunt. Quãuis autem honeſtum ſit principale hominis bonum, & inhoneſtũ principale hominis malum (quia hæc pertinent ad ipſam rationem, quæ eſt principalis in homine:) ſunt tamen quædam ſecundaria hominis bona, quæ pertinent ad ipſum corpus, vel ad exteriores res corpori deſeruientes. Et ſecundum hoc poteſt in animo ſapientis eſſe triſtitia, quantum ad appetitum ſenſitiuum, ſecundum apprehenſionem huiuſmodi malorum: non tamen ita, quod iſta triſtitia perturbet rationem. Et ſecundum hoc etiã intelligitur, quod non contriſtabit iuſtum quicquid ei acciderit: quia ſcilicet ex nullo accidente ejus ratio perturbatur. Et ſecundum hoc triſtitia fuit in Chriſto ſecundum propaſsionem: non autem ſecundum paſsionem.

† ca. 8. in prin. to. 5.

** Eupathias.*

Ad tertium dicendum, quod omnis triſtitia eſt malum pœnæ, non autem eſt ſemper malum culpæ, ſed ſolum quando ex inordinato affectu procedit. Vnde Auguſt. dicit 14 de ciui-

ca. 9. ante me. to. 5.

ciuitat. Dei, * Cûm rectam rationẽ ſequuntur iſtæ affectiones, & quando, & vbi opportet adhibentur: quis eas tunc morbidas, ſeu vitioſas paſſiones audeat dicere?

Ad quartum dicendum, quod nihil prohibet, aliquid eſſe cõtrarium voluntati ſecundum ſe, quod tamen eſt volitum ratione finis, ad quem ordinatur: ſicut medicina amara nõ eſt ſecundũ ſe volita, ſed ſolum ſecũdum quod ordinatur ad ſanitatem. Et hoc modo mors Chriſti, & eius paſſio fuit ſecundum ſe conſiderata inuoluntaria, & triſtitiam cauſans: licet fuerit voluntaria in ordine ad finem, qui eſt redemptio humani generis.

6 Concluſio affirmans eſt; & certa ſecundum fidem, ſicut & præcedens, quæ probatur à D. Thom. Tum ex illo Matth. 26. *Triſtis eſt anima mea, vſque ad mortem.* Tum etiam ratione Theologica: quia triſtitia nihil eſt aliud, uam fuga appetitus reſpectu alicuius mali, ſeu nociui apprehenſi: ſed anima Chriſti potuit apprehendere aliquod malum, vt nociuum ſibi vel alijs, nimirum paſſionem ſuam, & peccatum Iudæorum: ergo potuit eius appetitus huiuſmodi malum ſic apprehenſum refugere; ac per conſequens de illo triſtari, vtpote quod eſt obiectum triſtitiæ. Quam infert D. Thom. proportionabiliter fuiſſe in Chriſto diuerſimode, quam in nobis ſecundum illa tria in quibus dictum fuit, art. 4. differre paſſiones Chriſti à noſtris.

ART. VII.

Vtrùm in Chriſto fuerit timor?

ſup. q 7. a. 6. & 3. d. 15. q. 2. a. 2. q. 3.

AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur, quod in Chriſto non fuerit timor. Dicitur enim Prouerb. 28. Iuſtus quaſi leo confidens, abſque terrore erit. Sed Chriſtus fuit maxime iuſtus. Ergo in Chriſto non fuit aliquis timor.

2 Præterea, Hilar. dicit 10. de Trinit. * Interrogo eos, qui hoc ita *in 2. fol. à* exiſtimant, an ratione ſubſiſtat, vt *prin. lib.* mori timuerit, qui omnem ab Apoſtolis mortis timorem expellens, ad gloriam eos ſit martyrij adhortatus. Non ergo in Chriſto rationabile eſt fuiſſe timorem.

3 Præterea, Timor non videtur eſſe niſi de malo, quod nõ poteſt homo vitare. Sed Chriſtus poterat vitare, & malum pœnæ, quod paſſus eſt; & malum culpæ, quod alijs accidit. Ergo in Chriſto non fuit aliquis timor.

Sed cõtra eſt, quod dicitur Marc. 14 Cœpit Ieſus pauere, & tædere.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut triſtitia cauſatur ex apprehenſione mali præſentis, ita timor cauſatur ex apprehenſione mali futuri Apprehenſio autem mali futuri, ſi omnimodam certitudinem habeat, non inducit timorem. Vnde Philoſophus dicit in 2. Rhet. * quod timor *l 2. Rhet. ca. 5. circa med.* non eſt niſi vbi eſt aliqua ſpes euadendi. Nam quando nulla ſpes eſt euadendi, apprehenditur malum, vt prę ſens: & ſic magis cauſat triſtitiam, quam timorem.

Sic ergo timor poteſt conſiderari quantum ad duo. Vno modo, quãtum ad hoc, quod appetitus ſenſitiuus naturaliter refugit corporis lęſionem; & per triſtitiam, ſi ſit præſens, & per timorem, ſi ſit futura Et hoc modo timor fuit in Chriſto, ſicut, & triſtitia. Alio modo poteſt cõſiderari ſecundum incertitudinem futuri euentus: ſicut quando nocte timemus ex aliquo ſonitu, quaſi ignorantes quid hoc ſit. Et quantum ad hoc timor nõ fuit in Chriſto, vt Damaſc. * dicit in 3. lib. *l. 3. orth. fid. c. 23.*

Ad

Ad primum ergo dicendum, quod iuſtus dicitur eſſe abſquê terrore, ſecundum quod terror importat perfectam paſsionem, auertentem hominem ab eo quod eſt rationis. Et ſic timor non fuit in Chriſto, ſed ſolum ſecundum pro paſsionem. Et ideo dicitur quod Ieſus cœpit tędere, & pauere, quaſi ſecundum pro paſsionem, vt Hieronym. * exponit. *in cap. 26. Mat to. 9.*

Ad ſecundum dicendum, quod Hilarius eo modo â Chriſto excludit timorem, quo excludit triſtitiã, ſcilicet quoad neceſsitatem timendi. Sed tamen ad comprobandam veritatem humanæ naturæ, voluntariê timorem aſſumpſit, ſicut etiam, & triſtitiam.

Ad tertium dicendum, quod licet Chriſtus potuerit vitare mala futura, ſecundum virtutem diuinitatis: erant tamen ineuitabilia, vel non de facili vitabilia, ſecundum infirmitatem carnis.

7 Prima concluſio eſt in Chriſto fuiſſe timorem, ſecũdum quod timor importat fugam mali futuri apprehenſi: quæ eſt certa ſecundum fidem, & probatur à D. Thom. dupliciter. Tum ex illo Marci 14. *Cæpit Ieſus pauere, & tædere.* Tum etiam, quia ſicut appetitus per triſtitiam naturaliter refugit nociuum præſens: ita per timorem refugit nociuum futurum: nam ſicut triſtitia ex apprehenſione mãli præſentis, ita timor ex apprehenſione mali futuri cauſatur: ſed huiuſmodi obiectum timoris, ſicut & triſtitiæ potuit eſſe in Chriſto: ergo.

Secunda concluſio, ſi timor ſumatur ſecundum, quod importat incertitudinem futuri euentus nõ fuit in Chriſto, eo quod ita docet Damaſcenus lib. 3. de fide cap. 23. & quoniam huiuſmodi timor oritur ex ignorantia, quæ procul fuit à Chriſto.

(* * *)

ART. VIII.

Vtrum in Chriſto fuerit admiratio?

Ad octauum ſic proceditur. Videtur, quod in Chriſto non fuerit admiratio. Dicit enim Philoſophus in primo Metaphyſ. * quod admiratio cauſatur ex hoc, quod aliquis videt effectum, & ignorat cauſam. Et ſic admirari non eſt, niſi ignorans. Sed in Chriſto non fuit ignorantia, vt dictum eſt. † Ergo in Chriſto non fuit admiratio. *Con. c. 33. fi. & Ma. 7. co. 5. fi.* ** l. 1. meta. ca. 2. in me. to. 3.* *† a. 3. huius q.*

2 Præterea, Damaſcen. dicit in 2. lib. * quod admiratio eſt timor ex magna imaginatione: & ideo Philoſoph. dicit in 4. Ethic. * quod magnanimus non eſt admiratiuus. Sed Chriſtus fuit maxime magnanimus. Ergo in Chriſto non fuit admiratio. ** l. 2. c. 15. l. 4. eth. c. 3. decl. ad fi. to. 5.*

3 Præterea, Nullus admiratur de eo, quod ipſe facere poteſt. Sed Chriſtus facere poterat quicquid magnum erat in rebus. Ergo videtur quod de nullo admirabatur.

Sed contra eſt, quod dicitur Matth. 8. Audiens Ieſus, (ſcilicet verba Centurionis) miratus eſt.

Reſpondeo dicendum, quod admiratio propriê eſt de aliquo nouo, & inſolito. In Chriſto autem non poterat eſſe aliquid nouum, & inſolitum, quantum ad ſcientiam diuinam, qua cognoſcebat res in Verbo: neque etiam quantum ad ſcientiam humanam, qua cognoſcebat res per ſpecies inditas. Potuit tamẽ aliquid eſſe

eſſe ſibi nouum, & inſolitum ſecundum ſcientiam experimentalem, ſecundum quam ſibi poterant quotidie aliqua noua ocurrere.

Et ideo ſi loquamur de ipſo, quantum ad ſcientiam diuinam, & ſcientiam beatam, vel etiam infuſam, non fuit in Chriſto admiratio. Si autem loquamur de eo, quantum ad ſcientiam experimentalem, ſic admiratio in eo eſſe potuit. Et aſſumpſit hunc affectum ad noſtram inſtructionem, vt ſcilicet doceat eſſe mirandum, quod etiam ipſe mirabatur.
Vnde dicit Auguſtin. in primo ſu-
† l.1.c.8. per Geneſ. † contra Manichæos.
non procul Quod mirabatur Dominus, nobis
à fin.to.1. mirandum eſſe ſignificat, quibus adhuc opus eſt ſic moueri. Omnes ergo tales motus eius non perturbati animi ſigna ſunt, ſed docentis magiſterium.

Ad primum ergo dicendum, quod licet Chriſtus nihil ignoraret, poterat tamen aliquid de nouo occurrere experimentali eius ſcientiæ, ex quo admiratio cauſaretur.

Ad ſecundum dicendum, quod Chriſtus non admirabatur de fide Centurionis ea ratione, quod eſſet magna quantum ad ipſum: ſed quia erat magna quantum ad alios.

Ad tertium dicendum, quod ipſe poterat facere omnia ſecundum virtutem diuinam, ſecundum quam in eo admiratio non erat: ſed ſolum ſecundum humanam ſcientiam ex-
in co. art. perimentalem, vt dictum eſt. *

8 Reſpondet D. Th. tribus conclusionibus: quarum prima eſt, in Chriſto non fuiſſe admirationem, quantum ad ſciētiam diuinā, beatam, vel infuſam: eo quod admiratio eſt de aliquo inſolito, & nouo: nihil autem inſolitum, & nouum potuit eſſe reſpectu harum ſcientiarum, per quas Chriſtus erat omniſcius, & omniū futurorum euentuum præſcius.

Secunda concluſio, bene tamen fuit in illo admiratio, quantum ad ſcientiam experimentalem. Hanc ſuadet D. Th. dupliciter. Tū ex illo Matth. 8. audiens Ieſus, (ſcilicet verba Cēturionis) miratus eſt. Tum etiam, quia ſecundum iſtam ſcientiā poterant ei occurrere noua, & inſolita: ergo de illis poterat admirari.

Tertia concluſio, Chriſtus aſſumpſit hunc defectum ad noſtrā inſtructionē, vt doceret nos mirari de his, quæ ipſe mirabatur, quia ita docet Aug. lib. 1. ſuper Gen. cap. 8.

ART. IX.

Vtrùm in Chriſto fuerit ira?

AD nonū ſic proceditur. Vi- 3. d. 15.
detur, quod in Chriſto non q. 2. ar. 2.
fuerit ira. Dicitur enim Ia- q. 3.
cob 1. Ira viri, iuſtitiā Dei nō operatur. Sed quicquid fuit in Chriſto, ad iuſtitiam Dei pertinuit: ipſe enim factus eſt nobis iuſtitia â Deo, vt dicitur 1. Cor. 1. Ergo videtur quod in Chriſto non fuit ira.

2 Præterea Ira manſuetudini op- l. 4. Ethi.
ponitur, vt patet in 4. Ethic. * Sed c. 5. to. 5.
Chriſtus fuit maximê manſuetus. Er l. 5. Mor.
go in eo non fuit ira. c. 33. non

3 Preterea, Greg. dicit in 5. Mor. procul à
† quod ira per vitiū excæcat oculum prin.
mētis, ira vero per zelū, ipſum turbat. Sed in Chriſto mētis oculus nō fuit excęcatus, nec turbatus. Ergo in Chriſto non fuit, nec ira per vitium, nec ira per zelum.

Sed contra, eſt quòd Ioann. 2. de eo dicitur eſſe impletum, quod in
Pſal. 68. legitur, Zelus domus tuæ co 1. 2. q. 46.
medit me. a. 3. ad 3.

Reſpōdeo dicēdū, quod ſicut in ſe Et 2. 2. q.
cūda parte dictū eſt, * ira eſt effectus 15. a. 1.
triſtitiæ. Ex triſtitia enim alicui illata 2. & 3. Et
cōſequitur in eo circa ſenſitiuā par- Dal. q. 12.
tem, appetitus repellendi illatam in- a. 1. & 2.
iuriam, vel ſibi, vel alijs. Et ſic ira * p. 2. q.
eſt paſsio compoſita ex triſtitia, 46. ar. 1.
& appe- & a. 3. ad 3.

& appetitu vindictæ. Dictum eſt au-
† ar. 6. huius q. tem, † quod in Chriſto triſtitia eſſe potuit. Appetitus etiam vindictæ quandoque eſt cum peccato, quando ſcilicet aliquis vindictam quærit ſibi abſque ordine rationis: & ſic ira in Chriſto eſſe non potuit, huiuſmodi enim dicitur ira per vitium. Quandoque vero talis appetitus eſt ſine peccato, immo eſt laudabilis: puta cum aliquis appetit vindictam ſecundum ordinem iuſtitiæ: & hoc vocatur ira per zelum. Dicit enim Auguſtin. ſuper Ioann. † quod zelo domus Dei comeditur, qui omnia quæ ibi peruerſa videt, ſatagit emendare: & ſi emendare non poteſt, tolerat, & gemit. Et talis ira fuit in Chriſto.

† trac. 10. in Io. ſuper illud: zelus domus tuæ comedit me, to 9.

Ad primum ergo dicendum, quod ſicut Gregor. dicit 5. Moral. * ira dupliciter ſe habet in homine. Quandoque enim præuenit rationem, & trahit eam ſecum ad operandum: & tunc proprie ira dicitur operari: nam operatio attribuitur principali agenti. Et ſecundum hoc intelligitur, quod ira viri iuſtitiam Dei non operatur. Quandoque vero ira ſequitur ipſam rationem; & eſt quaſi inſtrumentum ipſius: & tunc operatio, quæ eſt iuſtitiæ, non attribuitur iræ, ſed rationi.

* libr. 5. Mor. c. 33

Ad ſecundum dicendum, quod ira quæ tranſgreditur ordinem rationis, opponitur manſuetudini: non autem ira, quæ eſt moderata; & ad medium reducta per rationem: nam manſuetudo medium tenet in ira.

Ad tertium dicendum, quod in nobis ſecundum naturalem ordinem, potentiæ animæ mutuo ſe impediunt: ita ſcilicet, quod cum vnius potentiæ operatio fuerit intenſa, alterius operatio debilitetur. Et ex hoc procedit, quod motus iræ etiam ſi ſit ſecundum rationem moderatus, vt cumque impedit oculum animæ contemplantis. Sed in Chriſto per moderationem diuinæ virtutis, vnicuique potentiæ permittebatur agere, quod erat ei proprium: ita quod vna potentia ex alia non impediebatur. Et ideo, ſicut delectatio mentis contemplantis non impediebat triſtitiam, vel dolorem inferioris partis, ita etiam è conuerſo paſſiones inferioris partis, in nullo impediebant actum rationis.

9 Reſpondet duplici concluſione, quarum prima eſt, non fuiſſe in Chriſto iram, prout vitium deſignat, eo quod talis ira conſurgit ex appetitu vindictæ contra ordinem rationis.

Secunda concluſio eſt, ira ſecundum ordinem iuſtitiæ, quæ dicitur ira per zelum fuit in Chriſto, quam probat S. Doct. dupliciter: tum in argumento, ſed contra ex illo Ioann. 2. vbi dicitur, qualiter Chriſtus zelo impletus omnes numularios à templo eiecit, iuxta illud Pſalmi 68. *Zelus domus tua comedit me*: quod tunc in illo fuit impletum. Tum etiam, quia huiuſmodi ira eſt appetitus laudabilis, vtpote cum ſit ſine peccato, & ſecundum ordinem rationis: quia eſt affectus propulſandi iniuriam ſibi, vel alijs illatam ortus ex paſſione triſtitiæ: ergo potuit eſſe in Chriſto nō minus quam triſtitia.

ART. X.

Vtrùm Chriſtus ſimul fuerit viator, & comprehenſor?

3. d. 14. a. 2. & 18. ar. 1. & ver. q. 26. a. 11. & q. 29. art. 6. Et quol. 11. q. 2. ar. 1. Et opu. 3. c. 238. Et op. 18. ca. 7.

AD decimum ſic proceditur: Videtur, quod Chriſtus non fuerit ſimul viator, & comprehenſor. Viatori enim competit mo-

moueri ad finem beatitudinis; comprehenſori autem competit in fine quieſcere. Sed non poteſt eidem ſimul conuenire, quod moueatur ad finem, & quod quieſcat in fine. Ergo non potuit ſimul eſſe, quod Chriſtus eſſet viator, & comprehenſor.

2 Præterea. Moueri ad beatitudinem, aut eam obtinere, non competit homini ſecundum corpus, ſed ſecundum animam: vnde Auguſtinus dicit in Epiſtola * ad Dioſcorum, quod ad inferiorem naturam, quæ eſt corpus; redundat ab anima, non beatitudo, quæ propria eſt fruentis, & intelligentis, ſed plenitudo ſanitatis, id eſt, incorruptionis vigor. Sed Chriſtus, licet haberet corpus paſsibile, tamen ſecundum mentem plene Deo fruebatur. Non igitur Chriſtus fuit viator, ſed purus comprehenſor.

* epi. 56. ante med. to. 2.

3 Præterea. Sancti, quorum animæ ſunt in cœlo, & corpora in ſepulchris, fruuntur quidem beatitudine ſecundum animam, quamuis eorum corpora morti ſubiaceant: tamen non dicuntur viatores, ſed ſolum comprehenſores. Ergo pari ratione licet corpus Chriſti fuerit mortale: quia tamen mens eius Deo fruebatur, videtur quod fuerit purus cōprehenſor, & nullo modo viator.

Sed cōtra eſt, quod dicitur Hier. 14. Quaſi colonus futurus es in terra, & quaſi viator declinans ad manendum.

Reſpondeo dicendum, quod aliquis dicitur viator ex eo, quod tendit in beatitudinem: comprehenſor autem dicitur ex hoc, quod iam beatitudinem obtinet, ſecundum illud 1. Cor. 9. Sic currite, vt comprehendatis: & Philip. 3. Sequor autem, ſi quomodo comprehendam. Hominis autem beatitudo perfecta conſiſtit in anima, & corpore, vt in ſecunda parte habitum eſt. * In anima quidem quantum ad id quod eſt proprium, ſecundum quod mens videt, & fruitur Deo. In corpore verò, ſecundum quod corpus reſurgit ſpirituale, & in virtute, & in gloria, & in incorruptione: vt dicitur 1. Cor. 15. Chriſtus autem ante paſsionem ſecundum mentem plene videbat Deum: & ſic habebat beatitudinem, quantum ad id quod eſt proprium animæ: ſed quantum ad alia deerat ei beatitudo: quia & anima eius erat paſsibilis, & corpus paſsibile, & mortale: vt ex ſupra dictis patet. * Et ideo ſimul erat comprehenſor, in quantum habebat beatitudinem propriam animæ. & ſimul viator, in quātum tendebat in beatitudinem, ſecundum id quod ei de beatitudine deerat.

1. 2. q. 4. ar. 6.

a. 4. huius q. & q. 14. a. 4.

Ad primum ergo dicēdum, quod impoſsibile eſt moueri ad finem, & quieſcere in fine ſecūdum idem. Sed ſecundum diuerſa nihil hoc prohibet: ſicut aliquis homo ſimul eſt ſciens, quātum ad ea, quę iam nouit: & addiſcens, quantum ad ea, quę nondum nouit.

Ad ſecundum dicendum, quod beatitudo principaliter, & proprie conſiſtit in anima, ſecundum mētē: ſecūdario tamē, & quaſi inſtrumētaliter requirūtur ad beatitudinē corporis bona. Sicut etiā Philoſoph9 dicit in primo Ethic. * quod exteriora bona organicè deſeruiunt beatitudini.

c. 8. cir. fi. co. 5.

Ad tertium dicendum, quod non eſt eadem ratio de animabus ſanctorum, & de Chriſto, propter duo: primo quidem, quia animæ ſanctorum non ſunt paſsibiles, ſicut fuit anima Chriſti: ſecundo, quia corpora non agunt aliquid, per quod in beatitudinem tendant, ſicut Chriſtus ſecundum corporis paſsiones, in beatitudinem tendebat quantum ad gloriā corporis.

Con-

10 Concluſio affirmans eſt, cuius rationem aſsignat Diu. Thom. ex eo quod habuit ab inſtanti ſuæ conceptionis beatitudinem animæ, ideſt claram Dei viſionem, per quam beatus dicitur comprehenſor, & ex alia parte caruit beatitudine corporis in hac vita, vt haberet naturam paſsibilem propter finem incarnationis, per quam dicuntur homines viatores: ergo ſimiliter fuit comprehenſor ſecundum animam, & viator ſecundum corpus.

Circa prædictas concluſiones, & pro earum exacto commentario tria examinari ſolent à Theologis, nimirum an in Chriſto potuerit eſſe peccatum ſecundum ordinariam, vel abſolutam potentiam? & an in eo potuerint eſſe defectus fomitis, & ignorantiæ de potentia abſoluta? ac tandem qualiter, & quales in eo fuerint paſsiones appetitus ſenſitiui? quæ à nobis eodem ordine ſunt examinanda.

Dubium igitur primum eſt: Vtrùm in Chriſto Domino ſecundum ordinariam, vel abſolutam potentiam potuerit eſſe peccatum?

Expeditur ſtatus quæſtionis, & in quo omnes conueniunt

11 IN hoc dubio omnes Theologi communiunt in vno, & diſcriminantur in alio: communiunt quidem in eo, quod de facto Chriſtus Dominus nullo peccato originali, vel actuali fuerit infectus, quæ ſuppoſitio defenditur ab omnibus Theologis cũ Magiſtro in 3. diſt. 12. & cum D. Thom. in art. 1. huius quæſtionis, tamquam dogma fidei aduerſus impium errorem quorũdam Sectariorum, & Phanaticorum hominum, qui vt inquit D. Petrus ſecundæ Canonicæ capit. 3. ſacras Scripturas ad ſuam ipſorummet perditionem deprauantes, dixere Chriſtum hominem ab omni labe peccati immunem non fuiſſe, quin potius in peccatum deſperationis incidiſſe, quando in cruce pendens verba illa protulit: *Deus Deus meus, vt quid me dereliquiſti?* Hoc intolerabili errore lapſi fuerunt quidam dicti Antichriſtiani, vt refert Hoſtius Cardinal. lib. 1. de hæreſibus, & quidem Apoſtata Pręmoſtratenſis, vt refert Prateolus in Elencho hęreſum, verbo *Antichriſtiani*, & verbo *Præmoſtratenſis*. In eundem errorem lapſi fuerunt alij de ſtirpe Caluiniana pullulantes, quos referunt Lindanus dialogo 2. & Cõcilium Epheſinũ, canone 10. dixiſſe Chriſtum incidiſſe in peccatum inobedientiæ, quando à patre poſtulauit, vt calix paſsionis ab ipſo tranſiret, quaſi tunc inobediens præcepto Patris extitiſſet, quod etiam colligunt ex illo Pſalm. 68. dicto in perſona Chriſti: *Deus tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea à te non ſunt abſcondita*, & ex illo 2. ad Cor. 5. *cum qui non nouerat peccatum pro nobis peccatum fecit.* Sed ſuadetur noſtra ſuppoſitio aduerſus vtrumque errorem primo, ex teſtimonijs Scripturæ, & inprimis ex illo, Pſalm. 21. vt vnde aduerſarij errandi occaſionem deſumpſerunt: inde fides de illis victoriã reportat, atque ad inſtar Goliath, eodem gladio ſuccumbant quo innocentẽ Dauidem ferire pręſumpſerunt: vbi regius vates in perſona Chriſti ſuam innocentiã proteſtantis hoc fundit oraculum: *Deus Deus meus reſpice in me quare me dereliquiſti? longe à ſalute mea verba delictorum meorũ*; cuius oraculi priora verba, ipſe Dominus in cruce pendens iam moribundus exclamans vſurpauit: *Deus Deus meus, vt quid me dereliquiſti?* Ex quo liquet integrum teſtimonium, imò & totum Pſalmum de Chriſto ad litteram fore intelligendum: oppoſitumque aſſeuerare nefas eſt, & impium dogma Theodori Moſueſteni in ſynodo quinta generali, actione 5. damnatũ: & iterum ſub anathemate interdictum in Concilio Romano ſub Vigilio celebrato: fauetque titulus Pſalmi qui nulli alteri, quam Chriſto poteſt adaptari: etenim apud vulgatum interpretem ſic inſcribitur *in finem Pſalmus Dauid, pro ſuſceptione matutina, vel pro aſſumptione matutina*: apud Hyeronimum ſic: *Victori pro cerua matutina, vel pro ceruo matutino*: ſecũdũ D. Th. *vel pro ſeruo matutino*, ſecũdũ codices Hebręos apud Caiet. *Victori pro cerua Auroræ*: ſecũdũ radi-

dicem Hebræam Ayelet; quæ Luciferum ſignificat, ſiue ſtellã matutinam ſic inſcribitur *pro Lucifero, vel pro ſtella matutina*: atqui omnibus his nomenclaturis ſolus Chriſt⁹ poteſt inſigniri, vtpotè qui ſolus à ſummis Sacerdotum principibus mane cogentibus conſilium ad mortem fuit ſuſceptus, & aſſumptus: ad inſtarque ceruæ fuit à canibus aflictus. & ad inſtar ſerui ſecundum humanitatem humilis, & abiectus: ac qui prius fuerat ad mortem ſuſceptus, ait Aug. tertia die ſequenti ad inſtar Luciferi, atquè ſtellæ matutinæ deuicta morte ab inferis reſurrexit. Igitur ex huius teſtimonij triplici expoſitione deducitur veritas noſtræ ſuppoſitionis.

Prima eſt iuxta regulam primam Tichonij, quam referunt, & aprobant Auguſtin. lib. 3. de doctrina Chriſtiana, cap. 31. Damaſcen. lib. 3. de fide cap. 25. Diu. Thom. in artic. 1. huius quæſtionis ad primum, & initio Pſalmorum, atquè in commentario Pſalmi 21. Rufinus in eiuſdem Pſalmi commentario, nec non Ambroſius, & Hylarius in commentario Pſalmi 39. regula autem Tichonij eſt, quod in ſacra Scriptura actiones membrorum id eſt fidelium quandoquè de Chriſto, & quandoque actiones Chriſti capitis de fidelibus prædicantur, propter myſtici corporis vnitatem, iuxta quam regulam regius vates, Pſalm. 68. in perſona Chriſti ait: *Deus tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea à te non ſunt abſcondita*, ideſt delicta membrorum meorum ſiue fidelium à te non ſunt abſcondita: ſimiliter Zachar. 9. Ieſus filius Ioſedech Summi Sacerdotis introducitur indutus ſordidis veſtimentis, quem & conſtanter Satham accuſabat, ad denotaadum Chriſtum peccatis fidelium veluti veſtimentis indutum aparuiſſe: de quibus propterea Eſaiæ 49. dicitur: omnibus his velut ornamento veſtieris, & ad Galat. 3. dicitur Chriſtus proſcriptus, atque crucifixus ante oculos Galatarum, quia paulò ante in ſuis membris, nimirum prædicatoribus fuerat à Galatis eiectus, & repudiatus, & tamdem Actor. 9. ad Pauli conuerſionem deſcendens ipſum ſic fuit allocutus, *Saule, Saule, quid me perſequeris?* quia ipſum in ſuis membris myſticis, hoc eſt Chriſtianis perſequebatur, & perſequutionem illis illatam Chriſtus quaſi ſibi ipſi illatam reputauit.

Sed huic expoſitioni obijcit, Vazquez diſputat. 61. cap. 1. ex Ianſenio in annotatione eiuſdem Pſalmi 21. quod nefas ſit regulam Tichonij ad actiones peccaminoſas extendere: alias hæc propoſitio eſſet admittenda: *Chriſtus quotidie peccat, quia eius membra, ſcilicet fideles quotidie peccant*, quæ tamen propoſitio damnatur in Concilio Baſilienſi Seſsione 22. aduerſus Auguſtinum de Roma Epiſcopum Nazarenum.

Tum etiam, quia Chriſtus in cruce pendens de ſe ipſo, & non de membris primam partem huius orationis vſurpauit: ergo tota oratio de ipſo, & non de membris eſt intelligenda.

Tum deniquè (ſubdit Ianſenius.) quia non conueniebat animo Chriſti ſic aflicto, & perſeueranti in quærimonia ſtatim initio Pſalmi reddere rationem ob quam potius à quærimonia ceſſare debuiſſet.

12 Ex quibus coucludit totam hanc orationem de Chriſti perſona, & non de membris intelligendam eſſe, & cum interrogatione terminandam: *Deus Deus meus quare me dereliquiſti: longe à ſalute mea verba delictorum meorum?* quia etiam ſic Paraphraſtes Chaldæus.

Sed ab his obiectionibus facile vindicatur hæc prima noſtra expoſitio: nequè enim ex illa ſequitur dicta propoſitio Epiſcopi Nazareni: nam quamuis in ſacra Scriptura peccata fidelium Chriſto capiti attribuantur: nemini tamen licet affirmare Chriſtum quotidie in ſuis membris peccare quoniam hæc locutio ex vi ſignificationis verbi *peccat*, actionem ſignificat propriam, ſcilicet in fieri, & à ſuppoſito egredientem: quod tamen in alijs locutionibus minimè denotatur: nequè illa interrogatio terminatiua totius orationis habetur in alijs codicibus, nam in vulgata editione, quæ ex decreto Concilij Tridentini, Seſsione 4. omnibus alijs eſt anteponenda interrogatio priorem partem dumtaxat orationis terminat in verbo, *dereliquiſti?* Poſterior vero quæ continet illa verba *longe à ſalute mea verba delictorum meorum*, ſine interrogatione legitur, & in editione caſtigatiſsima nuper à Sixto V. Romæ excuſſa ſic legitur: *Deus Deus meus quare me dereliquiſti, longe à ſalute mea?* ita vt hic terminetur interrogatio, & poſtea ſine interrogatione ſubditur *verba delictorum meorum*: vnde noſtra pri-

Retunditur obiectio Vazquij, & vindicatur prima expoſitio ab errore Epiſcopi Nazareni.

prima expoſitio iuxta regulam Thiconij, manet inconcuſa.

Secunda expoſitio huic affinis eſt Euthymij, Lorini Pſalm. 21. & aliorum nouiorum Interpretum aſſerentium poſteriora verba huius orationis, ſine interrogatione fore legenda, eiſquè denotari peccata Chriſti, quia nulla ſunt, nequè ipſum à ſua corporali ſalute impedire; nam quemadmodum illud quod procul à nobis eſt non poteſt nos impedire ab actione quam intendimus: ita, inquit Chriſtus, longe à ſalute corporali mea impedienda ſunt peccata mea, quæ revera non habeo, eo quod non pro meis, ſed pro alienis peccatis offero iu ſacrificium corporalem vitam.

Tertia eſt Auguſtini in prima parte commentarij dicti Pſalmi 21. Hyeronimi Diu. Thom. ac Caietani ibidem aſſerentium per verba delictorum non delicta, aut culpas hominum, ſed affectum, & clamorem carnis infirmæ Chriſti fugam mortis affectantis intelligi, ita vt ſenſus ſit: longe à ſalute mea ſpirituali quam operaturus in mundum adueni, ſunt verba illa quibus caro infirma habens ſimilitudinem carnis peccatricis fugam mortis affectauit, & vitæ conſeruationem inefficaci affectu poſtulauit dicens: *Si poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte, &c.* cui expoſitioni fauet textus Hebræus in quo habetur verba rugitus mei: & Chaldæus in quo habetur, longe à ſalute mea verba clamoris mei, vt tranſtulit in Regia eruditiſsimus Montanus: vbi non habetur nomen delictorum, niſi tantum rugitus, & clamoris: quo proinde non peccata fidelium, ſed potius illum inefficacem affectum carnis infirmæ ſimilitudinem habentis peccati, quo mortis fugam appetijt; voluit Chriſtus denotare. Huic teſtimonio ſic tripliciter expoſito conſonant alia quibus haud obſcure Chriſti innocentia prædicatur; vt illud Canticor. 5. *Dilectus meus, candidus, & rubicundus electus ex millibus*: quod licet trium Patrum commentarius, & Niſenus, oratione 13. in Cantica velit intelligendum eſſe de Chriſto, quatenus fuit de Virgine matre natus: ita vt ob hanc rationem candidus, & electus ex millibus nuncupetur, tamen Ricardus Victorinus, & Epiphanius in Anchorato ad hunc ſenſum de Chriſto interpretantur, vt candidus appelletur, quia innocens, & electus ex millibus, quia ſolus fuit ſine peccati dolo inuentus, iuxta Eſaiæ vaticinium, capi. 53. *Qui peccatum non fecit, nequè inuentus eſt dolus in ore eius*: à D. Petro primæ Canoni. cap. 2. relatum: conſonat Bern. ſerm. 56. in Cantic. vbi verſans illud Cantic. 2. ſponſæ dictum: *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum*, inquit: propterea ſolum Chriſtum poſt parietem noſtrum ſtare, quia ipſe ſolus ſtetit perfectus, ſine peccati labe ſub noſtræ carnis tegumento, ſtatimquè in laudibus ſponſi proſequens ſponſa ſubdit in eodem cap. *Oculi eius, ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxta fluenta pleniſsima*, in quibus verbis Chriſti innocentia per tres columbæ proprietates obumbratur.

Prima eſt quam tradit Marcus Varro de re ruſtica, lib. 3. cap. 7. dicens columbas appetere aquas fluentes, & propterea frequenter, iuxta fluenta reſidere.

Secundam adnotant Origenes hom. 3. in Leuiticum, & Phylo Carpathyus, Canticor. 5. nimirum columbas iuxta aquas fluentes frequenter reſidere, vt in illis vmbram accipitris intueantur, & ſic facilius ad capiendam fugam ſint preparatæ.

Tertiam notat Magnus Baſilius homilia in Pſalm. 33. dicens propterea columbas aquas immundas paludum fugere, quia ſicut apes fumo, & Angeli graueolentibus peccatis à noſtris domibus effugantur: ſic columbæ ab immundis, & graueolentibus aquis naturaliter effugantur.

Ex quibus proprietatibus, vterquè Gregorius, Nazianzenus, & Niſenus, atquè Ambroſius ſermon. 15. ad Pſalm. 118. inferunt oculos Chriſti congruenter oculis columbinis comparari, quia ſicut iſti aquas mundas, & puras exoptant, ita oculus Chriſti, nempe diuina perſonalitas Verbi, animã mundam, & immaculatam amauit: illamquè donis gratiæ plenam aſſumpſit, vt ſic iuxta fluenta pleniſsima reſideret; & ſicut columbæ reſident iuxta aquas fluentes, vt accipitrem fugiant, & à graueolentibus aquis efugantur, ſic anima Chriſti demonem, & eius ſuaſiones ſemper fuit auerſata, atquè graueolentem peccati odorem numquam fuit experta: in cuius ſignum deſcendit Matthæi 3. Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ ſuper ipſum Chriſtum Dominum, ſicut olim aduenerat ad Noe columba cum

ramo

ramo affectionis, & luminis, vt vtar, verbis Hyer. Epiſt. 83. ad Occeanum, ad eius innocentiam proteſtandam: ita ad Chriſti innocentiam proteſtandam deſcendit colũba afferens vocem patris de cœlo delapſam in hunc modum reſonantem: *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacui*: obiectum autem diuini amoris, & complacentiæ peccatum non admittit: *Odio enim ſunt Deo impius, & impietas*, vt dicitur Sapien. 14. & Eccleſiaſtici 12. *Altiſsimus odio habet peccatores*, & Pſalm. 3. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*: & iterum. *Odiſti omnes qui operantur iniquitatẽ*: nefas igitur eſt peccatũ admittere in illo, in quo Deus perfectiſsime, ſibi complacuit, & cui ſpõſa propter mũditiã, & ſanctitatẽ oculos colũbinos attribuit: de quibus propterea, dixit Propheta Abacuc, cap. primo: *Mundi ſunt oculi tui ne videas malum*, ideſt, ne aprobes iniquitatem. His accedit illud teſtimonium Iobi, capit. 39. *Quis dimiſsit onagrum liberum, & vincula eius quis ſoluit? cui dedi in ſolitudine domum, & tabernacula eius in terra ſalſuginis: contemnit multitudinem ciuitatis, & vocem exactoris non audit*. Super quod Gregorius libr. 30. moral capit. 15. Sic ait: *Venit ergo Labam ad Iacob, & idola non inuenit, quia oſtenſis mundi theſauris diabolus in redemptore noſtro veſtigia concupiſcentiæ terrenæ non reperit, quæ tamen Iacob non habuit, ea Rachel ſedendo cooperuit, per Rachel, quippe Eccleſia figuratur, &c.* ac ſi apperte diceret Chriſtum Dominum nomine onagri ſignificatum, liberũ, & immunem ab omni peccato in hunc mundum aduenisſe, qui propterea Pſalm. 78. *Inter mortuos liber*, appellatur, expertemque fuiſſe omnium peccatorum, quæ in Eccleſiæ membris paſsim reperiuntur quorum nullum Labam, ideſt diabolus eum perſequens, vſque ad montem Caluariæ, in ipſo inuenit teſtante Domino Ioannis 14. *Venit Princeps huius mundi, & in me non habet quidquam*. De his igitur peccatis, quæ Rachel, ideſt Eccleſia ſedendo cooperuit, & paſsim in Eccleſiæ membris inueniuntur, inquit Regius vates in perſona Chriſti ſuam innocentiam proteſtantis: *Longe à ſalute mea verba delictorum meorum*, & Paul. primæ, ad Thymoth. 3. de magno illo pietatis Sacramento, ſcilicet Verbo incarnato, ſic ait: *Et manifeſte magnum eſt pietatis Sacramentum, quod manifeſtum eſt in carne iuſtificatum eſt in Spiritu, &c.* quia Verbum diuinum nomine Sacramenti, apud vulgatum, & myſterij apud 70. Interpræres ſignificatum quatenus carnem aſſumpſit, dicitur manifeſtatum in carne, & iuſtificatum in Spiritu, ideſt in anima, quæ appellatur Spiritus in ſacra Scriptura, vt Luc. 23. *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum, ideſt animam meam*: quatenus animam ab omni peccato immunem aſſumpſit, vt interprætantur Theodoretus, & Ludouicus de Sotomayor in eiuſdem loci commentario. Et vt interpræratur Benedictus Iuſtinianus, ideo dicitur huiuſmodi myſterium Incarnationis iuſtificatum in ſpiritu, quia fuit opus Spiritus Sancti: minus tamen contextui, & menti Apoſtoli conformis eſt hæc explicatio. Fauet Zachar. cap. 3. dicens de Chriſto, vt eius ſanctitatem commendaret: *Numquid non iſte torris eſt erutus de igne?* ac ſi diceret: iſte ſcilicet Chriſtus Dominus licet carnis infirmitatibus fuerit obnoxius: à labe tamen culpæ fuit alienus ſecundum animam: ſicut rubus Moyſi licet igne ſuccenſus: læſionis tamen fuit expers, & propterea ipſe Dominus ſuæ innocentię conſcius aduerſarios ſuos cõſtãter interrogauit Ioannis 8. *Quis ex vobis arguit me de peccato*, ideſt nullus quia irrepræhenſibilis ſum.

13 Ex quibus teſtimonijs talẽ deducimus argumentum in ſacris litteris: perfecta munditia ſanctitas, & innocentia animæ Chriſti expreſsè commendatur: perfecta autem ſanctitas, ſiue innocentia omnis peccati dicit excluſionem: ergo & animam Chriſti omnis peccati fuiſſe expertem eſt dogma fidei.

Secundo probatur argumento quo vtitur Paul. in tota Epiſtola ad Hæbr. potiſsimè capit. 4. & 7. vbi probat Chriſtum fuiſſe innocentem, impolutum, & ſegregatum à peccatoribus: quia ſimul fuit Sacerdos, & hoſtia oblata pro peccatis populi expiandis: *Talis enim decebat, vt nobis eſſet Pontifex ſanctus, innocens, impolutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus, qui non habet neceſsitatem quotidie, quamadmodum Sacerdotes prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi*: Ex cuius proinde innocentia colligit Apoſtolus excellentiam legis gratiæ

ſupra antiquam, vnde Exod. 12. *Agnus Paſchalis occidendus eligebatur, abſque macula maſculus aniculus*: Quia Chriſti innocentiam præfigurabat: quem propterea teſte Bernardo in ſermone 4. vigiliæ, Ioannes oſtendens digito, agnum appellauit, dicens: *Ecce agnus Dei qui tollit peccatum mundi*: Quia ad tollendum aliena peccata congruum fuit ipſum eſſe agnum immaculatum: qua ratione D. Tho. infra quæſt. 48. art. 3. probat carnem Chriſti fuiſſe aptam ad operandam ſalutem hominum per modum ſacrificij, quoniam erat caro immaculata.

Ex quibus tale deducimus argumentum: Chriſtus operatus eſt noſtram ſalutem, vt Sacerdos, vt Hoſtia, & ſacrificium, ſed congruum erat Sacerdotem offerentem ſeipſum in hoſtiam pro peccatis eſſe peccatorum expertem, & inſontem ad inſtar Agni immaculati præfigurati in Agno Paſchali: ergo intentum.

Tertio probatur ratione Theologica, qua vtitur Diu. Thom. in hoc art. 1. ad hanc formam reducta: peccatum neque ad finem ſatisfactionis, ſiue redemptionis humani generis, neque ad oſtenſionem veritatis humanæ naturæ, neque ad præbendum virtutis exemplũ conducit, ſed quidquid Verbum diuinum aſſumpſit cum humana natura propter aliquem ex his finibus debuit aſſumere: ergo nullatenus congruum fuit, vt peccatum aſſumeret, aut contraheret. Minor eſt nota, ex precedentibus: & maior probatur, nam peccatum in eo quod eſt ſeruitus animæ, opponitur redemptioni: & ex eo quod eſt deffectus, & vitium naturæ rationalis deficit ab eius veritate: & quatenus eſt contra virtutem, nequit eſſe illius excitatiuum.

Diſcriminantur autem in explicando, an de potentia abſoluta humanitas aſſumpta potuerit habere peccatum actuale, vel originale ſimul cum vnione hypoſtatica, in tres ſententias.

Prima eſt Durandi in tertio diſtinctione 12. quæſtione 2. Scoti quæſtione 1. Gabrielis, & Marſilij ibidem quæſtion. 2. & 9. aſſerentium potuiſſe de potentia abſoluta compati cum vnione hypoſtatica actuale, & habituale peccatum in humanitate aſſumpta, quæ à ſuis auctoribus ſuadetur quadrupliciter.

Primo ex parte voluntatis Chriſti, vbi enim manet libertas ad bonum, & malum manet indifferentia ad peccandum; ſed in voluntate Chriſti manſit libertas talis: ergo. Minor patet dupliciter.

Primo, quia potuit mereri, & eadem eſt potentia contrariorum: ergo etiam potuit demereri.

Secundo quia potuit non exercere actum, ſibi præceptum; ſed talis omiſsio eſſet peccatum: ergo. Maior patet quia potuit; verbi gratia, non mori, eo quod actus moriendi fuit liber: ac proinde potuit mori & non mori: ſed non mori eſſet omiſsio actus præcepti: ergo.

Quod ſi dicas potuiſſe non mori in ſenſu diuiſo, non autem in ſenſu compoſito, & hoc ſufficere ad libertatem Contra hoc eſt nã acceptatio mortis erat actus obedientiæ in Chriſto; ſed actus obedientiæ in Chriſto intrinſece ſupponit præceptum ſuperioris, & cõſequẽter intrinſece dicit compoſitionem cum illo: ergo ſi in ſenſu compoſito non potuit non obedire, abſolute non potuit: ac proinde non fuiſſet liber, & ſic ex impeccabilitate hac ſequitur illũ nõ fuiſſe liberum.

Secundum argumentum deſumitur ex potentia peccandi, quæ manſiſſe videtur in Chriſto: nam manſit voluntas libera eiuſdem rationis cum noſtra; ſed noſtra intrinſece eſt potentia defectibilis, & peccaminoſa: poſſe enim circa bonum, & malum operari eſt libertas contrarietatis quæ eſt perfectio, vel modus intrinſecus noſtræ voluntatis: ergo & in Chriſto fuit potentia peccandi, quod enim cõuenit per ſe vni indiuiduo debet etiam cõuenire omnibus alijs eiuſdem ſpeciei.

Tertium deſumitur ex inuarietate facul cultatum animæ Chriſti, manente enim inuariata intrinſece aliqua facultate poteſt, quidquid poteſt alia facultas eiuſdem rationis: ac proinde non poteſt eſſe diſtinctõ inter illas pœnes peccabile, & impeccabile; ſed voluntas Chriſti manſit omnino inuariata quoad intrinſeca: ergo non poteſt differre à noſtra pœnes peccabile, & impeccabile.

Quartum deſumitnr ex cõuenientia peccati cum alijs malis pœnæ: nam alia mala pœnæ, & ſi repugnent Deo in ſe, vt infirmitas, mors, cæcitas, & ſimilia: nihilominus non repugnant Deo in natura aſſumpta: potuit namque humanitas Chriſti huiuſmodi defectibus ſubiacere: ergo ſimiliter licet peccatum repug

net Deo inſe, nihilominus poterit illi cōuenire in natura aſſumpta : neque enim eſt ratio ob quam ſpecialiter repugnet Deo in natura aſſumpta potius quam dicta mala pœnæ. Quæ omnia amplius cōfirmātur ex grati evnionis amiſsibilitate: nā ſicut gratia habitualis eſt amiſsibilis per peccatum, ita gratia vnionis, quia ratio amiſsibilitatis in gratia habituali eſt depēdentia illius ab humanis actibus, ſed etiam gratia vnionis potuiſſet ſubijci humanis actibus, non quoad augmentum, ſed quoad primam ſui adquiſitionem: potuit enim Deus illam tribuere humanitati propter merita eiuſdem humanitatis ante aſſumptionem: ergo.

15 Secunda ſententia eſt Vazquij aſſerentis non potuiſſe animam Chriſti admittere cum vnione hypoſtatica aliquod peccatum perſonale, bene tamē peccatum originale. Primum dictum habet præfatus auctor 3. part. diſputat. 61. cap. 3. & 6. Secundum vero habet capite 8. num. 56. cuius rationem aſsignat quia potuiſſet diuinum Verbum aſſumere naturā humanam per virilem generationem ab Adamo propagatam, quæ proinde peccatum originale contraxiſſet.

Tertia ſententia negat etiam de potētia abſoluta quoduis peccatum, ſiue actuale, ſiue originale poſſe in natura aſſumpta reperiri, quam tuētur Maior in 3. diſtinct. 12. cap. 2. Diu. Thom. quæſt. 2. art. 1. Diu. Bonauentura art. 2. quæſt. 1. Richardus, Capreolus, Paludan. quæſt. 1. Dionyſius Ciſtercienſis ibidem quæſt. 3. Alenſis 3. parte queſt. 13. membro 1. art. 1. Enrriqus quodlibeto 6. quæſtione 6. & ex Neothericis illam pluribus amplificant, & defendunt Medina 3. parte, quæſtione 15. articulo 1. Franciſcus Suarez diſputatione 34. ſection. 2. Gregor. de Valentia punto 2. Ranguſa, & Peſantius diſputatione vnica, & Nazarius controuerſia vnica in 1. 2. & 3. parte, & Cabrera ibidem diſputatione vnica, concluſione ſecunda: pro cuius declaratione.

Impoſsibile ſuit in natura aſſūpta peccatū aliquod actuale.

16 Dico primo. Omnino impoſsibile eſt in natura aſſumpta à diuina perſona peccatum aliquod actuale reperiri. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Auctores primę ſententiæ, & probatur hac ratione Theologica: nam plenitudini gratię Chriſti, & collectioni omnium donorum, & auxiliorum quibus eius anima erat protecta, atque cuſtodita nedum peccatum in actu, ſed etiam potentia proxima ad peccandum repugnabat, ſed non eſt ponendum in anima Chriſti id, quod eius derogat gratiæ, & ſanctitatis plenitudini : ergo proxima potentia ad peccandum eſt illi deneganda. Minor non eget probatione, & maiorem ſic oſtendo : nam in plenitudine gratiæ Chriſti, & donorum collectione includebatur vnio hypoſtatica per quam erat Dei filius naturalis, & ſpecialis obligatio, qua diuinum ſuppoſitum tenebatur ſuam humanitatem cuſtodire; includebatur etiam ſpecialis Dei protectio, qua Deus illam ab omni malo illæſam præſeruabat : atqui cum his omnibus non poterat eſſe in illa humanitate potentia expedita ad malum, in quo conſiſtit proxima potentia ad peccandum : ergo nullatenus manſit potentia ad peccandum.

Quod amplius declaro, atque confirmo, ex comparatione potentiæ peccandi ad fomitem, ad habitus vitioſos, & ad habitum erroneum : nam nihil horum manſit, aut potuit manere in Chriſto propter eius gratiæ, virtutis ac ſcientiæ plenitudinem : ſed eadem, imò, & maior eſt ratio excludendi potentiam peccandi : ergo pariter hæc non potuit in illo remanere. Minor admittitur ab aduerſarijs : & maiorem probo dupliciter.

Primo, ſigillatim per ſingulas partes illius diſcurrendo : non enim potuit manere fomes quia eſt inordinata appetitus inclinatio ad bonum ſenſibile diſſonum rationi, atque hęc nequit compati cum virtutis, & gratiæ plenitudine, qualis in Chriſto reperitur, eo quod ſicut aliqualis virtus, fomitis eſt diminutiua, & aliqualiter impeditiua; virtus in ſummo, ſeu plenitudo virtutis debet eſſe fomitis prorſus extinctiua, maximè quia virtus, & gratia Chriſti habuit perfectionē virtutis, & gratię ſtatus innocentiæ, cū qua fomes non eſt compatibilis. vt infra dicetur. Quod autem non potuerint in illo manere habitus vitioſi, ſiue erroris practici, qui eſt regula affectus prauipatet, quia illi repugnant plenitudini gratiæ, & iſti plenitudini ſcientiæ vt dub. ſequenti declarabitur. Secundo probatur, eadem maior, nam quidquid Deus poteſt aſſumere ſimul cum natura racio-

nali aſſumpta, ſit illi acceptum & gratum, & eſt ab illo ſanctificabile, quod neutiquã poteſt de fomite, habitu vitioſo, aut erroneo verificari, vt ex dicendis dubio ſequenti conſtabit: ergo.

17 Secundo probatur concluſio, ratione deſumpta ex Patribus, communiter aſſerentibus naturam, ſiue voluntatem humanam per vnionem hipoſtaticam factam eſſe impeccabilem: ſiue moralis, vt Peſantio placet, ſiue phiſica hæc impeccabilitas dicenda ſit, vt ab alijs exiſtimatur, maxime ex Athanaſio ſerm. 2. contra Apolinarem relato in ſexta ſynodo Generali actione 8. Hieronymo Dialogo 2. contra Pelagianos, Dionyſio Alexandrino in epiſtola contra Paulum Samoſetanum, Tertulliano lib. de carne Chriſti. Anſelmo libro 2. cur Deus homo, capite 10. Fulgent. lib. de incarnatione, & gratia capite 7. & Damaſceno libro 3. de fide capite 17. quia nimirum gratia vnionis incompatibilis eſt cum quocunque peccato in natura aſſumpta, ſiue præexiſtente, ſiue conſequẽte: ergo neceſſe eſt per talem vnionem quodcunque peccatum præexiſtens expelli à natura aſſumpta, & ſubſequens non admitti.

Antecedens probatur à prædictis Patribus, quia per huiuſmodi vnionem talis natura, perfectiſsime ſantificatur, & deificatur ſecundum ſe, & omnia, quæ in ipſa ſunt, eoquod Deus talem naturam aſſumens, facit ſuam, & hic homo fit Filius Dei naturalis. Implicat autem aliquam culpam fieri ipſius Dei, aut ſic Deificari, aut conuenire Filio Dei naturali: ergo.

Si dicas ex triplici capite poſſe huiuſmodi vnionem compati cum culpa in natura aſſumpta: nimirum vel, quia formaliter illa non ſanctificat, nec gratam facit per ſe, & antecedenter ad gratiam habitualem, vt tenet probabilis ſententia plurium Theologorum: nimirum Paludan. Durand. Capreoli, & aliorum, quos retulimus ſupra quæſtione 7. articulo 1. dubio 2. ergo per ſe, & formaliter, non excludit omnem culpam à natura aſſumpta: vtpote non habens cum illa formalem, & directam, ac immediatam oppoſitionem.

Tum etiam quia admiſſo, quod ſit forma ſanctificans humanitatem, & habens immediatam oppoſitionem cum omni culpa læthali, non tamen ſequitur quod illam habeat cum culpa veniali, vtpote quæ non redit hominem inimicum Deo, ſed compatitur cum amicitia Dei, & cum gratia gratum faciente.

Tum denique, quia licet huiuſmodi, gratia vnionis propter ſuam excellentiam, & perfectionem ſit incompatibilis cum omni culpa, tam mortali, quam veniali præexiſtenti in natura aſſumpta, vel aſſumenda: tamen non eſt cur natura aſſumpta peccatum aliquod non poſſit contrahere per quod, & ipſa præexiſtens vnio diſſoluatur, ita vt primum eſſe peccati ſit primum non eſſe vnionis: ſicut contingit homini habenti gratiam habitualem, vt in eodem inſtanti in quo peccat mortaliter præexiſtentem gratiam amittat.

Sed huic obiectioni reſpondeo negando aſſumptum: ad cuius primã probationem dicendum eſt iuxta ea, quæ docuimus in loco præallegato, vnionem ratione Deitatis, ſiue perſonalitatis eſſe formam ſanctificãtem naturam aſſumptam, & eam formaliter gratificantem, ita vt immediate opponatur cum omni culpa, & malitia peccati, tam mortalis, quam venialis: eo quod talis, ac tantæ excellentiæ eſt vt Deificet naturam aſſumptam: eamque perfectiori modo ſanctificet, quã gratia conſumata, ſiue beatitudo: ac proinde ſi hæc etiam in ſententia Scoti, & aliorum aduerſariorum eſt incompatibilis cum omni culpa, à fortiori & illa; nec ad hoc requiritur, quod inter gratiam vnionis, & peccatum ſit illa formalis, & immediata oppoſitio, qualis eſt inter duo contraria, vel inter priuationem, & habitum. Manifeſtum enim eſt peccatum non conſiſtere formaliter, in priuatione gratiæ vnionis, ſed ſatis eſt, vt propter perfectiſsimum munus ſanctificandi repugnantiam habeat cum omni peccato: quemadmodum beatitudo illam habent, ſine huiuſmodi formali, & directa oppoſitione, quandoquidem, nec peccatum conſiſtit in priuatione beatitudinis; ex quo patet ad ſecundam probationem.

Ad tertiam vero reſpondetur, nec poſſe illo modo peccatum ſuperueniens hypoſtaticam vnionem diſſoluere propter duo.

Tum quia vnio hypoſtatica, ſicut humanis operibus liberi arbitrij, non ſubiaces

cet, vtpotè quia illis, nec adquiritur, nec augetur: ita nec eiſdem corrumpi poteſt, ſicut gratia habitualis per actus liberi arbitrij poteſt amitti, & diſſolui: vtpote à quibus diſpoſitiue adquiri, & meritoriè augeri poteſt.

Tum etiam, quia gratia vnionis conſtituit ſuppoſitum, quod tamen non præſtat gratia habitualis: ergo omnis operatio procedens à natura habente gratiam vnionis debet procedere ab ipſo ſuppoſito ei vnito.

Tunc vltra, ſed hoc ſuppoſitum non poteſt eſſe proprium, ſiue creatum, quia hoc non eſt compatibile durante gratia vnionis: ergo eſt diuinum à quo impoſsibile eſt procedere aliquem actum peccaminoſum: ergo impoſsibile eſt gratiam vnionis præexiſtentem diſſolui per peccatum ſubſequens: cuius primum eſſe, ſit primum non eſſe vnionis.

Cuius tamen oppoſitum poteſt contingere in gratia habituali, quia cum non conſtituat ſuppoſitum poteſt à ſuppoſito prouenire aliquod peccatum expulſiuum ipſius gratiæ. Rogabis in quo gardu certitudinis ſit certa hæc noſtra concluſio?

Reſpondent Capreolus, & Medin. eſſe certam de Fide, ita v oppoſita ſit blaſphema, & erronea, & magis flammis, quam rationibus impugnanda.

Verius autem Suarius, & Cabrera, vbi ſupra, reſpondent illam eſſe adeo certam, vt oppoſitum; ſine temeritate, & quadam impietatis ſpecie ſubſtineri non poſſit, eo quod nullibi eſt expreſſe rebelata, aut diffinita, & alias eſt omnium ſanctorum Patrum conſenſu approbata, quod eſt ſufficiens fundamentum ad probandum prædictum gradum certitudinis.

Peccatum què originale fuit illi impoſsibile.

18 Dico ſecundo, nec poteſt eſſe in humana natura aſſumpta à Verbo diuino, peccatum aliquod per modum habitus quale eſt originale. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus ſecundam ſententiam: & licet ſit minus certa, quam præcedens, tamen fere gaudet eodem gradu certitudinis: ita vt ſine aliqua ſpecie temeritatis negari non poſsit.

Et primo probatur: nam vno ex duobus modis poſſet natura aſſumpta à Verbo habitualem maculam peccati contrahere. Vno modo quaſi ex proprio actu relictam, & hoc eſſe impoſsibile ſatis oſtenſum eſt præcedenti concluſione.

Alio modo contrahendo culpam originalem non ex proprio actu; ſed ex actuali peccato alterius: nimirum protoparentis, & ex infecta radice ab illo originem trahendo: ſed nec hoc modo potuit habitualem maculam peccati contrahere: ergo. Minor patet quia ſuppoſito modo conceptionis, quo Chriſtus, vt homo de facto fuit conceptus, non traxit originem ab infecta radice Adami: ac proinde ex huiuſmodi hypotheſi impoſsibile fuit originale peccatum contrahere: vtpotè virtute Spiritus S. & non virili ſemine conceptus.

Deinde fuit impoſsibile, quod originalem maculam contraheret, quamtumuis per ſeminalem propagationem conciperetur, ſi ſupponamus vnionem hypoſtaticam fuiſſe à primo inſtanti conceptionis: nam tunc anima rationalis: imo tota humanitas prius natura intelligeretur vnita diuino ſuppoſito, & aſſumpta ab illo, quam peccato originali infecta: ſiquidem in eodem ſigno rationis intelligitur humanitas vnita ſuppoſito diuino, in quo ſubſiſteret in proprio ſuppoſito, ſi relinquæretur ſuæ naturæ.

Atqui prius intelligitur in proprio ſuppoſito, quam infecta peccato originali: ergo pariter, & in Chriſto.

Tunc vltra, ſed poſt vnionem cum ſuppoſito diuino, nullatenus poſſet ex vi conceptionis contrahere originale peccatum, quia per huiuſmodi vnionem aufertur etiã debitum contrahendi, tale peccatum: ergo.

Secundo probatur abſolute, & ſine vlla ſuppoſitione incompatibilem eſſe maculam originalis culpæ cum vnione hypoſtatica, ratione deſſumpta ex Patribus, ſupra citatis: quia nimirum huiuſmodi originalis macula, vel antecederet vnionem hypoſtaticam, vt ſi Verbum diuinum aſſumeret humanitatem: quæ prius tempore in proprio ſuppoſito ſubſtitiſſet, & in eo eſſet macula peccati originalis infecta, vel ſubſequeretur illam, vt ſi humanitas, poſt quàm eſt aſſumpta à Verbo diuino, aut ſimul in ipſa aſſumptione talem maculam contraheret; ſed vtroque modo eſt incompatibilis cum illa gratia vnionis: eo quod eſt forma perfectiſsime ſantificans, & Deificans humanitatem,

quæ proinde maculam pręcedentem debet expellere, & ſubſequentem, aut concomitantem nullatenus admittere; ſicut oſtendimus hac eadem ratione gratiam vnionis eſſe incompatibilem omnino cum peccato actuali, & habituali ex proprio actu contracto, tam præueniente, quam ſubſequeute ipſam vnionem. Hinc iudicium ferendum eſt de alijs rationibus, ad quas Theologi citati reducunt huiuſmodi Chriſti hominis impeccabilitatem. Alenſis enim. Enricus, & Scotus, illam reducunt ad gratiam habitualem confirmatam cum dono confirmationis, vel conſumatam cum viſione beata.

Sed hæc ratio, nec eſt primordicalis radix impeccabilitatis, nec abſolutæ, & omnimodæ impeccabilitatis conſtitutiua. Non primum quia gratia habitualis confirmata, & conſumata cum omnibus donis eſt debita gratiæ vnionis, & ad illam conſequuta, ac proinde ſupponit humanitatem excelentiori modo ſanctificatam, & expertem omnis peccati per gratiam vnionis, quam eſſe formam ſanctificantem formaliter antecedenter ad gratiam habitualem oſtendimus ſupra quæſtione 7. dub. 2.

Nec ſecundum quia Verbum diuinum abſolute potuit aſſumere humanitatem ſine gratia habituali, & ſine viſione beata, vt etiam iſti auctores fatentur: ergo ſi impeccabilitas in ſolis huiuſmodi donis conſiſteret: maneret humanitas aſſumpta abſolute potens peccare, ſicut & poteſt eſſe ſine huiuſmodi donis, vt fatetur Scotus, & reliqui tenentur fateri minus ſibi cõſtantes, cuius tamen appoſitum hucuſque oſtendimus.

Deinde ſecunda ratio, ſeu radix ad quã alij, recurrũt de quorũ numero ſunt Magiſter. Bonauentura, Capreol. Paludan. & Cabrera, deſumitur ex ſpeciali obligatione, qua diuinum Verbum, vt ſuppoſitum naturæ aſſumptę tenetur illam cuſtodire, & dirigere in ſuis operationibus, ita vt ſi permittat eam peccare tale peccatum non minus imputetur ipſi diuino ſuppoſito, quam patri imputaretur peccatum filij exiſtentis ſub eius patria poteſtate, & quod ipſe poterat, & tenebatur vitare.

Huic affinis eſt tertia radix, ſiue ratio ad quam idem Bonauentura Capreolus, Medina, & Cabrera reducunt huiuſmodi impeccabilitatem, deſumpta ex ipſo munere ſuppoſiti, quod præſtat diuinum Verbum, circa naturam aſſumptam ratione cuius habet ſe, vt principium *quod*, proximũ, & elicitiuum operationum talis naturæ, quia operationes ſunt ſuppoſitorum. Cui proinde attribui deberet actio peccaminoſa, tanquam propria ipſius, & cum alias diuinum Verbum ſit omnino impeccabile, ideò & adimit à natura aſſumpta omnem peccandi potentiam.

Vtraque quidem ratio, licèt non primordialis, bene tamen efficax eſt, ad probandam abſolutam impeccabilitatem humanitatis Chriſti veluti ab inconuenienti, & à poſteriori.

Sed contra primam arguit Vazquez vbi ſupra capite 5. quod Verbo diuino nulla ineſt maior obligatio dirigendi, & cuſtodiendi humanitatem, quam toti Trinitati, quia operationes ad extra ſunt communes toti Trinitati: & conueniunt Deo ratione omnipotentiæ, ſeu voluntatis, quæ eſt communis tribus perſonis nullaque in ratione operandi ad extra ſpecialis actiuitas conuenit Verbo, quia ſolum operatur actione communi toti Trinitati.

Rurſus, quia obligatio, aut non poteſt cadere in diuinum Verbũ, eo quod liberum eſt ab obligatione, ſicut & ab omni ſubiectione, aut ſi cadit aliqua, reſpicit per ſe primo voluntatem, quæ eſt communis toti Trinitati.

Deinde cõtra ſecũdã rationẽ inſurgit idem Vazqu. cap. 4. argumento Durandi, quia nimirum peccatum in tali caſu ſolum tribueretur ſuppoſito diuino denominatiuè, atque vt ſuſtentanti humanitatem, & per cõmunicationẽ idiomatum: quod non eſt inconueniens: quia ſi natura humana Chriſti prius ſubſtitiſſet in proprio ſuppoſito, & tunc peccaret: verũ eſſet dicere poſtea oſtenſo Chriſto: hic homo peccauit, quia eſſet idem homo cum illo; propter identitatem naturæ: ergo.

20 Nihilominus vtraque ratio, vindicatur ab his calumnijs. Ad primam enim reſpondetur quod licet quantum ad munus agendi, ſiue operandi nihil ſpeciale habeat Verbum quod nõ ſit commune toti Trinitati; bene tamen quoad munus terminandi, & ſuppoſitandi naturam humanam, quod eſt proprium ipſius, & conuenit

nit ei ratione proprietatis perſonalis: & ratione huius ſpecialis muneris incumbit ei ſpecialis obligatio dirigendi, ac cuſtodiendi naturam aſſumptam illamque præſeruandi ne in peccatum aliquod labatur. Hæc autem obligatio non oritur ex aliqua lege ſuperioris, ſed ex ipſa natura rei, & munere ipſiuſmet ſuppoſiti, reſpicitque per ſe primo, voluntatem diuinam nõ abſolute, ſed prout eſt appropiata in Filio; qui eſt ſuppoſitum humanæ naturæ: quo etiam pacto Deus ipſe, atque diuina voluntas obligari dicitur ad non peccandum; non obligatione orta ex aliqua lege, aut pręcepto: ſed orta ex ipſa natura, & bonitate diuina, quæ ita ad bonum amandũ eſt determinata, vt malum culpæ admittere non poſsit,

Ad ſecundam neganda eſt maior, quia licet ſuppoſitum non ſit ratio agendi, vel operandi niſi ſola natura: tamen ex ſuppoſito, & natura ita conſtituitur vnum integrum principium operandi: ex natura quidem, vt ex ratione agẽdi, ex ſuppoſito autem, vt ex conditione intrinſeca, & termino terminante, & fulcimento complente ipſam naturam, vt eius operationes tribuã tur toti huic compoſito, vt principio *quod*; ac proinde ſi aliqua eſſet peccaminoſa, verè ac propriè diuinum Verbum eſſet principium efficiens talis operationis, quod tamen eius derogat bonitati, ac ſanctitati increatę. Nec in caſu adducto verificaretur, quod hic homo peccauit oſtenſo Chriſto, quia propter diuerſitatem ſuppoſitorum, tunc Petrus, & Chriſtus eſſent duo diſtincti homines.

Denique alij, de quorum numero eſt Vazquez reducunt huiuſmodi impeccabilitatem ad extrinſecam entitatem actus peccaminoſi, vel ad vnionem hipoſtaticã non ſolam, ſed vt huic perfectioni aſſotiatam.

Sed hæc ratio non eſt ſufficiens propter duo: tum quia talis perfectio debita eſſet vnioni hypoſtaticæ, ac proinde eam ſupponeret vnde illa per ſeipſam, & antecedenter ad talem perfectionem extrinſecam eſſet ſufficiens per modũ radicalis rationis ſanctificare humanitatem aſſumptam, & eam immunem redere ab omni peccato. Tum etiam, quia alias humanitas aſſumpta non eſſet ab intrinſeco impeccabilis quin potius ab intrinſeco haberet potentiam peccandi, & ſolum ab extrinſeco, & per accidens careret illa: ac proinde abſolute ſimpliciter, & ſine addito admittenda eſſet hæc propoſitio, Chriſtus, vel humana voluntas Chriſti poteſt peccare: ſicut admittitur iſta, prædeſtinatus poteſt condemnari: propterea quod habet intrinſecam potentiam liberi arbitrij, qua poſſit abſolute condemnari, licet ab extrinſeco decreto prædeſtinationis impediatur quoad talem efectũ: ergo ſola gratia vnionis eſt pręcipua & radicalis ratio huius impeccabilitatis.

Ad primum pro priori ſententia negatur minor, quia in voluntate Chriſti manſit libertas perfecta ſecluſis imperfectionibus. Et quoniam ad perfectionem libertatis pertinent indifferentia exercicij, aut etiam contrarietatis inter duo extrema bona: ſed non contrarietatis ad bonum & malum, ideò prima, & non ſecunda manſit in Chriſto, quo pacto manet libertas in beatis. *Occurritur fũdamentis prioris ſententiæ.*

21 Si dicas: admiſſo, quod alicui beato imponeretur à Deo preceptum faciendi aliquid, non eſſet liber in eius impletione, quia in peccabilis eſt: ergo cũ Chriſtus ſit impeccabilis, nec fuiſſet liber, & cætera.

Reſpondetur negando antecedens: Angeli enim cuſtodes præceptum habent cuſtodiendi homines, quod tamen libere adimplent: his adde, quod licet Chriſto fuerit impoſitum præceptum acceptandi mortem, non tamen præceptum fuit illi, vt hoc aut illo actu determinate acceptaret; ſed tantum vt aliquo actu vage acceptaret illam, & ſic manſit liber quoad exercicium: quia potuit etiam hic, & nunc acceptare mortem, hoc actu vel alio, & ſic potuit hunc actum exercere, & omittere, quæ ſunt extrema libertatis exercitij, & cum hic ſit modus conſuetus diuinorum præceptorum erga alios homines, non eſt cur non fuerit ſeruatus in Chriſto. Igitur ad primam probationem minoris neganda eſt conſequentia.

Ad ſecundam vero reſpondetur, Chriſtum potuiſſe, quidem non acceptare mortem iſto actu determinatè obedientiæ qui ſupponit præceptum acceptandi vage: ſed non acceptandi per hunc actum, nec enim Deus ab alijs hominibus ſic exigit obedientiam, aut obſeruantiam ſuorum præceptorum, vt q. 19. dub. 3. oſtendemus.

Ad ſecundum reſpondetur primo negando illam conſequentiam, cuius inſtantiam habemus in ſimili forma: nam non va

let: intellectus diuinus eſt potentia generatiua, & eſt in filio: ergo potentia generatiua eſt in filio, quia intellectus non abſolute; niſi vt a ſotiatus paternitati eſt potentia generatiua: ita potentia peccandi non eſt liberum arbitrium creatum quomodocumque, niſi vt aſſociatum defectibilitati; & vt ſic non eſt in Chriſto, variaturque quid in ad aliquid, qui eſt defectus appellationis.

Reſpondetur ſecundo negando minorem, quia peccabilitas non eſt modus per ſe voluntatis creatæ, quarto modo, & ideo non conuenit omni; ſed eſt proprius primo modo, & ideo conuenit ſoli.

Tertio reſpondetur, quod eſt modus proprius non conſequutus ad ſpeciem, ſed tantum ad ſtatum, & propterea poteſt voluntas in alio ſtatu, & ſubiecto à tali modo vindicari: ſicut intellectus humanus in ſtatu patriæ vindicatur à modo cognoſcendicum indigentia conuerſionis ad fanthaſmata.

Ad tertium diſtinguo minorem, manſit voluntas Chriſti inuariata: quoad eſſentialia, & in eſſe entis concedo: manſit inuariata in ratione principij, nego: quia mãſit impedita ad peccadũ ratione gratiæ vnionis primordialiter, & ſecũdario atq; concõmitãter ob alias rationes adductas: nimirum propter ſpecialem directionem ac cuſtodiam diuini ſuppoſiti, atque denegationem omnis auxilij ſufficientis ad actum peccaminoſſum.

Dices: ſi verbum aſſumeret humanitatem in puris naturalibus vnde diſtingueretur ad humanitate noſtra in ratione principij: ſiquidem verbum tãtum gerit vicem ſuppoſiti, & non virtutis eleuantis, aut cõſtituentis potentias in ratione principij operatiui?

Reſpondetur nihilominus tunc ratione vnionis humanitatem, & eius voluntatem manſuras fore determinatas ad bonum: eo quod cum efficiantur per vnionẽ humanitas, & voluntas ipſius diuini ſuppoſiti: eo ipſo malum culpæ extrahitur ab obiecto talis voluntatis, quæ proinde, iã amittit indifferentiam reſpectu illius, & in hoc ratione vnionis variatur talis voluntas in ratione principij, non quia vnio ſit eius virtus operatiua; ſed quia eſt conditio, ſiue ratio extrahendi peccatũ ab obiecto voluntatis, vtpote cum illo incompatibilis, & quia impedit liberum arbitrium, eiuſque deffectum ſubtrahit.

22 Ad quartum reſpondetur, quod malum culpæ non ideò repugnat Deo in natura aſſumpta, quia repugnat Deo in ſe; ſed quia ſic repugnat Deo, vt malũ auertẽs ab ipſo, & eius bonitati cõtrariũ: Deus autem nequit velle, aliquid auertens ab ipſo: ácproinde nequit illud aſſumere teſte D. Thom. ſup. q. 1. art. 1. ad 3. Nã quidquid aſſumit, ſiue ſit natura, ſiue coaſſumptum cum natura non poteſt, non velle ac diligere, cætera autem mala pœnæ, non ſic repugnant Deo, vt auertant ab ipſo, & ab eius bonitate, quia tantum ſunt priuationes aliquorum bonorum particularium.

Ad confirmationem Vazq. diſput. citata 61. cap. 7. num. 42. reſpondet ideo gratiã vnionis eſſe inamiſſibilem per peccatum, ſecus atque gratiam adoptionis, quia illa eſt independens ab humanis actibus, vt dicit Dioniſius Alexandrinus in epiſtola ad Paulum Samoſetanum: hæc vero eſt amiſſibilis, quia dependet ab humanis actibus, & conſeruatur à Deo in anima intuitu boni vſus, aut ſaltẽ negatiue intuitu nõmali. Sed hęc ſolutio defficit propter tria. Tum quia confirmatus in gratia poteſt eam augere, quim poſsit letaliter peccare: ergo impotentia peccandi, non bene reducitur ad impotentiam augendi gratiam proprijs actibus.

Tum etiam quia gratia iuſtlſicans nec datur, nec cõſeruatur intuitu boni vſus: ergo non ex hoc eſt amiſſibilis, ſed quia eſt in ſubiecto vertibili in malum.

Tum denique, quia etiam vnio hypoſtatica potuit ſubijci actibus liberis humanitatis pręexiſtentis in alio ſuppoſito, quibus illam poſſet ſaltem de congruo promereri. Neque obſtat, quod reſpõdet Vazq. dicens, neque tunc gratiam vnionis fieri maiorem formaliter, neque Chriſtum per actus meritorios fieri ſanctum ſanctitate vnionis: homo autem iuſtus per ſuos actus meritorios vere auget ſuam gratiam, & fit formaliter ſanctus, & magis ſanctus. Sed hoc alibi eſt impugnatum, quia nimirum actus ſupernaturales non ſunt formæ iuſtificantes, niſi tantum diſpoſitiue: & ſic etiã illi actus concurrerent diſpoſitiue ad ſanctitatem vnionis. Vnde aliter dicendum eſt, quod vnio eſt inamiſſibilis, ex natura ſua, quia eſt vnio terminata ad eſſe diuinũ; quod eſt indefectibile, & propterea, menſuratur æternitate participata: acproinde talis vnio non eſt minus inamiſſibilis, quã beatitudo.

Dubium ſecundum eſt: An in Chriſto ſaltem de potentia abſoluta potuerint fomes peccati, & ignorantia reperiri?

Quid ſit fomes, qualiter in Chriſto, & beata Virgine extinctus.

23 PRO cuius dubij explicatione prius de fomite, deinde de ignorantia dicendum eſt. Igitur circa fomitem tria videnda ſunt: nimirum quid ſit, per quid extinctus fuerit in Chriſto, & beata Virgine, & tandem an de potentia abſoluta in Chriſto fuerit poſsibilis? Circa primũ triplex eſt modus dicendi Theologorum: primus quorũdã aſſerentium, quod fomes cõſiſtit in apetitu ſenſitiuo cum ordinatione & appetitu innato ad bonũ ſenſibile, vt ſic indifferẽter. Secundus eſt quod fomes eſt actus ſecundus in ordinatus apetitus, id eſt apetitus illicitus inordinatus: ita Vazquez hic diſput. citata, cap. 8. num. 48. & diſpu. 119. cap. 2. & 5.

Tertius, & verus eſt quod fames eſt apetitus determinate inclinans, & quaſi expeditus ad motum inordinatum. Et probatur primo: nam fomes, hic art. 2. in corpore, & ad ſecundum dicitur inclinatio apetitus, & concupiſcẽtia in id quod eſt cõtra rationem. Et ad tertium ait D. Thom. quod actus fomitis eſt impugnatio interior: & quod ratione fomitis caro concupiſcit aduerſus ſpiritum ſicut impugnatio exterior prouenit à mundo, & à Diabolo: ſed hec denotant diſtinctionem fomitis à motu inordinato, ſicut difert actus primus à ſecundo: ergo.

Secundo, nam ex primo modo dicendi ſequitur in Chriſto de facto fuiſſe fomitẽ quod eſt falſum. Ex ſecũdo verò ſequitur quod in dormientibus non ſit fomes, quia nõ eſt actualis cõcupiſcentia; & ſequitur quod quando defficit talis actus non habeat homo tres inimicos animæ: ſiquidem non habet carnem, quę eſt vnus ex inimicis quæ ſupponit pro fomite, quod dictum eſt abſurdum: ergo.

Circa ſecundum, etiam eſt triplex modus dicendi: primus Vazquij in locis citatis quod ratio extinguẽdi omnino fomitẽ eſt viſio beata, vel protectio diuina peculiaris, vel vtraque ſimul; illa in Chriſto, & beatis fuit, imò vtraque. Secunda vero ratio in ſtatu innocentiæ, & beata Virgine, &c.

Secundus modus Caietani hic artic. 2. quod eſt virtus participans aliquo modo ſtatum innocentiæ, & cuius ſubiectum, ſcilicet anima in ſuis potentijs non ſit vulnerata: & quia in Chriſto anima non fuit vulnerata; ideò & fomes in illo fuit extinctus.

24 Tertius & verus eſt Diu. Thom. quod ratio extinguẽdi eſt virtus perficiẽs appetitum, quæ quanto perfectior eſt tanto perfectius ſubijcit illum rationi, & ſic virtus in ſummo ſubijcit vſque ad extinctionem. Neque valet obiectio Vazquij, quod hæc ſubiectio ſit à virtutibus extrinſece, vt ab extrinſeco inclinante: ergo nequit omnino extingui: ſicut eadẽ ratione nequit habitibus vitioſis omnino extingui inclinatio ad virtutẽ, quia impeditur ab illis, & minuitur ab extrinſeco: nã ſubiectio apetitus ad rationem, eſt naturalis, & reſiſtentia, ſeu inobedientia eſt præter naturam: ibi enim dicit Diuus Thomas ad primum quod apetitus eſt naturaliter obedibilis rationi, & ſic connaturaliter eſſet, & quaſi ab intrinſeco fit per virtutem.

Deinde reſpondetur, nam etiam ſecluſa viſione ex vi vnionis in Chriſto non eſſet fomes, ſiquidem eſſet ſanctus, & natus, ex Spiritu ſancto, vt dicitur Matth. 1. *Qui in ea natum eſt*, &c. vt arguit Diu. Thom. in argumento *ſed contra*, ſed Spiritus ſanctus excludit peccatum & inclinationem ad peccatum: ergo defficit primus modus, Et quia vt admittit Vazquez cap. 6. & 7. vnio hipoſtatica eſt ratio excludendi peccatum, & eadem ratio eſt excludendi potentiam peccandi: ergo fomitem.

Secundus autem eſt explicatio triplici, & reducitur ad illum: quia virtus ſubiecti non vulnerati extinguit, quia hæc eſt perfectiſsima, & quædam participatio ſtatus innocentiæ. Si autẽ vellit quod virtus pro vt eſt in tali ſubiecto, & non ſecũdũ ſuam perfectionem extinguat falſum eſſet.

Circa tertium eſt etiam triplex modus dicendi. Primus Vazquij numer 55. quod potuit de potentia abſoluta eſſẽ fomes in Chriſto, quia potuit ſumere humanitatem non videntem Deum, ac proinde cum aliquo motu inordinato qui vere ſit fomes.

Secūdus aliorum, quia potuit aſſumere naturam cum tali motu: qui tamen non eſſet fomes, quia non eſſet à peccato originatus, & in peccatum formaliter inclinans: quæ tamē formalitas eſt de ratione fomitis.

Tertius, quod nedum de facto, ſed neq; de potentia abſoluta poſsit eſſe fomes, aut talis motus inordinatus in Chriſto: ita Suarius diſp. 34. ſect. 2. & Nazar. art. 2. cōtrouerſ. vnica.

Et hic eſt verior, & probatur prima pars, ſcilicet quod de facto non fuerit, à D. Thom. tripliciter. Primo in argumento, ſed contra, ex plenitudine gratiæ Spiritus ſancti: & ſecūdo ex perfectione virtutis, & tertio ex fine incarnationis, qui fuit ſatisfactio, ad quem non congruebat fomes, ſed potius impediebat.

Quarto probatur ex fine propter quē relinquitur in nobis et ex principio effectiuo: nam cauſatur ex peccato originali, & relinquitur ad agonē, vt in virtute per frequentem victorias creſcamus: ſed in Chriſto nec fuit peccatum originale, neque eius gratia poteſt exercicio bonorum operum augeri, cum ſit in ſummo: ergo.

Deinde pro tertia parte probatur, ex prima & ſecunda ratione Diu. Thomæ, ex quibus etiam patet ad argumentum in oppoſitum adductum.

Dices: in Chriſto fuit motus, cui ſi conſentiret eſſet peccatum, vt triſtitia, & fuga mortis: ergo & fomes.

Reſpondetur negando conſequentiam, quia motus fomitis eſt in illud quod de ſe eſt peccatum, & non in illud quod eſt peccatum ab extrinſeco: nimirum quia pręceptum, quæ doctrina eſt Diui Thomæ in art. 4. huius quæſtionis in ſolutione ad 3. aſſerentis eas paſsiones, quæ ſunt motus appetitus ſenſitiui tendentes in illicita obiecta eſſe idem cum fomite, & propterea non fuiſſe in Chriſto, ſicut nec fuit fomes, bene tamen alias quæ non tendunt in aliquid determinate, & ſecundū ſe illicitum.

Neque habitus vicioſos potuiſſe eſſe in Chriſto defenditur cōtra Vazquium.

25 Hinc ſoluitur alia difficultas de habitibus vicioſis: in qua licet Vazquius cap. 6. num. 35. ſentiat illos potuiſſe quidem de potentia abſoluta reperiri in Chriſto, eo quod non ſint incompatibiles cum gratia vnionis, licet de facto non fuerint in illo ob indecentiam, & incongruitatem. Vera tamen ſententia eſt negans huiuſmodi habitus vitioſos poſſe etiam de potentia abſoluta aſſumi a Deo in humana natura, quam defendit Suarius dict. diſput. 34. ſectio. 2. circa finem, & Nazarius in part. 6. controuerſiæ citatæ, & ſuadetur.

Primo quia huiuſmodi habitus viciorum magis deteſtandi, & fugiendi ſunt, quam omnis error, vel falſitas: Deus autē non poteſt aſſumere errorem, vel falſitatæ: ergo.

Secundo quia quilibet prudens debet vitare hæc vicia in ſua natura quantum poteſt, quia nec per ſe amabilia ſunt, nec ad honeſtum finem poſſunt per ſe conducere.

Tertio quia indigna ſunt, vt per vnionem hypoſtaticam deificentur, omnia autem quæ Chriſtus aſſumpſit, aut aſſumeret, debuiſſent ſactificari, atque deificari ob vnionem cum Deitate: ergo. Quæ rationes amplius confirmantur, tripliciter: tum quia gratia vnionis cum ſit conſtitutiua filij Dei naturalis, excludit nedum peccatum; ſed etiam inclinationem peccati à natura aſſumpta, ſicut etiam ob ſui perfectionem excludit peccata venialia, & omnem reatum pœnæ temporalis, vt idem Vazquius fatetur vbi ſupra; ſed iſti habitus vicioſi, licet non ſint formaliter peccata, ſiue mala culpæ: ſunt tamen inclinationes ad ipſam culpam: ergo.

Tum etiam quia ad ſuppoſitum diuinum pertinet ſpecialis veluti obligatio ex ipſa diuina bonitate orta dirigendi ſuam naturam, ſiue propriam, ſiue aſſumptam, ad bonum, & præſeruandi ab habitu vicioſo, alias imputabitur ei in culpam, ſiue defectum, quod derogat eius prudentiæ, directioni, & bonitati, & cuſtodiæ: erga humanitatem aſſumptam.

Dices: habitus vicioſus non eſt malum culpæ, imo nec reatus pœnæ: ablata enim omni culpa, & reatu pœnæ poteſt manere in homine baptizato, cui omnis culpa, & pęna perfecte remittitur per baptiſmum, & tamen ſi antea habeat aliquem habitum vicioſum, non illico per baptiſmum ab illo aufertur: ergo pariter non eſt cur ſi natura humana in proprio ſuppoſito exiſtens haberet aliquem habitum vicioſum, illum amittere debeat ex vi vnionis hypoſtaticæ ſi poſtea aſſumatur a Deo.

Reſpondetur negando conſequentiā, quia productio huiuſmodi habitus vicij repugnat in natura aſſumpta, nō quia formaliter ſit malū culpæ, aut reatus pænæ ſupponens culpam; ſed quia dicit habitualem quandam inordinationem in ſe, & inclina-

tionem

tionem ad actum peccaminoſum; ideſt ad malũ culpę, vt dictũ eſt: imo ex hoc capite magis repugnat naturę aſſumptę quàm reatus pœnę, vtpote qui licet ſupponat antecedentem deordinationem in ſua cauſa: tamẽ in ſe poſtquam contractus eſt, nullam dicit deordinationem; nec prauam inclinationem.

Denique de errore, ſiue ignorantia priuatiua, vel prauæ diſpoſitionis, duæ etiam opiniones verſantur: prima affirmans de potentia abſoluta potuiſſe aſſumi à Verbo tam actum, quam habitum erroris ſpeculatiui, & inculpabilis, licet non practicum, qui ſit regula afectus praui, quam tuetur Vazquius in dict. diſp. 61. cap. 9. & 1. 2. diſput. 90. cap. 4.

26 Et ſuadetur tripliciter, tũ quia huiuſmodi actus, ſiue habitus formaliter nõ eſt malum culpæ, niſi tantum pœnæ, quod nullã proinde dicit deordinationem prauam: ergo. Tum etiam, quia nulla ineſt obligatio diuino ſuppoſito cuſtodiendi naturam hũmanam aſſumptam, maior quam inerat ante aſſumptionem, & maior quam ineſt totius Trinitati, quæ in natura alterius hominis quamtumuis iuſtificati poteſt immediatè cauſare habitum erroneum, ſicut & illũ immediate conſeruare, atque de facto conſeruat quoties tallis habitus tranſactis actibus præcedentibus, ex quibus fuit genitus, conſeruatur in hominis intellectu: ergo.

Tum denique, quia aliud eſt Deum eſſe authorem erroris per modum teſtis, & aliud per modum cauſæ primę efficientis, vel cooperantis cum cauſa ſecunda. Primum quidem Deus facere non poteſt, ſicut nec falſum aſſeuerare: bene tamen ſecundum, & hoc tantum ſequitur ex eo quod aſſumeret Verbum naturam humanã cum errore pre exiſtenti in illa ex actibus alterius ſuppoſiti: ſicut eadem ratione potuit aſſumere cum tali natura reatũ pœnæ temporalis relictum ex culpa commiſſa ab altero ſuppoſito in eadem natura: vnio namque ſuperueniens excluderet quidem culpam, ſed non reatum. Sed vera ſententia eſt negatiua, quam docuimus 2. 2. quæſt. 1. art. 3. dub. 1. ex cuius rationibus ibi labefatantur fundamenta adducta in contrarium, de qua & Nazar. art. 3. controuerſia vnica.

Dubium tertium eſt: Quæ & quales fuerint in Chriſto Domino paſsiones appetitus ſenſitiui?

27 IN hoc dubio ſupponendum eſt, affectus, ſiue paſsiones appetitus ſenſitiui, iuxta veriorem ſententiam D. Thom. 1. 2. quæſt. 23. art. 4. Ricard. in 3. diſtin. 6. art. 1. quæſt. 3. Suarij hic diſp. 34. ſectio. 3. & Azorij 1. part. lib. 3. cap. 3. eſſe vndecim in genere: nimirum ſex pertinentes ad facultatem concupiſcibilem, ſcilicet amorem odium, deſiderium, & fugam, delectationem, & triſticiam, & quinq; ſequentes, ſcilicet ſpem, deſperationem, timorem, & audaciam, & iram pertinentes ad facultatem iraſcibilem, quo ſuppoſito.

Reſpõd. cõcluſione affirmãte hos vndecim affectus, ſiue paſsiones fuiſſe in Chriſto Domino in genere, licet non ſecundum omnes & ſingulas ſpecies ſub vnoquoque reperibiles, quia v. g. non fuit in Chriſto omnis ſpecies doloris, ſiue triſtitiæ ſenſibilis: eo quod triſticia proueniens ex egritudine corporis non decebat Chriſtum: ſimiliter, nec omnis ſpecies amoris fuit in illo, quia aliquis amor poteſt eſſe malus, &c.

28 Hæc concluſio communiter recipitur à Theologis, eamque docet Diu. Thom. in hac quæſt. ab art. 4. vſque ad 9. nam quàmuis in his articulis tantum diſputet expreſſe de tribus affectibus, hoc eſt de dolore, ſiue triſticia, & de timore ſub quo compræhendit admirationem, quæ ad timorem reuocatur, atque de ira, ex quo tamen iſti tres affectus reperiuntur in Chriſto, licet includere videantur aliquem defectum, non eſt cur alij afectus, qui nullum defectum includunt, in ipſo non reperiantur.

Deinde probatur concluſio diſcurrendo per ſingulos affectus recenſitos: nam in primis amor ſenſibilis fuit in Chriſto, eo quod iſte actus eſt maxime connaturalis appetitui ſenſitiuo, & eſt de obiecto poſibili, & conuenienti, & eſt prima omnium paſſionum: ergo non potuit non eſſe in appetitu ſenſitiuo Chriſti: vtpotè qui matrem, &

& amicos affectũ ſenſibili diligebat, & alia obiecta ſenſibilia conuenientia: & quoniam contrariorum eadem eſt ratio, ideo & actum odij debuit habere circa mala cõtraria obiectis amatis.

Rurſus de deſiderio etiã res certa eſt fuiſſe in Chriſto, quia conueniens fuit Chriſtũ amare, & inquirere bona abſentia, quod fit per actum deſiderij; nec obſtat quod obiectũ huiuſmodi affectus dicat imperfectionem carentiæ boni amati, quia hæc potuit conuenire Chriſto ſecundum corpus in ſtatu viæ: vtpote reſpectu cuius aliquã bona ſenſibilia poterant eſſe abſentia, ſimiliter, & reſpectu aliorum, quibus bonã huiuſmodi deſiderare potuit.

Deinde certum eſt, fuiſſe in Chriſto affectus delectationis reſpectu bonorum præſentium ſenſibilium, quibus delectabatur: eo quod ex huiuſmodi obiectorũ vſu neceſſario reſultat; & talis delectatio, alias eſt honeſta, quando eſt de rebus ad conſeruationem corporis neceſſarijs, vel de actibus honeſtis, & propterea reperietur etiã in ſtatu beatudinis, & quia eadem eſt ratio contrariorum neceſſe fuit, etiam dolorem ac triſtitiam in Chriſto reperiri, quod probat Diu. Thom. in art. 5. tamquã dogma Fidei, ex illo Eſai. 53. *Vere languores nõſtros ipſe tullit, & dolores noſtros ipſe portauit*, & probatur: etiam ex illo Pſalm. 87. *Repleta eſt malis anima mea*, ideſt doloribus, vt Auguſtinus interprætatur. Rurſus ſuadetur ex omnibus teſtimonijs, quibus probatur Chriſtum habuiſſe corpus vere paſsibile, ex quibus confutatur error Manicheorum dicentium Chriſti corpus, non vere paſsibile; ſed phantaſticum fuiſſe, & quia hic affectus fuit maxime conueniens, & accommodatus ad finem Incarnationis, quia cum ſit pœnalis, & ab omni culpa alienus, eſt accommodatiſsimus ad ſatisfaciendum pro culpis.

Denique quia dolor ſenſibilis naturaliter cauſatur, ac reſultat ex læſione corporis & ſenſu læſionis, ideoque dolor diffinitur quod ſit ſenſus læſionis cauſaliter: nam formaliter eſt affectus quo appetitus ſenſitiuus refugit læſionem ſenſu perceptã: eſt enim de tali læſione ſenſu percepta, tanquam de proprio obiecto applicato: ſed in Chriſto fuit lęſio corporis, & alias ſenſu percepta, vtpote cuius anima maxime ſentiens erat: ergo & fuit affectus doloris.

Confirmatur amplius: nam in Chriſto fuit triſticia, quę à dolore non diſtinguitur niſi vt ſuperius ab inferiori, vel genus à ſua ſpecie. Idque probat Diuus Thomas in art. 6. tanquam dogma fidei dupliciter 1. ex illo Matthæi 26. *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*, & iterum *cœpit contriſtari, & mæſtus eſſe.*

29 Secundo, quia in Chriſto potuit eſſe obiectum triſticię ſenſibilis ſicuti & doloris. Huiuſmodi enim obiectum eſt aliquod malum ſenſibile, quod licet realiter corpus nõ ledat nec externo ſenſu ſentiatur, vt in dolore contingit, tamen ſenſu interno, ſeu imaginatione, vt præſens appræhenditur: in Chriſto autem potuit eſſe, imo & de facto fuit apræhenſio huius mali vel mortis, ſicut iniuriarum ac peccatorum ipſorum hominum: ergo potuit eſſe triſticia ſenſibilis, quæ ex tali obiecto apræhenſo naturaliter reſultat in appetitu ſenſitiuo, aliàs non impedito per contrariam diſpoſitionem.

Tunc vltra, ſed quamuis delectatio diuinæ contemplationis exiſtens in anima Chriſti poſsit in eius appetitum ſenſitiuum redundare, & triſtitiæ reſiſtere: tamen diuina diſpenſatione factum eſt, ne in appetitum redundaret; ſed omnino intra partem animæ ſuperiorem cohiberetur ne dolorẽ, vel triſtitiam ſenſibilem à viribus inferioribus impediret.

Reſpondetque Diuu. Thom. in his duobus art. duobus teſtimonijs, quorum alterũ eſt Hilarij lib. 10. de Trinitate aſſerentis: quidem vulnera, atque ictus attuliſſe Chriſto impetum paſsionis, non tamen dolorem paſsionis intuliſſe, vt tellum aliquod aquam perforans, in quibus verbis expreſſe videtur negare in Chriſto fuiſſe verum dolorem ſenſibilem, quod etiam aſſerit Can. 31. in Matthæum, & ſuper Pſalm. 53. & 68. Vnde Claudius Vienenſis lib. 2. de ſtatu animæ, cap. 11. in 6. tomo, Bibliotecæ. dicit Hilarium in ea fuiſſe ſententia erronea, & Bonauent. in 3. diſt. 16. artic. 1. quæſt. 1. ad 1. ſubdit Hylarium poſtea retractaſſe errorem, quem tenuerat in dictis locis, quia audiuit Guilelmum Pariſienſem referentem, ſe vidiſſe, & legiſſe librũ Hylarij, in quo dictum errorem retractauit. Sed melius D. Tho. ar. 5. ad 1. vindicat Hylarium ab hac calumnia, quod etiam faciunt Magiſter in 3. diſtin. 16, & Alenſis 3. part. quæſt. 17. membro 1. imo & Bonauen. vbi ſupra aſſerentes Hylarium minime erraſſe in dictis locis;

tis; ſed tantum voluiſſe, aut Chriſtum ita paſſum eſſe, vt ratione diuinæ naturæ, ſiue perſonæ diuinæ dolores non ſenſerit.

Cuius contrarium Arriani auctumabãt contra quos Hilari⁹ lib. de Trinitare conſcripſit: aut tantum voluiſſe (ait D. Tho.) in Chriſto non fuiſſe neceſsitatem ſubeũdi dolores ſenſibiles contractum ex peccato, quæ eſt in nobis, ſed potius ratione vnionis illi fuiſſe debitum, & quaſi connaturale, ne dolores ſuſciperet, quamuis voluntariè illos aſsumpſerit.

Vnde Hylarius numquam negat in Chriſto fuiſſe dolorem, ſed naturam doloris, ideſt ex conditione ſua ſubiectum dolori: acproinde non veritatem doloris, ſed neceſsitatem à Chriſto excludere intẽdit: neceſsitatem inquam, per comparationem ad cauſam primam horum defectuum: quãtum tamen ad cauſam proximam huiuſmodi defectuum, quæ eſt compoſitio cõtrariorũ caro Chriſti ſubiacuit neceſsitati horum defectuum, vt habet D. Tho. in dict. ſolutio. ad 1. & quæſt. preced. art. 2.

Alterũ eſt illud Iſai. 42. *Nõ erit triſtis, nec turbulentus*, vbi propheta ſermonem faciens d Chriſto, videtur ab illo excludere triſtitiam.

Ad quod reſpondet Diu. Thom. art. 6. in ſolutione ad 1. dic ns triſtitiam, quidem remoueri à Chriſto ſecundum paſsionem perfectam: non tamen iniciatam ſecũdum propaſsionẽ; & propterea Matth. 26 dicitur de illo, quod cepit contriſtari, & mæſtus eſſe, quia ſecundum Hyeron. ibidem, aliud eſt contriſtari, & aliud incopere contriſtari. Pro cuius declaratione imprimis notanda eſt lectio. 70. interpretum quæ in dicto teſtimonio, Iſai, ita habet *explendebit, & non conteretur*; quod de Chriſti reſurrectione intelligi, docent Hyeronim. & Ciril. ibidem, & Auguſtin. lib. 20. de ciuitate, cap. vltim. quia Chriſtus licet fuerit occiſſus: non tamen fuit contritus, ſed ſtatim à morte reſurgens magis reſplẽduit & in Hæbreo habetur: *Non fumigabit*, ideſt non ita per mortem fumigaturus eſt, quaſi omnino extintus, ſed per reſurrectionem erit accendendus: in vulgata vero lectione habetur verbum illud: *Non erit triſtis, &c.* quod exponendum eſt in ſenſu aducto iuxta illud Prouerb. 12. *Iuſtus quidquid ei acciderit non contriſtabit eum*, ideſt quamuis triſtitiam concipiat aliquam: non tamen dominabitur ei: ita vt pacem vel tranquilitatem animæ eius perturbet, vt Hyeronimus ibi, & D. Thom. hic interpretantur: acproinde hanc triſtitiam appellat pro paſsionem, quia vt docuerat in art. 4. huiuſmodi paſsiones in Chriſto fuerunt aliter, quam in nobis, quantum ad tria nimirum quantum ad obiectum, quantum ad principiũ, & quantum ad eff ctum: quoniã nec in Chriſto ferebantur in illicitũ obiectum, nec præueniebãt iudicium rationis, nec rationẽ impediebant, aut trahebant: ſed ei plene ſubdebantur.

30 Deinde in Chriſto fuiſſe timorem probat D. Thom. in art. 7. cuius ſententia affirmans communiter recipitur à Theologis in 3. diſtin. 15. quam concluſionem intelligit Nazarius, hic controuer. vnic. de timore non proprio efficaci, ſed improprio & inefficaci per modum ſimplicis diſplicẽtię, ſicque conciliat oppoſitas Caiet. ac Suar. opiniones: & conuincitur ex illo Marc. 14. *Cœpit Ieſus pauere, & tedere*, quod in ſenſu proprio, & litterali intellectum verificatur de timore ſenſibili propterea quod additur: *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma*: acproinde ſine temeritate negari non poteſt. In art. autem 8. probat in Chriſto fuiſſe admirationem propriè, quod colligitur ex teſtimonijs Matth. 8. & Luc. 7. & probatur; quia ſecũdum ſciẽtiam ſperimentalẽ potuit illi ocurrere aliquod nouum obiectũ, & inſolitum, ex quo propria admiratio reſultat, quia eſt affectus de aliquo nouo, & inſolito. Quæ ratio confirmatur amplius tripliciter.

Tum quia huiuſmodi affectus fuit etiã conueniens ad finem Incarnationis; ob quam & reliquos affectus appetitus ſenſitiui aſſumpſit, vt dictum eſt: ergo & iſtum debuit aſſumere. Antecedẽs patet quia fuit conueniens ad noſtram inſtructionem: nã teſte Auguſtin. lib. 1. ſuper Geneſim, cap. 8. quod mirabatur dominus, nobis mirandus eſſe ſignificat; & propterea eius admiratio fuit non perturbati animi, ſed docentis Magiſtri.

Tum etiam, quia teſte Damaceno lib. 2. de Fide cap. 15. admiratio eſt quædam ſpecies timoris: nam eſt timor ex magna imaginatione procedens: ergo cum in Chriſto fuerit timor, quoad alias ſpecies, non eſt cur, non habuerit huiuſmodi ſpeciem timoris, in qua admiratio conſiſtit; & alias cum verba ſacræ Scripturæ ſint in ſenſu proprio intelligenda, quando commode fieri poteſt, & nullum ſequitur inconueniens.

Dices

Dices ex poſitione admirationis in Chriſto ſequi in illo fuiſſe ignorantiam, quia admiratio neceſſario ſupponit aliquã ignorantiam, eo quod teſte Philoſopho lib. 1. Metha. cap. 2. cauſatur ex hoc quod aliquis videt effectum, & ignorat cauſam: ergo cum ignorantia, non debeat admitti in Chriſto, pariter nec admiratio. Nec fit ſatis huic obiectioni, quod reſpondet Diu. Thom. in ſolutione ad primum dicens: potuiſſe occurrere Chriſto, aliquid nouum, & inſolitum reſpectu ſcientiæ experimentalis, ex quo admiratio cauſaretur propter duo. Tum quia cauſa non cognoſcitur experimento diſtincto ab experientia effectus, qui ab illa procedit: ſed eodem experimento, quo quis experitur effectum ſimiliter, & experitur ei⁹ cauſam: ac proinde nõ ſtat cum experientia effectus ignorantia cauſæ, & deſiderium cognoſcẽdi illam.

Tum etiam, quia admiratio, quæ Matthei 8. attribuitur Chriſto, erat de efectu, cuius cauſa ſub experimento ſenſuum cadere non poterat, ſcilicet de Fide Centurionis.

Huic argumento reſpondetur, plures eſſe modos admirationis vltra recenſitum, vt videre eſt in Auguſt. Epiſt. 101. & D. Thom. 1. 2. quæſt. 42. art. 4. qui in Chriſto eſſe potuerunt: eo quod ignorantiam non ſupponunt. Cuiuſmodi ſunt admiratio, quæ oritur ex apræhenſione rei magnæ, & ſingularis, etiamſi alias cognita ſit: magnę inquam, vel ſimpliciter, vel comparatione ad aliquem; vt cum admiramur ſciẽtiam pueri, quæ licet in ſe magna non ſit, eſt tamen magna, & inſolita reſpectu illius ętatis: & ſi huiuſmodi res magna nouo modo cognoſcatur, vt bona, & conueniens, oritur in appetitu affectus admirationis cõplacẽtię, ſiue deſiderij, vel delectationis; & hanc fuiſſe admirationem Chriſti, docet Nazar. hic controuerſia vnica. Si vero ſit incommoda, & mala oritur in appetitu affectus admirationis timoris. Poteſt etiam dari alius modus admirationis, qui non ſupponat ignorantiam, ſed cognitionem minus perfectam, hoc eſt citra comprehenſiuam effectus, & cauſæ, ſiue emanationis effectus à tali cauſa, ex qua oritur deſiderium amplius penetrandi, talem emanationem, ſiue timor ferendi iudicium, ſine amplius perſcrutandi talem rem.

Et hi tres modi admirationis potuerunt eſſe in Chriſto: primus quidem, quia potuit eſſe affectus deſiderij ortus ex apræhẽſione rei magnæ conuenientis: ſecũdus vero, quia potuit eſſe affectus terroris, ortus ex apræhenſione rei magnæ diſconuenientis: tertius denique, quia potuit eſſe affectus ortus ex cognitione naturali non compræhenſiua alicuius cauſæ, penetrandi amplius, vel non perſcrutandi talem cauſam. Et hi affectus poſſunt eſſe tam in voluntate, quam in appetitu ſenſitiuo, circa obiectum proportionatum apræhenſum à cogitatiua, vt reſoluit Suarius in allegata ſect. 3. ad ſecundum.

Deinde de affectu iræ nedum exiſtente in voluntate, ſed etiam excitato in appetitu ſenſitiuo, & quatenus paſsio eſt, repertum fuiſſe in Chriſto eſt ſententia D. Thomæ in art. 9. communiter recepta à Theologis, cum Magiſt. in 3. diſt. 15. & à Bonauent. art. 1. quæſt. 3. Ricard. art. 3. quæſt. 4. Durand. quæſt. 2. & ab expoſitoribus D. Th. in dict. art. 9. & à ſanctis Patribus; qui eã deducũt ex Ioann. 2. vbi dicitur in Chriſto fuiſſe impletum illud Pſalm. 68. *Zelus domus tuæ comedit me*, & etiam ratio Theologica id ſuadet, quia huiuſmodi affectus nec indecentiã, nec peccatum includit iuxta illud Pſalm. 4. *Iraſcimini, & nolite peccare*, & alias oritur ex triſtitia, quam conſtat fuiſſe in Chriſto, & hac poſita neceſſe eſt ponere & ſenſibilem delectationem. De affectu vero ſpei, probat Suarius in dict. ſect. 3. etiam potuiſſe eſſe in Chriſto, quia potuit affectu naturali tendere in bonum aliquod ſenſibile arduũ, & dificile in ordine ad ei⁹ vires naturales. Et quia potuit aliquod bonum ſenſibile apræhendi à Chriſto, vt inſuperabile per vires naturæ, aut etiam aliquod malum vitandũ, potuit de illo etiam habere affectum deſperationis ſenſibilis, quem forte habuit de ipſa morte vitanda.

Denique de affectu audaciæ, certum eſt potuiſſe eſſe in Chriſto: eo quod in ſtatu viæ Chriſtus in maximis periculis vitæ, & honoris fuit: ac proinde potuit affectu aliquo ſenſibili agredi pericula propter malum aliquod vitandum, vel bonum conſequendum, qui affectus prudenter elicitus nullam inuoluit imperfectionem, quin potius ad perfectionem, & virtutem fortitudinis pertinet.

(* *)

QVAEST.

QVAESTIO XVI.

De conſequentibus vnionem, quantum ad ea quæ cõueniũt Chriſto ſecundum eſſe & fieri, in duodecim articulos diuiſa.

1 POSTQVAM D. Thom. in præcedentibus egit de myſterio Incarnationis, quantum ad eſſe, & fieri, hoc eſt de Verbo aſſumente, de natura aſſumpta, vtriuſque nexu, & vnione, atque de perfectionibꝰ, & deffectibus coaſſumptis: ab hac quęſtione, vſque ad 26, incluſiue agit de his, quæ ad huiuſmodi vnionem conſequuntur: inter quæ primo occurrunt ea, quæ cõueniunt Chriſto, & conſequuntur eius vnionem quantum ad prædicationem, & locutionem, de quibus exacte agit in tota, hac quæſtione, vt veritas prædicationum diſcernatur, & rectus, ac catholicus modus loquendi in myſterio Incarnationis ſeruetur, ex cuius ignorantia cõtigit aliquibus in periculoſos errores labi, de qua materia tractant Scholaſti cum Magiſtro in 3. diſtin. 7. 11. & 12.

ART. I.

Vtrùm hæc ſit vera, Deus eſt homo?

AD primum ſic proceditur. Videtur, quòd hæc ſit falſa, Deus eſt homo. Omnis enim propoſitio affirmatiua in materia remota eſt falſa. Sed hæc propoſitio, Deus eſt homo, eſt in materia remota: quia formę ſignificatæ per ſubiectum, & prædicatum, ſunt maximê diſtantes; Cum ergo propoſitio prædicta ſit affirmatiua; videtur quôd ſit falſa. *3 d. 8. q. 1. art. 1. & vn. a. 4. c ſi.*

2 Pręterea, magis conueniunt tres perſonæ diuinæ adinuicem, quã humana natura, & diuina. Sed in myſterio Trinitatis vna perſona non prędicatur de alia: non enim dicimus, quôd pater eſt filius, vel é contrario. Ergo videtur, quod nec humana natura poſsit prædicari de Deo, vt dicatur, quod Deus eſt homo.

3 Præterea, Athanaſ. dicit, *quod ſicut anima, & caro vnus eſt homo: ita Deus & homo, vnus eſt Chriſtus. Sed hęc eſt falſa, anima eſt corpus. Ergo etiam hæc eſt falſa; Deus eſt homo. *in ſuo Fidei ſymbolo.*

4 Præterea, ſicut in prima parte habitum eſt, * quod prædicatur de Deo non relatiue, ſed abſolute, conuenit toti Trinitati, & ſingulis perſonis. Sed hoc nomen, homo, non eſt relatiuum, ſed abſolutum. Si ergo vere prędicatur de Deo, ſequeretur, quod tota trinitas, & quælibet perſona ſit homo: quod patet eſſe falſum. *p. q. 39. ar. 3.*

Sed contra eſt, quod dicitur Philip. 2. Qui cum in forma Dei eſſet, exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens,

accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Et ſic ille, qui eſt in forma Dei, eſt homo. Sed ille, qui eſt in forma Dei, eſt Deus. Ergo Deus eſt homo.

Reſpondeo dicendum, quôd iſta propoſitio, Deus eſt homo, ab omnibus chriſtianis conceditur: non tamen ab omnibus ſecundum eandem rationem. Quidam enim hanc propoſitionem concedunt, non ſecundũ propriam acceptionem horum terminorum. Nam Manichæi Verbum Dei, dicunt eſſe hominem, non quidem verum, ſed ſimilitudinarium, in quantum dicunt filium Dei corpus phantaſticum aſſumpſiſſe: vt ſi dicatur Deus homo, ſicut cuprum figuratum dicitur homo, quia habet ſimilitudinem hominis. Similiter etiam illi, qui poſuerunt, quod in Chriſto anima, & corpus non fuerunt vnita, non poſſunt dicere, quôd Deus ſit verus homo: ſed quod dicatur homo figuratiuê, ratione partium. Sed vtraque harum opinionum ſupra improbata eſt. * Alij verô e conuerſo ponũt veritatem ex parte hominis, ſed negant veritatem ex parte Dei. Dicunt enim Chriſtum, qui eſt Deus & homo, eſſe Deum non naturaliter, ſed participatiue, ſcilicet per gratiã, ſicut & omnes ſancti viri dicuntur, dij: excellentius tamen Chriſtus præ alijs propter gratiam abundantiorẽ. Et ſecundum hoc, cum dicitur, Deus eſt homo, ly, Deus non ſupponit verum, & naturalem Deum. Et hæc eſt hæreſis Photini, quæ ſupra improbata eſt. * Alij vero concedunt hanc propoſitionem cum veritate vtriuſque termini, ponentes Chriſtum, & verum Deum eſſe, & verum hominem, ſed tamen veritatem prædicationis nõ ſaluant. Dicũt enim, quod homo prędicatur de Deo per quamdam coniunctionem, vel dignitatis, uel authoritatis, vel etiam affectionis, aut inhabitationis. Et ſic poſuit Neſtorius Deum hominem eſſe, vt per hoc nihil aliud ſignificetur, quã quod Deus eſt homini coniunctus tali coniunctione, quod homo inhabitetur â Deo, & vniatur ei ſecundum affectum, & ſecundum participationem authoritatis, & honoris diuini. Et in ſimilem errorem incidunt quicumque ponunt duas hypoſtaſes, vel duo ſuppoſita in Chriſto: quia nõ eſt poſſibile intelligi, quod duorũ, quæ ſunt ſecundum ſuppoſitum, vel hypoſtaſim diſtincta, vnum proprię prædicetur de alio, ſed ſolum ſecundum quamdam figuratiuam locutionem, in quantum in aliquo coniungũtur: puta ſi dicamus Petrum eſſe Ioannẽ, quia habent aliquam coniunctionẽ adinuicem. Et hæ etiam opiniones ſupra improbatę ſunt. * Vnde ſupponendo ſecundum veritatem catholicę fidei, quod vera natura diuina vnita eſt cum vera natura humana, non ſolum in perſona, ſed etiam in ſuppoſito, vel hypoſtaſi, dicimus hanc propoſitionem eſſe veram & propriam, Deus eſt homo, non ſolum propter veritatem terminorũ (quia ſcilicet Chriſtus eſt verus Deus, & verus homo) ſed etiam propter veritatem prędicationis. Nomen enim ſignificans naturam communem in cõcreto, poteſt ſupponere pro quolibet contentorum ſub natura communi, ſicut hoc nomen homo, poteſt ſupponere pro quolibet homine ſingulari. Et ita hoc nomen. Deus, ex ipſo modo ſuę ſignificationis poteſt ſupponere pro perſona filij Dei, vt etiam in prima parte habitum eſt. * De quolibet autem ſuppoſito alicuius naturæ, poteſt vere, & proprie prædicari nomen ſignificans illam naturam in concreto, ſicut de Sorte, & Platone proprie & vere prædicatur homo. Quia ergo perſona filij Dei (pro qua ſupponit hoc nomen

Deus)

q. 5. a. 1. & 2.

q. 2. a. 6.

q. 2. a. 6.

p. p. q. 31. art. 4. & 3.

Deus) eſt ſuppoſitum naturæ humanæ, vere, & proprie hoc nomen homo, poteſt prædicari de hoc nomine Deus, ſecundum quod ſupponit pro perſona filij Dei.

Ad primum ergo dicendum, quod quando formæ diuerſæ non poſſunt conuenire in vnum ſuppoſitum: tunc oportet, quod propoſitio ſit in materia remota, cuius ſubiectum ſignificat vnam illarum formarum, & prædicatum aliam.

Sed quando duæ formæ poſſunt conuenire in vnum ſuppoſitum, non eſt materia remota, ſed naturalis vel contingens: ſicut cum dico, album eſt muſicum. Natura autem diuina, & humana, quamuis ſint maxime diſtantes: tamen conueniunt per incarnationis myſterium in vno ſuppoſito, cui neutra illarum ineſt per accidens, ſed per ſe.

Et ideo hæc propoſitio, Deus eſt homo, non eſt neque in materia remota, neque in materia contingenti, ſed in materia naturali. Et prædicatur homo de Deo, non per accidens, ſed per ſe, ſicut ſpecies de ſua hypoſtaſi; non quidem ratione formæ ſignificata per hoc nomen Deus, ſed ratione ſuppoſiti, quod eſt hypoſtaſis humanæ naturæ.

Ad ſecundum dicendum; quod tres perſonæ diuinæ conueniunt in natura, diſtinguuntur tamen in ſuppoſito: & ideo non prædicantur de inuicem. In myſterio autem incarnationis, naturę quidem, quia diſtinctæ ſunt, de inuicem non prædicantur, ſecundum quod ſignificantur in abſtracto (non enim natura diuina eſt humana:) ſed quia conueniunt in ſuppoſito, prædicantur de ſe inuicem in cõcreto.

Ad tertium dicendum, quod anima, & caro ſignificantur, vt in abſtracto, ſicut diuinitas, & humanitas. In concreto vero dicuntur animatum, & carneũ, ſiue corporeum; ſicut & ex alia parte Deus, & homo. Vnde vtrobique abſtractum non prędicatur de abſtracto: ſed ſolum concretum de concreto.

Ad quartum dicendum, quod hoc nomen homo, prædicatur de Deo, ratione vnionis in perſona: quæ quidem vnio relationem importat. Et ideo non ſequitur regulam eorum nominum, quæ abſolute prædicantur de Deo ab æterno.

2 CONCLVSIO affirmans eſt: nimirum hanc propoſitionem, *Deus eſt homo*, eſſe veram, & ſuppoſito incarnationis myſterio ſecundum Fidem Catholicam, & in materia naturali, ex dicta ſuppoſitione: vt probat Nazarius cõtrouerſia vnica, quam probat Diu. Thom. Tum ex ex illo ad Philipen. Secundo, qui cum in forma Dei eſſet exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo, ſed ille qui eſt in forma Dei eſt Deus: ergo Deus factus eſt homo: ac proinde Deus eſt homo.

Deinde hac ratione Theologica, quia hoc nomen *Deus*, ex modo ſuæ ſignificationis poteſt ſupponere pro per- perſona filij Dei: eo quod nomen ſignificans naturam in concreto poteſt ſupponere pro quolibet ſuppoſito talis naturæ: ergo de Deo poteſt prædicari homo, quatenus Deus ſupponit pro perſona filij, quæ eſt ſuppoſitum naturæ humanę.

Conſequentia patet, quia de quolibet ſuppoſito alicuius naturæ poteſt verè, & propriè prædicari nomen ſignificans illam naturam in concreto, vt inductione probari poteſt in homine, leone, & ſimilibus. Ex qua doctrina manent confutati tres errores, ſcilicet Manichæi, Pho-

tini, & Neſtorij, qui veritatē huius propoſitionis, licet ex diuerſo capite auferebāt: relinquitur, etiam confutata opinio Durandi in 3. diſtin. 4. quæſtio. 2. aſſerentis hāc propoſitionē non eſſe ita propriā, & quod natura humana de Deo non prædicatur in quid; ſed tantum denominatiuè: ita vt Deus propriè loquendo dicatur humanatus, & non homo: ſed quia ſacra Scriptura ſæpe dicit Deum eſſe hominem, & id diffiniuit Eccleſia in Concilio Epheſio. 1. Canon 1. & 4. & in 6. Synodo Generali actione 11. & Lateranenſi ſub Mart. 1. Canone quarto, & id paſsim patres proclamant, verè, & propriè Deum eſſe hominem, dictamque propoſitionem eſſe veram, & propriam, ſiue Deus ex parte ſubiecti ſumatur abſolutè pro habente Deitatem, ſiue ſumatur determinate, pro particulari perſona humanata, licet hoc ſecundo modo ſit magis formalis, & directa prædicatio, quem primo modo, quia prædicatum vere conuenit ſubiecto formaliter per ſe ipſum, & non per aliquid metaphoricum, aut alio modo analogicè, & inpropriè illi ſimile.

Ex quibus patet non poſſe omnino à temeritatis nota excuſſari modum loquendi Durandi.

ART. II.

Vtrùm hæc ſit vera, homo eſt Deus?

Locis ſupr. art. 1. inductis.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod hæc ſit falſa, homo eſt Deus. Deus enim eſt nomen incommunicabile. Vnde Sapien. 13. reprehenduntur idololatræ de hoc, quod hoc nomen, Deus, quod eſt incommunicabile, lignis, & lapidibus impoſuerunt, Ergo pari ratione videtur eſſe inconueniens, quod hoc nomen, Deus, prædicetur de homine.

2 Præterea. Quicquid prædicatur de prædicato, prædicatur de ſubiecto. Sed hæc eſt vera, Deus eſt Pater; vel Deus eſt Trinitas. Si ergo hæc eſt vera homo eſt Deus: videtur quod hæc etiam ſit vera, homo eſt Pater, vel homo eſt Trinitas. Quas quidem patet eſſe falſas. Ergo & primam.

3 Præterea, in Pſalm. 80 dicitur, non erit in te Deus recens. Sed homo eſt quiddam recens; non enim Chriſtus ſemper fuit homo. Ergo hæc eſt falſa, homo eſt Deus.

Sed contra eſt, quod dicitur Roman. nono. Ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. Sed Chriſtus ſecundum carnem eſt homo. Ergo hæc eſt vera, homo eſt Deus.

Reſpondeo dicendum, quod ſuppoſita veritate vtriuſque naturæ, diuinæ ſcilicet & humanæ; & vnione in perſona, & hypotaſi: hæc eſt vera, & propria, Homo eſt Deus; ſicut & iſta, Deus eſt homo. Hoc enim nomen, homo, poteſt ſupponere pro qualibet hypoſtaſi humanæ naturę, & ita poteſt ſupponere pro perſona filij Dei, quam dicimus eſſe hypoſtaſim humanæ naturæ. Manifeſtum eſt autem, quod de perſona filij Dei vere; & proprie prædicatur hoc nomen Deus, vt in prima parte habitum eſt. † Vnde relinquitur; quod hæc ſit vera, & propria, Homo eſt Deus. p. q. 39. a. 3. & 4.

Ad primum ergo dicendum, quod idololatræ attribuebant nomē Deitatis lapidibus, & lignis, ſecū-

dum

dum quod in ſua natura conſiderantur : quia putabant in illis aliquid numinis eſſe. Nos autem non attribuimus nomen deitatis Chriſto ſecundum humanam naturam, ſed ſecũdum ſuppoſitum æternum: quod eſt etiam per vnionem ſuppoſitum humanæ naturæ, vt dictum eſt *. *Incorp. ar.*

Ad ſecundum dicendum, quod hoc nomen, pater, prædicatur de hoc nomine Deus, ſecundum quod hoc nomen Deus, ſupponit pro perſona patris. Sic autem non prędicatur de perſona Filij : quia perſona Filij non eſt perſona Patris. Et perconſequens non opportet, quod hoc nomen Pater, prædicetur de hoc nomine homo, de quo prædicatur hoc nomen Deus : in quantum ly, homo ſupponit pro perſona Filij.

Ad tertium dicendum, quod licet humana natura in Chriſto ſit quiddam recens : tamen ſuppoſitum humanæ naturæ, non eſt recens, ſed æternum. Et quia hoc nomen Deus, non prædicatur de homine, ratione humanæ naturæ, ſed ratione ſuppoſiti : non ſequitur quod ponamus Deum recentem. Sequeretur autem, ſi poneremus, quod homo ſupponit ſuppoſitum creatum, ſecundum quod opportet dicere eos, qui in Chriſto ponunt duo ſuppoſita.

CONCLVSIO affirmans eſt, quæ ſuadetur : tum ex illo ad Roman. 9. ex quibus eſt Chriſto ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula : ſed Chriſtus ſecundum carnem eſt homo : ergo hæc eſt vera: homo eſt Deus.

Tum etiam; quia Deus verè, & propriè prædicatur de perſona Filij diuini: ergo etiam de homine.

Conſequentia patet : nam homo poteſt ſupponere pro perſona Filij Dei, ſiquidem poteſt ſupponere pro quouis ſuppoſito humanæ naturæ, & perſona Filij Dei eſt vnum ex ſuppoſitis humanæ naturæ: ergo.

ART. III.

Vtrùm Chriſtus poſsit dici homo dominicus?

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod Chriſtus poſsit dici homo dominicus. Dicit enim Auguſtin. in libro * 83. quæſtion. Monendum eſt, vt illa bona expectentur, quæ fuerunt in illo homine dominico. Loquitur autem de Chriſto Ergo videtur, quod Chriſtus ſit homo dominicus. *3. d. 7. q. 2. a. 2. q. 36. ci. me. to. 4.*

2 Præterea. Sicut dominium conuenit Chriſto ratione diuinæ naturæ : ita etiam humanitas pertinet ad humanam naturam. Sed Deus dicitur humanatus, vt patet per Damaſcen. in tertio * libro vbi dicit, quod humanatio eam, quæ ad hominem, copulationem demõſtrat. Ergo pari *Orth. fid. c. 11.*

ratione poteſt dici denominatiue, quod homo ille ſit dominicus.

3 Præterea. Sicut dominicus denominatiue dicitur à Domino, ita diuinus denominatiue dicitur à Deo. Sed Dionyſ. * Chriſtum nominat diuiniſsimum IESVM. Ergo pari ratione poteſt dici, quod Chriſtus ſit homo dominicus.

c. 4. eccl. hier. p. 3. in ti t. cõt. in pr. c. 19. nõ procul à fi. t. 1.

Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit in lib. retract. * Non video, vtrum rectê dicatur, homo dominicus Ieſus Chriſtus, cum ſit vtique dominus.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut ſupradictum eſt *, cum dicitur homo Chriſtus Ieſus, deſignatur ſuppoſitum æternum, quod eſt perſona Filij Dei, propter hoc, quod eſt vnũ ſuppoſitum vtriuſque naturæ. De perſona autem Filij Dei prædicatur Deus & Dominus eſſentialiter: & ideô non debet prędicari denominatiuê: quia hoc derogat veritati vnionis. Vnde cum dominicus dicatur denominatiuê â Domino, non poteſt verê & propriê dici, quod homo ille ſit dominic⁹, ſed magis quod ſit dominus. Si autem per hoc quod dicitur, homo Chriſtus IESVS, deſignaretur ſuppoſitum aliquod creatũ, ſecundum illos, qui ponunt in Chriſto duo ſuppoſita: poſſet dici homo ille dominicus, in quantum aſſumitur ad participationem honoris diuini, ſicut Neſtoriani poſuerunt. Et hoc etiam modo humana natura nõ dicitur eſſentialiter dea, ſed deificata: non quidem per conuerſionem ipſius in diuinam naturam; ſed per coniunctionem ad diuinam naturam in vna hypoſtaſi: vt paret per Damaſcen. in tertio libro *.

ar. præc. ad 3.

orth. fi. c. 3. & 15. & 17. & 16. de ad fin. to. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod Aug. verba illa, & ſimilia retractat in lib. retract. Vnde poſt verba præmiſſa in libro retract. ſubdit. Vbicumque hoc dixi, ſcilicet quod Chriſtus IESVS ſit homo dominicus, dixiſſe me nollem: poſtea quippe vidi non eſſe dicendum. Quamuis non nulla poſſit ratione defendi; quia ſcilicet, poſſet aliquis dicere; quod dicitur homo dominicus, ratione humanæ naturæ; quam ſignificat hoc nomen homo: non autem ratione ſuppoſiti.

Ad ſecundum dicendum, quod illud vnum ſuppoſitum, quod eſt humanæ, & diuinæ naturæ, primo quidem fuit diuinę naturæ, ſcilicet ab æterno poſtea autem ex tempore per incarnationem factum eſt ſuppoſitum humanæ naturæ. Et hac ratione dicitur humanatum: non quia aſſumpſerit hominem: ſed quia aſſumpſit humanam naturam: Non autem ſic eſt ê conuerſo, quôd ſuppoſitum humanę naturæ aſſumpſerit diuinam naturam: vnde non poteſt dici homo deificatus vel dominicus.

Ad tertium dicendum, quod hoc nomen diuinum, conſueuit prędicari etiam de his, de quibus prædicatur eſſentialiter hoc nomen Deus. Dicimus enim quod diuina eſſentia eſt Deus, ratione identitatis: & quod eſſentia eſt Dei, ſiue diuina, propter diuerſum modum ſignificandi, & verbum diuinum, cum tamen Verbum ſit Deus. Et ſimiliter dicimus perſonam diuinam, ſicut & perſonam Platonis, propter diuerſum modum ſignificandi. Sed dominicus non dicitur de his, de quibus dominus prædicatur: non enim conſueuit dici; quod aliquis homo, qui eſt dominus, ſit dominicus. Sed illud quod qualitercumque eſt domini, dominicum dicitur: ſicut dominica voluntas, vel dominica manus, vel domi-

dominica paſsio. Et ideo ipſe homo Chriſtus, qui eſt dominus, non poteſt dici dominicus: ſed poteſt caro eius dici caro dominica, & paſsio eius poteſt dici paſsio dominica.

Conclusio eſt: non poteſt verè, & propriè dici quod Chriſtus ſit homo dominicus, ſed quod ſit Dominus quam probat D. Thom, tripliciter. Tum ex Auguſt. lib. 1. retract. c. 19. aſſerente: non video vtrum rectè dicatur homo dominicus Ieſus Chriſtus, cum ſit vtique Dominus. Tum etiam quia Chriſtus deſignat perſonam Filij Dei quæ ſimul eſt vnũ ſuppoſitum diuinæ, & humanæ naturę: ergo de illo prædicatur Dominus eſſentialiter: ergo non debet prædicari de illo Dominus denominatiuè.

Prima conſequentia eſt nota, & ſecunda probatur, quia derogaret veritati vnionis ſi prædicaretur Dominus denominatiuè, & non eſſentialiter, Tum denique quia hæc prędicatio propria eſt Neſtorianis qui ſuo ſuppoſita ponebant in Chriſto, nimirùm humanum & diuinũ, ac proinde fugienda eſt; nemodo loquendi Neſtoriam faueamus. Qꝛuo etiam modo natura humana aſſumpta non dicitur eſſentialiter dea, ſed deificata per coniunctionem ad illam in hypoſtaſi. vndè Auguſtin. qui prius hunc modum loquendi admiſerat, poſteà in loco citato retractauit, ob cuius & Magiſtri ſententiarum in 3. diſtinction. 7. variam ſerrentiam D. Tho. hunc articulum efforma-uit.

ART. IV.

Vtrùm ea, quæ conueniunt filio hominis, poſsint prædicari de filio Dei, & è conuerſo.

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quòd ea, quæ ſunt humanæ naturæ, non poſſunt dici de Deo. Impoſsibile enim eſt oppoſita de eodem prædicari. Sed ea quæ ſunt humanæ naturæ, ſunt contraria his, quæ ſunt propria Dei. Deus enim eſt increatus, immutabilis & æternus: ad humanam autem naturam pertinet, vt ſit creata, temporalis, & mutabilis. Ergo ea quæ ſunt humanæ naturę, non poſſunt dici de Deo.

2 Præterea, attribuere Deo ea, quę ad defectum pertinent, videtur derogare diuino honori, & ad blaſphemiam pertinere Sed ea, quæ ſunt humanæ naturæ, defectum quẽdam continent: ſicut pati, mori, & alia huiuſmodi. Ergo videtur, quod nullo modo ea quæ ſunt humanę naturæ, poſsint dici de Deo.

3 Præterea, aſſumi conuenit humanæ naturæ. Non autem hoc cõuenit Deo. Non ergo ea, quæ ſunt humanæ naturæ, de Deo dici poſsũt.

Sed contra eſt, quod Damaſc. * dicit in tertio libro, quòd Deus ſuſcepit ea, quæ ſunt carnis idiomata, ideſt proprietates, dum Deus paſsibilis nominatur, & Deus gloriæ crucifixus eſt. *orth. fid. c. 6. in med.*

Reſpondeo dicendum, quod circa hanc quæſtionem diuerſitas fuit inter Neſtorianos, & Catholicos. Neſtoriani enim voces, quæ dicuntur de Chriſto, diuidere volebãt hoc modo, vt ea quæ pertinent ad humanam naturam, non dicerentur de Deo: nec ea, quæ pertinent ad diuinam naturam, dicerentur de homine. Vnde Neſtorius dixit, Si quis Dei verbo tentat paſsiones tribuere, anathema ſit. Si qua verô nomina ſunt quę pertinere poſſunt ad vtramque naturam, de talibus prædicabant ea quæ ſunt vtriuſque naturæ: ſicut hoc nomen, Chriſtus vel Dominus. Vndê concedebant Chriſtum eſſe natum de Virgine, & fuiſſe ab æterno: non tamen dicebant, vel Deum natum de Virgine, vel hominem ab æterno fuiſſe. Catholici vero poſuerunt huiuſmodi quæ dicuntur de Chriſto, ſiue ſecundũ diuinam naturã, ſiue ſecũdũ humanam, dici poſſe tam de Deo, quam de homine. Vndê Cyrillus dicit*. Si quis duabus perſonis, ſeu ſubſtantijs, id eſt hypoſtaſibus, eas quæ in Euangelicis, & Apoſtolicis conſcriptionibus ſunt, diuidit voces: vel ea quæ de Chriſto â ſanctis dicuntur, vel ab ipſo Chriſto de ſemetipſo: & aliquas quidem ex his, homini applicandas crediderit, aliquas vero ſoli verbo deputauerit: anathema ſit. Et huius ratio eſt: quia cum ſit eadem hypoſtaſis vtriuſque naturæ: eadem hypoſtaſis ſupponitur nomine vtriuſque naturæ. Siue ergo dicatur homo, ſiue Deus, ſupponitur hypoſtaſis diuinæ, & humanæ naturæ. Et ideô de homine poſſunt dici ea, quæ ſunt diuinæ naturę, tamquam de hypoſtaſi diuinæ naturæ: & de Deo poſſunt dici ea, quæ ſunt humanę naturæ, tamquam de hypoſtaſi humanæ naturæ. Sciendum tamen, quod in propoſitione in qua aliquid de aliquo prędicatur, non ſolum attenditur quid ſit illud, de quo prædicatur prædicatum: ſed etiam ſecundum quid de illo prædicetur. Quamuis ergo non diſtinguantur ea, quæ prædicantur de Chriſto, diſtinguuntur tamen ſecundum id, ſecundum quod vtrumque prædicatur. Nam ea quæ ſunt diuinæ naturæ, prædicantur de Chriſto ſecundum diuinam naturam. ea autem quæ ſunt humanę naturæ, prædicantur de eo ſecundum humanam naturam. Vndê Auguſtin. dicit in 1.* de Trinitat. Diſtinguamus quid in Scripturis ſonet, ſecundum formam Dei, in qua êqualis eſt patri, & quid ſecundum formam ſerui quam accepit, in qua minor eſt patre. Et infra*, quid propter quid, & quid ſecundum quid dicatur, prudens, & diligens, & pius lector intelliget.

In conc. Epheſ. 1. cui præfuit Cyril. can. 4. to. 1. cont.

c. 11. in principio. to. 3.

eodem loco

Ad primum ergo dicendum, quod oppoſita prædicari de eodem ſecundum idem, eſt impoſsibile: ſed ſecundum diuerſa nihil prohibet. Et hoc modo oppoſita prędicantur de Chriſto, non ſecundum idem, ſed ſecũdum diuerſas naturas.

Ad ſecundum dicendum, quod ſi ea quę ad defectum pertinẽt, Deo attribuerentur ſecundum diuinam naturam, eſſet blaſphemia, quaſi pertinens ad diminutionem honoris ipſius: non autẽ pertinet ad Dei iniuriam, ſi attribuantur ei ſecundum naturã aſſumptã. Vnde in quodã ſermone Epheſini Cõcilij dicitur, nihil putat Deus iniuriã, quod eſt occaſio ſalutis hominibus: nihil enim abiectorũ, quę elegit propter nos, iniuriã facit illi naturæ, quæ non poteſt eſſe ſubiecta iniurijs: propria vero facit inferiora, vt ſaluet naturam noſtram. Quando ergo abiecta & vilia ſunt, diuinam naturam non iniuriantur, ſed ſalutem hominibus operantur

tur

tur: quomodo dicis ea quę cauſa noſtræ ſalutis ſunt, iniurię occaſsionē Deo fuiſſe?

Ad tertium dicendum, quod aſſumi conuenit humanę naturę, nō ratione ſuppoſiti, ſed ratione ſui ipſius: & ideó non conuenit Deo.

4 CONCLVSIO eſt affirmā tiua, quam probat Diu. Thom. Tum ex teſtimonijs Damaſceni, & Cyrilli in Concilio Epheſino 1. Canone 4. Tum etiam, quia eadem hypoſtaſis ſupponitur nominibus vtriuſque naturæ, nimirum diuinæ, & humanæ, quia vtriuſque naturæ, eadem hypoſtaſis eſt in Chriſto: ergo ſiue dicatur Deus, ſiue homo, poſſunt prædicari de homine quæ ſunt propria Dei, & de Deo quæ ſunt propria humanæ naturę in concreto, tamquam de hipoſtaſi diuinę & humanæ naturæ.

ART. V.

Vtrùm ea, quæ conueniunt filio hominis, poſsint prædicari de diuina natura: & de humana ea, quæ conueniunt Filio Dei?

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quod ea quæ ſunt humanæ naturæ, poſsint dici de natura diuina. Ea enim, quæ ſunt humanę naturæ, prædicantur de Filio Dei, & dę Deo. Sed Deus eſt ſua natura. Ergo ea, quę ſunt naturę humanę, poſſunt prędicari de diuina natura.

2 Præterea, Caro pertinet ad naturam humanam. Sed ſicut dicit Damaſcenus * in tertio libro, dicimus naturam verbi incarnatam eſſe, ſecundum beatos Athanaſium, & Cyrillum. Ergo videtur, quod pari ratione ea, quæ ſunt humanæ naturę, poſsint dici de diuina natura. *ort. fid. c. 6 circ fin. et 7. à med.*

3 Præterea, ea, quæ ſunt diuinæ naturæ, conueniunt humanæ naturæ in Chriſto: ſicut cognoſcere futura, & habere ſalutiferam virtutem. Ergo videtur quod pari ratione ea, quæ ſunt humanę naturę, poſsint dici de diuina natura.

Sed contra eſt, quod Damaſcenus * dicit in 3. libro, Deitatem quidem dicentes non nominamus de ea, quæ humanitatis idiomata ſunt, ideſt proprietates: non enim dicimus deitatem paſsibilem, vel creabilem, Deitas autem eſt diuina natura. Ergo ea quæ ſunt humanę naturæ propria, non poſſunt dici de diuina natura. *lib. 3. c. 4.*

Reſpondeo dicendum, quod ea, quæ ſunt propria vnius, non poſſunt verè de alio prædicari, niſi de eo quod eſt idem illi: ſicut riſibile non conuenit, niſi ei quod eſt homo. In myſterio autem incarnationis non eſt eadem natura diuina, & humana, ſed eadem eſt hypoſtaſis vtriuſque naturę. Et ideo ea, quæ ſunt vnius naturæ, non poſſunt de alia prędicari, ſecundum quod in abſtracto ſignificantur. Nomina verô concreta ſupponūt hypoſtaſim naturæ, & ideô indifferēter prædicari poſſunt ea, quæ ad vtramque naturā pertinent, de nominibus concretis. Siue illud nomē de quo dicūtur, det intelligere vtrāque naturā, ſicut hoc nomē Chriſtus: in quo intelligitur, & diuinitas vngēs, & humanitas

vncta. Siue ſolum diuinam naturam: ſicut hoc nomen Deus, vel filius Dei. Siue ſolum naturam humanam, ſicut hoc nomen homo, vel Ieſus. Vnde Leo Papa dicit in epiſtola ad Palæſtinos.* Non intereſt, ex qua Chriſtus ſubſtantia nominetur: cum inſeparabiliter manente vnitate perſonæ, idem ſit, & totus hominis filius, propter carnem, & totus Dei filius, propter vnācum patre Deitatē.

eſt ep. 83. int. med et fin. illius.

Ad primum ergo dicēdum, quod in diuinis realiter eſt idem perſona cum natura, & ratione huius identitatis diuina natura prædicatur de filio Dei. Non tamen eſt idem modus ſignificandi, & ideô quædam dicuntur de filio Dei, quæ non dicuntur de diuina natura, ſicut dicimus, quod filius Dei eſt genitus, non tamen dicimus, quod natura diuina ſit genita, vt in prima parte habitum eſt.* Et ſimiliter in myſterio incarnationis dicimus, quod filius Dei paſſus eſt, non autem dicimus quod diuina natura ſit paſſa.

p. p. q. 39. art. 5.

Ad ſecundum dicendū, quod incarnatio magis importat vnionē ad carnem, quam carnis proprietatem. Vtraque autem natura in Chriſto, eſt vnita alteri in perſona, ratione cuius vnionis & diuina natura dicitur incarnata, & humana natura Deificata, vt ſupra dictum eſt.*

q. 3. ar. 2.

Ad tertiū dicendum, quod ea, quæ ſunt diuinæ naturæ, dicuntur de humana natura, non ſecūdum, quod eſſentialiter competunt diuinæ naturæ, ſed ſecūdum quod partipatiuē deriuantur ad humanā naturam. Vnde ea quæ participari non poſſunt â natura humana (ſicut eſſe increatū, aut omnipotentem,) nullo modo de humana natura dicuntur. Diuina autem natura nihil participatiuê recipit ab humana natura, & ideo ea, quæ ſunt humanæ naturæ, nullo modo poſſunt dici de diuina natura.

5 PRIMA Concluſio eſt: in Chriſto ea quæ ſunt vnius naturæ non poſſunt prædicari de alia in abſtracto ſignificata. Secūda eſt: ea quæ ſunt propria vni⁹ naturæ poſſunt indifferenter de altera in concreto prædicari, & è contra: cuius ratio eſt, quia quæ ſunt propria vnius non poſſunt prædicari de alio, niſi de eo quod eſt idem illi, vt patet in riſibili, quod non conuenit, niſi ei, quod eſt homo, de quo ſolo poteſt prædicari: ergo ea quæ ſunt vnius naturæ non poſſunt prædicari de altera in abſtracto, à qua realiter diſtinguitur, bene tantum in concreto, eo quod nomina concreta ſupponunt pro hypoſtaſi, quæ eſt eadem in Chriſto.

ART. VI.

Vtrùm hæc ſit vera, Deus factus eſt homo?

AD ſextum ſic proceditur. Videtur, quod hæc ſit falſa Deus factus eſt homo. Cum enim homo ſignificet ſubſtantiam, fieri hominem, eſt fieri ſimpliciter. Sed hæc eſt falſa, Deus factus eſt ſimpliciter. Ergo hæc eſt falſa, Deus factus eſt homo.

inf. q. 33. a. 3. c. & 3. d. 3. q. 5. a. 3. c. et d. 7. q. 2. et op. 1. c. 18. et op. 2. c. 6. & Ro. 1. l. 2. co. 3.

2 Præterea, fieri hominem, eſt mutari. Sed Deus non poteſt eſſe ſubiectnm mutationis, ſecundum illud Malach. 3. Ego Dominus, & non mutor. Ergo videtur, quod hæc ſit falſa, Deus factus eſt homo.

3 Præterea, homo ſecundum quod de Chriſto dicitur, ſupponit perſonam Filij Dei. Sed hęc eſt falſa, Deus factus eſt perſona Filij Dei. Ergô hæc eſt falſa, Deus fact⁹ eſt homo.

Sed contra eſt, quod dicitur Ioannis primo, Verbum caro factū eſt. Et ſicut Athanaſius dicit in epiſtola

Poſt med. illius, et in cip. arbitrabar.

piſtola ad Epitectum *, quod dixit Verbum caro factum eſt, ſimile eſt, ac ſi diceretur, quod Deus homo factus eſt.

Reſpondeo dicendum, quod vnumquodque dicitur eſſe factum illud, quod de nouo incipit prędicari de ipſo. Eſſe autem hominem, vere prædicatur de Deo: (ſicut dictum

a. 1. huius quæſt.

eſt *) ita tamen, quod non conuenit Deo eſſe hominem ab ęterno, ſed ex tempore per aſſumptionem humanę naturæ. Et ideô hæc eſt vera, Deus factus eſt homo. Diuerſimode tamen intelligitur â diuerſis, ſicut & hæc, Deus eſt homo, vt ſupra dictum

a. 1. hu. q.

eſt *.

Ad primũ ergo dicendũ, quod fieri hominem eſt fieri ſimpliciter in omnibus his, in quibus humana natura incipit eſſe in ſuppoſito de nouo creato. Deus autem dicitur factus homo: eo quôd humana natura incepit eſſe in ſuppoſito diuinæ naturæ ab æterno præexiſtente. Et ideô fieri hominem, non eſt Deum fieri ſimpliciter.

Ad ſecundum dicendũ, quod

in cor. art.

ſicut dictũ eſt *, fieri importat quod aliquid prædicetur de nouo de altero. Vnde quandocumque aliquid de nouo prædicatur de altero cum mutatione eius, de quo dicitur, tunc fieri eſt mutari. Et hoc contingit in omnibus quæ abſolutê dicuntur: non enim poteſt albedo, aut nigredo de nouo aduenire alicui, niſi per hoc quod de nouo mutatur ad albedinẽ, vel nigredinem. Ea vero, quæ relatiue dicuntur, poſſunt de nouo prædicari de aliquo abſque eius mutatione: ſicut homo de nouo fit dexter, abſque ſui mutatione, per motum illius, qui fit ei ſiniſter. Vnde in talibus non opportet omne quod dicitur fieri, eſſe mutatum: quia hoc poteſt accidere per mutationem alterius. Et per hunc modum ad Deũ dicimus, Domine refugium factus es nobis. Eſſe autem hominem, conuenit Deo ratione vnionis, quæ eſt relatio quędam, & ideo eſſe hominem prędicatur de nouo de Deo abſque eius mutatione, per mutationem humanæ naturæ, quæ aſſumitur in diuinam perſonam. Et ideo cũ dicitur, Deus factus eſt homo, non intelligitur aliqua mutatio ex parte Dei, ſed ſolum ex parte humanæ naturę.

Ad tertium dicendum, quod homo ſupponit perſonam Filij Dei, non nudam, ſed prout ſubſiſtit in humana natura. Et ideo quamuis hæc ſit falſa, Deus factus eſt perſona Filij Dei: eſt tamen hęc vera, Deus factus eſt homo, ex eo, quod eſt vnitus humanæ naturæ.

6 CONCLVSIO eſt affirmatiua, & certa ſecundum fidem: & probatur ex illo Ioann. 1. *Verbum caro factum eſt*, &c. Deinde in corpore articuli hac ratione: vnumquodque dicitur eſſe factum illud, quod de nouo incipit prædicari de ipſo: ſed eſſe hominem vere incepit prædicari de Deo in tempore per aſſumptionem humanæ naturæ: ergo hæc eſt vera, Deus factus eſt homo.

ART. VII.

Vtrum hæc ſit vera, Homo factus eſt Deus?

locis ſup. à, & citat.

AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur, quod hæc ſit vera, Homo factus eſt Deus. Dicitur enim Roman, 1. Quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis, de filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundũ carnem. Sed Chriſtus ſecundũ quod homo, eſt ex ſemine Dauid ſecundũ carnem. Ergo homo factus eſt Filius Dei.

2 Præterea, Auguſt. dicit 1. de Trinitat. * Talis erat illa ſuſceptio, quæ Deum hominem faceret, & hominem Deum. Sed ratione illius ſuſceptionis hęc eſt vera, Deus factus eſt homo. Ergo ſimiliter hæc eſt vera, Homo factus eſt Deus.

c. 13. circ. prin. to. 3.

3 Præterea, Gregorius Nazianzenus dicit in ep. ad Elidoniũ †. Deus quidem humanatus eſt, homo autem deificatus, vel quomodolibet aliter nominauerit. Sed Deus ea ratione dicitur humanatus, qua eſt homo factus. Ergo homo ea ratione dicitur deificatus, qua eſt factus Deus. Et ita hæc eſt vera. Homo factus eſt Deus.

ep. 1. inter pri. et med.

4. Præterea. Cum dicitur, Deus factus eſt homo, ſubiectum factionis, vel mutationis non eſt Deus: ſed humana natura, quam ſignificat hoc nomen homo. Sed illud videtur eſſe ſubiectum factionis, cui factio attribuitur. Ergo hæc magis eſt vera. Homo factus eſt Deus, quam iſta Deus factus eſt homo.

Sed contra eſt, quod Damaſcen. dicit in 3. libr. * Non hominem deificatum dicimus, ſed Deum humanatum. Idem autem eſt fieri Deũ quod deificari. Ergo hæc eſt falſa, homo factus eſt Deus.

c. 2. nõ lõge à fine.

Reſpondeo dicendum; quod iſta propoſitio, Homo factus eſt Deus, tripliciter poteſt intelligi. Vno modo, ita quod hoc participiũ Factus, determinet abſolute, vel ſubiectum, vel prædicatum. Et in hoc ſenſu eſt falſa: quia neque homo ille, de quo Deus prædicatur, eſt factus, neque Deus eſt factus, vt infra dicetur. * Et ſub eodem ſenſu hæc eſt falſa, Deus factus eſt homo. Sed ſub hoc ſenſu non quęritur hic de iſtis propoſitionibus. Alio modo poteſt intelligi, vt ly Factus, determinet compoſitionem: vt ſit ſenſus, Homo factus eſt Deus, i. eſt, factum eſt, vt homo ſit Deus. Et ſub hoc ſenſu vtraque eſt vera, & Homo factus eſt Deus, & Deus factus eſt homo. Sed hic non eſt proprius ſenſus harum locutionum: niſi fortè intelligatur ſecundum quod ly homo, non habet perſonalem ſuppoſitionem, ſed simpliecm. Licet enim hic homo non ſit factus Deus, quia hoc ſuppoſitum: ſcilicet perſona Filij Dei, ab æterno fuit Deus: tamen homo, communiter loquendo, non ſemper fuit Deus. Tertio modo proprie intelligitur, ſecundum quod hoc participium, factus, ponit fieri circa hominẽ in reſpectu ad Deum, ſicut ad terminum factionis. Et in hoc ſenſu, ſuppoſito quod in Chriſto ſit eadem perſona, & hypoſtaſis, & ſuppoſitum Dei, & hominis, vt ſupra oſtenſum eſt *) iſta propoſitio eſt falſa: quia cum dicitur, Homo factus eſt Deus, ly homo, habet perſonalem ſuppoſitionem. Non enim eſſe Deum, verificatur de homine ratione humanæ natu-

ar. 8. et 9. hui. quæſt.

q. 2. art. 3.

naturæ; ſed ratione ſuppoſiti ſui: ſuppoſitum autem illud humanæ naturæ, de quo verificatur eſſe Deum, eſt idem quod hypoſtaſis, ſeu perſona Filij Dei, quę ſemper fuit Deus. Vndé non poteſt dici, quod iſte homo incepit eſſe Deus; vel quod fiat Deus; aut quod factus ſit Deus. Si vero eſſet alia perſona, vel hypoſtaſis Dei, & hominis, ita quod eſſe Deum prædicaretur de homine, & e conuerſo, per quamdam coniunctionem ſuppoſitorum; vel dignitatis perſonalis, vel affectionis, vel inhabitationis (vt Neſtoriani dixerunt): tunc pari ratione poſſet dici, quod homo fact⁹ eſt De⁹, ideſt, coniunctus Deo; ſicut & quod Deus factus eſt homo, ideſt, coniunctus homini.

Ad primum ergo dicendum; quod in verbis illis Apoſtoli hoc relatiuum Qui, quod refert perſonam Filij Dei, non debet intelligi ex parte prædicati: quaſi aliquis exiſtens ex ſemine Dauid ſecundum carnem ſit factus Filius Dei: in quo ſenſu obiectio procedebat: ſed debet intelligi ex parte ſubiecti: vt ſic ſenſus, quod Filius Dei factus eſt; ſcilicet homo, ad honorem patris (vt gloſſ. *exponit) exiſtens ex ſemine Dauid ſecundum carnem: ac ſi diceret: Filius Dei factus eſt habens carnem ex ſemine Dauid ad honorem Dei.

gl. interl. ſuper illa verb. Rom. 1.

Ad ſecundum dicendum, quod illud Verbum Auguſtini † eſt intelligendum in illo ſenſu, ſecundum quod ex illa ſuſceptione incarnationis factum eſt, vt homo eſſet Deus, & Deus eſſet homo. In quo ſenſu ambæ locutiones ſunt veræ, vt dictum eſt*.

poſitum in arg.

in corp. art.

Et ſimiliter dicendum eſt ad tertium: nam deificari idem eſt quod fieri Deum.

Ad quartum dicendum, quod terminus in ſubiecto poſitus tenetur materialiter, ideſt pro ſuppoſito: poſitus vero in prædicato, tenetur formaliter, ideſt pro natura ſignificata. Et ideo cum dicitur, homo factus eſt Deus: ipſum fieri non attribuitur humanæ naturæ, ſed ſuppoſito humanæ naturæ, quod eſt ab æterno Deus: & ideo non conuenit ei fieri Deum. Cum autem dicitur Deus factus eſt homo, factio intelligitur terminari ad ipſam humanam naturam. Et ideo proprie loquendo, hæc eſt vera, Deus factus eſt homo: ſed hæc eſt falſa; Homo factus eſt Deus. Sicut ſi Sortes cum prius fuerit homo, poſtea factus eſt albus: demonſtrato Sorte, hæc eſt vera, hic homo hodie factus eſt albus: hæc tamen eſt falſa; hoc album hodie factũ eſt homo. Si tamen ex parte ſubiecti poneretur aliquod nomen ſignificans naturam humanam in abſtracto, poſſet hoc modo ſignificari, vt ſubiectum factionis; puta ſi dicatur, quod natura humana facta eſt Filij Dei.

7 CONCLVSIO eſt trimembris, iuxta triplicem ſenſum, quē poteſt facere prę dicta propoſitio. Primus eſt, ita vt ly *factus*, abſolute determinet ſubiectum, vel prædicatum.

Secundus eſt: ita vt determinet totam propoſitionem, ac ſi diceret factũ eſt, vt homo ſit Deus.

Tertius eſt: ita vt determinet hominem in reſpectu ad Deum ſicut ad terminũ factionis. Igitur in primo ſenſu, homo factus eſt Deus, eſt falſa, & impropria: in ſecundo autẽ eſt vera, ſed impropria: in tertio denique eſt propria; ſed falſa.

Ratio primæ partis eſt, quia neque homo ille de quo Deus prædicatur eſt factus, neque Deus eſt factus ita vt factio attribuatur ſuppoſito diuino, quod quidẽ non eſt factum, ſed genitum ab æterno: ſimiliter ſi ſupponit ly *homo* in ſubiecto pro perſona humana; etiam eſt falſa quia nulla

eſt

eſt in Chriſto perſona humana, quæ ſit facta Deus.

Ratio vero ſecundæ eſt: quia licèt hic homo non fuit ſemper Deus, cum ſupponat pro ſuppoſito diuino quod eſt ęternũ; tamen cõmuniter loquendo homo non fuit ſemper Deus, ſed ex tempore. Hic tamen ſenſus nõ eſt ita proprius, quia in eo ly *homo* non habet perſonalẽ ſuppoſitioné, ſed veluti ſimplicem, & ſicut hęc in eſt vera Deus fact⁹ eſt homo, ita & hæc eodem ſenſu homo fact⁹ eſt Deus, ac proinde nullũ eſſe diſcrimen inter vtrãque propoſitionem: quod tamen ex ſententia Patrũ, & Theologorum non eſt negandum.

Ratio denique tertiæ partis eſt, quia cum dicitur homo factus eſt Deus, propriè ly homo ſupponit perſonaliter ideſt pro ſuppoſito naturæ, & non pro ipſa natura: illud autem ſuppoſitũ naturæ humanæ aſſumptæ non eſt factus Deus, ſed ſemper fuit Deus: ergo falſa eſt propoſitio in qua dicitur illud ſuppoſitum eſſe factum Deũ. Eodem etiam more loquendi vtitur Dionyſius Areopagita c. 1. de diuinis nominibus, dicens: *Ex qua* (ideſt humana natura) *ineffabiliter ſimplex Ieſus compoſitus eſt, & præſentationẽ temporalem accepit æternus, & intra noſtra factus eſt naturam qui omnem ordinẽ ſecundum omnem naturam ſuper ſubſtantialiter excedit cum intranſmutabili & inconfuſa propriorum collocatione.* In quibus verbis, & fatetur Chriſtũ, ſiue ſuppoſitnm diuinũ factũ eſſe hominem; & in hac vnione fundari idiomatũ cõmunicationẽ quã D. Thom. tradit in præcedentibus articulis, & Dionyſius appellat intranſmutabilẽ, & inconfuſam propriorũ collocatione: quia abſque naturarũ cõfuſione, licèt propria vnius conſtanter de altera in concreto prædicari attendendo ad tres regulas ſummopere ſeruandas.

Quarum prima eſt ex parte naturarum ne ſcilicet denotetur earũ confuſio quod contingit ſi id quod conuenit ſuppoſito ratione vnius naturæ prædicetur de illo ratione alterius, vt in hac Chriſtus, prout eſt homo eſt æternus.

8 Secunda eſt ex parte vnionis ne denotetur illam fuiſſe accidentalem, quod contingit quando de ſuppoſito prædicatur aliqua ex naturis in concreto per nomẽ conotatiuũ, vel adiectiuum, vt in hac Chriſtus eſt Theophorus, ideſt homo deifer, vel deificatus: quam contra Neſtorianos dãnat Conciliũ Epheſinũ 1. canon. 5.

Tertia ex parte ſuppoſiti ne ſcilicet denotetur ſuppoſitum creatum in Chriſto, quod contingit quando de illo prædicatur aliquod prædicatum inuoluens conditionẽ creaturæ, vel dependẽtię, vt in his Chriſtus eſt perſona creata, aut eſt purus homo ſiue Filius adoptiuus Dei: Vtrùm autem perſona Verbi dicẽda ſit etiã perſona humana quatenus homo eſt? Reſpondetur admitti poſſe & debere dictam propoſitionẽ quia illam admittit D. Thom. cap. 2. de diuinis nominib. lect. 4. vbi admittit & hanc *Verbum diuinum factum eſt hypoſtaſis materialis*, & lect. 4. admittit hanc *filius factus eſt hypoſtaſis humanæ naturæ*, idem autem eſt hypoſtaſis materialis, & humanæ naturæ, atque hypoſtaſis humana ſiue perſona humana.

ART. VIII.

Vtrùm hæc ſit vera, Chriſtus eſt creatura?

AD octauum ſic proceditur. Videtur, quod hæc ſit vera, Chriſtus eſt creatura. Dicit enim Leo Papa, noua & inaudita conuentio: Deus qui eſt, & erat, fit creatura. Sed illud poteſt prædicari de Chriſto, quod filius Dei factus eſt per incarnationem. Ergo hæc eſt vera, Chriſtus eſt creatura.

Inf. q. 20. a. 1 ad 2. et q. 41. a. 3. c. et ad 4. et 3. d. 4. q. 2 a. 2. ad 4. et d. 11. q. 1. a. 1. et d. 21. q. 1. a. 3. ad 2. & 4. cõ. g. 48. et ver. q. 29 a. 1. ad 1. et opuſc. 3. c. 223. et 1. Cor. 15. l. 2 col. 1. fin.

2 Prætcrea, proprietates vtriuſque naturæ, poſſunt prædicari de hypoſtaſi communi vtriuſque naturæ, quocũque nomine ſignificetur, vt ſupra dictũ eſt*. Sed proprietas humanæ naturæ, eſt eſſe creaturam; ſicut & proprietas diuinæ naturæ, eſt eſſe creatorem. Ergo vtrumque poteſt dici de Chriſto, ſcilicet quod ſit creatura, & quod ſit increatus, & creator.

** a. 5. huius q. c. 7. circa med. to. 2.*

3 Præ

3 Pręterea, principalior pars hominis eſt anima, quàm corpus. Sed Chriſtus ratione corporis, quod de Virgine traxit, dicitur eſſe ſimpliciter natus de Virgine. Ergo ratione animæ, quę creata eſt à Deo, debet ſimpliciter dici, quod Chriſtus ſit creatura.

Sed contra eſt, quod Ambroſius dicit in libro de Trinitat. Numquid dicto factus eſt Chriſtus? Numquid mandato creatus eſt Chriſtus? Quaſi dicat, non. Vnde ſubdit, quomodo autem creatura in Deo eſſe poteſt? Etenim Deus naturæ ſimplicis eſt, non coniunctæ. Ergo hęc non eſt concedenda, Chriſtus eſt creatura.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut Hieron. * dicit, ex verbis inordinate prolatis incurritur hæreſis. Vnde cum hæreticis nec nomina debemus habere communia, ne eorum errori fauere videamur. Arriani autem hæretici Chriſtum dixerunt eſſe creaturam, & minorem Patre, non ſolum ratione humanæ naturæ, ſed etiam ratione diuinæ perſonæ. Et ideo non eſt abſolute dicendũ, quod Chriſtus ſit creatura, vel minor Patre: ſed cum determinatione, ſcilicet ſecundum humanam naturam. Ea vero, de quibus ſuſpicari non poteſt, quod diuinæ perſonę conueniant ſecundũ ſeipſam, poſſunt ſimpliciter dici de Chriſto ratione humanæ naturę: ſicut ſimpliciter dicimus, Chriſtũ eſſe paſſum, mortuum, & ſepultũ. Sicut etiam in rebus corporalibus & humanis, ea quæ in dubitationem venire poſſunt, an conueniant toti, vel parti, ſi inſunt alicui parti, non attribuimus toti ſimpliciter, id eſt, ſine determinatione: non enim dicimus, quod Aethiops eſt albus, ſed quod eſt albus ſecundum dētes. Dicimus autem abſque determinatione, quod eſt criſpus: quia hoc nõ poteſt ei conuenire niſi ſecundum capillos.

ref. in 4. ſē 3. d. 13. in fi

Ad primum ergo dicendum, quod aliquando ſancti doctores cauſa breuitatis determinatione omiſſa, nomine creaturæ vtuntur circa Chriſtũ. Eſt tamen in eorum dictis ſubintelligenda determinatio, in quãtum homo.

Ad ſecundum dicendum, quod omnes proprietates humanæ naturæ, ſicut & diuinæ, poſſunt aliqualiter dici de Chriſto. Vnde & Damaſc. dicit in 3. lib † quod Chriſtus, qui Deus eſt, & homo, dicitur & creatus, & increatus, paſsibilis & impaſſibilis. Sed tamen illa, quæ dubitationem habent circa alterutram naturã, non ſunt dicenda abſque determinatione. Vnde ipſe poſtea alibi ſubdit: Ipſa vna hypoſtaſis, ſcilicet Chriſti, & increata eſt deitate, & creata humanitate. Sicut & ê conuerſo non eſſet dicendum ſine determinatione, Chriſtus eſt incorporeus vel impaſsibilis, ad euitandum errorem Manichæi, qui poſuit Chriſtum verum corpus non habuiſſe, nec vere paſſum eſſe. Sed dicendum eſt cum determinatione, quod Chriſtus ſecundum deitatem eſt incorporeus, & impaſsibilis.

lib. 3. c. 4 in fi. et c. 3 à me. li 4. c. 5. à med.

Ad tertium dicendum, quod de natiuitate ex Virgine, nulla dubitatio poteſt eſſe, quod conueniat perſonæ filij Dei, ſicut poteſt eſſe de creatione. Et ideo non eſt ſimilis ratio vtrobique.

AR-

Digitized by Google

ART. IX.

Vtrùm hæc ſit vera, Iſte homo demonſtrato Chriſto incepit eſſe?

3. d. 12 q. 1 a. vn. tract. 105. à med. tom. 9.

AD nonum ſic proceditur. Videtur, quod ille homo, demonſtrato Chriſto incepit eſſe. Dicit enim Auguſt. ſuper Ioann.* Priuſquam mundus eſſet, nec nos eramus, nec ipſe mediator Dei, & hominum, homo Iesvs-Chriſtus. Sed illud quod non ſemper fuit, incepit eſſe. Ergo ille homo, demonſtrato Chriſto, incepit eſſe.

2 Præterea, Chriſtus incepit eſſe homo. Sed eſſe hominem eſt eſſe ſimpliciter. Ergo ille homo incepit eſſe ſimpliciter.

3 Præterea, Homo importat ſuppoſitum humanæ naturæ. Sed Chriſtus non ſemper fuit ſuppoſitũ humanæ naturæ. Ergo ille homo incepit eſſe.

Sed contra eſt, quod dicitur Heb. vlt. Iesvs Chriſtus heri, & hodie, ipſe & in ſecula.

Reſpondeo dicendum, quod non eſt dicendum, quod ille homo demonſtrato Chriſto, inceperit eſſe, ſi nihil addatur: & hoc duplici ratione. Primo quidem: quia hęc locutio eſt ſimpliciter falſa, ſecundum ſententiam catholicæ Fidei, qua ponimus in Chriſto vnum ſuppoſitum & vnam hypoſtaſim, ſicut & vnam perſonam. Secundum hoc enim opportet, quod in hoc quod dicitur, iſte homo, demonſtrato Chriſto, deſignetur ſuppoſitum æternum, cuius æternitati repugnat incipere eſſe. Vnde hæc eſt falſa, hic homo incepit eſſe. Nec obſtat, quod incipere eſſe conuenit humanæ naturæ, quæ ſignificatur per hoc nomen homo: quia terminus in ſubiecto poſitus non tenetur formaliter pro natura, ſed magis materialiter pro ſuppoſito, vt ſupra † dictum eſt. Secundo, quia etiam ſi eſſet vera, non tamen eſſet ea vtendum abſque determinatione, ad euitandum hæreſim Arrij. quia ſicut perſonæ filij Dei attribuit, quod eſſet creatura, & quod eſſet minor patre, ita attribuit ei, quod eſſe inceperit, dicens, quod erat, quando non erat. a. 7 huius ad 3.

Ad primum ergo dicendum, quod auctoritas iſta eſt intelligenda cum determinatione: vt ſcilicet dicamus, quod homo Iesvs Chriſtus non fuit antequam mundus eſſet ſecundum humanitatem.

Ad ſecundum dicẽdum, quod cum hoc Verbo incipit, non ſequitur argumentum ab inferiori ad ſuperius, non enim ſequitur hoc incipit eſſe album: ergo incipit eſſe coloratum. Et hoc ideo, quia incipere importat nunc eſſe, & non prius: nõ autem ſequitur, hoc non erat prius album: ergo non erat prius coloratum. Eſſe autem ſimpliciter eſt ſuperius ad eſſe hominem: vnde non ſequitur, Chriſtus incepit eſſe homo: ergo incepit eſſe.

Ad tertium dicendum, quod hoc nomen homo, ſecundum quod accipitur pro Chriſto, licet ſignificet humanam naturam, quæ incepit eſſe: tamen ſupponit ſuppoſitum æternum, quod eſſe nõ incepit. Et ideo, quia ſecundum quod ponitur in ſubiecto, tenetur pro ſuppoſito, ſecun-

dum

dum autem quod ponitur in prædicato, refertur ad naturam: ideo hæc falſa, homo Chriſtus eſſe incepit, ſed hæc eſt vera, Chriſtus incepit eſſe homo.

9 CONCLVSIO vtriuſq; articuli eſt negatiua, colligiturque ex tertia regula ſupra aſſignata, circa idiomatum cõmunicationem: quia nimirum ex parte prędicati inuoluitur aliquid proprium ſuppoſiti creati: ac dependentis alienumque à ſuppoſito increato.

Vnde ratio primæ cõcluſionis eſt, quia verbis inordinate prolatis incurritur hæreſis ſecundum Hyeronimum adductum à Magiſtro in 4. diſtinct. 13. vnde cum hæreticis, nec nomina debemus habere communia, quantum ad propria ipſorum; ſed hæretici Arriani abſolute concedebant Chriſtum eſſe creaturam: vtpote dicentes Filium abſolute eſſe minorem patre: ergo ne eorum errori fauere videamur, debemus dictam propoſitionem negare: propterquam, quod creatura in rigore ſermonis, dicit rem creatam, & omnino: ac ſecundum omnem ſui partem factam ex nihilo: acproinde cum prædicatur de aliquo denotat illud, tam ſecundum ſuppoſitum, quam ſecundum naturam eſſe, quid creatum, & incepiſſe ex tempore eſſe, quæ tamen neganda ſunt de Chriſto: ergo. Quod ſi à Patribus aliquando inuenitur admiſſa dicta propoſitio: aut dicendum eſt illos ſubintellexiſſe determinationem hanc; ſcilicet quatenus homo vel ratione humanitatis, vt ait Diu. Thom. hic ad primum: aut nomine creaturæ large intellexiſſe facturam, ſeu quidpiam factum, vel productum per actionem cauſæ: in quo ſenſu verum eſt Chriſtum eſſe creaturam hoc eſt facturam, ſeu compoſitum productum per generationem ex Virgine matre.

Ratio vero ſecundæ eſt duplex: prima eſt deſumpta ex regula Dialecticæ: nimirum, quod terminus appoſitus à parte ſubiecti ſupponit materialiter, & non formaliter, hoc eſt pro ſuppoſito, & non pro natura, de ſuppoſito autem æterno falſum eſt dicerę, quod incepit eſſe.

Secunda eſt, quia, & ſi dicta propoſitio, quoad ſenſum eſſet vera: tamen propter modum communem loquendi cum hæreticis Arrianis non eſt illa vtendum, ne illis fauere videamur, qui dicebant Chriſtum incepiſſe, & fuiſſe, quando non erat, iuxta regulam Hyeronim. vbi ſupr. Et inſuper, quia contrariatur Paulo ad Hæbręos vltimo, dicenti, Ieſus Chriſtus hæri, & hodie ipſe, & in ſæcula. Ex hac doctrina deducitur falſam eſſe ſententiam Durand. in 3. diſtinct. 12. quæſt. 1. aſſerentis huiuſmodi propoſitionem eſſe diſtinguendam, & non ſimpliciter concedendam, vel negandam, quoniam vtraque pars contradictionis eſt vera ſi referatur ad diuerſa; nam ſi referatur ad ſuppoſitum affirmatiua eſt falſa: ſi autem referatur ad naturam eſt vera, & è contra dicendum eſt de negatiua: poteſt autem ad vtrumque referri, quia vtrumque includitur in ſubiecto, ſcilicet ſuppoſitum, & natura: acproinde poteſt de illo prædicari aliquid ratione ſuppoſiti, & aliquid ratione naturæ, vt contingit in ſimili, quando dico album currit, & album diſgregat viſum, in prima fit prædicatio ratione ſuppoſiti, & in ſecunda ratione formæ, quod tamen non obſtat, quia licet poſsit attribui ſubiecto, non ſolum id quod conuenit ei ratione ſuppoſiti; ſed etiam id quod ei conuenit ratione formæ, ſeu naturæ: tamen numquam licet attribuere ſuppoſito, id quod ei repugnat; & reſpectu cuius eſt incapax, quamuis non repugnet ſuę formæ: & quia in Chriſto non eſt aliud ſuppoſitum, niſi æternum cui repugnat incipere eſſe propterea dictam propoſitionem infert D. Thom. eſſe falſam.

Deinde deducimus ex eadem doctrina pluſquam falſam eſſe, & à temeritate non excuſſandam iam his temporibus ſententiam Scoti in 3. diſtinctio. 11. quæſtio. 3. aſſerentis: hanc propoſitionem Chriſtus, ſiue hic homo incepit eſſe, poſſe, ac debere concedi: eo quod in illa Chriſtus, ſeu hic homo ſtat pro ſuppoſito diuino: in quantum eſt ſuppoſitum naturæ humanæ, & non abſolute, & ſecundum ſe: de illo autem, vt ſic verum eſt dicere, quod incepit eſſe.

Tum etiam, quia ly eſſe, importat eſſe per ſe hoc eſt de genere ſubſtãtię: conſtat autẽ quod Chriſtus incepit eſſe homo, quod eſt de genere ſubſtãtię: ergo incepit eſſe.

Tum

Tum denique, quia quod generatur incipit eſſe, teſte Phyloſop. quinto Phyſicorum. Chriſtus autem fuit genitus temporaliter: ergo incepit eſſe. Quæ tamē non obſtant, quia dicta propoſitio communiter à Theologis reſpuitur, tamquam falſa, eò quod videtur contradicere modo loquendi Scripturæ, vt Ioann. 8. dixit Chriſtus: *Antequam Abraham fieret, ego ſum*, & ad Hæbr. vltim. *Ieſus Chriſtus heri, & hodie, &c.*

Túm etiam, quia hæc propoſitio ſimpliciter eſt falſa Chriſtus eſt creatura, vt dictum eſt, & admittunt Scotus, ac Durandus: ergo pariter, & hæc Chriſtus incepit eſſe.

Conſequentia patet, quia de ratione ſolius creaturæ eſt incipere eſſe: ita vt omni, & ſoli conueniat, & quemadmodum creatura dicit in ſuo conceptu produci ex nullo præſuppoſito ſubiecto, aut parte eius, quod creatur: ita incipere eſſe abſolute, & ſine addito prolatum importat negationem omnis eſſe præ exiſtentis: ac proinde non minus repugnat Chriſto incipere eſſe, quam creari.

Túm denique, quia huiuſmodi propoſitio Chriſtus incepit eſſe damnata fuit ab Academia Pariſienſi, & cū ab eius ſententia appellatum fuiſſet ad Apoſtolicam ſedem, reprobata dicitur ab Alexandro VI. vt hic refert Caietanus. Verum cum non conſtet ſub qua cenſura fuerit notata dicta propoſitio: propterea neque nos hæreſis, aut erroris nota eam inurimus; ſed à temeritate non excuſſamus.

Ad fundamēta autē Scoti facile reſpondemus: ad primum quidem reſpondetur, cum Caietan. in hoc art. 9. negando maiorem, quia ly eſſe ex parte prædicati, cum ſit ſecundum adiacens importat eſſe ſimpliciter, non ſolum, vt eſſe ſimpliciter ſignificat eſſe ſubſtātiæ; ſed prout ſignificat eſſe ſine additione, ſeu determinatione aliqua iuxta illud ſecundi Topicorum: ſimpliciter, dico, quod nullo addito dico.

Vnde dicendo iſte homo incepit eſſe: quia claudit in ſe iſtam negatiuam de ſecundo adiacente, iſte homo antea non fuit, id eſt nullo modo, conſequens eſt, quod ſignificat ſubiectum abſolute, & ſine vlla determinatione non fuiſſe.

Ad ſecundum reſpondetur, quod licet eſſe ſubſtantiæ ſit eſſe ſimpliciter, vt diſtinguitur contra eſſe accidentale: non tamen eſt eſſe ſimpliciter prout diſtinguitur contra eſſe determinatum: & tale eſt eſſe de ſecundo adiacenti, quod prædicatur de Chriſto in dicta propoſitione.

Ad tertium reſpondetur verum eſſe communiter loquendo incipere eſſe illud, quod generatur: ſecus autem quando id quod generatur in aliqua vna natura præexiſtit ſecundum ſuppoſitum generationi, vt contingit in propoſito.

ART. X.

Vtrum hæc ſit vera, Chriſtus, ſecundum quod homo eſt creatura?

AD decimum ſic proceditur. Videtur, quod hæc ſit falſa, Chriſtus ſecundum quod homo, eſt creatura, vel incepit eſſe. Nihil enim in Chriſto eſt creatum, niſi humana natura. Sed hæc eſt falſa, Chriſtus. ſecundum quod homo, eſt humana natura. Ergo hæc etiam eſt falſa, Chriſtus ſecundum quod homo, eſt creatura.

3. d. 4. q. 1. a. 2. q. 2. c. & q. 2. ad 1. & 3. diſt. 10. q. 1. ar. 1. q. 2. & d. 11. a. 3.

2 Præterea, prædicatum magis prædicatur de termino in reduplicatione poſito, quám de ipſo ſubiecto propoſitionis: ſicut ſi dicam, Corpus, ſecūdum quod coloratum, eſt viſibile: ſequitur, quod coloratum ſit viſibile. Sed hæc non eſt abſolute (ſicut dictum eſt*)

art.10.præc. eſt *) concedenda. Homo Chriſtus eſt creatura Ergo neque hæc, Chriſtus, ſecundum quod homo, eſt creatura.

3 Præterea. Quicquid prædicatur de quocumque homine, ſecundum quod homo, prædicatur de eo per ſe, & ſimpliciter: idem enim eſt per ſe, & ſecundum quod ipſum, vt dicitur 5. Metaph. * Sed hæc eſt falſa, Chriſtus eſt per ſe, & ſimpliciter creatura. Ergo etiam hęc eſt falſa, Chriſtus ſecundum quod homo eſt creatura.

lib. 5. met te. 28. in. 3

Sed contra. Omne quod eſt, vel eſt creator, vel creatura. Sed hæc eſt falſa, Chriſtus, ſecundum quod homo eſt creator. Ergo hæc eſt vera, Chriſtus ſecundum quod homo eſt creatura

Reſpondeo dicendum, quod cum dicitur, Chriſtus ſecundum quod homo, hoc nomen homo, poteſt reſumi in reduplicatione, vel ratione ſuppoſiti, vel ratione naturæ. Siquidem reſumatur ratione ſuppoſiti, cum ſuppoſitum humanę naturæ in Chriſto, ſit æternum, & increatum, hæc erit falſa, Chriſtus, ſecundum quod homo eſt creatura. Si vero reſumatur ratione humanæ naturæ, ſic eſt vera: quia ratione humanę naturæ, ſiue ſecundum humanam naturam, conuenit ſibi eſſe creaturam, vt ſupradictum eſt. * Sciendum tamen, quod nomen ſic reſumptum in reduplicatione, magis proprie tenetur pro natura, quam pro ſuppoſito: reſumitur enim in vi prædicati, quod tenetur formaliter. Idem enim eſt dictu, Chriſtus ſecundum quod homo, ac ſi diceretur Chriſtus ſecundum quod eſt homo. Et ideo hęc magis concedenda, quam neganda, Chriſtus ſecundum quod homo eſt creatura. Si tamen adderetur aliquid per quod traheretur ad ſuppoſitum, eſſet propoſitio magis neganda, quam concedenda: puta ſi diceretur, Chriſtus ſecũdũ quod hic homo eſt creatura.

a. 8. huius quæſt.

Ad primum ergo dicendum, quod licet Chriſtus non ſit humana natura: eſt tamen habens humanam naturam. Nomen autem creaturæ, natum eſt prædicari non ſolum de abſtractis, ſed etiam de concretis; dicimus enim quod humanitas eſt creatura, & quod homo eſt creatura.

Ad ſecundum dicendum, quod ly homo, ſecundum quod ponitur in ſubiecto, magis reſpicit ſuppoſitum: ſecundum autem quod ponitur in reduplicatione, magis reſpicit naturam, vt dictum eſt *. Et quia natura eſt creata, ſuppoſitum vero increatum: ideo licet non concedatur iſta ſimpliciter, homo Chriſtus eſt creatura: conceditur tamen iſta, Chriſtus, ſecundum quod homo, eſt creatura.

in co. art.

Ad tertium dicendum, quod cuilibet homini, qui eſt ſuppoſitum ſolius naturæ humanæ cõpetit, quod non habeat eſſe, niſi ſecundum humanam naturam: & ideo de quolibet tali ſuppoſito ſequitur, ſi ſecũdũ quod homo eſt creatura, quod ſit creatura ſimpliciter. Sed Chriſtus non ſolum eſt ſuppoſitum humanæ naturæ, ſed etiam diuinæ, ſecundum quã habet eſſe increatum: & ideo non ſequitur ſi ſecundum quod homo, eſt creatura, quod ſit ſimpliciter creatura.

12 Concluſio eſt bimembris; nimirum ſi dictio ſecundum quod, ſumatur cum reduplicatione ſuppoſiti tunc hæc propoſitio eſt falſa: ſi autem ſumatur cum reduplicatione naturæ, tunc eſt vera; ratio primi eſt, quia ſuppoſitum humanum in Chriſto eſt æternum, & increatum cui proinde repugnat eſſe creaturã.

Ratio vero ſecundi eſt, quia ſecundum humanam naturam conuenit Chriſto eſſe creaturam, & ſenſus dictæ propoſitionis tunc eſt iſte, nimirum Chriſtus ſecundum quod homo, hoc eſt ſecundum humanam naturam eſt creatura: qui

ſenſus eſt verus, & cum huiuſmodi ſecunda acceptio ſit magis propria, eo quod hoc nomen homo, & quodlibet aliud ſimile concretum ſumptum cum reduplicatione potius ſtat pro natura, ſiue pro forma, quam pro ſuppoſito: eo quod deſumitur in vi prædicati, ac proinde ſupponit veluti formaliter, ideò talis propoſitio, vt iacet ſimpliciter eſt concedenda, niſi addatur aliquid contrahens ad ſuppoſitum, puta ſi diceretur, Chriſtus ſecundum quod hic homo eſt creatura: tunc potius eſſet neganda, quia ratione illius pronominis demonſtratiui trahitur homo ad ſtandum pro ſuppoſito, & non pro natura.

ART. XI.

Vtrùm hæc ſit vera, Chriſtus ſecundum quod homo eſt Deus?

3. d. 10. q. 1. a. 1. q. 1. & q. 3. c.

AD vndecimum ſic proceditur. Videtur, quod Chriſtus, ſecūdum quod homo, ſit Deus. Chriſtus enim eſt Deus per gratiam vnionis. Sed Chriſtus, ſecūdum quod homo habet gratiā vnionis. Ergo Chriſtus ſecundum quod homo, eſt Deus.

2 Præterea. Dimittere peccata eſt proprium Dei, ſecundum illud Iſai. 43. Ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me. Sed Chriſtus, ſecundum quod homo, dimittit peccata: ſecundum illud Matth. 6. Vt autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, &c. Ergo Chriſtus, ſecundum quod homo, eſt Deus.

3 Præterea. Chriſtus non eſt homō communis, ſed eſt homo iſte particularis. Sed Chriſtus ſecundū quod eſt iſte homo, eſt Deus: quia in iſto homine deſignatur ſuppoſitum æternū, quod naturaliter eſt Deus. Ergo Chriſtus, ſecundum quod homo, eſt Deus.

Sed contra. Illud quod conuenit Chriſto, ſecundum quod homo, conuenit cuilibet homini. Si ergo Chriſtus, ſecundum quod homo, eſt Deus, ſequitur quod omnis homo ſit Deus: quod patet eſſe falſum.

Reſpondeo dicendum, quod iſte terminus, homo, in reduplicatione poſitus, poteſt dupliciter accipi. Vno modo quantum ad naturam: & ſic non eſt verum, quod Chriſtus, ſecundum quod homo, ſit Deus: quia humana natura eſt diſtincta à diuina ſecundum differentiam naturæ. Alio modo poteſt accipi ratione ſuppoſiti: & ſic cum ſuppoſitum naturę humanę in Chriſto, ſit perſona filij Dei, cui per ſe conuenit eſſe Deum, verum eſt, quod Chriſtus, ſecundum quod homo, ſit Deus. Quia tamen terminus in reduplicatione poſitus magis proprie tenetur pro natura, quam pro ſuppoſito (vt ſupra dictum eſt *) ideo magis eſt iſta neganda, Chriſtus, ſecūdum quod homo, eſt Deus, quam ſit affirmanda. *art. præc. in cor. & ad 2*

Ad primum ergo dicendum, quod non ſecundum idem conuenit alicui moueri ad aliquid, & eſſe illud: nam moueri conuenit alicui ratione materiæ, vel ſubiecti; eſſe autem in actu, ratione formæ. Et ſimiliter non ſecundum idem conuenit Chriſto ordinari ad hoc, quod ſit Deus per gratiam vnionis; & eſſe Deum. Sed primum conuenit ſibi ſecundum humanam naturam, ſecundū verò ſecundū diuinā. Et ideo hęc eſt vera, Chriſtus ſecundū quod homo, habet gratiā vnionis; non tamē iſta, Chriſtus ſecundū quod homo, eſt Deus.

Ad ſecundū dicendū, quod filius hominis habet in terra poteſta-

tem

tem dimittendi peccata, non virtute humanæ naturæ, ſed virtute naturæ diuinæ In qua quidem natura diuina conſiſtit poteſtas dimittendi peccata per auctoritatem: in humana autem natura conſiſtit inſtrumentaliter, & per miniſterium. Vnde Chryſoſt. ſuper Matth. * hoc exponens dicit: Signanter dixit. In terra dimittendi peccata: vt oſtenderet, quod humanæ naturæ poteſtatem diuinitatis vniuit indiuiſibili vnione: quia etſi factus eſt homo, tamen Dei verbum permanſit.

Hom. 30. in Matt. cir. med. to. 2.

Ad tertium dicendum, quod cum dicitur, iſte homo, pronomen demonſtratiuum, hoc nomen homo, trahit ad ſuppoſitum. Et ideo magis eſt hæc vera, Chriſtus ſecundum quod iſte homo, eſt Deus; quã iſta, Chriſtus, ſecundum quod homo, eſt Deus.

3 PRima concluſio, ſi homo in reduplicatione accipiatur pro natura, falſa eſt propoſitio: eſſet autem vera ſi accipiatur ratione ſuppoſiti. Ratio primi eſt, quia quod conuenit Chriſto ſecundũ quod eſt homo, conuenit cuilibet homini: ergo ſi Chriſtus ſecundum quod homo eſt Deus, omnis homo eſſet Deus, quod eſt falſum.

Deinde, quia humana natura eſt diſtincta à diuina ſecundum differẽtiã eſſentiæ: ergo impoſſibile eſt, quod Chriſtus ſit Deus ſecundum quod homo, hoc eſt ſecundum humanam naturam. Ratio verò ſecundi eſt, quia ſuppoſitum naturæ humanæ in Chriſto eſt perſona filij Dei, cui conuenit eſſe Deum.

Secunda concluſio eſt: quia terminus in reduplicatione poſitus magis propriè tenetur pro natura, quam pro ſuppoſito, ideo hęc propoſitio potius eſt neganda, quam concedenda.

(* * *)

ART. XII.

Vtrùm hæc ſit vera, Chriſtus ſecundum quod homo, eſt hypoſtaſis, vel perſona?

AD duodecimum ſic proceditur. Videtur, quòd Chriſtus ſecundum quod homo ſit hypoſtaſis vel perſona. Illud enim quod conuenit cuilibet homini, conuenit Chriſto, ſecundum quod eſt homo: eſt enim alijs hominibus ſimilis, ſecundum illud Phil 2. In ſimilitudinem hominum factus. Sed omnis homo eſt perſona. Ergo Chriſtus, ſecundum quod homo, eſt perſona

3. d. 10. q. 1. a. 2. & Ro. 1. lec 3.

2 Præterea, Chriſtus ſecundum quod homo, eſt ſubſtantia rationalis naturæ. Non autem ſubſtantia vniuerſalis. Ergo ſubſtantia indiuidua. Sed nihil aliud eſt perſona, quã rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia, vt Boetius dicit in lib. de duabus nat. * Ergo Chriſtus, ſecundũ quod homo eſt perſona.

aliquantu lum à prin cip.

3 Præterea Chriſtus, ſecundũ quod homo, eſt res humanę naturę, & ſuppoſitum, & hypoſtaſis eiuſdem naturæ. Sed omnis hypoſtaſis, & ſuppoſitum, & res humanæ naturę, eſt perſona. Ergo Chriſtus, ſecundum quod homo, eſt perſona.

Sed contra, Chriſtus ſecundum quod homo, non eſt perſona æterna Si ergo Chriſtus ſecũdum quod homo, ſit perſona, ſequeretur quod in Chriſto ſint duę perſonę, vna temporalis, & alia æterna. Quod eſt erroneum, vt ſupra dictum eſt. *

q. 2. ar. 2. & 6. ar. 10. huius q.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, * iſte terminus homo, in reduplicatione poſitus, poteſt accipi vel ratione ſuppoſiti, vel ratione naturæ. Cum ergo dicitur, Chriſtus ſecundum quod homo, eſt perſona, ſi accipiatur ratione ſuppoſiti, manifeſtum eſt, quod Chriſtus ſecundum quod homo, eſt perſona: quia ſuppoſitum humanę naturæ nihil eſt aliud, quam perſona filij Dei. Si autem accipiatur ratione naturę, ſic poteſt intelligi dupliciter. Vno modo vt intelligatur, quod naturæ humanæ competat eſſe in aliqua perſona. Et hoc etiam modo verum eſt: omne enim quod ſubſiſtit in humana natura, eſt perſona. Alio modo poteſt intelligi, vt naturæ humanæ in Chriſto propria perſonalitas debeatur, cauſata ex principijs humanæ naturæ. Et ſic Chriſtus ſecundum quod homo, non eſt perſona: quia humana natura non eſt per ſe ſeorſum ſubſiſtens â diuina natura, quod requirit ratio perſonæ.

Ad primum ergo dicendum, quod omni homini conuenit eſſe perſonam, ſecundum quod omne ſubſiſtens in humana natura eſt perſona. Sed hoc eſt proprium homini Chriſto, quod perſona ſubſiſtens in humana natura eius, non ſit cauſata ex principijs humanæ naturæ, ſed ſit æterna. Et ideo vno modo eſt perſona, ſecundum quod homo; alio modo non, ſicut dictum eſt. *

in co. ar.

Ad ſecundum dicendum, quod ſubſtantia indiuidua, quæ ponitur in diffinitione perſonę, importat ſubſtantiam completam per ſe ſubſiſtentem ſeparatim ab alijs: alioquin manus hominis poſſet dici perſona, cum ſit ſubſtantia quædam indiuidua: quia tamen eſt ſubſtantia indiuidua ſicut in alio exiſtens, non poteſt dici perſona Et eadem ratione, nec humana natura in Chriſto quæ tamen poteſt dici indiuiduum, vel ſingulare quoddam.

Ad tertium dicendum, quod ſicut perſona ſignificat quid completum, & per ſe ſubſiſtens in natura rationali, ita hypoſtaſis. ſuppoſitum, & res naturæ in genere ſubſtantiæ ſignificant quiddam per ſe ſubſiſtens. Vnde ſicut humana natura non eſt per ſe perſona ſeorſum â perſona filij Dei: ita etiam non eſt per ſe hypoſtaſis, vel ſuppoſitum, vel res naturæ. Et ideò in ſenſu, in quo negatur iſta, Chriſtus ſecundum quod homo, eſt perſona, oportet etiam negari omnes alias.

14 SVPPOSITA iam prædicta diſtinctione à D. Thoma: nimirum, quod ly homo poteſt reduplicari, vel ratione ſuppoſiti; vel ratione naturę: & ratione naturæ dupliciter, vno modo, ita vt fiat ſenſus, quod naturæ humanæ competit eſſe in aliqua perſona: alio modo ita vt fiat ſenſus quod competat illi habere propriam, & connaturalem perſonam, qua ſup poſita diſtinctione.

Reſpondet tribus concluſionibus. Prima eſt, Chriſtus ſecundum quod homo eſt perſona, primo modo: cuius ratio eſt, quia ſuppoſitum humanę naturę in Chriſto eſt ipſa perſona Verbi.

Secunda concluſio, ſi tamen accipiatur homo ratione naturæ, & perſonæ in communi, Chriſtus vt homo eſt perſona. Cuius ratio eſt, quia omne ſubſiſtens in natura humana eſt perſona, vt abſtrahit à creata, & increata.

Tertia concluſio, ſi autem accipiatur ratione perſonæ propriæ, tunc propoſitio eſt falſa propter duo. Tum quia natura humana non eſt per ſe ſubſiſtens ſeorſum à diuina natura, quod tamen requirit ratio perſonæ. Tum etiam, quia alias in Chriſto eſſeat duæ perſonæ vna æterna, & alia tēporalis: qui eſt Neſtorianus error. Sed obijcies: hæc eſt vera, Chriſtus in quantum homo eſt perſona humana· ergo etiā in quantum homo eſt perſona, conſequētia patet, quia arguimus ab inferiori ad ſupius

affir-

affirmatiuè, vt in hac, eſt homo albus: ergo eſt homo. Antecedens autem probatur, quia Chriſtus reuera eſt perſona humana, & non inquantum Deus: ergo in quantum homo, non quidem, quia humani as afferat ſe cum ſuam propriam perſonalitatem, ſed quia talis conditionis eſt, quod ſuppoſitum cui adiungitur faciat eſſe perſonam.

Reſpondetur huic obiecti admiſſo antecedenti ob rationem adductam, & propter authoritatem Dioniſij, & Diui Thom. ſuperius allatam concedentium Chriſtum eſſe perſonam humanam, negando conſequentiam, eo quod, vt bene notat hic Cabrera committitur defectus à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter: quia in antecedenti denotatur, quod Chriſtus, quia eſt homo ſit perſona humana, in conſequenti vero denotatur, quod Chriſto abſolute conueniat eſſe perſonam, quia homo eſt, & ex parte humanitatis, quod prorſus eſt falſum.

QVAESTIO XVII.

De pertinentibus ad vnitatem in Chriſto quantum ad eſſe, in duos articulos diuiſa.

ET quia inter ea, quæ conſequantur ad eſſe, primum locum obtinet vnum cũ vnitas ſit prima paſſio entis, ideo, Diu. Thom. in hac quæſtione diſputat de vnitate Chriſti, quã tum ad eſſe, de qua agunt Scholaſtici cum Magiſtro in 3. diſt. 6.

ART. I.

3. di. 6. q. 2. a. 1. & diſ. 21. q. 1. ar. 1. q. 26. & 4. cõt. c. 38. fin. & vnio a. 2. ad 2. 7. & a. 3. & 4. per totum, & a. 5. ad 14

Vtrùm Chriſtus ſit vnum, vel duo?

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod Chriſtus nõ ſit vnum; ſed duo. Dicit enim Auguſtin. in 1. de Trinitat. * Quia forma Dei accepit formam ſerui, vtrumquê Deus propter accipientem Deum: vtrumque autem homo propter acceptum hominem. Sed vtrumque dici non poteſt; niſi vbi ſunt duo. Ergo Chriſtus eſt duo.

** ca 7. in fi. to. 3.*

2 Præterea. Vbicumque eſt aliud, & aliud, ibi ſunt duo, Sed Chriſtus eſt aliud, & aliud: dicit enim Auguſtin. † in Ench. Cùm in forma Dei eſſet, formam ſerui accepit, vtrumque vnus: ſed aliud propter Verbum, aliud propter hominem. Ergo Chriſtus eſt duo.

† c. 35. in it. to. 3.

3 Præterea. Chriſtus non eſt tantum homo: quia ſic purus homo eſſet. Ergo eſt aliquid aliud, quam homo, & ita in Chriſto eſt aliud, & aliud. Ergo Chriſtus eſt duo.

4 Præterea Chriſtus eſt aliquid quod eſt Pater, & eſt aliquid

quod non eſt Pater. Ergo Chriſtus eſt aliquid, & aliquid. Ergo Chriſtus eſt duo.

5 Præterea. Sicut in myſterio Trinitatis ſunt tres perſonæ in vna natura: ita in myſterio Incarnationis ſunt duæ naturæ in vna perſona. Sed propter vnitatem naturæ, non obſtante diſtinctione perſonæ, Pater, & Filius ſunt vnum: ſecundum illud Ioan 10. Ego, & Pater vnum ſumus. Ergo non obſtante vnitate perſonæ, propter dualitatem naturarum, Chriſtus eſt duo.

6 Præterea. Philoſoph. dicit in 3. Phyſic. * quod vnum, & duo denominatiue dicuntur. Sed Chriſtus habet dualitatem naturarum. Ergo Chriſtus eſt duo.

Text. 18. n. 2.

7 Præterea. Sicut forma accidentalis facit alterum, ita forma ſubſtantialis aliud: vt Porphyrius dicit. † Sed in Chriſto ſunt duæ naturæ ſubſtantiales, humana ſcilicet, & diuina. Ergo Chriſtus eſt aliud, & aliud. Ergo Chriſtus eſt duo.

In præd. in cap. de diffe. to. 1. inter opera Ariſ.

Sed contra eſt, quod Boet. dicit in lib de duab. natur. * Omne quod eſt, in quantum eſt, vnum eſt. Sed Chriſtum eſſe confitemur. Ergo Chriſtus eſt vnum.

** In lib. an omne quod eſt, bonum ſit.*

Reſpondeo dicendum, quod natura ſecundum ſe conſiderata, prout in abſtracto ſignificatur, non verê poteſt prędicari de ſuppoſito, ſeu perſona, niſi in Deo, in quo non differt quod eſt, & quo eſt: vt in prima parte habitum eſt. * In Chriſto autem cum ſint duę naturę, diuina ſcilicet, & humana: altera earum, ſcilicet diuina, poteſt de eo prædicari, & in abſtracto, & in concreto. Dicimus enim quod filius Dei, qui ſupponitur in hoc nomine Chriſtus, & eſt diuina natura, & eſt Deus. Sed humana natura non poteſt prædicari de Chriſto ſecundum ſe in abſtracto, ſed ſolum in concreto, prout ſcilicet ſignificatur in ſuppoſito. Non enim verê poteſt dici quod Chriſtus ſit humana natura: quia natura humana non eſt nata prędicari de ſuo ſuppoſito. Dicitur autem, quod Chriſtus eſt homo, ſicut & quod Chriſtus eſt Deus. Deus autem ſignificat habentem deitatem: & homo ſignificat habentem humanitatem. Aliter tamen habens humanitatem ſignificatur per hoc nomen homo, & aliter per hoc nomen Ieſus, vel Petrus. Nam hoc nomen homo, importat habentem humanitatem indiſtinctê; ſicut & hoc nomen Deus, indiſtinctê importat habentem deitatem; hoc autem nomen Petrus, vel Ieſus, importat diſtinctê habentem humanitatem, ſcilicet ſub determinatis indiuidualibus proprietatibus; ſicut & hoc nomen, filius Dei, importat habentem deitatem ſub determinata proprietate perſonali. Numerus autem dualitatis in Chriſto ponitur circa ipſas naturas, & ideô ſi ambæ naturę in abſtracto prędicarentur de Chriſto, ſequeretur quod Chriſtus eſſet duo. Sed quia duæ naturæ non prædicantur de Chriſto, niſi prout ſignificatur in ſuppoſito, opportet ſecundum rationem ſuppoſiti prædicari de Chriſto vnũ, vel duo. Quidam autem poſſuerunt in Chriſto duo ſuppoſita, ſed vnam perſonam. quæ quidem videtur ſe habere ſecundum eorum opinionem, tamquam ſuppoſitum completum vltima completione. Et ideô quia ponebant in Chriſto duo ſuppoſita, dicebant Chriſtum eſſe duo neutraliter; ſed quia ponebant vnam perſonam, dicebant Chriſtum vnum maſculinê. Nam neutrum genus deſignat quiddam informe, & imperfectum; genus autem maſculinum deſignat quiddam formatum, & perfectum. Neſtoriani autem ponen-

p. p. q. 3. a. 3. & 4.

nentes in Chriſto duas perſonas, dicebant Chriſtum non ſolum eſſe duo neutraliter, ſed etiam duos maſculinê. Quia verò nos ponimus in Chriſto vnam perſonam, & vnum ſuppoſitum: (vt ex ſupra dictis patet *) ſequitur quod dicamus, quod non ſolum Chriſtus eſt vnus maſculinê, ſed etiam, quod eſt vnum neutraliter.

q. 2. a. 2. & 6.

Ad primum ergo dicendum, quod Verbum illud Auguſtin. * non eſt ſic intelligendum, quod ly, vtrumque, teneatur ex parte prædicati, quaſi dicat, quod Chriſtus ſit vtrumque; ſed tenetur ex parte ſubiecti. Et tunc ly vtrumque ponitur non quaſi pro duobus ſuppoſitis, ſed pro duobus nominibus ſignificantibus duas naturas in concreto. Poſſum enim dicere, quod vtrumquê, ſcilicet Deus, & homo, eſt Deus propter accipientem Deũ: & vtrumque. ſcilicet Deus, & homo, eſt homo propter acceptum hominem.

citat. in arg.

Ad ſecundum dicendum, quod cum dicitur, Chriſtus eſt aliud, & aliud, locutio eſt exponenda, vt ſit ſenſus, habens aliam, & aliam naturam. Et hoc modo exponit Auguſtin. * in lib. contra Felicianum. Vbi cum dixiſſet. Immediatore Dei, & hominum, aliud Dei filius, aliud hominis filius: ſubdit. Aliud, inquam, pro diſcretione ſubſtantiæ, non aliud pro vnitate perſonæ. Vnde Gregorius Nazianzenus in epiſtol. ad Elidonium dicit. * Si oportet compendioſe dicere, aliud quidem, & aliud ea, ex quibus Saluator eſt. ſi quidem non idem eſt inuiſibile viſibili, & quod abſque tempore, ei quod ſub tempore: non autem alius, & alius, abſit: hæc enim ambo vnum.

ca. 11. in ſitu. 6.

ad Elidonium epiſt. 1 inter prin. & med in cipit. Honorādiſſimo.

Ad tertium dicendum, quod hæc eſt falſa, Chriſtus eſt tantum homo: quia non excludit aliud ſuppoſitum, ſed aliam naturam; eo quod termini in prædicato poſiti, formaliter tenentur. Si verò adderetur aliquid per quod traheretur ad ſuppoſitum, eſſet vera locutio; puta, Chriſtus eſt tantum id quod eſt homo. Non tamen ſequitur, quod ſit aliquid aliud, quam homo; quia ly aliud, cum ſit relatiuum diuerſitatis ſubſtantiæ, propriê refertur ad ſuppoſitum. (ſicut & omnia relatiua facientia perſonalem relationē.) Sequitur autem, ergo habet aliam naturam.

Ad quartum dicendum, quôd cum dicitur, Chriſtus eſt aliquid quod eſt Pater, ly aliquid, tenetur pro natura diuina; quæ etiam in abſtracto prędicatur de Patre, & Filio. Sed cũ dicitur, Chriſtus eſt aliquid quod non eſt Pater, ly aliquid, tenetur, non pro ipſa natura humana, ſecundum quod ſignificatur in abſtracto, ſed ſecundum quod ſignificatur in concreto; non quidem ſecundum ſuppoſitum diſtinctum, ſed ſecundum ſuppoſitum indiſtinctum, prout ſcilicet ſubſtat naturæ, non autem proprietatibus indiuiduantibus. Et ideô non ſequitur, quod Chriſtus ſit aliud, & aliud, vel quod ſit duo; quia ſuppoſitum humanæ naturę in Chriſto; quod eſt perſona Filij Dei, non ponit in numerum cum natura diuina, quæ prędicatur de Patre, & Filio.

Ad quintum dicendum, quod in myſterio diuinæ Trinitatis natura diuina prędicatur etiam in abſtracto de tribus perſonis; & ideo ſimpliciter poteſt dici, quod tres perſonæ ſint vnum. Sed in myſterio Incarnationis non prędicantur ambæ naturæ in abſtracto de Chriſto; & ideo non poteſt ſimpliciter dici, quod Chriſtus ſit duo.

Ad ſextum dicendum, quod duo dicitur, quaſi habens dualitatẽ: non quidem in aliquo alio, ſed in ipſo, de quo (duo) prædicatur. Fit autem prędicatio de ſuppoſito, quod importatur per hoc nomen Chriſtus. Quamuis igitur Chriſtus habeat dualitatem naturarum: quia tamen non habet dualitatem ſuppoſitorum, non poteſt dici Chriſtus eſſe duo.

Ad ſeptimum dicendum, quod alterum importat diuerſitatem accidentis; & ideo diuerſitas accidentis ſufficit ad hoc, quod aliquid ſimpliciter dicatur alterum. Sed aliud importat diuerſitatem ſubſtantiæ; ſubſtantia autem dicitur non ſolum natura, ſed etiam ſuppoſitum; vt dicitur in 5. Metaph. * & ideo diuerſitas naturæ non ſufficit ad hoc, quod aliquid ſimpliciter dicatur aliud, niſi ad ſit diuerſitas ſecundum ſuppoſitum. Sed diuerſitas naturæ facit aliud ſecundum quid, ſcilicet ſecundum naturam, ſi non ad ſit diuerſitas ſuppoſiti.

* Text. 15. 10. 3.

Conclusio eſt, Chriſtus eſt vnus maſculinè, & vnum neutraliter, quam probat Diu. Thom. dupliciter. Tum, in argumento ſed contra ex Boecio lib. de duabus naturis: omne quod eſt in quantum eſt, vnum eſt, confitemur autem Chriſtum eſſe: ergo & vnum eſſe. Tum etiam in corpore: quia vnitas vel pluralitas in Chriſto deſumenda eſt non ex vnitate, vel pluralitate naturarum, ſed ſuppoſitorum: in Chriſto autem tantum eſt vnicum ſuppoſitum ſecundum fidem, & vna perſona: ergo eſt vnum ſimpliciter. Maior probatur, quia duæ naturæ in Chriſto, ſcilicet humanitas, & diuinitas non numerantur in concreto, ſed tantum in abſtracto: nam licet in Chriſto deitas, & humanitas ſint duo: tamen Deus, & homo non ſunt duo habentia deitatem, & humanitatem, ſed vnus, vel vnum ſimul habens deitatem, & humanitatem, ideo iuxta vnitatem ſuppoſiti, Chriſtus dicitur vnus, vel vnum ſimpliciter: diceretur autem duo ſi vtraquè natura prædicaretur de Chriſto in abſtracto, quia humanitas, & diuinitas ſunt duæ naturæ ponentes in numero; igitur ſi Chriſtus eſſet humanitas ſicut eſt ſua deitas vere eſſet duo.

ART. II.

Vtrùm in Chriſto ſit tantum vnum eſſe?

Ad ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod in Chriſto non ſit tantum vnum eſſe, ſed duo. Dicit enim Damaſcen. * in 3. lib. quod ea quæ conſequuntur naturam, in Chriſto duplicantur. Sed eſſe conſequitur naturam: eſſe enim eſt â forma. Ergo in Chriſto ſunt duo eſſe.

3. diſt. 4. q 1. ar. 2. q. 1. co fi. & d. 6. q. 2 ar. 2. & Vaio.. r. 4. & quol 9. q. 2. ar 2. & op. 3. c. 216. & 219.
* cap. 13.

2 Præterea. Eſſe filij Dei eſt ipſa natura diuina, & eſt æternum. Eſſe autem hominis Chriſti non eſt diuina natura, ſed eſt eſſe temporale. Ergo in Chriſto non eſt tantum vnum eſſe.

3 Præterea. In Trinitate quamuis ſint tres perſonæ, eſt tamen vnum eſſe propter vnitatem naturæ. Sed in Chriſto ſunt duæ naturæ, quamuis ſit vna perſona. Ergo in Chriſto non eſt tantum eſſe, ſed duo.

4 Præterea. In Chriſto anima dat aliquod eſſe corpori, cum ſit forma eius. Sed non dat ſibi eſſe diui-

diuinum, cum ſit increatum. Ergo in Chriſto eſt aliud eſſe, præter eſſe diuinum: & ſic in Chriſto non eſt tantum vnum eſſe.

Sed contra. Vnumquodque ſecundum hoc dicitur ens, ſecundum quod dicitur vnum: quia vnum, & ens conuertuntur. Si ergo in Chriſto eſſent duo eſſe, & non tantum vnum, Chriſtus eſſet duo, & non vnum.

Reſpondeo dicendum, quod quia in Chriſto ſunt duæ naturæ, & vna hypoſtaſis, neceſſe eſt, quod ea quæ ad naturam pertinent in Chriſto, ſint duo: quæ autem pertinent ad hypoſtaſim in Chriſto ſint vnum tantum. Eſſe autem pertinet, & ad naturam, & ad hypoſtaſim. Ad hypoſtaſim quidem, ſicut ad id quod habet eſſe: ad naturam autem, ſicut ad id quo aliquid habet eſſe. Natura enim ſignificatur per modum formę, quæ dicitur ens ex eo quod, ea aliquid eſt: ſicut albedine eſt aliquid album, & humanitate eſt aliquis homo Eſt autem conſiderandum, quod ſi eſt aliqua forma, vel natura, quæ non pertineat ad eſſe perſonale hypoſtaſis ſubſiſtentis: illud eſſe non dicitur eſſe illius perſonæ ſimpliciter, ſed ſecundum quid: ſicut eſſe album eſt eſſe Sortis, non in quantum eſt Sortes, ſed in quantum eſt albus. Et huiuſmodi eſſe nihil prohibet multiplicari in vna hypoſtaſi, vel perſona: aliud enim eſt eſſe, quo Sortes eſt albus, & quo Sortes eſt muſicus. Sed illud eſſe, quod pertinet ad ipſam hypoſtaſim, vel perſonam, ſecundum ſe impoſſibile eſt in vna hypoſtaſi, vel perſona multiplicari: quia impoſſibile eſt, quod vnius rei non ſit vnum eſſe. Si igitur humana natura adueniret filio Dei non hypoſtatice, vel perſonaliter, ſed accidentaliter (ſicut quidam poſuerunt;) opporteret ponere in Chriſto duo eſſe; vnum quidem, ſecundum quod eſt Deus: aliud autem, ſecundum quod eſt homo. Sicut in Sorte ponitur aliud eſſe, ſecundum quod eſt albus; & aliud, ſecundum quod eſt homo: quia eſſe album, non pertinet ad ipſum eſſe perſonale Sortis. Eſſe autem capitatum, & eſſe corporeum, & eſſe animatum, totum pertinet ad vnam perſonam Sortis; & ideo ex omnibus his non fit, niſi vnum eſſe in Sorte. Et ſi contingeret, quod poſt conſtitutionem perſonæ Sortis, aduenirent Sorti manus, vel pedes, vel oculi (ſicut accidit in cæco nato) ex his non accreſceret Sorti aliud eſſe, ſed ſolum relatio quędam ad huiuſmodi: quia ſcilicet diceretur eſſe non ſolum ſecundum ea, quæ prius habebat, ſed etiam ſecundum ea, quæ ſibi poſtmodum aduenerunt. Sic igitur cum humana natura coniungatur filio Dei hypoſtaticê, vel perſonaliter (vt ſupra dictum eſt *) & non accidentaliter; q. 2, art. 6. conſequens eſt, quod ſecundum humanam naturam non adueniat ſibi nouum eſſe perſonale, ſed ſolum noua habitudo eſſe perſonalis præexiſtentis ad naturam humanam; vt ſcilicet perſona illa iam dicatur ſubſiſtere, non ſolum ſecundum diuinam naturam, ſed etiam ſecundum humanam.

Ad primum ergo dicendum, quod eſſe conſequitur naturam, non ſicut habentem eſſe, ſed ſicut qua aliquid eſt: perſonam autem, ſiue hypoſtaſim conſequitur, ſicut habentem eſſe. Et ideo magis retinet vnitatem ſecun-

dum vnitatem hypoſtaſis, quam habeat dualitatem ſecundum dualitatem naturæ.

Ad ſecundum dicendum, quod illud eſſe ęternum filij Dei, quod eſt diuina natura, fit eſſe hominis, in quantum humana natura aſſumitur à filio Dei in vnitatem perſonæ.

Ad tertium dicendum, quod ſicut in prima parte dictum eſt,* quia perſona diuina eſt idem cum natura, in perſonis diuinis non eſt aliud eſſe perſonæ præter eſſe naturę: & ideò tres perſonę non habent, niſi vnum eſſe. Haberent autem triplex eſſe, ſi in eis eſſet aliud eſſe perſonæ, & aliud eſſe naturę.

p. p. q. 3. a. 3. & 4.

Ad quartum dicendum, quod anima in Chriſto dat eſſe corpori, in quantum facit ipſum actu animatum: quod eſt dare ei complementum naturæ, & ſpeciei. Sed ſi intelligatur corpus perfectum per animam abſquê hypoſtaſi habente vtrumque: hoc totum compoſitum ex anima, & corpore (prout ſignificatur nomine humanitatis) non ſignificatur, vt quod eſt, ſed vt quo aliquid eſt. Et ideô ipſum eſſe eſt perſonę ſubſiſtentis, ſecundum quôd habet habitudinem ad talem naturam: cuius habitudinis cauſa eſt anima, in quantum perficit humanam naturam, informando corpus.

2 CONCLVSIO eſt: in Chriſto tantum eſt vnum eſſe ſimpliciter, multa vero ſecundum quid. Hanc concluſionem probat Diu. Thomas, in argumento ſed contra: quia vnumquodque eſt ens ſecundum quod eſt vnum, eo quod vnum, & ens conuertuntur, ſed Chriſtus eſt tantum vnum, vt dictum eſt articulo præcedenti: ergo tantum habet vnum eſſe.

Deinde in corpore articuli vtitur hac ratione, vnio accidentalis in hoc differt à perſonali, & hypoſtatica, quod extrema illius habent duplex eſſe; extrema vero huius habent vnum eſſe dumtaxat: ſed humana natura vnitur Verbo diuino hypoſtatice, & perſonaliter: ergo trahitur ad idem eſſe Verbi diuini, ac per conſequens in Chriſto tantum eſt vnum eſſe; minor eſt certa ſecundum fidem, & maior patet inductione: nam quando homo fit albus, aliud eſt eſſe hominis, aliud vero eſſe albi, ſiue albedinis, quia hæc duo coniunguntur accidentaliter: cæterum eſſe animatum, eſſe corporeum, & eſſe capitatum, eſt vnicum tantum eſſe, & non multiplex, quia hæc omnia vniuntur perſonaliter, & trahuntur ad idem eſſe perſonę, vel ſuppoſiti, ex quo relinquitur probata prima pars concluſionis.

Secunda vero: nimirum, quod in Chriſto ſit multiplex eſſe ſecundum quid patet, quia ſunt multæ formæ accidentales; nimirum tot, quot fuere accidentia in Chriſto; & à qualibet huiuſmodi forma prouenit ſuum eſſe accidentale, vt ab albedine eſſe album à ſapientia eſſe ſapientem: eſſe autem, quod procedit à forma accidentali, quæ non pertinet ad eſſe perſonale, & hypoſtaticum, non eſt eſſe ſimpliciter talis perſonæ, vel hypoſtaſis, ſed ſecundum quid, & multiplicari poteſt in vna hypoſtaſi, vt eſſe album, & eſſe muſicum in eadem hominis hypoſtaſi multiplicantur.

Igitur concludit Diu. Thom. ex diſcurſu huius articuli in Chriſto tantum dari vnicum eſſe exiſtentiæ, prout condiſtinguitur ab eſſe eſſentiæ, & à ratione ſubſiſtendi, atquè ab eſſe propoſitionali, quod in compoſitione prædicati cum ſubiecto conſiſtit: his enim quatuor modis contingit accipi eſſe alicuius rei: & quidem ſumptum pro eſſe eſſentiæ non negat Diu. Thom. dari in Chriſto duplex eſſe, imò fatetur, quia in Chriſto ea, quæ pertinent ad naturas, & eſſentias multiplicari, ſecundum fidem certum eſt: ſimiliter de fide eſt certum rationem ſubſiſtendi hoc eſt ipſam ſubſiſtentiam, quàm dicit ſuppoſitum, tantum eſſe vnicam in Chriſto, vt contra Neſtorianam hęreſim docet, & tenet Eccleſia, vt ſupra vidimus quæſt. 4. art. 2.

Deinde ſumpto eſſe pro illo, quod pertinet ad veritatem propoſitionis certum eſt multiplicari in Chriſto, ſicut ſunt multa prædicata, quæ de illo verè enun-

Digitized by Google

enunciatur, vt eſſe Deũ, eſſe hominẽ, fuiſſe paſſum, mortuum, &c. ſed de ſolo eſſe exiſtentiæ hoc eſt, de actu exiſtendi determinat D. Tho. in hoc art. tantum dari in Chriſto vnicum eſſe ſimpliciter.

Circa has concluſiones tria à Theologis cõtrouerti ſolent: Primum an Chriſtus ſit ſimpliciter, & omnibus modis vnũ quid? Secundum eſt, an ſit in Chriſto vnicus tantum actus exiſtentiæ ſubſtãtialis? Tertium eſt an admiſſa in Chriſto duplici exiſtentia, iuxta duplicem naturam: concedendum ſit abſolutè, & ſimpliciter illum habere duo eſſe? Quæ à nobis ſingulis dubijs ſunt examinanda.

Dubium itaque primum eſt: An Chriſtus ſit ſimpliciter vnus, & vnum?

3 IN hoc dub. omnes Theologi conueniũt in vno, & diſcriminãtur in alio: conueniunt quidem circa rem ipſam, quod Chriſtus, ſit tantum vna perſona compoſit ex duabus naturis non accidentaliter; ſed per ſe ac ſubſtãtialiter, vt ſupponit Diu. Thom. ex dictis ſupra quæſtio. 2. & 4. diſcriminantur autem ſolum circa modum loquẽdi in tres ſententias.

Prima eſt Durandi 3. diſtinction. 6. quæſt. 1. aſſerentis, quod Chriſtus licet ſit, & vere dicatur vnus maſculine propter aſsignatam rationem: nimirum quia eſt vna perſona in duabus naturis: tamen nec poteſt dici vnum, nec plura in genere neutro abſolute, & abſque addito: cuius ratio eſt, quia nomen adiectiuum, cuiuſmodi ſunt vnum, & plura, quando ponuntur à parte prædicati ſine ſubſtantiuo applicant ſuum ſignificatum ad ſubiectũ propoſitionis, vt in hac, homo eſt albus, illud adiectiuum albus denotat albedinem conuenire homini: ergo ſi hæc nomina adiectiua vnum, vel plura ponuntur à parte prædicati ſine addito, applicabunt ſuum ſignificatum formale Chriſto poſito à parte ſubiecti: qui tamen cum ſit maſculini generis incapax eſt ſuſcipiendi talem applicationem, ac prædicationem: niſi à parte prædicati ponatur pro addito aliquod ſubſtantiuum, vt ly ſuppoſitum.

Tunc enim verum eſt dicere: Chriſtus eſt vnum ſuppoſitum, quia illud adiectiuũ vnum, tunc applicat ſuum ſignificatum ad ſuppoſitum, & non ad Chriſtum, ſimiliter poteſt dici plura cum addito, vt ſi dicamus Chriſtum habere plura eſſe, vel plures naturas.

Secunda ſententia eſt aliorum quos ſuppreſſo nomine refert Durand. in eadem quæſtione, aſſerentium Chriſtum dici poſſe plura, ſiue duo neutraliter, non tamen dici plures poſſe vel duo maſculine, quę ſententia ſuaderi poteſt dupliciter. Tum ex modo loquendi ſanctorum patrum, qui loquentes de Chriſto dicunt, aliud, & aliud ſunt ea, ex quibus ſaluator conſtat non tamen alius, atque alius: ita loquuntur Nazian. Epiſtol. 51. Anathe. 4. Cyrillus Alexandrinus tract. de Incarnatio. cap. 26. Damaſcenus lib. 3. de Fide, capit. 7. & ex Patribus latinis eodem modo loquitur Auguſtin. in Enchyridion. cap. 35. & Anſelm, in lib, de Incarnatione, capit. 5. dum ait: *Non eſt alius Deus, alius homo in Chriſto, quamuis aliud ſit Deus aliud homo*, & alij quorum teſtimonia, refert Vazquez hic diſput. 70. cap. 1.

Tum etiam quoniam in Chriſto ſunt duæ naturæ ſubſtantiales; & vna tantũ perſona ſecundum fidẽ: ſed plura vel duo neutraliter refertur ad naturas: plures vero, ſiue duo maſculine refertur ad perſonas: ergo Chriſtus poteſt dici plura neutraliter: ſed non plures maſculine. Quæ ratio amplius confirmatur, ex eo quod Chriſtus vere eſt ſimul humanitas, & diuinitas complexiuè, quia componitur ex illis, & omne compoſitum eſt ſuæ partes ſimul ſumptæ & vnitæ: vtpotè cum quibus identificatur, & à quibus realiter non diſtinguitur: quo etiam more loquendi vtuntur plures patres Eccleſiæ dicentes, Chriſtum eſſe duas naturas, aut etiam tria; quia eſt corpus anima, & Diuinitas; vt Auguſtin, lib. 13. de Trinit. cap. 17. inquit: Chriſtum eſſe compoſitum ex tribus ſubſtantijs, ſcilicet Deo, anima, & carne, Iſidorus in lib. de differentijs, cap. 6. & Concilium Tolletanum 11. in confeſſione fidei vtitur eodem modo loquendi: dicens, idem Chriſtus in duabus naturis extat ſubſtãtijs tribus, & D. Thom. ſupra quæſtio. 1. art. 1. dum ait vnam Chriſti perſonam fieri ex tribus, Verbo. anima, & carne, pro qua ſententia citat Auguſt. in loco

nuper

nuper allegato: ergo verè poteſt Chriſtus dici plura, ſiue duo neutraliter.

Chriſtus, nequit dici plura, vel plures.

4 Tertia, nihilominus ſententia vera, & Catholica eſt, quam communiter defendunt Scholaſtici cum Magiſtro in 3. d. 6. negantes Chriſtum poſſe dici plura neutraliter, aut plures maſculinè, & cum Diu. Thom. in art. 1. huius quæſtionis de quorum numero ſunt Bonauentura, diſt, citata, art. 2. quæſt. 1. Ricardus art. 2. Scotus, quæſt. 2. Gabr. & Almainus, ibidem maior, quæſt. 1. Alexander 3. part. quæſt. 6. membro 2. art. 1. Marſilius in eadē quæſt. 6. art. 3. Medina, & Cabrera in commentario huius art. 1. Suarius in eodem commentario, & Vazquius diſp. 70. cap. 2. & 3. quæ proinde à nobis ſtatuitur pro concluſione, & habet duas partes probandas.

Prima eſt, quod Chriſtus non poteſt dici duo, vel plures, nequè alius, & alius maſculinè.

Secunda eſt, quod nequè poteſt dici, duo vel plura neutraliter: quarum prima eſt adeò certa, vt oppoſitum ſit error in fide, & probatur primo, quia ſepius diffinita fuit huiuſmodi veritas ab Eccleſia, vt in Concilio Epheſino: & Calcedonenſi aprobata fuit doctrina, hęc prius diffinita in Cōcilio Alexandrino in epiſtola ad Neſtorium, vbi dicitur Chriſtum eſſe vnum eūdemque, nequè in duos Chriſtos diuiſum, & in eodē Concilio anathematiſmo, ſecundo, & tertio, idem modus loquendi repetitur, & aprobatur, atquè in Concilio Calcedonenſi, actione 4. & Concilio Conſtantinopolitano collactione 8. canone 1. & 3. damnatur qui dixerit alium eſſe Dei Verbum alium Chriſtum qui paſſus eſt: nec non in ſexta Synodo, actione 4. in epiſtola Agathonis Papæ, & in Concilio Lateranenſi ſub Martino primo, conſultatione 5. canone 6.

Secundò probatur ratione Theologica deſumpta ex patribus: nimirum ex Nouatiano, apud Tertulian. lib. de Trinitate, cap. 22. Nazianzēno, oratione 31. quę eſt epiſtola prima ad Clidonium, Damaſceno lib. 3. de fide cap. 7. Anſelmo lib. de Incarnatione capit. 5. Ambroſio lib. 2. de Fide capit. 4. Auguſtino in Enchyridion. capit. 38. & in tractatu 78. in Ioannem, & Hylario lib. 9. de Trinitate circa medium: nimirum, quia adiectiuum maſculini generis refertur ad perſonam, ſicut neutrius generis refertur ad naturam; quare in diuinis dicimus eſſe, alium, & alium, ſiue alterum, & alterum maſculinè, non verò aliud & aliud: vnde fatemur, quod filius eſt alius à patre ob alietatem ſuppoſiti, & perſonæ, negamus autem quod ſit aliud à patre ob identitatem naturæ; ergo cum in Chriſto ſit vnica perſona non debemus de illo prædicare, quod ſit duo, vel plures; vel quod ſit alius, & alius; eo quod ſignificatur in his prædicationibus eſſe in illo alietatem, & pluralitatem perſonarum: quod eſt contra fidem.

Si dicas in caſu quo Verbum diuinum aſſumeret duas humanitates, verè diceretur alius, & alius homo, atquè duo homines: ſimiliter dicerentur plures Chriſti, & plures Ieſu; atquè Emmanueles: ergo ſimiliter cum modo habeat plures naturas, ſcilicet diuinam, & humanam dicetur plures abſolute, ſicut tunc diceretur plures homines, propter plures naturas humanas.

Huic argumento reſpondet Vazquius admittendo antecedens pro prima parte abſolute, & ſimpliciter, atquè ſine vlla diſtinctione, quia iuxta regulam quam aſſignauerat 1. part. diſputatione 155. cap. 6. nomen numerale additum ſubſtantiuo numerat naturas, ſiue formas, & non ſuppoſita.

Pro ſecunda autem parte reſpondet, ſub hac diſtinctione: nimirum, quod ſi huiuſmodi nomina Chriſtus, Ieſus, & Emmanuel, & ſimilia accipiantur pro natura, tunc dictæ propoſitiones ſunt verę, ſecus autem ſi accipiantur pro ſuppoſito, & vtrouis modo vſurpari poſſe fatetur, ac proinde cum in caſu argumenti, Chriſtus haberet duas naturas humanas, reuera poſſent dici de illo duo Chriſti, duo Ieſus, & Emmanueles, ſi hæc nomina vſurpentur pro natura, nunc autem, quia vnicum tantum ſuppoſitum, & vna tantum humanitas eſt in Chriſto, propterea ſecundum neutram acceptionem poteſt dici plures.

5 Sed hæc ſolutio deficit à veritate, quoad vtramquè partem: quoad primam quidem, nam licet nomen numerale additum ſubſtantiuo numeret formas, ſiue naturas, & non ſuppoſita ſeorſim, qua ratione Deus dicitur vnus, licet ſit in tribus ſuppoſitis propter vnitatem naturæ, tamen nequit dici pluraliter de ſubſtantiuo tale nomen numerale, niſi ſimul adſit multiplicitas ſuppoſitorum: quare in caſu dicto Chriſtum non eſſe dicendum duos homines, ſed vnum dumtaxat oſtendimus ſu-

pra

pra quæſtion. 3. articul. 7. cum D. Thom. ibi ad ſecundum.

Deinde, quo ad ſecundam partem, quia innititur falſo fundamento: nimirum, quod nomen ſubſtantiuum cuius modi eſt homo inconcreto pro latum ſupponere poſsit pro natura: nam aliud eſt accipi, & ſupponere pro aliquo, & aliud eſt ſignificare aliquid: fatemur quidem hæc nomina ſubſtantiua inconcreto ſignificare quidem naturas de formali: ſupponere autem, & accipi pro ſuppoſitis habentibus naturas, aliàs ſimiliter hæc propoſitio eſſet admittenda, Chriſtus eſt creatura: & ſimiliter iſta, Chriſtus, vel hic homo incepit eſſe, quoniam poteſt accipi pro natura humana, Chriſtus, & hic homo, de quo ſic accepto verum eſt dicere, quod eſt creatura, & quod incepit eſſe ſicut, & de ipſa humana natura hæc prædicata verificantur: conſequens autem licet admittatur ab ipſo Vazquio quæſtion. 16, diſputation. 65. cap. 2. & diſputation. 67. capit. 2. & 4. vbi eidem falſo fundamento inixus; ductuſquè ex ſiniſtra quorundam Sanctorum Patrum intelligentia, & explicatione, ait prædictas propoſitiones eſſe admittendas, quas tamen ibidem in commentario articuli octaui, & noni docuimus, cum Diu. Thom. & communi Theologorum ſententia eſſe omnino negandas, nequè abſquè temeritatis nota poſſe concedi; nequè à Patribus conceduntur, niſi aut ſub intellecto addito ex parte ſubiecti, vt ſi dicerent, *Chriſtus, vt homo*, aut ſumendo nomen creaturæ, non ita ſtrictè, ſed large pro factura. ſiue pro termino factionis, atquè productionis, ſicque benignè patres fore interpretandos docet Diu. Thom. in dicto articul. 4. in reſponſione ad primum: in eodemquè ſenſu Caietanus ibidem, ne propoſitiones à Sanctis Patribus aliquando admiſſas omnino damnaret, illas aliquatenus admiſsit tamquam veras non quidem in ſenſu intẽto à Vazquio, vt ipſe perperam conatur, ſed in ſenſu à nobis explicato: quare cum prædictum fundamentum ommino falſum ſit: abſquè fundamento Vazquius prædictas propoſitiones de quibus procedit argumentum admittit, cum potius omnino ſint negandæ, etiam data hypotheſi argumenti ob identitatem ſuppoſiti pro quo ſemper illa nomina ſupponunt: licet ſignificent de formali naturam humanam, eo vel maximè, quod hoc nomen Emmanuel, idem eſt, atquè Deus nobiſcum, ac proinde directè, etiam ſignificat Deum, & indirectè connotat naturam humanam, vt idem Vazquius fatetur. diſputation. 67. capit. 2, ob quam rationem habet ſpecialem repugnantiam, vt ſuppoſitum idem diuini Verbi aſſumens plures naturas humanas dicatur plures Emmanueles.

Deinde, quo ad ſecundam partem probatur primo ab inconuenienti, quia alias admittendo Chriſtum eſſe duo, vel plura, illum diuideremus in duo, vel plura, diuiſio enim, & pluraliras idem ſunt: ſed Chriſtum diuidere in plura, non licet: nam in Concilio Alexandrino in epiſtola Cyrilli 10. quæ aprobata fuit in Concilio Epheſino in confeſsione fidei damnatur qui Chriſtum diuidit in duo vel plura, ſub his verbis: *Nequè Deum, aut dominum Chriſti Verbum Dei Patris aſſerimus, ne iterum manifeſtius in duo diuidamus vnum Chriſtum, &c.*

Secundo probatur, quia ea quæ in vnum coniuncta ſunt non poſſunt abſolute, & ſine addito plura nuncupari, propterea enim Petrus, verbi gratia, aut album non dicitur abſolutè plura, quia licet ex pluribus conſtet tamen in vno coniuncta ſunt, & ideò abſolutè dicitur vnum: ſed in Chriſto, quamuis ſint plures naturæ tamen coniunctæ ſunt in vnitatem perſonæ, eo quod concurrunt ad compoſitionem vnius perſonæ humanæ, & diuinæ: ergo non debet dici abſolute plura.

Tertio probatur ratione, qua Diu. Thom. vtitur in articulo ſub hac forma: cum duo vel plura neutraliter referatur ad naturas: ſi Chriſtus diceretur duo, vel plura neutraliter referretur ad naturas, & non ad ſupoſita: ac proinde ſenſus eſſet iſte: Chriſtus eſt duæ naturæ, ſcilicet diuinitas, & humanitas; ſed iſte ſenſus eſt falſus; ergo. Minor patet, quia licet de Chriſto poſsit prædicari diuinitas in abſtracto, quia in Deo idem eſt, quod & quo eſt: tamen nequit de illo prædicari humanitas in abſtracto, quia humanitas realiter diſtinguitur à ſuppoſito habente humanitatem.

Hanc rationem refutat Vazquius vbi ſupra, capit. 3. eo quod de Chriſto prædicantur diuinitas, & humanitas, ſaltem

in

in concreto: v[illegible]rum enim eſt dicere, quod Chriſtus eſt D[illegible]us, & homo: hoc autem ſufficit, vt ſit aliud, & aliud, atquè vt dicatur plura neutraliter, ac proinde ex hoc capite non conuincitur intentum.

Sed hęc obiectio nullius eſt roboris ad infringendam rationem, Diu. Thom. quia vt ipſe Diu. Thom. reſpondet in corpore articuli, quando Deus, & homo prędicantur de Chriſto in concreto accipiuntur non pro diuerſis naturis, ſed pro eodem ſuppoſito illas habente, ac proinde, vt Chriſtus diceretur eſſe plura neutraliter nedum in concreto, ſed in abſtracto deberent plures naturæ de illo prędicari abſolutè, & ſine addito: quæ tamen de illo non verificantur, niſi cum addito, & in ſenſu identico, vt docuimus ſupra quæſt. 2. articul. 4. vbi oſtendimus hanc propoſitionem: Chriſtus eſt diuinitas, & humanitas, abſolutè, & in ſenſu formali, atquè diuiſiue eſſe falſam, quia licet Chriſtus ſit ſua diuinitas, non tamen eſt ſua humanitas: tamen eſſe veram identice cum hoc addito: Chriſtus eſt diuinitas, & humanitas ſimul, & complexiue: quia ſicut totum eſt ſuæ partes ſimul ſumptæ, & vnitę ita totus Chriſtus eſt diuinitas, & humanitas ſimul ſumptæ, & vnitæ.

Dices: Deus eſt Trinus, propter tres perſonas, & vnus propter vnam naturam: ergo ſi Chriſtus habaret tres naturas, ſcilicet diuinam, & duas aſſumptas creatas (quando fuit poſsibile) poſſet è conuerſo dici vnus propter vnitatem ſuppoſiti, & Trinus propter tres naturas: ergo de facto poteſt ac debet dici vnus propter vnitatem perſonæ, & duo propter dualitatem naturarum.

Reſpondetur admiſſo antecedenti negando vtramquè conſequentiam: cuius diſparitas eſt, quia perſonæ tam in concreto, quam in abſtracto formaliter dicuntur de Deo, ſicut de natura, quia in illo idem eſt quod eſt, & quo eſt, ac proinde ratione illarum dicitur Trinus: naturæ autem creatæ ſumptæ in abſtracto non poſſunt dici de ſuppoſito illas habente, vtpote à quo realiter diſtinguntur, ac proinde nequè ratione illarum poſſet dici Chriſtus Trinus, aut plura.

Ex his reſpondetur ad fundamentum pro prima ſententia, admiſſo antecedenti negando conſequentiam, quia licet illa regula Durandi teneat in adiectionis non tranſcendentalibus, ſecus autem in tranſcendentalibus: cuius modi ſunt ens, & vnum: vnde ſicut Petrus licet ſit maſculini generis dicitur ens, & vnum: ita & Chriſtus dicitur ens, & vnum ratione ſuppoſiti: & ratione perſonæ dicitur vnus.

Ad primum autem fundamentum pro ſecunda ſententia reſpondetur Patres illos non abſolute dixiſſe Chriſtum eſſe duo vel plura, ſed cum addito denotante vnionem plurium naturarum in vno Chriſto, neque voluerunt quod Chriſtus ſit aliud, & aliud formaliter, & intranſitiue, ſed tantum cauſaliter, & tranſitiue, hoc eſt quod in Chriſto ſit aliud, & aliud, nimirum alia, & alia natura.

Ad ſecũdũ nego cõſequentiam, quia naturæ in abſtracto ſignificatæ nequeunt formaliter abſolute, & ſine addito de Chriſto prædicari. Ad illud vero, quod ex Patribus deducitur, Chriſtum dici aliud, & aliud, reſpondet Diu. Thom. hic ad ſecundum illos debere intelligi ad hunc ſenſum, quod Chriſtus habet aliam, & aliam naturam, neque oppoſitum docuit ſupra quęſtion 2. articul. 3. ad primum, ſi atente legatur, vt perperam volunt Suarius hic, & Vazquius diſputatione citata, capit. 3. fatemur igitur cum Diu Thom. & Patribus in Chriſto eſſe aliud, & aliud, ſed negamus, quod ipſe ſit aliud, & aliud.

Ad confirmationem patet ex tertia probatione ſecundæ partis noſtræ aſſertionis: aliud enim eſt Chriſtum eſſe compoſitum ex duabus naturis, ſiue ex tribus ſubſtantijs, & aliud eſt illum eſſe duas naturas, ſiue tres ſubſtantias: Primum vtique admitti poteſt. Secundum vero neutiquam, niſi cum prædicto addito.

Dubium

Dubium ſecundum eſt: Vtrum in Chriſto ſit duplex eſſe exiſtentiæ, vnum quidem increatum, & alterum creatum, & proprium humanitatis.

6 IN quo dubio duæ verſantur ſententiæ. Prima affirmans eſt, quam ſequuntur Albertus in 3. diſtinct. 6. articul. 5. Scotus, quæſtion 1. Durandus, Gabr & Almainus, quæſt 2. Baſſolis, articul 2. Ricardus, articul. 2. quæſtion. 2. & quodlibeto 2. quæſtion. 3 Herbeus ibidem, quæſtion. 1. articul. 3. & Paludan. quæſtion. 3. Altiſiodor. lib. 3 ſum tract. 1. capit. 1. quæſtion. 8. & Bonauentura in eadem diſtinction articul 2. quæſtion. 1. Suarius hic diſputation 36. ſection. 1. & Vazquius diſputation. 71. capit. 2. & Puteanus in expoſitione articuli ſecundi quorum fundamenta ad hæc quinquè reduci poſſunt. Quorum primum deſumitur ex doctrina Patrum, qui dum loquuntur de miſterio incarnationis fatentur humanitatem aſſumptam, vt præ intellectam aſſumptioni, eſſe productam, & habere intrinſecam entitatem actualem diſtinctam ab actualitate Verbi: ſic enim expreſsius loquitur Damaſcenus lib. 3. de fide capit. 3. dicens iuxta translationem Fabri: *Neque re vera humana natura in deitatis naturam verſa, neque ſubſtantia exiſtentiaque priuata*, & vt vertit Billius: *Neque in nihilum redacta*. Quaſi idem ſit humanitas exiſtens, atquè non annihilata, ſiue deſtructa, & capit. 11. inquit Verbum aſſumpſiſſe humanitatem exiſtentem, & capit. 12. & 22. ſubdit humanitatem habere exiſtentiam in Verbo, & non ſolum per Verbum: quo more loquendi ſignificatur humanitatem, vt præintellectam aſſumptioni habere exiſtentiam propriam, & connaturalem: ergo non exiſtit per increatam exiſtentiam Verbi.

Secundum deſumitur ex identitate inter eſſentiam creatam, & exiſtentiam, quas non realiter, ſed ſola ratione diſtingui, pluribus argumentis probant Suarius vbi ſupra, & Vazquius diſputation. 72. cap. 2. quorum ſumma hæc eſt: quia exiſtentia nihil aliud eſt, quam entitas actualis ipſius rei exiſtentis: entitas autem actualis non diſtinguitur ab ipſa met entitate rei creatę, ſed eſt eadem omnino entitas rei creatæ quādo eſt in actu, & extra cauſas, atque quando eſt in potentia, & intra cauſas cum hoc diſcrimine, quod quando erat intra cauſas, poterat eſſe actu, & nondum erat: poſtea vero tota illa entitas quæ erat in potentia, actu exiſtit non quidem per aduentum alicuius actus realiter diſtincti, & ſuperuenientis ipſi eſſentię, ſed per ſe ipſam quatenus actualis, & extra cauſas exiſtit: cuius ſignum eſt, quod nunquam videmus ſeparari realiter aliquo modo eſſentiam ab exiſtentia, aut ècontra: vnde non poſſumus cum fundamento aſſirmare aliquam inter ipſas verſari diſtinctionèm ex natura rei: ſed humanitas aſſumpta habet ſuam eſſentiam actualem diſtinctam à Verbo: ergo & debet ſuam propriam exiſtentiam habere condiſtinctam ab exiſtentia Verbi. Minor eſt certa ſecundùm fidem, & conſequentia patet, quia ex his quæ inſeparabilia ſunt, & habent realem identitatem, implicat vnum reperiri ſine alio.

Tertium deſumunt Scotus, & Ricardus ex doctrina Ariſtotelis 2. de anima, capit. 4. textu 37. aſſerentis: *Quod viuere viuentibus eſt eſſe, cuius ſane cauſa, atquè principium eſt anima.* Vbi plane loquitur de eſſe exiſtentiæ, ac proinde ſententia Philoſophi eſt vitam in viuentibus eſſe idem quod exiſtentia, & viuere idem quod eſſe, ſeu exiſtere: ſed in Chriſto datur duplex viuere, & duplex vita, alia mortalis, & creata ſiue humana, & alia immortalis, atquè diuina, ſeu increata: ergo, & in ipſo eſt duplex eſſe exiſtentiæ alterum proprium humanitatis, & alterum diuinitatis. Minor eſt certa ſecundum fidem, quia Chriſtus per mortem amiſsit quidem non vitam Dei, ſiquidem quælibet pars humanitatis manſit in tri-

duo

duo mortis vnita Deo; ſed vitam propriam humanitatis per ſeparationem animæ à corpore. Conſequentia autem eſt nota ex idẽtitate inter viuere, & eſſe exiſtentiæ.

Quartum deſumit Vazquius ex effectu formali ipſius exiſtentiæ, qui eſt eſſe, ſeu exiſtere, ſicut eſſe album eſt effectus formalis, & intrinſecus albedinis: ſed nihil poteſt eſſe album, niſi ab albedine, ſibi intrinſecè inhærente: ergo pariter nihil poteſt exiſtere, niſi ab exiſtentia, ſibi intrinſecè inhærente: tunc vltra: ſed exiſtentia increata Verbi non poteſt intrinſece inhærere humanitati Chriſti, aut ipſam informare: ergo neque poteſt humanitas per illam exiſtere. Minor ſubſumpta patet, quia exiſtentia increata nequit eſſe forma humanitatis, aut alterius naturæ creatæ ob eius ſummam actualitatem, & independentiam: ob quam rationem, neque humanitas aſſumpta poterat viuere formaliter vita Dei, neque poterat intelligere intellectione increata Dei, licet per communicationem idiomatum huiuſmodi diuina attributa poſsint de natura humana inconcreto prædicari: ergo ſimiliter, neque poterat exiſtere, aut informari per exiſtentiam increatam Dei.

Quintum deſumunt Suarius, & Vazquius ex quatuor inconuenientibus, quæ ex oppoſita ſententia ſequi videntur. Primum eſt, quod Angelus lumine naturæ non cognoſceret intuitiue humanitatem Chriſti in rerum natura exiſtentem, ſiquidem non cognoſceret illam, vt exiſtentem per exiſtentiam increatam Verbi, eo quod hanc nequit Angelus lumine naturali intueri: neque vt exiſtentem per propriam exiſtentiam, quam non habebat: implicat autem videri effectum vt ſic ſine intrinſeca forma cuius eſt effectus conſequens autem eſſe falſum patet, quia Angelus videndo humanitatem Chriſti in rerum natura, & extra cauſas, illam procul dubio intuebatur, vt pręſentem, & exiſtentem.

Secundum eſt, quod vnio hypoſtatica fieret in natura diuina, ac proinde in aliquo abſoluto, & communi tribus perſonis, & conſequenter eſſet facta cum omnibus tribus perſonis, quę tamen eſſe abſurda oſtendimus ſupra quæſt. 2. art. 1. ergo. Sequela autem patet, quia ſi humanitas exiſteret per eandem exiſtẽtiam Dei, iam vnio facta fuiſſet cum exiſtentia diuina, & cum hæc ſit idem cum eſſentia, & natura diuina, atque communis tribus perſonis, iam vnio facta fuiſſet in natura diuina: & immediate ſaltem in aliquo abſoluto, & communi tribus perſonis, cuiuſmodi eſt exiſtentia diuini Verbi quæ abſoluta eſt in ſententia Thomiſtarum, qui præter abſolutam exiſtentiam in Deo nullas admittunt relatiuas.

Tertium eſt, quod alias humanitas, ſiue anima Chriſti non fuiſſet aſſumpta à Verbo mediante mente, ſiue intellectu, quod tamen eſſe erroneum in fide oſtendimus, ſupra quæſt. 6. art. 2. aduerſus Apollinariſtas: ergo. Sequela autem patet, quia ideò humanitas, ſiue anima dicitur aſſumpta mediante intellectu, quoniam medio intellectu idonea facta eſt, & pręparata, vt ad finẽ redemptionis aſſumeretur, ac proinde, vt præintellecta aſſumptioni debuit perfici per intellectum: nequit autem intelligi intellectus inhęrens animæ, aut ipſam perficiens, niſi intelligatur exiſtere in illa: exiſtere autem in anima non poteſt, niſi prius natura ipſa anima exiſtat, quia exiſtentia accidentis ſupponit ſecundum naturam exiſtentiam ſubiecti in quo eſt.

Quartum eſt, quia generatio humanitatis, & creatio animæ Chriſti ſunt actiones diſtinctæ realiter ab aſſumptione, ſeu actione vnitiua cum Verbo, vt oſtendimus ſupra cum D. Thom. quęſt. 2. art. 8. illæque ſupponuntur ad iſtam prioritatẽ naturæ, ſi autẽ humanitas, & anima Chriſti exiſteret formaliter per exiſtentiam Verbi, neque diſtinguerentur ab actione vnitiua, neque ad illam præſupponerentur: eo quod tunc tam humanitas, quam anima fieret exiſtens, & extra cauſas per actionem vnitiuam, per quam acciperet exiſtentiam: per illam autem actionem producitur aliqua res, per quam accipit eſſe, & ponitur extra cauſas: ergo neque humanitas præintelligeretur genita, neque anima creata ante aſſumptionem: ſiquidem pro illo priori non acciperet aliquod eſſe, neque poneretur extra cauſas, neque haberet in ſe, per quod terminaret generationem, aut creationem, quod tamen eſt contra expreſſam ſententiam D. Thom. 3. part. queſtion. 4. articul. 2. & quæſtion. 6. articul. 4. aſſerentis prius natura fuiſſe animam creatam, & genitam humanitatem, quam aſſumeretur, & vniretur Verbo.

Se

Tantum fuiſſe in Chriſto vnicam exiſtentiā oſtenditur cō tra Suar. & Vazq.

7 Secunda ſententia negans eſt quā ſequuntur Henric. quodlib. 3. q. 2. Dioniſi. Cartha. in 3. diſt. 6. q. 5. Capr. ibidem, q. 1. art. 1. Ferrar. lib. 4. contra gen. c. 35. & 41. Bañez 1. p. q. 4. a. 2. Nazarius hic controuerſia vnica, Caietan. & Medina in comment. huius art. 2. Cabrera diſput. 1. Vincentius in relectione de gratia Chriſti, quæſt. 7. & alij recentiores diſcipuli Diu. Thom. in expoſitione eiuſdem art. 2. & quia hæc ſententia conformior eſt teſtimonijs Conciliorum, & modo loquendi ſanctorum Patrum, ac Diu. Thomæ propterea à nobis ſtatuitur pro concluſione, & probatur. Primo ex teſtimonijs ſanctorum Patrum quorum primum eſt Sophronij in epiſt. quæ in ſexta Synodo action. 11. recitata fuit, & actione 13. atque in Concilio Calcedonenſi approbata, vbi loquens de humanitate Chriſti, ait: *in illo itaque*, ideſt in Verbo Dei, *Non inſemetipſa habet exiſtentiam vnam*: quibus verbis expreſſe ſignificat exiſtentiam, quam humanitas habuit in Verbo non fuiſſe propriam, & creatam, ſed ipſam increatam verbi, quod expreſsius confirmat paulo infra dum ſubdit: *Particionem conuenientium neſcit, ſed eſſe vnum, & permanere vnum indiuiſum ſortitur*, & iterum. eſt *vnum, & duo, vnum ſecundum ſubſiſtentiam, atque perſonam duo vero, ſecundum ipſas naturas, atque earū proprietates, ex quibus eſſe vnum ſortitur natura duplex, & vnum permanere ſeruauit.*

Secundum eſt Damaſcen. lib. 3. Fidei, cap. 22. vbi ſic ait: *Nam ſi caro ab vltimo ortu Verbum ita eſt, imo potius in ipſo extitit, ac perſonalem cū eo identitatem habuit, &c.* quibus verbis denotat humanitatem extitiſſe in Verbo: acproinde non propria ſed ipſa Verbi exiſtentia.

Tertium eſt, Leonis Papæ epiſt. 11. dicentis humanitatem Chriſti, ipſa aſſumptione fuiſſe creatam, ac ſi diceret, quod humanitas non fuit completè producta in rerum natura, niſi mediante aſſumptione, & dependenter ab illa: vtpote media qua, accepit eſſe extra cauſas.

Quartum eſt D. Thom. in 3. diſtin. 6. quæſt. 2. artic. 2. & in hoc art. 2. aſſerentis in Chriſto tantum fuiſſe vnicum eſſe exiſtentię, & quodlib. 9. art. 3. ſubdit, quod in Chriſto tantum eſt vnum eſſe ſubſtantiale, habens vnitatem ex parte ſuppoſiti non ex natura: in quibus locis loquitur de eſſe exiſtentię, vt diſtinguitur contra hypoſtaſim, ſiue perſonam, & hoc aſſerit tantum fuiſſe vnum in Chriſto: acproinde ſenſit humanitatem nō habere propriam exiſtentiam: ergo.

Hoc argumentum conantur aduerſarij eneruare varias explicationes ſingulis teſtimonijs adhibendo.

Ad primum enim reſpondet Suar. quod Sophronius tantum voluit docere contra Hæreticos humanitatem in eodē inſtanti temporis, in quo incepit eſſe in rerū natura fuiſſe Verbo vnitam, & ſemper habuiſſe vnam exiſtentiam invariatam, ad eum ſenſum, quod non prius per ſe extitit, poſtea in Verbo, ſed ſemper in Verbo.

Deinde reſpondet, idem Suar. & Vazquius vbi ſup. c. 3. Sophroniū agere ibi non de Chriſto, ſed de humanitate, de qua veriſsime dixit nō habere in Verbo duas exiſtentias, niſi vnam duntaxat quia nimirum per propriam exiſtentiam, quę vnica eſt, exiſtit in Verbo.

Tertio reſpondet idem Vazquius, Sophronium idiomate Gręco loquutum fuiſſe in dict. epiſt. & ideo vſum fuiſſe nomine gręco ſignificante vſiam, ſiue hypoſtaſim, quo proinde denotauit humanitatem Chriſti habere in Verbo, & cū Verbo vnam ſubſiſtentiam, ſiue hypoſtaſim, quæ eſt veritas Fidei; in eodemque ſenſu explicant teſtimonium Damaſc. quia nimirum etiam vſus fuit nomine græco ſignificante hypoſtaſim, vel ſubſiſtentiam, pro quo latine vertitur *exiſtentia*, aut ſi nomine exiſtentię vſus fuit, voluit humanitatem Chriſti à ſui initio, & primo ortu Verbo vnitam fuiſſe, & in illo extitiſſe non tamen per illud, aut per eius exiſtentiam: in eodemque ſenſu explicat Suar. teſtimoniū Leonis Papę iuxta priorē explicationē Sophronij: quod nimirū tantū velit humanitatē Chriſti in eodē inſtāti fuiſſe creatā, & aſſumptā. Teſtimonia, autem D. Th. explicat idem Suar. ſect. 2. de eſſe perſonali hoc eſt, prout coincidit cū perſona, ſiue ſubſiſtētia, quod D. Th. propterea aſſerit eſſe vnū, quia perſona, & ſubſiſtentia in Chriſto tantū eſt vna.

8 Sed omnes iſtæ explicationes ſunt inſufficientes, & quidem prima expoſitio ex adductis ad teſtimonium Sophronij, oſtenditur diſſona contextui ab ipſo Vazquio aduerſus Suarium, ex eo, quod paulo antea in eadem epiſtola dixerat Sophronius,

carnem Chriſti, ſcilicet animatam, & humanitatem productam, atque Verbo vnitam fuiſſe: ergo non eſt credibile ipſum verba allegata addidiſſe ad idem ſubobſcurius denotandũ, ſed aliquam nouã ſententiam à priori conditinetam in allegatis verbis inſinuare voluiſſe.

Secunda vero eſt inſufficiens, quia ſi humanitas Chriſti propriam exiſtentiam haberet, per illam, vtpotè ſubſtantialem, & rationem eſſendi per ſe, ſimpliciter exiſteret per ſe, & non in Verbo, ſuperfluæque hæc exiſtentia vna appellaretur à Sophronio: ſiquidem manifeſtiſsimum erat omnibus propriam exiſtentiam humanitatis non poſſe eſſe multiplicem, niſi tantum vnicam.

Denique tertia eadem facilitate à nobis reijcitur, qua à ſuo Authore adſtruitur. Ex quo enim codices latini vtuntur nomine exiſtentiæ, ſine fundamento aſſeritur à Vazquio Sophroniũ vſum fuiſſe in proprio idiomate nomine Græco ſignificante hypoſtaſim, ſiue ſubſiſtentiam: Eodemque pede claudicat expoſitio adhibita ab eodem Authore teſtimonio Damaſceni: nec non ex quæ adhibetur teſtimonijs Leonis Papæ eſt inſufficiens, quia mens huius Pontificis non ſolum fuit humanitatem Chriſti fuiſſe, ſimul ſimultate durationis productam, & aſſumptam, quod proculdubio veriſsimum eſt, ſed etiam illam fuiſſe productam mediante aſſumptione, & dependenter ab illa: vtpotè à qua humanitas compleretur in eſſe actuali, quod quidem accepit per huiuſmodi actionem aſſumptiuã per quam communicatum fuit humanitati eſſe exiſtentiæ diuini Verbi; & tandem expoſitio, quam adhibet Suarius teſtimonijs Diui Thom. omnino eſt ab illius mente aliena, quod ſuadetur dupliciter.

Tum quia in hoc articulo ſecundo expreſsè loquitur de eſſe exiſtentiæ humanitatis: nam cum in ſuperioribus de vnitate perſonæ ſatis diſputauerit, de exiſtentia autem nullibi mentionem feciſſet, conſequens eſt, quod in hoc articulo de vnitate ipſius exiſtentiæ ſermonem fecerit, ne illam in pertractatam relinqueret in hoc tractatu de Incarnatione, in quo de cunctis, tam ad naturam aſſumptam, quam ad perſonam aſſumentem, nihil conſideratione dignum prætermiſit.

Tum etiam, quia in fine corporis huius articuli ſecundi concludit ex vnitate perſonæ in Chriſto, vnicum tantum fuiſſe eſſe perſonale, hoc eſt eſſe exiſtentiæ, quod vocat perſonale, quia eſt actus ſuppoſiti, ſeu perſonæ, & in ſolutione ad argumenta manifeſte loquitur de eſſe exiſtentiæ, quod conſequitur ad naturam, tamquam ad principium quo & eſt actus ſuppoſiti, ſicut illius, quod habet eſſe: ac proinde loquitur de eſſe exiſtẽtiæ: de eodẽ autem debuit agere in corpore articuli, de quo egit in ſolutionibus argumentorum, alioquin confuſionem, & æquiuocationem pareret, quæ aliena omnino debet eſſe à diſcurſu D. Thom. qui pariter de eodem eſſe exiſtentiæ procedit in reliquis locis præallegatis, in quibus proinde, pro comperto habendũ eſt Angelicum Doctorem correxiſſe ſententiam illam, quã in quæſtio. de Verbi Incarnati vnione, art. 4. ſuſtinuerat de exiſtentia creata humanitatis Chriſti, vt bene notat Caietanus, ſicque manet argumẽtum inconcuſſum.

Secundum vero deſumitur ex ratione Theologica, qua vtitur D. Th. in præfatis locis: nimirũ quia exiſtẽtia licet ſit actus naturæ vt quo: tamen eſt proprius actus ſuppoſiti, vt quod: ita vt illud neceſſario, & connaturaliter preſupponat, tamquam proximum ſuſceptiuum ſui, ſed in his quæ inter ſe habent ordinẽ prioris, & poſterioris ſublato priori neceſſe eſt, & auferri poſterius, ſicut deſtructis primis ſubſtantijs neceſſe eſt deſtrui, & ea quæ illis inſunt: ergo ſublata ſubſiſtentia propria humanitatis Chriſti, quã Fides docet ſublatam fuiſse ab illa: neceſse eſt ſaltem naturali exigentia, & neceſsitate propriam exiſtentiam pariter defeciſse.

Maior patet, quia ſubſiſtentia, ſiue hypoſtaſis eſt immediatum ſuſceptiuum exiſtentiæ, quæ proinde teſte Diu. Thom. in ſolutione ad primum in Chriſto ſequitur vnitatem ſuppoſiti, ſiue hypoſtaſis, non obſtante dualitate naturarũ & in ſolutione ad tertium ſubdit, in Deo tantum eſse vnicum eſse exiſtentiæ, quia diuina natura eſt idem cum perſonis: ac proinde tres perſonæ tantum habent vnum eſse exiſtentiæ: haberent autem triplex eſse exiſtentiæ ſi in eis eſset aliud eſse perſonæ, & aliud eſse naturæ, quam ſententiam latius oſtendimus, 1. part. quæſtion. 28. artic. 2. & oſ-

tendit

tendit hic Cabrera diſpution. 2. aduerſus Suarium ſupra quæſtion. 3. art. 1. diſputatio. 11. ſection. 2. qui refutat ſententiam Diui Thomæ de vnitate exiſtentiæ diuinæ communis tribus perſonis, conſtituens in illis vltra exiſtentiam abſolutam naturæ, tres alias relatiuas, ſuæque expoſitioni non congruit: nam intelligens D. Thomam, in hac ſolutione ad tertium loqui de eſſe exiſtentiæ, cur ipſum non intellexit in corpore articuli locutum fuiſſe de eodem eſſe exiſtentiæ, niſi de eſſe perſonali, quod à ſubſiſtendi ratione non differt?

Tertio probatur ratione metaphyſica: nimirum ex reali diſtinctione, quæ verſatur inter exiſtentiam & eſſentiã cuiuslibet rei creatæ quam agnoſcit, & deffendit Diu. Thom. in 2. in dict. 3. quęſt. 1. art. 1. de potentia, quæſt. 7. art. 2. ad quintum, & opuſc. 42. cap. 5. & ob hãc diſtinctionem realem fatetur in 2. diſt. in 8. art. 5. ad 3. & diſtia. 15. quæſt. 1. art. 2, exiſtentiam in rebus creatis à ſolo Deo produci: cum tamen earum eſſentias, ſiue naturas, atque compoſita producat medijs cauſis ſecundis. Igitur potuit optimè humanitas in aſſumptione ſeparari à propria exiſtentia, & vniri Verbo, ſine illa: itaque de facto contigiſſe ipſa ratio conuenientiæ (ſuppoſita huiuſmodi reali diſtinctione) manifeſtat, quia retinens propriam exiſtentiam non poſſet perſonaliter vniri Verbo diuino, ab eiuſque ſubſiſtentia terminari, vt ſequenti ratione ab incomuenientibus ducta perſpicuum fiet.

Vltimo, itaque probatur alia ratione Theologica deſumpta ab inconuenienti triplici, quod ſequitur ex oppoſita ſententia. Primum eſt, quod vnio humanitatis ad Verbum eſſet accidentalis, & non ſubſtantialis, conſequens autem eſt incidere in hęreſim Neſtorianam: ergo.

Sequelam probat Diu. Thom. in corpore eiuſdem articuli ſecundi dicens: *Quod ſi humana natura adueniret filio Dei accidentaliter, oporteret ponere in Chriſto duo eſſe.* Vnde pro eodem accipit Diu. Thom. vnionem duorum eſſe accidentalem, atque ea habere duo eſſe: & merito quidem quia nequit inter aliqua duo dari ſubſtantialis vnio: niſi in quantum vnum trahitur ad eſſe ſubſtantiale alterius; alioquin vnio erit accidentalis, qualis inuenitur inter corpus, & albedinem: & talis inueniretur inter Verbum, & humanitatem, ſi humanitas gauderet proprio eſſe, & non traheretur ad eſſe Verbi.

Secundum eſt, quia Verbum diuinum, ſicut eſt homo ab humanitate aſſumpta: ita eſſet exiſtens ab exiſtentia creata humanitatis, & conſequenter eſſet exiſtens creatum: alioquim humanitas nequit intelligi cum propria exiſtentia, niſi ſit ſimul coaſſumpta à Verbo, quæ proinde communicabit illi ſuum effectum formalem, quod tamen abſurdum videtur, ſicut & quod de Verbo, ſiue de ſuppoſito prædicetur ens creatum, & creatura.

Tertium eſt, quod abſolutè ſimpliciter dicendum eſſet Chriſtum habere duo eſſe, quia eſſe humanitatis, & eſſe diuinum ſunt duo eſſe ſimpliciter: vtpotè cum ſint de genere ſubſtantiæ, & completa: ergo ſi hæc duo ſint in Chriſto, abſolutè in illo debent concedi duo eſſe, quod tamen formidant concedere aduerſarij, vt dubio ſequenti videbimus.

Occurritur aduerſariorũ fundamentis

9 Ad primum pro prima ſententia reſpondetur ex confeſsione ipſa aduerſariorum, ex quibus Vazquius fatetur, apud patres nihil expreſſum de propria exiſtentia humanitatis aſſumptæ inueniri: neque ex teſtimonijs Damaſceni illam conuinci: quoniam, aut vſus fuit nomine Græco (ait ipſe) ſignificante hypoſtaſim, aut ſi nomine ſignificante exiſtentiam vſus fuit, tantum voluit denotare humanitatem Chriſti exiſtere in Verbo, ſiue propria, ſiue aliena exiſtentia: ita vt non exiſtat per ſe, ſed in alio.

Ad ſecundum reſpondetur: fundamentum illud de reali identitate inter eſſentiam rei creatæ, & exiſtentiam eſſe omnino falſum, & aduerſari principijs veræ metaphyſicæ, ac Theologiæ, quæ de ſola diuina eſſentia prædicat, quod ſit ſuum eſſe, & à ſua exiſtentia indiſtincta: in reliquis autem entibus creatis diſtinguit exiſtentiam ab eſſentia, quæ tamen dicitur actualis, quando actu eſt extra cauſas denominatiuè ab actualitate exiſtentiæ illi ſuperuenientis accidentaliter, accidentalitate quidem non prædicamenti, quia exiſtentia ſubſtantiæ cum ſit actus ſubſtantialis ad idem prædicamentũ ſubſtantiæ reducitur, ſed quinti prædicabilis, quia poteſt ab eſſe, & ad eſſe,

ſecundum prędicationem eidem eſſentię inuariatę manenti quoad eſſentia ... lia.

Hinc fit in Chriſto duas naturas humanā, ſcilicet & diuinam eſſe a parte rei duas entitates actuales dualitate quidē nō actualitatis exiſtentiæ, ſed entitatum, quæ eadem exiſtentia actuales ſunt, ſicut in tribus diuinis perſonis tres perſonalitates ſunt tres realitates actuales actualitate eiuſdem exiſtentiæ diuinę: ſi dicas implicat multiplicari conſtitutum, vt tale, quin eius forma conſtitutiua multiplicetur: ergo implicat multiplicari entitates actuales quin multiplicentur pariter exiſtentiæ à quibus cōſtituuntur entitates actuales, vt tales. Reſpōdebis vel negādo antecedens, quia licet teneat in concretis ſubſtantialibus importantibus naturas, ſecus autem in his quæ ſunt denominatiua, ſiue cōnotatiua, & ad inſtar concretorum accidētalium ſignificantur: ſic enim ſtat de potentia abſoluta multiplicari alba per poſitionem vnius albedinis in pluribus ſubiectis: & ita multiplicantur entitates actuales in Chriſto per coniunctionem cum vna exiſtentia diuina, aut dato antecedenti negabis conſequentiam, quia ſub vna exiſtentia non multiplicantur entitates actuales formaliter, & reduplicatiuè, ideſt ſub ratione actualis, niſi tantum ſpecificatiuè, quatenus ſunt plures entitates actuales ab actualitate eiuſdem exiſtentiæ.

Ad tertium reſpondetur cum Diu. Thom. 1. part. quęſt 54. art. 1. ad 2. vbi reſpondens argumento deſumpto ex lib. 11. met. text. 39. & lib. 2. de anima, textu 37. procedenti ſub hac forma: teſte Philoſoph. 11. met. actio intellectus eſt vita; ſed viuere viuentibus eſt eſſe, teſte eodē Philoſopho 2. de anima: ergo vita eſt eſſentia viuentis, ac proinde actio intellectus erit eſſentia Angeli intelligentis: ait quod vita nō hoc modo ſe habet ad viuere ſicut eſſentia ad eſſe, ſed ſicut curſus ad currere, quorum vnum ſignificat actum in abſtracto, aliud in concreto.

Vnde non ſequitur ſi viuere ſit eſſe, quod vita ſit eſſentia: quamuis etiam quandoque pro eſſentia ponatur ſecundum Auguſtinum in libro de Trinitate, ideſt libro 9. capite 4. libro 10. capite 11. Sed ſic non accipitur à Philoſopho cum dicit quod actio intellectus eſt vita.

Ex qua ſolutione habes quod viuere apud Philoſophum ſumitur pro operatione, & non pro eſſentia. Apud Auguſtinum verò, quandoque ſumitur pro eſſentia: iuxta quam doctrinā poſſumus dupliciter ſatisfacere argumento.

Primo quidem negando maiorem, quia viuere apud Philoſophum ſumitur pro operatione vitali, & hęc dicitur eſſe ipſum in viuentibus, non quidem formaliter: ſed pręſuppoſitiuè, & cauſaliter, quia operatio pręſupponit eſſe, quod nō obſcure ſubindicat Phyloſoph⁹ in pręfactis verbis cum dicit, *Cuius ſane cauſa, atque principium eſt anima*: ac ſi diceret, ideo viuere in viuentibus eſt eſſe, quia eorum vitalis operatio prouenit ab anima, quæ dat eſſe viuētibus, & eorum eſſentiam conſtituit.

Secundo diſtingo maiorem: viuere viuentibus eſt eſſe eſſentiæ, concedo maiorem, ſumpto viuere pro vita ipſa radicali, iuxta Auguſtinum, eſt eſſe exiſtentiæ: nego maiorem, & admiſſa minori nego conſequentiam, quia ex duplici vita radicali in Chriſto, tantum licet colligere duplex eſſe eſſentię, ſeu naturę: non vero duplex eſſe exiſtentiæ.

Ad quartum nego conſequentiam: nam vt aliquid dicatur exiſtere ſatis eſt ſi actuetur, & terminetur per exiſtentiam, licet hæc illi non inhæreat eo genere inhærentiæ, quod eſt proprium accidentalium formarum: ac proinde cum humanitas Chriſti actuetur per exiſtentiam diuinam ſecluſa imperfectione inhærentię optimè potuit ab illa conſtitui, & dici exiſtens, ſicut conſtituitur, & dicitur ſubſiſtens: quatenus terminatur per ſubſiſtentiam increatam verbi: in genere autem huiuſmodi terminationis, & actuationis nullam inuolui imperfectionem Deo repugnantem oſtendimus, ſupr. quæſt. 7. art. 1. & quæſt. 9.

Ad ſecundum reſpondetur nullum ſequi ex illis incommientibus, non quidem primum quia, vt Angelus intuitiuè cognoſceret humanitatem Chriſti, ſatis eſt, quod illam videret extra cauſas in rerum natura exiſtentem. & operantem quamuis non videret modum, quo exiſtebat, & cum diffinitur notitia intuitiua eſſe rei exiſtentis, vt exiſtentis: ly *vt* accipi debet non reduplicatiuè, ſed ſpecificatiuè, quia ſat eſt notitiæ intuitiuæ, ſi terminetur ad rem exiſtentem, vt eſt in ſe, vel vt præſens, licet modus quo exiſtit, quia miraculoſus, vel occultus, eam ſubterfugiat.

Neque

Nequè ſecundum quia vnio hypoſtatica, tantum dicitur fieri, in eo ad quod imminente terminatus, & cum immediate fuerit terminata, ad perſonam verbi: mediate autem ad naturam, & exiſtentiam diuinam: propterea tantum in perſona dicitur facta, & non in prædicatis abſolutis ad quæ ſecundario, & mediante perſonà fuit terminata.

Neque tertium, quia vt humanitas, & anima Chriſti fuerit aſſumpta mediatè intellectu, atque vt intellectus fuerit, quaſi præparatio, & diſpoſitio naturę aſſumendę. Satis eſt, quod in eodem inſtanti, *in quo* exiſtat, cum humanitate, & quod pro illo priori naturę, & cauſalitatis, pro quo humanitas pręintelligitur aſſumptioni intellectus, intelligatur veluti in via ad exiſtentiam: hoc enim ſufficit in alijs diſpoſitionibus, vt ſuum effectum præbeant ſubiectis, quæ diſponunt. & ſuam in illis cauſalitatem exerceant: ſic enim diſpoſitiones compoſiti naturalis, verbi gratia, quæ vltimo diſponunt materiam ligni ad formam ignis recipiendam: pro illo priori naturæ, & cauſalitatis, quo formam ignis præcedunt ſuam cauſalitatem diſpoſitiuam, & materialem exercēt, quia in eodem inſtanti: in quo, ſeu durationis exiſtunt cum forma ignis. & pro illo ſigno rationis conſiderantur in via ad exiſtendum.

Neque quartum quia admiſſa maiori nèganda eſt minor. eo quod termini formales actionis generatiuæ humanitatis, & creationis animæ Chriſti non ſunt exiſtentię, ſed eſſentię ipſæ humanitatis, & animæ ad quas huiuſmodi actiones intelligūtur terminari prioritate naturæ ante aſſumptionem, & media hac terminantur ad prædictas eſſentias completè, accipiendo quidem ab illa complementum exiſtentiæ, quæ quidem eſt conditio, & complementum termini formalis generationis, & creationis, & ideo potuit ſupleri, ſiue præſtari à Deo miraculoſe per ſuperuenientem actionem aſſumptiuam à qua præuentæ illæ operationes non communicauerunt eſſe exiſtentiæ ſuis terminis: quod tamen ſuapte natura deberent communicare, & defacto communicarent; niſi à ſuperiori actione præuenirentur, ſicut ob ſimilem præuentionē generatio humanitatis Chriſti à beata Virgine procedens non communicauit ſuppoſitum proprium: cuius tamen ſuapte natura erat productiua.

Dubium tertium eſt: An abſolute, & ſimpliciter concedenda ſint in Chriſto duo eſſe?

10 IN hoc dubio tres verſanturē ſententiæ: prima eſt Scoti, vbi ſupra aſſerentis in Chriſto fuiſſe duas exiſtentias, & pariter ſimpliciter, & abſolute eſſe ſecundum modum loquendi concedenda duo eſſe,: eo quod exiſtentia humanitatis cum ſit ſubſtantiæ completæ eſt exiſtentia ſimpliciter, nec obſtat: quominus talis dicatur, quod humanitas ſit in verbo terminata per verbi ſubſiſtentiam: ergo cū aliàs exiſtentia verbi ſit etiā exiſtentia ſimpliciter abſolute, & ſine addito fuerūt in Chriſto duo eſſe. Secūda & veluti media eſt, quā ſequūtur reliqui Authores citati pro prima ſententia dubij præcedentis: vt Albertus. Ricardus, Durandus, & Paludan. atque Diu. Thom. ſiue Author illius quæſtionis diſputatæ de vnione verbi incarnati art. 4. ſi ſic liceat loqui, quia Gaietanus formidat illam inter legitima opera, Diu. Thom. cōputare, quibus ſubſcribunt Vazquius diſputatio. citata 71. cap. 2. & Suarius diſputatio. 36. ſection. 2. qui admittentes duas exiſtentias in Chriſto ſecundum rem ſignificatam; negant debère dici duo eſſe in illo ſimpliciter, & abſolute: quorum fundamentum eſt, quia exiſtentia propria humanitatis, licet ſit ſubſtantialis, non tamen eſt dicenda eſſe ſimpliciter: eo quod in Chriſto non habet modum exiſtentiæ completæ, quia non facit humanitatē Chriſti exiſtere per ſe; ſed potius in alio hoc eſt in verbo: ac proinde nō debēt dici duo eſſe in Chriſto, ſimpliciter, & abſolute, quia hoc modo loquendi ſignificantur duæ exiſtentiæ totales, & completæ quarum vtraque ſit primaria, & formalis ratio eſſendi per ſe: ac proinde quarum vtraque adducat ſecum ſuum ſuppoſitum, quod eſt fauere in modo loquendi hæreſi Neſtorianæ.

Tertia ſententia eſt aliorum quos dubio præcedenti citauimus pro ſecunda ſententia, qui cum D. Thom. in hoc art. 2. ſicut negant in Chriſto duas exiſtentias, cõſequenter negant in illo duo eſſe ſimpliciter, pro cuius declaratione.

Nullatenus admittenda eſſe in Chriſto duo eſſe ſimpliciter deffenditur contra Scotum.

Dico primo nullatenus admittenda ſunt in Chriſto duo eſſe. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus priorem ſententiam Scoti: & probatur ratione, qua vtitur D. Tho. in argumẽto: Sed cõtra: quia nimirũ vni⁹ entis tantum eſt vnum eſſe, ſed Chriſtus ſimpliciter eſt vnum ens, quia in tantum eſt vnum in quantum eſt ens, cum vnitas ſit paſsio entis; ergo tantum habet vnum eſſe alioquim, ſi duplex eſſe haberet nõ diceretur vnũ ens, ſed duplex vel duo, quod in modo loquendi fauet hæreſi Neſtorianæ.

Secundo probatur ratione, qua vtitur in corpore articuli: quia nimirum humanitas non habet propriam exiſtentiam, ſicut neque proprium ſuppoſitum; ſed exiſtit per exiſtentiam increatam diuini ſuppoſiti, vbi autem non ſunt duæ exiſtentiæ, neque ſunt duo eſſe: ergo in Chriſto nõ ſunt duo eſſe. Et hæc eſt concluſio primario intenta à D. Thom. in dict. artic. 2. qui inde probat, quod in Chriſto non ſint duæ exiſtentiæ, ſed vna dumtaxat.

Dico ſecundo, qui admittunt in Chriſto duas exiſtentias non loquũtur conſequenter, negando in illo duo eſſe ſimpliciter. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Authores ſecundæ ſententiæ, & ſuadetur.

Primo, quia modus loquendi debet conformari rei ſignificatæ, ab eo enim, quod res eſt, propoſitio dicitur vera, vel falſa; ſed ſecundum prædictos Authores à parte rei ſunt in Chriſto duæ exiſtentiæ: nimirum propria humanitatis, & increata Verbi: ergo vere dici poteſt ac debet, dari in Chriſto duo eſſe.

Conſequentia patet, quia eſſe comparatur ad exiſtentiam, vt ait Diu. Thom. in loco ſupra citato, 1. part. ſicut currere ad curſum, hoc eſt, ſicut eadem res in concreto ſignata ad ſe ipſam ſignatã in abſtracto.

Secundo probatur, quia exiſtentia propria humanitatis eſt exiſtentia ſimpliciter cum ſit exiſtentia ſubſtantiæ completæ: ac proinde faceret humanitatẽ eſſe per ſe.

Conſequentia patet, quia modus eſſendi per ſe eſt omnino inſeparabilis ab exiſtentia ſubſtantiæ completę, ſicut teſte eodem Suario ſupra diſputatio. 11. ſection. 3. concluſio. 1. exiſtentia diuina abſoluta, prout pręintellecta tribus perſonis, eſt inſeparabilis à modo eſſendi per ſe, & independenter: ideoque habet, vt ſic præintellecta rationem ſubſiſtẽtię abſolutæ: ergo proportionabiliter propria exiſtentia ſubſtantiæ completæ eſt inſeparabilis à ſuo modo eſſendi per ſe: ac proinde implicat in adiecto, quod ipſe Suarius docuit in dicta ſectio. 2. & diſput. 31. met. ſectio. 3. quod humanitas Chriſti exiſtat propria exiſtentia, & non exiſtat per ſe.

Tertio probatur, nam non obſtante; quod humanitas ſit natura ſecundaria & minus principalis reſpectu Verbi diuini, fatentur Vazquius, & Suarius, vbi ſupra in Chriſto eſſe aliud. & aliud neutraliter, imo & Chriſtum eſſe aliud, & aliud propter dualitatem naturarum: ergo pariter non obſtante, quod exiſtentia humanitatis eſſet min⁹ principalis, & ſecũdaria natura reſpectu Verbi, dicendũ eſſet Chriſtum habere duas exiſtentias, ſubſtantiales: ac proinde duo eſſe, fatenteſque primum minus conſequenter negant ſecundum. Ex quibus patet ad fundamenta aduerſariorum.

Q † Q

Digitized by Google

QVAESTIO XVIII.

De pertinentibus ad vnitatem in Chriſto, quantum ad voluntatem, in ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum in Chriſto ſint duæ voluntates?

3. d. 14. a. 1 q. 1 col. & d. 17. ar 1. q. 1. & 4. con. ea 36. & po. q. 10. a. 4. ad 13. & op. 3. c. 218. & Io. 6. le. 4. co. 3. fin.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quôd in Chriſto non ſint duæ voluntates, vna diuina, & alia humana. Voluntas enim eſt primum mouens, & imperans in vnoquoque volente. Sed in Chriſto primum mouens, & imperans fuit voluntas diuina: quia omnia humana in Chriſto mouebantur ſecundum voluntatem diuinam. Ergo videtur quod in Chriſto non fuerit, niſi vna voluntas, ſcilicet diuina.

2 Præterea, Inſtrumentum non mouetur propria voluntate, ſed voluntate mouentis: Sed natura humana fuit in Chriſto, ſicut inſtrumentum diuinitatis eius. Ergo natura humana in Chriſto non mouebatur propria voluntate, ſed diuina.

3 Præterea, illud ſolum multiplicatur in Chriſto, quod pertinet ad naturam. Voluntas autem non videtur ad naturam pertinere: quia ea quæ ſunt naturalia, ſunt ex neceſſitate. Quod autem eſt voluntarium, non eſt neceſſarium. Ergo voluntas eſt vna tantum in Chriſto.

4 Præterea, Damaſcen. * dicit in 3. libr. quod aliqualiter velle non eſt naturæ, ſed noſtræ intelligentiæ, ſcilicet perſonalis. Sed omnis voluntas eſt aliqualis voluntas: quia nihil eſt in genere, quod non ſit in aliqua eius ſpecie. Ergo omnis voluntas ad perſonam pertinet. Sed in Chriſto fuit, & eſt vna tantum perſona. Ergo in Chriſto eſt vna tantum voluntas.

* li. 3. ortho. fid. c. 14.

Sed contra eſt, quod Dominus dicit Luc. 22. Pater, ſi vis, transfert calicem iſtum â me: veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat. Quod inducens Ambroſi. ad Gratianum Imperatorem dicit. * Sicut ſuſceperat voluntatem meam, ſuſcepit triſtitiam meam. Et ſuper Luc. dicit. † Voluntatem ſuā ad

* lib. 2. de fi. ad Gratia. c. 3. a me. tom. 2.
† Sup. illud Luc. Non mea voluntas, ſed tua fiat. libr. 10. in Luc. to. 5.

hominem retulit, Patris ad diuinitatem: voluntas enim hominis eſt temporalis: voluntas diuinitatis æterna.

Reſpondeo dicendum, quod quidam poſuerunt in Chriſto eſſe vnam ſolam voluntatem: ſed ad hoc ponendum diuerſimode moti eſſe videntur. Apollinarius enim non poſuit animam intellectualem in Chriſto, ſed quod Verbum eſſet loco animæ, vel etiam loco intellectus. Vnde cum voluntas ſit in ratione (vt Phyloſophus dicit in 3. de Anima.*) ſequebatur quod in Chriſto non eſſet voluntas humana: & ita in eo non eſſet, niſi vna volũtas. Et ſimiliter Eutyches, & omnes qui poſſuerunt vnam naturam compoſitam in Chriſto, cogebantur ponere vnam voluntatem in eo. Neſtorius etiam, quia poſuit vnionem Dei, & hominis eſſe factam ſolum ſecundum affectum, & voluntatem, poſuit vnam voluntatem in Chriſto. Poſtmodum vero Macharius Antiochenus Patriarcha, & * Cyprus Alexandrinus, & Sergius Conſtantinopolitanus, & quidam eorum ſequaces, poſuerunt in Chriſto vnam voluntatem, quamuis ponerent duas naturas in Chriſto ſecundum hypoſtaſim vnitas: quia opinabantur, quod humana natura in Chriſto numquam mouebatur proprio motu, ſed ſolum ſecundum quod erat mota â diuinitate, vt patet ex epiſtola ſynodica Agathonis Papæ. † Et ideo in ſexta Synodo apud Conſtantinopolim celebrata, determinatum eſt oportere dici, quod in Chriſto ſint duæ voluntates. Vbi ſic legitur: * Iuxta quod olim Prophetæ de Chriſto, & ipſe nos erudiuit, & ſanctorum Patrum nobis tradidit Symbolum, duas naturales voluntas in eo, & duas naturales operationes prædicamus. Et hoc neceſſarium fuit dici. Manifeſtum eſt enim, quod filius Dei aſſumpſit humanam naturam perfectam: ſicut ſupra oſtenſum eſt. † Ad perfectionem autem humanæ naturę pertinet voluntas, quæ eſt naturalis eius potentia, ſicut & intellectus: vt patet ex his quæ in prima parte dicta ſunt. * Vnde neceſſe eſt dicere, quod filius Dei humanam voluntatem aſſumpſerit in humana natura. Per aſſumptionem autem humanæ naturæ, nullam diminutionem paſſus eſt filius Dei in his, quæ pertinent ad diuinam naturam, cui competit voluntatem hnbere, vt in prima parte habitum eſt. * Vnde neceſſe eſt dicere, quod in Chriſto ſint duæ voluntates, vna ſcilicet diuina, & alia humana.

tex. 42. tom. 2.

** al Cipus ſeu Tipus.*

Hæc epiſt. miſſa fuit ad Synod. lecta in act. 4. & recepta in 8.

** In epiſt. Agathon. quæ fuit lecta in act. 4. Syno. 6. gen.*

† q. 2. a. 5. 1. p. q. 79. & 80.

1. p. q. 80.

Ad primum ergo dicendum, quod quicquid fuit in humana natura Chriſti, mouebatur nutu voluntatis diuinæ. Non tamen ſequitur, quod in Chriſto non fuerit motus voluntatis proprius naturæ humanæ: quia etiam aliorum Sanctorũ pię voluntates mouentur ſecundum voluntatem Dei, qui operatur in eis velle, & perficere, vt dicitur Philipen. 2. Licet enim voluntas nõ poſsit interius moueri ab aliqua creatura: interius tamen mouetur â Deo, vt in prima parte dictum eſt. * Et ſic etiam Chriſtus ſecundum voluntatem humanam, ſequebatur voluntatem diuinam, ſecundum illud Pſalm. 39. Vt facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui. Vnde Auguſtin. dicit contra Maximum. † Vbi dixit Filius Patri, Non quod ego volo, ſed quod tu vis, quid te adiuuat, quod tua verba ſubiungis, & dicis, oſtendit vere ſuam voluntatem ſubiectam ſuo genitori, quaſi nos negemus hominis voluntatem, voluntati Dei debere eſſe ſubiectam.

1. par. q. 105. ar. 4.

lib. 3. c. 20 ante me. tom. 6.

Ad ſecundum dicendum, quod proprium eſt inſtrumenti, quod moueatur

ueatur à principali agente: diuerſimode tamen ſecundum proprietatem naturæ ipſius. Nam inſtrumentum inanimatum, ſicut ſecuris, aut ſerra, mouetur ab artifice per ſolum motum corporalem. Inſtrumentum vero animatum anima ſenſibili, mouetur per appetitum ſenſitiuum; ſicut equus à ſeſſore. Inſtrumentum vero animatum anima rationali, mouetur per voluntatem eius: ſicut per imperium domini mouetur ſeruus ad aliquid agendum, qui quidem ſeruus eſt ſicut inſtrumentum animatum, vt Philoſoph. dicit in 1. Polit.* Sic ergo humana natura in Chriſto fuit inſtrumentum diuinitatis, vt moueretur per propriam voluntatem.

c. 2. & 4 & lib 8. ethi. c. 11. tom. 5.

Ad tertium dicendum, quod ipſa potentia voluntatis eſt naturalis, & conſequitur naturam ex neceſſitate. Sed motus vel actus huius potentiæ (qui etiam voluntas dicitur) quandoque quidem eſt naturalis & neceſſarius, puta reſpectu felicitatis; quandoque autem ex libero arbitrio rationis proueniens, & non neceſſarius, neque naturalis: (ſicut patet ex his quæ in ſecunda parte dicta ſunt†) & tamen etiam ipſa ratio, quę eſt principium huius motus, eſt naturalis. Et ideo præter voluntatem diuinam, oportet in Chriſto ponere voluntatem humanam, non ſolū, prout eſt potentia naturalis, aut prout eſt motus naturalis; ſed etiam prout eſt motus rationalis.

† 1.2.q.5. a. & q. 1 6. ar.

Ad quartum dicendum, quod per hoc quod dicitur, aliqualiter velle, deſignatur determinatus modus volendi: determinatus autem modus ponitur circa ipſam rem, cuius eſt modus. Vnde cum voluntas pertineat ad naturam, ipſum etiam quod eſt aliqualiter velle, pertinet ad naturam: non ſecundum quod eſt abſolute conſiderata, ſed ſecūdū quod eſt in tali hypoſtaſi. Vnde etiam volūtas humana Chriſti habuit quemdam determinatum modum, ex eo quôd fuit in hypoſtaſi diuina, vt ſcilicet moueretur ſemper ſecundum nutū diuinæ voluntatis.

11 CONCLVSIO eſt affirmatiua, & certa ſecundum Fidem, quam probat Diu. Thom. Tum ex illo Lucæ 22. *Pater ſi vis transfert calicem iſtum à me: verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat*, vbi Ambroſius dicit: voluntatem ſuam ad hominem retulit: Patris ad diuinitatem.

Tum etiam ratione Theologica, quia nimirum filius Dei aſſumpſit humanam naturam perfectam, vt ſupra quæſtion. 2. art. 5. oſtenſum eſt, ad perfectionem autem humanæ naturæ pertinet voluntas, quæ eſt naturalis eius potentia, ſicut & intellectus, igitur filius Dei aſſumpſit humanam voluntatem. Et cum alias per huiuſmodi aſſumptionem, nullam diminutionem paſſus eſt in his, quæ pertinent ad diuinam naturam, cui competit voluntatem habere, neceſſe eſt dicere, quod in Chriſto ſint duæ voluntates, vna ſcilicet diuina, & alia humana, quæ veritas diffinita fuit in ſexta Synodo Conſtantinopolitana.

ART. II.

Vtrum in Chriſto fuerit aliqua voluntas ſenſualitatis, præter rationis voluntatem?

Inf. art. 5. ſo. & 3. ā. 7. art. 1. q. 2. & opuſ. 3. c. 239. * tex. 42. com. 2.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod in Chriſto non fuerit aliqua voluntas ſenſualitatis præter rationis voluntatem. Dicit enim Philoſophus in 3. de anima, * quod voluntas in ratione eſt, in ſenſitiuo autem appetitu eſt iraſcibilis, & concupiſcibilis. Sed ſenſualitas ſignificat appetitum ſenſitiuum. Ergo non fuit in Chriſto voluntas ſenſualitatis.

† li. 12. c. 13. paulo poſt princ. tom. 3.

* ex trac. 12. à me. poteſt colligi in 9. articu.

2 Præterea, Secundum Auguſtin. 12. de Trinitat. † ſenſualitas ſignificatur per ſerpentem. Sed nihil ſerpentinum fuit in Chriſto: habuit enim ſimilitudinem animalis venenoſi ſine veneno, vt Auguſtin. dicit ſuper illud Ioann. 3. * Sicut exaltauit Moyſes ſerpentem in deſerto. Ergo in Chriſto non fuit voluntas ſenſualitatis.

2 Præterea, Voluntas ſequitur naturam, vt dictum eſt. * Sed in Chriſto non fuit niſi vna natura præter diuinam. Ego in Chriſto non fuit, niſi vna voluntas humana.

* cap. 3. à med. to. 2.

Sed contra eſt, quod Ambroſ. dicit in 2. ad Gratianum Imperat. * Mea eſt voluntas, quam ſuam dixit: quia vt homo ſuſcepit triſtitiã meã. Ex quo datur intelligi, quod triſtitia pertineat ad humanam voluntatem in Chriſto. Sed triſtitia pertinet ad ſenſualitatem, vt in ſecunda parte habitum eſt. * Ergo videtur, quod in Chriſto ſit volũtas ſenſualiaatis, præter voluntatem rationis.

1. 2. q. 23. a. 1. & 2.

art. præc.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut prædictum eſt, * filius Dei humanam naturam aſſumpſit cum omnibus, quæ pertinent ad perfectionẽ ipſius naturæ humanæ. In humana autem natura includitur etiam natura animalis, ſicut in ſpecie includitur genus. Vnde oportet, quod filius Dei aſſumpſerit cum humana natura, etiam, ea quæ pertinent ad perfectionẽ naturæ animalis, inter quæ eſt appetitus ſenſitiuus, qui ſenſualitas dicitur, & ideô opportet dicere, quod in Chriſto fuerit ſenſualis appetitus, ſiue ſenſualitas. Sciendum eſt etiam, quod ſenſualitas, ſiue ſenſualis appetitus, in quantum eſt natus obedire rationi, dicitur rationale per participationem: vt patet per Philoſoph. in 1. ethic. * Et quia volũtas eſt in ratione (vt dictum eſt †) pari ratione poteſt dici, quod ſenſualitas ſit voluntas per participationem.

c. vl. in. f. * ar. prim.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit de voluntate eſſentialiter dicta, quæ non eſt, niſi in parte intellectiua. Sed voluntas participatiuê dicta, poteſt eſſe in parte ſenſitiua, in quantum obedit rationi.

Ad ſecundum dicendum, quod ſenſualitas ſignatur per ſerpentem, non quantum ad naturam ſenſualitatis, qnam Chriſtus aſſumpſit: ſed quantum ad corruptionem formitis, quæ in Chriſto non fuit.

Supr. ead. q. ar. 2. ad 2. & infr. a. 4. & 5. cor. & 3. d. 17. a. 1. q. 3. & opuſ. 3. cap. 238.

Ad tertium dicendum, quod vbi eſt vnum propter alterum, ibi vnum tantum eſſe videtur: ſicut ſuperficies, quæ eſt viſibilis per colorem, eſt vnum viſibile cum colore. Et ſimiliter, quia ſenſualitas non dicitur

volun-

voluntas,niſi quia participat voluntatem rationis : ſicut eſt vna natura humana in Chriſto,ita etiam ponitur vna voluntas humana in Chriſto.

12 CONCLVSIO eſt affirmatiua, quam ſuadet Diu. Thom.dupliciter. Tum ex teſtimonio Ambroſij lib.2 de fide ad Gratianum Imperatorem ca. 3. dicentis:mea eſt voluntas, quam ſuam dixit, quia vt homo ſuſcepit triſtitiam meā, ſed triſtia pertinet ad ſenſualitatem: ergo in Chriſto fuit voluntas ſenſualitatis,præter uoluntatem rationis. Tum etiam eadē ratione Theologica,quia nimirum Filius Dei aſſumpſit humanam naturam cum omnibus perfectionibus: quarum vna eſt appetitus ſenſitiuus qui pertinet ad perfectionem naturæ animalis incluſæ in humana natura:ergo in Chriſto fuit appetitus ſenſitiuus qui appellatur ſenſualitas, & quia huiuſmodi appetitus in homine natus eſt obedire rationi,ideò dicitur rationalis per participationem,ac proinde uoluntas ſenſualitatis, quia voluntas eſt appetitus rationis.

ART. III.

Vtrùm in Chriſto fuerint duæ voluntates , quantum ad rationem?

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod in Chriſto fuerint duæ voluntates quantum ad rationem. Dicit enim Damaſcen.* in 2. lib. quod duplex eſt hominis voluntas, ſcilicet naturalis,quæ vocatur thelиſis : & voluntas rationalis, quæ vocatur bulisis. Sed Chriſtus in humana natura habuit quicquid ad perfectionem humanæ naturæ pertinet. Ergo vtraque prædictarum voluntatum fuit in Chriſto.

lib.2.c.12 & lib.3.c.14.et 18.

2 Præterea. Vis appetitiua diuerſificatur in homine ſecundum diuerſitatem virtutis appræhenſiuæ: & ideo ſecundum differentiam ſenſus, & intellectus diuerſificatur in homine appetitus ſenſitiuus, & intellectiuus. Et ſimiliter quantum ad apprehenſionem hominis ponitur differentia rationis, & intellectus: quorum vtrumque fuit in Chriſto. Ergo fuit in eo duplex voluntas, vna intellectualis, & alia rationalis.

3 Præterea. A quibuſdam ponitur in Chriſto voluntas pietatis, quæ non poteſt poni niſi ex parte rationis. Ergo in Chriſto ex parte rationis ſunt plures volũtates.

Sed contra eſt, quod in quolibet ordine eſt vnum primum mouens. Sed voluntas eſt primum mouens in genere humanorum actuum. Ergo in vno homine non eſt niſi vna voluntas proprie dicta, quæ eſt voluntas rationis. Chriſtus autem eſt vnus homo. Ergo in Chriſto eſt vna tantum voluntas humana.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut dictum eſt †, voluntas quandoque accipitur pro potentia, & quandoque pro actu. Si ergo voluntas accipiatur pro actu, ſic oportet in Chriſto ex parte rationis ponere duas voluntates, ideſt duas ſpecies actuum voluntatis. Voluntas enim, vt in ſecunda parte dictum eſt ‡, & eſt finis, & eſt eorum quæ ſunt ad finem, & alio modo fertur in vtrumque. Nam in finem,

Ar.1.huius q.ad 3.

1.2.q.8.a.2.& 3.

fer-

fertur ſimpliciter & abſolutâ, ſicut in id quod eſt ſecundum ſe bonum. In id autem, quod eſt ad finem, fertur cum quadam comparatione, ſecundum quod habet bonitatem ex ordine ad aliud. Et ideò alterius rationis eſt actus voluntatis, ſecūdum quod fertur in aliquid, quod eſt ſecū dum ſe volitum; vt ſanitas: (quod â Damaſcen. * vocatur theliſis, ideſt, ſimplex voluntas: & â Magiſtris voluntas vt natura) & alterius rationis eſt actus voluntatis, ſecundum quod fertur in aliquid quod eſt volitum ſolum ex ordine ad alterum: ſicut eſt ſumptio medicinæ. Quem quidem voluntatis actum Damaſcen. * vocat buliſim, ideſt, conſiliatiuam voluntatem: â Magiſtris autem vocatur voluntas vt ratio. Hæc autem diuerſitas actus non diuerſificat potentiam: quia vterque actus attenditur ad vnam communem rationem obiecti, quod eſt bonum. Et ideo dicendum eſt, quod ſi loquamur de potentia voluntatis, in Chriſto eſt vna ſola voluntas humana, eſſentialiter, & non participatiuê dictâ Si vero loquamur de voluntate, quæ eſt actus: ſic diſtinguitur in Chriſto volūtas, quæ eſt vt natura, quæ dicitur theliſis; & voluntas, quæ eſt vt ratio, quæ dicitur buliſis.

Loco cit. in arg. 1.

Loco cit. in arg. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod illæ duæ voluntates non diuerſificantur ſecundum potentiam, ſed ſolum ſecundum differentiam actus, vt dictum eſt *.

In corp. a.

Ad ſecundum dicendum, quod etiam intellectus, & ratio non ſunt diuerſæ potentiæ, vt in prima parte dictum eſt †.

1. p. q. 79. art. 8.

Ad tertium dicendum, quod voluntas pietatis non videtur eſſe aliud quam voluntas, quæ conſideratur vt natura, in quantum ſcilicet refugit alienum malum abſolute conſideratum.

13 Conclusſio eſt bimembris, nimirum quod ſi voluntas accipiatur pro potētia in Chriſto, tantum eſt vnica voluntas humana eſſentialiter dicta: ſumpta autem pro actu ſecundo eſt duplex in genere: alia finis, & alia mediorum quæ ſunt ad finem.

Prima pars probatur, quia in quolibet homine non eſt niſi vnica voluntas rationis quæ eſt primum mouens in genere humanorum actuum: ergo cum Chriſtus ſit vnus homo, vna ſola in illò eſt humana voluntas.

Secundà vero pars probatur, quia actus voluntatis, vt conſtat ex dictis prima ſecundæ, quæſt. 8. eſt duplex in ſpecie alius quidem finis, qui dicitur intencio, & alius mediorum qui dicitur electio. Sed primus vocatur à Damaſceno ſimplex voluntas, & à Magiſtris, ſiue Theologis voluntas, vt natura eò quod fertur in idquod eſt bonum, & volitum ſecundum ſe. Secūdus verò dicitur volūtas, vt ratio eoquod fertur in idquod eſt volitum ex ordine ad alterum: ergo dantur duæ voluntates rationis ſecundum ſpeciem in Chriſto, ſumpta voluntate pro actu ſecundo.

ART. IIII.

Vtrùm in Chriſto fuerit liberum arbitrium?

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod in Chriſto non fuit liberum arbitriū. Dicit enim Damaſcen. in 3. lib. † Gnomen autem, ideſt, ſententiam, vel mentem, vel excogitationem, & prohæreſim, ideſt electionem, in Domino dicere impoſsibile eſt, ſi pro-

3. d. 14. a. 1. q. 1. co. et d. 17. a. 1. q. 3. ad 5 et d. 18. a. 2. ad 5.

† li. 3. c. 14 nō procul à fin.

propriè loqui volumus. Maxime autem in his, quæ ſunt fidei, eſt proprie loquendum. Ergo in Chriſto non fuit electio, & per conſequens, nec liberum arbitrium, cuius actus eſt electio.

2 Prçterea, Philoſoph. dicit in 3. ethic. * quod electio eſt appetitus præconſiliati. Sed conſilium non videtur fuiſſe in Chriſto, quia nõ conſiliamur, de quibus certi ſumus: Chriſtus autem de omnibus certitudinem habuit. Ergo in Chriſto nõ fuit electio, & ſic nec liberum arbitrium.

c. 3. cir. fi. tom. 5.

3 Præterea, Liberum arbitrium ſe habet ad vtrumque. Sed voluntas Chriſti fuit determinata ad bonum, quia non potuit peccare, ſicut ſupra dictum eſt.* Ergo in Chriſto nõ fuit liberum arbitrium.

q. 15 a. 1. 2

Sed contra eſt, quod dicitur Iſa. 7. Butyrum, & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonũ, quod eſt actus liberi arbitrij. Ergo in Chriſto fuit liberum arbitrium.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut dictum eſt †, in Chriſto fuit duplex actus voluntatis. Vnus quidem, quo eius voluntas ferebatur in aliquid, ſicut ſecundum ſe volitum: quod pertinet ad rationem ſinis. Alius autem, ſecundum quem eius voluntas ferebatur in aliquid per ordinem ad aliud quod pertinet ad rationem eius, quod eſt ad finem. Differt autem, vt Phyloſoph dicit in 3. ethicor.* electio â voluntate in hoc, quod voluntas per ſe loquendo, eſt ipſius finis, electio autem eorũ quæ ſunt ad finem. Et ſic ſimpliciter voluntas eſt idem quod voluntas, vt natura. Electio autem eſt idem quod voluntas vt ratio, & eſt proprius actus liberi arbitrij, vt in 1 parte dictum eſt.* Et ideo cum in Chriſto ponatur voluntas vt ratio, neceſſe eſt etiam ponere electionem, & per conſequens liberum arbitrium, cuius actus eſt electio, vt in prima parte habitum eſt. *

a. 1 hui. q. ad 3.

c. 2. in fi. tomo 5.

1. p. q. 83. art. 4.

1. p. q. 83. a. 3 et p. 2. q. 13. ar. 5

Ad primum ergo dicendum, quod Damaſcen excludit â Chriſto electionem, ſecundum quod intelligit in nomine electionis importari dubitationem. Hæc tamen dubitatio non eſt de neceſsitate electionis, quia etiam Deo conuenit eligere, ſecundum illud Epheſ. 1. Elegit nos in ipſo, &c. cum tamen in Deo nulla ſit dubitatio. Accidit tamen dubitatio electioni, in quantum eſt in natura ignorante. Et idem dicendum eſt de alijs, de quibus ſit mẽtio in auctoritate prædicta*.

cit. in arg. 1

Ad ſecundum dicendum, quod electio præſupponit conſiliũ, non tamen ſequitur ex conſilio niſi iam determinato per iudicium. Illud enim quod iudicamus agendũ, poſt inquiſitionem cõſilij eligimus, vt in 3. ethic. dicitur *. Et ideò ſi aliquid iudicetur, vt agendum abſq; dubitatione, & inquiſitione præcedente hoc ſufficit ad electionem. Et ſic patet, quod dubitatio, ſiue inquiſitio non per ſe pertinet ad electionẽ, ſed ſolum ſecundum quod eſt in natura ignorante.

c. 2. & 3. tom. 5.

Ad tertium dicendum, quod voluntas Chriſti, licet ſit determinata ad bonum: non tamen eſt determinata ad hoc uel ad illud bonum. Et ideo pertinet ad Chriſtum eligere per liberum arbitrium confirmatum in bono, ſicut ad beatos.

Con-

Digitized by Google

14 Concluſio affirmans eſt, quę colligitur ex illo Eſaiæ 7. *Butyrum, & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum.* Quod eſt actus liberi arbitrij. Et ſuadetur hac ratione Theologica; quia in Chriſto, vt dictum eſt fuit duplex actus voluntatis, alter circa finem qui dicitur intentio, ſiue voluntas vt natura, & alter circa media qui dicitur voluntas, vt ratio, ſiue electio: quæ eſt proprius actus liberi arbitrij, vt dictum eſt 1. p. q. 83. art. 4. ergo.

ART. V.

Vtrum voluntas humana Chriſti fuerit omnino conformis diuinæ voluntati in volito?

Inf. q. 21. ar. 3. & 4. & 3. diſt. 17. ar. 2. q. 1. & 4. cõt. ca. 36. fin.

AD quintum ſic proceditur. Videtur quod volũtas humana in Chriſto non voluerit aliud, quam Deus vult. Dicitur enim in Pſalm. 39. ex perſona Chriſti. Vt facerem voluntatem tuã Deus meus, volui. Sed ille qui vult voluntatẽ alicuius facere, vult quod ille vult. Ergo videtur quod voluntas humana Chriſti nihil aliud voluerit, quam voluntas diuina ipſius.

2 Præterea, anima Chriſti habuit perfectiſsimam charitatẽ, quæ etiam comprænhenſionem noſtræ ſcientiæ excedit: ſecundum illud Epheſ 3. Supereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti. Sed charitatis eſt facere, quod homo idem velit quod Deus. Vndê & Philoſophus in 9. ethicor. dicit*; quod vnum de amicabilibus eſt, eadem velle, & eligere. Ergo voluntas humana in Chriſto nihil aliud voluit, quam diuina.

lib. 9. c. 4. tom. 5.

3 Præterea, Chriſtus fuit verus comprehenſor. Sed Sancti, qui ſunt comprehenſores in patria, nihil aliud volunt, quam quod Deus vult: alioquin non eſſent beati, quia non haberent quicquid vellent. Beatus enim eſt qui habet quæcumque vult, & nihil male vult, vt Auguſtin. dicit in lib. de Trinitat.* Ergo Chriſtus nihil aliud voluit ſecundum voluntatem humanam, quam voluit voluntas diuina.

**lib. 1. de trin. ca. 5. & lib. 13. c. 5. in fin. & c. 6. in 3.*

Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit contra Maximinum†. In hoc quod Chriſtus ait. Non quod ego volo, ſed quod tu: aliud ſe oſtendit voluiſſe, quam Pater. Quod niſi humano corde non poſſet, cum infirmitatem noſtram in ſuum non diuinũ, ſed humanum transfiguraret affectum.

† li. 3. cõt. Maxi. c. 19. in medio tom. 6.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut dictum eſt*, in Chriſto ſecundum humanam naturam ponitur duplex voluntas, ſcilicet voluntas ſenſualitatis, quæ participatiue voluntas dicitur: & voluntas rationalis, ſiue conſideretur per modum naturæ, ſiue per modum rationis. Dictum eſt autem ſupra*, quod ex quadam diſpenſatione Filius Dei ante ſuam paſsionem permittebat carni agere, & pati quæ ſunt ei propria. Et ſimiliter etiam permittebat omnibus viribus animæ agere, & pati quę propria. Manifeſtum eſt autem, quod voluntas ſenſualitatis refugit naturaliter dolores ſenſibiles & corporis læſionẽ. Similiter etiam voluntas vt natura

**ar. 1. & 3. huius q.*

q. 14. a. 1. ad 2.

ra, repudiat ea quæ ſunt naturæ contraria, & quæ ſunt ſecundum ſe mala: puta mortem, & alia huiuſmodi. Sed hæc tamen voluntas, quandoque per modum rationis eligere poteſt ex ordine ad finem. Sicut etiam in aliquo puro homine ſenſualitas eius, & etiam voluntas abſolute conſiderata refugit vſtionem, quam tamen voluntas ſecundum rationem eligit propter finem ſanitatis. Volũtas autem Dei erat, vt Chriſtus dolores, & paſsiones, & mortem pateretur, non quòd iſta eſſent a Deo volita ſecundum ſe, ſed ex ordine ad finem humanæ ſalutis. Vnde patet, quôd Chriſtus ſecundum voluntatem ſenſualitatis, & ſecundum volũtatem rationis, quæ conſideratur per modum naturæ, aliud poterat velle, quam Deus. Sed ſecundum voluntatem, quæ eſt per modũ rationis, ſemper idem volebat quod Deus. Quod patet ex hoc ipſo quod dicit. Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Volebat enim ſecundum rationem, voluntatem diuinam impleri: quamuis aliud dicat ſe velle ſecundum quamdam aliam eius voluntatem.

Ad primum ergo dicendum, quod Chriſtus per voluntatem rationalem voluit vt diuina voluntas impleretur: non autem per voluntatem ſenſualitatis, cuius motus non ſe extendit vſque ad voluntatem Dei, neque per voluntatem, quæ conſideratur per modũ naturæ, quæ fertur in aliqua obiecta abſolute conſiderata, & non in ordine ad diuinam voluntatem.

Ad ſecundum dicendum, quod conformitas voluntatis humanæ ad voluntatem diuinam, attenditur ſecundum voluntatem rationis: ſecundum quam etiam voluntates amicorum concordant, in quantum ſcilicet ratio conſiderat aliquod volitũ in ordine ad voluntatem amici.

Ad tertium dicendum, quod Chriſtus fuit ſimul comprehenſor, & viator, in quantum ſcilicet per mentem fruebatur Deo, & habebat carnem paſsibilem. Et ideo, ex parte carnis paſsibilis poterat in eo aliquid accidere, quod repugnaret naturali voluntati ipſius, & etiam appetitui ſenſitiuo.

15 CONCLVSIO prima negans eſt (quæ ſuadetur dupliciter.) Tum ex teſtimonio Auguſtini lib. 3. cõtra Maximinum cap. 19. dicentis: *In hoc quod Chriſtus ait, non quod ego volo, ſed quod tu. aliud ſe oſtendit voluiſſe, quam Pater, quod niſi humano corde non poſſet, &c.*

Tum etiam hac ratione Theologica: in Chriſto, ſecundum humanam naturam fuit duplex appetitus, ſcilicet ſenſitiuus, qui dicitur voluntas ſenſualitatis, & rationalis, qui dicitur voluntas ſimpliciter, ſiue vt natura, ſiue vt ratio: ſed huiuſmodi appetitus ſenſitiuus, & voluntas, vt natura refugiebant in Chriſto paſsionem, & mortem, quam tamen Deus volebat in ordine ad humanam ſalutem: ergo Chriſtus tam voluntate ſenſualitatis, quam voluntate rationali, vt natura aliud voluit, quã Deus.

Minor patet, quia filius Dei ante ſuam paſsionem, ex quadam diſpenſatione permittebat viribus animæ agere, & pati quæ ſunt propria: manifeſtum autem eſt, quod appetitus ſenſitiuus, & voluntas vt natura naturaliter refugiunt dolores ſenſibiles, & corporis læſionem, & ea quæ ſunt naturæ contraria.

Secunda concluſio: Chriſtus voluntate rationis ſemper idem volebat, quod Deus: quę concluſio patet, dupliciter.

Tum ex illo: non ſicut ego volo: ſed ſicut tu.

Tum etiam, quia volebat ſecundum rationem, voluntatem diuinam impleri: ergo conformabatur illi in volito.

AR-

Digitized by Google

ART. VI.

Vtrùm in Chriſto fuerit contrarietas voluntatum?

3.d.17.ar.2.q.2.et 3. et op.3.ca.239.fin.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur, quod in Chriſto fuerit contrarietas voluntatum. Contrarietas namque voluntatum attenditur ſecundum contrarietatem obiectorum: ſicut etiam contrarietas motuum attenditur ſecundũ contrarietatẽ terminorum, vt patet per Philoſoph. in 3. phyſ.* Sed Chriſtus ſecundum diuerſas voluntates contraria volebat: nam ſecundum voluntatẽ diuinam volebat mortem, quam refugiebat ſecundum voluntatem humanam. Vnde Athanaſ. dicit in libro aduerſus Apollinarium, Quando Chriſtus dixit, Pater, ſi poſsibile eſt, tranſeat â me calix iſte: & tamen non mea, ſed tua voluntas fiat: & iterum, Spiritus promptus eſt, caro autem infirma: duas voluntates hic oſtendit; humanã, quæ propter infirmitatem carnis refugiebat paſsionẽ; & diuinam eius, promptã ad paſsionem. Ergo in Chriſto fuit contrarietas voluntatum.

l.5.phyſ.text.49.vſque ad 52. tom.2.

In li. de na. hum. ſuſcepta, non procul â fi. t. 3

2 Præterea, Ad Galat. 5. dicitur, quod caro concupiſcit aduerſus ſpiritum: & ſpiritus aduerſus carnẽ. Eſt igitur contrarietas voluntatum, quando ſpiritus vnũ concupiſcit, & caro aliud. Sed hoc fuit in Chriſto: nã per voluntatẽ charitatis, quam Spiritus ſanctus in eius mente faciebat, volebat paſsionem, ſecundũ illud Iſai. 53, Oblatus eſt, quia voluit, ſecundum autem carnem, paſsionẽ refugiebat. Ergo erat in eo contrarietas voluntatum.

3 Præterea, Luc. 22, dicitur, quod factus in agonia prolixius orabat. Sed agonia videtur importare quandam compugnationem animi in contraria tendentis. Ergo videtur, quod in Chriſto fuerit contrarietas voluntatum.

Sed contra eſt, quod in determinatione ſextæ ſynodi dicitur*. Prædicamus duas natureles voluntates, non contrarias (iuxta quod impij aſſerunt hæretici,) ſed ſequentẽ eius humanam voluntatem, & non reſiſtentem, vel reluctantem, ſed potius ſubiectã diuinç eius, atque omnipotenti voluntati.

Habet. in ep. Agat. ad 6. Synod. gen. et legitur. ibi act. 4. et recitatur aliis,

Reſpondeo dicendum, quod contrarietas non poteſt eſſe, niſi oppoſitio attendatur in eodem, & ſecũdum idem. Si autem ſecundum diuerſa, & in diuerſis exiſtat diuerſitas, non ſufficit hoc ad rationem cõtrarietatis, ſicut nec ad rationem cõtradictionis, puta quod homo ſit pulcher, aut ſanus ſecundum manũ, & non ſecundum pedem. Ad hoc ergo, quod ſit contrarietas voluntatum in aliquo, requiritur primo quidẽ, quod ſecundũ idẽ attendatur diuerſitas voluntatũ. Si enim vnius voluntas ſit de aliquo fiendo ſecundũ quãdã rationẽ vniuerſalẽ, & alterius voluntas ſit de eodẽ non fiẽdo ſecũdũ quãdã rationẽ particularẽ: nõ eſt omnino contrarietas voluntatũ. Puta, ſi Rex vult ſuſpendi latronẽ propter bonũ publicum, & aliquis eius cõſanguineus nolit eũ ſuſpẽdi propter amorẽ priuatũ, non erit cõtrarietas volũtatis: niſi forte in tãtũ ſe extẽdat volũtas hominis priuati, vt bonũ publicũ velit impedire, vt cõſeruetur bonũ priuatũ: tũc enim circa idẽ attẽditur repugnantia volũtatũ. Se-

cundo

cundo autem requiritur ad contrarietatem voluntatis, quòd ſit circa eamdem voluntatem. Si enim homo vult vnum ſecundum appetitum rationis; & vult aliud ſecundum appetitum ſenſitiuum, non eſt hic aliqua contrarietas; niſi forte appetitus ſenſitiuus in tantum præualeat, quòd vel immutet vel retardet appetitum rationis, ſic enim iam ad ipſam voluntatem rationis perueniret aliquid de motu contrario appetitus ſenſitiui.

Sic igitur dicendum eſt, quòd licet voluntas naturalis, & voluntas ſenſualitatis in Chriſto aliquid aliud voluerit, quâm voluntas diuina, & voluntas rationis ipſius: non tamen fuit aliqua contrarietas voluntatum. Primò quidem, quia neque voluntas naturalis, neque voluntas ſenſualitatis repudiabat illam rationem, ſcilicet qua diuina voluntas, & voluntas rationis humanæ in Chriſto paſsionem volebat. Volebat enim etiam voluntas abſoluta in Chriſto ſalutem humani generis: ſed eius non erat velle hoc in ordine ad aliud. Motus autem ſenſualitatis ad hoc ſe extendere non valebat. Secundò, quia neque voluntas diuina, neque voluntas rationis in Chriſto impediebatur, aut retardabatur per voluntatem naturalem, aut per appetitum ſenſualitatis. Similiter etiam nec è contrario voluntas diuina, vel voluntas rationis in Chriſto refugiebat, aut retardabat motum voluntatis naturalis humanæ, & motum ſenſualitatis in Chriſto. Placebat enim Chriſto ſecūdum voluntatē diuinam, & etiam ſecundum voluntatem rationis, vt voluntas naturalis in ipſo, & voluntas ſenſualitatis, ſecundum ordinem ſuæ naturæ mouerētur. Vnde patet, quod in Chriſto nulla fuit repugnantia, vel contrarietas voluntatum.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc ipſum, quod aliqua voluntas humana in Chriſto aliud volebat, quam eius voluntas diuina, procedebat ex ipſa voluntate diuina, cuius beneplacito natura humana motibus proprijs mouebatur in Chriſto; vt Damaſc. dicit.* lib. 2. ort. fid. cap. 15 à med.

Ad ſecundum dicendum, quod in nobis per concupiſcentiam carnis impeditur, aut retardatur concupiſcentia ſpiritus: & ideo in Chriſto non fuit contrarietas carnis ad ſpiritum, ſicut in nobis.

Ad tertium dicendum, quod agonia non fuit in Chriſto, quantum ad partem animæ rationalem, ſecundum quod importat cōcertationem voluntatum ex diuerſitate rationum procedentem. Puta cum aliquis, ſecundum quod ratio conſiderat vnum, vult hoc: & ſecundum quod conſiderat aliud, vult contrarium. Hoc enim contingit propter debilitatem rationis, quæ non poteſt dijudicare quid ſit ſimpliciter melius. Quod in Chriſto non fuit, quia per ſuam rationem iudicabat ſimpliciter eſſe melius, quod per eius paſsionem impleretur voluntas diuina circa ſalutem generis humani. Fuit tamen in Chriſto agonia, quantum ad partem ſenſitiuam, ſecundum quod importat timorem infortunij imminentis, vt dicit Damaſ. in 3. li.* c. 18. & 23.

(?)

16 CONCLVSIO eſt, licet volũtas ſenſualitatis, & naturalis in Chriſto voluerit aliquid aliud, quàm voluntas diuina, & voluntas rationis ipſius, non tamen fuit aliqua contrarietas voluntatum.

Tum quia hæc veritas eſt diffinita in 6. Synodo action. 4, & 8.

Tum etiam, quia contrarietas debet eſſe in eodem, & ſecundum idem, ſed neque voluntas naturalis, aut ſenſualitatis repudiabat in Chriſto illam rationem, qua diuina voluntas, & humana voluntas rationis paſsionem, & mortem volebat: eo quod abſoluta voluntas in Chriſto, etiam volebat ſalutem humani generis, ad quod motus ſenſualitatis, non poterat ſe extendere: ergo.

Tum denique, quia neque voluntas diuina, neque voluntas rationis in Chriſto impediebatur, vel retardabatur per voluntatem naturalem, aut ſenſualitatis, neque è cõtra voluntas diuina, vel voluntas rationis in Chriſto impediebat, aut retardabat motum voluntatis naturalis humanæ, ſiue ſenſualitatis: imo placebat Chriſto ſecundum voluntatem diuinam, & humanam rationis, vt voluntas naturalis in ipſo, & voluntas ſenſualitatis ſecundum ordinem ſuæ naturæ mouerentur: ergo.

Circa has concluſiones quatuor diſcuti ſolent à Theologis.

Primum eſt: An in Chriſto ſint duæ voluntates?

Secundum eſt: An humana voluntas fuerit libera in ſuis actibus?

Tertium eſt: An habuerit plures actus.

Et quartum: An in illis habuerit aliquam contrarietatem voluntatum? quæ à nobis in controuerſiam vocantur eodem ordine, ac ſingulis dubijs ſunt examinanda.

Dubium primum eſt: An in Chriſto ſint duæ voluntates, quoad potentias, & actus ſcilicet diuina, & humana?

17 IN hoc dubio omnes Theologi conueniunt in vno, & diſcriminantur in alio: conueniunt in aſſerendo, & cõfitendo in Chriſto has duas voluntas, diuinam, ſcilicet & humanam: nedum quoad potentias, ſed etiam quoad operationes. Diſcriminantur autem in explicando errorem Monothelitarum, contra quem Eccleſia in 6. Synodo diffiniuit in Chriſto huiuſmodi duas voluntates reperiri, in duas ſententias.

Prima eſt Vazquij hic diſput. 73. cap. 1. num 2. & Lorca diſput. 69. dub. 1. & 2. aſſerentium, Monothelitas non negaſſe in Chriſto duas potentias volitiuas, ſed tantum negaſſe operationem voluntatis humanæ, & in hoc ſenſu dixiſſe in Chriſto non fuiſſe duas voluntates: eo quod non fuerit in illo humana volũtas quoad actũ: quorum fundamentum eſt quia Monothelitæ fatebantur in Chriſto duas naturas diſtinctas contra Apollinarem, & in confuſas contra Euticheтem, & aliàs non ignorabant ad has naturas: vtpotè intellectuales naturaliter conſequi facultates intellectus, & voluntatis: ergo nequibant illas probabili ſpecie negare: ergo ſolum negabant affectum internum, & efficacem voluntatis humanæ, à quo cæteri motus externi (quos neque in Chriſto negabant,) dependent, & hunc nomine voluntatis humanę intelligebant, & conſequenter diffinitionẽ 6. Synodi de duabus volũtatibus in Chriſto non ad potentias, ſed ad ſolos actus referendam eſſe exiſtimant iſti Authores.

Secunda ſententia aſſerit tam errorem dictorum ſectariorum, quam diffinitio. 6 Synodi de duabus voluntatibus in Chriſto, vtroque modo, ideſt quoad potentias; & quoad actus debere intelligi: ita Diu. Tho. 4. contra gentes, cap. 36. & in hoc articul. 1. Caietanus, Medina Al-

Nare

ſuarez, Cabrera, & Puteanus in expoſitione eiuſdem articuli, Suarius diſputat. 37. ſectio. 1. Ranguſa diſputatio. 128. & Peſantius diſput. 1.

Error Monothelitarũ, nedum act⁹ ſed etiã duarum voluntatum potentias Chriſto negabat.

Pro cuius ſententiæ declaratione. Dico primo, error Monothelitarum negantium in Chriſto domino duas voluntas: nedum actus; ſed etiam potentiam voluntatis humanæ denegabat.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Authores primæ ſententiæ, & probatur quia Diu. Thom. in locis citatis: ita interpretatur prædictum errorem: dicens quod Monothelitæ: nimirum Macharius Patriarcha Antiochenus, Cyprus Alexandrinus, Sergius Conſtantinopolitanus, qui fuerunt Authores prædicti erroris, atque eorum ſequaces poſſuerunt in Chriſto vnam voluntatem, quamuis admitterent duas naturas, ſecundum hypothaſim vnitas, quia opinabantur, quod humana natura in Chriſto, numquam mouebatur proprio motu; ſed ſolum a diuina voluntate: ergo ſignum eſt quod à Chriſto: nedum operationem; ſed etiam potentiam humanæ voluntatis excludebant. Cõſequentiam probat Caietanus: ex eo quod fruſtranea ſit potentia, ſine vllo actu proprio: ergo cum præfati ſectarij denegarent Chriſto omnem actum proprium voluntatis humanæ conſequenter, & potentiam denegabant, ne illam omnino otioſam, & fruſtraneam relinquerent.

Secundo probatur, quia alias dum 6. Synodus ad hunc errorem deſtruendum congregata, & alia Concilia eundem damnantia diffiniunt in Chriſto duas voluntates: ac duas operationes: idem omnino diffinirent in prima, atque in 2. part. diffinitionis: ſiquidem nomine duarum voluntatum, non potentias; ſed ipſas operationes ſubintelligerent, quod tamen non eſt admittendum: vtpote quia authoritati, & grauitati: ac modo loquendi Conciliorum derogare videatur: ergo.

Duas fuiſſe in Chriſto vtreque modo, eſt de fide.

48 Dico ſecundo de Fide eſt in Chriſto fuiſſe duas voluntates diuinam, ſcilicet & humanam quoad potentias, & operationes.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus prædictos ſectarios, tanquam dogma Fidei, quo ſimul vt vnico ictu labefactantur, quatuor errores hæreticorum diuerſimodè negantium in Chriſto duas voluntates: quorum primus fuit Apollinarij, qui negabat in Chriſto animam rationalem, & conſequẽter humanam voluntatem. Secũdus fuit Euthychetis, qui ſicut in Chriſto ponebat vnam naturam ex duabus mixtam, ſeu compoſitam: ita & vnam voluntatem ponere cogebatur. Tertius fuit Neſtorij, qui ſicut vnionem Dei, & hominis fuiſſe factam accidentaliter, & ſolum ſecundum affectum exiſtimabat: ita & in Chriſto: vtpotè puro homine vnam voluntatem tantum, ſcilicet humanam admittebat. Quartus fuit Macharij & ſequacium qui in ſenſu explicato negabant in Chriſto duas voluntates, admittentes tamen in illo duas naturas diſtinctas, & incõfuſſas ſecundum perſonam vnitas ſubſtantialiter. Sed noſtra cõcluſio probatur primo ex diffinitionibus Eccleſiæ, quę habetur in 6. Synodo Conſtantinopolitana in Epiſtol. Agatonis Papæ, quæ lecta fuit action. 4. & approbata actio. 8. & in 7. Synodo Generali in confeſsione Fidei in Concilio Lateranenſi ſub Martino I. conſultatio. 5. canone 12. & in Concilio Florentino Seſſio. vltim. in decreto Eugenij: ergo.

Secundo probatur ex teſtimonijs Euangelij, vt Matth. 26. & Lucæ 22. *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu, non mea, ſed tua voluntas, &c.* & Ioan 5. & 6 in quibus ſignificatur Chriſtum habuiſſe proprium affectũ voluntatis humanæ: qui proculdubio arguit potentiam: ergo Neque obſtat huiuſmodi affectum fuiſſe ſimplicem ſiue inefficacem, vt volunt Monothelitæ, aut etiam efficacem: quia vbi eſt affectus ſimplex, etiam poteſt eſſe efficax, ſi non obſtet aliquod Dei præceptum, vt obſtabat reſpectu Chriſti, cui mors erat in præcepto. Præterquam, quod tam ſimplex, quam efficax affectus eſt actus vitalis; & proprius voluntatis: ac proinde ſupponens illam.

Tertio, quia in Chriſto fuerunt actus meritorij, & maximè fuit meritum obedientiæ, vt dicitur ad Philipen. ſecundo, & ad Hebreos quinto; ſed meritum nequit eſſe ſine voluntate creata: vtpote à qua debet ellici, aut imperari, & inſuper actus obedientiæ, non poteſt non eſſe affectus efficax voluntatis: vtpote quo efficaciter obediens obtemperat precepto, ſiue mandato ſuperioris, ſicut & Chriſtus vt homo defacto obtemperauit mandato Patris mortem ſubeundo: ergo.

Quarto probatur labefactando fundamentum Macharij, quo pariter & conuictus fuerat Apollinarius, videlicet ſi in in Chriſto daretur affectus efficax humanæ voluntatis, poſſet dari pugna cogitationum, & affectuum voluntariorum in Chriſto: ſicque poſſet humana voluntas diuinæ contraire: acproinde poſſet peccare, quod non eſt admittendum: ergo. Hoc inquam fundamentum nullius eſt roboris propter duo.

Tum quia potuit diuina voluntas ſua potentia ita regere, & ſubordinare ſibi humanam voluntatem, vt in nullo actu ei aduerſaretur.

Tum etiam, quia aliàs etiam debuiſſet Macharius negare in Chriſto appetitum ſenſitiuum, qui magis poteſt aduerſari diuinæ voluntati: ſicut & minus ſubditur regulæ rationis, ſicut ergo pugna hęc non fuit ratio conuincens illum ad negandum appetitum ſenſitiuum in Chriſto: ita neque debuiſſet illum cõuincere ad negandam in Chriſto voluntatem, aut eius affectum efficacem.

Ad fundamentum autem prioris ſententiæ reſpondetur dupliciter.

Primo negando ſecundam conſequentiam, quia multoties hæretici hac pœna plectuntur, vt minus conſequenter loquẽtes, ſecum pugnantia admittant, vt ex Patribus, notant Gualterus in Chronologion. ſæculo 16. cap. 15. & Sixtus Senenſis tom. 2. Bibliot. pag. 263.

Secundo negando primam conſequentiam: nam qua probabilitate negantes propriam operationem voluntatis in Chriſto, ſecundum Vazquium, & Lorcam potentiam voluntatis relinquebant priuatam omni ſuo actu, propter vitandum inconueniens pugnæ, & contrarietatis cum diuina voluntate: eadem imo maiori poterant à Chriſto remouere potentiam voluntatis relinquendo humanam naturã, quã diuina omnipotẽtia poterat à ſua connaturali proprietate ſeparatam in Chriſto conſeruare, propter dictum inconueniens vitandum.

Dubium ſecundum eſt: An hac facultas voluntatis in Chriſto fuerit libera?

19. IN hoc dubio communis ſententia Scholaſticorum cum Magiſtro in ſecundo diſtinctio. 24. & 25. & cum D. Thom. in hac quæſtion. art. 4. eſt affirmatiua, quam tuętur Caietanus, & Medina in expoſitione dicti articuli, Syluius, & Aluarez, ibidem Peſantius diſputatio 2. Cabrera diſputatio. 1. Ranguſa diſputatio. 129. aſſerentes voluntatem humanam Chriſti fuiſſe principium operationum liberarum, libertate quidem, quæ opponitur, non ſolum coactioni; ſed etiam neceſsitati, quæ à nobis proinde ſtatuitur pro concluſione. *Fuit in Christo [illegible] voluntas libera secundũ perfectam libertatem*

Et oſtenditur primo ſupponendo aliquam actionem poſſe eſſe liberam, vel à coactione, vel etiam à neceſsitate: exemplum primi habemus in actibus notionalibus Dei: nimirum generatione Verbi, & ſpiratione Spiritus Sancti, qui ſunt actus neceſſarij; ſed liberi à coactione, quia non coacti; ſed ſpontanei, & voluntarij: & in amore Beatifico, quo Beati Deum amant neceſſrrio: non tamen coacti; ſed voluntarij, & ſpontanei.

Exemplum ſecundi habemus in operationibus Dei ad extra quibus Deus libere mundum creauit, homines producit, iuſtificat, & glorificat, quæ non ſolum ſunt liberæ à coactione; ſed etiam à neceſsitate: eo quod potuit hos effectus facere, & non facere: & in actibus humanis quibus homines in via meremur, aut demeremur, hi enim liberi ſunt à coactione, & neceſsitate: eo quod homines operantur illos cum indifferentia.

In huius tamen indifferentiæ, quæ eſt de eſſentia libertatis explicatione

Digitized by Google

hæ duo ſunt modi dicendi Theologorum: alij enim dequorum numero ſunt Banesius 1. part. quæſtion. 14. articul. 1. dubio 1. & Zumel, ibidem diſputation. vnica conſtituunt libertatem in ſola indifferentia iudici repræſentantis obiectum, vel obiecti repræſentati, nec in ratione ſummi boni, neque in ratione habentis neceſſariam connexionem cum ſummo bono, qualis indifferentia reperitur in diuinis operationibus liberis.

Alij vero dequorum numero ſunt Cabrera, & Peſantius, vbi ſupra. & Aluarez diſputation. 22. de auxilijs, & 23. & 115. Et alij citati conſtituunt libertatem voluntatis creatæ in indifferentia ex parte potentiæ, ſiue ſubiecti, quæ eſt duplex altera contrarietatis, hoc eſt ad vnum actum, & eius oppoſitum, verbi gratia; ad amandum, & odio habendum: altera ſolius contradictionis, hoc eſt ad vnum actum, & eius negationem, verbi gratia; ad amandum, & non amandum.

Quo ſuppoſito oſtenditur ſic noſtra concluſio: in voluntate humana Chriſti fuit indifferentia ſufficiens. & requiſita ad ſaluandam libertatem: ſaltem contradictionis quæ eſt ſpecies libertatis vt ſic: ergo fuit ſimpliciter libera.

Minor ſupponitur, & maior patet, quia fuit indifferentia, non ſolum iudicij, vel obiecti, quam conſtituunt Authores primi modi dicendi, ſed etiam ex parte ſubiecti, vel potentiæ, quam conſtituunt authores ſecundi modi, quem ſicut communiorem, ita & veriorem, ac magis conformem Diu. Thom. 1. part. quæſtio. 81. articul. 1. & ſecundo, & 1. 2. quæſtion. 10. articul. 4. reputamus: eo quod taliter Chriſtus, vt homo ſuas operationes voluntate humana, verbi gratia ieiunij, prædicationis, & deambulationis, hic & nunc elliciebat. quod poterat illas non ellicere, & ab eis ceſſare: ergo.

Secundo probatur ex conditionibus quas neceſſe eſt habuiſſe Chriſtum in via ſiquidem meruit, vt ſupponimus ex dicendis quæſtione ſequenti: vna autem, ex conditionibus ad meritum requiſitis eſt libertas, vt oſtendunt Theologi cum Diu. Thom. 1. 2. quæſtio. vltima art. 1. ergo:

Tertio probatur ex actu electionis, quem conſtat Chriſtum, vt hominem habuiſſe ex illo. Eſaiæ ſeptimo, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum; ſed humana voluntas exercet rationem liberi arbitrij reſpectu electionis, quæ eſt actus de liberatus, vt patet ex littera articuli 4. ergo.

Quarto probatur: nam nulla fuit conditio, vel cauſa ita determinans ad vnum voluntatem humanam Chriſti, vt ab eius actibus electiuis: & meritorijs auferret libertatem: ergo ſine fundamento illis denegatur conditio libertatis. Antecedens patet numerando huiuſmodi conditiones, & cauſas determinatiuas, quæ ſunt, ſiue extra, ſiue intra Chriſti humanam voluntatem à quib⁹ propter determinationem ad vnum poſſet auferri libertas.

Quarum prima eſt prædiffinitio diuini decreti efficax, & abſoluta.

Secunda eſt præceptum diuinum cadens ſupra humanos actus Chriſti.

Tertia eſt motio, ſiue prædeterminatio diuinorum auxiliorum moraliter, ſiue phyſicè prædeterminantium Chriſti hominis voluntatem ad ſuos actus.

Quarta eſt amor Beatificus, quo anima Chriſti Beata ab inſtanti conceptionis Deum ex neceſsitate diligebat; ſed per nullam iſtarum auferri, aut impediri in actibus Chriſti Viatoris, probat ex profeſſo Cabrera hic à diſputat. ſecunda, vſque ad ſextam, Suarius tota diſputatione 37. probat nulla ex his ſuppoſitionibus lædi libertatem; niſi efficaci ac phyſica præmotione intrinſece prædeterminante voluntatē, quam nec lædere libertatem conſtat ex dictis in tractatu de auxilijs, & amplius ex dicendis quæſtion. ſequenti conſtabit: ergo.

Dubium tertium eſt: An humana voluntas Chriſti exercuerit omnes illos actus, qui in alijs hominibus, ſine imperfectione peccati ſolent reperiri?

Expenditur ſtatus quæſtionis

20 IN hoc dubio omnes Theologi ſupponunt, non fuiſſe in Chriſto viatore illos actus humanos, qui inuoluunt defectum culpæ, aut ignorantiæ, ſiue erroris, quia huiuſmodi defectus conſtat ex dictis ſupra quæſtion. 14. & 15. repugnare Chriſto homini propter eius impeccabilitatem, & ſcientiæ plenitudinem.

Circa alios autem actus nonnullum eſt diſſidium inter illos.

Pro cuius declaratione præmittenda eſt multiplex huiuſmodi actuum voluntatis, ſiue partis appetitiuę diſtinctio, ac diuiſsio.

Prima eſt, qua diuiditur huiuſmodi actus in actum deliberatum, & indeliberatum, qui omnino præuenit liberũ vſum rationis.

Secunda eſt, qua diuiditur in actum abſolutum, ſiue efficacem, & conditionatum, ſiue inefficacem.

Tertia eſt, qua diuiditur in actum neceſſarium. & liberum.

Quarta huic annexa eſt, qua diuiditur in actum naturalem, & liberum, hoc eſt, procedentem à voluntate, vt natura: & à voluntate vt ratio.

Quinta, qua diuiditur in motum proſequutionis, & motum fugæ.

Sexta eſt qua diuiditur in motum gaudij, ſiue delectationis, & motum timoris, ſiue triſtitiæ, quibus ſuppoſitis diſtinctionibus, ac diuiſsionibus circa quatuor poſteriores fere nullum eſt diſsidium inter Theologos: vtpote qui omnes admittunt eos actus in voluntate Chriſti Domini: circa duas autem priores diſcriminantur in duas ſententias, quarum prima fuit Richardi, & quorumdam antiquorum in 3. diſtinctio. 15. & 17. aſſerentium fuiſſe in voluntate Chriſti, nedum actus deliberatos: ſed etiam indeliberatos: cui fauet D. Thom. ſupra quæſtio. 14. articul. 2. ad primum, dicens: *Quod Chriſtus dicitur oblatus, quia voluit voluntate diuina, & voluntate humana deliberata, licet mors eſſet contra naturalem motum voluntatis ſuæ*, ac ſi diceret contra motum indeliberatum.

Cuius fundamentum deſumitur ex illo actu, quo Chriſtus mortem voluit refugere dicens: *Tranſeat a me Calix iſte*: qui actus videtur fuiſſe indeliberatus: nam ſi fuiſſet deliberatus non poſſet à culpa excuſſari; vtpote quia erat voluntas omittendi præceptum de morte ſubeunda, quod tamen derogat Chriſti impeccabilitati: ergo.

Secundum deſumitur, ex alijs actibus neceſſarijs, & naturalibus, quos habuit anima Chriſti Domini, ſecundum partem appetitiuam: habuit namque amorem Beatificum, qui eſt neceſſarius, & famem, ac ſitim, qui actus ſuppoſita carentia cibi ſunt neceſſarij, & ineuitabiles: ita vt miraculum foret eos tunc ſuſpendere, aut impedire, ſicut ſuſpendere, aut impedire apertis oculis viſionem colorum præſentium, miraculum foret, ſed non eſt maior imperfectio actus indeliberati, quam quod ſit neceſſarius, & ineuitabilis: ergo ſicut non obſtante hac imperfectione fuerunt in anima Chriſti prædicti actus neceſſarij, naturales, & ineuitabiles: ita & potuit eſſe in eius voluntate aliquis actus indeliberatus.

Prefertur ſententia negans Chriſto actus indeliberatos.

Secunda ſententia negans eſt, quam tuentur Medina in articul. 3. huius quæſtionis, & Cabrera in articul. 5. & ſupra quæſtion. 14. articul. 2. & Vazquius diſputation. 62. cap. 1. & diſputatio. 73. capit. 2. & Syluius in expoſitione artic. 5. quæ conformior videtur eſſe veritati, ac Chriſti hominis dignitati: & ideo ſtatuitur à nobis pro prima concluſione. & probatur.

Primo quia actus indeliberatus voluntatis dicit imperfectionem, quæ non decet Chriſti hominis dignitatem: nam eo ipſo quod præuenit vſum rationis dicit imperfectionem inaduertentiæ, & ineuitabilitatis, non ſolum, ex ſuppoſitione, ſed abſolute: nam actus in-

deliberatus

deliberatus, & motus primo primus nedum eſt ineuitabilis ex ſuppoſitione, ſed abſolute, & ſimpliciter quia non cadit ſub Dominio, & poteſtate libera hominis: ergo non eſt in voluntate Chriſti admittendus.

Secundo quia expediens fuit, vt omnis actus voluntatis Chriſti viatoris eſſet meritorius, ac liber: ac proinde cadens ſub eiusdominio, & poteſtate, eo quod ſupposita conſideratione rationis à nullo obiecto creato neceſſitabatur eius voluntas quoad exerciticium: ergo debuit vindicari ab huiuſmodi imperfectione indeliberationis.

Tertio quia omnis actus voluntatis Chriſti viatoris fuit regulatus ex præuia cognitione ſcientiæ Beatæ, & ſcientiæ inditæ: nihil enim Chriſtus ſua humana voluntate voluit, aut reſpuit, quod per has ſcientias non prouideret; ſed actus indeliberatus eſt qui omnino iudicium rationis ſubterfugit: ergo nullus actus voluntatis humanæ Chriſti fuit indeliberatus.

Ex quibus ad primum fundamentum prioris ſententiæ reſpondetur negando minorem, quia ille actus refugiendi mortem vindicatur à culpa, non quia indeliberatus; ſed quia inefficax vel conditionatus. Ad ſecundum patet ex dictis.

Circa ſecundam vero diuiſionem etiam diuiduntur Theologi in duas ſententias quarum.

Prima negat in voluntate Chriſti actus inefficaces eſt conditionatos, quam tuetur Vazquius diſputatio. 73. capit. 2. eo quod vt ipſe oſtenderat prima ſecundæ diſput. 42. cap. 3. nullus actus vere ellicitus à noſtra voluntate poteſt eſſe conditionatus, quia implicat conditionatum eſſe, & ſimul actu exiſtentem in voluntate: vtpote quia ſi exiſtens, & præſens eſt: iam talis actus abſoluitur à conditione, quæ eius exiſtentiam ſuſpendit in futurum: ergo neque talis actus ponendus eſt in Chriſti voluntate.

Secunda ſententia affirmans eſt, quam tuentur Cayetanus infra quæſtio. 46. artic. 7. Suarius diſputat. 38. ſectio. 2. & 3. Syluius in expoſitione articuli tertij; Cabrera in articul. 5 dubio ſecundo, & Ranguſſa diſputatio. 130. quæ ſententia quia communiter recipitur à Scholaſticis in 3. diſtinctio. 17. vt videre eſt apud Capreolum, & Durandum ibidem, & eſt expreſſa Diu. Thom. infra quæſtio. 21. art. 4. ideò à nobis ſtatuitur pro ſecunda concluſione, & ſuadetur dupliciter.

Refellitur opinio Vazquij, negãs Christo homini actus voluntatis inefficaces.

21 Primo quia diſtinctio actuũ inefficatium, ſiue conditionatorum efficatium, ſiue abſolutorum, locum habet in diuina voluntate, in qua eſt volitio efficax, & abſoluta, & conſequens ſaluandi prædeſtinatos: & eſt volitio inefficax, ſiue cõditionata ſaluandi omnes homines, quam Theologi vocant antecedentem: vt docet D. Thomas 1. part. quæſtio. 19. art. 8. ergò à fortiori abſque læſione debitæ perfectionis poterit reperiri in Chriſti voluntate.

Secundo ratione quà vtitur D. Tho. in articul. ſupra allegato, quia voluntas conditionata eſt illa, quæ vult aliquid ſub conditione, hoc eſt, ſi aliud non obſiſtat, vel ſi ponatur talis conditio, ſed Chriſtus voluntate humana voluit mortem refugere dum dixit: *Pater ſi poſsibile eſt tranſeat à me calix iſte*, non quidem voluntate abſoluta, & efficaci, ſed conditionata, & inefficaci ſcilicet dependenter ab illa conditione, *ſi poſsibile eſt*, vel ſi diſpoſitio diuini decreti non obſiſteret: ergo fuit volitio conditionata: & propterea non fuit impleta, vt ibidem docet D. Thom. Ex quo patet ad fundamentum Vazquij, quod volitio conditionata non ideo dicitur, quia depẽdeat à conditione ſuſpendente exiſtentiam actus in potentia, ſed quia dependet à conditione ſuſpendente exiſtentiam, vel futuritionem obiecti voliti.

Sed aduerſus vtramque concluſionem obicitur, primo quod D. Thom. in art. 1. huius quæſtion. tantum admittit in voluntate humana Chriſti duas ſpecies actuum hoc eſt intentionem, & electionem, in articulo autem 2. quæſtion. ſequentis ait in Chriſto homine, vnã tantum fuiſſe operationem humanam, ſicut & in quolibet alio puro homine: nimirum illam, quæ à ratione procedit per voluntatem: ergo poſitio aliarum operationum voluntatis humanæ in Chriſto, aduerſatur ſententiæ D. Tho. Secũdo quia D. Th. in a. 5. & 6. huius quæſtio. & in art. 3. quæſt. 21. diſtinguit voluntatem humanam, vt naturam, atque vt non liberã, à ſe ipſa vt ratio, ſiue vt deliberata: & inquit, appetitum, ſiue affectum refugiendi mortem prouenisſe à voluntate primo modo: ſed actus proueniens à voluntate, vt natura, & non libera, non poteſt non eſſe actus indeliberatus:

vtpotè quia deliberatus procedit à voluntate, vt ratio: ergo ſecundùm mentem D. Thomæ, fuit actus indeliberatus in humana Chriſti voluntate. Sed ab his obiectionibus facile vindicantur poſsitæ aſſertiones.

Ad primam enim reſpondetur, quod in priori loco D. Thom. admittit duas ſpecies ſubalternas actuum volũtatis in Chriſto: nimirum intentionem finis, ſiue volũtatem per modum naturæ, & electionem mediorum, ſiue voluntatem rationis, ſub quibus plures aliæ ſpecies continentur: in poſteriori autem ponit tantùm vnam operationem humanam in Chriſto ſicut, & in quolibet puro homine: vnitate quidem ſolius ordinis, vel principij, prout ſcilicet operatio, ſimpliciter humana eſt illa, quæ conuenit homini ſecundum rationem. & voluntatem, in quibus homo à cæteris animantibus diſcriminatur, cum quibus habet communes operationes animæ vegetatiuæ, & ſenſitiuæ, quæ humanæ ſimpliciter non dicuntur: huiuſmodi autem vnitati non repugnat multiplicitas operationũ ſub vno genere humanæ operationis contentarum.

Ad ſecundam dicendum eſt illum affectum procedentem à voluntate, vt natura non eſſe electiuum, & in hoc ſenſu, neque eſſe perfectè deliberatum: eſſe tamen liberum, quia motus voluntatis circa finem, etſi à voluntate vt natura ſit nihilominus liber eſt, ſaltemquoad exercitium, etiam in nobis eſt meritorius: acproinde multò magis iu Chriſto, cui ſecundum diuinam & humanam voluntatem rationis placebat, teſte D. Thom. vt eius voluntas naturalis & appetitus ſenſitiuus proprijs affectibus mouerentur. Dum autem nos remouemus à voluntate Chriſti motũ indeliberatum: nomine motus indeliberati, accipimus motum primo primum; qui omninò anteuerttit iuditium rationis, & liberum vſum voluntatis: & hunc voluntati humanæ Chriſti denegamus, concedimus vero illum motum indeliberatum, qui electioni, ſiue motui electiuo preciſſe opponitur iuxta dicta ſuperius, quæſt. 14 dub. 2.

(?)

Dubium quartum eſt: An voluntas humana Chriſti fuerit in aliquo ex prædictis actibus contraria diuinæ voluntati, aut ſibi, quatenus ratio eſt?

22 IN hoc dubio omnes Theologi, cum Magiſt. in 3. diſtinct. 17. & cum Diu. Thom. in art. 5. & 6. huius quæſtionis defendunt ſententiam negatiuam, vt certam ſecundum fidem, qui tamen vt explicent qualiter ille affectus nolendi mortem volitus, & pręceptus à Deo, non fuerit contrarius diuinæ voluntati, vel humanæ deliberatę diſcriminantur in tres modos dicendi.

Primus eſt Vazquij diſputa. citata, cap. 3. qui ſecutus Scotum in 3. diſtinct. 15. quæſt. vnica, §. 3. *dicendum*, ait proptęrea illum affectum non fuiſſe contrariũ diuinæ volũtati, quia licet fuerit ſimplex, & abſolutus, & à voluntate humana, vt ratio eſt, formaliter: tamen implicite, & virtualiter fuit conditionatus, quia inferret de ſe affectum efficacem refugiendi mortem ſi nõ obſtaret præceptum, quod ſuadet Vazquius tripliciter: tum quia ex illis locis Matthæi 26. & Lucæ 22 *Pater ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix, &c. Verumtamẽ non mea, ſed tua voluntas fiat*, manifeſtè colligitur intentum, quia ſenſus legitimus eſt, *fiat voluntas tua*, ideſt diuina, & abſoluta, ſiue efficax humana, quam habeo conformẽ diuinæ, ſed non fiat mea. ideſt illa quã habeo virtualiter, & implicitè conditionatam, hoc eſt, quam haberem, ſi nõ obſtaret præceptum: ergo Chriſtus habuit abſolutam diſplicentiam de propria morte: quatenus erat malum naturæ: & Deus de eadem quatenus erat in remedium peccatorum habebat efficacem complacentiam, cum qua Chriſtus habuit conformem affectum efficacem.

Tum etiam à ſimili: nam cum filius ſimplici, & abſolute diſplicentia triſtatur de morte parentis, ſimul habere poteſt affectum conformem voluntati Dei, qui

qui efficatiter voluit parentem eius mori: nec amplius requiritur ad ſaluandam conformitatem naturæ, cum diuina voluntate: ergo.

Secundus eſt Suarij ſect. 2. & 4. Cabreræ diſputatio. citata dubio. 3. Ranguſſę diſputat. 130. & Puteani in expoſitio. art. 5. & 6. aſſerentium prædictos affectus in Chriſto non fuiſſe contrarios, quia licet vterque fuerit à voluntate Chriſti ſecundum partem ſuperiorem: tamen alter fuit naturalis, & inefficax, alter vero fuit rationis, & efficax, atque ſub diuerſis rationib9 formalib9 verſans circa mortē. Ratio primi eſt quia vterque affectus fuit liber meritorius, & actus virtutis regulatus per leges æternas, & diuinā voluntatem: ergo fuit à voluntate humana ſecūdum portionem ſuperiorem Ratio vero ſecuudi eſt eadem quę adducitur pro tertio modo dicēdi, qui eſt Caietani infra quęſt. 21. ar. 4. & quæſtio. 46. art. 7. Syluij in expoſitione huius art. 5. & Lorca diſput. 7. aſſerentiū ideo hos affectus nō fuiſſe cōtrarios: quia affectus refugiendi mortem non ſolum diuerſimode, vtpotè quia in efficax reſpiciebat mortē, atq; alter affectus efficax, quo illam acceptauit, ſed etiam quia non conueniebat eidem ſubiecto formaliter; ſed ſecundum diuerſam rationem: nam conueniebat voluntati preciſsè, vt natura eſt, & vt portio inferior, alter vero conueniebat voluntati, vt ratio eſt, & vt portio ſuperior, quæ videtur eſſe ſententia D. Thom. in locis citatis: ad contrarietatem autem duorum affectuum voluntatis requiritur non ſolum, quòd ſint de eodem obiecto, & ſub eadem ratione, ſed etiam quòd conueniant eidem ſubiecto ſecundum eiuſdem rationis potentialitatem: ergo.

Voluntas humana Chriſti in uolito materiali fuit difformis quo ad affectū inefficacem diuinæ voluntati.

Sed pro veritatis declaratione dico Primo: humana voluntas Chriſti in volito formali ſemper fuit conformis voluntati diuinæ: tam quoad actus efficaces, quam quoad in efficaces, in uolito autē materiali fuit diformis illi quoad actum ineſficacem: ſecus autem quoad efficacem.

23 Hæc concluſio communiter recipitur ab omnibus Theologis nuper citatis: eſt que expreſſa Diu. Thom. in hoc art. 5. & infra quæſt. 21. art. 3. & 4. & in 3. diſtin. 17. art. 1. quæſt. 1. & in 4. contra gētes, cap. 36. & pro 2. part. Probatur: quia voluntas humana Chriſti, in quantum ratio, ſeu deliberata ſemper volebat diuinam voluntatem impleri, atque adeo erat illi conformis. Similiter licet volun tas, vt natura actu in efficaci potuerit velle oppoſitum illius, quod volebat voluntas diuina, ſicut de facto voluit mortem refugere, quā tamen efficaciter volebat diuina voluntas: tamen non refugiebat remedium peccatorum, quod erat motiuum formaliter, neque enim hoc formaliter diſplicuit voluntati Chriſti, vt natura: ac proinde neque illa vt ſic fuit difformis à diuina in tali motiuo: ergo. Quæ ratio amplius confirmatur, quia ille actus in efficax & naturalis refugiendi mortem fuit liber, & meritorius, atque ordinatus à diuina volūtate ad oſtenſionem naturæ humanæ: ergo fuit cōformis ordinationi diuinæ voluntatis: ac proinde non contrarius illi in volito formali, quod eſt finis, & motiuum ordinationis ipſius.

Deinde pro ſecunda parte probatur, quia voluntas humana Chriſti aliquando hoc eſt in duplici caſu nòn fuit impleta: nimirum quando voluit latere Matth. 9. & Marc. 7. & tamen oppoſitum contingit, vt ibidem refertur: & quando petit vt Calix paſsionis & mortis ab ipſo tranſiret, ideſt vt ab ipſo non biberetur: quē tamen cum effectu bibit: ergo iam voluit in his caſibus voluntas humana Chriſti oppoſitum eius, quod diuina voluntas efficax fieri voluit: ac proinde non fuit illi conformis in volitione materiali.

Denique pro tertia parte probatur, quia vt oſtendit D. Tho. quæſt. 21. ſequenti art. 4. voluntate rationis, ſeu deliberata nihil aliud voluit Chriſtus, niſi quod ſciuit Deum velle, & ideò omnis voluntas abſoluta, & efficax Chriſti, etiam humana fuit impleta, quia fuit voluntati diuinę cōformis: & propterea omnis eius oratio: vtpotè interpretatiua talis voluntatis, fuit exaudita: ergo huiuſmodi voluntas efficax, & rationis ſemper fuit conformis diuinæ, ètiam in volitione materiali. Maximè in his quæ volebat fieri per ſe, & non per alios. Quæ ratio amplius confirmatur: quia neque de potentia abſoluta potuit Chriſtus eſſe difformis in volitione materiali voluntati diuinæ per affectum efficacem: ergo huiuſmodi difformitas nō eſt admittenda. Antecedēs probatur, quia aut talis affectus eſſet de obiecto malo, ſiue prohibito, & iſte vtpotè peccaminoſus repugnat Chriſto ob eius impeccabilitatem; aut eſſet de obiectò bono, ſiue non prohibito: cuius tamen oppoſitū ſciebat

Chriſtus per ſcientiam beatam, & infuſ-ſam volitum efficaciter eſſe à Deo, & iſte affectus, ſuppoſita huiuſmodi notitia voluntatis Dei, eſſet imprudens, & ſtultus: acproinde repugnant Chriſto, ob eius prudentiam, & ſcientiæ plenitudinem: ergo.

Neque propterea fuit in Chriſto ſimpliciter contrarietas voluntatum.

Dico ſecundo nulla fuit in Chriſto, ſimpliciter contrarietas voluntatum. Hęc concluſio etiam eſt communis omnium Theologorum, & certa ſecundum fidem vt oſtendit Medina, & Aluarez in art. 6. eo quod eſt diffinita ab Eccleſia aduerſus ſupradictos ſectarios in 6. Synodo Generali in Epiſtola Agathonis Papæ quæ legitur actione 4. & aprobatur actione octaua, vbi ſic habetur. *Prædicamus duas naturales voluntates non contrarias, iuxta quod (impij aſſerunt hæretici) ſed ſequentem eius humanam voluntatem, & non reſiſtentem, vel reluctatem, ſed potius ſubiectam diuinæ eius, atque omnipotenti voluntati*, eademque diffinitio repetitur in Concilio Lateranenſi, can. 15.

Deinde probatur concluſio ratione Theologica, qua vtitur D. Thom. in dict. artic. 6. ad hanc formam reducta: ad contrarietatem voluntatum in aliquo requiritur, quod ſit diuerſitas eiuſdem, & ſecundum idem, quia contrarietatis conceptus non ſaluatur, niſi oppoſitio attendatur in eodem, & ſecundum idem; ſed licet voluntas materialis, & voluntas ſenſualitatis, hoc eſt appetitus ſenſitiuus in Chriſto aliquid aliud voluerit, quam voluntas diuina, & voluntas rationis ipſius: non tamē fuit eiuſdem, aut ſecundum idem: ergo nō fuit contrarietas voluntatum.

Minor patet, quia nec voluntas materialis, neque appetitus ſenſitiuus repudiabat illus rationem ſecundum quam diuina voluntas, & voluntas rationis Chriſti volebat paſsionem, ſcilicet in ordine ad ſalutem humani generis, neque voluntas diuina, neque voluntas rationis impediebatur aut retardabatur per volūtatē naturalē, aut per appetitū ſēſitiuū, neq; illa impediebat, aut retardabat motum iſtius: nam hoc ipſum, quod voluntas naturalis volebat, ſcilicet refugere mortem; vt malum naturæ, procedebat ex ipſa voluntate diuina, & ex voluntate humana rationis, ex quarū beneplacito humana natura proprijs motibus mouebatur in Chriſto: ergo.

Refelluntur duo priores modi remouēdi huiuſmodi cōtrarietatē.

24 Dico tertio congruentior modus remouendi contrarietatem ab huiuſmodi affectibus eſt terti⁹: nimirū quia neque conueniebant eidem voluntati formaliter, neque erant de eodem obiecto ſub eadem ratione formali, ſed ſub diuerſis.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus duos priores modos dicendi: & probatur primo quia eſt expreſſa D. Thom. in dict. art. 6. vbi ex hoc duplici capite probat defficere contrarietatem in huiuſmodi affectibus quibus voluntas humana Chriſti fuit nolens, & volens eandem mortem: eo quod fuit nolens vt natura, & fuit volens vt ratio, & aliàs noluit mortem vt malum naturæ, & voluit illam, vt medium redemptionis: ergo.

Deinde probatur labefactando illos duos modos dicendi, huic concluſioni aduerſantes.

Primus namque defficit propter tria: tum quia ponit illum affectum refugiendi mortem in voluntate Chriſti, non vt natura; ſed etiam vt ratio eſt: & quatenus deliberata: in quo manifeſte aduerſatur Diu. Thom. in dict, art. 6. & quæſt. 21, art. 4.

Tum etiam, quia nō recte, neque propriè ſaluat veritatem adducti teſtimonij, ex Lucæ 22. *Verumtamen non mea ſed tua voluntas fiat*, vbi per voluntatem ſuam intelligit Chriſtus aliquam voluntatem, quam tunc de præſenti habebat. Vazquius autem intelligit voluntatem illam efficacem ſub conditione, quam nondum habebat; ſed potuiſſet habere ſi non obſtaret præceptum: quamuis autem non videatur propriè appellari meam voluntatem in actu ſecundo, quam non dum habeo in præſenti, ſed haberem ſi adeſſet talis conditio.

Tum denique quia non remouet a parte rationali agoniam in Chriſto, quæ eſt concertatio voluntatum, quam tamen D. Thomas in ſolutione ad 6 art. 6. ait fore remouendam, eo quod arguit debilitatem rationis iudicantis, quæ dedecet Chriſtū. Neque vitat ſufficienter inconueniens cōtrarietatis, & pugnæ in prædictis duobus affectibus, eo quod vterque adſtruitur à Vazquio in eadem voluntate, ſub eadem ratione: nimirum quatenus deliberata: qui proinde teſte D. Thom. in dicto artic. 4. quæſtio. 21. debuit eſſe abſolutus, & efficax: acproinde impletus: ergo ſi ille affectus nolendi mortem fuit voluntatis deliberatæ, ſiue vt rationis: conſequenter fuiſſet efficax, & abſolutus: acproinde impediret alterum affectum volendi eandem mortem, in quo conſiſtit conditio contrarietatis.

Secundus vero modus dicendi, licet ſufficienter

Digitized by Google

ficienter vitet inconueniens contrarietatiin prædictis affectibus voluntatis Chriſti: eo quod primum attribuit voluntati, vt naturæ, & ſecundum voluntati, vt rationi, & ex hoc capite conſentiat doctrinæ Diu. Thom. tamen in eo quod ſubdit motum conuenire voluntati ſecundum portionem ſuperiorem non eſt admittendus, ſed vel refutandus, vel ſaltem benigne interprætandus: eo quod ſi nomine portionis inferioris intelligatur voluntas, vt natura, & nomine portionis ſuperioris intelligatur voluntas, vt ratio, ſic prædictus modus dicendi conſonat D. Thom. & ideò admittendus eſt: ſi autem nomine portionis inferioris intelligat voluntatem prout reſpicit rationes temporales, & nomine partis ſuperioris intelligat voluntatem prout reſpicit rationes æternas: ſic diſtinguendus, vel interprætandus eſt: nam ille affectus refugiendi mortem, vt malum naturæ fuit actus virtutis, & meritorius: ac proinde regulatus, & moderatus ſecundũ æternam legem Dei, cuius beneplacito, & ordinatione humana natura illum affectum nolendi mortem, vt ſibi proprium elicuit.

Vnde ex hoc capite, etiam huiuſmodi motus fuit portionis ſuperioris, quia nõ fuit neceſſarius; neque omnino indeliberatus, id eſt primo primus, ſed liber, & meritorius, & iuxta ordinem diuinæ voluntatis, & legis æternæ; ſed quia voluntas, vt natura elliciens hunc actum immediate, & per ſe non reſpiciebat niſi rationes temporales, hoc eſt deſconuenientiam mortis ad humanam naturam: legẽ autem æternam, & ſubordinationem ad diuinam voluntatem reſpiciebat tantum mediante voluntate, vt ratione; propterea talis affectus refugiendi mortem debet dici voluntatis, vt naturæ: ac portionis inferioris immediatè, & ellicitiuè; ſed mediatè, & imperatiuè poteſt ac debet dici voluntatis, vt rationis, & portionis ſuperioris, cui tamquam ordinanti ille motus ſubijciebatur.

Ex quibus patet ad fundamenta aduerſariorum. Ad fundamentum enim primæ ſententiæ reſpondetur motum refugiendi mortem in Chriſto fuiſſe a voluntate, vt natura: qua, pariter eſt diſplicentia filij de morte parentis.

Ad fundamentum ſecundæ, neganda eſt conſequentia.

QVAESTIO XIX.

De pertinentibus ad vnitatem Chriſti, quantum ad operationem, in quatuor articulos diuiſſa.

Inf. q 25. a. 1 & 2. & 3. diſt. 10. q. 1. a. 2. q. 1. ad 3. & d 18 a. 1. & 4. cõt. c. 36. & ver. q. 20. art. 1. ad 2. & 6. & vnion. art. 1. ad 16. & art. 5. & opuſ. 3. c. 212.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm in Chriſto ſit vna tantum operatio diuinitatis, & humanitatis?

AD primum ſic proceditur. Videtur, quòd in Chriſto ſit vna tantum operatio diuinitatis, & humanitatis. Dicit enim Dyonyſ. in 2. cap. de diu. nom.* Diſcreta autem eſt benigniſsima circa nos Dei operatio per hoc, quòd ſecundum nos ex nobis integrê, vere que

** c. 2. inter fin. & med. cap. q. 13 art. 2. & 3.*

que humanatum eſt Verbum, quod eſt ſupra ſubſtãtiam, & operari, & pati quęcumque humanæ, eius diuinæ que operationi congruunt. Vbi vnam operationem nominat humanam & diuinam, quæ in Græco dicitur theandrica, ideſt, Dei virilis. Videtur igitur eſſe una operatio compoſita in Chriſto.

2 Præterea, principalis agentis, & inſtrumenti eſt vna ſola operatio. Sed humana natura in Chriſto fuit inſtrumentum diuinę, vt ſupra dictum eſt*. Ergo eadem eſt diuinæ, & humanæ naturæ in Chriſto operatio.

3 Præterea, cum in Chriſto ſint duæ naturæ in vna hypoſtaſi vel perſona, neceſſarium eſt vnum & idem eſſe, quod pertinet ad hypoſtaſim vel perſonam. Sed operatio pertinet ad hypoſtaſim vel perſonam: nihil enim operatur niſi ſuppoſitum ſubſiſtens: vnde ſecundum Philoſ.* actus ſunt ſingularium: Ergo in Chriſto eſt vna & eadem operatio diuinitatis, & humanitatis. li.1.met.c. li.a.me.t.3

4 Præterea, ſicuti eſſe eſt hypoſtaſis ſubſiſtentis, ita etiam operari. Sed propter vnitatem hypoſtaſis eſt in Chriſto vnum eſſe: vt ſupra dictũ eſt*. Ergo etiam propter eamdem vnitatem, eſt in Chriſto vna operatio, q.17.a,2.

5 Præterea, vbi eſt vnum operatum, ibi eſt una operatio. Sed idem operatum erat diuinitatis, & humanitatis: ſicut ſanatio leproſi, vel ſuſcitatio mortui. Ergo videtur quod in Chriſto ſit vna tãtum operatio diuinitatis, & humanitatis.

Sed contra eſt, quod Ambroſ.* dicit in 2. lib. ad Gratianum Imperatorem. Quemadmodum eadem operatio diuerſæ eſt poteſtatis, numquid ſic poteſt minor quemadmodum maior operari, aut vna operatio poteſt eſſe vbi diuerſa ſubſtantia eſt? de fi.ca.4. in 2.pag.à fr.c.10.2.

Reſpondeo dicendum, quod ſupra* dicti hæretici, qui poſuerunt in Chriſto vnam voluntatem, poſuerunt etiam in Chriſto vnam operationem. Et vt eorum opinio erronea melius intelligatur, conſiderandum eſt, quod vbicumque ſunt plura agentia ordinata, inferius mouetur à ſuperiori: ſicut in homine corpus mouetur ab anima, & inferiores vires à ratione. Sic igitur actiones, & mot⁹ inferioris principij ſunt magis operata quędam, quâm operationes: id autem quod pertinet ad ſupremum principium eſt propriê operatio. Puta, ſi dicamus in homine, quod ambulare, quod eſt pedum; & palpare, quod eſt manuum, ſunt quædam hominis operata, quorum vnũ operatur anima per pedes, aliud per manus. Et quia eſt eadem anima operans per vtrumque, ex parte ipſius operantis, quod eſt primũ principium mouens, eſt vna & indifferẽs operatio; ex parte autem ipſorum operatorum differentia inuenitur. Sicut autem in homine puro corpus mouetur ab anima, & appetitus ſenſitiuus à rationali: ita in Domino Ieſu Chriſto humana natura mouebatur, & regebatur â diuina. Et ideo dicebant, quod eadem eſt operatio, & indifferens ex parte ipſius diuinitatis operantis: ſunt tamen diuerſa operata, in quantum ſcilicet diuinitas Chriſti aliud agebat per ſeipſam, ſicut quod portabat omnia verbo virtutis ſuæ: aliud autem per humanam naturã, ſicut quod corporaliter ambulabat. Vndê in ſexta* Synodo inducuntur verba Seueri hæretici, ſic dicentis: Ea quæ agebantur, & operabantur ab vno Chriſto, multum differunt. Quædam enim ſunt Deo decibilia, quædam humana: veluti corporaliter vadere ſuper terrã, pre- q.præ.e. Ciſas.

profecto humanum eſt: cruribus vero vexatis, & ambulare ſuper terram penitus non valentibus, ſanum greſſum donare, Deo decibile eſt, Sed vnus, ſcilicet incarnatũ Verbum, hoc & illud operatus eſt: & nequaquam hoc quidem huius, hoc verò huius eſt naturæ: neq; eo quod diuerſa ſunt operamenta, ideo duas operatrices naturas, atque formas iuſtê deferimus. Sed in hoc decipiebantur: quia actio eius quod mouetur ab altero, eſt duplex. Vna quidem, quam habet ſecundum propriam formam. Alia autem, quam habet, ſecundum quod mouetur ab alio. Sicut ſecuris operatio ſecundum propriam formam, eſt inciſio: ſecundum autem, quod mouetur ab artifice, operatio eius eſt facere ſcamnum. Operatio igitur, quæ eſt alicuius rei ſecundum ſuam formam, eſt propria eius: nec pertinet ad mouentem, niſi ſecundum quod vtitur huiuſmodi re ad ſuam operationem. Sicut calefacere eſt propria operatio ignis, non autem fabri, niſi quatenus vtitur igne ad calefaciendum ferrum. Sed illa operatio, quæ eſt rei ſolum ſecũdum quod mouetur ab alio, non eſt alia præter operationem mouentis ipſum: ſicut facere ſcamnum, non eſt ſeorſum operatio ſecuris ab operatione artificis, ſed ſecuris participat inſtrumentaliter operationem artificis. Et ideo vbicumque mouens, & motum habent diuerſas formas, ſeu virtutes operatiuas: ibi opportet quod ſit alia operatio mouentis, & alia operatio propria moti: licet motum participet operationem mouentis, & mouẽs vtatur operatione moti; & ſic vtrumque agat cum communione alterius. Sic igitur in Chriſto humana natura habet propriam formam, & virtutem, per quam operatur: & ſimiliter diuina. Vnde humana natura habet propriam operationem diſtinctam ab operatione diuina, & è conuerſo. Et tamen diuina natura vtitur operatione naturæ humanæ, ſicut operatione ſui inſtrumẽti: & ſimiliter humana natura participat operationem diuinæ naturæ, ſicut inſtrumentum participat operationem principalis agentis. Et hoc eſt quod dicit Leo Papa in epiſtola ad Flauianum*: Agit vtraque forma (ſcilicet tam natura diuina, quam humana in Chriſto) cum alterius communione quod proprium eſt: Verbo ſcilicet operante quod Verbi eſt, & carne exequente quod carnis eſt. Si vero eſſet vna tantum operatio diuinitatis, & humanitatis in Chriſto, opporteret dicere; vel quod humana natura non haberet propriam formam, & virtutem (de diuina enim hoc dici eſt impoſsibile): ex quo ſequeretur, quod in Chriſto eſſet tantum diuina operatio. Vel opporteret dicere, quod ex diuina virtute, & humana eſſet conflata in Chriſto vna virtus. Quorum vtrumque eſt impoſsibile. Nam per primum horum, ponitur natura humana in Chriſto eſſe imperfecta: per ſecundum vero ponitur confuſio naturarum. Et ideo rationabiliter in ſexta Synodo hæc opinio eſt condẽnata, in cuius determinatione dicitur: Duas naturales operationes indiuiſê, inconuertibiliter, inconfuſê, inſeparabiliter, in eodem Domino Ieſu Chriſto vero Deo noſtro glorificamus: hoc eſt, diuinam operationem, & humanam operationem.

Eſt ep. 10. & 4 paulo ante med. incipit, ingreditur ergo.

In 6. Syn. gener. act. 4. 8. & 9.

Ad primum ergo dicendum, quod Dionyſ.* ponit in Chriſto operationem theandricam, id eſt diuinam virilem, vel diuinam humanã, non per aliquam confuſionem operationum, ſeu virtutũ vtriuſque naturæ, ſed per hoc, quod diuina operatio eius vtitur humana; & humana

Loco cit. in arg.

eius

eius operatio participat virtutem diuinæ operationis. Vnde ſicut ipſe dicit in quadam epiſtola ad Caium *: Super hominem operabatur ea, quæ ſunt hominis : quod monſtrat Virgo ſupernatur aliter concipiens, & aqua inſtabilis terrenorum pedũ ſuſtinens grauitatem. Manifeſtum eſt enim, quod concipi eſt humanæ naturæ, ſimiliter, & ambulare; ſed vtrumque fuit in Chriſto ſupernaturaliter. Et ſimiliter diuina operabatur humanitus; ſicut cum ſanauit leproſum tangendo. Vnde in eadem epiſtola ſubdit *. Non ſecundum Deum diuina faciens, non humana ſecundum hominem ; ſed Deo homine facto, noua quadam Dei, & hominis operatione. Quod autem intellexerit duas eſſe operationes in Chriſto, vnam diuinæ naturæ, aliam autem humanæ; patet ex his quæ dicit in 2. cap. de diuin. nominib. vbi dicit *, quod his quæ pertinent ad humanam eius operationem, Pater, & Spiritus ſanctus nulla ratione communicant, niſi quis dixerit ſecundũ benigniſsimam, & miſericordem voluntatem, inquantum ſcilicet Pater, & Spiritus ſanctus ex ſua miſericordia voluerunt Chriſtum agere, & pati humana. Addit autem & omnem ſublimiſsimam, & ineffabilem Dei operationem, quam homo pro nobis factus adimpleuit, immutabilis profecto Deus, & Dei verbum. Sic igitur patet, quod alia eſt operatio humana, in qua Pater, & Spiritus ſanctus non communicant, niſi ſecũdum acceptationem miſericordiæ ſuæ : & alia eſt eius operatio, in quantum eſt Dei Verbum, in qua communicant Pater, & Spiritus ſanctus.

In ep. ad Caiũ, cir. me.

in præd. ep. n ſin.

inter fin & med. par. 1

Ad ſecundum dicendum, quod inſtrumentum dicitur aliquid agere ex eo quod mouetur ac principali agente, quod tamen præter hoc poteſt habere propriam operationem ſecundum ſuam formam, vt de igne dictum eſt *. Sic igitur actio inſtrumenti, in quantum eſt inſtrumẽtum, non eſt alia ab actione principalis agentis: poteſt tamen habere aliã operationem, prout eſt res quędam. Sic igitur operatio, quæ eſt humanæ naturę in Chriſto, in quantum eſt inſtrumentum diuinitatis, non eſt alia ab operatione diuinitatis, non enim eſt alia ſaluatio, qua ſaluat humanitas Chriſti, & diuinitas eius. Habet tamen humana natura in Chriſto, in quantum eſt natura quædam, quandam propriam operationem præter diuinam: vt dictum eſt *.

in corp. ar.

in corp. ar.

Ad tertium dicendum, quod operari eſt hypoſtaſis ſubſiſtentis, ſed ſecundum formam, & naturam â qua operatio ſpeciem recipit. Et ideo â diverſitate formarum, ſeu naturarum eſt diuerſa ſpecies operationum : ſed ab vnitate hypoſtaſis eſt vnitas ſecundum numerum, quantum ad operationem ſpeciei. Sicut ignis habet duas operationes ſpecie differentes, ſcilicet illuminare, & calefacere, ſecundum differentiam lucis, & caloris: & tamen eſt vna numero illuminatio ignis ſemel illuminãtis. Et ſimiliter in Chriſto oportet quod ſint duæ operationes ſpecie differentes ſecundum eius duas naturas : quælibet tamen operationum eſt vna numero in Chriſto ſemel facta, ſicut vna ambulatio, & vna ſanatio.

Ad quartum dicẽdum, quod eſſe & operari eſt perſonæ â natura, aliter tamen & aliter. Nam eſſe pertinet ad ipſam conſtitutionem perſonæ : & ſic quantum ad hoc ſe habet in ratione termini. Et ideô vnitas perſonæ requirit vnitatem ipſius eſſe completi, & perſonalis. Sed operatio eſt quidam effectus perſonæ ſecundum aliquam formam,

mam, vel naturam: vnde pluralitas operationum non præiudicat vnitati perſonali.

Ad quintum dicendum, quod aliud eſt proprium operatum operationis diuinæ, & operationis humanæ in Chriſto: ſicut operatum proprium diuinæ operationis eſt ſanatio leproſi, operatum autem propriũ humanæ naturæ, eſt eius contactus. Concurrunt autem ambæ operationes ad vnum operatum, ſecundum quod vna natura agit cum communione alterius: vt dictum eſt*. *corp. ar.

2 Concluſio eſt negatiua, & certa ſecundum fidem, quam probat D. Tho. Tũ ex Ambroſ. lib. 2. ad Gratianum Imperatorem cap. 4. dicente non poſſe non eſſe diuerſam operationem vbi ſubſtantia, ſiue natura eſt diuerſa: in Chriſto autem diuerſa eſt natura diuina ab humana: ergo. Tum etiam, quia vnaquæque natura ſicut habet propriam formam, & virtutem, ita habet & propriam operationem quæ ad talem formam, & virtutem cõſequitur: ſed in Chriſto ſunt duæ naturæ humana, ſcilicet & diuina habeates proprias formas, & virtutes diſtinctas; & inconfuſſas: ergo & ſunt duæ operationes diſtinctæ, & inconfuſæ quod ſexta Synodus Generalis action. 4. & 8. aduerſus Monothelitas diſfiniuit dicens: duas naturales operationes indiuiſſe, inconuertibiliter, inconfuſſe, inſeparabiliter in eodem Domino Ieſu Chriſto glorificamus, hoc eſt diuinam operationem, & humanam operationem.

ART. II.

Vtrùm in Chriſto ſint plures operationes humanæ?

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod in Chriſto ſint plures humanæ operationes. Chriſtus enim, in quantum homo, communicat cum plantis in natura nutritiua, cũ animalibus autem in natura ſenſitiua, cum Angelis vero in natura intellectiua, ſicut & cæteri homines. Sed alia eſt operatio plantę, in quantum eſt planta: & alia animalis, in quantum eſt animal. Ergo Chriſtus in quantum eſt homo, habet plures operationes.

2 Præterea, potentiæ, & habitus diſtinguuntur ſecundum actus. Sed in anima Chriſti fuerunt diuerſę potentiæ, & diuerſi habitus. Ergo & diuerſæ operationes.

3 Præterea, inſtrumenta debent eſſe proportionata operationibus. Corpus autem humanum habet diuerſa membra differentia ſecundum formam. Ergo diuerſis operationibus debent eſſe accommodata. Sunt ergo in Chriſto diuerſæ operationes ſecũdum humanam naturam.

Sed contra eſt, quod ſicut Damaſcen.* dicit in 3. lib. operatio ſequitur naturam. Sed in Chriſto eſt tantum vna natura humana. Ergo in Chriſto fuit vna tantum operatio humana. *c. 14. ad prẽ & cap. 15.

Reſpondeo dicendum, quod quia

quia homo eſt id, quod eſt ſecundũ rationem, illa operatio dicitur eſſe ſimpliciter humana, quæ â ratione procedit per voluntatem, quæ eſt rationis appetitus. Si quę autem operatio eſt in homine, quæ non procedit â ratione, & voluntate, non eſt ſimpliciter operatio humana, ſed cõuenit homini, ſecundum aliquam partem humanæ naturæ. Quandoque quidem ſecundum ipſam naturam elementi corporalis, ſicut ferri deorſum. Quandoque vero ſecundum virtutem animæ vegetabilis, ſicut nutriri, & augeri. Quandoque vero ſecundum partem ſenſitiuam, ſicut videre, & audire, imaginari, & memorari, concupiſcere, & iraſci. Inter quas operationes eſt differentia. Nam operationes animæ ſenſitiuæ ſunt aliqualiter obedientes rationi, & ideo ſunt aliqualiter rationales, & humanæ, in quantum ſcilicet obediunt rationi, vt patet per Philoſophum in 1. Ethic. * Operationes vero, quæ ſequuntur animam vegetabilem, vel etiam naturam elementaris corporis, non ſubijciuntur rationi: vnde nullo modo ſunt rationales, nec humanæ ſimpliciter, ſed ſolum ſecundum partem humanę naturę. Dictum eſt autem ſupra, * quod quãdo agens inferius agit per propriam formam, tunc eſt alia operatio inferioris agentis, & ſuperioris, quando vero agens inferius non agit, niſi ſecundum quod eſt motum â ſuperiori agente, tunc eſt eadem operatio ſuperioris agentis, & inferioris. Sic igitur in quocumque homine puro alia eſt operatio elementaris corporis, & animæ vegetabilis ab operatione voluntatis, quæ eſt proprie humana. Et ſimiliter etiam operatio animæ ſenſitiuæ, quantum ad id quod non mouetur â ratione: ſed quantũ ad id quod mouetur â ratione, eſt eadem operatio partis ſenſitiuæ, & rationalis. Ipſius autem animæ rationalis eſt vna operatio, ſi attendamus ad ipſum principium operationis: quod eſt ratio, vel voluntas. Diuerſificatur autem ſecundum reſpectum ad diuerſa obiecta. Quam quidem diuerſitatem aliqui appellauerunt diuerſitatem operatorum magis, quã operationum, iudicantes de vnitate operationis ſolum ex parte operatiui principij. Sic enim nunc quæritur de vnitate, vel pluralitate operationum in Chriſto. Sic igitur in quolibet puro homine eſt tantum vna operatio, quę proprie humana dicitur: pręter quam tamen ſunt in homine puro quædam aliæ operationes, quæ non ſunt propie humanæ, ſicut dictũ eſt. * Sed in homine Ieſu Chriſto nullus erat motus ſenſitiuæ partis, qui non eſſet ordinatus â ratione. Ipſæ etiam operationes naturales, & corporales aliqualiter ad eius voluntatem pertinebant, in quantum voluntatis eius erat, vt caro eius ageret, & pateretur quæ ſunt ſibi propria, vt dictum eſt ſupra. * Et ideo multo magis eſt vna operatio in Chriſto, quâm in quocumque alio homine.

c. vlt. t. 5. | Art. præc. | in iſto art. ſic. | q. præc. ar. 5.

Ad primum ergo dicendũ, quod operatio partis ſenſitiuæ, & etiam nutritiuæ non eſt proprie humana, ſicut dictum eſt. * Et tamen in Chriſto huiuſmodi operationes fuerunt magis humanæ, quam in alijs.

in corp. art.

Ad ſecundum dicendũ, quod potentiæ, & habitus diuerſificantur per comparationem ad obiecta. Et ideo diuerſitas operationũ hoc modo reſpondet diuerſis potentijs, & habitibus, ſicut etiam reſpondet diuerſis obiectis. Talem autem diuerſitatem operationum non intendimus excludere ab humanitate Chriſti, ſicut nec eam, quæ eſt ſecũdum aliud, & aliud inſtrumentum, ſed ſolum illam, quæ eſt ſecundum primum principium actiuum, vt dictum eſt. *

in corp. art.

Vnde

Vnde patet etiam reſponſio , ad tertium.

2 PRIMA concluſio eſt, inquolibet puro homine eſt tantum vna operatio, quæ propriè humana dicitur : cuius ratio eſt, quia illa operatio propriè, & ſimpliciter dicitur humana, quę procedit à ratione per voluntatem: eo quod homo per rationem conſtituitur, huiuſmodi autem ratio , ſiue voluntas eſt vna: ergo & operatio humana, ſiue rationalis, quæ ab illa procedit, etiam eſt vna ex parte ipſius principij operandi: diuerſificatur autem, ſecundum reſpectum ad diuerſa obiecta.

Secunda concluſio, inquolibet homine ſunt plures aliæ operationes præter humanam: nam alię conueniunt homini ſecũdum virtutem animę vegetatiuæ, vt nutriri, & augeri, quę nullatenus poſſunt dici rationales, quia non ſubijciuntur rationi : aliæ vero conueniunt homini, ſecundũ partem ſenſitiuam, ſicut videre, & audire, concupiſcere, & iraſci, quę aliquatenus obediunt rationi, & ideò poſſunt aliqualiter, ſeu participatiuè dici humanæ , & rationales.

Tertia concluſio: in Chriſto homine multo magis eſt vna operatio humana, quam in quocumque alio homine. Hanc probat D. Thom. tum ex Damaſceno lib. 3. de Fide, cap. 14. dicente: quod operatio ſequitur naturam: ergo cum in Chriſto ſit tantum vna natura humana, & vna operatio humana tantum debet eſſe.

Tum etiam, quia in Chriſto omnes alię operationes, tam partis ſenſitiuæ, quam vegetatiuæ, & naturæ elementalis corporis rationi ſubdebantur , inquantum eius voluntatis erat, vt caro eius ageret, & pateretur, quæ ſunt ſibi propria: ergo omnes eius operationes aliquatenus humanę erant: ac per conſequens multo magis vna operatio erat in Chriſto, quam in alijs hominibus . Intellige vnitate ex parte principij, cum qua ſtabat diuerſitas ſpecifica ex parte obiectorum.

(†.)

ART. III.

Vtrum actio humana Chriſti potuerit eſſe ſibi meritoria?

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod actio humana Chriſti non potuerit ei eſſe meritoria. Chriſtus enim ante mortem fuit comprehenſor, ſicut & modo eſt. Sed comprehenſoris non eſt mereri: charitas enim comprehenſoris pertinet ad præmium beatitudinis, cum ſecuudum eam attendatur fruitio: vnde non videtur eſſe principium merendi, cum non ſit idem meritum, & præmium. Ergo Chriſtus ante paſsionem non merebatur, ſicut nec modo meretur.

3 diſ. 18. a. 2. 3. 4. & 5. & ver. q. 29. a. 7. ad 6. & op. 3. c. 238. fin.

2 Præterea, Nullus meretur id quod eſt ſibi debitum . Sed ex hoc, quod Chriſtus eſt filius Dei per naturam, debetur ſibi hæreditas æterna, quam alij homines per bona opera merentur. Non ergo Chriſtus aliquid ſibi mereri potuit : quia à principio fuit filius Dei.

3 Præterea, Quicumque habet id quod eſt principale, non propriè meretur id quod ex illo habito ſequitur. Sed Chriſtus habuit gloriam animæ, ex qua ſecundum communem ordinem , ſequitur gloria corporis: vt Auguſtin.* dicit in Epiſtola ad Dioſcorum. In Chriſto tamen diſpenſatiuê factum eſt , quod gloria animæ non deriuaretur ad

Eſt epiſt. 56. non multum remote ante me. to. 2.

 corpus.

Digitized by Google

corpus. Non ergo Chriſtus meruit gloriam corporis.

4 Præterea, Manifeſtatio excellentiæ Chriſti non eſt bonum ipſius Chriſti, ſed eorum, qui eum cognoſcũt: vnde & pro præmio promittitur dilectoribus Chriſti, vt eis manifeſtetur; ſecundum illud Ioan. 14. Si quis diligit me, diligetur â patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum. Ergo Chriſtus non meruit manifeſtationem ſuæ altitudinis.

Sed contra eſt, quod Apoſt. dicit Philipen. 2. Factus eſt obediens vſque ad mortẽ: propter quod & Deus exaltauit illum. Meruit ergo obediẽdo ſuam exaltationem, & ita aliquid ſibi meruit.

Reſpondeo dicendum, quod habere aliquod donum per ſe, eſt nobilius, quam habere illud per aliud: ſemper enim cauſa quæ eſt per ſe, potior eſt ea, quæ eſt per aliud, vt dicitur in 8. phyſ. * Hoc autem dicitur aliquis habere per ſe ipſum, cuius eſt ſibi aliquo modo cauſa. Prima autem cauſa omnium bonorum noſtrorum per auctoritatem, eſt Deus. Et per hunc modum nulla creatura habet aliquid boni per ſe ipſam: ſecundum illud primæ ad Cor. 4. Quid habes, quod non accepiſti? Poteſt tamen ſecundario aliquis eſſe cauſa ſibi alicuius boni habendi, in quantum ſcilicet in hoc ipſo, Deo cooperatur. Et ſic ille, qui habet aliquid per meritum proprium, habet quodammodo illud per ſe ipſum. Vnde nobilibus habetur id quod habetur per meritum, quam id quod habetur ſine merito.

l. 8. phyſi. tc. 39. t. 2.

Quia autem omnis perfectio, & nobilitas Chriſto eſt attribuenda conſequens eſt, quod ipſe per meritum habuerit illud quod alij per meritum habent: niſi ſit tale quid, cuius carentia magis dignitati Chriſti & perfectioni præiudicet, quam per meritum accreſcat. Vnde nec gratiam, nec ſcientiam, nec beatitudinem animæ, nec diuinitatem meruit. Quia cum meritum non ſit niſi eius, quod nondum habetur, oporteret quod Chriſtus aliquando iſtis caruiſſet: quibus carere, magis diminuit dignitatem Chriſti, quam augeat meritum. Sed gloria corporis, vel ſi quid aliud huiuſmodi eſt, minus eſt, quam dignitas merendi, quæ pertinet ad virtutem charitatis. Et ideo dicendum eſt, quod Chriſtus gloriam corporis, & ea quæ pertinẽt ad exteriorem eius excellentiam (ſicut eſt aſcenſio, veneratio, & alia huiuſmodi) habuit per meritum. Et ſic patet, quôd aliquid ſibi mereri potuit.

Ad primum ergo dicendum, quod fruitio, quæ eſt actus charitatis, pertinet ad gloriam animæ, quam Chriſtus non meruit: & ideo ſi per charitatem aliquid meruit, non ſequitur, quod idem ſit meritum & præmium. Nec tamen per charitatẽ meruit, in quantum erat charitas comprehenſoris, ſed in quantum erat viatoris: nam ipſe fuit ſimul viator & cõprehenſor, vt ſupra habitum eſt. * Et ideo quia nunc non eſt viator, nõ eſt in ſtatu merendi. *q. 15. art. 10.*

Ad ſecundum dicendum, quod Chriſto, ſecundum quod eſt Deus, & Dei filius, per naturã debetur gloria diuina, & dominium omnium, ſicut primo & ſupremo domino. Nihilominus tamen debetur ei gloria ſicut homini beato, quam quantum ad aliquid debuit habere ſine merito, & quantum ad aliquid cum merito: vt ex ſupta dictis patet. * *in co. art.*

Ad tertium dicendum, quod redundantia gloriæ ex anima ad corpus, eſt ex diuina ordinatione ſecundum congruentiam humanorum meritorum: vt ſcilicet, ſicut homo meretur per actum animæ, quem

exercet

exercet in corpore, ita etiam remuneretur per gloriam animæ, redundantem ad corpus. Et propter hoc non ſolum gloria animæ, ſed etiam gloria corporis cadit ſub merito: ſecundum illud Roman. 8. Viuificabit mortalia corpora noſtra, propter inhabitantem ſpiritum eius in nobis. Et ita potuit cadere ſub merito Chriſti.

Ad quartum dicendum, quòd manifeſtatio excellentiæ Chriſti pertinet ad bonum eius, ſecundum eſſe, quod habet in notitia aliorum: quamuis principalius pertineat ad bonum eorum, qui eum cognoſcunt, ſecundum eſſe quod habent in ſe ipſis. Sed etiam hoc ipſum refertur ad Chriſtum, in quantum ſunt membra eius.

3 CONCLVSIO eſt affirmatiua, quam ſuadet D. Th. primo ex illo ad Philipen. 2. *Factus eſt obediẽs, vſque ad mortem, propter quod & Deus exaltauit illũ, &c.* quo manifeſte denotatur Chriſtum obediendo, ſuam exaltationem. ac proinde aliquid, ſibi meruiſſe.

Secundo hac ratione Theologica: quia omnis perfectio, & nobilitas Chriſto eſt attribuenda, ſed habere aliquid per meritum eſt nobilius in alijs ſanctis, quam habere illud ſine merito: ergo Chriſtus per meritum habuit omnia ea, quorum carentia eius dignitati, & perfectioni à principio non præiudicaret. Tunc vltra: ſed gloria corporis, & ea quæ pertinent ad exteriorem Chriſti excellentiam, vt aſcenſio, veneratio. exaltatio nominis, &c. minoris perfectionis ſunt, quam dignitas merendi, quorum proinde carẽtiam habuit Chriſtus à principio cõceptionis, abſque præiudicio ſuę maioris dignitatis, propterea illa habuit per meritum. Sed quia meritum nõ eſt, niſi eius, quod nõdum habetur, & Chriſtus ſemper habuit gratiam, ſcientiam, beatitudinem animæ, & diuinitatem, neque enim oportuit, quod Chriſtus iſtis aliquando caruiſſet: quibus carere, magis diminuit eius dignitatem, quam augeat meritum: propterea nullum ex his donis meruit.

ART. IV.

Vtrum Chriſtus alijs mereri potuerit?

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod Chriſtus alijs mereri non potuerit. Dicitur enim Ezech. 18. A i na, quæ peccauerit, ipſa morietur. Ergo pari ratione anima quæ meretur, ipſa remunerabitur. Non ergo eſt poſſibile, quod Chriſtus alijs meruerit.

inf. q. 48. a. 1. c. & a. 6. et q. 49. a. 1. c. & 2. d. 20. q. 3. a. 3 ad 3. & 3. d. ar. 6. & ver. q. 26. art 6. ad 20. & q. 29. a. 7.

2 Præterea, De plenitudine gratiæ Chriſti omnes accipiunt: vt dicitur Ioan. primo. Sed alij homines habentes gratiam Chriſti, non poſſunt alijs mereri: dicitur enim Ezech. 24. quod ſi fuerint in ciuitate Noe, Daniel, & Iob, filium, & filiam non liberabunt; ſed ipſi iuſtitia ſua liberabunt ani ras ſuas. Ergo nec Chriſtus potuit aliquid nobis mereri.

3 Præterea, Merces, quam quis meretur, debetur ſecundum iuſtitiam, & non ſecundum gratiam: vt patet Roman. 4. Si ergo Chriſtus meruit ſalutem noſtram, ſequitur quod ſalus noſtra non ſit ex gratia Dei, ſed ex iuſtitia, & quod iniuſte agat cum eis, quos non ſaluat: cum meritum Chriſti ad omnes ſe extendat.

Sed contra eſt, quod dicitur Roman. 5. Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ. Sed demeritum Adæ deriuatur

Digitized by Google

ad condemnationem aliorum Ergo multo magis meritum Chriſti ad alios deriuatur.

Reſpondeo dicendum, quôd ſicut ſupra dictum eſt, * in Chriſto non ſolum fuit gratia, ſicut in quodam homine ſingulari; ſed ſicut in capite totius Eccleſiæ, cui omnes vniũtur, ſicut capiti membra, ex quibus conſtituitur myſtice vna perſona. Et exinde eſt, quôd meritum Chriſti ſe extendit ad alios, in quantũ ſunt mẽbra eius: ſicut etiam in vno homine actio capitis aliqualiter pertinet ad omnia membra eius: quia non ſolũ ſibi ſentit, ſed omnibus membris.

q. 8.

Ad primum ergo dicendum, quod peccatum ſingularis perſonæ non nocet, niſi ſibi ipſi: ſed peccatum Adæ, qui conſtitutus eſt a Deo principium totius naturæ, ad alios per carnis propaginem deribatur. Et ſimiliter meritum Chriſti, qui eſt â Deo conſtitutus caput omnium hominum, quantum ad gratiam, ſe extendit ad omnia eius membra.

Ad ſecundum dicendum, quod alij de plenitudine Chriſti accipiunt, non quidem fontem gratiæ, ſed quãdam particularem gratiam, & ideo non oportet, quod alij homines poſſint alijs mereri, ſicut Chriſtus.

Ad tertium dicendum, quod ſicut peccatum Adæ non deriuatur ad alios, niſi per carnalem generationem: ita meritum Chriſti non deriuatur ad alios, niſi per generationem ſpiritualem, quæ fit in baptiſmo, per quam homines Chriſto incorporantur, ſecundum illud ad Galat. 3: Omnes quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Et hoc ipſum eſt gratiæ, quod homini conceditur regenerari in Chriſto, & ſic ſalus hominis eſt ex gratia.

4 CONCLVSIO affirmans eſt, cuius duplex eſt ratio.

Prima quia demeritũ Adami deriuatur ad condemnationem aliorum: ergo multo magis meritum Chriſti ad iuſtificationem aliorum deriuatur. Conſequentia patet ex illo Pauli ad Roman. 5 *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ.*

Secunda eſt, quia gratia Chriſti fuit capitis totius eccleſiæ, cui omnes vniuntur, ſicut membra capiti: ſed actio capitis deriuatur ad omnia membra: ergo & meritũ Chriſti, quod eſt actio, & influxus gratiæ ipſius debet ad eius membra deriuari.

Circa has concluſiones quatuor examinari ſolent à Theologis.

Primum quidem pertinẽs ad quæſtionem: An eſt? Et quid eſt?

Secundum pertinens ad circunſtantiam temporis: nimirum ex quo tempore Chriſtus inceperit mereri?

Tertium eſt, per quos actus meruerit.

Quartum eſt de præmio, quod ſibi, & nobis meruit, quæ à nobis ſingulis dubijs diſcutienda ſunt.

Dubiũ igitur primum eſt: An Chriſtus homo vere, & proprie meruerit, merito quidem valoris infiniti?

5 IN hoc dubio omnes Theologi cõueniunt in vno, & diſcriminantur in alio conueniunt, quidem in eo, quod Chriſtus viator meruerit: diſcriminantur autem circa valorem meritorum ipſius in duas ſententias: quarum prima negat huiuſmodi valorem fuiſſe infinitum, quam tuentur diſcipuli Scoti cum ſuo Authore in 3. diſtinctio. 18. & in 4. diſtinctio. 16. quæſtio. vnica & Gabriele ibidẽ art. 1. & 2. eamque ſuadent tripliciter.

Expenditur ſtatus quæſtionis, & in quo omnes conueniunt.

Primo, quia meritum cui correſpondet præmium finitum, non poteſt, non eſ-

ſe

ſa finiti valoris, ſed premium correſpondeas merito Chriſti fuit finitum: eo quod fuit gloria corporis propria, & exaltatio proprij nominis, quę proculdubio ſunt, quid finitum. Imo pręmium infinitum eſt impoſsibile, ſicut impoſsibile eſt infinitũ phyſicum chategorematice extra Deum: Chriſtus autem non ordinauit merita ſua ad id, quod erat impoſsibile: ergo.

Conſequentia eſt nota, & maior probatur, qui pręmium comparatur ad meritũ de condigno: tanquam effectus ad cauſam: cuius proinde virtuti, & efficatiæ debet commenſari: ergo ſi effectus finitus eſt arguit finitam virtutem, & efficatiam in cauſa: ac per conſequens in cauſa morali, cuiuſ modi eſt meritum, finitum valorem.

Secundo quia ex principijs proximis finitis non poteſt infinitus effectus prouenire: vtpote cum principia finitæ virtutis infinitatem in illum transfundere non poſsint, quia nullum agens dat, quod in ſe aut in ſua virtute non præhabet; ſed meritum Chriſti domini eſt effectus proueniẽs à principijs proximis finitis: nimirũ à potentijs intellectus, & voluntatis, & à gratia, & charitate, atque alijs virtutibus, eleuantibus prædictas potẽtias animæ, quæ ſunt finitę virtutis in actu, etiam cathegorematicè, ſicut & finitæ entitatis: ergo.

Tertio, quia meritum innitens extrinſicę acceptationi remunerantis, nõ poteſt eſſe infiniti valoris intrinſicè, imo neque habere intrinſecam condignitatem, ſed meritum Chriſti innitebatur extrinſicæ acceptationi Dei: ergo.

Minor patet, quia innitebatur pacto, & promiſsioni, quam Deus cum illo inniuit, iuxta illud Pſal. 2. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, &c.* & Iſaiæ 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuã videbit ſemen longęuum,* & iterum. *pro eo quod laborauit anima eius, videbit, & ſaturabitur,* &c. idem autem eſt meritum dependere à pacto, & promiſione, atque inniti extrinſicę acceptationi: ergo.

Secunda ſententia affirmans eſt, quam defendunt diſcipuli D. Tho. cum ſuo Authore in 3. diſtin. 18. quæſt. 1. vt Capręolus, & Paludan. ibidem Ferrarien. 4. contra gen. cap. 55. & in art. 3. huius quęſtio. Medin. q. 1. & 3. Suar. diſp. 39. ſect. 1. Cabrera diſp. 1. & 6. Vazq. diſp. 74. cap. 1. & Lorca diſp 71 diſp. 42, & 43.

Pro cuius ſententiæ declaratione dico primo, Chriſtus dominus in ſtatu viæ verè, & propriè ſuis actibus meruit.

Hæc concluſio ab omnibus Theologis defenditur cũ Magiſtro, & D. Tho. in locis pręalegatis, tãquam dogma fidei, & probatur primo ex Concilio Triden. Seſsio. 6. cap. 7. determinante Chriſtũ dominum fuiſſe cauſam meritoriam noſtræ iuſtificationis, idem autem eſt fuiſſe cauſam meritoriam noſtræ iuſtificationis, atque illam ſuis meritis obtinuiſſe: ergo.

Secundo probatur ex conditionibus ad meritum requiſitis, quas ex materia de merito, 1. 2. q. vltim. art. 2. & 3. conſtat eſſe quatuor: nimirum quod ſit actio libera, bona ex obiecto, & omnibus circunſtantijs hominis grati, & viatoris, & relata formaliter, vel virtualiter in finem ſupernaturalem: atque (vt multis probabiliter placet) cum interuentione pacti, ſeu promiſsionis premij ſub conditione operis exhibendi. Sed de fide eſt omnibus his conditionibus gaudere operationes humanas Chriſti domini: ergo. Maior ſupponitur, & minor oſtenditur, ex locis ſacræ Scripturæ: de libertate enim conſtat, ex ſuperius dictis, queſt præcedẽti: de bonitate autem, & gratitudine, atque de relatione in finem ſupernaturalem, conſtat ex illo ad Philipen. 2. *Humiliauit ſemetipſum factus obediẽs, &c. propter quod & Deus exaltauit illũ,* & Ioa. 8. *Ego quæ placita ſunt ei facio ſemper,* & iterũ, *ego non quæro gloriam meam,* quaſi diceret *Omnia quæ facio refero in gloriã Dei,* & cap. 14. vt cognoſcat mundus quia diligo Patrem, ſicut mandatum dedit mihi Pater ſic facio.

Deinde de ſtatu viatoris conſtat ex illo Ieremiæ 14. *Quare vt peregrinus futurus es ſuper terram, & quaſi viator ad manendũ,* & tandem de pacto, ſeu promiſione cõſtat ex teſtimonijs adductis Pſ. 2. & Eſa. 53.

Tertio probatur ex congruentia, qua vtitur D. Tho. in ar. 3. huius q. & q. 29. de veritate ar. 6. nimirum, quia dignitas quæ reperitur in alijs ſanctis obtinẽdi proprijs meritis aliqua dona ſupernaturalia non debuit deficere Chriſto.

6 Dico ſecundo, meritum Chriſti licet in eſſe phyſico fuerit finitum, tamen in eſſe moris, & meriti fuit infinitum in actu, & ſimpliciter.

Fuiſſe Chriſti viatoris meritum infiniti valoris deffenditur contra Scotum.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Authores primæ ſententiæ, & probatur omnibus argumentis quibus ſupra quæſtion. 1. articul. 2. aduerſus eoſdem Scotiſtas oſtendimus ſatisfactionem Chriſti in

eſſe moris eſſe infinitam in actu, & ſimpliciter: eandem namque vim habent ad probandam infinitatem eiuſdem in eſſe meriti: eo quod vtrobique eadem ratio, ſiue cauſa eſt, quę refundit infinitatem: nimirum infinita dignitas perſonæ operantis, quæ omnia confirmantur, dupliciter.

Primo, quia teſte D. Tho. infra quæſtio. 48. art. 1. paſsio Chriſti non ſolum operata eſt noſtram ſalutem per modum ſatisfactionis: ſed etiam per modum meriti condigni: ac proinde exequantis debitum, ſed ſi eſſet citra infinitum, non poſſet exequare debitum, quod eſt remiſio ofenſæ generis humani, in qua inuoluitur infinita grauitas ſimpliciter, vt in eodem art. 2. oſtendimus: ergo meritum Chriſti non potuit non eſſe infinitæ dignitatis moralis, licet ſecundum entitatem phyſicam actus, verbi gratia; amoris vel obedientiæ fuerit finitum.

Secundo, namquanto perſona offerẽs ſe ipſam in obſequium alterius eſt dignior, tanto illius meritum creſcit in dignitate. Sed Chriſtus in actibus quibus merebatur apud Deum, offerebat ſuam perſonam infinite dignam: ergo & eius meritum erat infinitum.

Minor patet: nam Chriſtus merebatur actibus humilitatis, & obedientiæ, & charitatis, quibus ſe ipſum ſubijciebat, & offerebat Deo: iuxta illud ad Philipenſ. 2 *Humiliauit ſemetipſum factus obediẽs, &c.* & ad Epheſios 5. *Tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorẽ ſuauitatis.*

Maior autem probatur, quia cum meritum ſit opus exhibitum in obſequium alterius à perſona illi grata: eo meritum eſt magis dignum, & gratum, quo perſona oferens illud fuerit gratior, & quo obſequium oblatum fuerit maioris pretij, & æſtimationis, ſed perſona Chriſti eſt infinite grata Deo, non quidẽ ratione gratiæ habitualis quæ finita eſt in Chriſto ſimpliciter, ſed ratione gratiæ perſonalis, quæ eſt ſanctitas increata, & infinita ſimpliciter.

Similiter dum ipſemet Chriſtus eſt materia oblata, ſit præcium, & obſequium infinitæ exiſtimabilitatis, quia precium, & obſequium quantificatur, ex quãtitate rei oblatæ, vt inductione in humanis donationibus, & contractibus probari poteſt.

Neque hinc ſequitur, quod operans actum virtutis, cum maiori gratia habituali, ſemper magis mereatur, niſi o peretur, & offerat ſe ipſũ Deo, ſecundum totam gratiæ latitudinẽ, & intenſionem, vt in allegato loco oſtendimus.

Neque rurſus licet colligere nos confundere meritum cum ſatisfactione, quia licet vtriuſque dignitas, ſeu valor creſcat ex dignitate perſonæ operantis, & rei oblatæ, neque in hoc ſit diſcrimen: tamẽ aliũde diſcriminantur: nimirum, quia meritum reſpicit per ſe, & formaliter remunerationem, & exhibetur Deo, vt remuneratori: ſatisfactio autem reſpicit offẽſam, & exhibetur Deo vt ofenſo.

Ad primum neganda eſt maior, quia licet meritum ſit infinitum, non oportet, quod præmium ei correſpondens ſit pariter infinitum, propterea quod impoſsibile eſt fieri à Deo præmium infinitum in actu vnde ſicut cauſa equiuoca, quia ſuperioris ordinis eſt, non adequat ſibi effectum, ita neque meritum Chriſti, quia ſuperioris ordinis eſt debuit, aut potuit ſibi præmium adæquare.

Ad ſecundum, nego minorem ad cuius probationem reſpondetur, quod ſolum probat, quod meritum Chriſti ſit finitum, quoad entitatem phyſicã actus, & quoad moralitatem virtutis ex obiecto, quia ſic prouenit à principijs finitis: ſecus autem quoad moralitatem perſonalem: nã quoad iſtã immediate prouenit à perſona, per modum cuiuſdam naturalis reſultantię.

Ad tertium nego maiorem, & illa admiſſa, nego minorem, quia ſicut interuentio pacti, & promiſionis non obſtat infinitati ſatisfactionis in Chriſto: ita neque obſtat infinitati meriti. Imo neque apud homines conuentio, & promiſsio derogat æqualitati, & condignitati operis: cui tamen derogat extrinſeca operis acceptatio: vt potè ſuplens defectum alicuius valoris in ipſo.

(†)

Dubium

Dubium ſecundum eſt: Ex quo tempore Chriſtus actus meritorios exercuerit?

7 IN hoc dubio, communiter aſſignant Theologi tempus merendi in Chriſto fuiſſe ab inſtanti cõceptionis vſque ad mortem, hoc eſt, vſque ad primum non eſſe vitæ ipſius excluſiue, quam ſententiam vnanimiter defẽdunt cum Magiſtro in 3. diſtinct. 18. & cum D. Thom. in hoc art. 3. & infra q. 34. art. 3. & q. 50. art. 6, inter quos videndi ſunt Medina dict. artic. 3. q. 4. Cabrera diſput. 2. Aluarez diſput. 44. Suarius vbi ſupra ſectio. 3. Vazquius diſp. 75. per totam Lorca diſp. 75. & Ranguſſa diſp. 5. ex antiquioribus autem Bonauentura, Durandus, Paludan. Alenſis, & Gabriel in dict. diſtin. 18.

Meruit Xpus à primo inſtãti cõceptionis, vſq; ad inſtãs ſeparationis animæ à corpore excluſiue.

Pro cuius ſententiæ declaratione dico primo: Chriſtus incepit mereri à primo inſtanti ſuæ conceptionis. Hæc concluſio probatur ratione, qua vtitur D. Thom. in dict. quæſt. 34. art. 3. ſub hac forma: Chriſtus in primo inſtanti ſuæ cõceptionis ſanctificatus fuit more adultorum, hoc eſt mediante proprio motu liberi arbitrij diſponente ad gratiã: quia iſte modus ſanctificationis eſt perfectior, quã modus ſanctificationis infantiũ ſine proprio motu liberi arbitrij: ac proinde Xpo capiti, & aliorũ ſanctificatori deeſſe non debuit; ſed huiuſmodi motus liberi arbitrij in Deum eſt meritorius præmij ſupernaturalis prout informatur gratia, teſte D. Thom. 1. 2. quæſtio. 112. art. 2. ad 1. ergo & in Chriſto etiam fuit meritorius.

Conſequentia patet, quia ſicut in Angelis, & Adamo proprius motus liberi arbitrij in Deũ fuit vltima diſpoſitio ad gratiã, vt eã antecedebat in genere cauſæ materialis, & prout ea informabatur fuit meritorius primæ gloriæ, habuitque omnes conditiones ad meritum requiſitas: ita in Chriſto non eſt, cur nõ fuerit meritorius, aut cur non habuit omnes conditiones meriti, non quidem reſpectu primæ gloriæ eſſentialis: vtpotè quã habebat anima Chriſti ab inſtanti primo aſſumptionis, iuxta illud Pſalm. 64. *Beatus quẽ elegiſti, & aſſumpſiſti, &c.* ſed reſpectu gloriæ corporis nondum habitæ pro tunc.

Dico ſecundo, huiuſmodi meritum durauit, & fuit veluti continuatum vſque ad inſtans ſeparationis animæ à corpore excluſiue. Hæc concluſio non eſt intelligenda de continuatione vnius, & eiuſdẽ operis meritorij, quaſi numquam ab vno, & eodem opere meritorio ceſſauerit anima Chriſti: quia licet id verum habuerit in amore beatifico: tamen quia non eſt certum apud omnes per illum actum meruiſſe, aut illum fuiſſe indeffectibilem, prout meritorius erat, ideò non dependet ab iſto ſenſu veritas noſtræ concluſionis, quæ ab omnibus admittitur. Sed intelligenda eſt de continuatione ex parte temporis: ita vt in nullo momento, aut inſtanti temporis ceſſauerit anima Chriſti ab vno, aut altero actu meritorio.

Et in hoc ſenſu probatur concluſio, quia conueniens fuit animam Chriſti toto tempore vitæ mortalis exercuiſſe ſucceſsiuè, & abſque interruptione plura opera meritoria: ergo hoc non eſt ei negandum. Antecedens patet: tum ex illo Ioannis 9. *Me oportet operari opera eius, qui miſit me donec dies eſt.*

Tum etiam, quia tale ocium in Chriſto, quo ſuſpenderet omnem actum meritorium pro aliqua mora temporis eſſet indecens eius ſcientiæ, ac gratiæ plenitudinem: ergo.

Sed hinc oritur triplex difficultas: prima eſt, quo pacto meruerit Chriſt[9] per opera, ab ipſo facta antecedenter, ad paſsionem: ſiquidem quæcumque meruit, ſiue corporis gloriam, ſiue nominis exaltationẽ: vnico merito ſuæ paſsionis promeruit.

Secunda eſt, an per ipſam mortem, & in ipſo mortis inſtanti promeruerit?

Tertia eſt: an ſimiliter promeruerit per vulnus lateris, quod eius corpori iam emortuo fuit inflictum?

Ad primam ratio dubitandi eſt, quod vnica & totalis ratio merendi in Chriſto videtur fuiſſe eius paſsio: vtpotè cui attribuuntur omnia quæ Chriſtus promeruit, de gloria namque corporis dicitur Lucæ 24. *Oportuit Chriſtum pati, & ſic intrare in gloriam ſuam*, & Auguſtin. tractat. 104. in Ioannem ait: *Quod humilitas paſsionis meri-*

tum eſt gloria reſurrectionis. Similiter de exaltatione nominis, dicitur ad Philip. 2. *Humiliauit ſemetipſum factus obediens propter quod & Deus exaltauit illũ, &c.* & tandem de redemptione noſtra, dicitur Eſaiæ 53. *Si poſuerit animam ſuam videbit ſemem longæuum*, vbi eius paſsioni promittitur, tamquam præmium humana redemptio: ergo alijs actibus elicitis ante paſsionem nihil promeruit.

Conſequentia patet, quia nullum eſt præmium illis correſpondens: meritum autem non eſt, niſi reſpectu proprij, pręmij ſibi correſpondentis.

Cũctaque eius merita idem præmium promeruerũt.

8 Sed nihilominus reſpondetur, quod omnia merita Chriſti à primo vſque ad vltimum idem omnino præmium tam glorię corporis, & exaltationis ipſius, quã redemptionis noſtræ promeruerunt, quia omnia & ſingula fuerunt digna talis præmij: vtpote infiniti valoris, & alias oblata fuerũt à Chriſto pro tali præmio: acproinde ſingula fuerunt, quoad ſufficientiã meritoria illius; ſed quia quoad efficatiam, & cum effectu non fuerũt meritoria talis pręmij, niſi vt conſumanda per paſsionem, & mortem, ideò ſpecialiter tribuitur huiuſmodi præmium paſsioni, & morti quaſi vltimo complemento, ſine quo talia merita ſuum effectum non ſortirentur.

Vnde ſingulis meritis correſpondet idem præmiũ noſtræ redemptionis, & exaltationis Chriſti, & omnibus collectiuè ſumptis, & paſsioni, atque morti, diuerſimode tamen: nam ſingulis diuiſsiuè correſpondet, vt cauſis totalibus moralibus, quoad ſufficientiam, quia quodlibet eorum ſeorſim erat ſufficiens ad promerendum noſtram redemptionem, & Chriſti exaltationem: omnibus autem collectiuè ſumptis correſpondet, vt pluribus cauſis partialibus moralibus, quoad efficatiam, & cum effectu: paſsioni denique, ſiue morti correſpondet, vt vltimo complemento, à quo cætera merita ex diuina ordinatione habent efficatiã: ex quo patet ad rationem dubitandi.

Ad ſecundam difficultatem ratio dubitandi eſt, quia mors fit per primum non eſſe hominis, acproinde in inſtanti mortis Chriſti: iam non erat homo: acproinde mereri nõ poterat. Sed nihilominus eiusmorti tribuitur noſtra redemptio, vt cauſæ meritoriæ, & vt conſumationi præcedentiũ meritorum, vt dicitur ad Hæbreos ſecundo: *Authorẽ ſalutis eorum per paſsionem conſumari*, & in eodem ſenſu dicitur 1. Petri 3. *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt*, & Auguſtin. lib. 4. de Trinit. capit. 3. inquit: *Vna mors noſtri ſaluatoris, duabus mortibus noſtris, ideſt animæ, & corporis ſaluti fuit*: ergo per ipſam mortem incluſiuè videtur meruiſe, quod aduerſatur primæ concluſioni.

Neque tamen per mortem in facto eſſe promeruit.

Nihilominus dicendum eſt, cum D. Thom. infra quæſt. 48. art. 6. Chriſtũ quidem meruiſſe per ſuam mortem in fieri, quę eſt eius paſsio, non autem per mortem in facto eſſe, quæ vt ſic meritoria eſſe nõ poteſt: eo quod conſiſtit in ſeparatione animæ à corpore, & includit ipſum non eſſe hominis, atquè animam conſtituit extra ſtatum viæ, quæ omnia deſtruunt conditiones ad meritum requiſitas: igitur per mortem formaliter Chriſtus mereri nõ poteſt. Verumtamen potuit aliquid efficere, circa noſtram ſalutem, in quantum ſcilicet diuinitas mãſit vnita corpori Chriſti poſt animæ ſeparationem, & ideo propter virtutem diuinitatis manſit illud corpus nobis ſalutiferum: acproinde potens cauſare in nobis, vt inſtrumẽtũ diuinitatis aliquẽ effectũ, qualis eſt deſtructio mortis animæ & corporis, iuxta illud 1. ad Cor. 15. *Abſorta eſt mors in victoria*, & quod canit Eccleſia infra octauã reſurrectionis *qui mortẽ noſtrã moriẽdo deſtruxit, & vitã reſurgẽdo reparauit*; neque amplius conuincit ratio dubitandi.

Ad tertiam difficultatem duplex eſt modus dicendi Theologorum: alij enim de quorum numero eſt Ranguſſa in disput. 5. fatetur vulnus lateris in ſe fuiſſe meritorium, & Chriſtus per illud formaliter meruiſſe propterea duo.

Tum quia Chriſtus meruit per paſsionem formaliter, vt dictum eſt, ſed vulnus lateris pertinet ad conſummationem paſsionis: ergo.

Tũ etiã, quia habuit ſuficiẽter cõditionẽ voluntarij, & liberi ad meritum requiſitã, fuit enim voluntariũ obiectiuè: nimirum obiectum preuiſſum, & volitum à Chriſto ante mortem, aut etiam volitum in ſua cauſa, quod genus voluntarji ſufficit ad meritum, ſicut, & ſufficit ad imputationẽ peccati in alijs hominibus: ergo.

Neque per vulnus lateri infixum.

Alij vero de quorum numero ſunt Medina vbi ſupra queſt. 4. Cabrera diſput. 2. Suarius ſectio. 3. Vazquez diſput. 76. & Lorca diſputat. 74. negant Chriſtum poſt mortem meruiſſe, ac per conſequẽs per vul-

nus

nus lateri inflictum, quæ ſententia, tamquam vera & Diu. Thom. conformis indubitate eſt tenenda, ſed eam probat Vazquius inefficaci ratione: nimirũ quia Chiſtus per acta redentione iam deinceps, neque erat in cœlo, neque aliquid pro nobis ofert, vt ex profeſſo oſtendit, idem Author diſputat. 82. cap. 3. ad meritum autem pro alio requiritur oratio, aut oblatio pro illo: ergo Chriſtus poſt mortem nullatenus meruit pro nobis. Hanc inquam rationem inefficacem eſſe, & falſo innitti fundamento conſtabit ex dicendis, quæſt. 21. ſequenti, vbi ex communi ſententia Patrum, atque D. Thom. oſtendemus Chriſtum etiam poſt reſurrectionem in cœlo verè pro nobis interpellare.

Quare illa reiecta, probatur alia ratione, quia nimirum poſt mortem non ſaluatur in Chriſto humana libertas ad meritũ requiſita: eo quod per ſeparationem animæ à corpore non manſit incorpore humana voluntas, quæ eliceret, vel imperaret illos actus, circa corpus exercitos: nimirũ recectionis vulneris, ſepulturæ, aut reſurreptionis, neque etiam manſit ſtatus viæ, qui per mortem finitur, ſed ad meritum requiritur, quod ſit actus liber, à voluntate viatoris elicitus, vel imperatus: ergo.

Neque ſufficit præcedens voluntas, qua Chriſtus dum viueret præuidens futuram mortem, & vulnus lateri infligendũ, illa acceptauit: quoniam reſpectu talis voluntatis acceptãtis, mors, & vulnus habuerunt ſe per modum obiecti extrinſici terminantis, & non per modum actus eliciti, vel imperati: primum autem non ſufficit ad hoc, vt tale obiectũ in ſe ipſo ſit meritorium, benè tamen, vt actus ille antecedens voluntatis acceptantis ſit meritorius: alioquin etiam Chriſtus meruiſſet per ſepulturam, quam ante mortem præuidit, & acceptauit, meruiſſet quoque formaliter per reſurrectionem, quam ante mortem orando petijt à patre, iuxta illud Pſal. 40. *Tu autẽ Domine miſerere mei, & reſuscita me*, quod tamen neque ab aduerſarijs admittitur: ergo neque admittendum eſt Chriſtum meruiſſe formaliter per ipſam mortem in facto eſſe, aut per vulnus lateris.

9 Ex que patet ad fundamentum aduerſariorum. Ad cuius primam partem admiſſa maiori diſtinguenda eſt minor, nimirum, quod vulnus lateræ pertinuit ad conſummationem paſsionis in ratione ſacriſicij, & redemptionis, atque inſtrumenti, ſeu medij operantis ad humanam ſalutem in virtute diuinitatis: ſecus autem in ratione meriti ob deffectũ libertatis. Ex quo infero aduerſus Lorca, vbi ſupra, quod neq; pertinuit ad conſummationem paſsionis in ratione ſatisfactionis formaliter: eo quod nõ minus ad ſatisfactionem, quam ad meritum requiritur conditio libertatis.

Ad ſecundam partem reſpondetur negando antecedens, ad cuius probationem neganda eſt minor, quia licet illud genus voluntarij obiectiuè ſit ſufficiens ad ſaluãdum meritum, ſiue de meritum in actu voluntatis acceptantis, vel reſpuentis antecedenter tale obiectum: ſecus autem in ipſo obiecto ſic acceptato, vel refutato.

Dubium tertium eſt: Per quos actus Chriſtus viator meruerit?

10 IN hoc dubio tres verſantur ſententiæ. Prima aſſerit Chriſtũ tantũ meruiſſe per opera cadẽtia ſub conſilio, & non per illa opera virtutum, quæ erãt præcepta: ita tenet Abulenſis in cap. 25 Matthæi quæſt. 166. Dum ait propterea beatos mereri non poſſe, quia non poſſunt peccare: ac proinde neque Chriſtus in operibus virtutũ cadẽtibus ſub præcepto mereri potuit, quia impeccabiſis erat, ac per conſequens in huiuſmodi operibus indefectibilis.

Et Lorca diſputatio. 73. quatenus ait Chriſtum meruiſſe in opere redemptionis, quia non habuit præceptum redimendi genus humanum, nec moriendi pro illo, cuius ſententiæ prius fuiſſe Victor. refert Medina hic quæſt. 47. ar. 2. quæ ſententia ſuadetur ab his authoribus: quia ad meritum requiritur conditio libertatis, vt dictum eſt. Sed hæc non ſaluatur in actibus præceptis reſpectu ſubiecti impeccabilis, cuiuſmodi fuit Chriſtus: ergo non potuit in huiuſmodi actibus mereri.

Minor patet, quia libertas ad actum cadentem ſub præcepto petit indifferentiã contrarietatis, & non ſolum contradictionis, ſeu quoad exercitium, quia petit indifferentiam ad bonum, & ad malum, hoc eſt, ad obſeruationem præcepti, quæ eſt

bona, & ad eius tranſgreſsionem, quæ eſt moraliter mala: vtpotè prohibita, ſed Chriſtus: vtpotè impeccabilis hanc indifferentiam non habebat, ſiquidem non erat indifferens ad malum morale, quod eſt peccatum; alioquin poſſet peccare, quod eius deſtruit impeccabilitatem: ergo circa actus cadentes ſub præcepto non habuit debitam libertatem ad merendum. Ex hoc autem principio, ſimul atque ex alio, quod videtur colligi ex ſacra Scriptura: nimirum quod Chriſtus in opere redemptionis, atque in acceptanda morte meruerit, colligit Lorca Chriſto non fuiſſe impoſitum præceptum moriendi, aut redimendi genus humanũ. Idque ſibi perſuadet tripliciter, tum ex teſtimonijs quorumdam ſanctorum Patrum, nec non Diu. Tho. Ioannis 14. lectio. 8. ſiniſtre intellectis.

Tum etiam a ſimili, quia Chriſtus vt homo non emiſit votum, neque ei conueniebat facere aliquod opus virtutis ex voto, quia teſte D. Thom. 2. 2. quæſt. 88. ar. 4. ad 3. eius humana voluntas, erat affirmata in bono, votum autem ordinatur ad firmandum in bono voluntatem, alias deffectibilem: ergo eadem ratione, neque ei expediebat facere opus redemptionis ex præcepto.

Tum denique, quia teſtimonia Scripturæ, quæ videtur innuere huiuſmodi præceptum Chriſto impoſitum, non vrgent, quia conuenienter explicari poſſunt de ſimplici mandato, & beneplacito Patris: vt eſt illud Ioannis 10. *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam, & hoc mandatum accepi à Patre meo*, & cap 14. *Vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater ſic facio: ſurgite eamus hinc.* Scilicet ad locum Paſsionis. Hæc inquam poſſunt explicari de ſimplici mandato, & beneplacito Patris, iuxta illud Pſalm. 39. *Vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui*, & Matth. 26. *Si non poteſt tranſire à me calix iſte, niſi bibam illũ, fiat voluntas tua*, vbi hoc mandatum moriendi appellat Chriſtus nõ præceptum, ſed voluntatem Patris, quaſi fuerit quodam ſimplex beneplacitum voluntatis Patris: ergo.

11. Secunda ſententia eſt Vazquij diſputat. 74. cap. 3. & 4. & Puteani hic dubitatione 2. aſſerentium Chriſtum meruiſſe per omnia opera virtutum, tam conſilij, quã præcepta: excepto actu dilectionis Dei. Primum probat Vazquius à capite 5. vſque ad 8. quia in omnibus actibus virtutum Chriſti Domini etiam cadentibus ſub præcepto fuit libertas ad meritum requiſita eòquod talis libertas, neque lędebatur per præceptum, quia hoc non obligabat ad actum in ſingulari, neque ad circunſtantiam finis, aut tantæ intenſionis, ſed tantum obligabat Chriſtum ſicut & cæteros homines, vt adimpleret præceptum affirmatiuum, v. g. vno, aut altero actu vagè, & ex finis intentione, atque actus intenſione, quam voluiſſet: neque lędebatur per decretum prædiffiniens quia Deus non prædeffiniuit ſingula opera Chriſti in ſeipſis ante præuiſum eius cõſenſum: ergo ex defectu libertatis non defuit meritum in huiuſmodi operibus Chriſti.

Secundum verò ſuadet tripliciter. Primo, quia Chriſtus vt homo non habuit aliam dilectionem Dei niſi beatificã, & regulatã à ſcientia beata, ſed hęc non potuit eſſe meritoria: ergo. Minor patet, quia actus amoris beatifici eſt neceſſarius & expers illius libertatis, quæ ad meritũ deſideratur.

Maior autem probatur, quia per ſcientiam infuſam anima Chriſti non cognouit diuinam eſſentiam, nec myſterium Trinitatis, vt habet Diuus Thomas ſupra quęſt. 11. art. 1. & ipſe Vazquius ibidem oſtenderat diſputat. 53, cap. 1. ergo nullus actus dilectionis Dei potuit in anima Chriſti ab huiuſmodi ſcientia infuſſa regulari: ac perconſequens ſola dilectio Dei beatifica, quæ à ſcientia beata regulatur, potuit in anima Chriſti reperiri.

Secundo, quia adhuc admiſſo ſcientiam infuſam attingere diuinam eſſentiã: non potuerunt duo actus amoris Dei eſſe in anima Chriſti: ergo tantum fuit actus amoris beatifici qui meritorius eſſe non potuit.

Antecedens patet, quia amor non ad cognitionem ipſam, ſed ad bonitatem, licet ſuppoſita cognitione terminatur; eadem autem diuina bonitas tunc per duplicem ſcientiam, hoc eſt beatam, & infuſam repræſentaretur: & eiuſdem bonitatis vnicus tantum amor eſſe poteſt: ergo tunc tantum eſſet vnus amor Dei in Chriſto, licet à duplici ſcientia, ſeu cognitione regulatus.

Si dicas hunc amorem ſecundum

bas

has diuerſas rationes, & regulas eſſe beatificum, & viatoris, hoc eſt quatenus regulatus à ſcientia beata eſſe beatificum, & meritorium, ſed quatenus regulatum à ſcientia infuſa pertinere ad ſtatum viæ, & eſſe viatoris: ac proinde meritorium.

Contra hoc arguitur tertio, quia implicat eumdem actum eſſe ſimul liberum, & neceſſarium: eo quod iſtæ conditiones libertatis, & neceſsitatis, indifferentiæ, & determinationis mutuo ſe excludunt ab eodem ſubiecto: ac proinde ſunt incomparibiles in eumdum actũ: vtpote cum vna intrinſece cõnotet negationem alterius: determinatio enim dicit negationem indifferentiæ, & neceſsitas libertatis: ergo pariter implicat eumdem numero actum ſimul eſſe meritorium, & non meritorium quamtumuis in illo diuerſæ rationes; & regulæ conſiderantur.

12 Tertia ſententia aſſerit Chriſtũ viatorem per omnes, & quoſcumque actus virtutũ, tam ſub conſilio; quã ſub præcepto cadentes meruiſſe, nec non per dilectionem Dei, & per actum obedientię in acceptanda morte ex pręcepto. Hanc communiter defendunt Scolaſtici, cum Magiſtro in 3. diſtin. 18. vt Capręolus, quæſt. vnica art. 3. Gabriel quæſt. vnica concl 2. Albertus, Marſilius, Alẽſis, Bonauentura. Argentinas, Durandus, & Paludanus, ibidem, & Altiſiodorenſis, libr. 3. ſummæ tractatu 1. cap. 7. & Diu. Thomas in eadem diſtin. 3. art. 2. & artic. 5. & quæſt. 29. de veritate art. 6. & art. 3. huius quæſtionis eamdem tenet expreſsè ſententiam, cum quo ſentiunt omnes eius diſcipuli, vt Ferrar. 3. contra gentes, cap. 62. Soto lib. 3. de natura, & gratia capit. 7. Medina in hoc artic 3. quæſtio. 2. Syluius ibidem, Aluarez diſputatio. 45. Cabrera diſputatio. 4. & 5. Nazarius controuerſia vnica. Suarius diſputation. 39. ſection. 2. & Ranguſſa in eodem artic. 3. huius quæſtionis. diſputatione. 1. §. 5. & Vincentius quæſt. 5. de gratia Chriſti. Qui tamen Authores, vt explicent qualiter in actu amoris Dei, nec nõ in acceptatione mortis cadentis ſub præcepto fuerit meritum, in plures modos dicendi diuiduntur, quos congruentius in duabus poſterioribus concluſionibus, ſimul refutando expendemus.

Vnde pro veritatis declaratione dico primo, Chriſtus viator meruit per omnes actus virtutũ, ſiue elicitos, ſiue imperatos, ſiue cadẽtes ſub cõſilio ſiue impletiuos præceptorũ quorumcumque, tam eorum quæ ſunt affirmatiua, quam quæ ſunt negatiua.

13 Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Authores primæ ſententiæ, & prę terquam quod eſt Diu. Thom. in locis citatis, ex 3. diſtin. 18. expreſse dicentis: Chriſtum viatorem meruiſſe in omnibus actibus ſuis: probatur ex conditionibus ad meritum ſufficientibus; & requiſitis, quarum nulla defuit in huiuſmodi actibus, tam conſilij, quam præcepti: omnes enim huiuſmodi actus fuerunt boni ex obiecto, & circunſtantijs, liberi ſaltem per indifferentiam quoad exercicium, & relati in obſequium Dei, à ſubiecto grato & viatore, cum interuentione pacti; ſeu promiſsionis premij: ergo omnes fuerunt meritorij. Antecedens pro prima parte hoc eſt quantum ad opera conſilij eſt notum, atque ab aduerſarijs admiſſum: pro ſecũda vero parte, hoc eſt quantũ ad opera præcepta, etiam eſt certum in illis fuiſſe dictas conditiones, excepta conditione libertatis, de qua eſt maior difficultas, ſed neque hanc defuiſſe huiuſmodi operibus præceptis, probatur tripliciter.

Præfertur ſententia Thomiſtarum Chriſtum meruiſſe per actus præceptos contra Abulẽſem, & Lorcam

Tum quia etiam reſpectu huiuſmodi operum procedit congruentia adducta à D. Thoma; quia nimirum hæc excellentia, ſcilicet obtinendi præmium per opera præcepta fuit in alijs ſanctis: ergo non eſt Chriſto deneganda.

Tum etiam, quia dum Chriſtus præcepta obſeruabat affirmatiua verbi gratia; quando feſta colebat, aut proximos, & inimicos diligebat: aut parentibus pietatis debitum cultum exhibebat; de quo propterea dicitur Lucæ 2. *Quod erat ſubditus illis*, ſimiliter quando aliquo affectu poſitiuo præcepta negatiua decalogi obſeruabat: nimirum non occidendi, vel nõ deierandi (alioquim in ſola obſeruantia horum præceptorum, quæ fit ſine vllo actu poſitiuo fateor nullum meritum reperiri) habebat voluntas humana Chriſti indifferentiam exercicij, qua indifferens erat ad talis actus exercicium, & negationem, ſeu ſuſpenſionem ex proprio, & naturali ſuo modo operandi circa huiuſmodi obiectum, ſicut & voluntas noſtra; quemmodum nec tollit nec tolebat præceptum, quod cum extrinſecum

ſit;

ſit, modum proprium operandi voluntatis humanæ cum indifferentia exercicij variare, aut immutare non poteſt: neque impeccabilitatis procedens ab hypoſtatyca vnione, quia hæc licet tollat indifferentiam ſpecificationis, & contrarietatis, quoad bonum, & malum, non tamen tollit indifferentiã, quoad exerciciũ actus, quę eſt ſufficiens ad merendum: ergo.

Tũ denique quia ratio, ob quam beati mereri non poſſunt, non eſt ſola impeccabilitas; ſed quia ſunt in termino, & extra ſtatum vię: Angeli enim dum erant viatores, in primo inſtanti fuerunt impeccabiles, ſecundum ſententiam, D. Thomę 1. part. quæſt. 62. art. 5. & tamen potuerunt mereri, & de facto omnes pro illo inſtanti primo meruerunt, vt ibidem cum communi ſententia Theologorum oſtendimus: ergo cum Chriſtus fuerit viator ſecundum partem inferiorem, non obſtat eius impeccabilitas quo minus mereri potuiſſet.

Nec nõ per actum amoris Dei meruit, cõtra Vazquiũ.

14 Dico ſecundo: Chriſtus etiã meruit per amorem Dei beatificum, quatenus in Deo volebat creaturas, aut quatenus Deo volabat bona extrinſeca cultus, laudis, & gloriæ.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Authores ſecundæ ſentẽtię. & quoſdam ex authoribus 3. & pro prima parte probatur.

Primo quia, D. Thomas in dict. diſtin. art. 2. ad 2. & artic. citato de veritate ad 6. expreſsè ait: Chriſtum meruiſſe per actum dilectionis Dei, & in art. 3. huius quæſtionis in ſolutione ad primum ſubdit, quod meruit per charitatem, non in quantum erat charitas comprehenſoris, ſed inquantum erat viatoris, nam ſimul fuit viator, & comprehenſor: ergo.

Secundo, quia charitas teſte eodem D. Thom. 12. queſt. vlt. art. 4. eſt principium, & radix merendi, vt eſt amor vltimi finis, eſt autem vltimi finis prout terminatur ad Deũ: ergo eſt præcipue principium merendi, prout eſt amor Dei: ac proinde meritum pręcipue conſiſtit in actu charitatis prout terminatur ad Deũ.

Tunc vltra: ſed id quod eſt primum in vnoquoque genere eſt cauſa cæterorum, ſine quo cętera illius generis ſaluari non poſſunt: ergo cum Chriſtus meruerit in actibus aliarum virtutum, vt admittunt Authores ſecundę ſententiæ, à fortiori debuit mereri in dilectione Dei, quę eſt principium in genere merẽdi, ſine quo proinde alia merita ſaluari non poſſunt.

Deinde pro ſecunda parte, nimirum quod iſte actus amoris Dei meritorius, fuerit idem amor beatificus à ſcientia beata regulatus, modo explicato in concluſione probatur.

Prænotando, quod Authores tertię ſententię, vt ſaluent actum dilectionis Dei in Chriſto viatore fuiſſe meritorium, vno ex quatuor modis explicant eius libertatem. Primus quidem eſt Ferrarien. Soti, Medinæ, & Suarij, & Syluij, vbi ſupra aſſerentium in voluntate humana Chriſti viatoris fuiſſe duos actus amoris Dei, alterum neceſſarium, & beatificum, qui à ſcientia beata regulabatur, & alterum proprium viatoris liberum: ac proinde meritoriũ, qui regulabatur per ſcientiam inditam: quos duos actus amoris Dei videtur innuere D. Thom. in dicta ſolutione ad primum art. 3. Dum ait Chriſtum meruiſſe non per charitatem quatenus erat comprehenſoris, ſed per charitatem in quantum erat viatoris.

15 Si autem ab his authoribus inquiras: an huiuſmodi actus ſolo numero, aut etiam ſpecie diſtinguantur: reſpõdet primo Suarius illos ſpecie diſtingui: eo quod ex obiectis habent ſufficiens principium ſpecificæ diſtinctionis: nam amor beatificus eſt Dei, vt cogniti per viſionem beatam: amor vero viatoris eſt Dei, vt cogniti per ſcientiam inditam.

Secundo reſpondet illos differre ſolo numero: & nihilominus potuiſſe eſſe ſimul in voluntate Chriſti: quia cum ſint accidentia reſpectiua poſſunt eſſe ſimul, in eodem ſubiecto, licet ſolo numero diſtinguãtur: eo quod accidentia reſpectiua, cum non ex ſolo ſubiecto, ſed etiã ex reſpectu ad extrinſecũ terminũ diſtinguantur, maxime ſuppoſito miraculo poſſunt ſuos reſpectus indiuiduales ſimul in eodem ſubiecto retinere, quam ſolutionẽ deſſumpſit ex Medina, qui etiã ſubdit huiuſmodi actus amoris Dei poſſe defendi diſtinctos ſpecie in eſſentia. propter prædictam obiecti, & cognitionis regulantis diuerſitatem: eiuſdem tamen ſpeciei in eſſe moris: proptereaquod ab eadem virtute charitatis proueniunt cum qua ſolutione coincidit prima aſſignata à Suario.

Secundus modus eſt Vincentij

aſſerentis

aſſerentis eſſe quidem eundem actum amoris Dei in voluntate Chriſti, qui provt regulatus à ſcientia beata erat omnino neceſſarius : ſed provt regulatus a ſcientia indita erat liber, & meritorius: liber inquam virtualiter, & conditionatè, eoquod ſic erat per illum actum promptus, ac diſpoſitus animus Chriſti, vt ſi Deum non videret ſcientia beatifica, illum liberè amaret, vt cognitum per ſcientiam inditam.

Tertius eſt, quem ſequitur Lorca dicens eundem fuiſſe actum dilectionis Dei in Chriſto à ſola ſcientia beata regulatum: qui erat neceſſarius quatenus Deo, vt obiecto *cui*, volebat intrinſecã bonitatem diuinam : & idem quatenus Deo volebat bona extrinſeca ſcilicet laudem, gloriam, & obedictiã à creaturis exhibitã erat liber, ac proindè meritorius.

Quartus eſt, quem ſequuntur Aluarez, Cabrera. Ranguſſa, Nazarius, & alij ex neothericis aſſerentes fuiſſe eundem actum dilectionis Dei in Chriſto à ſcientia beata regulatum, qui prout terminabatur ad diuinam bonitatẽ in ſe, erat beatificus, & omnino neceſſarius.

Sed quatenus terminabatur ad eamdem diuinam bonitatem ſecundum quoſdam liberos reſpectus ad creaturas : verbi gratia prout actu eſt principium creaturarum liberè eas producens, & conſeruans, atque prout in actu exercito eſt finis vltimus earum: necnon quatenus rationales creaturas prædeſtinat, iuſtificat & glorificat, erat liber, ac proinde meritorius: eoquod Deus vt ſic ſecũdum huiuſmodi reſpectus creantis, prædeſtinantis, iuſtificantis, & glorificantis in actu ſecundo liberè amatur à beatis: ac proindè, & à Chriſto liberè potuit vt ſic amari.

16 Ex quibus modis dicendi, contra duas priores ſtatuitur ſecũda pars noſtræ concluſionis : quæ & defendit duos poſteriores, tanquam probabiliores & inter ſe connexos : quo ſuppoſito probatur, impugnando prædictos duos priores modos dicendi. Primus nãq; deficit, quia nec vtraq; diſtinctio horũ actuũ poteſt ſuſtineri, non prima proper duo.

Tum quia alias charitatis habitus etiã diſtinguntur in Chriſto, ſiquidẽ actus, & obiecta ſpeciei diſtinguebãtur: Habitus autẽ diſtinguũtur per actus et obiecta: quod tamen neq; ab aduerſarijs admittitur: ergo.

Tum etiam, quia alias charitas patriæ, & charitas viæ differrent ſpecie; ſiquidem diuerſis luminibus, hoc eſt, fide & ſcientia beata regulantur: immo charitas viæ euacuaretur, & excideret in patria deficiente eius propria regula: quod tamen eſt contra Paulum 1. ad Corinth. 13. ergo.

Refelluntur duæ priores opiniones Medinæ, Suari, & Vincentij diſtinguentium in Chriſto amorẽ beatificum ab amore viatoris, aut eundem diſtintis ſcientijs regulantium.

Deinde neque ſuſtineri poteſt diſtinctio indiuidualis huiuſmodi duorum actuum: eoquod obſtaret eorum ſimultati: nam teſtè Diu. Thom. infra quæſt. 35. art. 5. quantumbis accidentia ſint reſpectiua, indiuiduantur à ſubiecto in quo habent eſſe, ac proinde non poſſunt citra miraculum in eodem ſubiecto ſimul diſtinctos numero, & indibidualiter reſpectus retinere: adhoc enim non ſufficit ſola terminorum diſtinctio, ſed requiritur diſtinctio omnium principiorum talis indiuidualis diuerſitatis, & maximè diſtinctio ſubiecti; quod eſt primum, ac principale principium indiuiduationis accidentium; quæ vt ſic non ab vno, aut altero, ſed ex collectione omnium principiorum deſumitur.

Secundus vero modus deficit, quia non ſaluat in dicto actu amoris beatifici ſufficientem libertatem ad meritum propter duo. Tum quia ſicut amor beatificus in quantum beatificus eſt formaliter neceſſarius, ita in quantum meritorius debet eſſe formaliter liber, & non tantum virtualiter, vtpote quia non minus libertas eſt conditio meriti, quam neceſsitas præmij. Tum etiam, quia actus meritorius debet eſſe formaliter bonus ex obiecto, & circumſtantijs, & à viatore formaliter grato. Nec ſufficit virtualis bonitas, aut dignitas ſubiecti, quia iſtę conditiones per ſe pertinent ad meritum; ſed non minus per ſe pertinet libertas ad meritum: ergo etiam formaliter debet illi conuenire.

Quare his modis reiectis, reſtat vt vno ex duobus modis poſtremis conſtituatur libertas ad meritum requiſita in huiuſmodi actu amoris beatifici: nimirum quia licet iſte actus ſit neceſſarius, prout terminatur ad diuinam bonitatem in ſe: tamẽ erat liber prout terminabatur ad Deũ ſub alijs duabus rationibus: hoc eſt quatenus Deo volebat bona extrinſeca honoris & laudis à creaturis rationalibus exhibita: & quatenus in Deo vole-

bat

bat reſpectus illos liberos ad creaturas, videlicet creantis, iuſtificantis, & glorificantis, nam vtroque modo, & ſecundũ vtramque rationem Chriſtus liberè amabat Deum: & modo quilibet beatus ſecũdum hos reſpectus liberè Deum amat quãuis huiuſmodi amor non ſit meritorius: non quidem ob defectũ libertatis: ſed alterius conditionis, ſcilicet ſtatus viæ.

Ex quo tale deducimus argumentum pro noſtra concluſione: idem numero actus ſecundum diuerſas rationes poteſt eſſe ſimul neceſſarius, & liber: ſed amor beatificus animæ Chriſti in ſtatu viæ fuit huiuſmodi: ergo potuit eſſe meritorius ex ea parte qua erat liber, & aliàs in ſubiecto viatore.

Conſequentia eſt nota, & maior patet inductione in actu diuini amoris increati, quo Deus ſuam bonitatem neceſſario, & creaturas ſimul libere diligit: & in actu amoris beatifici quo vnuſquiſq; beatus Deum quoad intrinſecam bonitatem neceſſario, & quantum ad reſpectus actuales creantis, prædeſtinantis, & iuſtificantis ſimul libere diligit. Minor autem oſtenditur, ex eoquod huiuſmodi amor beatificus animæ Chriſti exemplatur ab amore diuino increato: & ſimul terminabatur ad illas duas rationes, nimirum bonitatis diuinæ in ſe, & cum reſpectu ad creaturas, ſecundum quas amor increatus Dei, & amor creatus beatorum ſimul eſt neceſſarius, & liber: ergo pariter & iſte amor beatificus animæ Chriſti, ſimul erat neceſſarius & liber: & cum alias eſſet in ſubiecto viatore, nulla ei deficiebat conditio quominus eſſet meritorius, ex ea parte qua erat liber.

Hinc colligo primo contra Altiſiodorenſem vbi ſupra cap. 7. quod Chriſtus etiã meruit per motus appetitus ſenſitiui: eoquod teſtè Diuo Thoma ſupra quæſt. 14. art. 2. omnes huiuſmodi motus fuerunt Chriſto voluntarij. & ſubiecti rationis imperio, vt habet idem Diu. Thom. quæſt. 15. art. 4. ac proinde fuerunt in Chriſto iſti motus actus virtutũ, & à charitate imperati, & conſequenter meritorij. Neque enim, vt dictum eſt fuit in Chriſto aliquis motus appetitus ſenſitiui omnino indeliberatus, hoc eſt anteuertens vſum rationis, excepto illo quo mortem refugit dicens: *Tranſeat à me Calix iſte*, quem probabilis ſententia tenet fuiſſe indeliberatum.

Colligo ſecundo, omnem Chriſti operationem qua miraculum aliquod patrabat fuiſſe meritoriam eòquod omnis miraculorũ patratio fiebat à Chriſto mediante actu libero voluntatis, iuxta illud Matth. 8. *Domine ſi vis, poſt es me mũdare, volo, mundare*, & aliàs erat actus à charitate ordinatus, vtpotè miſericordię ſiue beneficientię, cuiuſmodi opus eſt ægris ſanitatem impendere, cæcis lumen, & mortuis vitam reſtituere: ergo nulla conditio ad meritum requiſita his operibus deficiebat.

Colligo tertio aduerſus Aluarez hic diſputatione 47. Chriſtum non meruiſſe in motu cordis, aut in actibus naturalibus animæ vegetatiuæ, cuiuſmodi ſunt decoctio cibi, conuerſio in ſubſtãtiam aliti, & nutritio cuius duplex eſt ratio.

Prima quidem, quia ſicut in nobis iſti motus non ſubduntur imperio rationis humanæ, ita neque in Chriſto, qui ſecundum naturam humanã voluit fratribus per omnia aſsimilari.

Secunda eſt, quia in hoc differunt iſti motus à motibus appetitus ſenſitiui qui dicuntur paſsiones, vt rectè perpendit Azor. prima part. ſummæ lib. 3. capit. 2. quæſtion. 1, quod illi licèt formaliter, & ſecundum ſe non ſint actus virtutis, aut vitij: tamen ſunt capaces, vt fiant materia virtutis, aut vitij: quia poſſunt ſubdi imperio rationis, aut illi reſiſtere, ſecus autem iſti qui proinde, nec materia virtutis, aut vitij eſſe poſſunt, ſicut neque conformitatem cum recta ratione, aut diformitatem ab illa ſubire: ergo cũ non poſsint eſſe actus virtutis etiam imperati, neutiquam meritorij eſſe poſſunt tam in nobis, quam in Chriſto.

18 Dico tertio. Chriſtus meruit acceptando mortem ſibi pręceptam. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus eoſdẽ auctores primæ ſententiæ, & potiſsime aduerſus Lorcam, qui vt ſaluet meritum in acceptatione mortis, negat fuiſſe Chriſto de illa ſubeunda impoſitum præceptum.

Defẽditur cõtra Lorcã præceptũ moriẽdi in Chriſto.

Sed noſtra concluſio duas continet partes probandas. Prima eſt Chriſtũ meruiſſe in acceptatione mortis, & hæc ab omnibus Theologis defenditur, & colligitur ex teſtimonijs ſcripturę iã adductis, in quibus morti, & obedientiæ qua Chriſtus illã acceptauit, tanquam cau-

cauſæ meritoriæ tribuitur noſtra redemptio, & ſalus, atque obtētio gloriæ proprij corporis Chriſti, & nominis exaltatio. Ex quibus probat D. Thom infra q. 48. art. 1. Chriſti paſsionem cauſaſe noſtram ſalum per modum meriti.

Secunda vero pars eſt, quod Chriſto fuerit in poſitum præceptum de morte ſubeunda. Quæ quidem probari ſolet à recentioribus, ex eoquod Chriſtus ſubeundo mortem obediuit Patri, iuxta illud ad Philippenſ. 2. *factus obediens, vſque ad mortem*, &c. Illud autem quod quis facit ex obedientia, videtur facere ex neceſsitate præcepti, quia obedientia reſpicit per ſe loquendo præceptum ſuperioris: ergo Sed hęc ratio inefficax eſt, quia etiam reſpectu ſimplicis mādati ſuperioris quambis non habeat coactionem præcepti ſaluatur in ſubdito obediencia, nā teſte D. Thoma 2. 2. quęſt. 104. artic, 5. perfecta religioſi obedientia eſt illa qua obedit in his ad quæ non tenetur, quia nimirum ſunt ſupra regularem obſeruationem, ſufficiens obedientia ad ſalutem eſt illa qua religioſus obedit in his ad quæ tenetur ſecundum religionis conſtitutiones. Imò etiam hæc obedientia poſt ſaluari ſine præcepto , quia plures ſunt in religionibus conſtitutiones, quæ non habent vim pręcepti: neque obligant ad culpam, niſi tantum ad pœnam, & tamen earum obſeruantia opus eſt obedientiæ. Et in ſolutione ad tertium concludit dicens: triplex igitur in religioſo obedientia diſtingui poteſt. Prima eſt ſufficiens ad ſalutem , quę obedit in hijs, ad quę obligatur. Secunda eſt perfecta, quę obedit in quibuscunque licitis. Tertia vero, eſt indiſcreta quæ obedit etiam in illicitis: ergo vera obedientia poteſt ſaluari quin reſpiciat præceptum.

19 Quare hęc ratio, aut refutanda eſt tanquam inefficax: aut vt efficax ſit, ad hanc formam eſt reducenda. Chriſtus mortuus eſt non ex quacunque, ſed ex riguroſa obedientia: hæc autem reſpicit pręceptum: ergo habuit præceptum de morte ſubeūda: minor eſt certa, & maior patet quia Chriſto tribui debet obedientia quæ eſt maioris ſubiectionis, & humilitatis: illa autem eſt maioris ſubiectionis, & humilitatis erga Patrem, quæ obedit eius præceptis, & hæc digitur riguroſa: de qua videntur procedere tres congruentiæ ob quas probat D. Thom. infra quæſtion. 48. articulo 2. Chriſtum mortuum fuiſſe ex obediētia, quia nimirum hoc congruebat humanæ iuſtificationi, vt ſicut per vnius hominis inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi, ita per vnius hominis obedientiam iuſti conſtituuntur multi: & vt eius ſacrificium paſsionis & mortis eſſet accepti ſsimum, opportuit vt ex obedientia procederet: *quia melior eſt obedientia, quā victimæ*, vt dicitur 1. Reg. 15. & ut eius victoria qua de auctore mortis triumphauit eſſet illuſtrior opportuit vt eius mors eſſet ex obedientia, quia milles non vincit niſi duci obediendo iuxta illud Prouerbiorum 22. *vir obediens loquitur victorias*, inobedientia autem Adami fuit per violationem prępcepti : ergo.

Secundo, quia in prædictis locis ſacræ Scripturæ nomine mandati nō ſimplex beneplacitum, ſed præceptum Patris ſignificatur ex communi Sanct. Patrum interprætatione, vt colligit D. Th. ex illo Ioan. 10. *hoc mandatum accepi à Patre meo*, &c. in ſolutione ad primū articuli ſecundi citati; & in ſolutione ad tertium dicens expræſſe Chriſtum mortuum fuiſſe ex dilectione, & obedientia ad Patrem præcipientem. Et ſuper eundem locum Ioannis Chriſoſtomus, hom, 50. in Ioānem tomo 3. ſic ait: *Ex quo* (ſcilicet teſtimonio Ioannis,) *non eſt intelligendū quod prius expectauerit audire, & opus ei fuerit diſcere: Sed voluntarium monſtrauit proceſſum, & contrarietatis ad Patrem ſuſpicionem deſtruxit*, &c. quibus Verbis denotat præceptū ponendi animā fuiſſe Chriſto impoſitum independenter ab eius humano conſenſu, & voluntarie fuiſſe ab illo impletum.

Tertio probatur alia ratione. qua vtitur Diu. Thomas in dicta ſolutione ad primum eiuſdem art. 2. nimirum quia Chriſtus in morte legem veterem conſumauit iuxta illud quod ipſe moriens dixit Ioan. 19. *Conſumatum eſt*: hæc autem conſumatio fuit quatenus patiendo, omnia veteris legis præcepta impleuit, hoc eſt moralia, ceremonialia, & iudicialia: ergo ex obedīēcia: erga huiuſmodi pręcepta mortuus eſt, quæ voluntariè ſuſcepit: ergo & volūtariè potuit ſubici præcepto ſpeciali de morte ſubeūda. Vtraq; conſequen-

ſequentia patet, & minor probatur: nam pręcepta moralia: vtpote quæ in præceptis charitatis fundantur, impleuit in quantũ paſſus eſt ex dilectione Patris, iuxta illud Ioannis 14. *Vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio, &c.* & ex dilectione proximi, iuxta illud ad Galatas 2. *Dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*: ceremonialia vero præcepta legum: vtpotè ad ſacrificia, & oblationes pertinentia impleuit, in quantum ad eius paſsionem, tanquam vmbra ad corpus ordinabantur, vt dicitur ad Coloſſen. 2.

Denique pręcepta iudicialia: vtpotè quę præcipuè ordinabantur ad recompenſandum iniuriam paſsionis, impleuit ſua paſsione, quoniam vt dicitur Pſal. 68. quæ non rapuit, tunc exoluit dum permiſit ſe ligno affigi pro pomo, quod homo de ligno rapuerat cõtra Dei mandatum.

Recenſentur varij modi concordandi libertatem Christi cũ præcepto.

20 Vltimo probatur: nam præceptum de morte ſubeunda non tollit libertatem ad meritum requiſitam: ergo non eſt ratio, ob quam ſit denegandum.

Conſequentia eſt nota, & admittitur à Lorca, qui tale præceptum denegat preciſſe ob ſaluandam libertatem requiſitam ad meritum in acceptatione mortis. Antecedẽs autem diuerſimodè probatur à Theologis, qui vt explicent quo pacto cum huiuſmodi præcepto fuerit cõpatibilis in Chriſto libertas ad meritum requiſita in actu acceptandi mortem, in quatuor modis dicendi diuiduntur.

Alij enim de quorum numero ſunt Scotus in 3. diſtin. 16. quęſt. 2. §. *Ad ſecundam quæſtionem*, Alenſis 3. part. quæſtio. 29. men. 2. art. 2. Gabr. diſt. cit. art. 3. dub. vltim. Soto vbi ſupr. Biguerius in ſumma cap. 17. §. 1. Fonſeca 6. meta. cap. 2. q. 5. ſectio. 6. Maſcar. tract. de auxilijs part. 5. diſp. 2. dicunt propterea meruiſſe Chriſtum in actu obedientiæ acceptandi mortẽ præceptam, quia nõ fuit illi præcepta, quoad circunſtantias tẽporis, & loci, ſiue intenſionis, aut durationis, &c. niſi tantum quoad ſubſtantiam, quorum ratio eſt, quia voluntas Chriſti ratione vnionis fuit impeccabilis, ac proinde determinata ad non peccandum, & ad ſeruanda omnia præcepta: ergo tantũ potuit manere libera in obſeruantia pręceptorum quantũ ad circunſtantias prædictas: ac per conſequens oportuit has non cadere ſub præcepto, alioquin, neq; quãtum ad illas fuiſſet liber, nec mereretur: vnde pariter in acceptanda morte habuit libertatem ad meritum requiſitam quantum ad circunſtantias; ſed non quoad ſubſtantiam.

Alij vero de quorum numero ſunt Aluar. diſp. 46. Nazar. & Suar. diſp. 37. ſect. 3. Medin. vbi ſup. & in quæſt. 47. artic. 2. Puteanus in dict. dubitatio. 2. huius quæſt. & communiter diſcipuli Diu. Thom. dicunt mortem fuiſſe Chriſto præceptam, nec dum quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad omnes circunſtantias: & nihilominus habuiſſe in tali actu libertatem ad meritum requiſitam: eo quod hæc non lęditur per pręceptum: vtpotè extrinſecum operanti: quorum fundamentum eſt, quia cum huiuſmodi præcepto, quoad ſubſtantiam, & circunſtantias compatiebatur in Chriſto libertas ad meritum requiſita: eo quod adhuc ex ſuppoſitione talis præcepti manebat eius volũtas in actu primo indifferens, quoad exercicium ad moriendum, & non moriendum: ac proinde potens non mori contradictorie, licet non contrariè poteſtate antecedente, ſiue in ſenſu diuiſo, licet in ſenſu compoſito, & ex ſuppoſitione vnionis manſerit determinata, ſiue neceſsitata ad moriendum: ſed hæc neceſsitas ex ſuppoſitione, non tollit libertatem abſolutè, & ſimpliciter talem ad merendum ſufficientem, & requiſitam, vt oſtendimus in tractatu de auxilijs, vbi docuimus neceſsitatem prouenientem ex ſuppoſitione, tam auxilij efficacis intrinſecè, quam diuini decreti abſolùti extrinſecè prędeterminantis noſtrã voluntatem ad actum ſupernaturalem virtutum non tollere ab illis libertatem ſimpliciter, eo quod, neque talis ſuppoſitio tollit poteſtatem antecedentem, qua voluntas potens eſt tales actus non operari: ergo.

Maior patet, quia adhuc impoſito præcepto de morte in indiuiduo, & quoad omnes circunſtantias voluntas Chriſti indifferens manet ex natura ſua ad moriendum, & non moriendum; vtpote quia neque cum hac morte, neque cum eius negatione habet neceſſariam connexionẽ.

Rurſus neque ad moriendum, aut mortem acceptandam neceſsitabatur, ſimpliciter ex vi viſionis beatificę: hæc enim tantum neceſsitabat animam Chriſti ad videndum, & amandum Deum

inde

indefectibiliter: neque ex vi vnionis ratione cuius fiebat impeccabilis, quia hæc tantum datur ad eſſe, & non ad operari: neque tandem ex vi præcepti, quia hoc cum extrinſecum ſit, nequit intrinſice inmutare indifferẽtiam voluntatis, aut eius naturalem modum operandi circa tale obiectum: ergo.

Deinde alij, de quorum numero eſt Ranguſa, diſputat. 2 §. octauo, & diſput. 14. dicunt propterea Christum meruiſſe in acceptando mortem præceptam, quia fuit liber quoad circunſtantiam finis. Eo quod dum Christus exercebat opera præcepta non ſolum poterat illa eligere tamquam media ad finem conſeruandi amicitiam Dei (ſic enim ad illa neceſſitabatur eius voluntas) ſed etiam poterat illa eligere, vt bona, & amabilia in ſe; & propter eorum intrinſecam bonitatem, & veluti finem, ſiſtendo in ipſis: aut ex alio fine, quia liberum erat Chriſto operari hoc modo ſicut, & nobis: & hæc eſt libertas ſufficiens ad merendum: ergo.

Alij autem, quos ſequitur Cabrera, quæſtion. præcedenti. articul 4. diſput. 4. §. 3 dicunt propterea Chriſti voluntatem fuiſſe liberam in obediendo pręcepto mortis, quod fuit illi impoſitum dependenter ab eius humano nutu, ſiue conſenſu, ſiue petitione, quia niſi ſic fuiſſet impoſitum ſuppoſitio præcepti eſſet omnino antecedens, & independens à voluntate humana Chriſti, ac per conſequens tolleret eius libertatem.

Denique alij de quorum numero eſt Vazquius, diſputat. citata, cap. 5. aſſerunt ideò ſaluari libertatem in Chriſto, circa acceptationem mortis, & alia opera præcepta, quia manſit indifferens, atque liber ad aceptandam mortem iſto, aut illo affectu in ſingulari: quia præceptum licet determinaret voluntatem Chriſti ad ſui impletionem, non tamen determinabat illam ad talem actuia in ſingulari, quo eſſet implendum, ex quo infert Vazquius, cap. 6. & duobus ſequentibus quod ſicut præceptum non fuit impoſitũ Chriſto de actu in ſingulari, ne eius lederet libertatem: ita neque eius actus fuerunt à Deo prædefiniti in ſingulari ante eius præuiſum conſenſum in cogitatione congrua, neque ad illos in ſingulari fuit eius voluntas præmota à Deo per auxilium intrinſecum, quia tam illa extrinſeca prædefinitio, quam hæc intrinſeca prę motio ad actus in ſingulari deſtruit voluntatis libertatem.

Sed omnes iſti modi dicendi ſunt inſufficientes. Primus quidem propter tria, quia mortem Chriſti necdum, quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad omnes circunſtantias fuiſſe à Deo prædiffinitam, & pręceptam, oſtendit Aluarez, lib. 3. de auxilijs, diſput. 22. & nos in eodem tractatu de auxilijs eamdem veritatem oſtendimus, ex pluribus locis Scripturæ, vt ex illo Lucæ 22. *Filius hominis vadit, ſicut ſcriptum eſt de illo*, & Ioannis 14. *Sicut mãdatum dedit mihi Pater ſic facio.* & Actorum 4. *Conuenerunt in ciuitate iſta, ſcilicet Herodes, & Poncius Pilatus facere quod manus tuæ, & conſilium tuum decreuerunt fieri, &c.*

Tum etiam, quia Chriſtus nedum circunſtantias mortis, ſed etiam mortem ipſam liberè acceptauit, iuxta illud Eſaię 53. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*: ergo nedum per circũſtantias, ſed etiam per mortem ipſam meruit, & ſatisfecit: cui proinde tribuitur cauſalitas meritoria, & ſatisfactoria noſtræ ſalutis, vt oſtendit Diu. Th. infra, quæſt. 48. art. 1. & 2.

22 Tum deniquè, quia alias Chriſtus non mereretur formaliter per actum obedientiæ, quatenus impletiuus fuit illius præcepti moriendi: ſiquidem talis actus, quantum ad ſubſtãtiam in Chriſto non erat liber, ſed neceſſarius, vt volunt aduerſarij: cõſequens tamen eſt contra Paulum ad Philp. 2. Vbi meritum Chriſti, circa noſtram redemptionẽ eius obedientiæ formaliter adſcribit, qua humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, propter quod & Deus exaltauit illum, &c. & ad Rom. 5. vbi Paulus pariter meritum Chriſti ad ipſius obedientiam, atque peccatum Adami ad eius inobedientiam reuocat, dicens: *Sicut per inobedientiam vnius, multi conſtituti ſunt peccatores, ita per obedientiam alterius, multi conſtituti ſunt iuſti*

23 Deinde ſecundus modus deficit, quia ſuppoſitio præcepti circa actum in ſingulari cum omnibus circunſtantijs omnino tollit libertatem reſpectu ſubiecti aliàs phyſicè impeccabilis: ſed Chriſtus, vt homo ratione vnionis eſt phyſicè impeccabilis: ergo ſi illi fuit impoſitum præceptum de hoc actu in ſingulari cum omnibus circunſ-

tantijs non eſſet liber reſpectu illius. Minor ſupponitur, & maior probatur, quia facta ſuppoſitione huiuſmodi præcepti nulla manet indifferentia in ſubiecto impeccabili, neque enim manet indifferentia ad bonum, & malum, ſiue ad obſeruantiam, & tranſgreſsionem præcepti, quia hæc eſt indifferentia contrarietatis quæ manere non poteſt in voluntate impeccabili: vtpotè quæ omnino neceſsitata eſt ad non peccandum ex vi ſuæ imppeccabilitatis: neque manet in differentia exercitij, nimirum ad talem actum eliciendum vel non eliciendum: quia eo ipſo, quod talis actus in ſingulari eſt præceptus, eius omiſsio fit mala moraliter, ac proinde fit extremum indifferentiæ contrarietatis, & non ſolius exercitij. Vnde qua neceſsitate voluntas impeccabilis neceſsitatur ad non peccandum, & ad non tranſgrediendum præceptum: eadem neceſsitatur ad non omittendum talem actum, quia eius omiſsio tranſiuit ex vi præcepti in alterum extremum, ſcilicet indifferentiæ contrarietatis, atque mali moralis: ſine altera autem ex his indifferentijs nequit ſaluari libertas ad meritum requiſita, vt pote de cuius conceptu eſt aliqua indifferentia: ergo.

Neque facta hac ſuppoſitione maneret in volũtate Chriſti illa poteſtas antecedẽs ad nõ acceptãdã mortẽ abſolute, & in ſenſu diuiſo quæ ſufficit ad libertatẽ in actu primo: nam conditio impeccabilitatis ratione vnionis cum ſit omnino antecedens, & independens ab humana Chriſti voluntate, ſicut tollit ab illa omnino libertatem ad non peccandum, ita & ad non acceptandam mortem, cuius acceptatio per hunc affectum in ſingulari ſupponitur precepta, alioquim neque viſio beatifica tolleret a voluntate beati libertatem ad amandum Deum, vel non amandum, neque vnio hypoſtatica tolleret à voluntate humana Chriſti libertatem ad peccandum, quia vtrobique manet poteſtas antecedens quantum ad intrinſeca, & naturalia voluntatis quæ ipſi competunt ante dictam ſuppoſitionem: quod tamen non eſt dicendum, neque aduerſarij admittunt. Ex quo ruit eorũ fundamẽtũ.

Rurſus tertius modus dicendi deficit, propter tria. Tum quia, vt dictum eſt, Chriſtus meruit per actum amoris beatiſici, qui eſt amor amicitiæ cum Deo: ergo huiuſmodi motiuum non debuit obſtare merito in actu obedientiæ, ſiue aliarum virtutum.

Tum etiam, quia Chriſtus de facto meruit acceptando mortem actu obedientiæ formaliter vt dictum eſt: & de facto obediens fuit ex dilectione ad Patrem precipientem, teſte D. Thom. infra quæſtion. 47. art. 2. ad 3. ergo ex motiuo dilectionis Dei, ac proinde ſeruandi amicitiã cum Deo, meruit in actu obedientiæ.

Tum denique, quia meruit Chriſtus ex motiuo virtutis perfectioris, ac maioris meriti: ergo ex motiuo charitatis; eo, vel maximè, quia ab inſtanti vſus rationis tenebatur ex præcepto diligere Deũ ſuper omnia, ſe & omnia ſua opera referendo in illum, vt in vltimum finem naturalem, ac ſupernaturalem, vt oſtendit Cabrera, hic diſput. 5. ex communi lege obligante omnes creaturas rationales primo peruenientes in via ad vſum rationis, vt vltimum finem à ſe cognitum pro tunc ſuper omnia diligant.

Quartus vero deficit propter duo: tum quia ex illo ſequeretur negotium noſtræ redemptionis fuiſſe humanæ voluntatis Chriſti inuentum, in illamquè tamquam in primam cauſam fore reducendũ: ſi enim ſic Deus Chriſto mortem præcepit, vt in eius arbitrio relinqueret, vt ſe ad moriendum obligaret ſi voluiſſet, & non aliter, iam ex voluntate Chriſti humana conſentiente potius, ac priuſquam ex diuina imperante dependentèr ab illius conſenſu ortum habuiſſet negotium noſtræ redemptionis, quod tamen eſt falſum, & videtur aduerſari Paulo ad Romanos 11. dicenti: *Quis enim prior dedit illi, aut quis conſiliarius eius fuit, &c.* & modo loquẽdi ſcripturæ, quæ predicat Chriſtum in obedientia mortis feciſſe voluntatem Patris, & non è contra, vt Pſalm. 39. *In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam*: & iterum, *& legem tuam in medio cordis mei*, & Ioannis 14. *Sicut mandatũ dedit mihi Pater, ſic facio, &c.* & Matth. 26. *Si non poteſt trãſire a me calix iſte, fiat voluntas tua*, & ad Rom. 15. *Etenim non ſibi placuit, ſed ſicut ſcriptum eſt, improperia ex probrantium tibi ceciderunt ſuper me*: Si autem præceptum fuiſſet impoſitum Chriſto ad eius nutum, ſiue ad eius petitionem, aut liberum conſenſum expectatum congruentius diceret ſcriptura in prædictis locis oppoſitum: nimirum, quod Deus feciſſet volun-

lun-

Digitized by Google

lüntatem Chriſti, & legem ipſius; nec non Chriſtus, quod ſibi placuit, & ſuam humanam voluntatem feciſſet: ergo.

Tum etiam, quia Chriſtus vt dictũ eſt mortu⁹ fuit ex riguroſa, & perfectiſsima obedientia, quod enim maioris eſt meriti tribuendum eſt Chriſto: ſed perfectior obedientia, & maioris meriti ē t obedire præcepto ſuperioris, quod imponitur independenter à voluntate ſubditi: ergo & in Chriſto maioris meriti fuit obedire præcepto diuino impoſito independenter ab eius humana voluntate.

Denique quintus, & ſi verus ſit in eo, quod aſſerit actum ſiue affectum in ſingulari acceptandi mortem non fuiſſe Chriſto præceptum, tamen defficit à veritate in eo quod ait; extrinſecam prædifinitionem Dei, & prędeterminationem intrinſecam voluntatis, per auxilium efficax de ſe ad actum in ſingulari tollere libertatem: ac proinde actus liberos, & meritorios Chriſti Domini, nec fuiſſe à Deo decreto abſoluto prædefinitos in ſingulari, nec per auxilium efficax prædeterminatos: nam quod illa extrinſeca prædefinitio actus in ſingulari non lędat eius libertatem, oſtendit Suarius contra Vazquium in dicta diſput. 37. ſectione 2. & quod neque intrinſeca prædeterminatio auxilij efficacis ad actum in ſingulari lędat voluntatis libertatem aduerſus vtrumque oſtendimus in tractatu de auxilijs.

Præfertur nouus modus huius concordia, quia nimirum actus internus in indiuiduo non fuit præceptus.

Quare his modis dicendi reiectis: dicendum eſt, propterea Chriſtum meruiſſe, & libertatem habuiſſe eius humanam voluntatem in acceptanda morte, ſibi præcepta: quia liberum fuit ei iſto, aut illo affectu in ſingulari illam acceptare, vel non acceptare, vtpotè, quia actus ſiue affectus in ſingulari non determinatus fuit per præceptum.

Quę ſententia ſuadetur tripliciter, primo ratione oſtenſiua à priori: quia præcepta nobis impoſita, licet determinent obiecta in ſingulari cum circunſtantijs temporis, & loci, numquam tamen determinant actum internum, ſiue affectum in ſingulari, verbi gratia, præceptum amandi Deum ſuper omnia determinat quidem nos, vt verum Deum amemus in tali tempore, vel occaſione, ſed non vt amemus iſto affectu in ſingulari potius, quam altero ſimili.

Similiter præceptum colendi feſta, ſiue audiendi ſacrum determinat quidem materiam externam, ſed non affectum internum: & idem patet in præcepto pęnitendi, diligendi proximos, & alijs affirmatiuis: ſed non aliter fuit impoſitum Chriſto pręceptum moriendi, qui fratribus, hoc eſt, alijs hominibus debebat per omnia aſsimilari: ergo licet tale præceptum determinauerit hanc mortem in ſingulari, in tali loco, & tempore ſubeundam, non tamen determinauit affectum obedientiæ in ſingulari, quo illam Chriſtus acceptaret: niſi tantum vagè, ac proinde liberum fuit Chriſto, iſto affectu eam acceptare, aut altero ſimili.

25 Secundo ab exemplo: nam ſic comparatur præceptum, ſiue moriendi, ſiue diligendi Deum, ſiue aliud quodcumque affirmatiuum decalogi reſpectu Chriſti: ſicut præceptum amandi Deum ſe habuit reſpectu Angeli in primo inſtanti creationis; eo quod vterque fuit impeccabilis: Chriſtus quidem vt homo, ſimpliciter ratione vnionis: Angelus vero ſecundum quid: hoc eſt pro illo primo inſtanti, ne peccatum eius tribueretur Deo ſecundum ſententiam Diu. Thomæ: ſed propterea ſtante tali præcepto voluntas Angeli fuit libera, quia licet eſſet determinata ad non peccandum, ac proinde ad non omitendum præceptum: tamen erat indifferens indifferentia exercitij ad eliciendum iſtum actum amoris in ſingulari, aut alterum; eo quod nullus actus amoris in ſingulari fuit ei præſcriptus ex vi præcepti: iſteque eſt modus congruentiſsimus ſaluandi libertatem Angeli in adimpletione pręcepti cum eius impeccabilitate pro illo inſtanti: ergo pariformiter hic eſt modus ſaluandi libertatem humanæ voluntatis Chriſti in adimpletione pręcepti cum eius impeccabilitate, vt patet ex aliorum modorum inſufficientia, & impugnatione.

Tertio probatur ſatisfaciendo tribus obiectionibus quę huic ſententię obſtare videntur.

Prima eſt, quod voluntas humana Chriſti determinauit affectum in ſingulari, quo mortem acceptaret, ac proinde etiam illum determinauit diuina voluntas ſua prędiffinitione effi-

caci, atque decreto abſoluto: quidquid enim determinatè vult voluntas ſecundi volentis, à fortiori, & vult determinatè voluntas primi volentis, cui illa in volendo ſubordinatur, & cuius ſubordinationem ſubterfugere non poteſt: ſed non eſt cur Deus ſuam voluntatem efficacem, atque beneplaciti non potuerit ſignificare per præceptum, quod eſt vnum ex ſignis voluntatis diuinæ, teſte Diu. Thom. 1. part. quæſtion. 19. articul. 11. ergo, qua ratione admitimus affectum voluntatis humanæ Chriſti fuiſſe à Deo prædeffinitum, debemus admittere illum potuiſſe à Deo per præceptum determinari.

26 Secunda eſt, quia Chriſtus non ſolum fuit liber circa hunc affectum in ſingulari acceptandi mortem, ſed etiam circa ipſam mortem: nam potuit non ſolum non elicere hunc affectum, ſed etiam potuit abſolute non mori: ergo eius humana voluntas non fuit neceſsitata ad moriendum ex vi præcepti, ſicut neque ad hunc affectum in ſingulari. Antecedens eſt communis ſententia Sanctorum Patrum quam deducunt ex illo Ioannis 10. *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo, iterum ſumendi eam*: Chryſoſtomus enim homilia 59. in Ioannem, & homilia 28. ſuper epiſtol. ad Hebręos ait, quod licebat Chriſto nihil pati ſi voluiſſet, & Rupert. lib. 6. in Ioannem, ſic inquit: *quare ergo ponis pro omnibus animam tuam, cum poteſtatem habeas, etiam non ponendi?* & Auguſtinus lib. 4. de Trinitat. capit. 13. ſic inquit: *qui potuit non mori ſi nollet, procul dubio, quia voluit, mortuus eſt*, & Ciprianus in ſermone de Paſsione Domini ſubdit loquens ad Chriſtum: *Voluntariè obediſti Patri, & non te, vt potereris coegit neceſsitas.*

27 Tertia, procedit ab inconuenienti duplici: quia nimirum aliàs neque pręceptum impoſitum Chriſto de acceptanda morte determinaret circunſtantias loci, temporis, & intenſionis: vtpotè à quibus connaturaliter dependet indiuiduatio actus: ac proinde non ſtat determinatio illarum, ſine iſtius determinatione. Neque Chriſtus mereretur per actus præceptos formaliter, ſed tantum per actus conſilij ſiquidem meruit per actus in ſingulari, qui vt ſic non cadunt ſub præcepto; quod tamen videtur aduerſari Paulo ad Philipenſ. 2. dicenti Chriſtum propterea fuiſſe exaltatum, quia factus fuit obediens, vſque ad mortem: intellige, quia obediuit præceptis: ergo.

Sed ab his obiectionibus, quibus inſurgunt Suarius, Cabrera, & Aluarez vbiſupra, facile vindicatur noſtra ſententia. *Vindicatur modus his obiectionibus Suarij, & Cabreræ.*

Ad primum enim fateor affectum in ſingulari, quo Chriſtus acceptauit mortem, cæteroſque eius actus meritorios, fuiſſe à Deo prædiffinitos, & efficaciter volitos voluntate beneplaciti, quam Deus potuit de potentia abſoluta per præceptum ſignificare: ſed non ſeruando illæſam libertatem humanam Chriſti ad meritum, vel ad merendum requiſitam: hanc enim tollit præceptum à voluntate impeccabili, ſiue neceſsitata ad non peccandum, vtpotè quia immutat obiectum illius redens omiſsionem actus præcepti peccaminoſam: ſecus vero prædiffinitio, & ſimplex voluntas beneplaciti.

Ad ſecundam negandum eſt antecedens: ad cuius probationem dicendum eſt Patres in illis teſtimonijs loqui de Chriſto ratione voluntatis diuinæ: ita vt ſenſus ſit Chriſtus, vt homo propter communicationem idiomatum poterat non mori voluntate diuina ſi voluiſſet ſecus autem voluntate humana, quæ neceſsitata erat ratione vnionis ad non peccandum, & omnimoda omiſsio mortis ex vi præcepti facta erat peccaminoſa, & mala, quia prohibita. His adde, quod teſtimonium Cipriani ſolum excludit à Chriſto homine neceſsitatem coactionis reſpectu mortis, ſed non aliam neceſsitatem quæ opponitur libertati, & compatitur cum morte voluntaria; & ſpontaneà, imo cum libertate affectus in ſingulari, quo nedum voluntariè, ſed etiam liberè Chriſtus obediuit Patri: pariterque nos, & illam neceſsitatem excludimus in Chriſto, & hanc fatemur circa mortem cum libertate affectus in ſingulari.

Ad tertiam reſpondetur nullum ſequi ex aductis inconuenientibus: non quidem primum, quia indiuiduatio actus licet connaturaliter fieri, aut poni-

boni in eſſe extra cauſas non poſsit, niſi cum illis circunſtantijs: tamen præceptum, ſiue actus intellectus bene poteſt circunſtantias determinare quin determinet actus intrinſecam indiuiduationem, vtpote quæ ab illis diſtinguitur.

Neque ſecundum, quia vt quis mereatur per actus præceptos formaliter: non opportet, quod actus in ſingulari determinetur per præceptum cum neque apud nos præcepta habeant vim, & morem ſic determinandi, aut obligandi: ſed ſatis eſt, quod actus in ſingulari ſit adimpletiuus præcepti pro eo tempore, & loco, pro quo inſtat eius obligatio: Ex quibus manet probata, & inconcuſa veritas antecedentis vltimi argumenti facti pro noſtra tertia concluſione, iuxta hunc poſteriorem modum explicandi, & defendendi libertatem humanę voluntatis Chriſti in acceptanda morte præcepta.

Ocurritur fundamentis primæ ſententiæ.

28 Ad primum autem fundamentum pro priori ſententia reſpondetur, neque Diu. Thomam, neque alium ex ſanctis Patribus negaſſe præceptum fuiſſe impoſitum Chriſto de morte ſubeunda quantum ad vim obligandi directiuam: ſed ſolum quantum ad vim coactiuam; quæ non eſt de intrinſeca ratione præcepti: neque tal[is] coactio Chriſtum, vtpo[t]è Dei filium decebat, quæ potius ſeruitutis quam filiationis ſignum eſt.

Ad ſecundum nego conſequentiam, quia præceptum imponitur ab extrinſeco agente, & ſuperiore, neque firmat voluntatem ſubditi in bono, reſpectu cuius extrinſecũ eſt, ſed ab illo dumtaxat exigit obedientiam: votum autem eſt priuata lex proueniens ab ipſa met voluntate vouentis, quam intendit firmare in bono, & ideo non decet voluntatem, iam aliundè in bono firmatam, qualis erat humana voluntas Chriſti.

Ad tertium reſpondetur, non ita congrue teſtimonia illa explicari de ſimplici beneplacito, ſicut à Patribus de rigu roſo præcepto explicantur.

Ad primum vero fundamentum pro ſecunda ſententia, ex his quæ noſtræ aduerſantur, reſpondetur negando minorem.

Ad ſecundum admiſſo antecedenti neganda eſt conſequentia pro ſecunda parte, ad cuius improbationem, quæ eſt tertium argumentum negandum eſt antecedens propter rationem in ſecunda cõcluſione aſsignatam.

Dubium quartum eſt, quæ fuerint præmia à Chriſto per meritum obtenta?

29 IN hoc dubio tria donorum genera ſunt (excepta gratia vnionis, quam ſupponimus ex ſuperius dictis, quæſtion. 2. articul. 11. non potuiſſe à Chriſto promereri) de quibus controuertitur inter Theologos: an potuerint à Criſto promereri, vel an de facto fuerint promerita? nimirum gratia, & gloria eſſentialis animæ Chriſti: gloria proprij corporis, & exaltatio nominis ipſius; atque aliorum hominum gratia cum omnibus auxilijs, ac virtutibus ad illam pertinentibus: quæ proinde à nobis ſingulis concluſionibus ſunt declaranda.

Expenduntur dona, quæ de facto Chriſtus non meruit.

Igitur dico primo, de potentia abſoluta potuit Chriſtus Dominus mereri gratiam iuſtificantem animæ ſuæ; & gloriam eſſentialẽ: ſecus autem de facto, & ex ſuppoſitione, quod hæc habuerit ab initio conceptionis.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus duas ſententias Theologorum extremè oppoſitas: quarum prima negat Chriſtum, etiam de potentia abſoluta Dei potuiſſe gratiam iuſtificantem, aut gloriam eſſentialem promereri, quam tuentur Scotus in 3. diſtinction. 18. queſtion. vnica, § *hoc viſo*, ad primum, Gabriel ibidem, articul. 3. dub. 2. Cabrera hic in hoc articul. 3. diſputation. 7. & Medina ibidem quæſtion. 5. & Siluius in hoc articul. 3. Quæ ſuadetur à ſuis auctoribus tripliciter; tum quia principium merendi per nullam potentiam poteſt cadere ſub merito, vt oſtendunt Theologi cum Diu.

Diu. Thom. quæſtion. vltim. artic. 5. ſed gratia habitualis fuit principium cuiuſcumque meriti in Chriſto domino à primo, vſque ad vltimum: nam illa prima operatio qua ingrediens mundum nos ſanctificauit, vt dicitur ad Heb. 10. fuit à virtute charitatis, ac proinde à gratia procedens, cui reliqui actus meritorij fuerunt ſubordinati: præter quam quod cum meritum vitæ æternæ ſit actus ſupernaturalis, & vitalis non poteſt non procedere à principio vitæ ſupernaturalis, quod eſt gratia iuſtificans: ergo talis gratia nullatenus potuit à Chriſto Domino promereri.

Tum etiam arguit Medina, quod gloria eſſentialis animæ Chriſti non potuerit ab ipſo promereri: quia implicat promereri ab aliquo id, quod eſt ipſi debitum, vtpotè cum gratia omnino excludat conditiones debiti, ſed tam gratia habitualis quã gloria eſſentialis fuit animæ Chriſti debita: ergo. Minor patet, quia habuit cum vnione hypoſtatica connaturalem connexionem ab illaque per ſimplicem reſultantiam dimanauit ad inſtar propriæ paſsionis: quæ proinde fuit debita animæ Chriſti ratione vnionis: ergo.

Tum denique arguit Cabrera, quia primus actus, & prima operatio, quam habuit anima Chriſti verbo vnita, fuit beatitudo eſſentialis, ideſt viſio beatifica, vtpotè iure connaturalitatis ipſi debita eo modo quo motus circularis debetur corpori cœleſti: ergo nulla alia operatio animæ Chriſti potuit viſionem beatificam antecedere ordine temporis, aut naturę ab inſtanti conceptionis ipſius. Tunc vltra, ſed meritum debet præcedere præmium ordine, vel temporis, vel ſaltem naturæ; cum comparetur ad illud ſicut cauſa moralis ad ſum effectum: ergo.

30 Secunda ſententia affirmat Chriſtum Dominum de facto meruiſſe gloriam eſſentialem animæ ſuæ, quam tuentur Altiſiodorenſis lib. 3. tract. 1. capit. 7. Albertus Magnus in 3. diſtinct. 18. articul. 4. Mayor ibidem, quæſtion. 2 Baſſolis articul. 3. Guillelmus de Rubione, queſtion. 1. artic. 2. Mayronus, quæſtion. 1. & Alenſis 3. part. quæſtion. 17. membro 4. articul. 1. ad vltimum eandem ſententiam probabilem reputat licet contrariam, vt probabiliorem amplectatur, quam ſuadent tripliciter primo ex duobus teſtimonijs Scripturæ nimirum ex illo Eſaiæ 53. *Pro eo quod laborauit, videbit, & ſaturabitur*, & Apocal. 5. *Dignus eſt agnus accipere virtutem, gloriã & benedictionem*; in quorum altero per verbum, *videbit*, & in altero per nomen *gloria*, viſio beatifica ſignificatur: ergo.

Secundo, quia ad meritum ſufficit, quod ſola prioritate naturæ, & cauſalitatis præcedat præmium: eo quod ſimul tempore poſſunt eſſe meritum, & præmium, & ſimul poteſt eſſe voluntas tendens, & poſsidens; vt habet Diu. Thom. in 2. diſtinct. 5. quæſtion. 2. articul. 1. & quodlibet. 9. articul. 7. vt patet in augmento gratię, & charitatis, quod ſimul tempore hominibus iuſtis confertur quãdo illud actibus intenſioribus promerentur. Sed anima Chriſti ab initio conceptionis habuit primum actum meritorium: nimirum charitatis, vt dictum eſt, qui natura, & cauſalitate præceſsit eius gloriam eſſentialem; ergo non obſtante, quod hanc habuerit ſimul tempore, potuit eam promereri.

Tertio probatur, quia anima Chriſti fuit iuſtificata per propriam diſpoſitionem liberi arbitrij: ſed hęc ſemper eſt meritoria primæ gloriæ eſſentialis, vt contingit in Angelis quando fuerunt iuſtificati, & in hominibus adultis quoties iuſtificantur extra ſacramentum mediante actu dilectionis, ſiue contritionis; qui licet prout antecedit gratiam, tantum ſit diſpoſitio ad illam; tamen prout ſubſequitur gratiam, & informatur ab illa, eſt in eodem inſtanti temporis meritorius primæ gloriæ eſſentialis, quæ gratię iuſtificanti correſpondet, vt hęreditas, & ſimul tali actui meritorio vt corona: ergo pariter gloria eſſentialis, quam habuit anima Chriſti à principio potuit, ac debuit ſimul eius gratię, vt hæreditas, & actui dilectionis, vt corona correſpondere.

31 Sed noſtra concluſio defenditur à Bonauentura, & Ricardo in 3. diſt. 18. à Suario hic diſput. 40. ſect. 1. Vazquio diſput. 78. capit. 3. Aluarez diſputation. 48. & Lorca diſput. 75. Et probatur pro prima parte: nam licet ex ſuppoſitione, quod anima Chriſti habuit gratiã, & gloriam eſſentialẽ à primo inſtanti cõceptionis,

nis, non potuerit eas promereri, tamen potuit de potentia abſoluta eſſe ſine illis ; quia nulla eſt implicatio quo minus Deus potuerit animam Chriſti creare ſine gratia habituali, & ſine gloria eſſentiali, & ſanctificare cum ſola gratia vnionis, vtpote cum hæc ab illis non dependeat, neque cum illis habeat neceſſariam connexionem, ſed tunc poſſet anima Chriſti elicere actus meritorios de condigno gratię, & gloriæ eſſentialis: ergo. Maior eſt nota, & minor probatur, quia actus illi haberent omnes conditiones ad meritum condigni requiſitas; vt oſtendimus ſupra quæſtion. 7. articul. 1. eo quod eſſent à perſona grata, & ſancta per gratiam vnionis, à qua haberent valorem infinitum, & aliàs exiberentur à Chriſto in obſequium Dei, tamquam prætium, quo obtineret, vel emeret huiuſmodi dona gratiæ, & beatitudinis, quæ Deus poſſet Chriſto promittere ſub conditione talis operis exhibendi: ergo.

Deinde pro ſecunda parte probatur, duplici ratione Theologica: Prima eſt, quia ſtatus glorię non eſt aptus ad merendum beatitudinem, vtpote, quia eius opera potius ſunt fructus beatitudinis, quam diſpoſitiones, ſiue pręparationes ad ipſam: ſed anima Chriſti ab inſtanti conceptionis fuit in ſtatu gloriæ eſſentialis: ergo.

Secunda eſt, qua vtitur D. Thom. in hoc artic. 3. quia nimirum meritum vltimi præmij, qualis eſt beatitudo, debet tempore præcedere illud, ac ſupponere illius carentiam in ſubiecto, quo pacto in nobis, neque meritum augmenti gratiæ, illud tempore præcedit quando fit per actum intenſiorem: eo quod non eſt vltimum præmiũ mutans ſtatum merentis: neque in Chriſto meritum gratiæ antiquorum Patrum ſuppoſuit carentiam illius: quia illa collata fuit antiquis Patribus intuitu futurorum meritorum Chriſti per modum anticipatę ſolutionis: ſed actus meritorij animæ Chriſti non præceſſerunt tempore eius beatitudinem eſſentialem, aut gratiam: alioquim aliquando illis caruiſſet, quæ carentia diminueret dignitatem Chriſti potius, quam augeret meritum: ergo.

32 Si dicas, cur anima Chriſti non potuerit promereri ab initio conceptionis ſcientiam infuſam, & augmentum gratiæ: quæ neque ſunt vltimum præmium, neque petunt meritum præcedens tempore, niſi ſola prioritate naturę?

Reſpondetur, quod huiuſmodi meritum deberet eſſe actus amoris Dei. aut alius affectus ſupponens illum, vtpote qui fuit primus actus meritorius in Chriſto, & principium aliorum meritorum, ſicut & in nobis. Sed talis affectus nullam potuit ſupponere cognitionem obiecti à qua regularetur, niſi ipſam viſionem beatam, ac proinde gratiã conſumatam, cui debetur proprium augmentum, & alia dona ſupernaturalia, quæ cum illa veluti connaturaliter connectuntur; vt ſcientia infuſa ſe habet reſpectu Chriſti: in quo proinde ſicut neque viſio beata, ita neque gratia conſumata, neque augmentum gratiæ, neque ſcientia infuſa habuerunt rationem præmij: alioquim illis aliquando à principio caruiſſet, quod non eſt admitendum.

Ex quibus deducitur tertia ratio Theologica: quia nimirum principium meriti non poſt cadere ſub merito, ſaltem ſecundum ordinariam legem: ſed gratia habitualis animæ Chriſti, & beatitudo eſſentialis de facto fuerunt principium merendi in anima Chriſti: gratia quidem, quia fuit ei data, vt eſſet connaturale principium omnium actuum ſuper naturalium: viſio autem beatifica, quia fuit principium, & regula primi actus meritorij: nimirum amoris Dei, qui à nulla alia cognitione præcedenti potuit regulari: alij autem actus meritorij regulabantur à cognitione ſcientiæ infuſæ quam proinde, vt principium ſupponebant: ergo.

33 Ex his patet ad fundamenta vtriuſque ſententię. Ad primum quidẽ prioris reſpondetur illo ſolum conuinci gratiam habitualem non potuiſſe à Chriſto promereri ex ſuppoſitione, quod per illam à principio fuerit ſanctificatus, & operatus ſuper naturales actus: & idem conuincitur ſecundo argumento, quia procedit ex ſuppoſitione facta, quod animæ Chriſti ratione vnionis fuerint debita dona gratiæ, & gloriæ eſſentialis: non quidem debito naturalis dimanationis, vt falſo putat Medina: ſed debito connaturalis condecentię, & exornationis. Fuit enim gratia habitualis reſpectu vnionis non quidem paſsio dimanans, ſed forma exornans ; neque amplius conuincitur

tertio argumento, quod non de potentia abſoluta, ſed ex dicta ſuppoſitione procedit.

34 Ad primum autem poſterioris ſententiæ reſpondetur, ex neutro teſtimonio colligi intentum, non quidem ex primo, quia illud Verbum, *videbit*, non ſignificat viſionem Dei, ſed ſolum viſionē ſeminis longeui, & progreſſus, atquè augmenti fidelium in Eccleſia futuri propter merita Chriſti, iuxta præcedentia verba Eſaiæ: *Si poſſuerit pro peccato animã ſuam videbit ſemem longeuum.* Nequè ex ſecundo, quia in illo nomine *gloria*, non gloria animæ Chriſti quantum ad ſubſtantiam, ſed quantum ad eius manifeſtationem intelligitur: meruit enim Chriſtus ſuis laboribus, vt eius gloria mundo manifeſtaretur: & iuxta phraſim ſcripturę, tūc dicitur aliquid fieri quando manifeſtatur factum.

Ad ſecundum reſpondetur, maiorem illam eſſe veram reſpectu præmij inter medij, cuius modi eſt augmentum gratiæ, & charitatis quando non datur modo connaturali, & tamquam debitum ex alio titulo, vt contingit in cæteris hominibus iuſtis præter quam in Chriſto: falſam vero eſſe quatenus contrahitur ad meritum vltimi præmij, & retractatam à D. Th. 1. part. quæſt. 62. art. 4. Vbi expreſsè ait, quod Angelus non potuit ſimul tempore eſſe merens, & fruens, vt ibidem explicat Banenſius, quare non probatur nobis ſententia Caietani ibidem, & quæſt. 63. art. 6. aſſerentis Angelum in eodem inſtanti fuiſſe viatorem, & beatum; quia idem inſtans poſt eſſe deſitio viæ, & initium termini intrinſecè; quod tamen non minus eſt impoſſibile quam quod in eodem inſtanti ſimul ſint motus, & quies: fides, & viſio. Similiter nequè probatur nobis aliorum expoſitio, quam aducit Bergamo dub. 154. dicens, aut D. Thomam intelligi de gratia propria qualis fuit Chriſti cuius actus poteſt eſſe ſimul fruitio, & meritū, aut de gratia actuali, & auxiliante, quæ ſimul eſt actio hominis moti, & Dei mouentis.

35 Ad tertium neganda eſt maior, ſicut, & de facto illam negant Suarius vbi ſupra ſectione ſecunda, & Cabrera diſputatione citata ad ſecundum, ſi intelligatur de diſpoſitione præparante, & præcedente formam in genere cauſæ materialis, eo quod anima Chriſti, nequè habebat aliquem defectum remouendum, neque indigebat aliqua eleuatione præ requiſita, vt acciperet gratiā habitualem: ſed per vnionem hypoſtaticam erat ſufficienter eleuata, & proportionata, vt connaturaliter illam acciperet, ac proinde non eam accepit mediante propria diſpoſitione præparante, aut præcedente in genere cauſæ materialis, vt vulgo interpretes Diui Thomæ ſupra quæſt. 7. articulo vltimo, & infra quæſt. 34. art. 2. ſentiunt: ſed eam accepit cum actu proprio conſequuto, vel concomitante, qui quidem fuit diſpoſitio non præparans, ſed exornans: & minor intellecta de huiuſmodi diſpoſitione ſecundi generis eſt falſa, ac proinde neganda.

36 Dico ſecundo, Chriſtus meruit directe gloriam proprij corporis, & exaltationē ſui nominis cum regia dignitate, & ſupremi capitis auctoritate. *Proponuntur præmia quæ de facto meruit.*

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus impium errorem Calbini: qui lib. 2. inſtitutionum, cap. 17. § 6. negat Chriſtum ſibi meruiſſe gloriam corporis, vel ſui nominis exaltationem, vel dominatiuam, ſiue iudicatiuam poteſtatem: exiſtimans omnia Chriſti merita ad promerendum nobis dumtaxat fuiſſe ordinata, & aduerſus Scotum, qui in 3. diſtinct. 18. quæſtion. vnica exiſtimat Chriſtum non inmediate per ſe, ſed indirecte tantum ſui corporis gloriam promeruiſſe. Eo quòd gloria corporis erat debita, & naturaliter à principio ex gloria animæ redundaret, niſi diuina diſpenſatione fuiſſet impedita per mortalitatis, & paſsibilitatis conditionem: ergo directe Chriſtus tantum meruit huiuſmodi impedimenti remotionem, quod eſt ipſam corporis gloriam indirecte promeruiſſe.

37 Sed noſtra concluſio pro prima parte, quatenus aſſerit Chriſtum abſolute hæc præmia ſibi pro meruiſſe, eſt certa ſecundum fidem, & probatur primo, ex teſtimonijs Scripturæ; nimirum ex illo ad Philip. 2. *Humiliauit ſemetipſum, &c. Propter quod, & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*, vbi dictio, *propter quod*, denotat cauſam meritoriam iuxta communem Patrum ſententiam, & Ioannis 12. petijt Chriſtus à Patre, Vt clarificaret eum ea claritate quam habuerat prius, quam mundus fieret, hoc eſt claritate, & gloria reſurrectionis ſui corporis, & nominis exaltationis, & Lucæ 24. *Nonne hæc opportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* & infra, *ſic opportebat Chriſtū pati, & reſurgere à mortuis*: ad Hebræos 2. *Videmus Ieſum propter paſsionem*

nem mortis, gloria, & honore coronatum, & cap. 5. *Qui in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationesquè ad eum, qui poſſet illum ſaluum facere à morte cum clamore valido, & lacrimis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia*: ad Epheſios 4. *Quod autem aſcendit quid eſt, ni ſi quia deſcendit primum in inferiores partes terræ*, Eſaiæ 53. *Pro eo quod laborauit videbit, & ſaturabitur*, & Apocal. 5. *Dignus eſt agnus qui occiſus eſt accipere gloriam, & virtutem, & diuinitatem*, intellige quantum ad exteriorem manifeſtationem: & ex alijs locis, atque Patrum teſtimonijs quæ expendunt Belarminius controuerſia 2. lib. 4. cap. 8 Aluarez diſputat. 49. Vazquius diſput. 79. cap. 1. & 2. & Cabrera diſput. 8. concluſione 1. impium, Calbini dogma refutantes.

Secundo probatur ratione Theologica: nimirum, quia Chriſtus vtpote viator meruit per ſuam paſsionē, & obediētiā, atque humilitatem omnia illa dona, & beneficia quæ à principio non habuit, & aliàs pertinebant ad beatitudinem, & præmium virtutis, neque erant naturę debita. Sed huiuſmodi fuerunt gloria corporis reſurrectio, & nominis exaltatio, vt perſpicuum eſt: ergo.

38 Deinde pro ſecunda parte aduerſus Scotum prob. cōcluſio, quia gloria corporis non fuit impedita in corpore Chriſti aliquo impedimento poſitiuo, ſed ſolo impedimento negatiuo, hoc eſt per ſolam diuini concurſus negationem, ſicut ignis Babilonius per huiuſmodi diuini concurſus ſubtractionē fuit impeditus ne pueros combureret, vnde in hoc ſenſu dicitur in perſona Chriſti, Pſalm. 72. *Tenuiſti manū dexteram meam, &c.* Ideſt detinuiſti redundantiam gloriæ animæ in corpus à principio: ergo nullum fuit impedimentum, cuius remotionē Chriſtus per ſe primo meruerit, ſed potius per ſe primo meruit, vt Deus cum beatitudine animę gloriam immortalitatis influat in corpus, præter quā quod licet gloria corporis aliquo extrinſeco, & poſitiuo impedimento fuiſſet detenta nihilominus directe Chriſtus non meruiſſet remotionem talis impedimenti, ſed illud bonū quod ipſi merito correſpondet, tamquam præmium proportionatum, & per ſe apetibile, quod quidem nō eſt remotio impedimenti, ſed gloria corporis, & nominis exaltatio atque honor, qui eſt præmium virtutis.

Denique pro tertia parte probatur à Cabrera, diſputatione citata, concluſione 3. pluribus argumentis, quorum ſumma ad hęc duo reducitur. Primum deſumitur ex teſtimonijs Scripturæ in quibus ſignificatur Chriſtum promeruiſſe regiam, ſacerdotalem, & iudicatiuam poteſtatem, atque capitis Eccleſiæ dignitatem: dicitur enim Danielis 7. quod filius hominis veniebat vſque ad antiquum dierum, ideſt vſque ad æternum Patrem, & in conſpectu eius obtulerunt eum, & dedit ei poteſtatem, & honorem, & regnum, & omnes populi tribus & linguæ ſeruient ei, &c. Pſalm. 2. poſtula à me, & dabo tibi gentes, hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terrę. Hoc eſt, quia pręcibus, & poſtulationibus Chriſtus regnum ſupra totum vniuerſum impetrauit. Et ad Roman. 14. Chriſtus in hoc mortuus eſt, & reſurrexit, vt viuorum, & mortuorum dominetur: & idem ſignificatur in Apocal. 5. dū dicitur, quod agnus occiſus dignus eſt accipere virtutem, & honorem, ideſt poteſtatem dominatiuam, & honorem ſupremi capitis, ac ſacerdotis: ergo.

39 Secundum deſumitur ex ratione Theologica, qua vtitur D. Thom. infra quæſt. 59. art. 3. ad probandum iudiciariam poteſtatem duplici titulo fuiſſe Chriſto debitam, ſcilicet ratione vnionis, & merito paſsionis. Quia nimirum nihil obſtat quo minus huiuſmodi dignitates, & omnes aliæ excellentiæ tam ſpirituales, quam temporales quæ Chriſto homini fuerunt debitæ (exceptis dumtaxat gratia vnionis, & donis infuſis gratiæ habitualis, & glorię eſſentialis) habere potuerint rationem præmij reſpectu meritorum Chriſti: ergo hoc illis non eſt denegandū. Antecedens patet, quia neque obſtat, quod huiuſmodi dignitates iure naturali, & hęreditario competant Chriſto, neque quod illas habuerit in actu primo à primo inſtāti ſuæ cōceptionis, & quod illis nūquā caruerit, quę duo maxime merito obſtare potuiſſent: nō primum, quia duplex ille titulus ſcilicet iuris naturalis, ſiue hęreditarij, ac meriti non fuit in Chriſto incōpatibilis, qui gloriam corporis vtroque titulo fuit adeptus: neque eſt incompatibilis in alijs iuſtis adultis, qui primam gloriam vtroque titulo adipiſcuntur, hoc eſt titulo hæreditatis tamquam debitam gratiæ, & tamquam debitam merito vltimæ diſpo-

Rr 5

diſpoſitionis. Neque ſecundum, quia ad huiuſmodi dignitates præceſſerunt in anima Chriſti prioritate naturæ primi actus meritorij, ſcilicet dilectionis Dei, obedientiæ, & acceptationis mortis: etenim cum iſti actus proceſſerint à gratia, & charitate tamquam à radice, & principio merendi, & non ab iſtis poteſtatibus, ſiue dignitatibus, vtpotè quarum vſus tantum eſt externus: propterea prædicti actus interni potuerunt, ac debuerunt conuenire Chriſto prius natura, quam huiuſmodi dignitates: eo vel maxime, quod illi actus, & virtutes à quibus procedunt, conueniunt Chriſto, vt eſt perſona ſingularis, & in ordine ad ſe: iſtę autem dignitates conueniunt Chriſto, vt eſt perſona communis, ac politica in ordine ad alios: prior autem eſt comparatio perſonæ ad ſe, quam ad alios, & prior eſt ratio viri, quam ciuis: vt autem huiuſmodi dignitates potuerint meritum terminare ſufficit præcedentia, & prioritas naturæ, vt dictum eſt ſupra: ergo.

Dico tertio, Chriſtus Dominus meruit nobis omnia auxilia, & dona gratiæ à prima vocatione, vſque ad vltimam gloriæ conſumationem.

40 Hęc concluſio ſtatuitur aduerſus duas ſententias Theologorum, quarum altera negat Chriſtum promeruiſſe auxilia, & diſpoſitiones antecedentes ad gratiam iuſtificantem, quam ſequuntur Capreolus in 3. diſt. 18. quæſt. vnica art. 3. Ferrara 4. contra gent. cap. 55. & Ruardus Taper 1. tom. art. 6. & Conradus 1. 2. quæſtion. vltima art. 6. Altera vero eſt Driedonis lib. de captiuitate tract. 2. negantis Chriſtum meruiſſe fidem, & ſpem infuſam, & illa dona ſupernaturalia quæ poſſunt tempore antecedere gratiam iuſtificantem. Cui affinis eſt ſententia Decani Lobanienſis, art. 3. contra Lutherum negantis Chriſtum meruiſſe nobis aplicationem ſacramentorum; maxime quod Baptiſmus aplicaretur paruulis.

Chriſtus nobis promeruit omnia dona gratiæ à prima vocatione, vſque ad vltimam gloriæ cõſumationem.

Sed noſtra concluſio communiter defenditur à Theologis, de qua videantur Vega lib. 4. in toto in Concilium, & lib. 15. cap. 9. Hoſius Cardinalis in confeſsione fidei cap. 41. Lindanus lib. 3. Panoplię cap. 56. Suarius diſputat. 41. à ſectione 1. vſque ad 3. Cabrera in hoc art. 4. d. 2. vſque ad 4. diſputationem, Vazquius, diſp. 77. cap. 2. & 3. & Aluarez diſp. 50.

Et probatur, omiſsis teſtimonijs Scripturæ, & Sanct. Patrum, quæ expendunt prædicti Auctores. Primo, ex vniuerſalitate gratiæ collatæ Chriſto homini, tamquam capiti, & vniuerſali principio in genere habentium gratiam. Nam teſte D. Thom. ſupra quęſt. 7. art. 9. Chriſto data fuit gratia, tamquam vniuerſali principio cuius virtus, & influxus ſe extendit ad omnes effectus, & operationes gratiæ, & quęſt 8. art. 1. & 3. aſſerit Chriſtum eſſe caput totius Eccleſiæ, & influere omnem motionem ſupernaturalem, etiam in eos qui habent fidem informem.

Secundo probatur, ex vniuerſalitate redemptionis Chriſti, cuius proinde paſſio dicitur medicina vniuerſalis omnium infirmitatum ſpiritualium, vt oſtendit ſanctus Thomas, infra quæſt. 49. art. 1. ſed ad vniuerſalem redemptionem pertinet cõferre, quidquid conducit ad gratiam redēptiuam: & ad vniuerſalem medicinam pertinet conferre non ſolum ſanitatem ipſam, ſed quidquid diſponit ad illam: ergo cauſalitas paſsionis Chriſti extenditur non ſolum ad gratiam iuſtificantem, ſed etiam ad omnes vocationes, & diſpoſitiones ſupernaturales, quæ ad illam diſponunt.

41 Tertio probatur ex Concilio Tridentino Seſsione 6. cap. 5. diffiniente exordium iuſtificationis in adultis eſſe à Dei preueniente gratia per Ieſum Chriſtum, & cap. 6. in hoc exordio numerat fidem, ſpem veniæ, deteſtationem peccati, & timorem diuinę iuſtitię, &c. & capit. 7. ſubdit: *Hæc omnia accipit homo ſimul infuſa cum remiſsione peccatorum per Chriſtum, cuĩ inſeritur per fidem, ſpem, & charitatem*, & capit. 8. ſubdit propterea hominem iuſtificari per fidem: quia fides eſt prima radix, & initium iuſtificationis: ergo. Concluſio pro hac parte eſt certa ſecundum fidem, & quia iuſtificatio quæ fit per ſacramenta ex opere operato, fit mediante ſacramento aplicato operante in virtute Chriſti, propterea, qua ratione probatur Chriſtum cauſare tam hominis adultĩ quam paruuli iuſtificationem: eadem & probatur Chriſtum cauſare ſuis meritis Baptiſmi, & aliorum ſacramentorum aplicationem.

Vltimo probatur: quia Chriſtus fuit cauſa prædeſtinationis hominum, & electionis diuinæ, prout terminatur ad effectum

ctum (licet non prout eſt actus increatus diuinæ voluntatis, ſiue intellectus) ad hoc autem opus eſt, vt meruerit totam ſeriem effectuum prædeſtinationis à primo, vſque ad vltimum in prædeſtinatis: ergo debuit promereri in illis cuncta auxilia, diſpoſitiones, & actus ſupernaturales tam antecedentes, quam conſequentes ad gratiam iuſtificantem, & conſumatam. Conſequentia patet, quia in electis hæc omnia ſunt effectus prædeſtinationis. Minor vero conſtat ex his quæ docuimus in materia de prædeſtinatione, & maiorem etiam ibidem ex profeſſo oſtendimus, de qua etiam videndi ſunt Suarius in dicta diſp. 41. ſectione 4. Cabrera hic diſp. 1. & Aluarez diſp. 39. de auxilijs: qui explicant qualiter Chriſtus meruerit actum diuinæ electionis, & prædeſtinationis noſtræ ex parte effectuum, ſeu terminationis ad illos. Neque in hoc ſenſu dixiſſe vnquam Diu. Thom. non dari cauſam diuinæ voluntatis, vt falſo putauit Medina hic dubitation. 5. ſed ſolum ex parte actus, & ſecundum ſe: cum quo ſtat benè, vt quandoque ex parte obiectorum ſit vnum, ſiue cauſa, ſiue ratio motiua, vel meritoria non ſolum reſpectu alterius obiecti, ſed etiam reſpectu ipſius voluntatis diuinæ quantum ad terminationem ad tale obiectum: & hoc modo meruit Chriſtus in intẽtione diuina præuiſus, vt Deus homines eligeret ad gloriam, & prædeſtinaret.

42 Dices: Chriſtus non meruit ſuam incarnationem: quæ tamen fuit medium ad noſtram gratiam, & gloriam: ergo neque iſtam meruit nobis. Conſequentia patet, quia vt quis promereatur aliquem finem, & omnia media ad illum neceſſaria debet promereri.

Reſpondetur nihilominus, vel negando minorem, eo quod incarnatio potius eſt cauſa noſtræ ſalutis quam mediũ, vtpotè cum noſtra ſalus nõ ſit finis propter quem, reſpectu incarnationis, vel admiſſa minori negatur conſequentia, quia incarnatio eſt medium volitum per alteram prouidentiam diſtinctam à prædeſtinatione hominum cæterorum, ac proinde non opportet, vt tale medium cadat ſub meritum finis ad quem ordinatur.

Obijcies ſecundo: auxilia ſufficientia imò, & efficacia ad aliquos actus ſupernaturales communia reprobis, & electis dantur ex vi voluntatis antecedentis, qua Deus vult omnes homines ſaluos fieri: quam voluntatem Chriſtus nobis non meruit: eo quod illam habuit Deus antecedenter ad decretum prædeſtinationis Chriſti, vt conſtat ex ordine ſignorum indecretis diuinę voluntatis à nobis conſtituto ſupra quæſt. 1. art. 3. ergo.

Reſpondetur, nihilominus huiuſmodi auxilia communia reprobis, & electis dari nobis poſt lapſum Adami ex meritis Chriſti; quia illa prior voluntas antecedens ſaluandi omnes homines ante lapſum Adami non operatur modo, niſi aplicata dependenter à Chriſti meritis, vt ibidem, & in materia de prædeſtinatione ſatis oſtendimus.

QVAES-

QVAESTIO XX.

De conuenientibus Chriſto, ſecundum quod Patri fuit ſubiectus, in duos articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm dicendum ſit Chriſtum eſſe ſubiectum Patri?

q.42.a.4 ad 1.& q.43.a.7. ad 1.& 3. d.11.a.1. ad 2.& d.17.a.3.q.3.co.& 1 Cor.15.l.3.fi.

** c.4. habetur hic lib inter opera, Aug. t.3.1.q.16 a.8.*

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod non ſit dicendum, Chriſtum eſſe ſubiectum patri. Omne enim quod ſubijcitur Deo patri, eſt creatura: quia, vt dicitur in libro de Eccleſiaſticis dogmatibus, * In Trinitate nihil eſt ſeruiens, neque ſubiectum. Sed non eſt ſimpliciter dicendum, quod Chriſtus ſit creatura, vt ſupra dictum eſt. † Ergo etiam non eſt ſimpliciter dicendum, quod Chriſtus ſit Deo patri ſubiectus.

2 Præterea. Ex hoc dicitur aliquid Deo ſubiectum, quod eſt eius dominio ſeruiens. Sed humanæ naturæ in Chriſto non poteſt attribui ſeruitus. Dicit enim Damaſcen. in 3. lib. * Sciendum eſt, quod neque ſeruam ipſam, ſcilicet humanam naturam Chriſti, dicere poſſumus: ſeruitutis enim, & dominationis nomina, non naturæ ſunt nomina, cognitioniſque ſigna; ſed eorum, quæ ad aliquid, quemadmodum paternitatis, & filiationis nomina. Ergo Chriſtus ſecundum humanam naturam, non eſt ſubiectus Deo Patri.

** l. 3. ort. fid. ca. 21. parum ante med.*

3 Præterea. Prioris ad Cor. 15. dicitur. Cum autem ſubiecta illi fuerint omnia, tunc ipſe filius ſubiectus erit illi, qui ſibi ſubiecit omnia. Sed ſicut dicitur Hebr. 2. Nunc necdum videmus omnia ſubiecta ei. Ergo nondum ipſe eſt ſubiectus patri, qui ei ſubiecit omnia.

Sed contra, eſt quod Dominus dicit Ioann. 14. Pater maior me eſt. Et Auguſtin. dicit 1. de Trinitat. * Non immerito ſcriptura vtrumque dicit, & æqualem Patri Filium, & Patrem maiorē Filio: illud enim propter formam Dei, hoc autem propter formam ſerui, ſine vlla confuſione intelligitur. Sed minor eſt ſubiectus maiori Ergo Chriſtus ſecundum formam ſerui, eſt Patri ſubiectus.

l. 1. de Trinit. c. 7. ante med. t. 3

Reſpondeo dicendum, quod cuilibet habenti aliquam naturam,

con-

conueniunt ea quæ ſunt propria illi naturæ. Natura autem humana ex ſui conditione habet triplicem ſubiectionem ad Deum. Vnam quidem ſecundum gradum bonitatis: prout ſcilicet diuina natura eſt ipſa eſſentia bonitatis: vt patet per Dionyſ. * 1. cap. de diuin. nom. natura autem creata habet quandam participationem diuinæ bonitatis, quaſi radijs illius bonitatis ſubiecta. Secundo, humana natura ſubijcitur Deo, quantum ad Dei poteſtatem, prout ſcilicet natura humana, ſicut & quælibet creatura ſubiacet operationi diuinæ diſpoſitionis. Tertio modo ſpecialiter humana natura Deo ſubijcitur, quantum ad proprium ſuum actum: inquantum ſcilicet propria voluntate obedit mandatis eius. Et hanc triplicem ſubiectionem ad Patrem Chriſtus de ſe ipſo confitetur. Primam quidem Matth. 19. Quid me interrogas de bono? vnus eſt bonus Deus. Vbi Hieronym. * dicit, Qui magiſtrum vocauerat bonum, & non Deum, vel Dei filium confeſſus erat, dixit, hominem, quamuis ſanctum, in comparatione Dei non eſſe bonum. Per quod dedit intelligere, quod ipſe ſecundum humanam naturam non pertingebat ad gradum bonitatis diuinæ. Et quia in his, quæ non mole magna ſunt, idem eſt eſſe maius, quod melius, vt Auguſtin. dicit in 6. de Trinitat. * ex hac ratione pater dicitur maior Chriſto ſecundum humanam naturam. Secunda etiam ſubiectio Chriſto attribuitur, in quantum omnia quę circa humanitatem Chriſti acta ſunt, diuina diſpoſitione geſta creduntur. Vnde Dionyſ. † dicit 4. cap. cœl. hierar. quod Chriſtus ſubijcitur Dei patris ordinationibus. Et hæc eſt ſubiectio ſeruitutis, ſecundum quod omnis creatura Deo ſeruit, eius ordinationi ſubiecta: ſecundum illud Sap. 16. Creatura tibi factori deſeruiens. Et ſecundum hoc etiam filius Dei Philip. 2. dicitur, formam ſerui accepiſſe. Tertiam etiam ſubiectionem attribuit ſibi ipſi Ioa. 8. dicẽs Quæ placita ſunt ei, facio ſemper. Et hæc eſt ſubiectio obedientiæ. Vnde dicitur Philip. 2. quod factus eſt obediens patri vſque ad mortem.

Super illud. Quid me interrogas de bono? t. 9.

l. 6. de trin. c. 8. circa med. t. 3

c. 4. cir. ſi. illius.

Ad primum ergo dicendum, quod ſicut non eſt ſimpliciter intelligendum, quod Chriſtus ſit creatura, ſed ſolum ſecundum humanam naturam, ſiue apponatur ei determinatio, ſiue non: (vt ſupra dictum eſt *) ita etiam non eſt ſimpliciter intelligendum, quòd Chriſtus ſit ſubiectus patri; ſed ſolum ſecundum humanam naturam; etiam ſi hæc determinatio non apponatur, quam tamen conuenientius eſt apponere, ad euitandum errorem Arij, qui poſuit filium minorem patre.

q. 16. a. 8

Ad ſecundum dicendum, quod relatio ſeruitutis, & dominij fundatur ſuper actione, & paſsione, inquantum ſcilicet ſerui eſt moueri à domino ſecundum imperium. Agere autem non attribuitur naturæ ſicut agenti, ſed perſonæ; actus enim ſuppoſitorum ſunt, & ſingularium, ſecundum Philoſophum. * Attribuitur tamen actio naturæ, ſicut ei ſecundum quam perſona, vel hypoſtaſis agit. Et ideo quamuis non proprie dicatur quod natura ſit domina vel ſerua, poteſt tamen proprie dici, quod quælibet hypoſtaſis, vel perſona ſit domina, vel ſerua ſecundum hanc vel illam naturam. Et ſecundum hoc nihil prohibet, Chriſtum dicere patri ſubiectum, vel ſeruum ſecundum humanam naturam.

l. 1. met. parùm poſt pri. t. 2. 3

Ad tertium dicendum, quod ſicut

cut Auguſtin. dicit in primo de Tri- nitat. * tunc Chriſtus tradet regnũ Deo, & patri, quando iuſtos, in quibus nunc regnat per fidem, perducturus eſt ad ſpeciem: vt ſcilicet videant ipſam eſſentiam communem patri, & Filio. Et tunc totaliter erit patri ſubiectus non ſolum in ſe, ſed etiam in membris ſuis, per plenam participationem diuinæ bonitatis. Tunc etiam omnia erunt plene ei ſubiecta per finalem impletionem ſuæ voluntatis de eis, licet etiam modo ſint omnia ei ſubiecta quantum ad poteſtatem ſecundum illud Matth. vlt Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra.

l. 1. de Trinit. cap 8. ante me. 10. 3.

* CONCLVSIO eſt, Chriſtus eſt ſubiectus Patri ſecundum bonitatem, ſeruitutem, & obedientiam. Quæ ſuadetur tum ex illo Ioannis 14. *Pater maior me eſt.*

Tum etiam, quia natura humana ex ſui conditione habet triplicem ſubiectionem erga Deum: nimirum ſecundum bonitatem quæ eſt participata à Deo qui eſt bonus per eſſentiam: necnon ſecundum ſeruitutem, quia Chriſtus formam ſerui accepit in humanitate, vtpotè quia cum creatura ſit poteſtati, & diſpoſitioni diuinæ, in omnibus geſtis circa ipſam debuit ſubijci: & tandem ſecundum obedientiam, quia humana natura ſua voluntate voluit obedire diuinis mandatis, iuxta illud Ioannis 8. *Quæ placita ſunt ei, facio ſemper.*

ART. II.

Vtrùm Chriſtus ſit ſubiectus ſibi ipſi?

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod Chriſtus non ſit ſubiectus ſibi ipſi. Dicit enim Cyrillus in epiſtola ſynodica. * Quam ſcilicet ſynodus Epheſina, recepit: neque ipſe Chriſtus ſibi ſeruus eſt, nec dominus: fatuum enim eſt, magis autem, & impium ita dicere, & ſapere. Et hoc etiam aſſerit Damaſcen. † in 3. lib. dicens: Vnum enim ens Chriſtus, non poteſt ſeruus eſſe ſui ipſius, & dominus. Sed in tantum Chriſtus dicitur ſeruus patris, in quantum eſt ei ſubiectus. Ergo Chriſtus non eſt ſubiectus ſibi ipſi.

In ſyn. 12 Eph. miſſa ad Neſtor. in med. illius.

† l. 3. fid. orth. c. 21. parum à

2 Præterea. Seruus refertur ad dominum. Sed relatio non eſt alicuius ad ſe ipſum. Vnde, & Hilarius dicit in lib. de Trinitat. * quod nihil eſt ſibi ſimile, aut æquale. Ergo Chriſtus non poteſt dici ſeruus ſui ipſius, & per conſequens, nec ſibi eſſe ſubiectus.

lib. 3. non multum remote antè finem.

3 Præterea. Sicut anima rationalis, & caro vnus eſt homo: ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus; vt Athanaſ. * dicit. Sed homo non dicitur ſubiectus ſibi ipſi, vel ſeruus ſui ipſius, aut maior ſe ipſo propter hoc, quod corpus eius ſubiectum eſt animæ. Ergo neque Chriſtus dicitur ſubiectus ſibi ipſi propter hoc, quod eius humanitas ſubiecta eſt diuinitati ipſius.

In ſuo ſymbolo fidei.

Sed

Sed contra eſt, quod Auguſtin. dicit in 1. * de Trinitat. Veritas oſtendit, ſecundum iſtum modum, quo ſcilicet Pater maior eſt Chriſto ſecundum humanam naturam, etiam ſe ipſo minorem filium.

li. 1. c. 7. ante me. io. 3.

4 Præterea. Sicut ipſe argumentatur ibidem, ſic accepta eſt á filio Dei forma ſerui, vt non amitteretur forma Dei. Sed ſecundum formam Dei, quę eſt communis Patri, & Filio, Pater eſt Filio maior ſecundum humanam naturam. Ergo etiã Filius eſt maior ſe ipſo ſecundum humanam naturam.

5 Præterea. Chriſtus ſecundum humanam naturam eſt ſeruus Dei patris, ſecundum illud Ioann. 20. Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum. Sed quicumque eſt ſeruus patris, eſt ſeruus filij: alioquin non omnia quæ ſunt patris, eſſent filij. Ergo Chriſtus eſt ſeruus ſui ipſius, & ſibi ſubditus.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut dictum eſt, * eſſe dominum, & ſeruum attribuitur perſonæ, vel hypoſtaſi ſecundum aliquam naturam. Cum ergo dicitur Chriſtus eſſe dominus, vel ſeruus ſui ipſius, vel quod Verbum Dei eſt Dominus hominis Chriſti: hoc poteſt intelligi dupliciter. Vno modo, vt intelligatur hoc eſſe dictum ratione alterius hypoſtaſis vel perſonæ, quaſi alia ſit perſona Verbi Dei dominantis, & alia hominis ſeruientis; quod pertinet ad hereſim Neſtorij. Vnde in condemnatione Neſtorij dicitur in ſynodo Epheſina. * Si quis dicit Deum, vel dominum eſſe Chriſti, ex Deo patre Verbum, & non magis eundem ipſum confitetur ſimul Deum, & hominem, vtpotê Verbum factum carnem, ſecũdum Scripturas: anathema ſit. Et hoc modo negatur â Cyrillo, & Damaſceno. * Et ſub eodem ſenſu negandũ eſt, Chriſtum eſſe minorem ſe ipſo, vel eſſe ſibi ſubiectum. Alio modo poteſt intelligi ſecundum diuerſitatem naturarum in vna perſona, vel hypoſtaſi. Et ſic dicere poſſumus ſecundum vnam earum, in qua cum patre conuenit, ſimul eum cũ patre præeſſe, & dominari: ſecundum verô alteram naturam, in qua nobiſcum conuenit, ipſum ſubeſſe, & ſeruire. Et per hunc modum dicit Auguſtinus. * Filium eſſe ſe ipſo minorem. Sciendum tamẽ, quod cum hoc nomen Chriſtus ſit nomẽ perſonæ, ſicut & hoc nomen filius; illa per ſe, & abſolute poſſunt dici de Chriſto, quæ conueniunt ei ratione ſuæ perſonæ, quę eſt æterna; & maxime huiuſmodi relationes, quæ magis proprie videntur ad perſonam, vel hypoſtaſim pertinere. Sed ea quæ conueniunt ſibi ſecundum humanam naturam, ſunt ei potius attribuenda cum determinatione; vt videlicet dicamus Chriſtum eſſe ſimpliciter maximum, & dominum, & præſidentem. Quod autem ſit ſubiectus, vel ſeruus, vel minor, eſt ei attribuendum cum determinatione, ſcilicet ſecundum humanam naturam.

ã. præc. ad 2.

in conc. 1. Epheſ. cui præfuit Cir. can. 3. locis in argum. 1. cit.

libr. 1. de Trin. c 7. ante mediũ io. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod Cyrillus, & Damaſcenus † negant Chriſtum eſſe dominum ſui ipſius, ſecundum quod per hoc importatur pluralitas ſuppoſitorum, quæ requiritur ad hoc, quod aliquis ſimpliciter ſit dominus alicuius.

† loc. in arg. 1. cit.

Ad ſecundum dicendum, quod ſimpliciter quidem opportet eſſe alium dominum, & alium ſeruum: poteſt tamen aliqua ratio dominij, & ſeruitutis ſeruari, prout idem eſt dominus, & ſeruus ſui ipſius, ſecundum aliud, & aliud.

Ad tertium dicendum, quod propter diuerſas partes hominis,

qua-

Digitized by Google

quarum vna eſt ſuperior, & alia inferior, dicit etiam Phyloſoph. in 5. *c. vlt. t. 5.* Ethicor. * quod eſt hominis ad ſe ipſum iuſtitia, in quantum iraſcibilis, & concupiſcibilis obediunt rationi. Vnde per hunc modum etiã vnus homo poteſt dici ſibi ſubiectus, & ſeruiens, ſecundum diuerſas ſui partes.

Ad alia autem argumenta patet reſponſio ex dictis. * *lib. 1. de Trin. c. 7. to. 1.* Nam Auguſtin. aſſerit filium ſe ipſo minorem eſſe, vel ſibi ſubiectum, ſecundum humanam naturam, non ſecundum diuerſitatem ſuppoſitorum.

2 PRIMA concluſio, Chriſtus non eſt ſubiectus ſibi, nec Dominus ſui ratione perſonæ, ſed ratione naturarum. Prima pars eſt diffinita in Concilio Epheſino, 1. canone 6.

Secunda vero probatur, tum ex Auguſtin. lib. 1. de Trinitat. cap. 7. dicente, quod filius eſt maior ſe ipſo ſecundum humanam naturam, ſicut Pater eſt maior filio ſecundum eandem.

Tum etiam, quia Chriſtus ſecundũ humanam naturam eſt ſeruus Dei, iuxta illud Ioannis 20. *Aſcendo ad Patrem meũ, & Patrem veſtrum Deum meum, &c.* Sed qui eſt ſeruus Patris, eſt etiam ſeruus Filij: aliàs non omnia quæ ſunt Patris, eſſen Filij; quod non eſt admittendum: ergo.

Secunda concluſio, quæ conueniunt Chriſto per ſe, & abſolutè ratione perſonæ, ei poſſunt ſimpliciter tribui: quæ autem conueniunt ſecundum humanam naturam, dicuntur de illo cum determinatione. Cuius ratio eſt, quia hoc nomen, Chriſtus, eſt nomen perſonæ, vndè ſimpliciter dicitur maximus, Dominus, &c. at ſeruus tantum dicitur ſecundum humanam naturam.

Circa has concluſiones vnicum dubium controuerti ſolet à Theologis.

(***)

Dubiũ eſt: An Chriſtus, vt homo ſit dicendus verè, & proprie ſeruus Dei, ſiue Patris: quod à nobis propterea in controuerſiam vocatur.

IN hoc dubio duæ verſantur ſententiæ. Prima eſt negatiua, quam ſequitur Vazquius diſp. 80. cap. 3. & duobus ſequentibus, & cap. 7. contendens prædictã propoſitionem affirmantem Chriſtum eſſe ſeruum ſiue abſolute, ſiue cũ illo addito *ſecundum humanitatem*, non ſolum eſſe falſam, ſed ab Eccleſia damnatam. Cuius fundamenta ſunt quatuor. Primum deſumit ex Concilio Frãco Fordienſe aduerſus Elipandum Archiepiſcopũ Tolletanũ, & Felicem Epiſcopum Vrgelitanum eius ſocium congregato, qui aſſerebant Chriſtum eſſe ſeruum, & filium adoptiuum Dei, ſecundum humanam naturam; ſiue per carnis aſſumptionem: ſed vtrũque pariter damnat prædictum Concilium in epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ miſſa ab Adriano 1. vbi Adrianus acriter reprehendit eos, qui Chriſtum ſeruum, aut filium adoptiuum appellant, dicens: *Cur non veremini queruli obtrectatores Deo odibiles, illum ſeruum nuncupare, &c.* & idem damnat Concilium Alexandrinum in epiſtola Cyrili 10. quæ recepta fuit à Concilio Epheſino 1. anathematiſmo 6. dicens Chriſtum neque eſſe ſeruum ſibi, nec dominũ: ergo quemadmodum Chriſtus nullatenus eſt filius adoptiuus, vt oſtendit Diu. Thom. quæſt. 23. ſequenti art. 4. ita nullatenus eſt ſeruus: cum vtrumque pariter ſit damnatum.

Secundum deſumitur ex teſtimonijs Scripturæ, quibus Concilium Franco-Fordienſe vtitur in prædicta epiſtola: nimirum in quibus Chriſtus, etiam ſecundum quod homo appellatur filius, ac domi-

minus ; vt Matth. 3. *Hic eſt filius meus dilectus*, Marci vltimo , *Dominus quidem Ieſus:&c.* & Ioannis 13. *Vos vocatis me Magiſter,& Domine , & bene dicitis , &c.* & Matth. 21. explicat Chriſtus de ſe ipſo illud Pſalm. 109. *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis* , & ad Philippenſ. 2. *Omnis lingua confiteatur , quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris*: ſed implicat aliquem eſſe ſeruum ſecundum eadem naturam, ſecundum quam eſt Dominus,& filius: ergo.

Tertia deſumitur ex teſtimonijs ſanctorum Patrum, hoc ipſum aſſerentium: nimirum Auguſtin. tract. 3. in Ioannem Chryſoſtomi homilia 15. in Epiſtolam ad Hebræos , Athanaſij ſermone tertio contra Arrianos,& Nicetas lib. 3. Theſauri capit. 38. & Damaſceni lib. 3. de fide capit. 21. dicentis. quod qui ſeruum appellant Chriſtum, illum inſtar Neſtorij in duos diuidunt.

Ex quibus verbis tale deducitur argumentum , quo vtitur Damaſcenus: ſeruus ac Dominus ſunt nomina, non naturæ, ſed ſtatus, ac perſonæ, quia relatiua ſunt, ſicut Pater,& Filius: ac proinde petunt diſtinctionem ſuppoſitorum : ſed Chriſtus etiam quatenus homo non habet diſtinctum ſuppoſitum à perſona diuina: ergo nequit eſſe ſeruus reſpectu Dei, aut diuini ſuppoſiti.

Quartum deſumitur ex diffinitione ſerui, quam aſsignat Phyloſophus lib. 1. Polytic. cap. 3. dicens: ſeruum eſſe illum qui eſt ſub dominio alterius, in cuius bonis , honore , & ſede non communicat, ſed humanitas Chriſti communicat cum deitate , quia in illa inhabitat omnis plenitudo diuinitatis , vt dicitur ad Coloſ. 2. in honore, quia debetur ei adoratio latriæ: & in ſede, quia ſicut vxor Regis dicitur ratione matrimonij Regina : ita & humanitas aſſumpta ratione vinculi vnionis dicitur Regina, iuxta illud Pſal. 44. *Adſtitit Regina à dextris tuis* , & Apocal. 19. in fæmore, id eſt in humanitate, dicitur Chriſtus habere ſcriptum, *Rex Regum , & Dominus dominantium* : ergo.

Secunda ſententia affirmans Chriſtum, eſſe ſeruum cum hoc addito , ſcilicet, vt hominem , vel ſecundum humanitatem, ſiue expreſſo, ſiue ſub intellecto; defenditur communiter à Theologis cum Diu. Thom. in hac quæſtione, de quorum numero ſunt Medina , Suarius diſput. 44. ſection. 1. & 2. Aluar. diſputat. 74. Cabrera, diſputat. vnica , Siluius in eadem quæſtione artical. 1. Lorca diſputation. 78. quæ debet numerari 79. Ranguſa diſp. 16. & Puteanus in expoſitione eiuſdem art. 1.

Huc pertinet illa ſententia , quam Cabrera, tamquam tertiam cõdiſtinguit, aſſerentem Chriſtum abſolute , & ſine addito dicendum eſſe ſeruum Dei : nam vel hæc ſententia affirmat Chriſtum eſſe ſeruum ſine vllo addito tam expreſſo, quam ſub intellecto: & ſic eſt fictitia , & nullius eſt Authoris, vel id admittit ſine addito expreſſo, ſed non ſine addito ſub intellecto : & hæc non ponit in numero cum ſecunda ſententia neque ab illa diſtinguitur.

3 Vnde pro eius declaratione: dico primo, Chriſtus vt homo , ſiue ſecundum humanitatem, verè, & propriè dicendus eſt ſeruus Patris , & Dei prout communis tribus perſonis. *Temeritatis nota inuritur opinio negans Chriſtum, vt hominẽ eſſe ſeruum*

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus, Authorem primæ ſententiæ, qui riguroſa cenſura animaduertens in parentem Theologiæ Diu. Thomam cõtendit eius ſententiam ab Eccleſia fuiſſe damnatam: ſed potius ipſe temeritatis nota inurendus eſt,& ea pœna plectendus, qua in iure ciuili plectuntur filij erga parentes, & liberti erga patronos ingrati; l. 1. ff. de bonis libertorum; & l. 2. ff. de liberis , & eorum libertate, de quo videndi ſunt Covarruuias...

Probaturque noſtra concluſio, primo ex teſtimonijs Scripturæ, in quibus Chriſtus appellatur ſeruus , vt Eſai. 42. *Ecce ſeruus meus , ſuſcipiam eum , electus meus complacuit, ſibi in illo anima mea* ; qui locus Matth. 12. exponitur de Chriſto, licet ab Euangeliſta non legatur ſeruus meus, ſed puer meus. Eo quod ita habetur, apud 70. Interpretes, quorum translationem regulariter, ſequuntur Apoſtoli,& Euangeliſtæ in allegandis locis veteris teſtamenti , & Hieronimus ſuper eundem locum ſic ait : *Nec mirum ſi ſeruus vocetur factus ex muliere factus ſub lege , qui cum in forma Dei eſſet, humiliauit ſe, formam ſerui accipiens , &c.* & capit. 49.

pit. 49. *Parum eſt mihi vt ſis ſeruus meus, &c.* & capit. 51. *Ecce intelliget ſeruus meus, exaltabitur, & eleuabitur, & ſublimis erit valde*, quæ loca exponit Hieronymus ſuper epiſtolā ad Titum capit. 1. dicens: *Nec mirum ſanctos homines, Dei ſeruos nobiliter appellari, cum per Eſaiam Prophetam pater loquatur ad filium: magnum tibi eſt vocari te ſeruum meum*, Ezech. 34. *Suſcitabo ſuper eas paſtorem vnum ſeruum meum David*, & Zach. 3. *Adducam ſeruum meum orientem*, ideſt Chriſtum, qui eſt filius Dauid, & cuius nomen eſt *Oriens*: vt ad litteram ibidem Hieronym. interpretatur.

Ex quibus tale deducitur argumentum: hæc teſtimonia intelligenda ſunt non in ſenſu metaphorico, & improprio, vt perperam, & ſine fundamento vult Vazquius: ſed in illis fit ſermo de Chriſto homine, qui appellatur ſeruus: ergo ex modo loquendi Scripturę Chriſtus vere, & propriè dicendus eſt ſeruus. Maior patet dupliciter.

Tum, quia Hieronymus in ſenſu literali, & proprio huiuſmodi teſtimonia de Chriſto interpretatur, ſecluſa omni metaphorica locutione.

Tum etiam, ex Auguſtin. lib. 3. de doctrina Chriſtiana, capit. 10. & Athanaſij, lib. de communi eſſentia Patris, & Filij, regula aſſerente, loca ſacræ Scripturæ, ſemper in ſenſu proprio eſſe intelligenda, niſi apertum ex illis contra fidem, aut bonos mores inconueniens ſequatur. Minor vero eſt communiter à Patribus recepta: nimirum à Hieronymo vbiſupra, Auguſtino epiſtola 178. & ſermon. 5. de tempore, Ambroſio, epiſtol. 47. Chryſoſtomo, ſermon. 7. ad Philipen. & ab alijs citatis à Suario, & à Cabrera vbiſupra colligentibus ex dictis locis Scripturæ Chriſtum veram ſeruitutem in humana natura ſuſcepiſſe: ergo.

Secundo probatur, quia vt arguit Diu. Thom. in hoc articul. 1. ratione ſecunda: omnis creatura contrahit veram ſeruitutem reſpectu creatoris cujus poteſtati, ac dominio ſubijcitur: ſed Chriſtus in quantum homo eſt creatura, vt patet ex dictis ſupra quæſtion. 16. articul. 10. ergo pariter, & eadem ratione in quantum homo dicendus eſt ſeruus.

Huic argumento dupliciter poſſet quis obuiare. Primo quidem cum Vaſquio negando maiorem, quia non omnis creatura fundat relationem ſeruitutis, niſi quando ſubeſt negationi communicationis in bonis, cuius negationis expers eſt humanitas Chriſti.

Secundo ab inconuenienti: nam cum omnis reduplicatiua propoſitio verificet ſuam præiacentem, iſtæ duæ reduplicatiuæ, Chriſtus in quantum homo eſt creatura, & in quantum homo eſt ſeruus, ſi veræ eſſent verificarent ſuas præiacentes: nimirum iſtas, Chriſtus eſt creatura, & Chriſtus eſt ſeruus, ſine addito; quarum tamen alteram negat Diu. Thom. in dict. articul. 10. & alteram in ſolutione ad primum huius articuli primi: ergo tam minor, quam conſequens diſcurſus facti deficit à veritate.

Sed neutra ſolutio eneruat vim argumenti facti: non prima, quia etiam homines iuſti, & amici Dei vere ſunt ſerui illius, vt fatetur Hieronymus vbiſupra, & patet, quia ita appellantur in Scriptura: ait enim Paul. ad Thimoth. 1. de ſe ipſo: Paulus ſeruus Dei: & Dauid Pſal. 115. ò Domine, quia ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ, & Pſalm. 142. quoniam ego ſeruus tuus ſum: & tamen communicant in bonis proprijs Dei, iuxta illud ad Roman. 8. *Quod ſi filij, hæredes*: huiuſmodique communicationem requiri ad amicitiam cum Deo, quam conſtituit charitas, oſtendimus in materia de charitate, quæſtion. 23. art. 1. ergo fundamentum relationis ſeruitutis, non petit negationem huiuſmodi communicationis in bonis Domini.

Nequè ſecunda, quia & ſi poſſemus fugere cum Medina: prædictum inconueniens dicendo ly *in quantum* in his propoſitionibus ſumi non reduplicatiuè, ſed ſpecificatiuè, ac proinde non eſſe reſoluendas in ſuas præiacentes, ſed tantum cum illo addito verificandas: tamen quia Diu. Thom. expreſſe ait, particulam *in quantum, & ſecundum quod*, accipi in priori propoſitione reduplicatiuè, vt

vide-

videre eſt in dict. articul. 10. quæſtion. 16. & eadem ratio videtur eſſe de poſteriori, propterea non eſt negandus, vt ſaluetur regula ſophiſtarum, quæ tantum habet verum in naturalibus, hoc eſt, quando in ſubiecto propoſitionis reduplicatiuæ non inueniuntur duæ naturæ ſubſtantiales: ſi enim inueniantur, vt in Chriſto non verificat reduplicatiua ſuam præiacentem, eo quod vtraque natura affert ſecum ſuas proprietates, quæ quidem conueniunt ſuppoſito non ſimpliciter, & abſolute, ſed quatenus habet talem naturam.

Tertio probatur, quia Chriſtus ſecũdũ humanitatẽ eſt ſub vniuerſali dominio Dei: ergo eſt ſeruus reſpectu illius. Cõſequentia patet, quia ſeruitus eſt correlatiuum dominij, antecedens autem probatur, quia Deus vt ſic eſt ſupremus Dominus habens ſupra omnes naturas creatas ſupremum dominium, ac proinde ſupra naturam humanam Chriſti, & conſequenter ſupra Chriſtum prout ſubſtat naturæ humanæ.

Huic argumento reſpondet Vazq. diſtinguendo antecedens ad hunc ſenſum, quod Chriſtus, vt homo eſt ſub vniuerſali dominio Dei, prout dominium dicit poteſtatem, non vero prout dicit veram relationem dominij, & negando conſequentiam, quia etiam filius eſt ſub poteſtate parentis, & non eſt ſeruus: & ſimiliter vxor eſt ſub viri poteſtate, & tamen non eſt ſerua, ſed ſocia: in cuius ſignum fuit Eua educta ex coſta Adami, vt communiter Patres obſeruant Geneſ. 2.

Sed hæc ſolutio non eneruat vim argumenti facti, quia dominium ſumptum pro fundamento relationis, eſt poteſtas vtendi aliqua re in vſus lege permiſſos, ad quam poteſtatem, tamquam ad fundamentum conſequitur relatio dominij in ordine ad extremum coexiſtens, in quo reperitur vera relatio ſeruitutis: ergo ſi Deus habet ſupremum dominium ſupra humanitatem Chriſti, hoc eſt poteſtatem vtendi illa in omnes vſus lege permiſſos, re vera habet verum dominium ſumptum pro fundamento: ad quod proinde conſequitur vera relatio dominij: cui correſpondet in humanitate vera relatio ſeruitutis: quam liberam poteſtatem in omnes vſus lege permiſſos, nec habet Pater reſpectu filij, nec vir reſpectu vxoris, ac proinde neuter fundat veram relationem dominij reſpectu ſui correlatiui.

Dico ſecundo huiuſmodi ſeruitus, quam habet Chriſtus ſecundum humanitatem reſpectu Dei non eſt legalis, aut pœnalis, ſed naturalis, & polytica. *Cuius ſeruitus nõ legalis fuit, ſed naturalis.*

Hæc concluſio ſtatuitur pro explicandis Authoribus ſecundæ ſententiæ, & probatur primo ſupponendo ex Ariſtotel. lib. 1. polyticor. capit. 3. & 4. duplex eſſe genus ſeruitutis: aliud quidem à natura introductum, vel naturæ conforme cuius generis eſt ſeruitus illa ſecundum quam opportet, vt ignorantes à ſapientibus regantur: aliud vero introductum à lege cuiuſmodi eſt ſeruitus illa iure gentium introducta, qua capti in bello ſunt ſerui capientium: quo ſuppoſito probatur concluſio: quia ſeruitus Chriſti, vt hominis reſpectu Dei eſt vera ſeruitus, vt dictum eſt, & non ſecundi generis, ſiquidem non fuit aliqua lege poſitiua introducta, neque à Chriſto in pœnam alicuius culpæ, aut defectus contracta: ergo eſt primi generis.

Secundo probatur, ratione tertia, qua vtitur Diu. Thom. in hoc articul. 1. quia nimirum humana natura, & Chriſtus ſecundum illam ſubijcitur Deo, quantum ad proprium actum obediendo voluntate ſua diuinis mandatis, & conformando ſe voluntati diuinę, iuxta illud Ioann. 8. *Quæ placita ſunt ei facio ſemper* huiuſmodi autem ſubiectio conſtituit ſeruitutem polyticam, & naturalem, quam ſimul cum ingenuitate habent ſubditi, & inferiores reſpectu ſuorum ſuperiorum habentium omnimodam poteſtatem ſupra illos: ergo.

Tertio probatur, quia Chriſtus, vt homo fuit ſubiectus legi naturali, & præcepto moriendi, vt ſupra dictum eſt: ita vt ex vera obedientia reſpiciente præceptum mortuus fuerit, quamuis non fuerit legi Moſaycæ, etiam ſi illam adimpleuerit; in quo ſenſu dicitur à Paulo ad Galatas 4. *Miſit Deus filium ſuum factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret*: eo quod voluit onus legis in ſe ſuſtinere patiendo circunciſionem, & alia legalia, vt nos ab honere legis liberaret: nec etiam fuerit ſubiectus legi Euangelicæ, quantum ad ea quæ ſuperaddit legi naturali: ergo pariter contraxit

naturalem ſeruitutē reſpectu Dei. Antecedens ſupponitur, & conſequentia probatur dupliciter.

Tum, quia huiuſmodi ſubiectio obedientiæ, erga leges, & præcepta ſupremi Legiſlatoris conſtituit prædictum genus ſeruitutis.

Tum etiam, quia licet illud ſufficienter non conſtitueret: non tamen minus dedecet Chriſtum, neque minorem imperfectionem ponit in illo, quam prædictum genus ſeruitutis: ergo nulla eſt ratio ob quam illa admittatur in Chriſto, & iſtud denegetur.

5 Ad primum in contrarium reſpondetur Elipandum, & Felicem fuiſſe Neſtoriano errore infectos, ac proinde propter diuerſitatem ſuppoſitorum admiſiſſe Chriſtum, vt hominem eſſe filium adoptiuum, & conſequenter ſeruum Dei; ex quibus erroribus priorem damnat ex profeſſo Adrianus Papa, & Conciliū Francofordiēſe, & ex conſequenti damnant poſteriorem; nimirū Chriſtū eſſe ſeruum Dei in eo ſenſu in quo à Neſtorianæ hæreſis ſectatoribus dicebatur eſſe filium adoptiuum hoc eſt ſecundum diſtinctum ſuppoſitum, non tamen damnant, illum eſſe ſeruum Dei ſecundum naturam humanam in diuino ſuppoſito, damnant quoque per extenſionem in Chriſto ſeruitutem non naturalem, ſed puram, & pœnalem, quæ eſt ſententia D. Thom.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur ex illis teſtimonijs tantum conuinci Chriſtum eſſe filium Dei naturalem: & eſſe dominum ſimpliciter, & abſolute, quæ duo verificantur de illo ratione ſuppoſiti, vel diuinæ naturæ; non autem ratione humanæ.

Ad tertium neganda eſt maior pro ſecunda parte, quia vt ait D. Thom. in ſolutione ad ſecundum huius articuli, & in ſolutione ad ſecundum articuli ſecundi, licet ſeruitus, & dominium conueniant per ſe, tamen conueniunt illi ratione naturæ, eo quod fundantur in actione, & paſsione, quæ ſunt actus ſuppoſitorum, media tamen natura, vel potentia, quæ eſt ratio agendi: & licet inter purum ſeruum, & dominum requiratur diſtinctio non ſolum naturarum, ſed etiam ſuppoſitorum, tamen inter talem ſeruum, hoc eſt ſeruitute naturali, ſiue politica, ac dominium ſufficit diſtinctio naturarum, ita vt eadem perſona ſecundum diſtinctas naturas, qualis fuit perſona Chriſti poſsit eſſe ſeruus reſpectu ſui ipſius ſecundum aliam naturam; quemadmodū, & ſupra quæſt. 1. art. 2. oſtendimus eamdem perſonam Chriſti ſecundum naturam diuinam eſſe creditorem, & offenſum, & ſecundum naturam humanam eſſe fideiuſſorem, & ſatisfacientem ſibi ipſi, vt ſupoſito diuino, vel vt Deo pro offenſa humani generis; cum tamen ſatisfactio, & iuſtitia ſit ad alterum, & ſicut hic ſufficit alteritas naturarum in eodem ſupoſito, ita eadem proportionabiliter ſufficit ad ſaluandas relationes dominij, & ſeruitutis, quę in Chriſto non petunt maiorem alietatem quam naturarum. Patres autem ſolum negant in Chriſto puram ſeruitutem, quę petit diſtinctionem ſupoſiti.

Ad quartum, vel neganda eſt maior; neque enim talis diffinitio ſerui aſsignatur à Phyloſopho in illo loco, niſi tantum illa quā ex eius verbis colligit ibidem Diu. Thom. lect. 2. quæ ſic habet: *Seruus eſt organum animatum actiuum, ſeparatum, alterius homo exiſtens*: id eſt cuius totū eſſe eſt alterius, vel ſub alterius poteſtate &c. in qua non poſtulatur illa conditio negationis communicandi in proprijs bonis Domini. Vel admiſſa gratis illa diffinitione explicanda eſt eius vltima particula: nimirū, quod ſeruus nō communicet in bonis proprijs Domini, ad hunc ſenſuum quod non communicet in illis cum omnimoda æqualitate: & in hoc ſenſu neganda eſt minor, quia etiam verificatur in Chriſto ratione humanæ naturæ, ratione cuius Chriſtus dicitur minor Patre, ſecundum fidem, vt profitemur in ſymbolo Athanaſij, & ipſe dixit in Euangelio, *Pater maior me eſt*, neque enim Chriſtus, vt homo reduplicatiue eſt omnipotens, ſupremus Dominus, & indepēdens omnimodo, ſicut Pater, ſiue Deus, ſed potius, vt ſic eſt creatura ſubiecta, & dependens in ſuo eſſe à Deo, in qua dependentia, & ſubiectione fundatur huiuſmodi relatio ſeruitutis ſecundum quam Chriſtus, vt homo dicitur ſeruus Dei, ac Patris.

(* * *)

QVAES-

QVAESTIO XXI.

De oratione Chriſti in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm Chriſto competat orare?

*3. 17. a q. 1. & 4. diſ. 15. qu. 4. a. 6. q. 2. ad 1. & Io. 11. le. 6. co. 2. fi. * c. 24. in princ.*

AD primum ſic proceditur. Videtur quod Chriſto non competat orare. Nam ſicut Damaſcen, * dicit, oratio eſt petitio decentium â Deo. Sed cum Chriſtus omnia facere poſſet, non videtur ei conuenire, quod aliquid ab aliquo peteret. Ergo videtur, quod Chriſto non conueniat orare.

2 Præterea. Non opportet orando petere illud, quod aliquis ſcit pro certo eſſe futurum (ſicut non oramus, quod ſol oriatur cras:) nequê eſt etiam conueniens, quod aliquis orando petat, quod ſcit nullo modo eſſe futurum. Sed Chriſtus ſciebat circa omnia quid eſſe futurum. Ergo non conueniebat ei aliquid orando petere.

** l. 3. ca. 24. in princip.*

3 Præterea. Damaſcen. * dicit in libro tertio, quod oratio eſt aſcenſus intellectus in Deum. Sed intellectus Chriſti non indigebat aſcenſione in Deum: quia ſemper intellectus eius erat Deo coniunctus, non ſolum ſecundum vnionem hypoſtaſis, ſed etiam ſecundum fruitionem beatitudinis. Ergo Chriſto non conueniebat orare.

Sed contra eſt, quod dicitur Luc. 6. Factum eſt, in illis diebus exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.

Reſpondeo dicendum, quod (ſicut dictum eſt * in ſecunda parte) oratio eſt quædam explicatio propriæ voluntatis apud Deum, vt eam impleat. Si igitur in Chriſto eſſet vna tantum voluntas, ſcilicet diuina, nullo modo competeret ſibi orare: quia voluntas diuina per ſe ipſam eſt effectiua eorum, quæ vult: ſecundum illud Pſalm. 134. Omnia quæcumque voluit Dominus fecit. Sed quia in Chriſto eſt alia voluntas diuina, & alia humana, & voluntas humana non eſt per ſe ipſam efficax ad implendum quæ vult, niſi per virtutem diuinam: inde eſt quod Chriſto, ſecundum quod eſt homo, & humanam voluntatem habens, competit orare.

** 2. 2. q. 83. a. 1. & 2.*

Ad primum ergo dicendum, quod Chriſtus poterat perficere omnia quæ volebat, ſecundum quod Deus, non autem ſecundum quod homo: quia ſecundum quod homo, non habuit omnipotentiam, vt ſupra habitum eſt.* Nihilominus tamen ipſe idem Deus exiſtens, & homo voluit ad patrem orationem porrigere: non quaſi ipſe eſſet impotens, ſed propter noſtram inſtructionem. Primo quidem, vt oſtenderet ſe eſſe à Patre. Vnde ipſe dicit Ioan. vndecimo, Propter populum qui circumſtat, dixi, ſcilicet verba orationis, vt credant, quia tu me miſiſti. Vnde Hilarius in decimo de Trinitate * dicit. Non prece eguit, pro nobis orauit, ne filius ignoraretur. Secundo, vt nobis exemplum orandi daret. Vnde Ambroſius dicit ſuper Luc. † Noli inſidiatrices aperire aures, vt putes filium Dei, quaſi infirmum rogare, vt impetret quod implere non poſsit: poteſtatis enim eſt auctor, obedientiæ magiſter, ad præcepta virtutis ſuo nos informat exemplo. Vnde & Auguſtinus * dicit ſuper Ioann. Poterat Dominus in forma ſerui, ſi hoc opus eſſet, orare ſilentio; ſed ita ſe patri exhibere voluit precatorem, vt meminiſſet noſtrum ſe eſſe doctorem.

q. 13. a. 1.

a. 11. lib. 10. parum ante fin.

lib. 5. c. 6. tit. illius c. eſt de oratione Ieſu in mon. paulo à prin. to. 5.

* tra. 104. parũ ante mediũ t. 9.

Ad ſecundum dicendum, quod inter alia, quæ Chriſtus ſciuit futura, ſciuit quædam eſſe fienda propter ſuam orationem: & huiuſmodi non inconuenienter à Deo petijt.

Ad tertium dicendum quod aſcenſio nihil eſt aliud quam motus in id quod eſt ſurſum. Motus autem vt habetur in * tertio de anima, dupliciter dicitur. Vno modo proprie, ſecundum quod importat exitum de potentia in actum, prout eſt actus imperfecti: & ſic aſcendere competit ei, quod eſt potentia ſurſum, & non actu. Et hoc modo vt Damaſcenus † dicit in tertio libro, Intellectus humanus Chriſti non eget aſcenſione in Deum: cum ſit ſemper Deo vnitus, & ſecundum eſſe perſonale, & ſecundum contemplationem beatam. Alio modo dicitur motus, qui eſt actus perfecti, id eſt exiſtentis in actu: ſicut intelligere, & ſentire, dicuntur quidam motus. Et hoc modo intellectus Chriſti ſemper aſcendit in Deum: quia ſemper contemplatur eum, vt ſupra ſe exiſtentem.

text. 28. t. 2.

li. 3. c. 24. cir. prin.

6. Concluſio eſt, Chriſto vt homini, & ſecundum humanam voluntatem competit orare, quæ ſuadetur. Tum ex illo Luc. 6. *Factum eſt in illis diebus, & erat pernoctans in oratione Dei.*

Tum etiam hac ratione Theologica: oratio eſt explicatio propriæ voluntatis ad Deum, vt illam impleat, ſed humana voluntas Chriſti non eſt per ſeipſam efficax & potens ad implendum quæcumque vult, mediante diuina virtute: ergo conuenit illi orare, ſecundum humanam voluntatem. [illegible]

ART. II.

Vtrum Chriſto conueniat orare ſecundum ſuam ſenſualitatem?

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod Chriſto conueniat orare ſecundum ſuam ſenſualitatem. Dicitur enim in Pſal. 83. ex perſona Chriſti, Cor

inf. ar. 4. cor. ad 4. & 3. d. 17. ar. 3. q. 3. & opu. 3. c. 240. & opuſ. 7.

Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Sed ſenſualitas dicitur appetitus carnis. Ergo ſenſualitas Chriſti potuit aſcendere in Deum viuum, exultando, & parimodo orando.

2 Præterea. Eius videtur eſſe orare, cuius eſt deſiderare illud quod petitur. Sed Chriſtus petiuit aliquid, quod deſiderauit eius ſenſualitas, cum dixit, Tranſeat â me calix iſte: ſicut dicitur Matth. 26. Ergo ſenſualitas Chriſti orauit.

3 Præterea. Magis eſt vniri Deo in perſona, quâm aſcendere in Deũ per orationem. Sed ſenſualitas fuit aſſumpta â Deo in vnitatem perſonæ, ſicut & quælibet pars humanę naturæ. Ergo multo magis potuit aſcendere in Deum orando.

Sed contra eſt, quod dicitur Philipenſ. 2. quod filius Dei ſecundum naturam quam aſſumpſit, in ſimilitudinem hominum factus eſt. Sed alij homines non orant ſecundum ſenſualitatem. Ergo nec Chriſtus orauit ſecundum ſenſualitatem.

Reſpondeo dicendum, quod orare ſecundum ſenſualitatem, poteſt intelligi dupliciter. Vno modo ſic, quod ipſa oratio ſit actus ſenſualitatis: & hoc modo Chriſtus ſecundum ſenſualitatem non orauit: quia eius ſenſualitas eiuſdem naturæ, & ſpeciei fuit in Chriſto, & in nobis. In nobis autem non poteſt ſenſualitas orare, duplici ratione. Primo quidem: quia motus ſenſualitatis non poteſt ſenſibilia tranſcendere; & ideô non poteſt in Deum aſcendere; quod requiritur ad orationem. Secundo, quia oratio importat quamdam ordinationem; prout ſcilicet aliquis deſiderat aliquid quaſi â Deo implendum; & hoc eſt ſolius rationis. Vnde oratio eſt actus rationis; vt in ſecunda parte habitum eſt. * Alio modo poteſt dici aliquis orare ſecundum ſenſualitatem; quia ſcilicet eius oratio orando Deo proponit, quod eſt in appetitu ſenſualitatis ipſius. Et ſecundum hoc Chriſtus orauit ſecundum ſenſualitatem; in quantum ſcilicet oratio eius exprimebat ſenſualitatis affectum, tamquam ſenſualitatis aduocata; & hoc vt nos de tribus inſtrueret. Primo quidem, vt oſtenderet ſe veram naturam humanam ſuſcepiſſe cum omnibus naturalibus affectibus. Secundo, vt oſtenderet quôd homini licet ſecundum naturalem affectum aliquid velle, quod Deus non vult. Tertio, vt oſtendat quod proprium affectum debet homo diuinæ voluntati ſubijcere. Vnde Auguſtinus * in Enchyridio dicit. Sic Chriſtus hominem gerens oſtendit priuatam quamdam hominis voluntatem, cum dicit, Tranſeat â me calix iſte. Hæc enim erat voluntas humana, proprium aliquid; & tamquam priuatum volens. Sed quia rectum vult eſſe hominem, & ad Deum dirigi; ſubdit. Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Ac ſi dicat, vide te in me; quia potes aliquid proprium velle, etſi Deus aliud velit.

2. 2. q. 83. art. 1.

Pſ. 32. cõcio. 1. ſup. illud: Rectos decet collaudatio, & c.

Ad primum ergo dicendum, quod caro exultat in Deum viuum, non per actum carnis aſcendentem in Deum; ſed per redundantiam â corde in carnem, in quantum appetitus ſenſitiuus ſequitur motum appetitus rationalis.

Ad ſecundum dicendum, quod licet ſenſualitas hoc voluerit, quod ratio petebat; hoc tamen orando petere non erat ſenſualitatis, ſed rationis, vt dictum eſt. *

in corp. art.

Ad tertium dicẽdum, quod vnio in perſona eſt ſecũdũ eſſe perſonale;

Digitized by Google

quod pertinet ad quamlibet partem humanæ naturæ. Sed aſcenſio orationis eſt per actum, qui non conuenit, niſi rationi, vt dictum eſt. * Vnde non eſt ſimilis ratio. *In corp. ar.*

7 PRIMA concluſio: Chriſtus non orauit ſecundum ſenſualitatem, quaſi eius oratio fuerit actus elicitus à ſenſualitate, eo quod ſenſualitas Chriſti eſt eiuſdem naturæ, & ſpeciei cũ ſenſualitate aliorum hominum cum quibus Chriſtus habet ſimilem naturam; ſed in alijs hominibus ſenſualitas non poteſt orare: ergo neque in Chriſto, minor probatur dupliciter.

Tum, quia motus ſenſualitatis non poteſt in Deum aſcendere, ſicut nec poteſt tranſcendere ſenſibilia, oratio autem eſt aſcenſus mentis in Deum, teſtè Damaſcen. lib. 3. de fide capit. 14. ergo.

Tum etiam, quia oratio eſt quædam ordinatio vnius ad alterum, quatenus deſideramus orando aliquid impleri à Deo: ordinare autem eſt actus ſolius rationis: ergo.

Secunda concluſio: Chriſto conuenit orare ſecundum ſenſualitatem ad hunc ſenſum, quod orando proponebat Deo, quod erat in eius appetitu ſenſitiuo, eo quod oratio Chriſti explicuit affectum ſenſualitatis, tamquam illius aduocata: vt cum dixit: *Tranſeat à me calix iſte, non tamen, ſicut ego volo, ſed ſicut tu*: Idquè fuit conueniens, vt nos de tribus inſtrueret.

Primo, vt oſtenderet ſe humanitatem cum omnibus affectibus naturalibus accepiſſe.

Secundo, vt demonſtraret homini licere ſecundum naturalem affectum velle aliquid, quod Deus non vult.

Tertio, vt doceret hominem debere proprium affectum ſubijcere diuinæ voluntati.

ART. III.

Vtrùm fuerit cõueniens Chriſtum pro ſe orare?

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod Chriſto non fuerit conueniens pro ſe orare. Dicit enim Hilar. * in 10. de Trinitat. Cum ſibi non proficeret deprecationis ſermo, ad profectum tamen noſtræ fidei loquebatur. Sic ergo videtur, quod Chriſtus non ſibi, ſed nobis orauerit. *3. diſ. 17. ar. 3. q. 2. & opu. 7. & Io. 12. l. 3. col. 2. * patrum ante fin. ad 1. huius q. * ca. 8. in fi. to. 6.*

2 Præterea. Nullus orat, niſi pro eo quod vult; quia ſicut dictum eſt, † oratio eſt quædam explicatio voluntatis per Deum implendę. Sed Chriſtus volebat pati ea, quę patiebatur; dicit enim Auguſtinus libro 26. contra Fauſtum. * Homo plerumque iraſcitur; & ſi nolit, contriſtatur; etſi nolit; dormit, etſi nolit, eſurit, ac ſitit. Ille autem, ſcilicet Chriſtus, omnia iſta habuit, quia voluit. Ergo ei non competebat pro ſe ipſo orare.

3 Præterea. Cyprianus * dicit in libro de oratione Dominica, Pacis doctor, & vnitatis magiſter noluit ſigillatim, & priuatim preces fieri, vt quis cum precatur, pro ſe tantum precetur. Sed Chriſtus illud impleuit quod docuit, ſecundum illud actor. 1. Cœpit Ieſus facere, & docere. Ergo Chriſtus nunquam pro ſe ſolo orauit. *Aliquãtulũ à princip. Euãgel. precepta.*

Sed contra eſt, quod ipſe Dominus orando, dicit Ioan. 17. Clarifica filium tuum.

Reſ-

Reſpondeo dicendum, quod Chriſtus pro ſe orauit dupliciter. Vno modo exprimendo affectum ſenſualitatis, (vt ſupra dictum eſt) * vel etiam voluntatis ſimplicis, *art. præc.* quæ conſideratur, vt natura: ſicut cum orauit â ſe calicem paſsionis transferri. Alio modo, exprimendo affectum voluntatis deliberatæ, quæ conſideratur vt ratio: ſicut cū petijt gloriam reſurrectionis. Et hoc rationabiliter. Sicut enim dictum eſt, * *a. 1. huius quæſ. ad 1* Chriſtus ad hoc vti voluit oratione ad patrem, vt nobis daret exemplum orandi, & vt oſtenderet patrem ſuum eſſe auctorem, â quo æternaliter proceſsit ſecundum diuinam naturam, & ſecundum naturam humanam, ab eo habet quidquid boni habet. Sicut autem in humana natura quædam bona habebat â patre iam percepta, ita etiam expectabat ab eo quædam bona, nondum habita, ſed percipienda. Et ideo ſicut pro bonis iam perceptis in humana natura gratias agebat patri, recognoſcendo eum auctorem, (vt patet Matth. 26. & Ioann. 11.) ita etiam vt patrem auctorem recognoſceret, ab eo orando petebat ea, quæ ſibi deerant, ſecundum humanam naturam; puta, gloriam corporis, & alia huiuſmodi. Et in hoc etiam nobis dedit exēplum, vt de perceptis â nobis muneribus gratias agamus, & etiam nondum habita orando poſtulemus.

Ad primum ergo dicendum, quod Hilarius * *Ibi. in Arg. cit.* loquitur quantum ad orationem vocalem, quæ non erat ei neceſſaria propter ipſum, ſed ſolum propter nos. Vnde ſignanter dicit, quod ſibi non proficiebat deprecationis ſermo. Si enim deſiderium pauperum exaudit Dominus (vt in Pſalm. 9. dicitur) multo magis ſola voluntas Chriſti habet vim orationis apud patrem. Vnde ipſe dicebat Ioann. 11. Ego ſciebam quoniam ſemper me audis; ſed propter populum, qui circunſtat dixi, vt credant quia tu me miſiſti.

Ad ſecundum dicendum, quod Chriſtus volebat quidem pati illa quæ patiebatur pro tempore illo: ſed nihilominus volebat, vt poſt paſsionem, gloriam corporis conſequeretur, quam nondum habebat. Quam quidem gloriam expectabat â patre ſicut ab auctore: & ideô conuenienter ab ipſo eam petebat.

Ad tertium dicendum, quod ipſa gloria, quam Chriſtus orando petebat, pertinebat ad ſalutem aliorum, ſecundum illud Roman. 4. Reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Et ideo illa etiam oratio, quā pro ſe faciebat, erat quodammodo pro alijs. Sicut & quicumque homo aliquod bonum â Deo poſtulat, vt vtatur illo ad vtilitatem aliorum, non ſibi ſoli, ſed etiam alijs orat.

8 Concluſio eſt, Chriſtus orauit pro ſe ipſo tripliciter. Tum exprimendo affectum voluntatis, vt naturæ, & appetitus ſenſitiui, vt cum poſtulauit calicem à ſe transferri.

Tum etiam, exprimendo affectum voluntatis deliberatæ, ſiue vt eſt ratio, vt quando poſtulauit gloriam reſurrectionis, Ioann. 17. dicens: *Pater clarifica filium tuum.* Tum denique pro beneficijs iam perceptis, vt quando gratias agebat Patri recognoſcens ea ab illo ſuſcepiſſe, cuius duplex fuit conuenientia. Prima quidem, vt nobis daret exemplum orandi. Secunda vero, vt oſtenderet Patrem eſſe ſuum Authorem à quo æternaliter proceſsit ſecundum diuinitatem, & à quo omne bonum accepit ſecundum humanitatem.

ART. IV.

Vtrùm oratio Chriſti ſemper fuerit exaudita?

3. q. 17. a. 3. q. 3. & 4. opuſ. 7. & Pſal. 20 col. 4. & Io. 12. l. 4 col. 2. & Hebr. 5. col. 5.

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod oratio Chriſti non ſemper fuerit exaudita. Petijt enim à ſe remoueri calicem paſsionis: vt patet Matth. vigeſimo ſexto. Qui tamen ab eo non fuit tranſlatus. Ergo videtur, quod non omnis oratio eius fuerit exaudita.

2 Præterea. Ipſe orauit, vt peccatum crucifixoribus ſuis ignoſceretur: vt patet Luc. vigeſimo ſecundo. Non tamen omnibus peccatum illud fuit dimiſſum: nam Iudæi fuerunt pro illo peccato puniti. Ergo videtur, quod non omnis eius oratio ſit exaudita.

3 Præterea. Dominus orauit pro his, qui erant credituri per verbum Apoſtolorum in ipſum, vt omnes in eo vnum eſſent, & vt peruenirent ad hoc, quod eſſent cum ipſo. Sed non omnes ad hoc perueniunt. Ergo nõ omnis eius oratio eſt exaudita.

4 Præterea. In Pſalmo vigeſimo primo dicitur in perſona Chriſti, Clamabo per diem, & non exaudies. Non ergo omnis oratio Chriſti fuit exaudita.

Sed contra eſt, quod Apoſtolus dicit ad Hebr. 5. Cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia.

Reſpondeo dicendum, quod (ſicut dictum eſt *) oratio eſt quodam modo interpretatiua voluntatis humanæ. Tunc ergo alicuius orantis, exauditur oratio, quando eius voluntas adimpletur. Voluntas autem ſimpliciter hominis eſt rationis volũtas: hoc enim abſolutê volumus, quod ſecundum deliberatam rationem volumus. Illud autem quod volumus, ſecundum motum ſenſualitatis, vel etiam ſecundum motum voluntatis ſimplicis, quæ conſideratur vt natura: non ſimpliciter volumus, ſed ſecundum quid; ſcilicet ſi aliud non obſiſtat, quod per deliberationem rationis inuenitur. Vnde talis voluntas magis eſt dicenda velleitas, quam abſoluta voluntas: quia ſcilicet homo hoc vellet, ſi aliud non obſiſteret. Secundum autem voluntatem rationis, Chriſtus nihil aliud voluit, niſi quod ſciuit Deum velle. Et, ideô omnis abſoluta voluntas Chriſti, etiam humana, fuit impleta, quia fuit Deo conformis: & per conſequens omnis eius oratio fuit exaudita. Nam & ſecundum hoc aliorum orationes implentur, quod ſunt eorum voluntates Deo conformes: ſecundum illud Roman. 8. Qui autem ſcrutatur corda, ſcit, ideſt, approbat; quid deſideret ſpiritus, ideſt, quid faciat ſanctos deſiderare: quoniam ſecundum Deum, ideſt, ſecundum conformitatem diuinæ volũtatis, poſtulat pro ſanctis.

art. præc. arg. 2. & art. 1. huius quæſ.

Ad primum ergo dicendũ, quod illa petitio de translatione calicis, diuerſimode â ſanctis exponitur. Hilarius enim ſuper Matth. dicit, * Quod autẽ vt â ſe tranſeat rogat, nõ vt ipſe prætereatur, orat, ſed vt in alterũ id quod â ſe trãſit excedat: atq; ideô pro his orat, qui paſſuri poſt ſe erant: vt ſit ſenſus. Quomodo â me bibetur calix iſte paſsionis, ita ab his bibatur ſine ſpei diffidentia, ſine ſen-

can. 3. in Mat. paulo ante med.

ſenſu doloris, ſine metu mortis. Vel ſecundum Hieronymum. * Signanter dicit, calix iſte, hoc eſt, populi Iudæorum, qui excuſationem ignorantiæ habere non poſſunt, ſi me occiderint habentes leges, & Prophetas, qui me vaticinantur. Vel ſecundum Dionyſium Alexandrin. Quod dicit, Transfer calicem iſtum à me, non hoc eſt, non adueniat mihi: nam ſi enim aduenerit, transferri non poterit. Sed ſicut quod præterit, nec intactum eſt, nec permanens: ſic Saluator leuiter inuadentem tentationem flagitat pelli. Ambroſius * autem dicit, & Origen. & Chryſoſtom. quod hoc petijt quaſi homo, naturali voluntate mortem recuſans.

[*ſuper illũ locum Mar. 9. to. 1. * l. 10. homil. 15. Orig. homil. 35. in Matt. in opere imperf. Chryſ. homil. 80. in Matth. * Hilar. cano. 31. in Matth.*]

Sic ergo ſi intelligatur quod petierit per hoc, alios martyres ſuæ paſsionis imitatores fieri, ſecundum Hilarium, † vel ſi petijt, quod timor bibendi calicis eum non perturbaret, vel quod mors eum non detineret: omninò impletum eſt, quod petiuit. Si verò intelligitur petijſſe, quod non biberet calicem mortis, & paſsionis, vel quod non biberet ipſum à Iudæis, non quidem eſt factum quod petijt, quia ratio quæ petitionem propoſuit, nolebat vt hoc impleretur: ſed ad inſtructionem noſtram volebat demonſtrare nobis ſuam voluntatem naturalem, & motum ſenſualitatis, quem ſicut homo habebat.

Ad ſecundum dicendum, quod Dominus non orauit pro omnibus crucifixoribus, neque etiam pro omnibus, qui erant credituri in eum; ſed pro his ſolum, qui erant prædeſtinati, vt per ipſum vitam conſequerentur æternam.

Vnde patet reſponſio. Ad tertium.

Ad quartum dicendum, quod cum dicit, Clamabo, & non exaudies; intelligendum eſt quantum ad affectum ſenſualitatis, quæ mortem refugiebat; exauditur tamen quantum ad affectum rationis, vt dictum eſt. * *in corp. art.*

9 Concluſio eſt bimembris; omnis oratio abſoluta, & deliberata Chriſti fuit exaudita: ſecus verò, quæ erat explicatio voluntatis conditionatæ, ſiue ſenſualitatis. Cuius prima pars probatur dupliciter. Tum ex illo ad Hebr. 5 *Cum clamore valido, & lachrymis offerens; exauditus eſt pro ſua reuerentia.*

Tum etiam, quia omnis oratio illius exauditur, cuius voluntas ſemper impletur, vtpote, quia oratio eſt voluntatis orantis interpretatiua, ſed omnis voluntas abſoluta Chriſti, & humana ſemper fuit impleta, vtpote quæ ſemper fuit ſimpliciter Deo conformis, quia nihil aliud voluit, niſi quod ſciuit Deum velle, quo pacto aliorum quoque orationes dicuntur impleri, quando eorum voluntates ſunt Deo conformes.

Deinde ſecunda pars patet, ex illa petitione tranſlationis calicis, qua Chriſtus explicuit affectum refugiendi mortem: quæ impleta non fuit.

Circa has concluſiones duo dubia examinari ſolent à Theologis.

Du-

Dubium primum eſt: An Chriſto ratione humanitatis conueniens fuerit orare in ſtatu viæ?

Secundum eſt: An nunc in cœlo glorioſus exiſtens oret, ſiue interpellet pro nobis?

Ad quæ eodem ordine à nobis eſt reſpondendum.

AD primum itaque dubium reſpondetur, iuxta communem ſententiam affirmantē Theologorum cũ Magiſtro, in 3. diſt. 17. & cum Diu. Thom. in articul. 1. huius quæſtionis, de qua videndi ſunt Medina ibidem, Vazquius diſputat. 81. cap. 1. & Suarius diſputat. 45. ſection. 1. Lorca, diſputat. 79. Aluarez, & Siluius in expoſitione eiuſdem articuli, & Cabrera diſputation. 1. qui tamen Authores in explicando an huiuſmodi oratio Chriſti in vita mortali fuerit ſemper exaudita diuiduntur in duos modos dicendi.

Alij enim de quorum numero ſunt Caietan. & Vazquius diſputation. 81. cap. 5. affirmant orationem Chriſti veram ſemper fuiſſe exauditam, & impletam, eo quod illa oratio quæ fuit voluntatis inefficacis manifeſtatiua, vt quando poſtulauit calicem mortis à ſe transferri, non fuit vera oratio, ſed quædã manifeſtatio deſiderij ſimplicis, ſeu velleitatis.

Alij vero de quorum numero ſunt Lorca diſputat. 80. Aluarez, & Suarius in expoſitione articul. 4. & Cabrera in expoſitione eiuſdem articuli negant orationem Chriſti ſemper fuiſſe exauditam, & impletam: pro cuius ſententiæ declaratione.

Dico primo, Chriſtus ratione naturæ humanæ conuenienter orauit in hac vita mortali. *Chriſtus orauit in vita mortali, cuius oratio non ſemper fuit exaudita.*

Hæc concluſio communiter recipitur ab omnibus Theologis, tanquam certa ſecundum fidem, & ſuadetur primo ex pluribus teſtimonijs Euangelij, in quibus dicitur Chriſtum de facto oraſſe, vt Lucæ 6. *Exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei*, idem habetur cap. 22. & 23, & Marc. 1. & 6. & Ioann. 12. & 17. & ad Hebræos 5. dicitur: *Qui in diebus carnis ſuæ preces, ſuplicationesquè effudit ad eum qui poſſet illum ſaluum facere, &c. Et exauditus eſt pro ſua reuerentia*, & aliàs cum non potuerit orare ratione naturę diuinæ, ſecundum quam non eſt inferior, ſed æqualis Patri: conſequens eſt, quod orauit ſecundum naturam humanam: & cum quidquid fecerit Chriſtus conuenienter fecerit: nam quæ ab eo ſunt, ordinata ſunt propterea conueniens fuit illi oratio ſecũdum naturam humanam.

Secundo probatur, quia oratio teſtē Diu. Thom. 22. quæſtion. 83. articul. 3. eſt actu religionis impendens Deo debitum cultum, & teſte eodem Diu. Thom. articul. 7. & 11. orare pro alijs eſt actus charitatis, ſicut & deſiderare eis bona, ſed tam religio erga cultum Dei, quam charitas erga proximos viguit in Chriſto: ergo ratione vtriuſquè virtutis expediebat illi orare.

Tertio ratione Diu. Thom. nimirum, quia oratio eſt explicatio voluntatis ipſius orantis ad Deum, implendę per ipſum: ſed Chriſtus habebat humanam voluntatem, quæ per Deum, & eius virtutem in pluribus negotijs impleri debebat: ergò potuit orare ad Deum huiuſmodi voluntantem explicando.

Quarto probatur ſatisfaciendo incõuenienti, quod obſtare videtur orationi Chriſti: nimirum, quia videtur derogare eius plenitudini poteſtatis, & ſcientiæ quibus gaudebat, iuxta illud Mathæi vltimo: data eſt mihi omnis po-

poteſtas,&c. & Ioann. 1. *Plenum gratiæ, & veritatis*: nullus enim petit orando, id quod habet in ſua poteſtate, aut quod certo ſcit non eſſe, aut eſſe futurum: videtur quoque arguere indigentiam in Chriſto, eo quod teſte Diu. Thom. in d. quæſt. 83. art. 3. oratione proteſtatur orans ſe indigere beneficio Dei, cuius tamen indigentiæ Chriſtus expers omnino erat.

Huic inquã obiectioni reſpõd. ex nullo cap. derogare dignitati Chriſti: non quidem ex primo, quia illa poteſtas tradita Chriſto, vt homini, tantum eſt gubernatiua, & iudiciaria, quæ eſt propria ipſius, vt capitis Eccleſiæ, Authoris ſacramẽtorũ, iudicis vniuerſalis viuorũ, & mortuorũ, nõ autẽ eſt poteſtas omniũ factiua, & omnino independens, qualis eſt omnipotentia, ac proinde non obſtat quo minus Chriſtus, vt inferior, & dependens à Deo poſſit illum orare.

Neque ex ſecundo, quia ſicut præſcientia, qua B. Virgo, & Apoſtoli cognoſcebant certo donum ſuæ confirmationis, & perſeuerantiæ in gratia, non tollebat quo minus conuenienter à Deo poſtularent auxilium ad bene operandum, & perſeuerandum in gratia, ita neque in Chriſto ſimilis præſcientia de futuris euentibus obſtabat, quo minus illos per orationem à Deo poſtularet.

Neque tandem ex tertio, quia licet in alijs puris creaturis rationalibus oratio arguat indigentiam, & abſolutam neceſsitatem ad conſecutionem beneficij obtinendi à Deo: tamen in Chriſto, neque arguit indigentiam, neque abſolutam neceſſitatem, vtpote, qui abſolute multis alijs modis potuiſſet obtinere beneficia, quæ de facto per orationem obtinuit: ſed tam oratio fuſa pro alijs, quã fuſa pro ſe, hoc eſt pro gloria ſui corporis obtinenda proceſſit ex neceſsitate ſecundum quid, & ſuppoſitionis, illa quidem ex vnica ſuppoſitione: nimirum decreti, ac ordinationis diuinæ, qua Deus ordinauit, vt Chriſtus noſtram ſalutem, per merita, & ſpecialiter per meritum orationis impetraret, iuxta illud Pſalm. ſecundi. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*: iſta vero ex duplici ſuppoſitione: nimirum, & ordinationis, & diſpenſationis diuinæ, qua & Deus ordinauit, vt per meritum orationis gloriam ſui corporis, & exaltationem ſui nominis obtineret, iuxta illud Ioann. 17. *Clarifica me tu Pater*, oratio enim, licet vt ſola impetratio eſt, innitatur liberalitati Dei, tamen, vt meritum eſt condigni, poteſt obtinere ex iuſtitia, & quia Deus voluit humanitatem Chriſti ſuæ infirmitati relinquere, vt propria naturæ ageret, & pateretur ſuſpendẽdo à principio emanationem gloriæ animæ in corpus.

Vnde colligo conuenientias omnes, ob quas Chriſtus, vt homo in hac vita mortali debuit orare, tam pro alijs, quã per ſe fuiſſe quatuor: Prima quidem fuit aſsignata à Diu. Thom. nimirum ratio manifeſtandi propriam voluntatem. Secunda fuit neceſsitas conditionata, & ſecundum quid exhibendi Deo debitum cultum: & exercendi erga proximos charitatem. Tertia fuit ſimilis neceſsitas præbendi alijs hominibus exemplum orandi. Quarta fuit neceſsitas ſatisfaciendi pro hominibus, & applicandi pro illis merita ſua, eo quod aptiſsimum mediũ ad ſatisfaciẽdum, & impetrandum remiſsionem pro ofenſa eſt oratio, vt docet Diu. Thom. in 4. diſtinct. 15. quæſtion. 4. articul. 7. quas omnes amplectitur ratio, ſiue neceſsitas implendi, ſiue exequendi diuinam ordinationem.

Dico ſecundo, oratio Chriſti viatoris explicatiua voluntatis deliberatæ fuit exaudita: ſecus vero explicatiua voluntatis indeliberatę, ſeu conditionatę, quę minus proprie, & ſecundum quid dicitur, oratio: hæc concluſio eſt Caietani in hoc articul. 4. ex cuius doctrina duo modi dicendi citati reducuntur ad concordiam.

Ad ſecundum dubium, vt reſpondeamus operepretium eſt præmittere duas eſſe in hac parte ſententias Theologorum extreme oppoſitas.

Quarum prima negat Chriſtum in cœlo nunc exiſtentem orare Patrem oratione expreſſa, ita Rupertus lib. 9. de diuinis officijs, cap. 3. quem ſequuntur Medina in hoc articul. 1. & Vazquius diſputation. 82. cap. 2. & 3. aſſerentes Chriſtum quidem nunc in cœlo exiſtentem orare oratione interpretatiua, repreſentãdo ſcilicet Patri ante acta merita ſua, & vulnera humanitati impreſſa, ſed non oratione expreſſa, quæ in poſtulatione, ſiue mentali, ſiue vocali conſiſtit, quam ſententiam ſuadent quadrupliciter.

Primo quidem ex teſtimonijs Patrum Græcorum, & Latinorum, de quorum numero ſunt Nazianzenus, lib. 4. de Theologia, explicans illud Pauli ad He-

breos

bræos 7. quod Chriſto attribuit nunc in cœlo exiſtenti dicens: *Semper viuens ad interpellandam pro nobis, &c.* & Chryſoſtomus, Theophylatus, Theodoretus, & Euchumenius interpretantur idem teſtimonium Pauli de oratione interpretatiua & metaphorice dicta, quæ fit per repreſentationem humanitatis, & vulnerum ipſius: quo pacto Gen. 4. dicitur ſanguinem Abelis clamare ad Deum de terra, & ad Hebr. 12. ait Paulus per comparationem ſanguinem Chriſti mediatoris in cruce melius loqui, quam ſanguis Abelis, qui clamabat pro vindicta potius, quam pro venia: eodem modo loquitur Auguſtinus, tract. 102. in Ioann. dicens: *Non eſt cogitandum Chriſtum Dei filium ſic ante Patrem ſtare, aut pro nobis rogare, quaſi faciat verba pro nobis interuallo aliquo interpoſito, inter os loquentis, & auriculas audientis, &c.* & Greg. Magnus lib. 22. moral. cap. 18. in eodem ſenſu explicat Verbum interpellandi dicens: *Vnigenitum filium pro homine interpellare, eſt apud coæternum Patrem ſe ipſum hominem demonſtrare, &c. interpellat igitur Dominus pro nobis non voce, ſcilicet gemebunda, ſed miſeratione, quia quod damnari in electis noluit, ſuſcipiendo liberauit,* fauet D. Th. infra q. 57. art. 6. & ſuper primam epiſtolam Ioann. cap. 2. eodē vtens modo loquēdi.

Deinde arguit Vazquius tribus rationibus Theologicis prima, ex qua deſumitur ſecundū argumētū: eſt, quia adepto fine ceſſat motus ad finem, ſed poſt Chriſti reſurrectionem adeptus eſt finem redemptionis, quam & ipſe conſumauit, iuxta illud Ioann. 19. *conſumatum eſt*: ergo ceſſare debuit omnis motus ad talem finem, ac proinde, & oratio quæ eſt vnum ex medijs ad huiuſmodi finem.

Secunda ex qua deſumitur tertium argumentum eſt, quia talis oratio, aut eſſet impetratoria illius, quod petit, aut non: ſi ſecūdum, ergo eſſet fruſtranea: ſi primum ergo haberet rationem meriti ſiquidē digna eſſet, vt exaudiretur, ac per cōſequens ex condignitate obtineret rem poſtulatam: quod tamen eſt inconueniens, quia Chriſtus in patria eſt omnino extra rationem merendi.

Tertia ex qua deſumitur quartum argumentum eſt, quia numquam iuxta conſuetudinem vtriuſque Eccleſiæ, tam Græcæ, quā Latinæ, fideles deprecantur Chriſtum poſt eius aſcenſum in cœlos, vt pro ipſis oret, vel interpellet, ſed potius ipſum deprecantur, vt eorum miſereatur: quod patet ex letanijs, in quibus non dicit Ecclesia Chriſte, *ora pro nobis*: ſed *Chriſte eleyſon*, ideſt Chriſte, *miſerere nobis*: ergo.

Secunda ſententia communiter à Theologis recepta aſſerit Chriſtum, vt hominem, etiam nunc in cœlo exiſtentem oratione expreſſa ad Patrem pro nobis interpellare: quam ſequuntur D. Th. in 4. diſt. 15. q. 4. a. 6. gloſſ. 2. ad 1. & ſuper epiſt. ad Rom. c. 8. lect. 7. ad illud Verbum, *qui etiam interpellat pro nobis*, & ad Hebr. 7. lect. 4. ſuper illud: *Accedens ad Deum ſemper viuens*, & 22. quæſt. 83. art. 11. Suar. diſp. 45. ſect. 2. Cabrer. hic diſp. 2. Bonau. tom. 1. opuſc. opuſc. 39. cap. 98. Abul. ſuper Matth. cap. 6. quæſt. 83. & cap. 14. quæſt. 142. Lorca diſp. 81. Ranguſa diſp. 18. Siluius Aluarez, & Puteanus in expoſitione huius art. 2. & Soto maior 1. ad Thimoth. 2. pagin. 302. ad illud verbum, *homo Chriſtus Ieſus*, qui Authores in explicando qualis ſit huiuſmodi expreſſa oratio Chriſti in cœlo, an ſcilicet ſit ſolum mentalis, vel etiam vocalis nec ne? in duos diuiduntur modos dicendi.

Alij enim de quorum numero eſt Puteanus dicunt, illam non ſolum eſſe internam, & mentalem, ſed etiam vocalem externis ſignis, & vocibus formatam. Sed ferè omnes alij citati Theologi dicunt illam tantum eſſe internam, & mentalem, pro cuius ſententiæ declaratione.

Dico primo, Chriſtus in cœlo exiſtens oratione expreſſa interpellat pro hominibus petendo à Deo de illis neceſſaria.

Præfertur ſentētia tribuens Chriſto in cœlo orationem expreſſam.

Hæc cōcluſio ſtatuitur aduerſus Authores primæ ſententiæ, tamquam magis conſona modo loquendi ſacræ Scripturæ & doctrinæ ſanctorum Patrum: & probatur primo ex teſtimonijs ſacræ Scripturæ in quibus manifeſte aſſeritur Chriſtū poſt reſurrectionem ſuam orare pro nobis: quę de vera, & proprie ſumpta oratione intelligenda ſunt iuxta communem regulam interpretandi in ſenſu proprio, & litterali verba ſacræ Scripturæ, vt ex illo ad Rom. 8. *Qui eſt ad dexteram Dei, ſcilicet Chriſtus, qui etiam interpellat pro nobis*, & ad Hebr. 7. *Accedens per ſemetipſum ad Deum ſemper viuens ad interpellandum pro nobis*, 1. ad Thim. *Vnus mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus*, & Ioann. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium paraclitum*; vbi Chriſtus promittit ſe poſt aſcenſionem rogaturum

rum Patrem, vt diſcipulis mittat Spiritū Sanctum, & 1. Ioann. 2. *Aduocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum, &c.* ergo.

Secundo probatur ex teſtimonijs ſanctorum Patrum, qui ex dictis locis ſacræ Scripturæ in noſtram conſpirant ſentētiam, de quorum numero ſunt Cyrillus lib. 2. de fide ad Reg. & lib. 11. in Ioann. cap. 7. vbi ait: *In quantum filius, & Deus eſt, vna cum Patre nobis bona largitur: in quantum vero mediator eſt, noſtras preces ad Patrē adducit*, Cyprian. lib. 4. epiſtol. 4. ſic ait: *Si pro nobis, ac delictis noſtris Chriſtus laborat, & vigilat, & precatur, &c. Habemus aduocatum, & deprecatorē pro peccatis noſtris Ieſum Chriſtum*, Aug. Pſalm. 29. conſonat dicens: *Habes maieſtatem ad quam ores; habes humanitatem quæ pro te oret, nam hoc dictum eſt ab Apoſtolo, etiam poſt reſurrectionem Ieſu Chriſti qui ſedet* (inquit) *ad dexteram, qui etiam interpellat pro nobis*, & in Pſalm. 85. ſubdit: *Oratur in forma Dei, orat in forma ſerui, ibi Creator, hic creatus, & cætera, oramus ergo ad illum, per illum, in illo, & dicimus Cum illo, & dicit nobiſcum: cum dicimus in illo, dicit in nobis Pſalmi huius orationem, &c.* & idem repetit epiſt. 59. ad Paulinum, quæſt. 5. & tandem conſonat Ambroſius, ſuper Luc. cap. 6. dicens: *Orat ergo Dominus non vt pro ſe obſecret, ſed vt pro vt me impetret*: nā & ſi omnia poſſuerit Pater in poteſtate filij, filius tamen vt formam hominis impleret obſecrandum Patrem putat eſſe pro nobis, quia aduocatus eſt noſter, poteſtatis Author, obedientiæ magiſter, ad præcepta virtutis ſuo nos informat exemplo: aduocatum habemus apud Patrem, ſi aduocatus eſt debet pro meis interuenire peccatis: ergo.

Tertio probatur argumento, quo vtitur hic Ambroſ. & D. Th. in d. art. 11. q. 83. nimirum, quia alij ſancti in patria, etiā intercedunt pro nobis oratione expreſſa: ad idquè mouentur exemplo Chriſti: ergo vt eis præbeat exemplum orandi pro nobis, ipſe primus debet officium orantis, & aduocati exercere.

Quarto probatur, quia ex adductis conuenientijs, ob quas conueniens fuit Chriſtum oraſſe in hac vita mortali, tres perſeuerant adhuc in patria: nimirum, vt manifeſtet voluntatem ſuam, ac deſideriū noſtræ ſalutis per orationem, nec non vt per illam Deo Patri exhibeat debitū cultum Religionis: & tandem, vt alijs exemplum præbeat orandi: ergo ob has rationes conueniens eſt Chriſtum in cœlo, vſque ad mundi finē pro hominibus viatoribus orare, & officium mediatoris, atquè aduocati exercere.

Sed non vocalem, aut externam eſſe deffenditur.

13 Dico ſecundo, probabilius eſt huiuſmodi orationem non vocalem, & externam, ſed internam, & mentalem dumtaxat eſſe.

Hæc cōcluſio ſtatuitur aduerſus Authores primi modi defendendi ſecundam ſententiam, & probatur primo, quia id cōuincunt manifeſte teſtimonia adducta ex Nazianz. lib. 4. de Theologia; & Aug. tract. 102. in Ioann. & Gregorio Magno.

Secundo, quia talis oratio vocalis, & externis ſignis ac nutibus prolata; & ſi decuerit Chriſtum in vita mortali, vbi cum clamore valido, & lachrymis præces ad Deum fudit pro hominum redemptione; tamen in cœlo ſedentem ad dexteram Patris immortalem, & glorificatum, minime decet huiuſmodi ſigna humiliationis exhibere.

Tertio, quia teſte D. Th. 2. 2. q. 83. art. 12. ob tres rationes conueniens eſt perſonæ particulari, vti oratione vocali. Tū ad excitandum interiorem affectum, tum ad ex collēdū Deum mente, & corpore, & tandem propter redundantiam affectus in linguam: quarum nulla vrget in Chriſto immortali, & glorificato: vtpotè cuius affectus internus, nec indiget tali excitatione, neque lingua talem recipit redundantiam, neque cultum Deo exhibere ſignis externis decet eum, qui ſedet ad dexteram Patris: ergo.

Quæ videtur ſententia D. Th. Chriſtū non verè vocibus interpellare, ſed ſola ſuorum vulnerum oſtenſione, & ratione ſui muneris: ait enim ad Hebr. 2. lect. 4. Chriſtum duo officia gerere, alterum iudicis erga homines, & alterum aduocati erga Deum apud quem, *pro nobis quaſi aduocatus interpellat, quia aſſiſtit vultui eius pro nobis*, vt dicitur ad Hebr. 9. vbi habetur: *Chriſtus autem aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum*, ideſt aſſiſtens ad interpellandum pro nobis, iuxta illud Rom. 8. *Chriſtus Ieſus, qui etiam interpellat pro nobis*, & primæ ad Timoth. 2. *Mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus*, vt interpretatur idem D. Th. ſuper hoc verbum, ad Hebr. 9. lect. 3. ſubditquè in d. lect. 4. ad Hebr. 2.

Ipſa

Ipſa enim paſsio allegatio eſt, & fidelium interpellatio. Et in hoc ſenſu Chriſtum dici aduocatum à Ioann. primæ can. 2. *Aduocatũ habemus; apud Patrem Chriſtum Ieſum, &c.* & ad Heb. 7. lect. 4. explicans illud verbum, *ſemper viuens ad interpellandum pro nobis*, ſic ait: *Interpellat autem pro nobis, primo humanitatem, quam pro nobis aſſumpſit repreſentando: item ſanctiſsimæ animæ ſuæ deſideriũ quod de ſalute noſtra hæbuit, exprimendo, cum quo interpellat pro nobis.* Quibus verbis denotat D. Th. Chriſtum in cœlo ſolum interpellare ſuæ humanitatis repræſentatione, ac ſui deſiderij expreſsione, quod plane fit ſine vocibus externis, ſed non ſine interna, ac mentali oratione, quod eſt intentum noſtræ aſſertionis; dum in Chriſto primum orandi modum in cœlo denegamus, & ſecundum concedimus: & hæc ipſiſsima fuit ſententia Angelici Doct. in locis præallegatis.

Ad primum in contrarium reſpondetur, nullum ex adductis patribus noſtram primam concluſionem negare, nam vterque Gregor. & Auguſt. ſolùm negant Chriſto nunc in cœlo exiſtenti, orationẽ vocalem cum illis ſignis externis, ac nutibus genuflexionis, ac humiliationis, cũ quibus mortalis orabat, in eodemque ſenſu loquuntur cæteri partes Greci, niſi mauis dicere eos ad euitandum errorẽ Arrij ſenſu, & verbis, negare Chriſtum glorioſum, imo, & mortalem orare, ſecundum diuinitatem, ſecundum quã Arrius Chriſtũ creaturam, & Patre inferiorem aſſerebat. Vnde, & Chryſoſtomus ſe explicans alibi, ſcilicet hom. 84. in Matth. & hom. cõtra eos qui ad Miſſas, *non occurrerent*, ait: *Veniens Chriſtus ad locum orat, & illi quidem* (nempe Arriani) *dicunt quia ſecundum deitatem; nos vero dicimus quia ſecundum diſpenſationem*, cuius verba in 6. ſynodo generali, action. 10. recenſentur: D. autem Thomas dum admittit in Chriſto glorioſo interpellatiuã orationem, quæ in repræſentatione meritorum, ac vulnerum conſiſtit non negat expreſſam orationem: aut non loquitur de repręſentatione dumtaxat obiectiua, quæ fit ſine vllo actu: ſed de particulari, & expræſſa quę fit per actum internũ aplicationis, & allegationis, in quo vera ratio orationis, ſaluatur.

Ad ſecundum neganda eſt minor, vel diſtinguenda per ly, *quoad ſufficientiam, ſeu quoad efficaciam*: nam licet morte Chriſti conſumata fuerit redemptio, quoad ſufficientiam, non tamen quantum ad efficaciam ſortita eſt effectum in particulari in omnibus, & ſingulis hominibus, in quibus adhuc reſtat perficienda per opera, & orationes ſanctorum, qui adhuc merito dicunt cum Poulo ad Coloſ. 1. ſe adimplere quæ deſunt paſsionum Chriſti: quorumque merita, & orationes ſortiuntur effectum, per orationem Chriſti petentis, vt aliorum ſanctorum orationes exaudiantur, & impleantur.

Ad tertium admiſſa maior: neganda eſt minor pro ſecũda parte, quia oratio Chriſti propter defectum ſtatus vię non habet rationem meriti, aut ſatisfactionis: bene tamen habet rationem orationis, impetrationis, cultus, & beneficientiæ, quia huiuſmodi effectibus non obſtat ſtatus patriæ, ſicut obſtat merito, & ſatisfactioni.

Ad quartum reſpondetùr cum D. Th. in allegato loco ex quarto Sent. ideo vtrãquè Eccleſiam Græcam, & Latinam in more eſſe precandi ad Chriſtum non ſub illa forma, *Chriſte ora pro nòbis*, ſed ſub iſta, *Chriſte eleyſon*, ideſt, *Chriſte miſerere nòbis*: vt ſenſu, & ipſo modo loquendi hæreſim Arij, & Neſtorij vitaret: quorum alter Chriſtum ratione diuinitatis creatæ, & alter ratione ſuppoſiti creati, ait tamquam inferiorem orare ad Deum Patrem. Alioquim ceſſante ſcandalo, & periculo alterutri errori fauendi; fas cuique eſſet Chriſtum interpellare quouis modo nimirum, vel dicendo, *Chriſte miſerere nobis*, vel *Chriſte intercede pro nobis*, ſicut & vtroque modo ipſum in ſtatu vitæ mortalis homines interpellarunt: Alijs quidem clamantibus Ieſu præceptor, ſiue filij Dauid miſerere noſtri: Martha verò *Scio, quia quæcumquè popoſceris à Deo dabit tibi Deus.*

QVAESTIO XXII.

De Sacerdotio Chriſti, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Chriſto conueniat eſſe Sacerdotem?

inf q. 31. a. 2. c. & ad 2. & q. 59. ar. 4. ad 1. & 4. cont. c. 76 col. 2. & opu 20. c. 3. col. 12. fin. & Pſ. 2. col. 6. & 7. & Pſ. 44. co. 10. & Hebr. 1. le. 4. fin.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod Chriſto non conueniat eſſe ſacerdotem. Sacerdos enim eſt minor Angelo: vnde dicitur Zachar. 3. Oſtendit mihi Deus ſacerdotem magnum ſtantem coram Angelo Domini. Sed Chriſtus eſt maior Angelis, ſecundum illud Hebræorum primo. Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. Ergo Chriſto non conuenit eſſe ſacerdotem.

2 Præterea. Ea quę fuerunt in veteri teſtamento, fuerunt figuræ Chriſti, ſecundum illud Coloſſenſ. ſecundo, Quæ ſunt vmbra futurorum, corpus autem Chriſti. Sed Chriſtus non traxit carnis originem ex ſacerdotibus veteris legis. Dicit enim Apoſtolus ad Hebreos ſeptimo. Manifeſtum eſt, quod ex Iuda ortus ſit Dominus noſter; in qua tribu nihil de ſacerdotibus Moyſes locutus eſt. Ergo Chriſto non conuenit eſſe ſacerdotem.

3 Præterea. In veteri lege, quæ eſt figura Chriſti, non fuit idem legislator, & ſacerdos: vnde dicit Dominus ad Moyſen legislatorem Exod. 28. Applica Aaron fratrem tuum, vt ſacerdotio fungatur mihi. Chriſtus autem eſt lator nouę legis, ſecundum illud Hier. 31. Dabo legē meam in cordibus eorum. Ergo Chriſto non conuenit eſſe ſacerdotem.

Sed contra eſt, quod dicitur Hebræorum quarto. Habemus Pontificem, qui penetrauit cœlos, Ieſum filium Dei.

Reſpondeo dicendum, quod propriè officium ſacerdotis eſt eſſe mediatorem inter Deum, & populum; in quantum ſcilicet diuina populo tradit (vnde dicitur ſacerdos, quaſi ſacra dans,) ſecundū illud Malach. 2. Legem requirent ex ore eius, ſci-

Tt licet

licet ſacerdotis; & iterum, in quantum preces populi Deo offert, & pro eorum peccatis Deo aliqualiter ſatisfacit. Vnde Apoſtolus dicit ad Hebr. 5 Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus cōſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis. Hoc autem maximê conuenit Chriſto: nam per ipſum diuina dona hominibus ſunt collata: ſecundum illud 2. Petr. 1 Per quem, ſcilicet Chriſtum, maxima, & pretioſa nobis promiſſa donauit, vt per hoc efficiamini diuinæ conſortes naturæ. Ipſe etiam humanum genus Deo reconciliauit, ſecundum illud Coloſſ. 1. In ipſo, ſcilicet Chriſto, complacuit omnē plenitudinem inhabitare, & per eū reconciliare omnia. Vnde Chriſto maxime conuenit eſſe ſacerdotem.

Ad primum ergo dicēdum, quod poteſtas hierarchica conuenit quidem Angelis, in quātum & ipſi ſunt medij inter Deum, & hominem, vt patet per Dionyſium * in libro cœleſt. hierar. ita quod ipſe ſacerdos, in quantum eſt medius inter Deum, & populum, Angeli nomen habet; ſecundum illud Malac. 2. Angelus Domini exercituum eſt. Chriſtus autē maior Angelis fuit non ſolum ſecūdum diuinitatem, ſed etiam ſecundum humanitatem, in quantum habuit plenitudinem gratiæ, & glorię. Vnde etiam excellentiori modo hierarchicam, ſeu ſacerdotalem poteſtatem præ Angelis habuit; ita etiam quod ipſi Angeli fuerunt miniſtri ſacerdotij eius, ſecundum illud Matthæi quarto. Acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei. Secundum tamen paſſibilitatem carnis, modico ab Angelis minoratus eſt, vt Apoſtolus dicit ad Hebræos ſecundo. Et ſecundum hoc, conformis fuit hominibus viatoribus in ſacerdotio conſtitutis.

[c. 6. p. 3. â med.]

Ad ſecundum dicendum, quod ſicut Damaſcenus * dicit in tertio libro. Quod in omnibus eſt ſimile, idem vtique erit, & non extraneum. Quia igitur ſacerdotium veteris legis erat figura ſacerdotij Chriſti, noluit Chriſtus naſci de ſtirpe figuralium ſacerdotum: vt oſtenderetur non eſſe omnino idem ſacerdotiū, ſed differre ſicut verum â figurali.

[orth. fid. c. 26. circa fin. q. 8. a. 4. & alijs eiuſdem.]

Ad tertium dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt. * alij homines particulatim habent quaſdam gratias: ſed Chriſtus tamquam omniū caput habet perfectionem omnium gratiarum. Et ideo quantum ad alios pertinet, alius eſt legiſlator, & alius ſacerdos, & alius rex: ſed hæc omnia concurrunt in Chriſto tamquam in fonte omnium gratiarum. Vnde dicitur Iſai. trigeſimo tertio, Dominus iudex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus rex noſter: ipſe veniet, & ſaluabit nos.

Concluſio eſt affirmatiua, & certa ſecundum ſidem, quia ad Hebr. 4. dicitur habemus Pontificem, qui penetrauit cœlos Ieſum filium Dei. Deinde ſuadetur hac ratione: officium ſacerdotis eſt eſſe mediatorem inter Deum, & populū, dicitur enim ſacerdos, quaſi ſacra dans, iuxta illud Malach. 2. legem requirent ex ore eius, ſcilicet ſacerdotis: cuius etiam eſt offerre Deo præces populi, & pro eius peccatis ſatisfacere, ſecundum illud ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis, &c.* ſed hoc maximè conuenit Chriſto, per quē diuina dona hominibus ſunt collata, vt dicitur 2. Petri 1. & qui reconciliauit Deo humanum genus: iuxta illud ad Coloſ. 1. in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia, &c. ergo.

AR-

ART. II.

Vtrùm Chriſtus ſimul fuerit ſacerdos, & hoſtia?

inf. q. 84. a. 7. ad 4. & op. 69. c. 18. to. 6

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod ipſe Chriſtus non fuerit ſimul ſacerdos, & hoſtia. Sacerdotis enim eſt hoſtiam occidere. Sed Chriſtus non ſe ipſum occidit. Ergo ipſe nec fuit ſimul ſacerdos, & hoſtia.

2 Præterea. Sacerdotium Chriſti magis eſt ſimile ſacerdotio Iudæorum, quod erat â Deo inſtitutum, quam ſacerdotio Gentilium, quo dæmones colebantur. In veteri autem lege numquam homo in ſacrificium offerebatur: quod maximê reprehenditur in ſacrificijs gentilium; ſecundum illud Pſalm. 105. Effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum, quas ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaan. Ergo in ſacerdotio Chriſti non debuit eſſe ipſe homo Chriſtus hoſtia.

3 Præterea. Omnis hoſtia ex hoc, quod Deo offertur, Deo ſanctificatur. Sed ipſa Chriſti humanitas â principio fuit ſanctificatâ, & Deo coniuncta. Ergo non conuenienter poteſt dici, quod Chriſtus, ſecundum quod homo, fuerit hoſtia.

Sed contra eſt, quod Apoſtolus dicit ad Epheſ. quinto, Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis.

lib. 10. c. 5. Reſpondeo dicendum, quod ſicut Auguſtinus dicit * in decimo de ciuitate Dei, omne ſacrificium viſibile, inuiſibilis ſacrificij ſacramentum, id eſt, ſacrum ſignum eſt. Inuiſibile autem ſacrificium eſt, quo homo Deo ſpiritum ſuum offert: ſecundum illud, Pſalm. 50. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus. Et ideo omne illud quod Deo exhibetur, ad hoc quod ſpiritus hominis feratur in Deum, poteſt dici ſacrificium.

Indiget igitur homo ſacrificio propter tria. Vno quidem modo ad remiſſionem peccati, per quod â Deo auertitur: & ideô Apoſtol. dicit ad Hebr. 5. quod ad ſacerdotem pertinet, vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis. Secundo, vt homo in ſtatu gratiæ conſeruetur, ſemper Deo inhærens, in quo eius pax, & ſalus conſiſtit. Vnde & in veteri lege immolabatur hoſtia pacifica pro offerentium ſalute: vt habetur Leuitic. 3. Tertio, ad hoc, quod ſpiritus hominis perfectê Deo vniatur: quod maximê erit in gloria. Vnde & in veteri lege offerebatur holocauſtum quaſi totum incenſum: vt dicitur Leuitic. 1. Hæc autem per humanitatem Chriſti nobis prouenerunt: nam primo quidem noſtra peccata deleta ſunt, ſecundum illud Roman. 4. Traditus eſt propter delicta noſtra. Secundo gratiam nos ſaluantem per ipſum accepimus: ſecundum illud Hebr. 5. Factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ. Tertio per ipſum perfectionem gloriæ adepti ſumus. Hebr. 10. Habemus fiduciam per ſanguinem eius, in introitum Sanctorum, ſcilicet in gloriam cœleſtem. Et ideo ipſe Chriſtus in quantum homo, non ſolum fuit ſacerdos, ſed etiam hoſtia perfecta, ſimul exiſtens hoſtia pro

peccato, & hoſtia pacifica, & holocauſtum.

Ad primum ergo dicendum, quod Chriſtus non ſe occidit, ſed ſe ipſum voluntariè morti expoſuit: ſecundum illud Iſai. 53. Oblatus eſt, quia ipſe voluit: & ideo dicitur ſe ipſum obtuliſſe.

Ad ſecundum dicendum, quod hominis Chriſti occiſio poteſt ad duplicem voluntatem comparari. Vno modo ad voluntatem occidentium. Et ſic non habet rationem hoſtiæ: non enim dicuntur occiſores Chriſti, hoſtiam Deo obtuliſſe, ſed grauiter deliquiſſe. Et huius peccati ſimilitudinem gerebant impia Gentilium ſacrificia, quibus homines idolis immolabant. Alio modo poteſt conſiderari occiſio Chriſti per comparationem ad voluntatem patientis, qui voluntariè ſe obtulit paſſioni. Et ex hac parte habet rationem hoſtiæ, in quo non conueniunt cum ſacrificijs Gentilium.

Ad tertium dicendum, quod ſanctitas humanitatis Chriſti à principio non impedit, quin ipſa met humana natura, cum in paſſione oblata eſt Deo, ſanctificata nouo modo fuerit, ſcilicet vt hoſtia actualiter tunc exhibita. Acquiſiuit enim actualem hoſtiæ ſanctificationē tunc ex antiqua charitate, & gratia vnionis ſanctificante eamdem abſolutè.

CONCLVSIO eſt: Chriſtus, vt homo ſimul fuit ſacerdos, & hoſtia perfecta, ſcilicet hoſtia pro peccato, & hoſtia pacifica, & holocauſtum. Cuius ratio eſt, quia hoſtia, & ſacrificium dicitur res oblata Deo ad eleuandum cor hominis in Deum, vt conſtat ex diffinitione ſacrificij aſsignata ab Auguſtino lib. 10. de ciuitate, capit. 5. ſed humanitas Chriſti oblata eſt Deo ad eleuādū homines in Deum: ergo eſt hoſtia, & ſacrificium. Minor patet, quia cor hominis eleuatur in Deum per hoc, mundatur à peccato, & conſeruatur in gratia, & per hoc quod fruitur ipſo Deo, ſed omnia hæc prouenerunt à Chriſto, vt homine, qui traditus eſt propter delicta noſtra: & factus eſt nobis cauſa ſalutis æternæ, & per quem habemus fiduciā in introitum Sanctorum, ideſt in gloriam cœleſtem.

ART. III.

Vtrùm effectus ſacerdotij Chriſti ſit expiatio peccatorum?

AD tertiū ſic proceditur. Videtur, quod effectus ſacerdotij Chriſti non ſit expiatio peccatorum. Solius enim Dei eſt peccata delere, ſecundum illud Iſai quadrageſimo tertio. Ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me. Sed Chriſtus non eſt ſacerdos, ſecundum quod Deus, ſed ſecundum quod homo. Ergo ſacerdotiū Chriſti non eſt expiatiuum peccatorum.

2. Præterea, Apoſtol. dicit Hebr. 10. quod hoſtiæ veteris teſtamenti non poterant perfectos facere: alioquin ceſſaſſent offerri, eo quod nullam haberent conſcientiam peccati cultores ſufficienter ſemel mundati, ſed in ipſis commemoratio peccatorum per ſingulos annos fit. Sed ſimiliter ſub ſacerdotio Chriſti ſit commemoratio peccatorū, cū dicitur, Dimitte nobis debita noſtra, Matth. 6. Offertur etiā continue

tinue ſacrificium in Eccleſia. Vnde, & ibidem dicitur, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Ergo per ſacerdotium Chriſti non expiantur peccata.

3 Præterea. In veteri lege maximê immolabatur hircus pro peccato principis, vel capra pro peccato alicuius de populo, vel vitulus pro peccato ſacerdotis, vt patet Leuitic. 4 Sed Chriſtus nulli horum comparatur, ſed agno, ſecundum illud Hierem. 11. Ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam. Ergo videtur, quod eius ſacerdotium non ſit expiatiuum peccatorum.

Sed contra eſt, quod Apoſtol. dicit Hebr. 9. ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſe ipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti. Opera autem mortua dicuntur peccata. Ergo ſacerdotium Chriſti habet virtutem emundandi peccata.

Reſpondeo dicendum, quod ad peccatorum perfectam emundationem duo requiruntur, ſecundum quod duo ſunt in peccato; ſcilicet macula culpæ, & reatus pœnæ. Macula quidem culpæ deletur per gratiam, qua cor peccatoris conuertitur in Deum: reatus autem pœnæ; totaliter tollitur per hoc; quod homo Deo ſatisfacit. Vtrumquê autem horum efficit ſacerdotium Chriſti. Nam virtute ipſius, gratia nobis datur, qua corda noſtra conuertuntur ad Deum: ſecundum illud Roman. 3. Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius. Ipſe etiam pro nobis plenarie ſatisfecit, in quãtum ipſe languores noſtros tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Vnde patet, quod Chriſti ſacerdotium habet plenam vim expiandi peccata.

Ad primum ergo dicendum, quod licet Chriſtus non fuerit ſacerdos ſecundum quod Deus, ſed ſecundum quod homo: vnus tamen, & idem fuit ſacerdos, & Deus. Vnde in ſynod. Epheſ. * legitur. Si quis *In ſyno. 13 Epheſ. cui præfuit Cyril. can. 10.* Pontificem dicit, & Apoſtolum noſtrum fieri, non ipſum ex Deo Verbum, quando factum eſt caro, & ſecundum nos homo, ſed tamquam alterum præter eum ſeorſum hominem ex muliere: anathema ſit. Et ideo in quantum eius humanitas operabatur in virtute diuinitatis, illud ſacrificium erat efficaciſsimum ad delenda peccata. Propter quod Auguſtin dicit in 4. de Trinitat. * *l. 4. c. 14. cir. ſi. to. 3.* Vt quoniam quatuor conſiderantur in omni ſacrificio; cui offeratur, â quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur; idem ipſe vnus veruſque mediator, per ſacrificium pacis reconcilians nos Deo, vnum cum illo maneret, cui offerebatur; vnum in ſe faceret, pro quibus offerebatur; vnus ipſe eſſet, qui offerebat, & quod offerebatur.

Ad ſecundum dicendum, quod peccata non commemorantur in noua lege, propter inefficaciam ſacerdotij Chriſti, quaſi per ipſum nõ ſufficienter expientur peccata; ſed commemorantur quantum ad illos, qui vel eius ſacrificij nolunt eſſe participes (ſicut ſunt infideles) pro quorum peccatis oramus, vt conuertantur; vel etiam quantum ad illos, qui poſt participationem huius ſacrificij ab eo deuiant; qualitercumque peccando. Sacrificium autem quod quotidie in Eccleſia offertur, non eſt aliud â ſacrificio, quod ipſe Chriſtus obtulit, ſed eius *li. 10. de ciu. Dei, c. 20. in med. to. 5.* commemoratio; vnde Auguſt. dicit in 10. de ciuitat. * Dei, Sacerdos ip-

ſe Chriſtus offerens, ipſe, & oblatio: cuius rei ſacramentum, quotidianũ eſſe voluit Eccleſiæ ſacrificium.

Ad tertium dicendum, quod ſicut Origen. * dicit ſuper Ioann. Licet diuerſa animalia in veteri lege offerrentur, quotidianum tamen ſacrificium, quod offerebatur mane, & veſpere, erat agnus vt habetur Num. 28. Vnde ſignificabatur, quod oblatio agni veri, id eſt Chriſti, eſſet ſacrificium conſumatiuum omnium aliorum. Et ideo Ioann. 1. dicitur, Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

* *ſup. illud Ioa. 1 Ecce agn⁹ Dei, f. 103 qui liber primo in lucẽ prodijt, anno Do. 1555. ex officina, Caroli Guillart, Pariſij.*

Concluſio eſt affirmatiua, & ſuadetur. Tum ex illo ad Hebr. 9. *Sanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſe ipſum obtulit immaculatum emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſeruiendum, Deo viuenti.* Opera autem mortua ſunt peccata: ergo.

Tum etiam probatur hac ratione theologica: ad perfectam emundationem peccati requiruntur duo: nimirum gratia, & ſatisfactio: eo quod in peccato ſunt duo: nimirum macula, quam tollit gratia, & reatus, quem tollit ſatisfactio: ſed ſacerdotium Chriſti vtrumque efficit, gratiam quidem, quia vt dicitur ad Roman. 3. iuſtificamur per gratiam Chriſti: ſatisfactionem vero, quia languores noſtros tulit, & dolores noſtros ipſe portauit.

ART. IV.

Vtrùm effectus ſacerdotij Chriſti non ſolum ad alios pertinuerit, ſed etiam ad ipſum?

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod effectus ſacerdotij Chriſti non ſolum pertinuerit ad alios, ſed etiam ad ipſum. Ad officium enim ſacerdotis pertinet pro populo orare: ſecundum illud 2. Mach. 1. Orationem faciebant ſacerdotes, dum conſummaretur ſacrificium. Sed Chriſtus non ſolum pro alijs orauit, ſed etiam pro ſe ipſo: ſecundum quod ſupra dictum eſt: * ſicut expreſsè dicitur Hebr. 5. quòd in diebus carnis ſuæ, preces, ſupplicationeſquê ad Deum, qui poſsit illũ ſaluum facere â morte, cum clamore valido, & lachrymis obtulit. Ergo ſacerdotium Chriſti effectum habuit non ſolum in alijs, ſed etiam in ſe ipſo.

4 d. 4. q. 1 ar. 3. q. 5.

q. 21. a. 3.

2 Præterea. Chriſtus ſacrificiũ obtulit ſe ipſum in ſua paſsione. Sed per paſsionem ſuam non ſolum alijs meruit, ſed etiam ſibi: vt ſupra habitum eſt. * Ergo ſacerdotium Chriſti non ſolum habuit effectum in alijs, ſed etiam in ſe ipſo.

q. 19. a. 3. & 4.

3 Præterea. Sacerdotium veteris legis fuit figura ſacerdotij Chriſti. Sed ſacerdos veteris legis non ſolum pro alijs, ſed etiam pro ſe ipſo ſacrificium offerebat. Dicitur enim

enim Leuit. 16. quod Pontifex ingreditur Sanctuarium, vt roget pro ſe, & pro domo ſua, & pro vniuerſo cœtu filiorum Iſrael. Ergo etiam ſacerdotium Chriſti non ſolum in alijs, ſed in ſe ipſo effectum habuit.

cano. 10. concil. 1. Ephe. cui præfuit Cyril. t. 1. concil. 1.

Sed contra eſt, quod in Epheſinâ * ſynodo legitur. Si quis dicit Chriſtum pro ſe obtuliſſe oblationem, & non magis pro nobis ſolum: (non enim indiguit ſacrificio, qui peccatum neſcit) anathema ſit. Sed in ſacrificio offerendo, potiſsime ſacerdotis conſiſtit officium. Ergo ſacerdotum Chriſti non habuit effectum in ipſo Chriſtó.

Ar. 1. huius quæſt.

Reſpôdeo dicendum, quod ſicut dictum eſt, * ſacerdos conſtituitur medius inter Deum, & populum. Ille autem indiget medio ad Deum, qui per ſe ipſum accedere ad Deum non poteſt: & talis ſacerdotio ſubijcitur, effectum ſacerdotij participans. Hoc autem Chriſto non competit; dicit enim Apoſtol. ad Hebr. 7. Accedens per ſemetipſum ad Deum, ſemper viuens, ad interpellã dum pro nobis. Et ideo Chriſto nõ conuenit effectum ſacerdotij in ſe ſuſcipere, ſed potius ipſum alijs communicare. Primum enim agens in quolibet genere, ita eſt influens, quod non eſt recipiens in genere illo; ſicut ſol illuminat, ſed non illuminatur, & ignis calefacit, ſed non calefit. Chriſtus autem eſt fons totius ſacerdotij; nam ſacerdos legalis erat figura ipſius; ſacerdos autem nouæ legis in perſona ipſius operatur, ſecundum illud 2. ad Corinth. 2. Nam & ego quod donaui, ſi quid donaui, propter vos in perſona Chriſti. Et ideo non competit Chriſtó effectum ſacerdotij recipere.

Ad primum ergo dicendum, quod oratio etſi conueniat ſacerdotibus, non tamen eſt eorum officio propria. Cuilibet enim conuenit & pro ſe, & pro alijs orare; ſecundum illud Iac. vlt. Orate pro inuicem, vt ſaluemini. Et ſic poſſet dici, quod oratio qua Chriſtus pro ſe orauit, non erat actus ſacerdotij eius. Sed hæc reſponſio videtur excludi per hoc, quod Apoſtolus Hebr. 5. cum dixiſſet. Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech: ſubdit. Qui in diebus carnis ſuæ preces, &c. vt ſupra. * Et ita videtur quod oratio, qua Chriſtus orauit, ad eius ſacerdotium pertineat. Et ideo oportet dicere, quod alij ſacerdotes effectum ſacerdotij ſui participant· non in quantum ſacerdotes, ſed in quantum peccatores; vt infra dicetur. Chriſtus autem, ſimpliciter loquendo, peccatum non habuit. Habuit tamen ſimilitudinem peccati in carne; vt dicitur Roman. 8. Et ideo non ſimpliciter dicendum eſt, quod ipſe effectum ſacerdotij participauerit, ſed ſecundum quid, ſcilicet ſecundum paſsibilitatem carnis. Vnde ſignanter dicit. Qui poſsit illum ſaluum facere à morte. *in arg. 1.*

Ad ſecundum dicendum, quod in oblatione ſacrificij cuiuſcumque ſacerdotis, duo poſſunt conſiderari, ſcilicet ipſum ſacrificium oblatum, & deuotio offerentis. Proprius autem effectus ſacerdotij eſt id, quod ſequitur ex ipſo ſacrificio. Chriſtus autem conſecutus eſt per ſuam paſsionem, gloriam reſurrectionis, non quaſi ex vi ſacrificij, quod offertur per modũ ſatisfactionis; ſed ex ipſa deuotione, qua ſecundum charitatem humiliter paſsionẽ ſuſtinuit.

Ad tertium dicendum, quod figura non poteſt adæquare veritatem. Vnde ſacerdos figuralis veteris legis non poterat ad hanc perfectionẽ

pertingere, vt ſacrificio ſatisfactorio non indigeret. Sed Chriſtus non indiguit: vnde non eſt ſimilis ratio de vtroque. Et hoc eſt, quod Apoſtolus dicit, Lex homines conſtituit ſacerdotes, infirmitatem habentes, ſermo autem iuriſiurandi, qui poſt legem eſt, Filium in æternum perfectum.

Conclusio eſt: non competit Chriſto effectum ſui Sacerdotij recipere, quæ ſuadetur primo ex Concilio Epheſieo, 2. can. 10. vbi damnatur qui dixerit: Chriſtum pro ſe obtuliſſe: in oblatione autem ſacrificij conſiſtit potiſsime officium ſacerdotis: ergo.

Deinde ſuadetur duplici ratione Theologica. Prima eſt, quia ille participat effectum Sacerdotij, qui per ſe ipſum non poteſt accedere ad Deum: eo quod Sacerdos eſt medius inter Deum, & populum: Chriſtus autem per ſe ipſum acceſsit ad Deum, iuxta illud ad Hebr. 7. *Accedens per ſemet ipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis*: ergo.

Secunda eſt, quia primum agens in quocumque genere, ita influit in alios, quod non recipit ſuum influxum, ſicut Sol illuminat, ſed nō illuminatur, & ignis calefacit, ſed non calefacit ſe ipſum: Chriſtus autē eſt fons totius Sacerdotij, quia Sacerdos legalis erat figura Chriſti, Sacerdos vero noue legis gerit vicem ipſius, iuxta illud Paul. 2. ad Corinth. 2.

Nam, & ego quod donaui, ſi quid donaui, propter vos in perſona Chriſti.

ART. V.

Vtrum ſacerdotium Chriſti permaneat in æternum?

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quod ſacerdotium Chriſti non permaneat in æternum. Quia (vt dictum eſt *) illi ſoli effectu ſacerdotij indigent, qui habent infirmitatem peccati, quæ per ſacerdotis ſacrificium expiari poteſt. Sed hoc non erit in æternum: quia in Sanctis nulla erit infirmitas. ſecundum illud Iſai. 60. Populus tuus omnes iuſti. Peccatorum autem infirmitas inexpiabilis erit; quia in inferno nulla eſt redemptio. Ergo ſacerdotium Chriſti fruſtra remaneret in æternum.

art. ſeq. co. & b. 6. ad 3. a. 5. co. & 1. 2. q. 106. ar. 4. & 3. d. 22 q. 1. art. 1. ad 4.
** ar. præc.*

2 Præterea. Sacerdotium Chriſti præcipuê manifeſtatum eſt in eius paſsione, & morte, quando per proprium ſanguinem introiuit in Sancta: vt dicitur Hebr. 9. Sed paſsio, & mors Chriſti non erit in æternum, ſecundum illud Roman. 6. Chriſtus reſurgens â mortuis, iam non moritur. Ergo ſacerdotium Chriſti non eſt in æternum.

3 Præterea Chriſtus eſt ſacerdos non ſecundum quod Deus, ſed ſecundum quod homo. Sed Chriſtus quandoque non fuit homo, ſcilicet in triduo mortis. Ergo ſacerdotium Chriſti non eſt in æternum.

Sed contra, eſt quod dicitur in Pſalm. 109. Tu es ſacerdos in æternum.

Reſ-

Reſpondeo dicendum, quod in officio ſacerdotis duo poſſunt conſiderari. Primo quidem, ipſa oblatio ſacrificij. Secundo, ipſa ſacrificij conſumatio: quæ quidem conſiſtit in hoc, quod illi pro quibus ſacrificium offertur, finem ſacrificij conſequuntur. Finis autem ſacrificij, quod Chriſtus obtulit, non fuerunt bona temporalia, ſed æterna, quæ per eius mortem adipiſcimur (vnde dicitur Heb. 9. quod Chriſtus eſt aſsiſtens Pontifex futurorum bonorum:) ratione cuius, Chriſti ſacerdotium dicitur eſſe æternum.

Et hæc quidem conſummatio ſacrificij Chriſti præfigurabatur in hoc ipſo, quod Pontifex legalis ſemel in anno cum ſanguine hirci, & vituli intrabat in Sancta Sanctorum; vt dicitur Leuit. 16. cum tamen hircum, & vitulum non immolaret in Sanctis Sanctorum, ſed extra. Et ſimiliter Chriſtus in Sancta Sanctorum, id eſt in ipſum cœlum intrauit & nobis viam parauit intrandi, per virtutem ſanguinis ſui, quem pro nobis in terra effudit.

Ad primum ergo dicendum, quod Sancti qui erunt in patria, non indigebunt vlterius expiari per ſacerdotium Chriſti: ſed expiati iam indigebunt conſummari per ipſum Chriſtum, â quo gloria eorum dependet. Vnde dicitur Apocal. 21. quod claritas Dei illuminat illam, ſcilicet ciuitatem Sanctorum; & lucerna eius eſt agnus.

Ad ſecundum dicendum, quod licet paſsio, & mors Chriſti de cætero non ſint iteranda, tamen virtus illius hoſtiæ ſemel oblatæ, permanet in æternum: quia vt dicitur ad Hebr. 10. vna oblatione conſummauit in æternum ſanctificatos. Et per hoc patet etiam reſponſio. Ad tertium. Vnitas autem huius oblationis figurabatur in lege, per hoc quod ſemel in anno legalis Pontifex cum ſolemni oblatione ſanguinis intrabat in Sancta: vt dicitur Leuitic. 16. Sed deficiebat figura â veritate in hoc, quod illa hoſtia non habebat ſempiternam virtutem, & ideo annuatim illę hoſtiæ reiterabantur.

CONcluſio eſt affirmatiua, & certa ſecundum fidem, quæ colligitur ex illo Pſalm. 109. *Tu es ſacerdos in æternum*, & cætera.

Deinde probatur duplici ratione. Prima eſt, quia conſumatio ſacerdotij Chriſti conſiſtit in conſecutione bonorum æternorum, eſt enim aſsiſtens Pontifex, futurorum bonorum, ad Hebr. 9. ergo quantum ad conſumationem, eius ſacerdotium eſt æternum.

Secunda eſt, quia hoc præfigurabatur in ſacerdotio legali, quod fuit figura ſacerdotij Chriſti, & propterea ſacerdos legalis ſemel in anno cum ſanguine hirci, & vituli intrabat in Sancta Sanctorum, vt dicitur Leuit. 16. quia ſic Chriſtus ſemel, ingreſſurus erat in cœlum, vt nobis viam pararet illuc intrandi per virtutem ſanguinis ſui: ergo.

ART. VI.

Vtrùm ſacerdotium Chriſti fuerit ſecundum ordinem Melchiſedech?

AD ſextum ſic proceditur. Videtur, quod ſacerdotiū Chriſti non fuerit ſecundū ordine Melchiſedech. Christus enim eſt *infr. q. 61. a. 3. ad 3. & 4. d. 8. q. 1. a. 2. q. 3.*

eſt fons totius ſacerdotij, tamquam principalis ſacerdos. Sed illud quod eſt principale, non ſequitur ordinem alterius, ſed alia ſequuntur ordinem ipſius. Ergo Chriſtus non debet dici ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech.

2 Præterea. Sacerdotium veteris legis, propinquius fuit ſacerdotio Chriſti, quam ſacerdotium, quod fuit ante legem. Sed ſacramenta tanto expreſsius ſignificabant Chriſtum, quanto propinquiora fuerunt Chriſto: vt patet ex his, quæ in 2. parte dicta ſunt. * Ergo ſacerdotium Chriſti magis debet denominari ſecundum ſacerdotium legale, quam ſecundum ſacerdotium Melchiſedech, quod fuit ante legem.

2.2.q.2. art.7.

3 Præterea. Hebr. 7 dicitur, quod eſt Rex pacis, ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque numerum dierum, neque finem vitæ habens. Quæ quidem eonueniunt ſoli filio Dei. Ergo non debet dici Chriſtus ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, tamquam cuiuſdam alterius, ſed ſecundum ordinem ſui ipſius.

Sed contra eſt, quod dicitur in Pſalm.109 Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, * legale ſacerdotium fuit figura ſacerdotij Chriſti: non quidem quaſi adæquans veritatem, ſed multum ab ea deficiens. Tum quia ſacerdotium legale non mundabat peccata: tum etiam quia non erat ęternum, ſicut ſacerdotium Chriſti. Ipſa autem excellentia ſacerdotij Chriſti ad ſacerdotium Leuiticum fuit figurata in ſacerdotio Melchiſedech, qui ab Abraham decimas ſumpſit, in cuius lumbis decimatus eſt quodammodo ipſe ſacerdos legalis. Et ideo ſacerdotium Chriſti dicitur eſſe ſecundum ordinem Melchiſedech, propter excellẽtiam veri ſacerdotij ad figurale ſacerdotium legis.

a.4. huius q.4.3.

Ad primum ergo dicẽdum, quod Chriſtus non dicitur eſſe ſecundum ordinem Melchiſedech, quaſi principalioris ſacerdotis, ſed quaſi præfigurantis excellentiam ſacerdotij Chriſti ad ſacerdotium Leuiticum.

Ad ſecundum dicendum, quod in ſacerdotio Chriſti duo poſſunt cõſiderari; ſcilicet ipſa oblatio Chriſti, & participatio eius. Quantum ad ipſam oblationem, expreſsius figurabat ſacerdotium Chriſti ſacerdotium legale per ſanguinis effuſionẽ, quam ſacerdotium Melchiſedech, in quo ſanguis non effundebatur: ſed quantum ad participationem huius ſacrificij, & eius effectum (in quo præcipuê attenditur excellentia ſacerdotij Chriſti ad ſacerdotium legale) expreſsius præfigurabatur per ſacerdotium Melchiſedech, qui offerebat panem, & vinum, ſignificãtia (vt Auguſt. * dicit) eccleſiaſticam vnitatem, quam conſtituit participatio ſacrificij Chriſti. Vnde etiam in noua lege verum Chriſti ſacriſicium communicatur fidelibus, ſub ſpecie panis, & vini.

refertur de conſe.diſ.2 c.quia paſſus.

Ad tertium dicendum, quod Melchiſedech dictus eſt ſine patre, & ſine matre, & ſine genealogia, & quod non habet initium dierum neque finem; non quia iſta non habuerit, ſed quia in Scriprura ſacra iſta de eo non leguntur. Et per hoc ipſum (vt Apoſtolus ibidem dicit) aſsimilatus eſt filio Dei; qui in terris eſt ſine patre, & in cœlis ſine matre, & ſine genealogia; ſecũdum illud Iſai. 53. Generationẽ eius quis enarrabit? & ſecundũ diuinitatẽ, neque principiũ, neque finem habet dierum.

Con-

CONCLVSIO affirmans eſt, & certa ſecundum fidem, quæ colligitur ex illo Pſal. 109. *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*, & ſuadetur ratione, quia licet ſacerdotium legale fuerit figura imperfecta, & inadæquata ſacerdotij Chriſti, eo quod nec mundabat peccata, neque erat æternum; tamen excellentia Sacerdotij Chriſti ſupra legale fuit figurata in ſacerdocio Melchiſedech, qui ab Abraham decimas ſumpſit, in cuius lumbis quodammodo decimatus eſt ſacerdos legalis, & ideo ſacerdotium Chriſti dicitur ſecundum ordinem Melchiſedech, propter ſimilitudinem, & conuenientiam in excellentia veri ſacerdotij ad figurale.

1 In hac quæſtione agit Angelicus præceptor de duplici Chriſti hominis dignitate, hoc eſt de ſacerdotali, & Regia: vtramque enim concurriſſe in Chriſto oſtendit Diu. Thom. in articul. 1. in corpore, & in ſolutione ad tertium, de quibus plura hic congerunt Theologi: quæ tamen ad compendium reducere opportet, ita vt prius de ſacerdotali, deinde de regia dignitate fiat ſermo.

De ſacerdotali igitur tria, deducimus theoremata. Primũ eſt, Chriſtum Dominum eſſe mediatorem, & ſacerdotem, ſecundum humanam naturam vnitam Verbo: & quia ſacerdotium conſiſtit in poteſtate ſacrificandi, vere ſacerdotis officium exercuit in Paſsione, in Cœna, & in Cruce: & quod in his actionibus ſe obtulit in verum ſacrificium.

Secundũ eſt, quod ſimul ſit ſacerdos, & res oblata: id eſt, hoſtia, & ſacrificium; eo quod in prædictis actionibus ſe ipſum obtulerit, vt dictum eſt, neque eſt eadẽ ratio de alijs martiribus, qui tantum paſsiue ſe habent ſuſtinendo mortem ſibi à tyranno inflictam: & ideo neque ipſi ſacerdotes ſunt in tali paſsione, neque eorum paſſio eſt ſacrificium, vtpote, quod non in ſola paſsione, ſed in voluntaria oblatione conſiſtit: è contra vero Chriſtus fuit ſacerdos, & vere ſacrificans, eiuſque mors verum ſacrificium; quoniam non ſolum paſsiue ſe habuit ſuſtinendo mortem, ſed etiam actiue, & voluntariè, ſaltim indirectè ſe oferendo in illa, & non impediendo corporis læſionem, & iudæorum actionem: quam tamen poterat impedire. De quo diſcrimine videndus eſt Diu. Thom. infra quæſtion. 47. articul. 1.

Tertiũ eſt Chriſtum eſſe ſacerdotem in æternum, & ſecundum ordinem Melchiſedech: in æternum quidem, propter tria. Tum ex parte ſubiecti propter vnionem hypoſtaticam ſempiternam, vtpote quæ æternitate participata menſuratur: vt explicat Vazquius, diſputation. 85. cap. 2.

Tum etiam ex parte effectus ſacrificij: qui eſt duraturus in æternum, iuxta illud ad Hebr. 10. *Vna oblatione conſumauit in æternum ſanctificatos, &c.* Quorum conſumatio, hoc eſt gloria, in æternum perſeuerat.

Tum deniquè ex parte vſus huius ſacerdotij, qui durabit in Eccleſia, vſque in finem mundi: nimirum in ſacrificio altaris: quæ de nullo alio inferioris ordinis ſacerdotio, ſiue legali, ſiue legis naturę verificantur: at ſecundum ordinem Melchiſedech dicitur, propter ſimilitudinem in tribus: nimirum in perſona, quia fuit Rex Salem, ſine patre, & ſine matre, &c. quæ de Chriſto eminentius verificantur.

Secundo in officio: nam erat ſimul Rex, & ſacerdos.

Tertiò in ſacrificio panis, & vini, ſub quorum ſpeciebus Chriſtus obtulit ſuum corpus, & ſanguinem: his adde. Quartò, ſimilitudinem, videlicet, in excellentia aſsignata ab Angelico Doctore, quia nimirum, excellentia ſacerdotij Chriſti ſupra legale expræſsius fuit præfigurata in ſacerdotio Melchiſedech.

Pro huius doctrinæ exacta intelligentia.

Diſputatio vnica eſt, de ſacerdotali, & Regia Chriſti hominis dignitate, in ſex dubitationes diuiſa.

Du-

Dubitatio prima eſt: ex quo tempore Chriſtus Sacerdotalem dignitatem habuerit?

2 *Chriſtus à primo inſtanti, habuit ſacerdotalem dignitatem*

AD hanc dubitationem reſpondeo, illam habuiſſe à primo inſtanti ſuæ conceptionis. Quæ concluſio communis eſt inter Theologos, & probatur, quia ex tunc habuit gratiam vnionis ratione, cuius Chriſto homini huiuſmodi ſacerdotalis dignitas, & poteſtas debebatur: ergo ex tunc illam habuit.

Conſequentia patet, quia dignitas, ſeu proprietas, quæ alicui forme debetur, eſt illi coęua, vt inductione in naturalibus probari poteſt: cũ igitur ſacerdotalis dignitas fuerit debita humanitati Chriſti ratione vnionis hypoſtaticæ debito congruentiæ, conſequens eſt fuiſſe illi coęuã; ac proinde humanitas aſſumpta, ſicut à primo inſtanti conceptionis habuit gratiam vnionis, ita ex tunc debuit dignitate ſacerdotali exornari: ne aliquandiu debita dignitate, aut perfectione careret.

Tum etiam, quia huius euidens ſignum fuit, quod magi ab Oriẽte venientes ſpeciali reuelatione diuina illuſtrati Chriſtum infantem incunabulis adhuc poſitum, tamquam verum Regem, & ſacerdotem adorauerunt, miſticas ei munerum ſpecies harum dignitatum proteſtatiuas offerentes. Vnde Eccleſia in Epiphanię ſolemni officio merito canit: *In auro oſtenditur Regis potentia, in thure ſacerdotem magnum conſidera; & in mirra, dominicam ſepulturam.*

Signum igitur, eſt vtramquè dignitatem, ſcilicet Regiam, & ſacerdotalem Chriſto homini à primordijs infantiæ, & conſequenter à primo inſtanti conceptionis conuenire, eo vel maxime, quod à primo inſtanti conceptionis obtulit Deo Patri hoſtiam in ſe ipſo munus ſacerdotis exercendo: in cuius perſona propterea dicitur Pſalm. 39. *Ingrediens mundum dicit, hoſtiam, & oblationem noluiſti, & tunc dixi, ecce venio.*

Dubitatio ſecunda eſt: An huiuſmodi ſacerdotalis dignitas in Chriſti humanitate ponat aliquid reale?

(?¿?)

3 AD hanc reſpondeo cum Diu. Thom. infra quæſtion. 63. articul. 5. & Suarius, diſputat. 46. ſection. 3. quod non ponit characterem, aut qualitatem, aliquam ſicut in alijs ſacerdotibus poteſtas ſacerdotalis imprimit aliquam realem qualitatem de genere potentiæ, quæ dicitur character: ſed tantum ponit extrinſecam Dei ordinationem, atquè deputationem ad exercendum munus ſacerdotale, quoties vellet, aut expediens iudicaret: conotando ſimul poteſtatem capitis, & virtutem influendi gratiam in alios. *Quà nullã realẽ qualitatem ponit in Chriſto.*

Obijcies: hinc ſequi, quod perfectior ſit poteſtas ſacerdotalis in puris hominibus, ſiquidem ponit in illis entitatem realem, quæ melior eſt quacumque relatione rationis, & extrinſeca ordinatione.

Reſpondetur negando conſequentiam, quia vt ibidem §. vltimo aduertit Suarez, plura includit Chriſti ſacerdotium, puta diuinam ordinationem, gratiam vnionis, & capitis dignitatem, ac virtutem effectiuam gratiæ in alijs hominibus, ratione quorum excedit dignitate, ac perfectione noſtrum ſacerdotium.

(* * *)

Dd 3

Digitized by Google

Dubitatio tertia eſt: An ſacerdotium Chriſti præſtantius ſit ſacerdotio Aaronis, ſeu legali, & in quo hæc maior excellentia, & præſtantia conſiſtit?

AD hãc tertiã difficultatẽ in qua inquiritur maior hæc excellentia Sacerdotij Chriſti ſupra legale, ob quam expreſsius in Sacerdotio Melchiſedech fuit præfigurata; operoſius eſt reſpondendum: ad cuius declarationem nonnulla opportet prænotare.

Primo igitur eſt prænotandum, in omni ſtatu ac lege, ſcilicet naturali, & ſcripta aliquod ſacerdotium præceſsiſſe, eo quod homines poſt peccatum in ſtatu naturæ lapſæ, proprijs peccatis infecti præpediebantur, ne per ſemetipſos ad Deum accederent, vtpotè quem ſibi agnoſcebant eſſe infenſum: ideò quaſi medios, ac ſequeſtros inter ſe, ac Deum inſtituerunt ſacerdotes ad ſacrificia peragenda, & placandum Deum offenſum: vt quod per ſe obtinere minus poterant, id alieno patrocinio preſtaretur. Sicquè res geſta eſt, vt non tantum ſub veteri teſtamento, & poſtmodum ſub Euangelio, ſed etiam ante legem ſcriptam: nimirum in lege naturæ fuerit ex conſilio Dei creatus in populis ordo peculiaris ſacerdotum: ob eam cauſam: nimirum diuinæ placationis: licet enim determinatio horum, illorum ve ſacerdotum facta ſit ex hominum condito, & beneplacito, in ſtatu legis naturæ; ad id tamen agendum ſe aplicuere homines ex diuino inſtinctu, & inſpiratione.

His autem qui quondam ſacerdotij officio fungebantur ante inſtitutum Aaronicum ſacerdotium, maiores natu feruntur, iuxta veterum traditionem Hebræorum, teſte Hieronym. de traditionibus Hebraicis in Geneſim: ita vt iure primogenituræ obueniret eis dignitas ſacerdotalis; quod & de Noe, Iob, Melchiſedech, & alijs Patriarchis, probabiliter ſancti Patres autumant, nimirum ſacerdotij principatu polluiſſe, quaſi primos origine, ac dignitate inter fratres ſuos. De antiquæ legis ſacerdotibus patens eſt, quod ex diuina inſtitutione intra vnam Leuiticam familiam fuerint concluſi, & per carnis ſucceſsionem, ad illud miniſterium ſubſtituti, & ſuffecti. Ac tandem in hac parte nimium excelluit collata ſacerdotij dignitas Chriſtianæ reipublicæ per gratiam, & meritum redemptoris: vt quo ſpiritualius, eo ſublimius cæteris eſſe cenſeretur. Hinc patet in ſtatu innocenciç in quo nullum fuit peccatum, nullum quoque neceſſarium fuiſſe ſacerdotium, ſicut neque vllum Sacramentum, miniſterio ſacerdotum conferendum, vt infra queſt. 61. oſtendemus.

5 Secundo, notandum eſt proprium munus ſacerdotij in eo conſiſtere vt ſacerdos ſe quaſi murum opponat effuſæ Dei vindictæ placabilemquè reddat benignitatem Dei offenſi populo peccatori, vtquè ei diuinam gratiam conciliet, tamquam inter Dei, & hominum mediator; quod nos edocuit Apoſtol. ad Hebr. 5. dicens: *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in hijs quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis.* Pro hominibus (inquit) conſtituitur quaſi perſonam eorum gerens & diuinis miſterijs addictus profitetur ſe à communi ſorte conditionequè promiſcui vulgi alienum reputari, vt ſoli Deo vacet.

In hijs quæ ſunt ad Deum, ideſt, quia non fruſtra ſacerdos magnus cidarim geſtat in capite, nomen Dei portat in fronte, vt noueris huic negotio totum conſecrari, & mancipari ſacerdotem; nempè vt in hijs quæ Dei ſunt perpetuo verſetur, vt Origenes homilia 6. in Leuitic. Hieron. de veſte ſacerdotali, & Eſichius, ſuper Leuitici 8. interpretantur.

6 Tertio, opere prætium eſt prænotare Chriſtum, vt hominem, ideſt ratione humanitatis fuiſſe ſacerdotem, quia *Chriſtus fuit ſacerdos in quantum homo.*

vt ſic iuxta verbum Apoſtoli fuit ex hominibus aſſumptus, & pro hominibus conſtitutus in his quæ ſunt ad Deum, quod colligitur ex illo Pauli 1. ad Thimotheum 2. *Vnus eſt Deus, & vnus mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus*, vbi fit à Paulo ſermo formalis, dum dicitur: *Mediator homo Chriſtus Ieſus*: vt ab humana natura initium trahat coaſſumpti honoris Pontificij, idque amplius explicat Apoſtol. dum ſubdit: *Qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus*: Dedit autem ſemetipſum in redemptionem, quatenus homo, & ratione humanæ naturæ: ergo ratione illius habuit ſacerdotium: quamuis enim à diuinitate virtus, & efficacia ſacrificij fuerit deriuata: tamen forma ratione, cuius proxime, & immediate munus ſacerdotale conuenit Chriſto eſt humanitas, in homine igitur atendimus prætium, quod redditur Patri pro debitis humani generis: in Deo autem virtutem, & efficaciam quam præſtat oblato ſacrificio, contemplamur.

Fuit quoquè ſimul Sacerdos, & hoſtia.

Quarto prænotandum duximus, Chriſtum fuiſſe ſacerdotem, ſimul & hoſtiam, oblationem, & ſacrificium, quod facile comprobatur, ex iam alegato teſtimonio, Pſalm. 39. in perſona Chriſti ad Patrem dicentis: *Ideo ingrediens inmundum dicit; hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi, holocauſtomata, & pro peccato nō tibi placuerunt: tunc dixi, ecce venio*, quæ verba expendit ex profeſſo, Paul. ad Hebræos 10. & quidem ſunt Summi noſtri Pontificis Chriſti hominis, cuius hoſtia ſanctificamur, & abluimur à peccatis; ac ſi diceret; non tibi placere potuerunt, ò Pater carnalia illa ſacrificia per manus hominum in lege veteri offerri ſolita, neque craſſa illa holocauſtomata arietum, agnorum ve pinguium fuerunt efficacia ad conciliandam gratiam, & auertendam iram in genus humanum conceptam. Quid ergo reliquum videbatur, niſi vt nouum in me condiretur ſacerdotium, quod aſſumendæ humanitati coætaneum foret? propterea ea fuit tui conſilij prouidentia, vt nouum in me conderes Pontificium, longo diſtans ab alijs interualo, cuius oblatio non poſſet, non tibi ſummopere placere; idcirco carnem aptaſti mihi, de qua tibi hoſtiam offerrem placabilem ad ſtabiliendam pacem, nec non ad peccata omnia, quantum eſt ex me penitus diluenda. Tunc dixi; *Ecce venio*, id mihi occaſionem præbuit aſſumendi carnem, & veniendi in mundum, qua propter vt nouus ſacerdos, nouam hoſtiam immolaturus in mundum adueni.

7 Suadetur quoquè ex dicto Pauli teſtimonio primæ ad Timoth. 2. *Qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus*, adiuncto, & alio teſtimonio, eiuſdem Paul. ad Epheſ. 2. vbi ſic habet: *Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ ſoluens, inimititias in carne ſua, legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in ſemetipſo in vnum hominem faciens pacem; & reconciliet ambos, in vno corpore Deo per Crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo. & veniens Euangelicauit pacem vobis, qui longe fuiſtis, & pacem his, qui prope; quoniam per ipſum habemus acceſſum ambo in vno ſpiritu ad Patrem.* Cuius teſtimonij planus ſenſus eſt, quod ipſe Chriſtus eſt pax noſtra, & mediator noſter per carnem aſſumptam: & dum in ſe complectitur, quod eſt Dei, & hominis, facile Deo in ſemetipſo in hoſtia oblata humanum genus conciliat; vt quod in capite copulatum eſt, non diuideretur in corpore, ac membris illius. Id enim effecit hoſtia redemptoris, vt ſoluta inimititiarum materia, omnia ſint vnum; quoniam per ipſum habemus acceſſum ad Patrem in vno ſpiritu.

Ac tandem idem manifeſte ſuadent verba illa, quibus legimus, Lucæ 22. Chriſtum Dominum, corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini conſecraſſe, ſcilicet: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hic calix ſanguinis mei, qui pro vobis effundetur.*

Ex quo planum, & manifeſtum fit Chriſtum, nedum ſemel cruentam hoſtiam in Cruce immolaſſe, ſed nunc demum ſe ipſum repetitis actionibus eandem offerre incruentam in altari, quidquid ſubmurmurent hæretici huius temporis, qui aduerſus Apoſtolicam, & perpetuam traditionem Eccleſiæ Catholicæ denegant huic Sacramento veritatem ſacrificij, ac proinde ſacerdotium nouæ legis ſola voce confitentur. Verum nos Apoſtolicæ ſententiæ, & Eccleſiæ traditioni adherentes, ſicut in hoc altaris Sacramento veritatem ſacrificij veneramur; ita & verum ſacerdotium in noua lege confitemur, cuius

arcem tenet ſummus ſacerdos Chriſtus qui omnia veteris legis ſacrificia in vnam reſoluit conſummatum quidem in Cruce, ſed adhuc in tota Eccleſia ſemper conſeruatum, retentum, & repetitum: qui veros ſacerdotes creat diſpenſatores miſteriorum ſuorum, vt offerant ſacrificia in iuſtitia qui claues regni cœleſtis, eis tradidit, vt habeant veram ſoluendi ligandi, què poteſtatem: iuxta gradus, & ordines ſuos quos in hac Eccleſiaſtica Hierarchia diſtinxit; nempè ſimplicium ſacerdotum, Epiſcoporum, & ſupremi in terris Pontificis Romani, Epiſcopi vrbis, & orbis; qui immediatus eſt Vicarius Chriſti.

8 His igitur ſuppoſitis, ac prænotatis patens nobis ianua aperitur ad explicandam excellentiam noſtri ſummi ſacerdotis, quam ſub hac concluſione bimembri placet explicare.

Chriſtus vt homo fuit verus ſacerdos. Cuius ſacerdotium pluribus titulis, & excellentijs legali ſacerdotio antecellit.

Prima pars huius aſſertionis ſtatuitur tamquam dogma fidei. Et ſuadetur primo, ex locis ſacræ Scripturæ: nimirum Pſalm. 109. & ad Hebr. 2. 4. & quatuor ſequentibus capitibus, in quibus Chriſtus appellatur nominibus ſacerdotis, & Pontificis, necnon primæ ad Timoth. ſecundo in quantum homo dicitur mediator Dei, & hominum, quæ verba in ſenſu proprio, & litterali, iuxta regulam Auguſtini. & Athanaſij ſunt interprætanda: ac proinde ſignificant Chriſtum hominem fuiſſe verum ſacerdotem, ac Pontificem; necnon verum mediatorem, cuius officium à ſacerdotio non diſcriminatur.

Secundo probatur, quia Chriſtus obtulit ſacrificium Deo pro peccatis humani generis; imo ſe ipſum obtulit Deo in hoſtiam, & ſacrificium cruentum in Paſsione, Cruce, & morte; vt conſtat ex tertio, & quarto notabili: & probant optime Caieta. Ientaculo tertio, Aluarez hic, Cabrera articulo primo, & ſecundo, Suarez diſputation. 40. ſectione ſecunda, & tertia, Vazquez diſputation. 83. capite primo, & tertio, & Lorca diſputation. 82. necnon ex eodem notabili quarto, conſtat Chriſtum quotidie ſe offerre in Sacramento Altaris in hoſtiam incruentam; quæ proculdubio ſunt munia veri ſacerdotis: ergo.

Deinde ſecunda pars, nimirum quod ſacerdotium Chriſti teneat arcem Pontificiæ celſitudinis ſupra legale, & quodcumque aliud antiquius ſacerdotium. Probatur recenſendo excellentias, ac prærrogatiuas, quibus ſuperat quodcumque aliud ſacerdotium. *Eius ſacerdotiũ fuit præſtãtius legali.*

Quarum prima eſt deſumpta, ex poteſtate excellentiæ; ſecundum quam fuit vere autor, & inſtitutor ſacramentorum nouæ legis, & ob quam non habuit characterem, ſicut alij ſacerdotes, teſte Diuo Thoma infra quæſtione 63. quoniam character eſt, quædam participatio poteſtatis excellentiæ, quæ proinde reperitur in ſolis illis ſacerdotibus, qui ſunt miniſtri in Sacramentis, non autem in Chriſto, qui offert ſacrificium ex poteſtate excellentiæ, & tamquam autor, & conditor Sacramentorum.

Ex qua primum; pro hac aſſertione deducimus argumentum.

Illud eſt excellentius ſacerdotium, quod ornatur poteſtate quam appellamus excellentiæ ad inſtituenda ſacramenta ipſa, & eis præſtandam virtutem, & efficaciam ſanctificandi: huiuſmodi autem ſacerdotium eſt ſolius Chriſti ad quem cæteri, tamquam miniſtri inferiores, & participes miſteriorum ipſius comparantur: ergo.

9 Secunda excellentia eſt, quam tetigimus in quarto notabili, nimirum quod ſimul fuit ſacerdos, & hoſtia, ac ſacrificium; in quo, & cæteris antecellit, qui non ſe ipſos obtulerunt Deo pro concilianda gratia, & abluendis peccatis; ſed materiam diſtinctam offerebant panis, aut vini,

ſicut

Digitized by Google

ſicut Melchiſedech: animalium occiſorum, vt ſacerdotes legis ſcriptæ, aut etiam corpus, & ſanguinem Chriſti, vt ſacerdotes nouæ legis, ſolus autem Chriſtus ſe ipſum tamquam verus ſacerdos obtulit; vnde ſimul fuit ſacerdos, & hoſtia: & quia ſimul fuit Deus, & homo; ex Deo habuit inuincibilem efficiendæ placationis, propitiationiſquè virtutem; ex natura autem hominis habuit mærendi, & ſatisfaciendi principium; quia prætium, & materia redemptionis inde petita eſt: vt ſic in hoc ipſo mediatorem eum agnoſcamus qui cum Deus eſſet, habuit ex carne aſſumpta, vnde Pater potuiſſet, vt per eam reconciliaret nos Deo.

Hinc dicitur à Paulo ad Epheſios ſecundo, quod per ipſum habemus acceſſum ad Patrem: & ad Hebræos ſeptimo, quod ſaluare in perpetuum poteſt, accedens per ſemetipſum ad Deum: qui non habet neceſsitatem quotidie; quemadmodum alij ſacerdotes prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi. Quaſi dicat quod alij præmitunt ſacrificia, & oblationes, primum pro expiatione ſuorum delictorum: vt de inceps ad implorandam miſericordiam Dei pro alijs accedant. Filius vero Dei, & hominis per ſemetipſum ingreditur ſancta, & vſque ad ſanctuarium Dei accedit non habens vnde patiatur repulſam, nullum in ſe perſentiens obſtaculum, quo minus præces eius effuſæ in conſpectu Patris exaudiantur: vtpote, *quia talis decebat, vt nobis eſſet Pontifex Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælis factus*, & cetera, que Paulus in dicto capite ſeptimo ad Hebręos in eandem proſequitur ſententiam.

Ex hac ſimiliter excellentia, ſecundum deducimus argumentum, in hunc modum.

Illud eſt excellentius ſacerdotium, in quo ſacerdos ſimul eſt hoſtia; & ſacrificium: quæ ob offerentis munditiem, ac dignitatem, de ſe habet virtutem in eluctabilem abluendi peccata, & conciliandi diuinam gratiam, & cum ſacerdos confidenter propter ſe ipſum valet accedere ad Deum, ſine repulſa, & illum placare: quod ſolus Chriſtus præſtitit, & nullus alius ſacerdos: ergo & eius ſacerdotium præſtantius, vtilius, ac fructuoſius cæteris fuit.

Tertia excellentia eſt, quam exprimit Regius vates Pſalm. 109. vbi in perſona diuini Patris verba facientis ad filium in carne aſſumpta, ſiue ad Chriſtum hominem Deum, ſic eum affatur; *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*, in quo teſtimonio tres prædicat Regius vates excellentias de Chriſti ſacerdotio.

Quatum prima, hoc eſt tertia in ordine huius diſcurſus, tangitur in prioribus verbis; nimirum in iuramento quo diuinus Pater Chriſti ſacerdotium iurauit, & iurando confirmauit; hoc enim, quod eſt iuramento aliquam rem, vel aliquod factum confirmare, magnam eius excellentiam commendat: & ſanctitatem, atque celſitudinem ſpecialem infert, & cauſat in re iurata; eo quod diuina Maieſtas ſolet res magni ponderis non ſimplici conteſtatione aſſerere; verum etiam iuramento roborare; quod ſecundum Apoſtolum ad Hebræos ſexto eſt finis omnis controuerſiæ ad confirmationem; præter quam quod inſignem efficit rei certitudinem, illius quoquè rei grauitatem demonſtrat.

Idquè duobus, vel tribus exemplis ex ſacra Scriptura petitis oſtendere placet: nimirum exemplo Regni Saulis: cuius extinctio fuit à Deo iurata, & ſimul eius translatio in domum Dauidis; vnius enim conſtitutio,

ſubuer-

ſubuerſio eſt alterius, ſicut & in naturalibus, vnius generatio eſt corruptio alterius.

Vnde in Pſalm. 85. de huiuſmodi translatione regni Saulis in Dauidicam domum pronunciatum habemus: *Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar, ſemen eius in æternum manebit, & thronus eius, ſicut ſol inconſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum.* Ita namque fieri opportuit, vt vbi Regni, & Sacerdotij Chriſti ſtabilitas ſignificabatur, ad eſſet confirmatio iuramenti, quo Pontifex noſter Chriſtus, Rex, & Sacerdos maneat viuens in æternum.

Nec non exemplo Sacerdotij Heli: cuius extinctionem etiam iurauit Dominus, 1. Regũ. 3. ſub his verbis: *Iuraui domui Hæli, quod non expietur iniquitas domus eius victimis, & muneribus, vſque in æternum*, quam ſane ſententiam, certum eſt ad id præcipue eſſe refferendam, quod de ablatione Sacerdotij ipſius Hæli, & translatione in aliam familiam, ſuo demum tempore eſſet complendum.

His addi poteſt exemplum humanæ reparationis, qua nullum magis neceſſarium nobis negotium, nullamve conuenientiam humano generi inueniri, aut ex cogitari poteſt, & huius bis iuratam inuenimus promiſionem, ſcilicet ad Abhraham primo, cui potiſſimum, & prius facta eſt conteſtatio, atque promiſio Chriſti venturi, in cuius ſemine omnes gentes benedicendæ forent, dum Geneſis 22. ad illum Dominus ſic aloquitur: *Per me met ipſum iuraui, dicit Dominus, quia feciſti rem hanc, & non peperciſti filio tuo vnigenito, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & ſicut arenam, quæ eſt in littore maris, poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum, & in ſemine tuo benedicentur omnes gentes*, profecto magnitudo promiſionis antecedentis, & vis adiecta iuramenti referenda eſt maxime, & precipue ad poſterius iactam pollicitationem de benedictione omnium gentium: alioquin, quid profuiſſet multiplicaſſe gentem, niſi & gentium magnificaretur lætitia? Hoc ipſum beneficium mitendi redemptoris fuit iterum promiſſum Dauidi, cum interpoſitione iuris iurãdi in Pſ. 131. dum dicitur. *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum, de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*; quod autem quiſpiam de fructu ventris illius conſtituendus foret ſuper ſolium eius poſt Eſaiam vatem, c. 9. explicuit ſatis nobis Archangelus Gabriel, ita loquens ad Mariam Virginem, vt refertur Lucæ 1. *Dabit illi Dominus Deus ſedẽ Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & Regni illius non erit finis*, haut diſſimiliter Chriſti Sacerdotium fuit à diuino Patre iuramento confirmatum ob eius celſitudinem, & certitudinem, atque ſanctitatem commendandam.

Ex quo tertium poſſumus pro noſtro intento deducere argumentum ſub hac forma, illud eſt dignius, & excellentius, atque ſanctius Sacerdotium, quod iure iurando confirmatur, & cum appoſitione iuramenti inſtituitur, huiuſmodi autem fuit Chriſti Sacerdotium, & hæc eius ſingularis proprietas, & excellentia; quæ in nullo alio Saeerdotio inuenta fuit, ſiquidem de nullo alio legimus fuiſſe cum appoſitione iuris iurandi inſtitutum, ſiue confirmatum: ergo.

10 Quarta excellentia fuit, ſtabilitas, permanentia, & æternitas huius ce Sacerdotij, quæ deducitur ex eodẽ iure iurando, nec non ex verbis Pſalmographi, vbi ſupra in dict. teſtimonio ſub ſequentibus: nimirum, *& non pænitebit eum: tu es Sacerdos in æternum, &c.* in primis namque dum pænitentiam attribuimus Deo, non illam intelligimus, quæ in humano affectu, ac mutatione conſiſtit: ſiquidem omnino immutabilis eſt Deus, & prorſus humanorum affectuũ, ex pers eſſe cognoſcitur, ſed illam quæ ad inſtar penitentiæ ſe habet: cum enim id agit Deus, quod agere cõſueuerũt homines, quos penitet facti: tunc ſub hac phraſi, & methaphora ipſum penitere dicimus, quia vel factum mutat, vel aufert collatum beneficium, humanis exigentibus mæritis: ita vt idem ſit Deum pænitere in hoc ſenſu, atque fruſtari, quod nihil aliud eſt, quam irritam fieri pactionẽ, ſiue fædus, policitationẽ que abrrumpere, aut fidem preſtitã non ſeruare, quę quidem abſque vlla ſui mutatione facit Deus pro mæritis humanę malitiæ. Vnde idem ſignificatur in noſtro teſtimonio, dum dicitur: *Iurauit Dominus, & non pænitebit eum*, quod dicitur in Pſalmo 131. *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum.*

Fuit in quã præſtantius, quia iuratum, & quia æternum.

Sic què denegata pænitudo Deo Authori, & inſtitutori huius Sacerdotij præter appoſitum iuramentum, aliquid amplius adijcit, & commendat: nimirum ſtabilitatem iurati Sacerdotij æterni, quod exemplis ex eadem ſacta pagina petitis placet explicare: nimirum ex illo Geneſ. 6. vbi ſic legimus: *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum eſt in terra, & cuncta cogitatio cordis eſſet intenta ad malum omni tempore, pœnituit eum, quod hominem feciſſet in terra*, & iterũ *penitet me feciſſe eos*, vbi nomine penitẽtię author ſacernõ affectũ pęnitẽtię, ſed effectũ voluit ſignificare, vt ſtatim ſe explicat dicẽs: *Et præcauẽs infuturũ, & tactꝰ dolore cordis intrinſecus, delebo* (inquit) *hominem quem creaui à facie terræ, ab homine, vſque ad animantia, à reptili, vſque ad volucres cœli.*

11 Ecce quomodo ipſamet diſſolutio plaſmatis, & diuini opificij nuncupata eſt nomine pœnitentiæ, vt ab effectu appellatio in ipſam cauſam refundatur.

Igitur quemadmodum, cum tam maturo conſilio deſtruitur opus Dei, pænitere Deum facti dicimus: ita cum fore aſſerimus, vt non peniteat iurati Sacerdotij, conſtans, ſtabile, perpetuum que illud intelligimus eſſe futurum, vnde ob hanc cauſam illico addita eſt in dicto teſtimonio æternitas Sacerdotij, vt ex hac æternitate petitam fuiſſe cognoſcamus rationem apponendi iuramentum, ſcilicet propter commendãdam eius permanentiam, & ſtabilitatem, & ſimul ad firmandam noſtram ſpem, quæ duo nimirum & perpetuitatem dicti Sacerdotij, & certitudinem ſpei noſtræ illinc euehendæ complexus eſt Paulus vnico verbo, ad Hæbr. 6. dum dicit: *In quo abundantius volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilij ſui, interpoſſuit iuramentum.*

In quibus verbis oſtendit primam cauſam iuramenti adhibiti, nempe vt hæredibus antiquæ promiſsionis, quæ facta eſt Abrahamo, & his qui fidem, & obedientiam ipſius erant immittaturi, abundantius, & firmius manifeſtaretur immobilitas diuini propoſiti, numquam in poſterum reuocandi.

Deinde in verbis ſequentibus manifeſtat ſecundam cauſam: nimirum de concipienda fidutia, & ſolatio ſuperaddito ex illa corroboratione Sacerdotij æterni iuramento conteſtati, dum ſubdit, *vt per duas res immobiles* (intellige promiſsionem, & iuramentum,) *Quibus impoſsibile eſt Deum mentiri, fortiſsimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam, & incedentem, vſque ad interiora velaminis, vbi præcurſor pro nobis introiuit IESVS ſecundum ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum.*

12 Ex quibus tale deducimus argumentum: illud eſt excellentius, & nobilius Sacerdotium, cæteriſque præſtantius, quod eſt perpetuum, & æternum: cuius proinde perpetuitas, ſtabilitas, & æternitas iuramento confirmatur irreuocabili, & promiſsione fulcitur indefectibili, ex quo firmam inſerit pectoribus hominum fidutiam, & ſpem ſuæ permanentiæ, & ſtabilitatis, omnia autem hæc ſunt peculiaria in Sacerdotio Chriſti, quæ in alijs non inueniuntur: ergo. Maior eſt certa, minor autem pro prima parte, ſufficienter manet ex adducto teſtimonio Dauidis confirmata.

Pro ſecunda vero parte patet, quia propterea Sacerdotium antiquum: nimirum Aaronicum, & Leuiticum nuſquam fuit iuramento confirmatum, aut inſtitutum, quia erat inſufficiens, & impotens ad conferendam gratiam, atque ad aperiendam ianuam Regni cœleſtis.

Nec enim, quia non erat habiturum permanentiam, & ſtabilitatem, ſed finiendum erat cum ipſa lege veteri, & per noui Sacerdotij Chriſti introductionem, quod propterea iuramento roboratum fuit, quia maioris eſt virtutis, imo efficacis ad gratiam conferendam, & ianuam Regni cœleſtis apperiendam, & quia erat in æternum per manſurum, quim potius eodem iuramento, quo nouus, & in æternum manſurus Pontifex vngitur, ac conſtituitur, eodem prorſus diſſoluitur vetus Sacerdotium, tanquam egenum, infirmum,

iamque

Digitized by Google

iamque inutile redditum ; poſt vnam à nouo Sacerdote in Cruce factam oblationem.

Nec huic veritati obſtat, aliquando in ſacris litteris vetus teſtamentum appellari æternum, & eius ſacrificia , ac ceremonias dici in æternum hominibus conferri: nomine enim *æterni*, non illud, quod caret fine, aut in æternum eſt permanſurum, intelligitur, ſed illud cui certus, ac determinatus numerus temporis non præfigitur, aut quod multo tempore eſt duraturum, licet alioquim ſit ſuo fine claudendum, vt ex communi ſententia PP. Diu. Thom. 1. 2. quæſtion. 103. art. 3. ad 1. & libr. 4. contra gen. cap. 57. interpretatur.

Nec non quia fuit ſecundum ordinem Melchiſedech.

13 Vltima excellentia eſt, quam regius vates ſubindicat in illo posteriori verbo. quod in dicto teſtimonio ſubdidit, & quo veluti totam clauſulam, & ſeriem Sacerdotij Chriſti concluſit dicens: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec*, denotans ſpecialiter in Sacerdotio, & oblatione Melchiſedec, fuiſſe Sacerdotium, & ſacrificium Chriſti præfiguratum, & ab hoc archetypo, illud quondam fuiſſe exemplatum ob rationem, quam etiam inuenit Diu. Thom. in articul. 6. huius quæſtionis: nimirum, quia Melchiſedec ab Abraham decimas ſumpſit in cuius lumbis decimatus eſt quodammodo ipſe Sacerdos legalis, quam ob cauſam Sacerdotium Chriſti dicitur eſſe ſecundum ordinem Melchiſedech, propter excellentiam veri Sacerdotij ad figurale Sacerdotium legis ; quia neque Chriſtus in lumbis Abrahæ decimatus fuit, ſicut neque Melchiſedec, cui potius Abraham decimas obtulit: nec non in ſolutione ad ſecundum aliam rationem tangit huius conuenientiæ, & ſimilitudinis ex parte rei oblatæ, quæ in oblatione Melchiſedech fuit panis, & vinum; ſignificantia, teſte Auguſtin. cuius teſtimonium refertur diſtinct. 2. de conſecratione cap. *quia paſſus*, eccleſiaſticam vnitatem, quam cõſtituit participatio ſacrificij Chriſti, quod in noua lege cõmunicatur fidelibus ſub ſpeciebus panis, & vini. Nec nõ propter aliam rationem, quam tangit in ſolutione ad tertium ex parte offerentis, quia ille antiquus Melchiſedec dictus eſt, ſine patre, & ſine matre , & ſine genealogia, & quod non habet initium dierum, neque finem, non quia re ipſa iſta non habuerit, ſed quia in Scriptura ſacra iſta de illo non leguntur.

In quo teſte Paulo ad Hebr. 6. aſſimilatus eſt filio Dei, qui in terris eſt ſine Patre, & in cœlis ſine matre , & ſine genealogia, iuxta illud Eſai. 53. *Generationem eius, quis enarrabit*, & quantum ad diuinitatem, neque principium, nec finẽ dierum habet . Sed vt hæc excellentia eiuſque fundamentum penitius explicetur, opere precium eſt ad vberiorem enucleationẽ huius figuræ, ſecundũ quã dicitur Chriſtus eſſe Sacerdos ſecũdũ ordinẽ Melchiſedech, duo de iſto Melchiſedec, expendere: nimirũ quis, & qualis fuerit, quoad perſonam, nec non qualis fuerit quantum ad officium, fuerit ne verus Sacerdos, veramque Sacerdotij functionẽ gerens? In quorum primi quęſiti explicatione, diuiſi ſunt ſacre Scripturę Interpretæ, in quatuor opiniones.

Quarum prima fuit quorundam ſectariorum, quos referunt, & refutant Epiphanius lib. 2. cõtra Hereſ. quos propterea appellat Melchiſedetianos; & Hieron. Epiſt. ad Euagrium, aſſerentium illũ fuiſſe Spiritum ſanctum, qui ſub humana forma in terris geſsit perſonam Regis & Sacerdotis.

Secunda fuit aliorum, quos refert, & refutat Ambr. lib. 10. epiſt. 80. aſſerẽtium illum fuiſſe filium Dei, aut etiã Angelum, qui ſub forma hominis viſus fuit Abrahæ, benedixitque illi, ab eo què decimas ſumpſit, vt ſic ei conueniret oraculum Pauli conteſtantis illum fuiſſe, ſine Patre, & ſine matre , & ſine genealogia.

14 Tertia eſt aliorum ex Catholicis, qui proprius ad veritatem accedẽtes fatentur eum fuiſſe purum hominem, ſed de ſtirpe Cham progenitum.

Melchiſedech fuit Sem filius Noe natu maior.

Quarta nihilominus, & veroſimilior, magis què recepta ſententia aſſerit illum Sẽ filiũ fuiſſe Noe: & natu maiorẽ, quod videtur innuere ſacra Scriptura: vtpote qui Regnũ, & Sacerdotiũ Chriſti debuit exprimere , & principatum Regiminis, ac Sacerdotij obtineret inter alios fratres. Hoc enim conſuetum erat temporibus illis ; vt maiores natu Filij Patriarcharum ius primogenituræ ſibi vendicarent , & ſimul Sacerdotium obti-

nerent: de qua ſententia videndi ſunt. Hieronym. vbi ſupra, & libro de traditionibus Hæbraicis in Geneſ. Auguſt. libro 16. de ciuitate, capit. 2. & 3. Eucherius, lib. 2. in Geneſ. capit. 2. Origen. in Ioſue homil. 3. Chriſoſtomus, homil. 29. in Geneſim, Rupert. libro 4. capitul. 29. & Abulen. in capitul. 5. Geneſi. Licet inter Hæbreos plerique arbitrati fuerint illum ſcilicet Sem non fuiſſe maiorem natu, quam Iaphet: ſed tanquam dignitate priorem, locum primogeniti, & Sacerdotis gradum fuiſſe ſortitum, quia aliquando ita contingebat, vt locum prioris natu occupauerit minor, quod patet exemplo Iacobi, & Ephraim, qui ius primogenituræ obtinuerunt abdicatis ab eo fratribus maioribus natu, ſcilicet Eſau, & Manaſſe.

Sed conformior eſt Catholicorum Patrum ſententia contextui ſacræ Scripturæ, atque myſterio rei gerendæ: nimirum, quia Sem fuit figura Iudaici populi, & Iaphet Gentilici, vt prædicti Patres concordi opinione atteſtantur: vnde magis conſentaneum videtur, quod Sem fuerit prior natu, poſterior Iaphet. Sic enim magis omnia inter ſe conſentiunt, & exemplum adductum de Iacob, & Eſau, Ephraim, & Manaſſe, vbi minor præfertur maiori, magis quadrat ſententiæ Patrum, vt Sem dicatur primogenitus, in cuius locum intret Iaphet, vt ſic præfiguraretur Gentilicus Populus, in locum Iudaici ſubſtituendus, ac ſubrrogandus: quouis autem modo res ſe habeat, ideſt ſiue ſubſtineamus hunc Sem fuiſſe natu maiorem, & ideo ad principatum regiminis, & ad ſummum Sacerdotij gradum euentum, ipſo natiuitatis iure, ſiue dicamus illum fuiſſe natu minorem, & propter virtutis, ac mæriti dignitatem fuiſſe in locum prioris ſubſtitutum: pro conſtanti habendum eſt illum fuiſſe Sem, quem poſtea appellarunt Melchiſedec, ab officio regendi, ſiue regnandi, quia ſcilicet fuit Rex Salem, & Sacerdos Dei altiſsimi.

Illumque fuiſſe verũ Sacerdotẽ eſt de fide.

16 Ex quo venimus ad ſecundum quæſitum: nimirum de eius Sacerdotio, & Regno, in quo res magis comperta eſt, vtpote in ſacris litteris expreſſe conteſtata: de quo nemini Catholicorum licet dubitare; ſed omnes fateri tenemur illum fuiſſe Regem, & verum Sacerdotem: nam de illo habemus ſcriptum Geneſ. 14. ad quem locum remittit nos Spiritus Sanctus, in hac veritate aſſerenda: *At vero Melchiſedec Rex ſalem proferens panem, & vinum (erat enim Sacerdos Dei altiſsimi) benedixit que ei, &c.* Cuius teſtimonij ſatis copioſam explicationem exhibuit nobis Paulus capit. 6. & 7. ad Hæbreos, cum enim ad calcem, capit. 6. dixiſſet: *Vbi precurſor pro nobis introiuit IESVS, ſecundum ordinem Melchiſedec, Pontifex factus in æternum,* continuo in fronte capit. 7. hęc verba ſubiecit. *Hic enim Melchiſedech Rex Salem, Sacerdos Dei ſummi, qui obuiauit Abrahæ regreſſo à cæde Regum, & benedixit ei: cui & decimas omnium diuiſit Abraham: primum quidem, qui interpratatur Rex iuſtitiæ. Deinde autem, & Rex Salem, quod eſt Rex pacis, ſine patre, ſine matre, ſine genealogia; neque initium dierum, neque finem vitæ habens, aſsimilatus autem Filio Dei manet Sacerdos in perpetuum. Intuemini, autem quantus ſit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha. Et quidem de filijs Leui Sacerdocium accipientes, mandatum habent decimas ſumere à populo, ſecundum legem, ideſt a patribus ſuis, quamquam, & ipſi exierint de lumbis Abrahæ,* & infra: *Et vt ita dictum ſit per Abraham, & Leui, qui decimas accepit, decimatus eſt, adhuc enim in lumbis Patris erat, quando obuiauit ei Melchiſedech.*

17 Quibus verbis plane Apoſtolus noſtram veritatem conteſtatur de vero Sacerdocio Melchiſedech, atque de excellentia Sacerdotis Chriſti in illo præfigurata. Quod amplius confirmatur ex teſtimonio, dicto Pſ. 109. *Tu es Sacerdos in æternum, ſecundũ ordinem Melchiſedech,* in quo fruſtra Regius vates appellaret Chriſtum, ſecundum ordinem Melchiſedech, niſi ille cui confertur, & comparatur fuiſſet Sacerdos, & certam haberet ſacrificij offerendi formam, cui ſimilem Chriſtus proferret.

Ex quibus omnibus concludere licet Chriſtum aſsimilatum fuiſſe Melchiſedech, non quidem in eo, quod ille fuerit etiam perſona diuina,

vt

vt ſectarij autumarunt, qui inde facillime confutantur, quod Eccleſia fideli ſententia hypoſtaticam vnionem ſoli Verbo diuino concedit in plenitudine temporum: de qua idem Paul. ad Galatas 4. inquit: *Vbi venit plenitudo temporis miſit Deus filium ſuum factum ex muliere factum ſub lege, &c.*

Tum etiam, ex officio Sacerdotij, quod Catholica Fides in illo fatetur, ex qua confeſsione pariter colligitur ipſum fuiſſe purum hominem, non filium Dei, neque Spiritũ ſanctum, neque aliquam virtutem angelicam incarnatam, vt alij falſo exiſtimarunt: Eo quod Apoſtolus non alios agnouit Sacerdotes domini, quam puros homines ex hominibus aſſumptos, dum ad Hæbreos quinto, ſic ait: *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum.* Vnde hęc conſequentia eſt bona ſecundum Apoſtolo. *Melchiſedec fuit verus Sacerdos ex hominibus aſſumptus: ergo fuit purus homo.*

Idemque argumentum à fortiori poſſumus ex Regia dignitate formare: *Fuit Rex ſalem: ergo fuit purus homo.* Igitur, non in perſona diuina Chriſtus fuit illi aſsimilatus: minus que in angelica, quæ impotens eſt vniendi ſibi hypoſtatice carnem, & inepta ad Chriſtum præfigurandum: ſed in officio regali, & Sacerdotali, atque in vtriuſque excellentijs, & prærrogatiuis, quas Paulus non obſcure indicat in recenſitis verbis, capit. 7. ad Hæbreos.

Chriſtus fuit in quatuor excellentijs Melchiſedech aſsimilatus.

18 Ex quibus concludendo tale placet deducere argumentum: Chriſtus fuit Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, ideſt in Sacerdotio Melchiſedech fuit Chriſti Sacerdotium præfiguratum: ſed in Sacerdotio Melchiſedech fuerunt huiuſmodi excellentiæ, ſupra Sacerdotium Leuiticum: nimirum, quod decimas accepit ab Abraham, in cuius lumbis decimati fuerunt Leuitici Sacerdotes: quod fuerit ſine Patre, & matre, neque principium, neque finem dierum habens in ſenſu explicato: & quod Sacerdotali functione vtens obtulit Deo, non oues, aut boues, vel arietes cum ſanguine, quas Leuitici Sacerdotes offerebant, ſed panis, & vini placabilem oblationem: & tandem habuit Melchiſedec cognomentum iuſtitiæ, & pacis: ergo hæc omnia ſunt in Chriſto eminentiori modo, & cum exceſſu quodam veluti analogico, tanto, quanto Archetypus imaginem, & veritas vmbram excedit: eſt enim verus Sacerdos non purus homo, neque ex hominibus aſſumptus, ſed à Deo aſſumptus, Deus, & homo, ſine Patre in terris, & ſine matre in cœlis, neque principium, neque finem habens ratione diuinitatis.

19 Qui inſuper in extrema cæna obtulit myſticum ſacrificium ſub ſpecie panis, & vini, & idem ipſum reliquit Eccleſiæ ſuæ duraturum, vſque ad conſumationem ſæculi, & cum illud fieri præcipit, in ſui memoriam, & commemorationem ſuæ paſsionis inquit eſſe faciendum.

Ex quo fit, vt duplici titulo in hac functione recte dicatur Chriſtus Sacerdos, ſecundum ordinem Melchiſedech, ſiue ad ſacrificium oblatum in cruce cruentum, ſiue ad illud, quod in altari incruentum celebratur reſpiciamus. Fuit quoque Chriſtus, vt per omnia aſſimiletur Melchiſedech Rex, iuſtitiæ, & Princeps pacis appellatus: iudicium namque, & iuſtitiam erat peracturus in terris, iuxta Ieremiæ vaticinium, pacis quoque fædera fundaturus, vt iuſtitia eſſet fundamentum pacis, & viciſsim pax ipſa iuſtitię foret ornamentum.

Hactenus de Chriſti Sacerdotali dignitate verba fecimus. Ex quibus duo videntur ſequi, tanquam neceſſario admittenda: nimirum Chriſtum dominum, nec fuiſſe martirem, neque eius paſsionem vere fuiſſe martirium, nam ſi fuit in paſsione, & morte verus Sacerdos: ſimul, & hoſtia, quia ſe obtulit in ſacrificium.

Igitur non fuit vere martir, neque eius paſsio fuit vere martirium, quia martires non offerunt ſe ipſos tanquam Sacerdotes, neque Sacerdotali functione vtuntur, dum pro fide Chriſtiana martirium ſuſcipiunt, ſed paſsiue ſe habentes mortem ſubſtinent inflictam à lictoribus.

Sequitur etiam tanquam neceſſario admittendum, Chriſtum dominum ſe ip-

ſum occidiſſe, quo enim pacto potuit eſſe ſimul hoſtia, & Sacerdos, in morte voluntarie ſe ipſum offerendo in ſacrificium, niſi pariter, & eadem ratione ſe ipſum voluntarie occidendo? quæ proinde duabus ſequentibus dubitationibus ſunt diſcutienda.

Dubitatio quarta: Vtrum Chriſtus dominus dicendus ſit vere martir: eius ve paſsio habuerit proprie rationem martirij?

RATIO dubitandi pro parte negatiua ſumitur ex duplici capite: primo quoniam eius paſsio, vt dictum eſt, vere fuit hoſtia, & ſacrificium, quo ſe ipſum obtulit Deo Patri: cuius oppoſitum in alijs martiribus contingit.

Secundo ex eo, quod martir proprie dicitur, qui in teſtimonium Fidei ſuſtinet mortem, eſt enim quaſi teſtis fidei: nam teſte Diu. Thom. 2. 2, quæſtion. 124. art. 2. martir dicitur in Græco, quaſi teſtis: teſtimonium autem redditur fidei Chriſti iuxta illud Actorum primo. *Eritis mihi teſtes in Hieruſalem.* Vnde Diu. Maximus dicit in quodam ſermone, *mater martirij eſt Fides Catholica,* & iterum loquens de martire, inquit: *Quod vincit pro Fide moriendo:* Acproinde ad martirium pertinet, vt homo teſtificetur fidem, ſe aperte oſtendens, omnia præſentia contemnere, vt ad futura, & inuiſibilia bona perueniat: ergo cum in Chriſto domino non fuerit Fides Catholica ob intrinſecã obſcuritatẽ, & imperfectionem, eius animæ beatæ repugnantem: conſequens eſt, quod neque potuerit exercere verum actum martyrij.

Paſsio 21 Sed his non obſtantibus, reſpondeo concluſione affirmatiua: nimirum vere fuiſſe martirem, eiuſque paſsionem proprie fuiſſe martirium, quoad rem ſignificatam, non tamen quoad id, à quo nomen martirij, ſeu martiris fuit impoſitum, quod ſuadetur dupliciter. *Chriſti domini, [illegible] rum [illegible] martirij, ipſeque [illegible] re fuit martir.*

Tum quia eſt expreſſa ſententia Magiſtri, & Angelici Doctoris, quorum ille in 3. diſtinctione 19. §. 2. loquens de Chriſti mærito; ait: *Ex quo homo factus eſt per charitatem, & alias virtutes, in quarum plenitudine fuit ſecundum hominem conditus, ſibi tantum meruit, quantum poſt martirij tollerantiam,* ideſt paſsionis. Iſte vero ſecunda ſecundæ, quæſtio. 124 art. 1. ad primum ait: paſsionem puerorum innocentium fuiſſe martirium, non quidem ex parte actus, ſed ex parte effectus gratiæ, & gloriæ, ex merito martirij Chriſti, vt etiam ibi aduertit Caietan.

Tum etiam, quia Eccleſia illum appellat martirem, dum in offitio Veſpertino temporis Paſchalis canit: *Filiæ Hieruſalem venite, & videte martirem cum corona,* &c. ideſt Chriſtum gloria, & honore coronatum ob martirij ipſius mæritum.

Tum denique, quia actus martirij eſt perfectio nullam inuolens repugnantiam Chriſto: ergo non eſt illi, denegandus.

Conſequentia eſt nota, antecedens probatur: nam teſte Diu. Thom. in dicta quæſtio. 124. articul. 2. ad 2. & ad. 3. tres virtutes concurrunt ex parte principij ad actum martirij: nimirum charitas per modum imperantis, & fortitudo per modum elicientis: eo quod proprium motiuum martirij eſt fortitudinis, cuius principaliter actus eſt ſubſtinere: paciencia autem concurrit concomittanter, eo quod deſſeruit fortitudini ex parte huiuſmodi actus principalis, qui eſt ſubſtinere: & ideo concomitanter in martiribus paciencia commendatur; ſed nulla ex iſtis virtutibus defuit Chriſto, quia nulla inuoluit imperfectionem repugnantem eius ſtatui beatifico, aut perfectioni vnionis hypoſtaticæ.

22 Neque obſtat, quod etiam ad actum martirij concurrat Fides Catholica, quæ defuit Chriſto: nam licet huiuſmodi Fides ſit cauſa martirij in alijs martiribus; fuit quidem cauſa non ex parte principij efficientis, ſed ex parte finis

Digitized by Google

nis propter quem, vel cuius gratia; eo quod ordinatur martyrium ad proteſtandam veritatem fidei. Cauſa autem finalis cum ſit extrinſeca non variat eſſentialem rationem actus virtutis: maxime quando eſt finis remotus, ſiue operantis, & non proximus, ſiue finis operis: qui coincidit cum obiecto ſpecificatiuo vniuſcuiuſque virtutis: hoc enim iam diximus in martirio reſpectu martiris eſſe obiectũ fortitudinis. Imo Diu. Thom. in artic. 5. quæſt. citatæ 124. vbi inquit vtrum fides ſit cauſa martyrij? Reſpondet non fidem ipſam, ſed veritatem fidei: cuius martir eſt teſtis: eſſe cauſam martyrij: cauſam in quã finalẽ, vt dictum eſt, & conſtat ex contextu Angelici Doctoris, illum de huiuſmodi cauſa aſſerere veritatẽ fidei concurrere ad martyriũ: quod autem veritas fidei per modum finis concurrat ad aliquem actum virtutis Chriſti domini, non eſt inconueniens, quia bene potuit Chriſtus operari aliquem actum, ſeu aliquos actus ex affectu firmandi veritatem fidei in pectoribus ſuorum fidelium, & maxime martirum, qui pro confeſsione fidei ipſius debebant mortem ſubire, nec non ex affectu inſerendi fidem animis fidelium, vel ſaltim potuit operari aliquos actus virtutum, ex affectu proteſtandi, & firmandi eaſdem veritates Euangelij, quas ipſe cognoſcebat, per ſcientiam infuſſam, & beatam. Cæteri vero fideles per fidem; & ſic etiam potuit abſque vlla imperfectione ſubſtinere paſsionem, & mortem propter conteſtandam, & firmandam in Eccleſia veritatem fidei, ideſt, per fidem acceptã à fidelibus, per ſcientiam autem beatam, & infuſſam cognitã ab ipſomet Chriſto homine. Et hoc ſufficit vt cum omni proprietate dicatur, Chriſti paſsionem fuiſſe propter veritatem fidei exhibitam, & quod veritas fidei fuerit etiam in ipſo cauſa martirij, & paſsionis, non enim veritas fidei finalizat per ſe actum martyrij, inquantum eſt fidei formaliter, & reduplicatiue, ſed inquantum eſt veritas ſupernaturalis, a Deo reuelata, quæ ratio motiua etiam ſaluabatur reſpectu Chriſti mortem ſubeuntis.

Dixi in concluſione, *quoad rem ſignificatam, & inquantum ad id à quo nomen fuit impoſitum*, quoniam nomen martirij impoſitum eſt à teſtificando fidem Chriſtianam ita vt martir, idẽ ſit, atque teſtis Fidei Chriſtianæ, quæ in Chriſto non fuit, ſignificat autem actum fortitudinis, & charitatis firmantem animum in bono virtutis contra pericula mortis imminentia: & hoc fuit in Chriſto, dum paſsionem, & mortem fortiter, & pacienter ex charitatis affectu erga Deum ſubſtinuit, & propterea fuit martir quantum ad rem ſignificatam, licet non inquantum ad id, à quo nomen fuit impoſitum.

Ex hijs reſpondetur ad primã partem dubitandi admiſſa maiori, & minori: negãdo conſequentiã: eo quod hoc fuit proprium muneris Sacerdotalis Chriſti domini, vt ſimul in paſsionis martirio, functione Sacerdotali vteretur, ſe ipſum voluntarie in ſacrificium, & hoſtiam offerendo, & ſimul dum à Crucifixoribus patienter mortem tollerauit, martyrium paſus eſt. ſic que in vno, & eodem actu martyrij fuit ſimul Sacerdos, martyr, hoſtia, & ſacrificium: quod in alijs martyribus, non contingit.

Ad ſecundum patet ex dictis fidem Catholicam, vel tantum concurrere extrinſecè, & per modum finis operantis ad actum martyrij: vel non fidem ipſam, ſed eius veritatem quatenus diuina eſt, & a Deò reuelata, & ad bonum commune Eccleſiæ conducens eſſe finalem cauſam martyrij.

Et quidem in primo ſenſu, non obeſt defectus Fidei martyrio in Chriſto.

In ſecundo verò ſenſu etiam veritas fidei profuit: eo quod potuit concurrere ad Chriſti martyrium per modum finis, & motiui, ſaltem extrinſeci, & remoti, vel cuius gratia.

Dubium quintum eſt. Vtrùm Chriſtus ſe ipſum occiderit?

24 COnſtat hanc dubitationem ortum habere ex eadẽ doctrina, quam de Chriſti Sacerdotali dignitate tradidimus: aſſerendo illum ſimul fuiſſe Sacerdotem, hoſtiam, & ſacrificium, voluntariè ſe offerendo in paſsione, & morte pro expiandis humani generis peccatis.

Ex hac enim doctrina videtur neceſſario fatendum Chriſtum ſe vltro morti traddidiſſe, quod nihil aliud eſt, quam ſe ipſum occidiſſe, & adhuc ratio dubitandi pro parte affirmatiua poteſt vrgeri, ex duplici capite.

Tum ex eo, quod ipſe dominus Ioan. 10. dixit de ſe ipſo: *Ego pono animam meam, vt iterum ſummam eam. & nemo tollit eam à me, &c.* & cap. 19. dicitur: *Quod inclinato capite tradidit ſpiritum*, ideſt animam: in cuius ſeparatione a corpore mors hominis conſiſtit.

Tum etiam ex reſponſione præcedentis dubitationis; in qua dictum eſt Chriſtum in ſubſtinendo mortem, voluntarie ſe ipſum, tanquam verum Sacerdotem obtuliſſe: ergo fit conſequens, quod ſe ipſum occiderit.

Chriſtum non ſe ipſum occidiſſe defenditur cũ D. Tho.

25 Reſpondeo tamen cum Doctore Angelico quodlib. 1. ar. 3. Chriſtum non ſe occidiſſe, quod ſuadetur duplici argumento efficaci, quo ibi vtitur D. Tho. primo quidem à priori: ille eſt proprie homicida, qui infert alteri, vel ſibi nocumẽtum de ſe mortiferum; ſed Chriſtus non intulit ſibi huiuſmodi nocumentum, ſed Iudei illud Chriſto intulerunt: ergo illi homicidæ fuerunt Chriſti, & Chriſtus non fuit homicida ſui ipſius.

Secundo, ab inconuenienti, quia alias Chriſtus culpandus eſſet, tanquam homicida ſui, & Iudæi excuſſandi forent à culpa talis homicidij, ſiquidem volenti non fit iniuria, quod nullatenus eſt admittendum: ergo.

Ad primam rationem dubitandi negãda eſt conſequentia: nam vtrumque verificatur: nimirum quod Chriſtus obtulerit ſe ipſum, & quod ſe ipſum non occiderit: primum quidem verificatur, ex eo quod anima Chriſti iu ſua poteſtate habebat cedere nocumento illato, quando velet, & reſiſtere nocumento illato quãdiù vellet. Vnde illo volente natura reſtitit nocumento illato pluſquam potuiſſet in alijs hominibus, cuius ſignum fuit, quod in Cruce pendens poſt multam ſanguinis effuſionem, quaſi integer viribus clamauit voce magna: quod admirans, Centurio dixit: *Verè hic homo Filius Dei erat*, & ſtatim & volente natura ceſsit, vt ſe dominum naturæ vitæ, & mortis oſtenderet: acproinde quoniam ceſsit nocumento quando voluit, cui tamen potuiſſet reſiſtere ſi vellet: ideo dicitur voluntarie poſuiſſe animam ſuam, & tradidiſſe ſpiritum.

26 Ad ſecundam neganda eſt conſequentia, quia in eo ab alijs martiribus diſcriminatur, quod iſti licet ante illatum nocumentum poſsint, quandoque illud effugere, & nollint: tamen poſt eius illationem, nequeunt vulneri mortali inflicto reſiſtere; & ratione primi dicuntur voluntarie ſe morti offerre, ſed ratioue ſecundi nõ dicuntur voluntarie ſe morti offerre in ſacrificium: Chriſtus vero ante, & poſt nocumenti lætalis inflictionem potuit reſiſtere, tanquam dominium habens vitæ: ac mortjs ratione ſuppoſiti, ſed quia elegit potius cedere nocumento, quã reſiſtere, ideo dicitur ſacrificaſſe ſe ipſum in paſsione.

Dices ergo Chriſtus non inuitus mortuus eſt, acproinde Iudæi illum occidendo nullam ei iniuriam intullerunt, ſiquidẽ nullus patitur iniuſtum volens.

Reſpondetur animam Chriſti inuitam, & non inuitam egreſſam fuiſſe de corpore, inuitam quidẽ voluntate, & appetitu naturali, ratione cuius iniuriam paſſa eſt à crucifixioribus, non inuitam autem voluntate deliberata, & ellectiua, ratione cuius non eſt paſſa iniuriam magis, quam ille, qui volens exit à propria domo, vt ſtatim ad illam reuertatur, niſi ſimul aliunde ab illa extraheretur inuitus.

(†)

Dubitatio ſexta. De regia Christi dignitate.

Chriſtꝰ habuit regiam dignitatem quoad habitum, & non quoad vſũ.

27 IN hac dubitatione quatuor aſſertionibus ex probabilioribus Theologorum ſententijs depromptis totam doctrinam complectimur. Prima aſſertio eſt, Chriſtum ratione humanitatis non fuiſſe Regem Iudæorum ſpetiali titulo electionis, aut ſucceſsionis naturalis, aut inſtitutionis à Deo vt probant Lorca diſp. 83. membr. 1. Cabrera diſp. vnica conclui. 1. Suarius diſp. 48. ſection. 1 Vazquijs diſputat, 87. capit, 2.

Secũda aſſertio eſt, quod fuit Rex vniuerſalis totius orbis habens ius regnandi ſupra omnes principes, tam in ſpirituali bus, quam in temporalibus: vt præfati Auctores oſtendunt pluribus argumentis, quæ congerunt ex locis ſacræ Scripturæ, & rationibus Theologicis.

Tertia eſt, quod nihilominus noluit habere vſum actualem in hac vita mortali huiuſmodi iuris, ac dominij in temporalibꝰ: in quo ſenſu dixit Pilato: *Regnũ meũ non eſt de hoc mundo*: vt explicat Angelicus doctor quæſtion. 31. ſequent. articul. 2. ad 3.

Quarta eſt, quod Chriſtus non habuit in hac vita mortali dominium immediatum in ſingulas res vniuerſi, ad eũ modum quo pater familias eſt Dominus bonorum ſuorum. In quo diſsidium eſt inter neothericos Theologos, alij enim de quorum numero ſunt Lorca diſputat. 83. membr. 3. & Cabrera diſputat. citata concluſione 2. huiuſmodi dominium omnium, & ſingularum rerum mundi Chriſto attribuunt. Sed verius illud ei denegant Vazquius diſputat. 87. cap. 6. Suarius diſputat. 48. ſectione 2. & Siluius in expoſitione art. 1. & merito quia id colligitur ex extrauagãtẽ *inter nonnullos*. & extrauaganti: *quia quorundam*, de verborum ſignificatione, vbi Ioãnes vigeſsimus ſecundus decernit Chriſtum in hac vita mortali aliquarum rerum dumtaxat habuiſſe dominium, quas ad victum, & veſtitum neceſſarias in communi cum Apoſtolis poſsidebat.

Tum etiam, quia tale priuatum, & veluti œconomicum dominium non decebat eum, qui exemplo ſuo Euangelicam paupertatem, quæ in abdicatione dominij poſſeſsionum conſiſtit, prædicare, ac ſuadere veniebat.

QVAESTIO XXIII.

De adoptione Chriſti, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Deo conueniat filios adoptare?

3.diſt.10. q.2.art.1. q.1. & 4. cont.c.17. fin.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod Deo non cõueniat filios adoptare. Nullus enim adoptat niſi extraneam perſonam in filium: ſecundum quod Iuriſtæ dicunt. Sed nulla perſona eſt extranea â Deo, qui eſt omniũ creator. Ergo videtur, quod Deo non conueniat adoptare.

p.p.q.33. art.3.

2 Prçterea. Adoptio videtur eſſe introducta in defectum filiationis naturalis. Sed in Deo inuenitur naturalis filiatio, vt in prima parte habitum eſt. *Ergo non conuenit Deo filios adoptare.

3 Præterea, Ad hoc aliquis adoptatur, vt in hæreditate adoptantis ſuccedat. Sed in hæreditate Dei non videtur aliquis poſſe ſuccedere: quia ipſe numquam decedit. Ergo Deo non conuenit adoptare.

Sed contra eſt, quod dicitur Eph. primo, Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum Dei. Sed prædeſtinatio Dei non eſt irrita. Ergo Deus aliquos ſibi adoptat in filios.

Reſpondeo dicendum, quod aliquis homo adoptat alium ſibi in filium, in quantum ex ſua bonitate admittit eum ad participationem ſuæ hæreditatis. Deus autem eſt infinitæ bonitatis, ex qua cõtingit, quod ad participationem bonorum ſuorum ſuas creaturas admittit. Et præcipue rationales creaturas, quæ in quantum ſunt ad imaginem Dei factę, ſunt capaces beatitudinis diuinæ, quæ quidem conſiſtit in fruitione Dei: per quam etiam ipſe Deus beatus eſt, & per ſeipſum diues, in quantum ſcilicet ſe ipſo fruitur. Hoc autem dicitur hæreditas alicuius, ex quo ipſe eſt diues. Et ideo in quantũ Deus ex ſua bonitate admittit homines ad beatitudinis hæreditatem, dicitur eos adoptare. Hoc autem plus

habet

Digitized by Google

habet adoptatio diuina, quam humana, quia Deus hominem quem adoptat, idoneum facit per gratiæ munus ad hæreditatem cœleſtem percipiendam. Homo autem non facit idoneũ eum quem adoptat, ſed potius eum iam idoneum eligit adoptando.

Ad primum ergo dicẽdum, quôd homo in ſua natura conſideratus, nõ eſt extraneus â Deo, quantum ad bona naturalia, quæ recipit: eſt tamẽ extraneus, quantum ad bona gratiæ, & gloriæ, & ſecundum hoc adoptatur.

Ad ſecundum dicendum, quod hominis eſt operari ad ſupplendam ſuam indigentiam non autem Dei, cui conuenit operari ad communicandam ſuæ perfectionis abundantiam. Et ideô ſicut per actum creationis communicatur bonitas diuina omnibus creaturis, ſecundum quamdam ſimilitudinem: ita per actum adoptionis communicatur ſimilitudo naturalis filiationis hominibus, ſecũdum illud Rom. 8. Quos præſciuit conformes fieri imagini filij ſui.

Ad tertium dicendum, quôd bona ſpiritualia poſſunt ſimul â pluribus poſsideri, non autem bona corporalia. Et ideô hæreditatem corporalem nullus poteſt percipere, niſi ſuccedens decedenti: hæreditatem autem ſpiritualem ſimul omnes ex integro accipiunt ſine detrimento Patris ſemper viuentis. Quamuis poſſet dici, quod Deus decedit, ſecundum quod eſt in nobis per fidẽ, vt incipiat in nobis eſſe per ſpeciem, ſicut gloſ. dicit Rom. 8. ſuper illud, Si filij, & hæredes.

gl. or. ibid.

PRIMA concluſio eſt affirmatiua, & probatur primo ex illo ad Epheſi. 1. prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum Dei, ſed prædeſtinatio Dei non eſt irrita: ergo Deus aliquos ſibi adoptat in filios.

Secundo probatur Deus ex ſua infinita bonitate admittit creaturas ad participationem ſuorum bonorum, & quidẽ creaturas rationales admittit ad ſuæ hæreditatis participationem: ergo eas adoptat in filios, conſequentia patet, quia adoptare aliquem in filium, nil aliud eſt, quam illum admittere ad participationem ſuæ hæreditatis: antecedens autem probatur Deus admittit creaturas rationales ad participationem ſuę beatitudinis, per quem ipſe Deus eſt beatus, & Deus cum eas creando ad imaginem ſuam capaces effecerit beatitudinis diuinæ: ergo admittit eas ad ſuam hæreditatem: patet conſequentia, quia illud dicitur hæreditas, quo aliquis eſt diues.

Secunda concluſio, Deus adoptando ſua gratia facit hominem idoneum hæreditati cœleſti; ſed homo quem adoptat non facit idoneum ſed eligit idoneum: ergo.

ART. II.

Vtrum adoptare conueniat toti Trinitati?

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod adoptare non conueniat toti Trinitati. Adoptatio enim dicitur in diuinis ad ſimilitudinem rerum humanarum. Sed in rebus humanis ſoli illi conuenit adoptare, qui poteſt filios generare, quod in diuinis conuenit ſoli Patri. Ergo in diuinis ſolus Pater poteſt adoptare.

3. diſt. 10. q. 2. ar. 1. q. 2. & 3.

2 Præ-

2 Præterea, Homines per adoptionem efficiuntur fratres Chriſti, ſecundum illud Roman. 8. Vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Fratres autem dicuntur, qui ſunt filij vnius patris; vnde & Dominus dicit Ioann. 20. Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum. Ergo ſolus Pater Chriſti habet filios adoptiuos.

3 Præterea, Gal. 4. dicitur, miſit Deus Filium ſuum, vt adoptionem filiorum Dei reciperemus, quoniam autem eſtis filij Dei, miſit Deus Spiritum Filij ſui in corda veſtra, clamantem, Abba, pater. Ergo eius eſt adoptare, cuius eſt Filium, & Spiritum ſanctum habere. Sed hoc eſt ſolius perſonæ Patris. Ergo adoptare conuenit ſoli perſonæ Patris.

Sed contra, Eius eſt adoptare nos in filios, quem nos patrem poſſumus nominare. Vnde dicitur Rom. 8. Accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, pater. Sed cum Deo dicimus, Pater noſter, hoc pertinet ad totam Trinitatem, ſicut & cætera nomina, quæ dicuntur de Deo relatiuê ad creaturam, vt in prima parte habitum eſt.* Ergo adoptare conuenit toti Trinitati.

p. p. q. 39. ar. 7.

Reſpondeo dicendum, quod hæc eſt differentia inter filium Dei adoptiuum, & naturalem, quod filius Dei naturalis eſt genitus, non factus: filius autem adoptiuus eſt factus, ſecundum illud Ioann. 1. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Dicitur tamen quandoque filius adoptiuus eſſe genitus propter ſpiritualem regenerationem, quæ eſt gratuita, non naturalis: vnde dicitur Iacob. 2. Voluntarie genuit nos Verbo veritatis. Quamuis autem generare in diuinis, ſit proprium perſonæ Patris, tamen facere quemcumque effectum in creaturis, eſt commune toti Ttinitati propter vnitatem naturæ, quia vbi eſt vna natura, oportet quod ſit vna virtus, & vna operatio. Vnde Dominus dicit Ioan. 5. Quæcumque Pater facit, hæc & filius ſimiliter facit. Et ideo adoptare homines in filios Dei, conuenit toti Trinitati.

Ad primum ergo dicendum, quod omnes perſonæ humanæ non ſunt vnius naturæ, ſecundum numerum, vt oporteat vnam eſſe omnium operationem tantum, & vnum effectũ, ſicut accidit in diuinis. Et ideo quantum ad hoc, non poteſt attendi ſimilitudo vtrobique.

Ad ſecundum dicendum, quod nos per adoptionem efficimur fratres Chriſti, quaſi eumdem patrem habentes cum ipſo, qui tamen alio modo eſt pater Chriſti, & alio modo eſt pater noſter. Vnde ſignanter Dominus Ioann 20. ſeorſum dixit, Patrem meum, & ſeorſum dixit, Patrem veſtrum, eſt enim Pater Chriſti, naturaliter generando, quod eſt proprium ſibi. Eſt autem pater noſter voluntarie aliquid faciendo, quod eſt commune ſibi. & Filio, & Spiritui ſancto Et ideo Chriſtus non eſt filius totius Trinitatis, ſicut nos.

Ad tertium dicendum, quod ſicut dictum eſt,* filiatio adoptiua eſt quædam ſimilitudo filiationis æternæ, ſicut omnia quæ in tempore facta ſunt, ſimilitudines quædã ſunt eorum, quę ab ęterno fuerunt. Aſſimilatur autem homo ſplendori æterni filij per gratiæ claritatem, quę attribuitur Spiritui ſancto. Et ideo adoptatio licet ſit communis toti Trinitati, appropriatur tamen Patri vt authori, Filio vt exemplari, Spiritui ſancto vt imprimenti in nobis huius ſimilitudinem exemplaris.

** art. præced.*

CON-

CONCLVSIO eſt, adoptare homines in filios Dei conuenit toti Trinitati, probatur.

Primo, quia eius eſt adoptare in filios Dei, quem nos Patrem poſſumus appellare, quia per ſpiritum adoptionis clamamus Abba Pater. Sed cum Deo dicimus Pater noſter, pertinet ad totam Trinitatem, vt nomina alia quæ dicũtur relatiue ad creaturas: ergo.

Secundo, quia effectus qui fiunt erga creaturas tribuntur toti Trinitati, quia vt eſt vnica ſubſtantia, & virtus trium perſonarũ: ita eſt vna operatio ad extra, ideo dicitur, quę facit Pater, etiam & filius; ſed adoptare filios eſt actio ad extra, quia filius Dei naturalis, dicitur genitus, & non factus: adoptiuus, vero dicitur factus, iuxta illud Ioann. 1. dedit eis poteſtatem filis Dei fieri: ergo licet generare in diuinis ſit proprium Patris, tamen adoptare eſt commune toti Trinitati. Nihilominus, vt explicat Diu. Thom. in ſolutione ad tertium, adoptare filios appropriatur Patri, vt authori, vt exemplari filio, Spiritui Sãcto vt imprimenti in nobis huius exemplaris ſimilitudinem, ſcilicet charitatem quę diffunditur in corda noſtra per Spiritum ſanctum.

ART. III.

Vtrum adoptari ſit proprium rationalis creaturæ?

3.diſt.10. q.2.ar.2. q.1.& 2. & 4. cõt. e.17.fin. & 21. fi.

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod adoptari nõ ſit propriũ rationalis creaturæ. Non enim dicitur Deus, pater creaturæ, niſi per adoptionem. Dicitur autem pater creaturæ etiam irrationalis, ſecundum illud Iob 28. *Quis eſt pluuiæ pater, & ſtillas roris quis genuit?* Ergo adoptari non eſt propriũ rationalis creaturæ.

2 Præterea, per adoptionem dicuntur aliqui filij Dei. Sed eſſe filios Dei, in Scriptura proprie videtur attribui Angelis, ſecundum illud Iob 1. Quadam autem die cum aſsiſterent filij Dei coram Domino, Ergo non eſt proprium creaturæ rationalis adoptari.

3 Pręterea, Quod eſt proprium alicui naturæ, conuenit omnibus habentibus naturam illam, ſicut riſibile conuenit omnibus hominibus: Sed adoptari non conuenit omni rationali naturæ. Ergo adoptari non eſt proprium rationalis creaturæ.

Sed contra eſt, quod filij adoptati ſunt hæredes Dei, vt patet Roman. 8. Sed talis hęreditas conuenit ſoli rationali creaturæ: Ergo proprium eſt creaturę rationalis adoptari.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut dictum eſt,* filiatio adoptionis eſt quædam ſimilitudo filiationis naturalis: Filius autem Dei naturaliter procedit â Patre, vt verbum intellectuale, vnum cum ipſo Patre exiſtens. Huic ergo Verbo tripliciter poteſt aliquid aſsimilari. Vno quidem modo ſecundum rationem formæ, non autem ſecundum intellectualitatem ipſius: ſicut forma domus exterius conſtitutæ, aſsimilatur verbo mentali artificis, ſecundũ ſpeciem formę, non autem ſecundũ intelligibilitatem, quia forma domus in materia non eſt intelligibilis, ſicut erat in mente artificis. Et hoc modo Verbo ęterno aſsimilatur quælibet creatura, cum ſit facta per Verbum. Secundo modo aſsimilatur creatura Verbo non ſolum quantum ad rationem formæ, ſed etiam

art. præc. ad 3. & ar. 1.

Digitized by Google

etiam quantum ad intellectualitatem ipſius: ſicut etiam ſcientia, quæ fit in mente diſcipuli, aſsimilatur verbo, quod eſt in mente magiſtri. Et hoc modo creatura rationalis etiam ſecundum ſuam naturam aſsimilatur Verbo Dei. Tertio modo aſsimilatur creatura Verbo Dei æterno, ſecundum vnitatem, quam habet ad Patrem: quod quidem fit per gratiam, & charitatem. Vnde Dominus orat, Ioann. 17. Sint vnũ in nobis, ſicut & nos vnum ſumus. Et talis aſsimilatio perficit rationẽ adoptionis: quia ſic aſsimilatis debetur hæreditas æterna. Vnde manifeſtum eſt, quod adoptari conuenit ſoli creaturæ rationali: non tamen omni, ſed ſolum habenti charitatẽ, quæ eſt diffuſſa in cordibus noſtris, per Spiritum Sanctũ, vt dicitur Rom. 5. Et ideo Rom. 8. Spiritus ſanctus dicitur ſpiritus adoptionis filiorum.

Ad primum ergo dicendum, quôd Deus dicitur Pater creaturę irrationalis non proprie per adoptionem, ſed per creationem, ſecundum primam participationem ſimilitudinis.

Ad ſecundum dicendum, quod Angeli dicuntur filij Dei, filiatione adoptionis, non quia ipſis primo cõueniat, ſed quia ipſi primo adoptionem filiorum receperunt.

Ad tertium dicendum, quod adoptio non eſt proprium conſequẽs naturam, ſed conſequens gratiam, cuius natura rationalis eſt capax. Et ideo non oportet, quod omni rationali creaturę conueniat, ſed quod omnis rationalis creatura, ſit capax adoptionis.

CONCLVSIO eſt adoptari conuenit ſoli, ſed non omni creaturæ rationali.

Prima pars probatur, quia filij adoptati ſunt hæredes Dei, iuxta illud ad Roman. 8. quod ſi filij *hæredes*, ſed iſta hæreditas ſolis creaturis rationalibus conuenire poteſt: ergo ſolum illæ adoptantur.

Deinde probatur, quia filiatio adoptionis eſt quædam ſimilitudo filiationis naturalis, & proprie conſiſtit, & perficitur in aſsimilatione ad Deum, ſecundum rationem vnitatis, quæ fit per gratiam, & charitatem: ergo ſola creatura rationalis, quæ eſt capax gratiæ, & gloriæ, poteſt adoptari. Antecedens explicatur ſic, filiatio adoptiua eſt ſimilitudo filiationis naturalis ad filium naturalem Dei, qui naturaliter procedit à Patre, vt Verbum intellectuale, & vnum cum eo exiſtens: huic autem Verbo eſt aliquid ſimile per modum formæ, ſicut domus materialis aſsimilatur ideæ quæ eſt in mente artificis, ſecundum rationem formæ, & non ſecundum intelligibilitatem: quia forma domus in materia non eſt intelligibilis, ſicut erat in mente artificis, & hoc modo omnis creatura aſsimilatur Verbo, cũ ſit facta per Verbum.

Secundo aſsimilatur aliquid Verbo, & per modum formæ, & ſecundum eſſe intellectuale, vt ſcientia diſcipuli aſsimilatur Verbo, quod eſt in mente Magiſtri, & ſic creatura rationalis aſsimilatur, ſecundum ſuam naturam diuino Verbo.

Tertio aſsimilatur Verbo Dei ſecundum vnitatem, quã habet ad Patrẽ, quod ſane fit per gratiam, & charitatem. Vnde dominus orauit Ioann. 17. *Vt ſint vnum in nobis, ſicut & nos vnum ſumus*, & Spiritus ſanctus dicitur ſpiritus adoptionis, & perficitur ratio adoptionis, quia ſic aſsimilatis debetur hæreditas æterna.

Deinde ſecunda pars probatur, quia adoptari conuenit ſoli creaturæ rationali habenti charitatem, quæ diffunditur in cordibus noſtris, per ſpiritum ſanctũ, vt dicitur ad Rom. 5. ſed non omnis creatura rationalis habet de facto charitatem: ergo neque omni conuenit de facto adoptari.

AR-

ART. IIII.

Vtrum Chriſtus, ſecundum quod homo, ſit filius Dei adoptiuus?

Inf. q. 32. a. 3. q. 43. a. 1. co. & 3 d. 10. q. 2. ar. 2. q. 3. & 4. contr. c. 4. & ver. q. 29. art. 1. ad 1.

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod Chriſtus, ſecundum quod homo, ſit filius Dei adoptiuus. Dicit enim Hilar. * de Chriſto loquens, Poteſtatis dignitas non amittitur, dum carnis humanitas adoptatur. Ergo Chriſtus, ſecundum quod homo, eſt filius adoptiuus.

* lib. 2. d. tri. à med. * c. 15. ante me. t. 7.

2 Pręterea, Aug. dicit † in lib. de pręd eſtinat. ſanct. quod ea gratia fit ab initio fidei homo quicumque Chriſtianus, qua gratia homo ille ab initio ſuo factus eſt Chriſtus. Sed alij homines ſunt Chriſtiani per gratiam adoptionis. Ergo & ille homo eſt Chriſtus per adoptionem: & ita videtur eſſe filius adoptiuus.

3 Præterea, Chriſtus ſecundũ quod homo, eſt ſeruus. Sed dignius eſt eſſe filium adoptiuum, quam ſeruum. Ergo multo magis Chriſtus, ſecundum quod homo, eſt filius adoptiuus.

o 8. in fin. to. 2.

Sed contra eſt, quod Ambroſ.* dicit in libr. de Incar. Adoptiuum filium, non dicimus filium eſſe natura, ſed eum dicimus natura eſſe filium, qui verus eſt filius. Chriſtus autem eſt verus, & naturalis Dei filius, ſecundum illud 1. Ioan. vlt. Vt ſimus in vero filio eius Ieſu Chriſto. Ergo Chriſtus ſecundum quod homo, non eſt filius adoptiuus.

Reſpondeo dicendum, quod filiatio proprie conuenit hypoſtaſi, vel perſonæ, non autem naturæ: vnde & in prima parte dictum eſt,* quod filiatio eſt proprietas perſonalis. In Chriſto autem non eſt alia perſona, vel hypoſtaſis, quam increata, cui conuenit eſſe filium per naturam. Dictũ eſt autem ſupra, * quod filiatio adoptionis eſt participata ſimilitudo filiationis naturalis. Non autem recipitur, aliquid dici participatiue, quod per ſe dicitur. Et ideo Chriſtus, qui eſt filius Dei naturalis, nullo modo poteſt dici adoptiuus. Secundum autem illos, qui ponunt in Chriſto duas perſonas, vel duas hypoſtaſes, ſeu duo ſuppoſita, nihil rationabiliter prohiberet Chriſtum hominem dici filium adoptiuum.

p. p. q. 33. ar. 2. & 3. — artic. præc. in tom. & locis ibi cit.

Ad primum ergo dicendum, quod ſicut filiatio non proprie conuenit naturæ, ita nec adoptio. Et ideo cum dicitur quod carnis humanitas adoptatur, impropria eſt locutio. Et accipitur ibi adoptatio pro vnione humanæ naturæ ad perſonã Filij.

Ad ſecundum dicendum, quod ſimilitudo illa Auguſtini eſt intelligenda, quãtum ad principium: quia ſcilicet, ſicut ſine meritis quilibet homo habet, vt ſit Chriſtianus: ita ille homo ſine meritis habuit, vt eſſet Chriſtus. Eſt tamen differentia, quantum ad terminum, quia ſcilicet Chriſtus per gratiam vnionis eſt filius naturalis, alius autem per gratiam habitualem eſt filius adoptiuus. Gratia autẽ habitualis in Chriſto non facit de nõ filio filiũ adoptiuum, ſed eſt quidam effectus filiatio

nis

nis naturalis in anima Chriſti, ſecundum illud Ioann. 1. Vidimus gloriam eius; quaſi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.

Ad tertium dicendum, quod eſſe creaturam, & etiam ſeruitus, vel ſubiectio ad Deum, non ſolum reſpicit perſonam, ſed etiam naturam, quod non poteſt dici de filiatione. Et ideo non eſt ſimilis ratio.

CONCLVSIO eſt negatiua, eo quod filiatio adoptiua non compatitur cum naturali.

Diſputatio vnica de adoptione, quæ totam Angelici Doctoris in hac quæſtione doctrinam complectitur, in quatuor dubia diuiſa.

VT totam doctrinã huius quæſtionis complectamur hãc diſputationẽ inſtituimus, in qua proponimus quatuor diſcutiẽda, quæ à Diu Thom. atinguntur in præſentiarum, & à Theologis controuerti ſolent: nimirum cuius formæ, aut doni ſit effectus formalis paſsiua adoptio rationalis creaturæ erga Deum: rurſus an præſcitus dũ eſt in gratia ſit fili⁹ adoptiu⁹ Dei? Deinde vtrum PP. antiquæ legis, qui in gratia extiterunt, fuerint vere, & proprie filij Dei adoptiui: & tandem vtrum Chriſtus inquantum homo ſit filius Dei adoptiuus, & qua certitudine ſit tenenda concluſio negatiua? Quæ proinde in præſentiarum ſunt ſingulis dubijs examinanda.

Dubium primum eſt: An ſolius gratiæ habitualis, & ſantificantis ſit conſtituere filium adoptiuum Dei: hoc eſt an Deus per ſolam gratiam habitualem poſsit nos adoptare in filios?

1 ET quia de adoptione quadam particulari, qualis eſt diuina ſermonẽ inſtituimus, quę innoteſcere nobis exacte non poteſt; niſi prius communem, & analogam rationem adoptionis, quæ diuinæ, & humanæ communis eſt, vt ſaltem humanam agnoſcamus, cum qua anologatur diuina: ideo ex iuris prudentiæ profeſſoribus, tanquam ex iuſtis poſſeſſoribus huius adoptionis, quæ directe, & proprie ad eorum pertinet inſtitutum, petenda eſt ratio; vt ſic ex notioribus ad ignota iuxta ordinem doctrinę, & a magis nota, minus què principali adoptione, hoc eſt humana, ad ſublimiorem, & minus notãm: nimirum diuinam adoptionem procedamus, indeque huius aliqualis ſumatur notitia.

Igitur adoptio humana eſt actio, per quam adoptatus tranſit in poteſtatem adoptantis, & adquirit ius ad eius hæreditatem ex adoptantis beneuolentia, & largitate procedens: vt initio inſtitutionum de adoptionibus docet Imperator Iuſtinianus, dicens: *Non ſolum autem naturales liberi;* (ideſt ex legitimo matrimonio nati) *in poteſtate noſtra ſunt; verum etiam hi quos adoptamus:* contingit autem adoptionem fieri duobus modis; vno, quando quis adoptat eum, qui ſui iuris eſt, & hæc ſpecies adoptionis ſpeciali nomine dicitur adrrogatio. Alio modo quando quis adoptat eũ qui ſui iuris non eſt, ſed eſt in poteſtate parentis: & hæc communiter dicitur adoptatio, & quamuis vterque modus generali-

ter

ter vocetur adoptatio, tamen ſecundum communem acceptionem, & vſum hominum ſola ſecunda ſpecies proprie intelligitur nomine adoptionis, quæ congruenter diffiniri ſolet hoc modo, adoptio eſt per quam qui extraneus eſt in familiam adoptantis, ius quę filij familias cooptatur, vt colligitur ex §. *adoptio*, inſtit. de adoption. l. 1. ff. eodem. titul. cuius hæc ſunt verba: *Filios familias non ſolum natura, verum & adoptiones faciunt. Quod adoptionis nomen eſt quidem generale, in duas tamen ſpecies diuiditur, quarum altera adoptio ſimiliter dicitur, altera adrrogatio, adoptantur filij familias: adrrogantur qui ſunt ſui iuris*, nec non ex l. 2. eodem tit. vbi Iuriſconſ. eandem proſequitur doctrinam.

2 Deinde ſciendum eſt, quod adoptio imitatur naturam non tamen per omnia, ſed quantum ad aliquid; ſicut & ars quantum fieri poteſt naturam imitatur. Vnde, quia ſecundum naturam parens debet præcedere filium, propterea neque minor natu poteſt maiorem adoptare, ob rationem aſsignatã, l. *ſi pater*, l. *adoptio*, & l. *adrrogato*, 40. §. 1. ff. de adopt. & §. *minorem*, inſtitutionum eodem titulo: *Quod monſtro eſt, vt maior ſit filius, quã pater, debet itaque is, qui ſibi filium per adoptionem, vel adrrogationem facit plena pubertate, id eſt 18. annis precedere.* Similiter ob eãdem naturæ imitationem, neque adoptare poſſunt illi, qui generare non poſſunt, cuiuſmodi ſunt ſpadones, ſiue caſtrati, ex l. 2. §. 1, ff. de adopt. & §. *ſed & illud*, inſtit. eodem tit. Fæminæ quoque adoptare non poſſunt, quia naturales liberos in ſua poteſtate non habent, licet ex benignitate. & indulgentia principis ad ſolatium liberorum amiſſorum permittatur eis adoptare, ex §. *fœminæ*, inſtit de adopt. & leg. 5. C. eodem titul. quæ omnia iuris communis, & antiqui documenta, & principia approbata ſunt iure Regio noſtræ Hiſpaniæ, l. 7. & 8. titul. 7. part. 4. & l. 4. titul. 16. part. 4. & leg. 2. & 4. tit. 22. lib. 4. fori: hæc ſunt, quæ ex fontibus Iurisprudentiæ colliguntur pro humanæ adoptionis natura, & conditionibus.

Ex quibus aperitur ianua, vt ad diuinam adoptionem facile tranſitum faciamus, in qua vtpote in analogato principaliori adoptionis vt ſic, omnia quæ ſunt de eſſentia, & perfectione adoptionis debent ſaluari, ſæcluſis tamen imperfectionibus, cum quibus adoptio in humanis reperitur.

Vnde diuina adoptio eſt gratuita, quædam actio, per quam Deus creaturam rationalem in filium acceptat, & ei tribuit ius ad gloriæ hæreditatem. Hæc enim eſt natura, & perfectio eſſentialis adoptionis: ac proinde in omni membro analogato debet reperiri, quod autem adoptatus ſit ſui iuris, vel in poteſtate alterius: hoc non pertinet ad rationem eſſentialem adoptionis in tota ſua latitudine: ſed eſt conditio adoptionis prout in humanis reperitur, à qua proinde diuina adoptio debet vindicari.

3 Igitur his ſuppoſitis reſpondeo ad dubitationem propoſitam, ſolam gratiam hebitualem, ſiue ſanctificantem eſſe formam, per quam poſſumus in filios Dei adoptari, in qua concluſione omnes Theologi conueniunt, cum Magiſtro in 3. diſt. n. 10. & cum Diu. Thom. artic. 1. huius: eiuſque ratio eſt, quia Deus adoptat in filios, dum eos admittit ad ſuæ hæreditatis, hoc eſt gloriæ æternæ participationem: ergo per ſolam illam formam poteſt rationalis creatura adoptari in filium Dei, per quam adquirit ius ad gloriã.

Sola gratia habitualis conſtituit filios adoptiuos Dei.

Tunc vltra. ſed hæc eſt ſola gratia iuſtificans: vtpotè quæ ſola tribuit ius ad gloriam: ac proinde ſola conſtituit filium adoptiuum Dei: quapropter qui caret gratia, & eſt in peccato mortali, ſimpliciter eſt filius Diaboli, & ſeruus peccati: ac proinde nequit eſſe ſimul filius adoptiuus Dei: ergo ſola gratia iuſtificans, ſiue habitualis eſt, per quam conſtituitur paſsiua adoptio diuina, de qua ratione videndi ſunt Medin. hic dubio 1. Vazquius diſputatio. 88. cap. 1. Suar. in expoſitione art. 3. Aluar. in expoſitione artic. 1. Lorca diſputation. 84. mẽb. 1. Cabr. diſp. 1. & Rãguſſa diſp. 27. poteſtque amplius in hunc modum confirmari: nam cum adoptio imitetur naturam in humanis, vt dictum eſt, proportionabiliter diuina adoptio, debet imitari naturam adoptantis: ac per conſequens per illam formam poteſt, ac debet fieri per quam imitamur naturam Dei, aſsimilamurque illi, & conſtituimur conſortes diuinę naturæ; ſed ſola gratia habitualis eſt, quę tribuit nobis conſortiũ diuinæ naturæ: ergo ſola illa eſt, quę reddit nos filios adoptiuos Dei. Idque etiam exemplo amicitiæ diuinæ poſſumus declarare: nã ſicut amicitiam hominis erga Deum non poteſt tribuere quodcumque donum naturale, ſed

Digitized by Google

ſolum donũ illud gratię, & charitatis, per quod homines fiunt participes bonorum propriorum Dei, & poſſunt conuiuere ad Deum, & communicare, cum illo in bonis proprijs illius, quia hæc communicatio, & & iſte conuictus ſunt de ratione amicitiæ, bona autem propria Dei: tantum ſunt bona ſupernaturalia; ideo tantum per ſupernaturalem formam poteſt conſtitui amicitia Dei erga homines: ita pariter, quia de ratione filiationis adoptiuę eſt tribuere ius ad paternam hæreditatem: paterna autem hæreditas Dei eſt ſola æterna beatitudo, & ſupernaturalis, ad quam non tribuit ius, niſi gratia iuſtificans: propterea ſola illa poteſt fundare huiuſmodi filiationem, & conſtituere filios adoptiuos Dei.

Dubium ſecundum eſt: An præſcitus pro eo tempore pro quo eſt in gratia ſit filius Dei adoptiuus?

4 AD hanc dubitationem reſpondeo concluſione affirmatiua: nimirum, quemcumq; iuſtum quantumuis preſcitum, & reprobum, pro eo tempore, pro quo eſt in ſtatu gratiæ eſſe ſimpliciter filium Dei adoptiuum, quam concluſione ſtatuo aduerſus ſententiam Gabr. in 3. diſtinctio. 10. quæſt. vnica, negantis preſcitos exiſtentes in gratia eſſe filios Dei adoptiuos, ſimpliciter, & abſolute.

Iuſtũ præſcitum eſſe filium Dei adoptiuum defenditur contra Gabrielem.

Cuius fundamentum eſt, quia de ratione adoptionis eſt, vt adoptans admittat adoptatos ad hæreditatem, ſed præſciti nõ admittuntur ad hæreditatem Dei, ſed potius ab illa repelluntur: ergo non ſunt filij adoptiui Dei: ſed noſtra concluſio eſt eſt communiter recepta à Theologis in locis præallegatis in eo gradu certitudinis, vt abſque temeritatis, imò & erroris nota negari nõ poſsit, quę ſuadetur primo ex teſtimonijs Scripturę ſacrę, vt ex illo ad Ro. 8. *Qui ſpiritu Dei agũtur hi ſunt filij Dei*, & 1. Ioan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus*, & infra: *In hoc manifeſti ſũt filij Dei, & filij Diaboli: omnis enim qui nõ eſt iuſtus nõ eſt ex Deo*, & cap. 5. eiuſdem Epiſt. ſubditur: *Omnis qui credit quoniam Ieſus, eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt*, intellige de fide viua, & formata per charitatem; ſed præſcitus in gratia exiſtẽs agitur, & mouetur ſpiritu Dei, habet charitatem, & fidem viuam: ergo vere eſt filius adoptiuus Dei.

Secundo, quia vt ibidem arguit Auguſt. tract. 5. ſuper Epiſt. Ioann. ſola charitas diſcernit inter filios Dei, & filios Diaboli; ſed præſcitus exiſtens in gratia habet charitatem: ergo habet ſignum diſtinctiuũ filiationis Dei: ac proinde & ipſam filiationem;

5 Tertio probatur à priori, quia omnis exiſtens in gratia, etiam ſi reprobus ſit, eſt vere genitus à Deo, & regeneratus per gratiam iuſtificantem, per quam habet conſortium diuinæ naturæ: habetque ius ad hæreditatem cœleſtem ad quã eſt acceptatus mediante gratia; de qua propterea dicitur ad Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna*: ergo eſt hæres, & filius Dei.

Ex quibus patet ad fundamẽtũ Gabrielis, quia ſatis eſt ad filiationem adoptiuã, quod ſecundum præſentem iuſtitiam homo iuſtus habeat ius ad hæreditatem cœleſtem, quamuis per ſubſequens peccatũ illud ammittat, ſicut & in humanis contingit, quandoque filium adoptiuum, poſtea ratione delicti, ius ad hæreditatem adoptantis amittere, & incurrere pœnam exhæreditationis.

Dices prædeſtinatus exiſtens in peccato mortali non eſt filius Dei ſimpliciter niſi tantum ſecundum quid, & cum addito: nempe ſecundum præſcientiam, & prædeſtinationem: ergo pariter iuſtus præſcitus non eſt filius Dei ſimpliciter, niſi tantum ſecundum quid, & cum hoc addito, ſecundum præſentem iuſtitiam.

Reſpondetur admiſſo antecedenti negando conſequentiam: cuius diſparitas colligitur ex Concilio Cõſtancienſi, Seſsione. 8. & 15. vbi contra Ioannem. Hus diffinitur præſcitos poſſe eſſe aliquando iuſtos, & viua membra Eccleſiæ, predeſtinatos vero poſſe aliquando exiſtere in peccato mortali, & pro

tunc

tunc non eſſe filios Dei; ſed filios iræ: ex qua diffinitione colligitur, & certitudo noſtra, damnatioque oppoſitæ aſſertionis, & diſcrimen inter dictas propoſitiones, prima enim ſumpta in antecedenti eſt vera, quia prædeſtinatio eſt beneficium extrinſecum, nihil ponẽs in prædeſtinato: acproinde nequit ponere in illo filiationem adoptiuã Dei, quæ aliquid intrinſecum eſt in adoptato.

Secunda vero deducta in conſequenti eſt falſa, quia preſentia, & reprobatio cũ extrinſeca ſit, non tollit ab homine reprobo, alias iuſtificato, eius intrinſicam iuſtitiam, & conſequenter neque filiationem quæ in illa fundatur.

Dubium tertium eſt: An iuſti legis antiquæ fuerunt filij Dei adoptiui?

6 IN hoc dub. partem negantem tenuit Leo Caſtren. ſup. c. 1. Eſai. aſſerens PP. veteris legis quantumuis iuſtos non fuiſſe proprie filios Dei adoptiuos, niſi tantum metaphorice, & figurate, quod probat ex teſtimonijs aliquorũ Patrũ ſiniſtre intellectis: qui illos appellãt ſeruos potius, quã filios, eo quod Paul. ad Ro. 8. attribuit eis ſpiritum timoris, & ſeruitutis dicens: non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterũ in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorũ, in quo clamamus, *Abba Pater*: ex quo tale deducitur argumẽtũ: filiatio adoptiua quæ naturalẽ immittatur, vt dictũ eſt excludit ſtatũ ſeruitutis, & ſpiritũ timoris, ſed gratia ſantificans patres antiquæ legis nõ excludebat ab eis ſtatũ ſeruitutis, & ſpiritũ timoris: ergo non conſtituebat illos proprie filios Dei adoptiuos, quod poſt amplius confirmari. Ex alijs teſtimonijs in quibus ſpiritus adoptionis, ſeu filiationis Dei dicitur nouus, & proprius legis gratiæ, vt ex illo ad Galat. 4. *Quoniam autem eſtis filij Dei, miſit Deus ſpiritũ filij ſui in corda veſtra clamantem Abba, Pater, itaque iam non eſt ſeruus, ſed filius, quod ſi filius, & hæres per Deũ*, & ex illo ad Ephes. 1. *In quo, & credentes ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ, in redemptione acquiſitionis, in laude gloriæ ipſi⁹*, in quibus locis denotatur, quod hoc eſt diſcrimen in vtriuſq; legis ſtatum: nimirum veteris, & Euangelicæ, quod in illa erãt ſerui homines, in iſta vero ſunt filij, & quod Spiritus Sanctus, inquãtũ ſpiritus adoptionis, non dabatur in illa lege, ſed tantũ erat promiſſus, tanquam dandus in iſta. Vnde Ioel. 2. reſpiciens Deus ad nouam legem Euangelicam inquit: *Effundam de ſpiritu meo*, & Ezech. 36. *Spiritum nouum ponam in medio veſtri*: ergo.

Iuſtos antique legis fuiſſe proprie filios adoptiuos defenditur, contra Leonem Caſtren.

7 Sed his non obſtantibus ſententia affirmans eſt certa ſecũdum fidem, & ideo cõmuniter à Theologis recepta, & à nobis ſtatuitur pro concluſione, & ſuadetur primo ex teſtimonijs ſacræ Scripturæ, in quibus PP. veteres maxime iuſti appellãtur filij, & Deus vocatur ipſorũ Pater, vt Exod. 1. *Filius meus primogenitus Iſrael*, Eſai. 1. *Filios enutriui, & exaltaui*, Oſee 9. *Ex Egipto vocaui filium meum*, & Matth. 8. *Chriſtus appellat Iudæos filios regni*, & cap. 15. ſubdit: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus*, vbi facta comparatione Iudæorum ad Gentiles illos vocat filios, & iſtos canes, nec nõ ad Ro. 9. Paul⁹ vocat Iudæos filios adoptiuos, dũ ait: *Optauam anathema eſſe pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei, ſecundum carnẽ, qui ſunt Iſraelitæ, quorum eſt adoptio filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legislatio*, ſunt etiam alia plurima teſtimonia in quibus Deus vocatur Pater Patrũ antiquæ legis, & ipſi vocantur hæredes: & Dominus dicitur illorũ hæreditas. Primũ habetur Eſai. 63. & Ierem. 3. & 31. ſecundũ vero habetur ad Ro. 4. ad Galat. 3. & 4. vbi Paul. oſtendit Abrahamũ fuiſſe hæredem per iuſtitiã fidei, & promiſſionem, & inſuper ſubdit: *Quanto tempore hæres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo, cum ſit dominus omnium, ſed ſub tutoribus, & actoribus eſt, vſq; ad præfinitum tempus à Patre: ita & nos dum eſſemus paruuli, ſub elementis huius mundi eramus ſeruientes, at vbi venit plenitudo temporis, &c.* Quibus verbis Apoſt. Patres veteris legis appellat hæredes, quãuis paruulos, & velut ſub tutore, & pedagogo exiſtentes, nihilominus omniũ dominos, licet nihil à ſeruis differentes. Ex quibus locis tale deducimus argumentũ, verba ſacræ Scripturæ ſunt in ſenſu litterali, ac proprio interpretanda quando ex illo nullum contra fidem, aut bonos mores, ſequitur inconueniens, iuxta regulam communiter à Patribus acceptam, & traditam ab Athanaſio libro de communi eſſentia

Patris, & filij, & ab Aug. lib. 3. de doctrina Christiana, capit. 10. ſed in prædictis teſtimonijs ſacræ Scripturæ adſtruitur PP. & iuſtos veteris legis fuiſſe filios Dei, hæredes regni, & Deum eſſe illorum Patrem, & hæreditatem, & alias nullũ inconueniens ſequitur ex eo, quod in ſenſu litterali, & proprio intelligantur: ergo ſic ſunt intelligenda, & accipienda.

8 Secundo probatur ratione, quia nimirum gratia iuſtificans eiuſdem rationis & ſpeciei eſt in nobis, atq; in Patribus veteris legis, ſed forma eiuſdem rationis, & ſpeciei eũdẽ quoque præſtat effectum formalem: ergo gratia iuſtificans eundem effectum formalem præſtabat antiquis Patribus, atque præſtat nobis.

Tunc vltra, ſed nobis preſtat effectũ adoptionis, ſiue filiationis adoptiuæ: ergo & illis eundem effectum preſtabat, at per conſequens cõſtituebat eos filios Dei adoptiuos. Minor principalis cum conſequentia, & minori ſubiuncta eſt nota: maior autem etiam eſt certa, quantum ad id, quod ait gratiam iuſtificantẽ in omnibus eſſe eiuſdem rationis, & ſpeciei, & conſtat ex his quæ docuimus 1. 2. q. 110. artic. 2. Quantum vero ad id, quod ſupponit nimirum PP. illos veteres habuiſſe gratiam eſt certa ſecundum fidem, & colligitur ex Eccleſ. c. 44. & Sapientiæ c. 10. & ad Hæbr. 11. in quibus locis plures patres illius legis recenſentur in cathalogo, & numero iuſtorum, & amicorum Dei.

9 Ex quib⁹ proinde colligitur fuiſſe iuſtos, & amicos Dei per gratiam, & charitatẽ, neq; obſtant teſtimonia adducta in cõtrariũ: nã quod a'tinet ad teſtimonia PP. Eccleſiæ, dicendum eſt, illos tãtum velle, quod Iudæi ratione ſtat⁹ illius legis eſſẽt, ſerui, & haberent ſtatũ ſeruitutis: eo quod erant ſub lege, quæ eos non poterat ex vi ſua liberare a ſeruitute peccati, & diaboli, & eos ducebat, ac gubernabat ſpiritu timoris, hoc eſt, minis pœnarum ac ſuppliciorum: cum quo tamen ſtat, quod abſolute, & quoad eſſentiam eſſent filij adoptiui. Quemadmodum paruul⁹, quando eſt ſub tutoribus, habet ſtatum ſerui, & tamen eſt Dominus omniũ, bene namq; ſtat aliquẽ habere formã, ſiue naturam, & eſſentiam: & nondũ habere ſtatũ illius; vt puer, qui habet eſſentiã hominis, nondum tamẽ habet ſtatum viri: & virtutes; ſine charitate habent eſſentiam virtutis, non tamen ſtatum. Sic intelligendi ſunt Chryſoſt. hom. 14. ad Rom. & hom. 13. in Ioann. Cyrill. lib. 1. in Ioann. c. 14. Athan. Serm. de Paſſio. & Cruce Domini, & Aug. tract. 2. in Ioann. ad illud: *Qui non ex ſanguinibus, &c.* quos Leo Caſtrenſis, pro ſua opinione adducebat. Ad teſtimoniũ vero Paul. ad Ro. 8. dicendum eſt vno, ex duobus modis, aut quod illo tantum probatur legem veterem, ex vi & poteſtate ſua non potuiſſe conſtituere homines filios Dei propter rationem aſſignatam, niſi tantũ per fidem, & gratiam datam illis intuitu mæritorum Chriſti venturi, quæ propterea dicitur eſſe propria legis Euãgelicæ: aut quod erãt filij adoptiui, non ita perfecta adoptione qualis eſt in filijs legis gratiæ ob dictam imperfectionem illius ſtatus.

10 Ad confirmationẽ autem adductam pro eadem ſententia reſpondetur, expendendo ſingula teſtimonia, ad 1. quidẽ ex Paul. ad Galat. 5. reſpondetur prænotando hoc diſcrimen fuiſſe inter homines ſtatus vtriuſque legis, nimirum veteris, ac nouæ, quod illi magis gloriabantur de paternitatis nomine, quam de nomine filiationis. Vnde Ioann. 4. dixit Samaritana ad Chriſtum: *Numquid tu maior es Patre noſtro Abraham*, & cap. 8. dixit Chriſtus ad Iudæos; *Abraham Pater veſter exultauit, vt videret diem hunc*: è contra vero iuſti legis gratiæ magis gloriantur de filiatione, quam de paternitate: propterea namque dicitur Ioan. 1. *Quotquot autem receperunt eum dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, &c.* Cuius ratio eſt, quod in noua lege habetur perfecta adoptio filiorum Dei, & gratia, quæ præſtat huiuſmodi adoptionem, pertinet ad hanc legem, tanquã propria illius, vt iam diximus, quapropter homines iuſti huius legis maiorem gloriam oſtendunt in huiuſmodi adoptione filiorum, quam in alijs nominibus præſeferentibus inanem antiquitatis, & maiorum maieſtatem, ſeu dignitatem. Vnde merito Paulus in dicto loco ad Galatas, ait: quod in lege Euãgelica miſſerit Deus ſpiritum filij ſui in corda noſtra clamantem, *Abba, Pater*: id eſt, facientem nos clamare, *Abba, Pater*, nimirum quia ſpecialiter, vtpote proprius huius legis inclinat nos ad huiuſmodi clamorem, & vt magis de huiuſmodi filiatione Dei, quam de propria paternitate gloriemus. Et dum ſubdit; at vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, vt eos qui ſub lege erant redimeret, & adoptionem filiorum reciperemus:

minus:

mus: non intendit adſtruere, taliter per Chriſti aduentum fuiſſe hominibus filiorum adoptionem conceſſam: vt ante illum non fuerit alijs: nimirum antiquis iuſtis conceſſa; ſed tantum intendit, quod cum perfectione, & plenitudine tantum fuit hominibus legis gratiæ per Chriſti aduentum conceſſa; aut etiam quod quibuſcunque fuit conceſſa talis adoptio filiorum, fuit quidem eis conceſſa per Chriſti Incarnationem, & mærita, ſiue præuiſſa, ſiue in executione exhibita, aut etiam quod talis filiorum adoptio, quantum ad hanc accidentalem perfectionem glorian di de filiatione Dei, ſolis filijs legis gratiæ per Chriſti aduentum fuit conceſſa.

Expendun tur laudes Spiritus Sācti adoptio nis.

11 Vt autem ſecundum teſtimonium Expendamus opere precium eſt aduertere, cum Diu. Thom. ibi lection. 5. quod Paulus tria predicat de Spiritu Sancto, in illis verbis: nimirum quod eſt ſignum, & quod eſt ſpiritus promiſſionis, & quod eſt pignus hæreditatis, dicitur quidem ſignum in quantum, per eum infunditur charitas cordibus noſtris, & in quantum imprimit nobis ſignaculum, per quod filij Dei, veluti oues Chriſti, ab alijs nimirum à peccatoribus, & præſcitis diſcriminantur, qui de ouili Chriſti nō ſunt, nam quemadmodum homines gregibus ſuis imprimunt charecteres, & ſigna, quibus ab alijs diſcriminetur: ita dominus gregem ſuum, ideſt, populum Chriſtianum ſpirituali ſigno voluit ſignare, & huiuſmodi ſignum eſt Spiritus Sanctus; de quo propterea, inquit Diu. Thom. lect. citatà ſuper eundem locum: *Spiritus Sanctus eſt quo ſignamur*, & Ioann. 13. propterea dicitur: *In hoc cognoſcent omnes, quia mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem*, & quoniam huiuſmodi charitatem infundit, & imprimit Spiritus ſanctus, iuxta illud Paul. ad Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa in cordibus noſtris per Spiritū Sāctū, qui datus eſt nobis*: propterea dicitur in adducto teſtimonio, *in quo credentes ſignati eſtis, &c.* dicitur etiam quod eſt ſpiritus promiſſionis propter duo;

Tum quia promiſſus eſt per Profetas, vt per Ezechie: cap. 36. *Spiritum nouum ponam in medio veſtri*, & cap. 37 *Dabo vobis ſpiritum nouum*, & Ioelis 2. *Efundam de ſpiritu meo, &c.*

Tum etiam, quia datur cum quadam promiſſione, ex hoc enim ipſo, quod nobis datur, efficimur filij Dei, quod quidem ſignificatur in illo eiuſdem Paul. ad Galat. 4. *Quoniam eſtis filij Dei, miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra, clamantem Abba Pater*, ideſt propterea vos Galatæ, & Gētiles eſtis filij Dei per gratiam, quia miſit Deus Spiritum Sanctum in veſtras animas facientem vos clamare, *Abba Pater*, ideſt inuocare Deum, tanquam Patrem Hæbraici, & latini, ſcilicet Gentilici populi. Conſulto autem dixit Paul. *Spiritum filij ſui*, vt denotaret Spiritum Sanctum, & filium mutuis vicibus nomina, ſibi inuicem mutuare: nam Spiritus Sanctus dicitur ſpiritus filij ſecundum naturam diuinam, & Patris: vtpotè à quibus procedit, datur, & mittitur: ſecundum vero naturam humanam è contra filius dicitur Spiritus Sancti, ſicut mitentis, & dantis, in quo ſenſu Chriſtus dicitur conceptus de Spiritu Sancto, & Ioann. 3. *Sic Deus dillexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret*, vtpotè quia miſio, & donatio diuini Verbi, ſecundum naturam aſſumptā fuit opus diuini amoris, ac per conſequēs Spiritus Sancti

12 Tertium dicitur pignus hæreditatis noſtræ, inquantum facit certitudinem de promiſſa hæreditate, ſicut pignus apud homines certificat, & ſecuram reddit ſolutionem debiti, vel mutuatæ pecuniæ, loco cuius relinquitur pign⁹ apud mutuantem: ſic ergo Spiritus ſanctus dicitur pignus propter duo.

Tum quia fuit quaſi pignus hominibus datum in lege veteri Chriſti venturi, & promiſſionis diuinæ adimplendæ.

Tum etiam, quia dum nobis viatoribus datur, eſt quodam pignus futuræ hæreditatis, & gloriæ, pro qua obtinenda exhibemus mærita noſtra Deo in ſtatu viæ, quaſi anticipata ſolutione: ac proinde vt nos Deus redderet ſecuros, & certos de gloria promiſſa adipiſcenda voluit interim traddere nobis Spiritum ſanctum in ſuis donis, in pignus ſolutionis adimplendæ. Sed ſecundum aliam literam habetur *Arra hereditatis noſtra*, & conueniēter quidē, quia Arra, differt à pignore in hoc, quod pign⁹ eſt quid diſtinctū ab ipſo precio, & recuperatur ab illo, qui pign⁹ depoſuit, dum precium exhibet, & debitum ſoluit. Arra autem non eſt aliud à re pro qua datur, nec redditur, quia datur de ipſo precio dotis videlicet ſpōſæ, quod nō eſt auferendum, ſed potius complendum, *Sic er-*

go *Spiritus ſanctus* (concludit D. Thom. in dicta lectio. 5.) *dicitur Arra per reſpectum ad ea, quæ manent in patria, pignus vero per reſpectum ad ea, quæ euacuabuntur*, ideſt per reſpectum ad fidem, & ſpem, quæ euacuabuntur in patria, dicitur pignus, quia ibi non permanebit in beatis, vt ſpiritus fidei, vel ſpei per reſpectum vero ad gratiam adoptionis, charitatem, & viſionem beatificam dicitur Arra, quia ibi permanebit vt ſpiritus gratiæ adoptionis, vt ſpiritus charitatis, & viſionis: vnde Abbas Paſchaſius in tractatu de corpore, & ſanguine Chriſti, Spiritum Sanctum pignus Eccleſiæ appellat dicens: *Nihil Chriſtus Eccleſiæ ſuæ maius aliquid in myſterio reliquit quam hoc, ſcilicet Euchariſtiæ, baptiſmi que Sacramentum, nec non & Scripturas Sanctas, in quibus omnibus Spiritus Sanctus, qui pignus totius Eccleſiæ eſt, interius myſtica ſaluus noſtræ ad immortalitatem operatur*, quia nimirum Spiritus Sanctus in Euchariſtia, adeſt tanquam author Pacis, & vnitatis, quæ eſt effectus huius Sacramenti: in baptiſmo vero aſsiſtit, tanquam author ſpiritualis regenerationis: & tandem in Scripturis Sanctis aſsiſtit tanquam Doctor, Magiſter, Paracletus, & animarum conſolator, docens ac reuelans myſteria ſuper naturalia, quæ immortalem vitam pollicentur

13 Proſequens quæ Apoſtolus laudes Spiritus Sancti in dicto teſtimonio ſubdit: *In redemptionem acquiſitionis*, ideſt vt legit Caietan. qui eſt pars precij in redemptionem acquiſitionis hæreditatis noſtræ, vel vt interpræatur Diu. Thom. qui eſt Arra ad plene emendum adquiſitam hæreditatem noſtram, vel tertio, in redemptionem acquiſitionis, vt ſimus populus acquiſitus Deo, per redemptionem, iuxta illud 1. Petri 2. *Gens ſancta, populus acquiſitionis*, hoc eſt, ſpecialiter acquiſitus per redemptionem, ſiue titulo emptionis, quo denotat Paulus opus redemptionis etiã tribui Spiritui Sancto, non quidem vt redẽptori, quia ſic ſolius eſt Chriſti opus, ſed vt conſumatori redemptionis: & merito quidem inſignum huius veritatis teſtatur Edmundus Archiepiſcopus Cantuaren. in ſuo ſpeculo Eccleſiæ, cap. 22. *Spiritum Sanctum in die Pentecoſtes in linguis, & igne ſupra Apoſtolos aduenisse, vt eſſent abundantes in ſermone, & ardentes in amore.*

Nec non vt conuenienter compleretur redemptio à peccati captiuitate, quæ per ſerpentis linguam, & frigidum venenum intrauit. *Et iſta fuit* (ait ille) *certa prouidentia Dei noſtri, quia duobus modis venit malignus Spiritus ad hominem decipiendum in Paradiſo, ſcilicet per malum incitamentum ſuæ linguæ, & per frigiditatem ſui veneni, & ideo venit Spiritus Sanctus in lingua contra incitamentum Diaboli, & igne ad deſtruendum frigiditatem ſui veneni*, & tandem ſubdit Apoſtol. *In laudem gloriæ ipſius*, vt denotaret finem miſionis, & aduentus Spiritus Sancti, eſſe laudem, ſiue gloriam Dei, & Chriſti redemptoris: quaſi Spiritus Sanctus totus ſe occupauerit in promouendo gloriam Dei, & Chriſti, ſuæ veluti oblitus, ſic enim fuit promiſſus à Chriſto, Ioann. 15. *Cum venerit Paraclitus, qui à patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me*, vt ſic nobis præberet exemplum quærendi non propriam, ſed ſolius Dei gloriam.

14 Neque tamen ita fuit datus in lege gratiæ de nouo, vt nullatenus fuerit miſſus, ac datus in lege antiqua: ſiquidem Dauid Pſalm. 50. Spiritum ſanctum poſtulat à Deo, non ſemel, aut iterum dicens: *Ne proijcias me a facie tua, & Spiritum Sanctum ne auferas à me. Cor mundum crea in me Deus, Spiritum rectum innoua in viſceribus meis, redde mihi lætitiam ſalutaris tui Spiritu principali confirma me.* Sed quia cum maiori plenitudine in hac lege cõmunicatur, & in dictos effectus à Paulo declaratos magis ſe explicuit, proprius dicitur, huius legis, vtpote in qua viget gratia Chriſti redẽptoris, & viſibilis miſſo in apparatu ignis, & linguarum fuit exhibita, quæ olim fuerat præfigurata: in vtraque ergo lege, & ſtatu fuit gratia adoptiua, & ſpiritus adoptionis, ſed in noua viſibiliter mittendus, & cum maiori plenitudine communicandus.

Dubium

Digitized by Google

Dubium quartum eſt : An Chriſtus vt homo ſit filius Dei adoptiuus, & qua certitudine tenenda ſit ſententia negatiua?

Proponitur opinio affirmans Chriſtum eſſe filium Dei adoptiuũ.

15 IN hoc dubio duæ verſantur ſententiæ prima affirmans eſt, quam poſt Fælicem, & Elypandum Neſtoriano errore infectos, aſſerentes Chriſtum, vt hominem eſſe filium Dei adoptiuum, ſicut & ſeruum propter diſtinctionem ſuppoſiti, ex Catholicis ſequntur Durandus in 3. diſtin. 4. quæſt. 1. Baſſolis ibidem, quæſt. vnica art. 2. & Scotus diſtin. 10. quæſt. 1. & Ricardus ibidem artic. 2. quæ. 1. etiam ſeruata vnitate ſuppoſiti. Ex quibus duo priores abſolute tenent Chriſtum, vt hominem, etiam eſſe filium Dei adoptiuum licet ratione ſuppoſiti ſit filius Dei naturalis: duo autem poſteriores ſolum deffendunt hanc ſententiam, vt probabilem dicentes poſſe appellari Chriſtum filium Dei adoptiuum ſecluſſo ſcandalo, & periculo ſuſpitionis conueniendi cum errore Neſtoriano.

Quorum fundamenta ad hæc tria reduci poſſunt, primum deſumitur ex diffinitione, & conditionibus adoptionis, quę colliguntur ex iuris peritis in l. 1. & l. 2. ff. de adoptionibus: nimirum, quod adoptio humana ad cuius ſimilitudinẽ fit adoptio diuina eſt extraneæ perſonæ ad hæreditatem voluntaria aſſumptio: ex qua diffinitione colliguntur tres conditiones adoptionis.

Prima eſt, vt adoptatus ſit perſona extranea reſpectu adoptantis, eo quod debet carere eo gradu coniunctionis ad quẽ adoptatur: ſiquidem filiatio adoptiua opponitur naturali.

Secunda eſt, vt adoptio fiat gratis, & voluntarie omnino, alioquim ſi fieret ex debito potius eſſet ſolutio, vel reſtitutio, vel contractus venditionis, quam contractus adoptionis.

Tertia eſt, vt ille qui adoptatur acceptet adoptionẽ per ſe, ſi habeat vſum rationis, vel per aliũ ſub cuius poteſtate eſt ſi careat vſu rationis: & ideo quædam ſpecies adoptionis dicitur adrrogatio, quia adoptans interrogatur, an vellit iſtum in filium aſſumere, & adoptatus interrogatur, an vellit adoptioni cõſentire, &c. ſed Chriſto, vt homini conueniunt huiuſmodi diffinitio, & conditiones adoptionis: ergo. Minor patet, quia ratione gratiæ habitualis fuit acceptus, & admiſſus à Deo ad ad hæreditatem bonorum cœleſtium iuxta illud ad Hæbreos 1. *Quem conſtituit hæredem vniuerſorum*, quæ acceptatio, & admiſſio non erat illi debita, ſed gratuito, & voluntarie fuit illi collata per gratiam habitualem per quam datum fuit illi ius ad huiuſmodi bona cœleſtia percipienda, & aliàs ratione humanitatis eſt extraneæ naturæ à Deo adoptante: ſiquidem ratione illius eſt minor Patre, & ſeruus Dei, vt dictum eſt: & tandem conſenſit adoptioni, quia à principio Incarnationis, & huiuſmodi aſſumptionis fuit mentis compos, & ſui iuris, atque liberi arbitrij, & particeps vſus rationis: ergo.

Secundum deſumitur ex vnitate gratiæ habitualis Chriſti cum noſtra: nam cui conuenit forma eiuſdem rationis, pariter & effectus formales eiuſdem rationis à tali forma prouenientes debent conuenire: ſed Chriſtus vt homo fuit iuſtificatus per gratiam habitualem eiuſdem rationis, cum noſtra: ergo debent ei conuenire effectus formales eiuſdem rationis cum illis, quos nobis tribuit gratia habitualis.

Tunc vltra, ſed vnus ex his effectibus eſt filiatio adoptiua, & ius & acceptio ad cœleſtem hæreditatem, quem per gratiam habitualem habemus: ergo & hunc effectum formalem debet communicare Chriſto eius habitualis gratia: minor eſt certa, & conſequentia patet, quia formam in quocumque ſubiecto capaci ipſius, cõmittantur ex natura rei, & ex lege ordinaria inſeparabili omnes eius effectus formales, etiam ſecundarij, vt inductione in alijs formis naturalibus probari poteſt.

Tertium deſumitur ab exemplo: nam Chriſtus vt homo habet quidquid haberet Spiritus Sanctus, ſi humanitatem aſumeret; ſed Spiritus Sanctus, data hac hypoteſi, eſſet filius Dei adoptio-

adoptiuus: ergo & Chriſtus. Minor patet quia Spiritus ſanctus: tunc eſſet filius Dei, vtpote quia eſſet dilectus à Deo, & acceptatus ad hæreditatem diuinam, atque haberet verum ius, tanquam verus hæres neceſſarius: ergo eſſet filius Dei, & aliàs non eſſet naturalis, vtpote quia non eſſet Verbum Patris: ergo eſſet filius Dei adoptiuus.

16 Secunda ſententia eſt negatiua, quam communiter tuentur Theologi cum D. Thoma in hoc art. & cum Magiſtro, & Bonauent. in 3. diſtinct. 10. vt Caiet. ſupr. quæſt. 16. art. 11. Suarius diſputat. 49. ſect. 2. & 3. Vazquius diſput. 86. cap. 5. & 6. Aluarez diſput. 75. Lorca diſput. 84. membr. 2. & 3. Cabrera diſput. 1. & 2. Ranguſſa diſputat. 28 & 29. & 30. Medin. Puteanus, & Sylnius in expoſitione huius artic. 4. qui Authores in explicando gradum certitudinis huius ſententiæ negantis Chriſtum vt hominem eſſe filium adoptiuum Dei diuiduntur in quatuor modos dicendi.

Alij enim de quorum numero ſunt Vazquius, & Aluarez dicunt hanc aſſertionem, non ſolum prout negat in Chriſto filiationem adoptiuam ratione ſuppoſiti creati, ſed etiam prout eam denegat ratione humanitatis aſſumptæ ſeruata vnitate ſuppoſiti (vt volebant Elipandus, & Fælix) eſſe certam, ſecundum fidem, eo quod diffinita fuerit in hoc ſenſu in Concilio Francofordienſi, ſub Adriano I. & oppoſita ſenten. damnata.

Alij vero de quorum numero eſt, Suar. ſect. 3. Ranguſſa diſput. 30. Lorca vbi ſupra exiſtimant eſſe certam, ſecundum fidem prout procedit, contra Neſtorianos, non tamen prout procedit contra Durandum, & Scotum ſic enim tantum eſſe certam, vt oppoſitum ſit temerarium, & improbabile.

Alij cum Medina quæſt. 24. artic. 10. dub. 3. concluſi. vlt. dicunt illam in hoc ſenſu ſcilicet ſeruata vnitate ſuppoſiti eſſe falſam, ſed non improbabilem.

Alij cum Cabrera diſput. 2. volunt illam in hoc ſenſu eſſe certã, ita vt oppoſitum ſit erroneum, & fere hæreticum, pro cuius ſententiæ declaratione.

Præfertur ſententia negans filiationẽ adoptionis in Chriſto.

Dico primo, Chriſtus vt homo, ſiue ſpecificatiue, ſiue reduplicatiue, non eſt filius Dei adoptiuus.

Hæc cõcluſio ſtatuitur aduerſus Authores prioris ſententię, & probatur primo: nam Chriſtus, vt homo eſt Filius Dei naturalis: ergo non adoptiuus, conſequẽtia eſt nota, quia iſtæ filiationes ſunt incõpatibiles in eodem ſubiecto, & reſpectu eiuſdem propter oppoſitas conditiones, quibus gaudent, & antecedens probatur tripliciter.

Tum, quia expreſſe aſſeritur à Diu. Thom. in ſolutione ad ſecundum.

Tum etiam, quia colligitur ex illo ad Hæbreos 1. *Nouiſsime in diebus iſtis loquutus eſt nobis in filio*, & cap. 3. *Moyſes quidem fidelis erat in tota domo eius, tanquam famulus, &c. Chriſtus autem tanquam filius in domo ſua*, in quorum altero teſtimonio, Paulus contra ponit Chriſtum antiquis Prophetis, & Patribus: in altero vero contraponit illum Moyſi Dei famulo, quia illi nimirũ erant filij Dei adoptiui, Chriſtus autem Filius Dei naturalis: atque ex illo Matth. 16. *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, hoc eſt filius Dei naturalis: & quod loquatur Petrus de Chriſto, vt homine, patet, ex præmiſſa interrogatione Chriſti ad diſcipulos *quem dicunt homines eſſe filium hominis*, &c. & ex illo ad Roman. 8. *Qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*, certum autem eſt quod non fuit traditus ſecundum diuinitatem, ſed ſecundum humanitatem, ſecundum quam etiam intelligitur illud Ioann. 10. *Quem pater ſanctificauit, & miſit in mundum dicitis, quia blaſphemat, quia dixi, filius ego ſum Dei*: ex quibus locis probat Adrianus 1. in epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, quæ habetur in Concilio Francofordienſi Chriſtum eſſe Filium Dei naturalem, & & non adoptiuum.

Tum denique quia Chriſtus inquantum homo per gratiam vnionis eſt ſanctus, & gratus gratitudine ſubſtantiali & perſonali, vtpote quia per illam effectum eſt, vt humanitas aſſumpta ſit verè, & propriè natura ſubſtantialis ipſius Filij Dei naturalis: ergo ex vi eiuſdem vnionis habet ius proprium, & intrinſecum ad ſuſcipiendam cœleſtem hæreditatem, ac proindè vt ſic eſt hæres, & filius naturalis.

Secundo probatur ex diffinitione aſsignata filiationis adoptiuæ, quia nimirum hæc petit ſubiectum, quod ſit extraneum à natura adoptantis, ideſt quod non habeat conuenientiam in natura propria adoptantis, in ſoloque affectu cum il-

lo

lo conueniat, & quod ei non ſint debita dona, ad quæ per adoptionem acceptatur, ſed omnino gratuita: atqui Chriſtus vt homo neque eſt extraneus à natura Dei, ſiquidẽ, vt ſic includit ſuppoſitum diuinũ: neque dona ſupernaturalia ad vnionem conſeçuta ſunt ei omnino gratuito collata, ſed potius ei ſunt debita ratione vnionis: ergo nullatenus poteſt eſſe filius adoptiuus.

17 Tertio probatur: ratione qua vtitur Diu. Thom. ſub hac forma: filiatio adoptionis ſicut & naturalis propriè reſpicit perſonam, & non naturam. Perſona enim eſt, quæ generatur, & adoptatur, & non natura: ſed perſona Chriſti eſt incapax filiationis adoptiuæ reſpectu Dei, eo quod eſt perſona diuina: ergo etiã Chriſtus, vt homo etiam reduplicatiue eſt incapax ſuſcipiendi talem filiationem.

Vltimo probatur ſatisfaciendo duabus obiectionibus: quarum prima deſumitur ex Diu. Thom. ſupra quæſt. 16. artic. 11. aſſerente Chriſtum in quantum hominem reduplicatiuè non eſſe Deum, bene tamen ſumendo ly in quantum ſpecificatiuè: ergo neque in quantum homo reduplicatiue erit filius Dei naturalis: à negatione enim Deitatis bene ſequitur negatio cuiuſcumque diuinæ perſonalitatis: quod enim non eſt Deus, neque poteſt eſſe Pater diuinus, Filius, aut Spiritus ſanctus.

Secunda deſumitur ab inconuenienti, nimirum quia alias in Chriſto eſſet triplex filiatio, vna quidem humana fundata in humana generatione per quam Chriſtus refertur ad matrem Virginem: alia verò diuina fundata in æterna generatione per quam Chriſtus ratione ſuppoſiti refertur ad patrem gerantem ad intra; & tandem alia fundata in actione vnitiua ſiue aſſumptiua, qua tota Trinitas ſanctificauit humanitatem Chriſti gratia vnionis hypoſtaticæ per quam Chriſtus ratione vnionis refertur ad totam Trinitatem, vt ad operantem, & ſanctificantem ad extra: quod tamen non eſt admittendũ, ſicut neque quod Chriſtus, vt homo ſit filius naturalis totius Trinitatis, aut ſui ipſius, aut Spiritus ſancti, quod eſt abſurdum: ergo.

Sed primæ obiectioni ſatis fit negando conſequentiam, quia licet ſub illa reduplicatione, vt homo, Chriſtus non ſit Deus, tamẽ optimè ſtat quod ſit Filius Dei naturalis ſub eadem reduplicatione, non quidem per eſſentiam, aut per æternam generationem, ſed tantum per gratiã vnionis.

Secundæ autem fit ſatis negando ſequelam, quia propter duas generationes æternam & temporalem humanam Chriſti, duę tantum in illo admittendæ ſunt filiationes naturales: quarum altera, ſcilicet diuina eſt relatio realis ad Patrem generantem ad intra; altera vero, ſcilicet humana eſt relatio rationis ad matrem, teſte D. Thom. infra quæſt. 35 art. 5. in illa vero tertia actione qua tota Trinitas produxit vnionem hypoſtaticam humanitatis ad Verbũ, non fundatur vera filiatio, ſicut neque illa eſt vera generatio: fundatur tamen preter relationem vnionis, qua extrema denominatur vnita, alius reſpectus rationis quo humanitas aſſumpta, & Chriſtus, vt homo refertur ad totam Trinitatẽ vt ad ſanctificantem, & vnientem actiuè, cum quo reſpectu rationis aſſociata perſonalitas Verbi ſimul conſtituit, & denominat Chriſtum vt hominem Filium Dei naturalem ratione vnionis, eo quod per hãc vnionem conſtituitur hic homo hæres diuinæ hereditatis, & Beatitudinis, quę tamen perſonalitas ſecundum ſe, vt filiatio æterna conſtituit Chriſtum ratione ſuppoſiti, Filium Dei naturalem per eſſentiam.

18 Dico ſecundo. Hæc aſſertio, Chriſtus vt homo eſt filius Dei adoptiuus in ſenſu, in quo id ab Elypando, & Felice aſſirmabatur eſt hæreſis Neſtoriana. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus auctores primi modi, ſcilicet Vazquium, & Aluarez aſſerentes Elypandum non re ipſa, niſi tantum verbis in errorem neſtorianum incidiſſe, ac proinde nec eius ſententiam in ſenſu Neſtorij damnatam fuiſſe à Concilio Francofordiæ: quod conatur Vazquius ſuadere pluribus argumentis, & ſignis à poſteriori; quæ vnico ictu iugulantur; quia nulli firmo fundamẽto, aut auctoritati innituntur; ac proinde qua facilitate proponuntur eadem, & à nobis reijciuntur: magiſque credendum eſt teſtimonijs hiſtoriographorum adductis à Suario ſect. 3. qui teſtantur Concilium Francofordienſe congregatum fuiſſe; tũ ad ſtabiliendam doctrinam de adoratione & cultu imaginum. Tum etiam ad damnandum errorem Elypandi & Felicis, qui

non

nõ ſolũ verbis, ſed reipſa fuere Neſtorian.

De quorum numero ſunt D. Antoninus 2. part. tit. 14. cap. 1, §. 6. Ionas Aurelianenſis libr. 1. de cultu imaginum, Sigisbertus in ſuo chronico anno 793. & Nauclerus generatione 27. quo ſuppoſito oſtenditur concluſio hac ratione. Hæreſis Neſtoriana eſt, quę admittit duo ſuppoſita in Chriſto alterum creatum, & alterum diuinum, ſed talis fuit ſententia Elypandi, & Felicis aſſerentium Chriſtum eſſe filium adoptiuum ratione ſuppoſiti creati: ergo fuit hæreſis Neſtoriana, ac proinde ſufficienter damnata ab Eccleſia in Concilio Epheſino congregato contra Neſtorium, & in Francofordienſi congregato contra Elypandum, ſub Adriano 1.

Inuritur erroris nota primæ opinio Durãdi, & Scoti

19 Dico tertio. Hæc aſſertio, *Chriſtus vt homo eſt Filius adoptiuus*, ſeruata vnitate ſuppoſiti, non ſolum eſt falſa, improbabilis, & temeraria; ſed eſt errori proxima, & ſapiens hæreſim, Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus Auctores ſecundi, & tertij modi, & pro auctoribus quarti modi explicãdi gradũ huiuſmodi certitudini.

Et probatur primo: ſupponendo præfatum Concilium Francofordiẽſe fuiſſe generale ferè 300. Epiſcoporum, congregatum ab Adriano primo Præſidente in illo per ſuos legatos cum ſpeciali inſtructione, vt conſtat per eius Epiſtolam decretalem ad inſtantiam Caroli Magni, à quo ipſe Elypandus poſtulauit, vt faceret Concilium congregari ad ſuæ doctrinę approbationem obtinendam, cuius exẽplar inuidi hæretici cultum imaginum abhorrẽtes, occultarunt, quod proinde per multa tempora latuit in Eccleſia: ita vt primus, qui huius Concilij exemplar inuenit, & typis mãdauit ann. 1567 fuit Laurentius Surius antiquorum exemplarium Conciliorum diligentiſsimus indagator, ex quo tempore iam acta huius Concilij in tomo tertio Conciliorum immediatè poſt ſecundum Concilium Generale Nicenum continentur, & ab Eccleſia fuerunt recepta, tamquam orthodoxi Concilij alioquim non permitteret Eccleſia inter aliorum Conciliorum acta legitima illa euulgari.

Quo ſuppoſito probatur primo noſtra concluſio, in præfato Concilio non ſolum fuit damnatum quod Chriſtus ſit filius adoptiuus Dei ratione ſuppoſiti creati in ſenſu Elypandi, ſed etiam ratione humanitatis, & ſeruata vnitate ſuppoſiti in ſenſu Durandi & ſequatium: eo quod mos eſt Conciliorum errorem contra quẽ per ſe primo congregãtur verbis vniuerſalibus damnare, vt nedum talis error, ſed etiam quiuis alius modus dicendi cum tali errore habens conuenientiam maneat refutatus, iuxta quem morem vbi abundauerat delictum Elypandi aſtruentis Chriſtũ eſſe ſilium adoptiuum ratione ſuppoſiti creati, ſuperabundauit gratia Cõcilij Francofordienſis damnantis concomitanter illam propoſitionem, nedum in ſenſu Elypãdi, ſed in quocunque alio aſſerta fuerit à Patribus ſiue à Theologis: ergo cum diffinitio dicti Concilij, vtpotè generalis, & orthodoxi ſit ſufficiens regula fidei, conſequens eſt talem propoſitionem etiam in ſenſu Durandi eſſe contra fidem, vtpotè in tali Concilio damnatam: quamuis ipſe Durandus ob ignorantiam inuincibilem dicti Concilij tunc temporis nondum euulgati excuſandus ſit à culpabili errore.

20 Secundo probatur arguendo ad hominẽ contra Suarium: quia ſi diffinitio huius Concilij non eſſet ſufficiens regula fidei, maximè quia vel hucuſque nõ conſtat de eius verò exemplati, vel quia nõ conſtat cõformitas huius trasũpti euulgati cũ eius antiquo & verò exẽplari, vel quia ob defectũ antiquitatis tẽporis hoc trãſumptum non acquiſiuit ſufficiẽtem auctoritatem ad regulam fidei.

Ob quas tres rationes mouetur Suarius: ſed nulla illarum obſtat: non prima, neque ſecunda, quia eiſdem rationibus deficeret auctoritas, & regula fidei in reliquis Concilijs Generalibus, vtpotè de quorum exemplaribus, aut eorum conformitate cum illis non magis nobis conſtat, quam quod inter acta aliorum Conciliorũ aprobata euulgentur & communi traditione ab Eccleſia recipiantur.

Neque tertia, quia Concilium Generale ſequens in ſuis diffinitionibus ſpecialem inſtructionem Pontificis: aut eius ſuperuenientem confirmationem recipiẽs, ſtatim & ſine vlla mora temporis incipit eſſe ſufficiens regula fidei; vt idem Suarius docet 2. 2. diſputat. 5, ſection. 7. ergo cum Concilium Francofordienſe Generale fuerit, & ſeruans in hac diffinitione ſpecialem inſtructionem per epiſtolam Adriani primi: vbi primum notum fuit Eccleſiæ, abſque conditione antiquitatis eſt ſufficiens regula fidei.

Tertio, quia illa propoſitio eſt pro-

xima

xima errori & ſapiens hæreſim, teſtè eodem Suario 2. 2. diſputat. 19. ſect. 2. ex qua infertur aliqua hæreſis non per euidentem (alioquin erronea omnino eſſet) ſed per probabilem conſequentiam. Atqui ex hac propoſitione Durandi, Chriſtus vt homo eſt filius Dei adoptiuus, ſequitur per ſatis probabilem conſequentiam hæreſis Neſtoriana, in quam Elypādus lapſus fuit: nam cum filiatio adoptiua reſpiciat ſuppoſitum alienę naturæ: ſi Chriſtus vt homo eſſet filius Dei adoptiuus, ſatis probabiliter colligeretur illum habere ſuppoſitum creatum ratione cuius eſſet filius Dei adoptiuus: ergo.

Ad primum autem in contrarium reſpondetur negando minor. quia neutra ex duabus prioribus conditionibus adoptionis conuenit Chriſto, non prima quia ius & acceptatio ad gloriam ſicut & gratia habitualis debentur illi ratione vnionis, & non ſunt ei omnino gratuito collata, vt dictum eſt.

Neque ſecunda, quia non ſolum natura filij adoptati debet eſſe extranea à natura adoptantis, ſed etiam ſuppoſitum: quod per ſe primo reſpicit adoptio: ſuppoſitum autem in Chriſto non eſt extraneum à natura diuina, licèt habeat humanitatem, quæ natura extranea eſt à Diuinitate.

Ad ſecundum reſpondetur iuxta dicta ſuperius quæſtion. 7. articul. 1. diſtinguendam eſſe maiorem; quo ad effectum primarium, vel ſecundarium gratiæ habitualis, & negando vltimam conſequentiam, quia poteſt gratia habitualis ſine filiatione adoptiua quæ eſt eius effectus ſecundarius reperiri in Chriſto.

Ad tertium nego minorem, nam data illa hypotheſi, Spiritus ſanctus licèt eſſet hæres neceſſarius hæreditatis diuinæ, adhuc non eſſet filius adoptiuus, nec naturalis, eoquod latius patet etiam in humanis hęres neceſſarius quam filius, vt patet in hæredibus neceſſarijs vocatis ad aliquem maioratum, ſeu primogenituram.

(5)

QVAE-

Digitized by Google

QVAESTIO XXIIII.

De prædeſtinatione Chriſti, in quatuor articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Chriſto conueniat prædeſtinatum eſſe?

1.diſ.40. q.2.co.fi. & ad 5. & 3.d.7. q.3.a.2. q.2.& q 3.a.2.q. 3. & 4. contr.c.9 ad 2. & Ro.1.tib. 3.col.4. * q.præc. ar.2. p.p q.23. ar.5.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod Chriſto nõ conueniat prædeſtinatum eſſe. Terminus enim prædeſtinationis videtur eſſe adoptio filiorum, ſecundum illud Epheſ.1. Prædeſtinauit nos in adoptione filiorum. Sed Chriſto non conuenit eſſe filiũ adoptiuum: vt dictũ eſt*. Ergo Chriſto non conuenit prædeſtinatum eſſe.

2 Præterea. In Chriſto duo eſt conſiderare, ſcilicet naturam humanam, & perſonam. Sed non poteſt dici, quod Chriſtus ſit prædeſtinatus ratione humanę naturæ, quia hæc eſt falſa. Humana natura eſt filius Dei. Similiter etiam neque ratione perſonæ, quia illa perſona non habet ex gratia, quod ſit filius Dei, ſed ex natura: prædeſtinatio autem eſt eorum quæ ſunt ex gratia, vt in prima parte dictum eſt*. Ergo Chriſtus non eſt prædeſtinatus Filius Dei.

3 Præterea. Sicut illud quod eſt factum, non ſemper fuit: ita & illud quod eſt prędeſtinatum, eoquod prædeſtinatio anteceſsionem quandam importat. Sed quia Chriſtus ſemper fuit Deus, & Filius Dei, non proprie dicitur, quod homo ille ſit factus filius Dei. Ergo pari ratione non debet dici, quod Chriſtus ſit prędeſtinatus filius Dei.

Sed contra eſt, quod Apoſtolus dicit Rom.1. de Chriſto loquẽs, Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut patet ex his, quę in prima parte dicta ſunt*, prędeſtinatio proprie 1.p.q.23 a.1.& 4.
accepta, eſt quędam diuina pręordinatio ab æterno, de his quę per gratiam

tiam Dei ſunt fienda in tempore. Eſt autem hoc in tempore factum per gratiam vnionis à Deo, vt homo eſſet Deus, & Deus eſſet homo. Nec poteſt dici, quôd Deus ab æterno non præordinauerit hoc ſe facturũ in tempore: quia ſequeretur, quod diuinæ menti aliquid de nouo accideret. Et ideò oportet dicere, quod ipſa vnio naturarũ in perſona Chriſti cadat ſub æterna Dei prædeſtinatione, & ratione huius, Chriſtus dicitur eſſe prædeſtinatus.

Ad primum ergo dicendum, quôd Apoſt. ibi loquitur de prædeſtinatione, qua nos prædiſtinamur vt ſimus filij adoptiui. Sicut autem Chriſtus ſingulari modo præ alijs eſt Dei filius naturalis: ita quodam ſingulari modo eſt prædeſtinatus.

Ad ſecundum dicendũ, quod ſicut dicitur in gl.* Rom. 1. quidam dixerunt prædeſtinationem intelligendam eſſe de natura, non de perſona, quia ſcilicet humanæ naturæ facta eſt hæc gratia, vt vniretur filio Dei in vnitate perſonæ. Sed ſecundum hoc, locutio Apoſtoli eſt impropria, propter duo. Primo quidẽ ratione communi Non enim dicimus naturam alicuius prædeſtinari, ſed ipſum ſuppoſitum: quia prędeſtinari eſt dirigi in ſalutem, quod quidem eſt ſuppoſiti agentis propter beatitudinis finem. Secundo ratione ſpeciali: quia eſſe filium Dei, non conuenit humanę naturæ; eſt enim hæc falſa, humana natura eſt filius Dei, niſi forte quis velit ſic exponere extorta expoſitione, qui prędeſtinatus eſt filius Dei in virtute, ideſt prædeſtinatum eſt, vt humana natura vniretur filio Dei in perſona. Relinquatur ergo, quod prædeſtinatio attribuatur perſonæ Chriſti, non quidem ſecundum ſe, vel ſecundũ quod ſubſiſtit in diuina natura, ſed ſecundum quod ſubſiſtit in humana natura. Vnde cum dixiſſet Apoſtolus, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem, ſubiunxit, qui prędeſtinatus eſt filius Dei in virtute: vt daret intelligere, quod ſecundum hoc, quod eſt factus ex ſemine Dauid ſecundum carnem, eſt prædeſtinatus filius Dei in virtute. Quamuis enim ſit naturale illi perſonę ſecundum ſe conſideratæ, quod ſit filius Dei in virtute: non tamen eſt ei naturale ſecundum humanam naturam, ſecundum quam hoc ſibi conuenit per gratiam vnionis.

gl. ord. ſuper illud, Qui prædeſtinatus eſt filius Dei.

Ad tertium dicendum, quod Origenes ſuper Epiſtolam ad Rom.* dicit hanc eſſe litteram Apoſtoli, qui deſtinatus eſt filius Dei in virtute: ita quod non deſignetur aliqua antecesſio: & ſic nihil habet difficultatis. Alij uero antecesſionem, quę deſignatur in hoc participio, prædeſtinatus, referunt, non ad illũ quod eſt eſſe filium Dei, ſed ad eius manifeſtationem: ſecundum illum conſuetum modum loquendi in ſcripturis, quo res dicuntur fieri, quando innoteſcunt: vt ſit ſenſus, quod Chriſtus prædeſtinatus eſt manifeſtari filius Dei. Sed ſic non proprie prædeſtinatio accipitur: nam aliquis dicitur proprie prædeſtinari ſecundum, quod dirigitur in finem beatitudinis: beatitudo autem Chriſti non dependet ex noſtra cognitione. Et ideo melius dicendum eſt, quod illa antecesſio, quam importat hoc participium, prædeſtinatus, non refertur ad perſonam ſecundum ſe ipſam; ſed ratione humanæ naturæ: quia ſcilicet perſona illa, etſi ab ęterno fuerit filius Dei, hoc tamen non fuit ſemper, quod ſubſiſtens in natura humana, fuerit filius Dei. Vnde Auguſtinus dicit in lib. de prædeſtinatione Sanctorum,* prædeſtinatus eſt Ieſus, vt qui futurus erat ſecundum carnem filius Dauid; eſſet ta-

Ad Rom. 3. ſuper illud verbum Pauli; tom. 3.

cap. 15. a me, tom. 7.

men

men in virtute filius Dei.

Et eſt conſiderandum, quod licet hoc participium prędeſtinatus, importet anteceſsionem, ſicut & hoc participium factus: aliter tamen & aliter Nam fieri pertinet ad ipſam rem, ſecundum quod in ſe eſt præ-deſtinari autem pertinet ad aliquem ſecundum quod eſt in apprehenſio-ne alicuius præordinantis. Id autem quod ſubeſt alicui formę, & naturæ ſecundum rem, poteſt apprehendi, vel prout eſt ſub forma illa, vel etiã abſolute. Et quia abſolute non conuenit perſonę Chriſti, quod in-ceperit eſſe filius Dei, conuenit au-tem ei, ſecundum quod intelligitur vel apprehenditur vt in natura huma na exiſtens (quia ſcilicet hoc aliquã-do incepit eſſe, quod in natura hu-tura humana exiſtens eſſet filius Dei) ideo magis eſt hęc vera, Chriſtus eſt prædeſtinatus filius Dei, quam iſta, Chriſtus eſt factus filius Dei.

1 CONCLVSIO eſt affirmatiua, & certa, ſecundum fidem, quæ colligitur ex illo ad Rom, 1. *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute, &c.*

Deinde probatur hac ratione: prædeſtinatio, vt conſtat ex 1. part. quæſt. 23. eſt diuina ab æterno præordinatio eorũ, quæ per gratiam Dei ſunt in tempore facienda; ſed Deum eſſe hominem: & è contra eſt factum in tempore per gratiam vnionis, & ab æterno præordinatum à Deo, aliàs aliquid de nouo accideret mẽti diuinæ: ergo ipſa vnio duarum naturatum in Chriſto cadit ſub diuina prædeſtinatione, ratione cuius proinde Chriſtus dicitur prædeſtinatus.

ART. II.

Vtrum hæc ſit falſa, Chriſtus ſecundum quod homo, eſt prædeſtinatus eſſe filius Dei.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod hæc ſit falſa, Chriſtus ſecundum quod homo, eſt prædeſtinatus eſſe filius Dei. Hoc enim eſt vnuſquiſque ſecundum aliquod tẽ-pus, quod eſt prædeſtinatus eſſe, eo quod prædeſtinatio Dei non fallitur. Si ergo Chriſtus, ſecundũ quod homo, eſt prædeſtinatus eſſe filius Dei, videtur ſequi quod ſit filius Dei, ſecundum quod homo. Hoc autem eſt falſum. Ergo & primum. 3. d. 10. q. 1. ar. 1. q. 3. & 4. cõt. c. 9. ad 1.

2 Pręterea, illud quod conuenit Chriſto, ſecũdũ quod homo, cõ-uenit cuilibet homini, eo quod ipſe eſt vnius ſpeciei cum alijs hominibus. Si ergo Chriſtus, ſecundum quod homo, eſt prædeſtinatus eſſe filius Dei, ſequeretur quod cuilibet homini hoc conueniat. Hoc autem eſt falſum Ergo & primum.

3 Præterea, Hoc ab æterno prædeſtinatur, quod eſt aliquando fiendum in tempore. Sed magis hęc eſt vera, Filius Dei factus eſt homo, quam iſta, homo factus eſt filius Dei, vt ſupra habitum eſt. * Ergo q. 16. art.
magis hęc eſt vera, Chriſtus ſecun-dum quod eſt filius Dei, prędeſtinatus 6. & 7.

Digitized by Google

tus eſt eſſe homo, quam è conuerſo, Chriſtus ſecundum quod eſt homo, eſt prædeſtinatus eſſe filius Dei.

Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit in lib. de prædeſt. Sanct. * Ipſum dominum gloriæ, in quantum homo factus eſt Dei filius, prædeſtinatum eſſe dicimus.

cap. 15. à me. tom. 7.

Reſponpondeo dicendum, quod in prædeſtinatione duo poſſunt conſiderari. Vnum quidem ex parte ipſius prædeſtinationis æternæ: & ſecundum hoc importat anteceſſionem quamdam reſpectu eius, quod ſub prædeſtinatione cadit. Alio modo poteſt conſiderari ſecundum effectum temporalem, qui quidem eſt aliquod gratuitum Dei donum. Dicendum eſt ergo, quod ſecũdum vtrumque iſtorum attribuitur prædeſtinatio Chriſto, ratione ſolius humanæ naturæ. Nam humana natura non ſemper fuit Verbo vnita, & ei etiam hoc per gratiam eſt collatum, vt filio Dei in perſona vniretur. Et ideô ſolum ratione humanæ naturę prædeſtinatio competit Chriſto. Vnde Auguſt. dicit in lib de prædeſt. Sanct. * Prædeſtinata eſt iſta humanæ naturæ tanta, & tã celſa, & ſumma ſubuectio, vt quo attolleretur altius non haberet. Hoc autem dicimus conuenire alicui, ſecundum quod homo, quod ei conuenit ratione humanę naturæ. Et ideô dicendum eſt, quod Chriſtus ſecundum quod homo, eſt prędeſtinatus eſſe filius Dei.

c. 15. poſt me. tom. 7.

Ad primum ergo dicendum, quod cum dicitur, Chriſtus ſecundum quod homo, eſt prędeſtinatus eſſe filius Dei: hæc determinatio, ſecundum quod homô, poteſt referri ad actum ſignificatum per participium dupliciter. Vno modo ex parte eius quod materialiter cadit ſub prædeſtinatione: & hoc modo eſt falſa. Eſt enim ſenſus, quod prædeſtinatum ſit, vt Chriſtus ſecundum quod homo, ſit filius Dei, & in hoc ſenſu procedit obiecto. Alio modo poteſt referri ad ipſam propriam rationem actus, prout ſcilicet prædeſtinatio importat in ſui ratione anteceſsionem, & effectũ gratuitum. Et hoc modo conuenit Chriſto ratione humanæ naturę, vt dictum eſt. * Et ſecundum hoc dicitur prædeſtinatus, ſecundum quod homo.

In corp. art.

Ad ſecundum dicendum, quod aliquid poteſt cônuenire alicui homini ratione humanæ naturæ, dupliciter. Vno modo ſic, quod humana natura ſit cauſa illius: ſicut eſſe riſibile conuenit Sorti ratione humanæ naturæ, ex cuius principijs cauſatur. Et hoc môdo prædeſtinari non conuenit, nec Chriſto, nec alteri homini ratione humanæ naturæ: & in hoc ſenſu procedit obiectio. Alio modo dicitur conuenire aliquid alicui ratione humanę naturæ, cuius humana nalura eſt ſuſceptiua, & ſic dicimus Chriſtum eſſe prædeſtinatum ratione humanæ naturæ, quia prædeſtinatio refertur ad exaltationem humanæ naturę in ipſo, vt dictum eſt. *

In cor. art. 3. d. 7. q. 3. a. 1. & 2. q. 2.

Ad tertium dicendum, quod ſicut Auguſt. dicit in lib. de Prædiſt. Sanctor. * Ipſa eſt illâ ineffabiliter facta hominis a Deo verbo ſuſceptio ſingularis, vt filius Dei, & hominis ſimul, & filius hominis propter ſuſceptum hominẽ, & filius Dei propter ſuſcipientem vnigenitum Deum veraciter, & proprie diceretur. Et ideo, quia illa ſuſceptio ſub prædeſtinatione cadit, tamquã gratuita: vtrumq; poteſt dici, ſcilicet quod & filius Dei prædeſtinatus ſit eſſe homo & filius hominis prędeſtinatus ſit eſſe filius Dei. Quia tamen gratia non eſt facta filio Dei vt eſſet homo, ſed potius humanæ naturæ, vt filio

† c. 15. à me. tom. 7.

Dei

Dei vniretur: magis proprie poteſt dici, quod Chriſtus ſecūdum quod homo, eſt prædeſtinatus eſſe filius Dei, quam quod Chriſtus ſecundū quod filius Dei, ſit prædeſtinatus eſſe homo.

2 CONcluſsio eſt negatiua, quæ ſuadetur. Tum ex Auguſtino lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 15. dicente: *Ipſum Dominum gloriæ in quantum homo factus eſt Dei filius, prædeſtinatum eſſe dicimus*, &c.

Secundo ratione; quia id conuenit Chriſto vt homini, quod ei conuenit ratione humanæ naturę: ſed illum eſſe prædeſtinatum in filium Dei eſt huiuſmodi, eo quod prædeſtinatio importat anteceſsionem eius quod cadit ſub prædeſtinatione & effectum temporalem ideſt donum gratuitum: quæ duo conueniunt Chriſto ſolum ratione humanitatis: ergo.

Circa quas concluſiones

Dubium vnicum eſt. Quodnam fuerit ſubiectum, ſiue obiectum & terminus prædeſtinationis Chriſti?

IN hoc dubio, ſuppoſitis his, quę in materia de prædeſtinatione art. 1. docuimus de ſubiecto, ſiue obiecto prędeſtinationis, hoc eſt de creatura, ſiue perſona prædeſtinata, & de termino ad quem prædeſtinationis: hoc eſt ad quem prædeſtinatus per prędeſtinationem tranſmittitur, atque de conditionibus ipſius prædeſtinationis in cōmuni: varia ſunt placita Theologorum in aſsignando ſubiecto & termino prædeſtinationis Chriſti in particulari, quæ congruentius per ſequentes concluſiones expendentur: igitur pro explicatione veritatis.

3 Dico primo abſulete, & ſimpliciter fatendum eſt Chriſtum eſſe prædeſtinatum.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus duas ſententias, quarum altera fuit Origenis ſuper illud ad Rom. 1. *Qui prædeſtinatus eſt, &c.* negantis Chriſtum eſſe vere, & proprie prædeſtinatum: eo quod ille prædeſtinatur, qui nondum eſt, quando prædeſtinatur, ſed Chriſtus ſemper fuit, iuxta illud ad Hæbr. vltim. *Ieſus Chriſtus heri, & hodie vſque in ſæculum*: ergo non vere poteſt dici de illo, quod fuerit prædeſtinatus, ſed ſolum quod fuerit deſtinatus, hoc eſt, manifeſtatus & declaratus filius Dei. Altera eſt Vazquij diſputatio. 91. cap 2. negantis Chriſtum abſolute, & ſine addito eſſe prædeſtinatum: eo quod Chriſtus abſolute, & ſine addito ſumptus accipitur pro ſuppoſito, quod eſt diuinū: ac proinde incapax, vt prædeſtinetur: ergo non poteſt verificari de illo, quod ſit prædeſtinatus; niſi cum addito denotante humanitatem, cui per ſe primo conuenit prædeſtinari, & ſuppoſito ratione illius: vt ſi dicamus Chriſtus inquantum homo aut etiam hic homo (oſtenſo Chriſto) eſt prædeſtinatus, quia per hæc nomina: *Chriſtus inquantum homo & hic homo*, importatur principaliter humanitas conotando ſuppoſitum. Sed noſtra concluſio eſt certa ſecundum fidem: ita vt oppoſitum abſque temeritate, & periculo errandi ſuſtineri non poſsit, quam defendunt communiter Scholaſtici cum Magiſtro 3. diſtin. 7. & Theologi cum Diu. Thom. in hoc art. 1. vt Alenſis 3. part. quęſt. 3. Medina in ſolutione ad ſecundum argumentum dub. 1. Suar. diſput. 50. ſect 2. Cabrer. ibi diſput. 1. concl. 3. Aluar. diſputat. 76. Lorca diſputat. 85. membr. 1. & Ranguſſa diſputatio. 31.

Et probatur primo, quia colligitur ex modo loquēdi Scripturæ, nimirū ex illo Paul. ad Rom. 1. vbi loquens de Chriſto ait ſine vllo addito ex parte ſubiecti, *qui prædeſtinatus eſt filius Dei*, quæ lectio cum ſit vulgatæ æditionis pro authentica, & catholica recipienda eſt iuxta decretum Concil. Tridentini Seſsion. 4. & ex illo 1. ad Corint. 2. *Loquimur Dei ſapientiā in miſterio, quā abſcondita eſt, quā prædeſtinauit*

ſtinauit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram: vbi abſolutè, & ſine addito concedit Dei Sapientiam, hoc eſt Chriſtum prędeſtinatam eſſe in gloriam noſtram, vnde ſtatim ſubdit, quam ſcilicet Dei Sapientiam, *Nemo principum huius ſæculi cognouit ſi enim cognouiſſent numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent,* &c. Et ex illo primæ Petri primo, vbi Chriſtus vocatur Agnus immaculatus præcognitus ante mundi conſtitutionem, manifeſtatus autem nouiſsimis temporibus, ideſt prædeſtinatus, ſiue prędinatus à Deo ab æterno, & in tempore manifeſtatus: ergo.

Secundo probatur nam Chriſtus ſignificat *ſubſiſtens in duabus naturis,* ſcilicet diuina, & humana, ſed hoc ipſum, quod Chriſtus ſubſiſtat in duabus naturis, & ex illis componatur, fuit ab æterno prędeſtinatum: ergo ſimpliciter debet Chriſtus dici prædeſtinatus. Maior ſupponitur, & minor probatur, quia quidquid fit in tempore ex gratia in electis, cadit ſub diuina prędeſtinatione, vt oſtendimus in dicta materia de prędeſtinatione articul. 2.

Sed huiuſmodi compoſitio duarum naturarum in Chriſto de nouo fuit facta in tempore, & ſecũdum gratiam, quia fuit omnino ſupra debitum, & leges naturæ, vt teſtatur Dionyſius capit. 2. de diuinis nominibus, dicens: *Ipſa IESV ſecundum nos diuina compoſitio, & ineffabilis eſt Verbo omni, & ignota menti omni, & ipſi primo digniſsimo Angelorum.* &c. Cũ tamẽ primus Angelus cõprehendat totã naturã vniuerſi, & infra, *quod eſt omnibus nobis magis nouum in naturalibus noſtris ſupernaturaliter erat, ſcilicet Chriſtus.*

Tertio, nam hæc vox *Chriſtus,* ſicut & Petrus de formali ſignificato, importat ſolam naturam humanam, ita vt ſignificet ſuppoſitum diuinum, vt ſubſiſtens in natura humana: ſed illud participium *prædeſtinatus,* ſignificat actum animi interiorem, nimirum præordinationem mentis diuinæ: ergo poſitum à parte prædicati appellat ſupra formale ſubiecti, & non ſupra materiale, niſi vt ſtat ſub formali: ergo in hac propoſitione, Chriſtus eſt prædeſtinatus ſit iſtę ſenſus: Chriſtus vt homo, vel ratione humanæ naturæ eſt prædeſtinatus ad aliquam gratiam, qui ſenſus eſt verus, quia Chriſtus vt ſic ſicut eſt minor patre, & illi ſubiectus, ita etiam eſt capax alicuius beneficij gratuiti præordinati à Deo, ac proinde eſt ſubiectum prædeſtinationis.

Prima autem conſequentia ex communi regula Dialecticorum patet. Ex quibus ſit ſatis fundamentis aduerſariorum. Ad fundamentum enim Origenis reſpondetur, quod Chriſtus non ratione ſuppoſiti diuini, aut diuinitatis ſecundum ſe, ſed ratione humanitatis eſt capax prædeſtinationis, quia vt ſic eſt poſterior duratione, & factus in tempore: præterquam quod ſententia Origenis poteſt benigne interpretari de Chriſto, non vtcumque, ſed accepto, & conſiderato ratione dicti ſuppoſiti. Ad fundamentum autem Vaſquij neganda eſt minor, quia licet ſuppoſitum diuinum ratione ſui ſit incapax prædeſtinationis, non tamen ratione humanitatis, quam hoc nomen Chriſtus importat de formali, vt dictum eſt.

4 Dico ſecundo: ſubiectum prædeſtinationis Chriſti neque eſt ſola humanitas in abſtracto ſignificata, neque ſuppoſitum filij Dei ſeorſum ſumptum, ſed eſt hic homo, ſiue Chriſtus, ſiue filius Dei in quantum homo, ideſt in quantum ſubſiſtens in natura humana.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus duas ſententias Theologorum. Quarum altera eſt Scoti, & Durandi, & Paludani in tertio diſt. 7. quæſt. 3. & Vaſquij hic diſputatione 90. cap. 3. aſſerentium ſubiectum prædeſtinationis Chriſti eſſe naturam humanam per ſe primo: eo quod vna ex conditionibus ad prædeſtinationem requiſitis eſt quod ſubiectum antecedat terminum prędeſtinationis, ſed huiuſmodi anteceſsionẽ non poteſt habere hic homo, vel ſuppoſitũ vt ſubſiſtens in natura humana reſpectu filij Dei naturalis, qui eſt terminus, ſeu finis huiuſmodi prædeſtinationis: ſiquidẽ in hoc ſubſiſtente includitur eſſe filium Dei: ergo ſola humanitas aſſũpta dicit huiuſmodi anteceſsionẽ: quatenus, ſcilicet prius ſecundum rationẽ intelligitur humanitas ſingularis, etiã connotando ſuppoſitũ vagè antequam intelligatur in hoc ſuppoſito determinato, ſcilicet filij Dei, quæ prioritas ſufficit in ſubiecto prædeſtinationis: eo quod prædeſtinatio eſt opus rationis. Rurſus deficit ſuppoſito ſubſiſtẽti in natura humana alia conditio ad ſubiectũ prædeſtinationis requiſita, nimirũ quod finis ad quẽ prædeſtinatur cõueniat illi ex gratia, & tandem deficit illi tertia cõditio: nimirũ quod in tẽpore incipiat

piat eſſe de nouo illud ad quod prædeſtinatur: quia neque ſuppoſitum Chriſti accipit ex gratia eſſe Filium Dei, ſiquidem id habet per naturam, neque ex tempore, ſiquidem eſt tale ab æterno: ergo cum alias humanitati fuerit facta gratia hæc in tempore, vt per vnionem acciperet filiationem Dei, illa eſt primarium ſubiectum huius prædeſtinationis.

Altera verò ſententia eſt quam ſequitur Lorca diſputatio 85. membro 2. dicens; nullum eſſe ſubiectum huiuſmodi prædeſtinationis, cui attribuatur terminus ille, ſcilicèt eſſe filium Dei; ſed dumtaxat eſſe obiectum huius prædeſtinationis, quod eſt totum hoc complexum: ſcilicet Chriſtum eſſe Deum.

Cuius fundamentum nullum aliud eſt, niſi quia nullum eſt ſubiectum cui prædictæ conditiones conueniant: & alias cum prædeſtinatio Chriſti ſit diuerſæ rationis ab alijs, non poſtulat ſubiectũ cui attribuatur finis ſiue terminus ad quẽ prædeſtinationis, ſed ſufficit totum complexum, quod factum fuit in tempore, & præordinatum ab æterno.

Sed noſtra concluſio communiter defenditur à Theologis cum Diu. Thoma in hoc art. 2. vt à Medina, Siluio, & Puteano in expoſitione eiuſdem articuli, Cabrera diſputat. 2. Suario diſputatione 50. ſect. 2. Aluar. diſp. 77. Ranguſa diſp. 31. & Vincentio quęſt. 7. de gratia Chriſti dub. 2.

Et probatur primo, quia eſt conformior modo loquendi Scripturæ, & ſanctorum Patrum: nam Paul. ad Roman. 1. poſtquam dixerat Chriſtum eſſe factum ex ſemine Dauid ſecundum carnem ſubdit, qui prędeſtinatus eſt filius Dei, ac ſi diceret quod Chriſtus vt ſubſiſtens in natura humana eſt prædeſtinatus filius Dei, qui modus attribuendi prædeſtinationem Chriſto inconcreto, & accepto pro ſuppoſito diuino ſeruatur in alijs duobus locis citatis, 2. ad Corinthios 2. & 1. Petri 1. & à Concilio Toletano 11, in præfatione fidei dicente: *Per hoc quod de MARIA Virgine natus eſt, & prædeſtinatus eſſe credendus eſt.* Seruatur etiam ab Auguſtino libro de prædeſtinatione Sanctorum capit. 15. Tertulliano in libro aduerſus Praxeam, Hieronymo in capite 1. ad Epheſ. Athanaſio lib. 3. de aſſumptione hominis, & Anſelm. ſuper illud Pauli, *qui prædeſtinatus eſt.*

Secundo probatur, quia prædeſtinatio Chriſti de qua loquuntur Paulus, & Concilium Toletanum non poteſt conuenire Deo ſecundum ſe, vt dictum eſt, neque humanitati: ergo debet cõuenire Chriſto, vt ſubſiſtẽti in natura humana, ſiue vt homini.

Conſequentia patet à ſufficienti enumeratione, & maior ſupponitur: minor autem probatur, quia ſiue terminus huius prædeſtinationis ſit filiatio Dei naturalis, vt vult Vazqu. ſiue gloria eſſentialis animæ, vt vult Scotus, & Durandus, nequit cõuenire humanitati, eo quod neque humanitas eſt filia Dei, neque eſt quæ videt Deum, aut fruitur Deo in quo conſiſtit beatitudo eſſentialis, ſed ſuppoſitum cuius eſt agere, videre, & frui eſt quod videt, & fruitur Deo: ergo ſuppoſito & non naturæ humanæ fuit prę ordinatus terminus huius prędeſtinationis, nimirum ſiue filiatio naturalis Dei, ſiue gloria eſſentialis.

Tertio probatur, quia de ſuppoſito, vt ſubſiſtenti in natura humana verificantur tres conditiones ad prędeſtinationem requiſitæ, nimirum quia habet ſufficientem anteceſsionem ad terminum prædeſtinationis, nimirùm ad eſſe filij Dei, vt ex concluſione ſequenti conſtabit.

Deinde quia eidem ſuppoſito, vt homini collatum eſt gratuito beneficium vnionis ſicut & Chriſtus, vt homo eſt inferior Deo, & illi ſubiectus, & ſeruus ſeruitute naturali, vt dictum eſt, ac proinde capax recipiendi aliquam gratiam: & tandem quia Chriſtus, vt homo in tempore, & de nouo licèt non ſit factus Deus proprie loquendo, quia hoc participium *factus*, appellat ſupra ſuppoſitum: vt docet Diuus Thomas ſupra quæſtion. 17. articulo 7. tamen ab æterno fuit ſic præordinatus quia hoc participium *prædeſtinatus*, cum dicat actum animæ intrinſecum appellat ſupra formale, ſcilicet naturã humanã, vt docet D. Thomas in ſolutione ad tertium articuli 1. ergo Chriſtus eſt ſubiectum, cui attribui debet finis ad quem ipſius prędeſtinationis.

5 Dico tertio. Terminus ad quem primarius, & principalis huius prædeſtinationis Chriſti, eſt, eſſe filium Dei naturalem. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus duas ſententias, quarum altera eſt Durandi in d. diſtinct.

7. quę.

7. quæſtion. 3. Altiſiodorenſis, & Paludani ibidem, & Scoti, in ſolutione ad vltimum eiuſdem quæſtionis 3. aſſerentiũ, quod terminus primarius, & principalis prædeſtinationis Chriſti non fuit filiatio Dei naturalis, ſed gloria animæ, ſicut & in aliorum hominum prædeſtinatione contingit, quæ ſententia probatur à ſuis Authoribus, tripliciter.

Primo quidem à Durando, argumento facto nimirũ, quia terminus ad quẽ ſeu finis prædeſtinationis debet ex gratia conuenire ſubiecto. ſed Chriſto non conuenit ex gratia eſſe filium Dei naturalem, eo quod includit ſuppoſitum diuini Verbi, cui ab intrinſeco, & per naturam conuenit eſſe filium Dei naturalem: ergo.

Secundo probatur ab Scoto, & Paludano, quia terminus, ſeu finis prædeſtinationis non debet includi in eius ſubiecto: ſed potius debet ab illo diſtingui, & illud præſupponere ſaltem prioritate rationis: ſed filiatio Dei naturalis intrinſece includitur in Chriſto, vtpote qui intrinſecè includit vnionem humanitatis cum diuino ſuppoſito: ergo non poteſt prædeſtinari ad eſſe filij Dei naturalis. Maior patet quia hæc eſt vna ex conditionibus ad prædeſtinationem requiſitis: & propterea non poteſt Petrus, v. g. per prouidentiam naturalem prædeſtinari, ſeu præordinari ad eſſe hunc hominem, quia hic homo intrinſece includitur in Petro, & ab illo non diſtinguitur. Minor autem probatur, vbi includitur vnio cum filio Dei, includitur etiam, & ipſe filius Dei, ſed Chriſtus includit vnionem humanitatis cum filio Dei à qua propterea denominatur Chriſtus, ſiue vnctus, & compoſitus ex duabus naturis vnitis in eadem perſona: ergo & illam includit & pro illa ſupponit. Quod amplius poſſumus confirmare ex eo quod Deus prædeſtinans hunc hominem, ſcilicet Chriſtum ex vi eiuſdem decreti, & in eodem ſigno rationis vidit ex parte ſubiecti humanitatem exiſtentem in diuino ſuppoſito illam ſuppoſitante, eo quod prædeſtinauit hunc hominem non actu præſciſsiuo, ſed intuitiuo terminato ad rem ſicuti eſt in ſe, ſicut terminari ſolet, ac debet ſcientia viſionis, quam huiuſmodi actus includebat, & exercebat: ergo ex parte ſubiecti vidit ſuppoſitum Filij Dei: ergo reſpectu prædeſtinantis in ſubiecto inuoluitur filius Dei, qui proinde nequit eſſe terminus prædeſtinationis.

Tertio arguitur ab inconuenienti quod ſequitur ex oppoſita ſententia, nimirum quod decretũ prædeſtinationis Chriſti fuiſſet inefficax, hoc autem non eſt admittendum: ergo. Sequela patet, quia huiuſmodi decretum præordinauit communicare Chriſto, vt ſubſiſtenti in natura humana perſonam Filij Dei ex gratia: quam tamen in executione non communicauit illi ex gratia, vtpote quia in executione hic homo Chriſtus, ſcilicet vt ſubſiſtens in humanitate ſecundum rem intrinſece includit perſonam filij Dei, per quam realiter ſubſiſtit in natura humana, & realis, ſeu phyſica communicatio, non communicat perſonam Filij præſcindendo vnam rationem ab altera; ſicut fit per actum intellectus: quemadmodum, neque realis productio huius hominis Dei producit vnionem cum ſuppoſito ſub vna ratione, & non ſub altera: ergo ſi perſona filij non fuit in executione communicata huic homini ex gratia, neque decretum id ab æterno præordinans fuiſſet efficax.

6 Altera eſt, quam ſequitur Lorca vbi ſupra, qui ſicut negat in obiecto huius prædeſtinationis Chriſti ſubiectum cui attribuatur terminus iſte, ſcilicet eſſe filium Dei; ita negat hunc eſſe terminum attribuendum alicui ſubiecto, ſed totum complexum dumtaxat aſsignandum eſſe pro obiecto talis prædeſtinationis, nimirum ob defectum diſtinctionis inter talem terminum, & ſubiectum, & ob defectum anteceſsionis in ſubiecto reſpectu talis termini.

Sed noſtra concluſio eſt Diu. Thoma. hoc articulo 2. communiterque defenditur ab eius diſcipulis, & interpretibus, vt à Caietano, & Medina ibidem Siluio, & Puteano in expoſitione eiuſdem articuli, Cabrera diſputat. vnica; Suario diſp. 50 ſectione 2. Vazquio diſputatione 90. cap. 3. & 91. cap. 2. Aluar. diſputatio. 77 Ranguſa diſputatio 31. & Nazario controuerſia ſecunda, & Vincentio vbi ſupra.

Et probatur primo, quia magis conſonat teſtimonio Pauli ad Roman. 1. ſecundum congruentiorem eius expoſitionem quę talis eſt: *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundũ ſpiritũ ſanctificationis ex reſurrectione mortuorũ Ieſu Xpi Dñi noſtri:* ideſt

ideſt, Chriſtus vt homo ab æterno prædeſtinatus eſt, vt in tempore verè ac propriè ſit filius Dei naturalis in virtute, ideſt nõ per adoptionem ſicut alij electi, ſed per potentiam, & maieſtatem quæ vnigenitum Dei filium naturalem decebat, ſecundum ſpiritum ſanctificationis, hoc eſt vt haberet veluti ex cõſequẽti virtutẽ ad ſãctificãdos homines: nã propterea hic homo Chriſtus prædeſtinatus eſt filius Dei naturalis; vt eſſet potens ſanctificare per ſuam mortem homines, ex reſurrectione mortuorum, &c. Ideſt ſanctificatione perfecta & conſumata per reſurrectionẽ qualis erit in his qui in illo reſurgent: tanquã perfectus eorum redemptor.

Sic communiter hoc teſtimonium interpretãtur vltra Patres citatos in precedenti concluſione Irineus lib. 3. contra hæreſes cap. 18. Magiſter ſententiarũ in dicta diſtinct. 7. Carthuſianus, Lyranus, Adamus, & Diu. Thom, & ferè omnes Latini Patres, & interpretes; quorum proinde expoſitio præferenda eſt expoſitioni Patrum Græcorum, qui ſequentes lectionem Origenis legentis pro prædeſtinatus, *deſtinatus*, vel lectionem Græcorũ interpretum; qui pro prædeſtinatus, legũt *declaratus*: aiunt, ſenſum huius loci eſſe, quod Chriſtus prædeſtinatus eſt, non quidem vt eſſet filius Dei, ſed vt manifeſtaretur, ac declararetur filius Dei. iuxta morem Scripturę, quæ dicit tunc aliquam rẽ fieri quando manifeſtatur, &c. Eo quod lectio Vulgatæ Latinę præferenda eſt omnino lectioni 70. Interpretum iuxta decretum Concilij Tridentini, in qua retinetur participium prædeſtinatus, quod in ſenſu proprio, ac litterali intelligendum eſt, & ſic intellectum denotat non ſolam deſtinationem, nec ſolam declarationem; ſed preordinationem ab æterno dicentem antecesſionem reſpectu eorum quę facienda ſunt ex gratia. Præterquamquod ſi Chriſtus prædeſtinatus fuit, vt manifeſtaretur filius Dei, à fortiori fuit prædeſtinatus, vt eſſet *F*ilius Dei, quia prius eſt eſſe quam cognoſci, & manifeſtari, & maior gratia fuit hunc hominem eſſe Deum, quam cognoſci Deum.

Secundo probatur: nam terminus primarius prædeſtinationis eſt ille qui primario præordinatur ex gratia ſubiecto prædeſtinato, vt ſupponimus ex diffinitione, & conditionibus prædeſtinationis, ſed terminus primario preordinatus communicandus ex gratia huic homini, ſcilicet Chriſto, vt ſubſiſtenti in natura humana eſt ſiliatio Dei naturalis: ergo hæc eſt terminus primarius. Minor patet, quia huic homini ex gratia, nimirum per gratiam vnionis conuenit eſſe filium Dei naturalem, & alias hoc eſt donum primario ei conueniens, vtpotè ad quod cætera dona gratiæ conſequuntur ſicut ad eſſe ſubſtantiale ſequuntur accidentia: ergo ita fuit præordinatũ ab æterno.

Tertio probatur ſatisfaciendo argumentis in contrarium.

7 Ad primum enim reſpondetur negando minor. quia licet ſuppoſito diuini Verbi ſecundum ſe non conueniat ex gratia, ſed per naturam eſſe filium Dei; tamen eidem vt ſubſiſtenti in humanitate ex gratia vnionis conuenit eſſe filium Dei naturalem; nam quod hoc ſubſiſtens in natura humana vt ſic, ſit filius Dei naturalis, hoc factum fuit per gratiam vnionis.

Ad ſecundum, omiſsis varijs ſolutionibus, quas commemorant, & expendunt Vincentius, Suarius, Vazquius, & & Cabrera vbiſupra in ſolutione ad 8. Quatuor tantum probabiliores placet expendere. Prima eſt, quam ſequitur Medina dicens, quod ſubiectum prædeſtinationis Chriſti eſt Chriſtus, vt poſsibiliter ſubſiſtens in humanitate: terminus verò eſt idem Chriſtus vt actu ſubſiſtẽs in duabus naturis, ſecundum quas rationes ſaluatur ſufficiens diſtinctio, & antecesſio inter ſubiectum & terminum huius prædeſtinationis; nam ratio poſsibiliter ſubſiſtentis in humanitate diſtinguitur à ratione actualiter ſubſiſtentis, & ſufficienter ſupponitur ad illam.

Sed hanc ſolutionem meritò impugnat Vincentius dupliciter: tum quia ſubiectum prædeſtinationis eſt cui preordinatur aliqua gratia, ac proinde eſt capax recipiendi illam; ſed hanc capacitatẽ non habet res conſiderata ſub ſtatu poſsibilitatis: ergo neque perſona Chriſti, vt poſsibiliter ſubſiſtens in natura humana eſt ſubiectum cui præordinatus fuit ex gratia iſte terminus filiationis Dei naturalis. Tum etiam, quia gratia quæ poteſt fieri Chriſto, vt poſsibili non eſt

eſſe

eſſe filium Dei naturalem, quia hoc etiam includitur in conceptu Chriſti, vt poſsibilis; vtpotè in quo etiam includitur ſuppoſitum filij Dei, ſed tantum hæc: nimirum quod actu exiſtat, ſiue ſubſiſtat: nam reſpectu entis poſsibilis ſola actualis exiſtentia poteſt habere rationem gratiæ: hæc autem non eſt gratia prædeſtinationis Chriſti; ſed eſſe filium Dei naturalem, vt dictum eſt: ergo non recte explicatur à Medina terminus, ſiue gratia huius prædeſtinationis.

Secunda eſt. quam ſequitur Suarius, & Ranguſſa dicentes, ſubiectum huius prædeſtinationis eſſe ſuppoſitum huius hominis, quantum ad cōceptum ſubſiſtentis increati in humanitate, ſubſiſtentis in quam increati vagè ſumpti, ſub qua ratione, diſtinguitur ſufficienter à ratione ſuppoſiti filij Dei determinate, ſecundū quam eſt terminus: nam ratio ſubſiſtentis increati; vt ſic vage ſumpti eſt prior: vtpote quia communior, quam ratio filij: eo quod illa communis eſt omnibus tribus perſonis: ſecus vero iſta. Sed licet hæc ſolutio probabilis ſit merito tamen refutatur à Cabrera propter duo.

Tum quia hic homo ita intellectus eſt indiuiduum vagum naturæ humanæ, ſicut aliquis homo; ſed ſubiectum prædeſtinationis Chriſti deb t eſſe indiuiduum determinatum: nimirum Chriſtus, ſicut & ſubiectum prædeſtinationis Petri eſt indiuiduū determinatum, ſcilicet Petrus, eo quod prædeſtinatio cum ſit actus perfectiſsimus diuinæ prouidentiæ verſatur circa res in ſingulari, prout ſunt in ſe ipſis: ergo ſubiectum prædeſtinationis Chriſti, non eſt ſubſiſtens in creatum vage.

Tum etiam, quia ſic prædeſtinatus fuit ab æterno Chriſtus, ſicut in tempore fuit facta vnio naturæ humanæ ad ſuppoſitum diuinum, ſed vnio non eſt facta ad ſubſiſtentiam communem tribus perſonis; neque ad ſubſiſtentiam relatiuam vage ſumptā, ſed determinatè ad ſubſiſtentiam filij: ergo ſubiectum huiuſmodi prædeſtinationis eſt, hic homo: quatenus includit ſubſiſtentiam filij determinatè.

Maior patet, quia id ipſum exequitur diuina prouidentia in tempore, quod præordinauit efficaciter ab æterno.

Deinde tertia ſolutio, & huic affinis eſt Vazquij aſſerentis ſubiectum huius prædeſtinationis eſſe hunc hominem prout dicit naturam ſingularem connotando ſuppoſitum increatum vage ſumptum: ſic enim eſt ſufficiens diſtinctio, & prioritas rationis inter ſubiectum, & terminum huius prædeſtinationis: quia prius ſecundum rationem intelligitur natura humana ſuppoſitata in ſuppoſito diuino, vt ſic vage ſumpto pro iſto, aut illo, quā intelligatur ſuppoſitata in hoc ſuppoſito determinato filij diuini.

Sed hæc ſolutio reijcitur, tamquam omnino improbabilis propter tria.

Tum, quia procedit ex falſa exiſtimatione ſui Authoris ſupponentis, quod nomina concreta ſupponunt pro naturis, ſeu formis conotando ſubiecta, ſeu ſuppoſita: cum tamen oppoſitum ſtatuat regula dialecticorum approbata à Diu. Thom. 1. part. quæſtio. 39. artic. 3 nimirū quod ſupponunt pro materiali, ſiue ſuppoſito conotando formam, ſiue naturam, alias ſi Verbum diuinum aſſumeret duas humanitates eſſet duo homines, quia illud nomen numerale numeraret formas, & non ſuppoſita, quod tamen aduerſatur ſententiæ eiuſdem Diu. Thom. ſup. quæſt. 3. artic. 7. ad ſecundum: ergo.

Tum etiam, quia Deus prædeſtinādo Chriſtum in nullo ſigno rationis decreuit aſſumere hanc humanitatem ad perſonam diuinam vage ſumptam, & indifferenter ad iſtam, vel ad illam, ſed ſtatim in primo ſigno rationis decreuit illam aſſumere detrminatè ad perſonā filij: ergo pro nullo ſigno rationis præordinauit filiationem naturalem huic humanitati ſuppoſitatæ per ſuppoſitum diuinum vage ſumptum.

Tum denique propter rationem ſecundam factam contra ſecundam ſolutionem, quia nimirum ille eſt ſubiectum prædeſtinationis, cui in executione communicatur gratia præordinata ab æterno, ſed gratia diuinæ filiationis naturalis non eſt data in executione huic humanitaei vagè ſuppoſitatæ: vtpote, quia numquam fuit eius vnio facta, ad ſuppoſitum diuinum vage: ergo. His reiectis ſolutionibꝰ ſubſtituenda eſt quarta cum Vincentio, Aluarez, & Cabrera vbi ſupra, diſtinguentibus ſubiectum, & terminū huius prædeſtinationis, penes hoc, quod ſubiectum eſt Chriſtus, ſiue hic homo prout includit ſuppoſitum determinatū diuini Verbi, inquantum actu ſubſiſtens in natura humana, ſiue

quatenus ſuppoſitum humanum, terminus vero eſt idem ſuppoſitum, quatenus eſt filius Dei naturalis; & ſubſiſtens in natura diuina, & quia iſtæ duæ rationes ſubſiſtendi in duabus naturis ſufficienter diſtingũtur, per intellectũ cũ fundamẽto in re propter realẽ diuerſitatem ipſarum naturarum à quibus diuerſæ rationes ſubſiſtendi deſumuntur.

Ex quibus ratio ſubſiſtentis humani intelligitur prius in Chriſto, & hoc homine, quam ratio ſubſiſtentis diuini filij, ideo ſaluatur ſufficiens diſtinctio, & prioritas, quę requiritur inter ſubiectum & terminum prædeſtinationis, quæ cum ſit opus intellectus; nec maiorem diſtinctionem, aut prioritatem poſtulat quam rationis, iuxta quam reſpondetur ad formam argumenti facti negando minorem, ſi intelligatur in ſenſu formali: ad cuius probationem diſtinguenda eſt minor ſub eadem diſtinctione: nimirum, quod licet Chriſtus, vt ſubiectum prædeſtinationis includat vnionem humanitatis cum filio Dei, identicè, hoc eſt quatenus eſt ſuppoſitum humanum; non tamen formaliter quantum ad rationem ſubſiſtentis in natura diuina, ac filij diuini ſecundum ſe: quæ ratio tenet ſe ex parte termini. Ad confirmatione admiſſo antecedenti, diſtinguendum eſt primũ conſequens ſub eadem diſtinctione, & neganda eſt ſecunda conſequentia.

Ad tertium neganda eſt ſequela, quia ſicut per decretum prædeſtinationis Deus præuidit ſuppoſitum filij, vt ſubſiſtens humanum ex parte ſubiecti, & vt ſubſiſtens diuinum, ex parte termini: ita & præordinauit Chriſto, vt ſic ſubſiſtenti in natura humana communicare ex gratia vnionis perſonam filij diuini, quæ & in executione ita fuit illi communicata: nam per gratiam vnionis factum fuit, vt ſubſiſtens in humanitate eſſet filius Dei.

Ex quibus patet ad fundamentum ſecundæ ſententiæ.

Hinc licet colligere quas propoſitiones in hac materia admittere, & quas reſpuere debeamus.

Igitur prima propoſitio admittenda eſt hæc: *Chriſtus eſt prædeſtinatus filius Dei*, & Chriſtus, inquantum homo, ſiue etiam, hic homo eſt prædeſtinatus filius Dei.

Secunda admittenda eſt hæc: *Filius Dei prædeſtinatus eſt, vt eſſet homo*, quia verè fuit præordinatus ad hoc per decretum prouidentiæ diuinæ, veluti ordinis naturæ, licet non ſit riguroſa prædeſtinatio, quia hæc pertinet ad ordinem gratiæ.

Tertia eſt hæc: *Hic homo, ſiue Chriſtus, vt homo prædeſtinatus eſt ad gloriam, & ad dona gratiæ habitualis ſecundario*: ideſt tamquam ad terminum ſecundarium prædeſtinationis, eo quod eodem decreto prędeſtinationis fuit prædeſtinatus ad eſſe filij Dei primario, & ad dona gratię ex conſequenti, & ſecundario, & minus propriè propter idiomatum cõmunicationem poteſt hæc admitti: filius Dei eſt prædeſtinatus ad gloriam: in his enim propoſitionibus, pręterquam quod colliguntur ex modo loquendi Pauli vbi ſupra, & Sanctorum Patrum, conueniũt ferè omnes Theologi citati.

Deinde prima propoſitio reſpuenda eſt hæc: *Filius Dei eſt prædeſtinatus in filium Dei*, & ſimiliter hęc: *Verbum diuinum eſt prædeſtinatum in filium Dei*; quas merito negant Bonau. Richar. Alber. Palud. & Alen. in dict. diſt. 7. quibus & prædicti neoterici ſubſcribunt: eo quod à parte ſubiecti ponitur filius Dei, ſiue diuinum Verbum ſecundum ſe, quod vt ſic non eſt ſubiectum capax prędeſtinationis.

Secunda propoſitio reſpuenda eſt hæc: *Humitas eſt prædeſtinata ad vnionem*, & ſimiliter hæc: *Humanitas Chriſti eſt prædeſtinata ad gloriam*: quarum primam admittunt, Scotus vbi ſupra, & Suarius ſectio. 4. dicens eſſe ſententiam antiquorum Theologorum: nimirum Bonau. 3. diſt. 10. quæſt. 1. Duran. diſt. 7. quęſtio. 3. Alenſis, 3. part. quæſt. 3. memb. 1. imo & Diu. Thom. diſtinct. 10. ejuſdem tertij, quæſt. 3. art. 1. quæſtiun. 1.

Secundam vero admittunt Vazquius, & Lorca; ſed immerito: eo quod actiones, tam actiuè, quam terminatiuè ſunt ſuppoſitorum, & non naturarum in abſtracto; vnde ſicut neque humanitas eſt, quæ per ſe primo videt Deum aut glorificatur; itaneq; eſt quæ per ſe primo prædeſtnatur; ſed minus propriè, & ſecundario ratione ſuppoſiti, atque vt ſubiectum quo, non vero, vt ſubiectum, quod & ſic interpręrandi ſunt prędicti Theologi antiqui: & maximè Diu. Thomas in allegato loco ex tertio ſententia. qui expreſſè in ſolutione ad ſecundum huius

huius art. 1. ait: quod prædeſtinari non conuenit naturæ, ſed ſuppoſito, & ita ſicut naturæ humanæ Chriſti non conuenit eſſe filiũ Dei, ita neq; prædeſtinari: poteſt tamen humanitas dici ad vnionem præordinata, ſicut extrema alicuius compoſiti dicuntur ordinari ad compoſitionem, magiſque proprie loquendo debet dici comprædeſtinata, quam prædeſtinata.

ART. III.

Vtrum prædeſtinatio Chriſti ſit noſtræ prædeſtinationis exemplar?

3. d. 10. q. 2. a. 3. & Ro. 1. l. 3. col. 2. fin.

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quod prædeſtinatio Chriſti non ſit exemplar noſtræ prædeſtinationis. Exemplar enim præexiſtit exemplato. Nihil autem præexiſtit æterno. Cum igitur prædeſtinatio noſtra ſit æterna, videtur quòd prædeſtinatio Chriſti non ſit exemplar noſtræ prædeſtinationis.

2 Præterea, Exemplar ducit in cognitionem exemplati. Sed non oportuit quod Deus duceretur in cognitionem noſtræ prædeſtinationis ex aliquo alio: cum dicatur Roman. 8. Quos præſciuit, hos prædeſtinauit. Ergo prędeſtinatio Chriſti non eſt exemplar noſtrę prædeſtinationis.

3 Præterea, Exemplar eſt cõforme exemplato. Sed alterius rationis videtur eſſe prædeſtinatio Chriſti, quâm prædeſtinatio noſtra: quia nos prædeſtinamur in filios adoptionis: Chriſtus autem eſt prędeſtinatus filius Dei in virtute, vt dicitur Rom. 1 Ergo eius prædeſtinatio non eſt exemplar noſtræ prædeſtinationis.

Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit in libr. de prædeſtinatione Sanctorum.* Eſt præclariſsimum lumen prædeſtinationis, & gratiæ ipſe Saluator, ipſe Mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus. Dicitur autem lumen prædeſtinationis, & gratiæ, in quantum per eius prædeſtinationem, & gratiam manifeſtatur noſtra prædeſtinatio, quod videtur ad rationem exemplaris pertinere. Ergo prædeſtinatio Chriſti eſt exemplar noſtræ prædeſtinationis.

cap. 15. in prin. to. 7.

Reſpondeo dicendum, quod prædeſtinatio dupliciter poteſt conſiderari. Vno modo ſecundum ipſum actũ prędeſtinãtis, & ſic prędeſtinatio Chriſti non poteſt dici exẽplar noſtrę prædeſtinationis: vno enim modo, & eodem actu æterno prędeſtinauit Deus nos, & Chriſtum. Alio modo poteſt prædeſtinatio conſiderari ſecundum illud ad quod aliquis prædeſtinatur: quod eſt prædeſtinationis terminus, & effectus. Et ſecundum hoc prędeſtinatio Chriſti eſt exemplar noſtræ prędeſtinationis: & hoc dupliciter. Primo quidem, quantum ad bonum ad quod prædeſtinamur. Ipſe enim eſt prædeſtinatus ad hoc, quod eſſet Dei filius naturalis: non autem prædeſtinamur ad filiationem adoptionis, quæ eſt quædam participata ſimilitudo filiationis naturalis. Vnde dicitur Rom. 8. Quos præſciuit, hos & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui. Alio modo, quantum ad modum conſequendi iſtud

bonum, quod eſt per gratiam, quod-quidem in Chriſto eſt manifeſtiſſimum: quia natura humana in Chriſto nullis ſuis præcedentibus meritis eſt vnita filio Dei. Et de plenitudine gratiæ eius nos omnes accepimus, vt dicitur Ioan. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod illa ratio procedit ex parte illius actus prædeſtinantis. Et ſimiliter dicendum Ad ſecundum.

Ad tertium dicendum, quod non eſt neceſſarium, quod exemplatum exemplari quantum ad omnia conformetur: ſed ſufficit quod exẽplatum aliqualiter imitetur ſuum exemplar.

9 CONCLVSIO eſt affirmatiua conſiderando prædeſtinationem ex parte termini, & effectus; ſed non ex parte actus.

Prima pars probatur, tum ex Auguſt. in lib. de Prædeſtinatione Sanctorum, cap. 15. iam citato, eam affirmante.

Tum etiam, quia Chriſtus eſt exemplar quantum ad bonum, ad quod prædeſtinamur: eo quod eſt prædeſtinatus, vt eſſet filius Dei naturalis: nos autem vt ſimus filij adoptionis, quæ eſt participata quædam ſimilitudo filiationis naturalis, & propterea dicitur ad Roman. 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui.* Eſt etiam exemplar, quantum ad modum conſequendi hoc bonum per gratiam, quia nullis meritis natura humana eſt vnita filio Dei, de cuius plenitudine omnes accepimus.

Deinde ſecunda pars probatur, quia vno, & eodem actu æterno Deus prædeſtinauit nos, & Chriſtum.

ART. IV.

Vtrùm prædeſtinatio Chriſti ſit cauſa noſtræ prædeſtinationis?

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod prædeſtinatio Chriſti non ſit cauſa noſtrę prædeſtinationis: æternum enim non habet cauſam, ſed prædeſtinatio noſtra eſt ęterna. Ergo prædeſtinatio Chriſti non eſt cauſa noſtræ prædeſtinationis. 3. d. 10. q. 3. ar. 3.

2 Præterea, illud quod dependet ex ſimplici Dei voluntate, non habet aliam cauſam, niſi Dei voluntatem. Sed prędeſtinatio noſtra ex ſimplici voluntate Dei dependet. Dicitur enim Ephe. 1. prædeſtinati ſecũdum propoſitum eius, qui omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ. Ergo prædeſtinatio Chriſti non eſt cauſa noſtrę prędeſtinationis.

3 Pręterea remota cauſa, remouetur effectus. Sed remota prędeſtinatione Chriſti, non remouetur noſtra prędeſtinatio: quia etiam ſi filius Dei non incarnaretur, erat alius modus poſsibilis noſtræ ſalutis, vt Auguſt. dicit in lib. de Trinit. * Prædeſtinatio ergo Chriſti non eſt cauſa noſtræ prædeſtinationis. In lib. 13. cap. 10. non procul. à prin. to. 3.

Sed contra eſt, quod dicitur Ephe. 1. prædeſtinauit nos in adoptionem filiorũ per Ieſum Chriſtum.

Reſpondeo dicendum, quod ſi

ſi conſideretur prędeſtinatio ſecundum ipſum prędeſtinationis actum, prædeſtinatio Chriſti non eſt cauſa noſtræ prędeſtinationis: cum vno, & eodem actu Deus prædeſtinauerit ipſum, & nos. Si autem conſideretur prædeſtinatio ſecundum terminum prędeſtinationis, ſic prædeſtinatio Chriſti eſt cauſa noſtræ prædeſtinationis. Sic enim Deus præordinauit noſtram ſalutem, ab æterno prædeſtinando, vt per Ieſum Chriſtum compleretur. Sub prædeſtinatione enim æterna non ſolum cadit id, quod eſt fiendum in tempore: ſed etiam modus & ordo, ſecundum quem eſt complendum in tempore.

Ad primum ergo, & ſecūdum dicendum, quôd rationes illæ procedunt de prædeſtinatione ſecundum prædeſtinantis actum.

Ad tertium dicendnm, quod ſi Chriſtus non fuiſſet incarnandus, Deus pr ordinaſſet homines ſaluari per aliam cauſam, ſed quia præordinauit incarnationem Chtiſti, ſimul cum hoc præordinauit vt eſſet noſtræ ſalutis cauſa.

10 CONCLVSIO eſt prædeſtinatio Chriſti ſecundum actum prædeſtinantis Dei non eſt cauſa noſtræ prædeſtinationis: ſecundum terminum, & effectum eſt cauſa.

Prima pars probatur, quia vnico actu Deus prædeſtinauit Chriſtum, & nos.

Secunda vero probatur, quia Deus ab æterno prædeſtinauit, vt noſtra Salus compleretur, per Chriſtum, nam ſub prædeſtinatione non ſolū cadit, quod eſt fiendum in tempore, ſed etiam modus, & ordo quo implendum eſt in tempore.

Circa has quas; concluſiones tria controuerti ſolent à Theologis: nimirum an Chriſtus fuerit primus omnium prædeſtinatorum, & exemplar noſtræ prædeſtinationis, & an eius prædeſtinatio fuerit cauſa finalis noſtræ: & an fuerit cauſa meritoria noſtræ prædeſtinationis, tum quoad omnes effectus, tum etiam quoad dilectionem efficacem, & electionem qua ſumus electi ad gloriam.

De quibus videndi ſunt Vazq. in explicatione huius art. 3. & 4. Aluarez diſput. 79. & diſput. 39. de auxilis, & Cabrera ibi diſput. vnica, & Suar. ſup. quæſtio. 19. art. 4. diſp. 42. ſectio. 4. Carthagena lib. de prædeſtinatione diſcurſu 11. & ea quæ nos docuimus ſup. quæſt. 1. de Incarnatione art. 3. & in materia de prædeſtinatione art. 7.

Ex quibus planè colligitur quid reſpondendum ſit ad hæc dubia.

Verum vt morem geramus Theologis placet illa ſub breuitate tranſcurrere.

Dubium primum eſt: An Chriſtus dominus fuerit cauſa exemplaris, & finalis prædeſtinationis aliorum ſanctorum?

11 AD quod reſpōdetur concluſione affirmatiua, quā probat Auguſtin. libr. de prædeſtinatione ſanctorum cap. 15. dicens: omnes ſaluandos fuiſſe electos, & prædeſtinatos ad exemplum & modum quo Chriſtus fuit prædeſtinatus, & propter gloriam ipſius: & hoc ſignificatur à Paulo ad Roman. 8. dicente, quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus, ideſt prædeſtinatus tanquam caput, & exemplar cui per noſtram prædeſtinationem conformamur: & tanquam primogenitus, ideſt primus ad quem cæteri prædeſtinantur

deſtinatur ordinantur, quia primum in vno quoque genere eſt menſura, & finis cæterorum eiuſdem generis.

Dubium ſecundum eſt: An Chriſtus promeruerit prædeſtinationem aliorum hominum?

IN hoc Dubio circa tria diſcriminantur Theologi: nimirum circa cauſalitatem meritoriam Chriſti domini in ordine ad cunctos effectus noſtræ prædeſtinationis, & in ordine ad ipſum prædeſtinationis decretum, atque in ordine ad ipſam electionem comparatiuam ſaluandorum præ alijs: nã controuertunt vtrum Chriſtus promeruerit de condigno cunctos effectus prædeſtinationis aliorum hominum? & vtrum promeruerit, etiam ipſum decretum prædeſtinationis cum dilectione abſoluta ſaluandorum ad gloriam? Ac tandem vtrum vltra dilectionem abſolutam promeruerit, etiam electionem cõparatiuam horum præ alijs? quorum ſingula ſingulis quoque aſſertionibus expenduntur.

12 Dico primo: Chriſtus Dominus promeruit de condigno cunctos effectus prædeſtinationis cæterorum ſaluandorum.

Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus ſententiam negantẽ Chriſto huiuſmodi cauſalitatem meritoriam circa cunctos effectus noſtræ prædeſtinationis, tribuentemque ei ſolam cauſalitatem exemplarem, ac finalem. Quam Baneſius 1. part. quæſtio. 23. art. 5. dub. 2. ait fuiſſe ante duo de viginti annos communem Salmanticenſis huius Scholæ ſententiam, illamque licet diuerſimodè defendunt Bonauen. & Capreol. in 3. diſt. 18. q. 1. Duran. ibidem d. 11. q. 3. ad 1. Scotus, Alenſis, & Almaynus in 1. diſt. 19. q. 1. Driedo tract. de captiuitate generis humani artic. 4. Decanus Loban. art. 6. de ſatisfactio. & Suarius lib. 2. de prædeſtin. cap. 23. & 24. & in hac 3. part. tom. 1. diſp. 41. ſect. 4.

Ex quibus Bonauen. Alenſis, & Durandus, quos ſequitur Suarius ducuntur ex eo, quod Chriſtus neque meruit ſuam incarnationem operibus antecedentibus, quia nulla habere potuit ante incarnationẽ, neque operibus ſubſequutis, quia hæc præſupponũt ipſam incarnationem, vt cauſam, & principium merendi, quod nequit cadere ſub merito ſubſequuto: & alias incarnatio, & merita Chriſti fuerunt effectus noſtræ prædeſtinationis: vtpotè quia fuerunt beneficium Dei conducens ad conſecutionem noſtræ gloriæ, & collatũ à Deo ex intentione efficaci beandi homines. Iſtę autem ſunt conditiones requiſitæ, & ſufficientes ad effectum prædeſtinationis: ergo licet Chriſtus promeruerit vnum, aut alterum effectum in particulari, non tamen promeruit totam ſeriem effectuum noſtræ prædeſtinationis, in quo tamen cõſiſtit dari cauſam meritoriam illius.

Driedo autem ducitur ea ratione, quod hominum prædeſtinatio facta fuerit ante præſcientiam meritorum Chriſti: vtpote cum facta ſit ante præuiſionẽ peccati originalis ad quam ſubſecuta eſt prędeſtinatio Chriſti Redemptoris: homines autem prędeſtinatos fuiſſe independenter à peccato originali, conſtat ex eo, quod Adamo non peccante, adhuc homines ſaluarentur, imo plures quam illo peccante, vt docet D. Thom. quodlibeto 3. art. 25. & quodlibeto 5. art. 8. in quorum primo ex ſentent. Gregor. lib 4. moralium inquit ſolos electos, & ſaluandos; tunc ab Adamo fore naſcituros, quia tunc nullus naſcendo ab Adamo traheret cauſam damnationis: in ſecundo vero loco ait, eandẽ eſſe Anſelmi ſententiam, & ſubdit non omnes poſteros, tunc fore ſaluandos, ſed plures pautioreſque peccatores, & a fine vltimo defecturos.

Capreolus autem ea ducitur ratione, quia nimirum Chriſtus non meruit nobis fidem, neque alias diſpoſitiones ad gratiam iuſtificantem, quæ tamen in electis ſunt effectus prædeſtinationis: non quidem meruit fidem, quia ſolum venit reparare beneficia, quæ primus homo amiſſerat peccando: iſte autem non amiſsit fidẽ; ſiquidem neque peccatum infidelitatis commiſsit. *Chriſtus promeruit electis cũcta dona gratiæ.*

Neque meruit cæteras diſpoſitiones

nes ad gratiam, vtpote quæ ſunt beneficia communia reprobis, & electis, ac proinde non donantur ex applicatione meritorum Chriſti, ſed ex generali prouidentia, & voluntate antecedente ſaluandi omnes homines.

13 Sed noſtra concluſio eſt expræſſa Angelici Præceptoris art. 3. huius & in. 3. diſtinct. 10. quæſt. 3, art. 1. recipiturque à Richardo, Paludano, & Alberto ibidem, à Bañeſio, Zumel, Molina, Valentia & alijs quos refert & ſequitur Vazqu. hic diſputat. 77. & 1. parte diſputat. 94. capit. 2.

Et ſuadetur primo, ex teſtimonijs Scripturæ, in quibus cauſalitas meritoria tribuitur Chriſto Domino circa omnia dona gratię, quæ ex decreto prędeſtinationis conferuntur electis, vt ex illo ad Epheſ. 1 *Benedictus Deus qui benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*, & infra, *qui prædeſtinauit nos in adoptionē filiorum per IeſumChriſtum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ in laudem gloriæ gratiæ ſuæ in qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo, in quo habemus redemptionem &c.* & iterum: *in quo etiam nos ſorte vocati ſumus prædeſtinati ſecundum propoſitum eius*, &c. vbi dictio *in*, & *per* denotat cauſam non ſolum finalem, aut exemplarem, ſed etiam meritoriam, vt ibi Chryſoſtom. Ambroſ. & Diu. Thomas interprætantur, & Ioannis 1. *De plenitudine eius omnes accepimus*, & iterum *lex per Moyſem data eſt, gratia & veritas per IeſumChriſtum*, & cap. 15. *Sicut palmes non poteſt ferrè fructum âſemet pſo, niſi manſerit in vite, ita & vos niſi in me manſeritis*, & cap. 17. *Chriſtus orat pro his qui credituri erant in eum mediante prædicatione Apoſtolorum*, & ad Philippēſes 1. *Vobis donatum eſt per Chriſtum non ſolum vt in illū credatis: ſed vt pro ipſo patiamini*, & ad Hebręos 1. *Aſpicientes in authorē fidei & conſumatorem Ieſum*. Ex quibus locis planè colligitur initium fidei dari nobis per merita Chriſti, & à fortiori reliqua dona gratiæ ſubſequuta.

Secundo ſuadetur ex Concilijs Mileuitano canone 3. Arauſicano 2 canon. 25. & Cæleſtino Papa in epiſtola 1. capite 20 diffinientibus ex eo teſtimonio Pauli relato ad Ephæſios 1. omnia beneficia gratiæ conferri hominibus, propter merita Chriſti, & ex Tridentino ſeſione 6. c. 7. id ipſum diffiniente ex præallegato teſtimonio Ioannis 15. ac proinde Chriſtum omnium effectuum noſtræ prædeſtinationis fuiſſe cauſam meritoriam.

Tertium argumentum conficitur ex duplici ratione Theologica, quarum prima eſt, quod Chriſtus fuit prædeſtinatus in caput Eccleſiæ triumphantis, vt cōſtat ex ſupradictis quæſt. 8. ad officium autem capitis non tantum ſpectat cauſalitas finis, & exemplaris, ſed etiam effectiua ſaltem moralis, & meritoria: ergo Chriſtus fuit primus omnium electorum, non ſolum per modum finis, & exemplaris, ſed etiam per modum cauſę meritoriæ.

Secunda eſt, quia Chriſtus promeruit hominibus omnia beneficia gratię, quibus certiſsime ſaluantur, quicumque ſaluantur, hoc autem eſt promereri totam ſeriem effectuum prædeſtinationis, quæ teſte Aug. lib. de bono perſeuerantiæ, c. 14. in huiuſmodi beneficiorū præparatione conſiſtit: ergo, Maior patet: quia cuncta huiuſmodi beneficia quibus electi ſaluantur pertinent ad gratiam redemptionis, quam Chriſtus abunde promeruit, vt vbi abundauit delictum Adam, ſuper abundaret gratia redemptoris.

14 Ex his ad primum fundamentum aduerſariorum neganda eſt minor, neque enim incarnatio Chriſti, aut eius merita fuerunt prępărata ex illa intentione beandi homines, ſed antecedenter ad illā: ac proinde neque fuerunt effectus noſtræ prædeſtinationis. Ex quo conuincitur Suarium, & alios Neotericos minus conſtare ſibi, & veritati, dum admiſſa maiori, & minori negant conſequentiam, exiſtimantes, quod Chriſtum eſſe cauſam omnium effectuum noſtræ prædeſtinationis ſimpliciter ſaluetur in eo, quod ſit cauſa meritoria omnium donorum, quæ in ipſo prædeſtinato recipiuntur, cum tamen dicat Diu. Thom. in corp. art. citati 1. part. quod dari cauſam totius prædeſtinationis alicuius hominis, ſit idem atque dari cauſam omnium effectuum illius nullo excluſo. Igitur neque incarnatio excludenda eſſet à cauſalitate meritoria ipſius Chriſti ſi fuiſſet verus effectus noſtræ prędeſtinationis.

Occurritur aduerſariorum fundamentis.

Ad ſecundum negandum eſt antecedens, quia prædeſtinatio hominum nullatenus fuit facta ante originale peccatum permiſſum, & pręuiſſum, ſicut neque ante Chriſtum præuiſſum, & prædeſtinatum

tum

tus, ſed in alio ſigno rationis poſteriori, vt ſuperius dictum eſt, & quamuis in ſtatu innocentiæ, ſi in illo primus parens perſiſteret fuiſſent homines electi, & prædeſtinati, non quidem ex vi eiuſdem decreti, quo nunc dependenter à Chriſti meritis, prædeſtinantur, ſed ex vi alterius: nimirum independentis à Chriſti meritis, & in quo præſcientia diuerſorum euentuum includeretur, vt notat D. Thom. in dicto art. 8. quodlib. 5. quemadmodum, & dona gratiæ Adamo in ſtatu innocentiæ collata fuerunt, ex vi generalis prouidentiæ ſupernaturalis independentis à meritis Chriſti: quo pacto diſcernuntur à donis, & auxilijs ſufficientibus communibus reprobis, & electis, quę pro iſto conferuntur ex vi generalis prouidentię ſupernaturalis dependentis à meritis Chriſti, quia ſcilicet Deus voluit intuitu illorũ per gratiam redemptiuam omnes homines ſaluos fieri.

Ad tertium Capreoli reſpondetur negando maiorem: nam Chriſtus meruit nobis fidem, quia licet Adamus, non perdiderit illam de facto, perdidit tamen de iure, quatenus meruit peccando in ſtatu innocentiæ toto ordine gratiæ priuari in ſe, & in poſteris, ac per conſequens fide, cuius proinde continuationem, ſicut & totius ordinis gratiæ reparationem Chriſtus promeruit, nec non cæteras diſpoſitiones ad gratiam licet communes, quoad ſubſtātiam reprobis, & electis: diuerſimode tamen electis aplicuit merita ſua: nimirum vt efficaciter, & cum effectu eis conducerent ad vltimæ ſalutis conſequtionem.

Chriſtũ promeruiſſe ipſum quoq; decretum prædeſtinationis defēditur cōtra Suarium.

15 Dico ſecundo, ipſumquoque noſtræ prædeſtinationis decretum æternumque cõſiliũ, & dilectionem perducendi homines in beatitudinem quantum ad terminationem in ipſos effectus promeruit Chriſtus.

Hæc aſſertio ſtatuitur aduerſus Suarium qui vbi ſupra, negat Chriſtum promeruiſſe ipſum decretum prædeſtinationis, etiam quoad hanc terminationem; licet admittat illum promeruiſſe cunctos effectus prædeſtinationis in ipſo prędeſtinato receptos.

Quam opinationem ſuadet, tripliciter: primo ex teſtimonijs ſacræ Scripturę, in quibus prædeſtinatio hominum appellatur gratuita; reduciturque in ſolum propoſitum, & conſilium Dei gratuitum: hoc autem ſtare non poſſet ſi eſſet ex meritis Chriſti; tunc enim & Chriſto eſſet debita, & in eius merita, vt in cauſam reduceretur.

Secundo ratione oſtenſiua à priori, nimirùm quia licèt Chriſtus meruerit voluntatem conſequtiuam mediorum ad gloriam, non tamen meruit primam illam voluntatem intentionis dandi gloriam, vt pote cũ fuerit omnino ante quęcũque merita, etiam Chriſti præuiſſa, ſed tota ratio & diſpoſicio prædeſtinationis radicatur, & fundatur, in hac prima intentione: ergo qui illam non promeruit, neque potuit formale decretum prędeſtinationis promereri.

Tartio, ab inconuenienti nimirũ quia alias etiam purus homo iuſtus poſſet mereri alteri prædeſtinationem ſaltem de congruo, ſiquidem poteſt ſuis meritis, & orationibus impetrare alteri omnia dona gratiæ quibus certiſsimè ſaluetur, quæ Stephanus videtur Paulo impetraſſe, & meruiſſe: quod tamen Diu. Thom. reputat inconueniens 1. part. quæſtion. 23. artic. 8. dum ait prædeſtinationem noſtram poſſe quidem adiuuari precibus ſanctorum, ſed non poſſe ſanctos illam promereri.

16 Sed noſtra aſſertio defenditur ab Authoribus citatis pro prima: quos ſequuntur Vazquius 1. parte diſputatione 94. capite vltimo Arrubal diſputatione 78. numero 6. Albelda diſputatione 74 ſectione 4. Cornelius a lapide super cap. 1. ad Epheſios num. 4 & Læſius de prædeſtinatione Chriſti ſectione 3.

Et ſuadetur primo: nam Paulus in locis præallegatis eodem modo tribuit Chriſto benedictionem ſpiritualium donorum in tempore, atque æternam præordinationem, & electionem ad illa, dum ait. ſecundæ ad Timothęum 1.: *Qui vocauit nos vocatione ſua ſancta non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum, & gratiam quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu ante tempora ſæcularia.* Quo ſignificat Apoſtolus huiuſmodi dona gratię fuiſſe nobis collata per merita Chriſti non ſolum in executione, ſed etiam in intentione diuina. In quo etiam ſenſu ad Epheſios 1. ait nos electos fuiſſe in ipſo ante mundi conſtitutionem, ex quo loco Chryſoſtomus ibidem & Athanaſius ſermone 3. contra Arrianos probant ad excellentiã, & dignitatem Chriſti pertinere quod hominum

minum prædeſtinationem, & electionem promeruerit: ergo.

Secundo probatur: nam conſtat ex his quę docuimus 1. part. quęſt. 23. artic. 4. & 5. merita Chriſti fuiſſe præuiſa à Deo ante decretum noſtræ prædeſtinationis: necnon ante voluntatem nedum executiuam, ſed etiam intentiuam dandi gloriam: ſed in illo priori potuerunt eſſe cauſa motiua talis decreti, & intentionis, itaut propter huiuſmodi merita præuiſſa & applicata ad aliquos per ipſum redimẽdos, eos elegerit, & præordinauerit ad talia beneficia, & alias cędit in magnã Chriſti dignitatem, quod de facto ita contigerit: ergo non eſt illi deneganda.

Dices: ergo negotium noſtrę prædeſtinationis reducitur in humanam voluntatem Chriſti, vt in cauſam primordialem. Reſpondeo hanc conſequentiam nõ valere: eoquod merita Chriſti præuiſſa fuerunt cauſa noſtræ electionis ex adiuncta voluntate Dei volentis illis vti tanquam cauſa ad eligendos iſtos homines præ alijs relictis in maſſa perditionis, ſicut neque valet iſta conſequentia ſimilis formæ cũ prima: peccatum originale fuit cauſa reprobationis ex parte hominum reſpectu illorum qui propter illud damnãtur: ergo negotium reprobationis reducitur in illud tanquam in cauſam primordialem, & non in diuinam voluntatem. Quoniam originalę peccatum cum effectu, & quoad efficatiam non fuit cauſa reprobationis, niſi ex adiuncta voluntate Dei volentis aſſumere illud tanquam cauſam.

Vltimo probatur, ex eo quod Chriſtus promeruit omnes effectus prædeſtinationis hominum, vt conſtat ex præcedenti concluſione; idem autem eſt mereri omnes effectus prædeſtinationis, atque mereri diuinam voluntatem, & præordinationem terminari ad illos: igitur, & hanc promeruit quantum ad terminationem: nam ex parte actus diuini, & increati ſupponimus ex Diu. Thom. 1. p. quæſt. 19. art. 2. & 23. a. 5. & 8. ad 1. nullam dari cauſam diuinæ voluntatis, aut decreti.

Huic argumento dupliciter. Reſpondet Suarius, primo quidem diſtinguẽdo minorem de voluntate exequente, atque intendente: quam & fatetur de exequente, negat vero de intendente.

Secundo negando conſequentiã: quia illam, inquit, valere quidẽ negatiuè id eſt Chriſtus non meruit omnes effectus prædeſtinationis: ergo neque ipſam prædeſtinationem. Cuius inſtantiam adducit in orationibus, quas vnus ſanctus fundit pro alio: quæ quidem poſſunt eſſe cauſa impetratoria, ſiue meritoria omnium effectuum pręd eſtinationis alterius: non tamen ipſius decreti.

17 Sed neutra ſolutio eneruat vim argumenti facti: non prima quia vt rectè arguit Vazquius, omnis voluntas Dei ſpecialis erga prædeſtinatos tam exequens, quam intendens: ſiue etiam generalis, & antecedens ſaluandi omnes homines per auxilia ſufficientia poſt pręuiſum, & permiſſum peccatum originale fuit per Chriſtum & ab eius meritis dependens, vt probatum eſt. *Eneruãtur duæ ſolutiones Suarij.*

Neque ſecunda, quia fieri non poteſt Chriſtum promeruiſſe quod nobis cõferantur omnes effectus noſtræ prædeſtinationis, quin ſimul promeruerit quod decretum ipſum diuinum ad illos terminetur: eoquod huiuſmodi terminatio decreti diuini, aut non ponit in numero cum ipſis effectibus vt collatis à Deo, aut ſolum addit reſpectum rationis ad illos, aut ſolũ eſt connotatio ipſorum. Vnde prędicta conſequentia valet non ſolum negatiuè, vt vult Suarius, ſed etiam affirmatiuè, vt conuincit Vazquius, neque inſtantia adducta tenet quoniam aſſumit antecedens falſum, vt in ſolutione ad tertium patebit.

Ex his ad primum pro contraria ſententia reſpondetur negando minorem, quia prędeſtinatio hominum vocatur gratuita, comparata ad ipſos prędeſtinatos, ſecus verò comparata ad Chriſtum reſpectu cuius fuit debita, ſicut & noſtra iuſtificatio fit gratis omnino reſpectu noſtri, ſecus verò reſpectu Chriſti qui illam de cõdigno promeruit.

Ad ſecundum nego maiorem pro ſecunda parte; vtraque enim voluntas, tã exequens, quam intendens fuit poſt merita Chriſti præuiſſa, ac proinde dependenter ab illis diſpoſita, immo ſufficeret Chriſtum promeruiſſe voluntatem exequutiuã, vt promereretur ipſum formale decretum prædeſtinationis, quod in præordinatione exequtiua mediorum cum effectu conducentium ad gloriam formaliter conſiſtit. Vndè non eſt ſibi conſtans Suarius dum meritis Chriſti tribuit primum, & eiſdem negat ſecundum.

Ad tertium reſpondetur ex doctri

na

na tradita in dicto art. 8. primæ partis q. 23: negando ſequelam, nam vnus purus homo iuſtus non poteſt totam ſeriem effectuum prædeſtinationis alterius promereri propter tria. Tum quia hæc eſt propria dignitas & excellentia Chriſti Domini, tanquam capitis, cui ſoli proinde in locis præallegatis ſacræ Scripturæ attribuitur quod ſit cauſa meritoria prædeſtinationis & electionis aliorum hominum. Tum etiam, quia in eiſdem locis prædeſtinatio hominum appellatur gratuita, reduciturque in ſolum propoſitum, & beneplacitũ Dei, tanquã in primam cauſam, quod quidem præſupoſuit merita ſolius Chriſti, & non alterius hominis, vtpotè cum ſit prima origo, & radix meritorum, quorumcumque hominum, ac proinde ſicut fuit dependens ab illis ita fuit independens ab iſtis. Tum denique quia orationes & merita vnius ſancti applicata pro ſalute alterius ſunt effectus prædeſtinationis illius vt oratio Stephani fuit effectus prædeſtinationis Pauli, ſiquidem fuit beneficium Dei conducens cum effectu ad ſalutem Pauli, & ex intentione efficaci beandi Paulum, quæ ſunt conditiones ſufficientes, & requiſitæ ad effectum prædeſtinationis: ergo cum talis oratio non potuerit promereri ſeipſam, conſequenter neque potuit eſſe cauſa primi effectus prædeſtinationis Pauli, ac proinde neque totius collectionis effectuum illius.

18 Dico tertio. Non tamen fuit Chriſtus cauſa meritoria electionis noſtræ ad gloriam cõparatiuæ; ideſt quatenus eſt electio ſaluandorum præ alijs. Hæc concluſio ſtatuitur aduerſus ſententiam affirmantem Vincentij in relectione de gratia Chriſti, quæſt. 7. dubio 3. Cabrera hic art. 4. diſputat. vnica, Vazquij, Læſij, Cornelij, & Arrubal in locis præallegatis, qui duplici innituntur fundamento. Vincentius quidem mouetur ex eo quod Chriſtus dominus præuiſus in mente diuina deſignauit numerum materialẽ ſaluandorum, ita ut ſuppoſita voluntate in Deo eligendi aliquos indeterminate, & in cõfuſo, ipſe deſignauerit in ſingulari eos, quibus hic numerus ſaluandorum eſſet cõplendus: & hanc deſignationem vno ex duobus modis feciſſe videtur: nimirũ vel applicando merita ſua in intentione pro iſtis potius, quam pro alijs, ſicut & in tempore applicuit orationes, & merita ſua pro illis qui cum effectu ſaluandi erant: vel ex commiſſa, & delegata poteſtate, quam diuinus Pater ei commiſsit, vt hos potius quam alios ſuo ſanguine redimendos ad beatitudinẽ deſignaret: munus enim hoc cædit in dignitatem Chriſti, cui Pater dedit omne iuditium facere, & cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra, vt dicitur Matth. 28. quaſi potenti de omnibus diſponere, & librũ vitæ aperire, vt dicitur Apocalypſis 5. igitur non eſt illi denegandum.

Vazquius vero ducitur ex eo quod ad promerendam electionem ſaluandorum comparatiuam, & in ratione electionis ſufficit, quod Chriſtus applicuerit ſpecialiter merita ſua iſtis, & non alijs, & quod ex eius meritis ac diuina determinatione hi fuerint electi ad gloriam, & non alijs ex quo nulla indecentia ſequitur Chriſto, ob quam ita contigiſſe negare debeamus: ergo.

Sed noſtra aſſertio defenditur à cæteris diſcipulis Angelici Preceptoris citatis concluſione præcedente, & à Suario lib. 2. de prædeſtinatione capite. 24. & in hac 3. part. diſput. 41. ſect. 4.

Deffenditur contra Iuniores Chriſtum non fuiſſe cauſam meritoriam electionis comparatiuæ.

Eſuadetur primo, quia vt merita Chriſti fuerint cauſa electionis ſaluandorum formaliter quantum ad comparationem horum præ alijs, neceſſe eſt vt fuerint reſpectiua, & non abſoluta, ideſt vt quantum eſt de ſe determinate reſpicerent hos, ſcilicet electos, & non alios, ſcilicet excluſos, ac proinde debuerunt applicari à Chriſto ad merendam horum electionem, pariter & aliorum excluſionem: vtpote quia electio formaliter quatenus eſt amor cõparatiuus, aut eſt electio vnius ſimul, & excluſio poſitiua alterius, aut eſt electio vnius cum cõnotatione excluſionis alterius: ac per conſequens qui meretur electionem formaliter, neceſſe eſt, vt & ipſam excluſionem alterius, ſaltem ſecundario promereatur: cum hæc ſit de conceptu illius ad minus, vt connotata: vtrumque autem eſt inconueniens nullatenus admittendum: ergo. Minor patet de primo quidem: nam merita Chriſti ſecundum ſe fuerunt indifferentia, abſoluteque omnes redimendos reſpexerunt.

De ſecundo uero, quia de Chriſto nequaquam dici poteſt meruiſſe perditionem, & miſeriam reproborum, aut excluſionem à Regno. Quo enim pacto id aſſirmari poterit de illo, qui venit non perdere, ſed ſaluare homines, vt vitam habeant.

Digitized by Google

beant,& abundantius habeant Ioann. 10. & qui propterea Lucæ 4. increpauit Dæmones clamantes, vt quid veniſti perdere nos, ne perditionis ipſorum, authorem ſe proclamare pateretur.

Secundo ratione, qua vtitur Auguſt. de prædeſtinatione ſanctorum cap. 8. & lib. de bono perſeuerantiæ, capit. 22. nimirum, quia diſcretio ſaluandorum ab alijs relictis in maſſa perditionis in ſolum propoſitum, & beneplacitum Dei, vt in primam cauſam reducenda eſt in illudque defacto reducitur à Paulo in locis prælegatis.

Neque enim huiuſmodi maximum, & diuinæ prouidentiæ negocium voluntati creatæ Chriſti, committi expediebat, vt in illam, tanquam in primam cauſam reduceretur: ergo neque fuit expediens merita Chriſti fuiſſe cauſam huius electionis comparatiuæ: ita vt Deus illam faceret intuitu applicationis, ac determinationis voluntatis Chriſti, & quaſi illam expectando, ſic enim ex illa, vt ex cauſa primordiali talis diſcretio originem traheret.

Tertio, quia humana voluntas Chriſti ſpeciali impulſu Spiritus Sancti mouebatur, vt præces funderet, & merita ſua applicaret pro ſalute ſaluandorum: huiuſmodi autem impulſus Spiritus Sancti, immiſſus voluntati Chriſti ſupponit in diuina voluntate, ex qua ortus eſt intentionem efficacem ſaluandi electos: quidquid enim eſt intentum à voluntate humana Chriſti præſupponitur intentum à Deo, & Spiritu Sancto, alioquim illam in incognitum, ſeu incertum moueret: ergo facta fuit hæc diſcretio ex ſolo beneplacito diuinæ voluntatis antecedẽter ad voluntatis humanæ Chriſti determinationem.

Quarto probatur ab inconuenienti duplici, quod ſequitur ex oppoſita ſententia: primum eſt, quod humana voluntas Chriſti in negotio prædeſtinationis, & reprobationis hominũ non ſe conformaret voluntati diuinæ, ſed potius è contra diuina ſe conformaret humanæ, quod tamen eſſe falſum conſtat ex teſtimonijs Euangelij, in quibus exprimitur humanam voluntatem Chriſti, nedum in negotio prędeſtinationis hominum, ſed etiam in alijs ſe conformaſſe voluntati diuinæ, & non è contra propterea enim Lucę 22. dixit: *Verumtamen non mea ſed tua voluntas fiat,* & Ioann. 8. *Ego quæ placita ſunt ei facio ſemper;* & cap. 17. *Non pro mundo rogo, ſed pro ijs, quos mihi dediſti, tui enim erant, & tu mihi eos dediſti,* quo denotat Chriſtus prædeſtinatos prius electos, ac deſignatos fuiſſe à diuina voluntate, cui humana ipſius voluntas ſe conformauit applicando ſua merita pro illis.

Secundum eſt, quia alias etiam Chriſtus fuiſſet cauſa electionis antiquorum Patrum, qui ipſum tempore præceſſerũt, quod tamen negat Vazquius qui ſuam ſententiam ſtricte intelligit de electione ſanctorum nouæ legis: vtpote quia pro præteritis non debuit orationem fundere, quæ nequit ſupponere id quod petitur, ſicut è contra, neque gratiarum actio poteſt eſſe de beneficio conferendo, quod ad ipſam ſubſequitur.

Sequela autem patet, quia Chriſtus pro omnibus hominibus ſaluandis obtulit Patri merita ſua, ſicut & in tempore omnes ex eius meritis gloriam aſſequuti ſunt, pro omnibus quoque potuit in primo inſtanti ſuæ conceptis orare abſtrahẽdo à circunſtantijs loci, & temporis, & ſic orans potuit præuideri à Deo ante electionem, vt eius oratione prępulſa illos determinate eligeret, quibus Chriſtus ſuam deprecationem applicabat: ergo.

Vltimo probatur labefactando duos modos quibus aduerſarij huiuſmodi diſcretionem ſaluandorum Chriſto adſcribunt. Vincentius enim & Vazquius adſcribunt illam Chriſto per modum depræcationis, & orationis applicatæ pro iſtis, & non pro alijs. Leſius vero, & alij Neoterici adſcribunt illam Chriſto ex commiſſione, & delegata poteſtate, diſtinguẽtes tria inſtantia, ſiue tria ſigna rationis in quibus hoc negotium diſcretionis ſaluandorum exiſtimant inter Patrem, & Chriſtum fuiſſe hoc ordine conſumatum, vt in primo ſigno Deus propter merita Chriſti præuiſa in genere cauſæ finalis, ex omnibus per ipſum redimendis decreuit eligere aliquos, & pautiores, quam cæteros derelictos, non tamen determinando indiuidua, ac perſonas, quæ iſtum numerum deberent complere.

Deinde in ſecundo præuiſus fuit Chriſtus orans ac depræcans vt numerus ſaluandorum iſtis potius, quam alijs hominibus compleretur: & tunc in tertio ſigno exaudita à Patre huiuſmodi oratione pro filij ſui reuerentia commiſsit eiuſdem optioni omnium ſaluandorum electionem,

Digitized by Google

& perſonarum veluti materialem deſignationem, vtpote cum hoc & in filij dignitatem cædat, & magis erga ipſum amorem Patris commendet.

20 Sed vterque modus videtur minus conſonus teſtimonijs Scripturæ, primus quidem, quia oratio Chriſti ſupoſuit completam electionem ſaluandorum, non ſolum formaliter, ideſt tot hominum in communi, ſed etiam materialiter, ideſt horum in particulari, propter duo.

Tum quia ſicut pro nullo ſigno rationis Deus cognouit vage homines, quin eos cognoſceret in particulari: ita pro nullo ſigno elegit illos vage, quin eligerit eos in particulari.

Tum etiam, quia voluntas humana Chriſti debuit ſe conformare voluntati diuinæ: ſimpliciter & abſolute eiuſque decretum expectare, & non è contra, vt colligitur ex teſtimonijs præalegatis: ergo debuit expectare nedum formalem, ſed etiam materialem diuinæ voluntatis deſignationem ſaluandorum, vt illi ſe conformaret, & non è contra.

Secundus vero, quia talis commiſsio & delegatio poteſtatis non cohæret cum illa Chriſti reſponſione data Matth. 20. Matri filiorũ Zebedæi: *ſedere autem ad dexteram, vel ſiniſtram non eſt meum dare vobis ſed quibus paratum eſt à Patre meo* Ac ſi diceret, meum quidem eſt mereri, deſignare autem ſedes regni, huic præ alio eſt ſolius Patris, ſicut, & illas præparare. Neque cũ illo Pauli ad Rom. 11. *Quis cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit,* &c. ideſt, nullus eſt, qui dederit conſilium Deo, aut cuius conſilio Deus diſpoſuerit ea quę pertinẽt ad negotium prædeſtinationis hominum, quod primordialiter in ſolum conſiliũ Deus reducẽdum eſt vt communiter Patres interprætantur.

QVAES-

QVAESTIO XXV.

De adoratione Chriſti, in ſex articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum vna, & eadem adoratione ſit adoranda diuinitas Chriſti, & eius humanitas?

Inf. q. 58. ar. 3. c. fin. & ad 1. & 3. d. 9. q. 1. ar. 2. q. 1. & d. 19. art. 1. ad 4. & ver. q. 29. a. 4. ad 4.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod non eadem adoratione adoranda ſit humanitas Chriſti, & eius diuinitas. Diuinitas enim Chriſti eſt adoranda adoratione, quæ eſt communis patri, & filio. Vnde dicitur Ioann. 5. Omnes honorificent filium, ſicut honorificant patrem. Sed humanitas Chriſti non eſt communis ei, & patri. Ergo non eadem adoratione adoranda eſt humanitas Chriſti, & eius diuinitas.

2 Præterea. Honor eſt propriè prœmium virtutis, vt Phyloſoph. dicit in 4. ethic. * Meretur autem virtus ſuum prœmium per actum. Cum igitur in Chriſto ſit alia operatio diuinæ, & humanæ naturæ, (vt ſupra habitum eſt †) videtur quod alio honore ſit veneranda humanitas Chriſti, & alio eius diuinitas.

** c. 3. to. 5 q. 19. a. 1.*

3 Præterea. Anima Chriſti ſi non eſſet Verbo vnita, eſſet veneranda propter excellentiam ſapientiæ, & gratiæ, quam habet. Sed nihil dignitatis eſt ei ſubtractum per hoc, quod eſt vnita Verbo. Ergo natura humana in Chriſto eſt quadam propria adoratione veneranda, præter venerationem, quæ exhibetur diuinitati ipſius.

Sed contra eſt, quod in capitulis quintæ Synodi ſic legitur, † Si quis in duabus naturis adorari dicit Chriſtum (ex quo duæ adorationes introducuntur) ſed non vna adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipſius carne adorat, ſicut ab initio Dei Eccleſię traditum eſt: talis anathema ſit.

In Conc. 2. Ciſtanti quod eſt 5a gener. can. 9.

Reſpōdeo dicēdū, quod in eo qui honoratur, duo poſſumus cōſiderare, ſcilicet eū cui honor exhibetur, & cauſam honoris. Propriè autē honor exhibetur toti rei ſubſiſtenti: non enim dicimus, quod manus hominis honoretur, ſed quod homo honoretur. Et ſi quandoque contingat, quod dicatur honorari manus vel pes alicuius, hoc non dicitur ea ratio-

ne, quod huiuſmodi partes ſecundum ſe honorentur: ſed quia in iſtis partibus honoratur totum: per quem etiam modum aliquis homo poteſt honorari in aliquo exteriori, puta in veſte, aut in imagine, aut in nuntio. Cauſa autem honoris eſt id, ex quo ille qui honoratur, habet aliquam excellentiam. Nam honor eſt reuerentia alicui exhibita propter ſui excellentiam, vt in ſecunda parte dictum eſt.* Et ideo ſi in vno homine ſunt plures cauſæ honoris, (puta prælatio, ſcientia, & virtus) erit quidem illius hominis vnus honor ex parte eius qui honoratur, plures tamen ſecundum cauſas honoris; homo enim eſt qui honoratur, & propter ſcientiam, & propter virtutem. Sic ergo cum in Chriſto ſit tantum vna perſona diuinæ, & humanæ naturę, & etiam vna hypoſtaſis, & vnum ſuppoſitum eſt quidem eius vna adoratio, & vnus honor ex parte eius qui adoratur. Sed ex parte cauſę qua honoratur, poſſunt dici eſſe plures adorationes; vt ſcilicet alio honore honoretur propter ſapientiam increatam, & alio propter ſapientiam creatam. Si autem ponerentur in Chriſto plures perſonę, ſeu hypoſtaſes, ſequeretur quod ſimpliciter eſſent plures adorationes. Et hoc eſt, quod in Synodis reprobatur. Dicitur enim in capitulis Cyrilli, † Si quis audet dicere, aſſumptum hominem coadorari oportere Deo Verbo, quaſi alterum alteri, & non potius vna adoratione honorificat Emanuelem, ſecundum quod factum eſt caro Verbum; anathema ſit.

2. 2. quaſ. 103. ar. 1.

Habetur in Conc. 1. Epheſ. canon. 8.

Ad primum ergo dicendum, quod in Trinitate ſunt tres qui honorantur, ſed eſt vna cauſa honoris. In myſterio autem incarnationis eſt è conuerſo. Et ideo alio modo eſt vnus honor Trinitatis, & alio modo eſt vnus honor Chriſti.

Ad ſecundum dicendum, quod operatio non eſt quæ honoratur, ſed eſt ratio honoris. Et ideo per hoc quod in Chriſto ſunt duæ operationes, non oſtenditur quod ſint duæ adorationes, ſed quod ſint duæ adorationis cauſæ.

Ad tertium dicendum, quod anima Chriſti, ſi non eſſet vnita Dei Verbo, eſſet id quod eſt principaliſſimum in homine illo; & ideo ſibi præcipue deberetur honor, quia homo eſt id, quod eſt potiſſimum in eo. Sed quia anima Chriſti eſt vnita perſonæ digniori, illi perſonę pręcipue debetur honor, cui anima Chriſti vnitur. Nec per hoc tamen diminuitur dignitas animæ Chriſti, ſed augetur, vt etiam ſupra dictum eſt. *

QVamuis conſideratio de adoratione in communi pertineat ad tractatū de religione, vtpote cum ſit eius actus, de quo propterea agit Diuus Thomas 2. 2. queſtion. 84. tamen conſideratio de adoratione in ſingulari, quæ debetur Chriſto, ſiue humanitati aſſumptæ ſpectat ad hunc tractatum de dignitatibus coaſſumptis à Verbo: de qua proinde merito tractant ſcholaſtici cum Magiſtro in 3. diſt. 9. & cum D. Thoma in hac quæſt. 25. 3. partis. Eo vel maxime, quod hæretici, ſicut circa hoc miſterium incarnationis errauerunt; ita de adoratione Chriſto debita male ſenſerunt: aut illam omnino ei denegantes, aut illam diminuentes. Quam ob cauſam etiam Concilia, quæ veritatem huius miſterij definierunt, ſimul & errores circa Chriſti adorationem damnarunt.

Igitur in hoc primo articulo determinat Angelicus Doctor adorationē Chriſti eſſe vnam ex parte perſonæ adoratæ, plures vero ex parte cauſæ, diuinæ ſcilicet, & humanæ, ob quas adoratur. Quæ concluſio pro prima parte probatur, quia in Chriſto tantum eſt vnum ſuppoſitum; & id quod adoratur non

eſt

eſt pars, ſed totum ipſum ſubſiſtentiæ ſuppoſitum.

Pro ſecunda vero parte probatur, quia alia cauſa, ſiue ratio adorationis, vel honoris eſt ſapientia diuina: & alia eſt ſapientia humana, v.g. Tum etiam, eadem pars probatur, ex oppoſito: quia ſi in Chriſto eſſent plures hypoſtaſes, adoratio eius non eſſet vna, etiam ex parte adorati, ſed multiplex: quod tamen damnatum in Synodis eſt.

ART. II.

Vtrum humanitas Chriſti adoranda ſit adoratione latriæ?

3. d. 9. q. 1. ar. 2. q. 1. & q. 4. ad 1. gl. ord. ibidem ex Aug. ibid. tom. 8.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod humanitas Chriſti non ſit adoranda adoratione latriæ. Quia ſuper Pſalm. 98 Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt, dicit gloſſ. * Caro à Verbo Dei aſſumpta, ſine impietate adoratur à nobis: quia nemo carnem eius ſpiritualiter manducat, niſi prius adoret: non illa dico adoratione, quæ latria eſt, quæ ſoli creatori debetur. Caro autem Chriſti eſt pars humanitatis. Ergo humanitas Chriſti non eſt adoranda adoratione latriæ.

2 Præterea. Cultus latriæ nulli creaturæ debetur; ex hoc enim reprobantur Gentiles, quod coluerunt, & ſeruierunt creaturæ, vt dicitur Roman. 1. Sed humanitas Chriſti eſt creatura. Ergo non eſt adoranda adoratione latriæ.

3 Præterea. Adoratio latriæ debetur Deo in recognitionem maximi dominij, ſecundum illud Deuteronom. 6. Dominum Deum tuũ adorabis, & illi ſoli ſeruies. Sed Chriſtus ſecundum quod homo, eſt minor patre. Ergo humanitas eius non eſt adoratione latriȩ adoranda.

Sed contra eſt, quod Damaſcen. dicit in 3. lib. * Adoratur autem caro Chriſti incarnato Verbo Deo; non propter ſe ipſam, ſed propter vnitum ei ſecundum hypoſtaſim Verbum Dei. Et ſuper illud Pſalm. 98. Adorate ſcabellum pedum eius, dicit Gloſſ. † Qui adorat corpus Chriſti, non terram intuetur, ſed illum potius, cuius ſcabellum eſt, cuius in honore ſcabellum adorat. Sed Verbum incarnatum adoratur adoratione latriæ. Ergo & corpus eius, ſiue eius humanitas.

lib. 3. orth. fid. cap. 3. cir. prin.

Pſ. 98 eſt Aug ibid. tom. 8.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, * honor adorationis propriè debetur hypoſtaſi ſubſiſtenti: tamen ratio honoris poteſt eſſe aliquid non ſubſiſtens; propter quod honoratur perſona, cui illud ineſt. Adoratio igitur humanitatis Chriſti dupliciter poteſt intelligi. Vno modo, vt ſit eius; ſicut rei adoratæ: & ſic adorare carnem Chriſti, nihil eſt aliud quam adorare Verbum Dei incarnatum: ſicut adorare veſtem Regis, nihil eſt aliud quam adorare Regem veſtitum. Et ſecundum hoc adoratio humanitatis Chriſti; eſt adoratio latriæ. Alio modo poteſt intelligi adoratio humanitatis Chriſti, quæ fit ratione humanitatis Chriſti, perfectæ omni munere gratiarum: & ſic adoratio humanitatis Chriſti non eſt adoratio latriæ, ſed adoratio duliæ. Ita ſcilicet quod vna, & eadem perſona Chriſti adoretur adoratione latriæ, propter ſuam diuinitatem; & adoratione duliȩ, propter perfectionem humanitatis.

art. præc.

Nec hoc eſt inconueniens: quia ipſi Deo patri debetur honor latriæ propter deitatem, & honor duliç propter dominium quo gubernat creaturam. Vnde ſuper illud Pſal. 7. Domine Deus meus in te ſperaui, dicit gloſſ. * Domine omnium, per potentiam cui debetur dulia: Deus omnium, per creationem, cui debetur latria.

Pſal. 7. gl. inter. ibid.

Ad primum ergo dicendum, quod gloſſ. * illa non eſt ſic intelligenda, quaſi ſeorſum adoretur caro Chriſti ab eius diuinitate: hoc enim poſſet contingere ſolum hoc modo, ſi eſſet alia hypoſtaſis Dei, & hominis. Sed quia, vt Damaſcen. * dicit, ſi diuidas ſubtilibus * intelligentijs, quod videtur, ab eo quod intelligitur, inadorabilis eſt; vt creatura, ſcilicet adoratione latriæ. Et tunç ſic intellectæ, vt ſeparatç à Dei Verbo, deberetur ſibi adoratio duliç: nõ cuiuſcumque, (puta quç communiter exhibetur alijs creaturis) ſed cuiuſdam excellentioris, quam hyperduliam vocant.

citata in argum. 1.

lib. 4. c. 3. cir. princ.

i. cogitationibus, ſeu mentis conceptibus.

Et per hoc etiam patet reſponſio, Ad ſecundum, & tertium; quia adoratio latriæ non exhibetur humanitati Chriſti ratione ſui ipſius, ſed ratione diuinitatis, cui vnitur, ſecundum quam Chriſtus non eſt minor patre.

CONcluſio reſpõſiua eſt duplex, Prima eſt, quod humanitas Chriſti, vt res adorata, eſt adoranda adoratione latriæ. Eo quod ipſam ſic adorari, nihil aliud eſt; quam Verbum incarnatum adorari, ſicut adorare veſtem Regis, eſt adorare Regem veſtitum; certum eſt autem Verbo incarnato, deberi adorationẽ latriæ.

Secunda eſt, humanitas Chriſti, vt ratio adorandi, non eſt adoranda adoratione latriæ, ſed duliæ: hoc eſt, perſona Chriſti honoranda eſt dulia ratione humanitatis plenæ gratiæ, ſapientiæ, &c. Quod probatur exemplo diuini Patris, cui licet debeatur honor latriæ ratione deitatis, etiã debetur honor duliç, ratione dominij quo gubernat creaturas. Vnde ſuper illud Pſalm. 7. *Domine Deus meus in te ſperaui;* ſic habet gloſſa interlinealis: *Domine omnium per potentiam, cui debetur dulia, Deus omnium per creationem, cui debetur latria.*

Circa doctrinam tradditam à Doctore Angelico in his concluſionibus duo in controuerſiam à Theologis vocantur; nimirum vtrum Chriſtus in quantum homo, & eius humanitas adorentur eadem adoratione latriæ? & vtrum humanitas præciſſa à Verbo conuenienter poſsit eadem, aut altera adoratione adorari, & quç ſit illa? Quæ proinde à nobis ſingulis dubijs ſunt examinanda.

Dubium primum eſt: An Chriſtus, vt homo poſsit, ac debeat coli adoratione latriæ: ita vt eadem adoratione poſsit, ac debeat eius humanitas coli?

1 IN hoc dubio omnes Theologi conueniunt in tribus communibus principijs, quæ potius ex communi tractatu de adoratione ſupponẽda ſunt, quam hic diſcutienda. Conueniunt quidem primo in hoc quod triplex eſt ſpecies, ſiue modus adorationis: alia enim eſt adoratio latriæ: alia duliæ, & alia hyperduliæ. Cuius diuiſionis ratio eſt, quia cum adoratio exhibeatur alicui perſonæ propter eius excellentiam: ſicut eſt triplex excellentia; alia quidem increata in Deo; alia verò creata veluti communis, & generalis, quæ conuenit Sanctis ratione gratiæ, ſiue gloriæ, alia denique eſt creata particularis, quæ reperitur in aliquibus Sanctis, ratione alicuius excellentis gratiæ, ſiue Sanctitatis: ita ſecundum hanc triplicem rationẽ excellẽtiæ, diſtingunt Theologi triplicem adorationẽ, ſcilicet latriã quæ exhibetur Deo: duliã quæ exhibetur Sanctis, & hyperduliam quæ exhibetur beatæ Virgini, & humanitati aſſumptæ.

Expenditur triplex adorationis diuiſio.

Quam diſtinctionem communiter tra-

duut

dunt Scholaſtici cum Magiſtro in 3. diſtinct. 9. & cum Diu. Thoma in hac quæſtione, & 2. 2. quæſt. 84. & queſtion. 103. art. 3. & 4. & quamuis ratio excellentiæ Analogice dicatur de creata, & increata, tamen ratio cultus, ſiue adorationis, bene poteſt dici vniuoce de prædictis tribus ſpeciebus, ſiue modis adorationis. Eo quod cum ſint humani actus, & ab eadem virtute religionis prouenientes, bene poſſunt in eadem ratione vniuoca adorationis, ſiue cultus religioſi, & honeſti conuenire.

Quod etiam patet exemplis: nam oratio, ſiue depræcatio fuſſa ad Deum, & fuſſa ad Sanctos proculdubio in ratione communi orationis vniuoce conueniunt. Similiter amor Dei, & amor proximi in ratione amoris charitatis vniuoce conueniunt. Eſtque ſententia expreſſa Diu. Thomæ 2. 2. quæſt. 94. art. 1. ad 2. quod latria, & idolatria in ratione actus humani ad cultum pertinentes vniuoce conueniunt. Sicut ſolutio tributi vniuoce dicitur de illa quæ vero Regi, & de illa quæ falſo Regi exhibetur: ergo à fortiori actus latriæ, & duliæ cum ſint eiuſdem virtutis religionis, debent in eadem ratione cultus vniuoce conuenire.

Quam ſententiam etiam probat Suarius hic diſp. 6 1. ſection. 2. aduerſus Bonauenturam in 3. diſt. 9. art 2. ad 4. & Petrum de Vergamo, qui oppoſitam ſententiam ſibi perſuadet ductus tribus locis D. Thomæ: nimirũ 2. 2. q. 84 art. 1. ad primũ & quæſt. 94. art. 1. ad ſecundum, & in 3. diſt. 9. quæſt. 2. quæſtiuncula 7. quæ tamen ſi recte perpendantur neutiquam obſtant priori ſentẽtiæ: nec aliquid inſinuant ex quo colligi poſsit ſanctum Doctorem in poſteriorem ſententiam inclinaſſe.

2 Conueniunt ſecundo, in eo quod adoratio poteſt diuidi alijs duobus modis; nimirum, aut ex parte ſubiecti in internam, & externam: quarum illa in actu interno voluntatis, iſta vero in actu externo conſiſtit, ſiue iſte actus externus ſit intellectus, ſiue voluntatis imperatus à primo actu quo homo vult, & intendit cultum exhibere: vtpote, quia actus intellectus cum ſit alterius potentiæ à voluntate poteſt dici externus reſpectu illius: & ſimiliter licèt minus proprie poteſt dici actus imperatus voluntatis externus reſpectu imperantis: ſiue ſit externus ſimpliciter, & magis proprie, qualis eſt ille qui fit per ſigna externa, & ſenſibilia, cuius varias ſpecies numerat Ariſtotel. 1. Rethoric. cap. 5. *Honoris, inquit partes ſunt, ſacra, memorationes, decantationes carminum, aut ſolutæ orationis ad laudem recitatio, præmia, delubra, vel primi conſeſus, ſepulchra, imagines, publici ritus, ad hæc etiam barbara, vt inclinari, loco cedere, munera quoque, & c.* Aut etiam ex parte modi tendendi in obiectum, & ſic diuitur adoratio in abſolutam, & reſpectiuam, nam ſicut voluntas poteſt amare aliquam rem, vel ſecundũ ſe, id eſt quia in ſe bona eſt: & hæc dicitur dilectio abſoluta, vel propter alind, tamquam medium vtile ad illud: & hæc dicitur dilectio reſpectiua, quæ vulgo appellatur electio: ita poteſt colere, ſiue adorare aliquam rẽ, vel propter ſe hoc eſt propter intrinſecam excellentiam, quam habet in ſe: & tunc dicitur adorari adoratione abſoluta, ſiue affectu abſoluto adorationis: vel propter aliud hoc eſt propter excellentiam quæ eſt in aliqua perſona, ad quam talis res habet aliquam habitudinem, ſiue coniunctionem: & tunc dicitur adorari affectu reſpectiuo adorationis, & quoniam ſola natura intellectualis eſt capax habendi excellentiam priori modo, ſcilicet virtutis, ſanctitatis, ſapientiæ, dominij, & ſimilium: res autem irrationales, aut inanimes, etiam ſunt capaces habendi excellentiam dumtaxat ſecundo modo: propterea ſola res intellectualis eſt capax adorationis abſolutæ: res autem inanimes, ſiue irrationales tantum ſunt capaces adorationis reſpectiuæ.

Vnde habemus triplicem diuiſionem adorationis apud Theologos communiter recemptam.

Ex quibus prima deſſumitur ex parte obiecti. Secunda ex parte ſubiecti, ſiue ex parte actus. Tertia vero deſſumitur ex parte modi tẽdẽdi ipſius actus in obiectũ.

3 Conueniunt tertio, in eo quod Chriſto in quantum Deo homini debetur perfecta adoratio latriæ, quæ toti Trinitati, & ſingulis diuinis perſonis debetur.

Hæc eſt etiam ſuppoſitio communiter recepta à Patribus, & Theologis tamquam certum dogma fidei, eo quod Chriſtus in quantum Deus homo includit Deitatem, & eſt verus Deus, ſicut Pater, & Spiritus Sanctus gaudens eadem poteſtate, & excellentia cum illis: ergo debetur illi eadem adoratio, quæ toti Trinitati de-

betur: hæc autē proculdubio eſt perfectiſſima adoratio latriæ. Idquè conteſtantur perſpicua ſacræ Scripturæ teſtimonia, & Eccleſiæ diffinitiones. Ex illis quidem extat illud, Ioannis 5. *Vt omnes honorificent filium, ſicut honorificant Patrem*, & Eſaias 45. *Mihi curuabitur omne genu*: quod Paulus ad Roman. 14. de Chriſto interpretatur, & Ioannis 9. cœcus per fidem à Chriſto illuminatus procidens adorauit Deū: & Magi Matthæi 2. fide illuminati Chriſto puero ſua myſtica munera offerentes procidentes adorauerunt eum: & illud Ioann. 20 dictum in perſona Thomæ adorantis Chriſtum, *Dominus meus, & Deus meus*, & ad Philipenſes 2. *In nomine Ieſu omne genuflectatur, &c.* & Apocalipſis 5. hac adoratione adorant ſancti omnes agnum occiſſum, & ſedentem in trono: ſimul canentes, *benedictio, & honor, & poteſtas in ſæcula ſæculorum.* Ex iſtis vero extat Epheſinum canone 8. & in epiſtola Concilij Alexandrini, ibi recepta, & quinta Synodus, collatione octaua, canone nono, & ſeptima Synodus actione ſexta prope finem: in quibus diffinitur, quod caro, poſtquam facta fuit Regis tegumentum, cum ipſo Rege eiuſdem eſt dignitatis, quamquam natura non fuerit talis, nec non damnatur error Neſtorianus dicens hominem aſſumptum coadorari oportere Deo Verbo, quaſi alterum alteri, & non potius vna adoratione honorificari, &c. Quo denotatur hominem aſſumptum non ſolum adorari adoratione latriæ per concomitantiam, ſeu coadorari propter accidentariam vnionem cum Verbo, vt dicebat Neſtorius, diſtinguens in Chriſto ſuppoſita, ſed vna, & eadem adoratione latriæ, debere adorari ſaltem propter idiomatum cōmunicationem; & ratio eſt manifeſta, quia Chriſtus vt homo Deus, eſt vnum ſubſiſtens, ſimul in diuina, & humana natura; ac proinde eſt æqualis patri, & verus Deus, ſicut ille: ergo eadem adoratio latriæ ei, vt ſic debetur, quæ debetur Patri.

Proponitur ſtatus quæſtionis, & varia Theologorū placita explicantur.

4 Diſcriminantur autem in explicando, vtrum eadem adoratio, quæ exhibetur huic ſuppoſito ſubſiſtenti in natura diuina, & humana, ſiue huic homini Deo extendatur ad humanitatem ipſam aſſumptam?

In tres ſententias, quarum duæ ſunt extremæ, & vna eſt media.

Prima illarum negans eſt, quam in vno ſenſu ſequitur Gabriel in 3. diſtinctione nona, & lectione 49. & 50. ſuper canon, quatenus diſtinguit duplicem adorationem latriæ, vnam ſimpliciter, ſeu abſolutam, quam negat communicari humanitati: aliam vero ſecūdum quid & reſpectiuam, quam concedit ad humanitatem terminari. Eamdem ſequitur Suarius diſputatione 53. ſectione ſecunda, aliter diſtinguendo duplicem latriam; vnam ſuperiorem, quam negat terminari poſſe ad humanitatem: alteram vero inferiorem, & hanc admittit terminari ad humanitatem propter vnionem cum Deo: quam duplicem latriam dicit differre quidem ſpecie, conuenire tamen vniuoce in ratione latriæ, & cultus eiuſdem virtutis religionis reſpicientis eandem excellentiam increatam, licet diuerſimode: eo quod prima reſpicit excellentiam increatam ſecundum ſe. Secunda verò reſpicit illam, vt coniunctam humanitati, & eam ſanctificantem.

In eandem ſententiam inclinat Durandus in eodem 3. diſtinction. 2. quæſt. 9. quatenus aſſerit humanitatem Chriſti ſolum per accidens adorari cultu latriæ. Quæ ſententia ſuadetur à ſuis authoribus ex eo, quod humanitas, quamtumuis vnita Verbo, numquam habet excellentiam increatam, quam reſpicit latria perfecta, & ſuperior quæ debetur Deo: quia numquam eſt æqualis in excellentia, & dignitate ipſi Deo; nec eſt bonum increatum, nec eſt vltimus finis: ſed eſt creatura: ergo.

Quæ ratio amplius confirmatur ex eo, quod Angeli ante incarnationem adorabāt diuinum Verbum affectu latriæ: & poſt incarnationem, etiam adorant idē Verbum in carne aſſumpta, iuxta illud Pauli ad Hebræos 1. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrarum, & adorent eum omnes Angeli eius, &c.* Sed non adorant illud eodem omnino affectu, quia actus finitus, manens in ſe immutatus non poteſt ad plura obiecta extendi in vno tempore quam in alio: ergo idem affectus, qui ante incarnationem attingebat Verbū, poſt incarnationem non attingit carnem aſſumptam: ſed alius diſtinctus, ſiue quoad entitatem, ſiue ſaltem quo ad modum.

5 Secunda ſententia eſt aliorum aſſe-

ren-

ſentium Chriſtum hominem, tam ſecundum humanitatem, quam ſecūdū diuinitatē, vna tantum, & eadem adoratione latriæ omnino debere adorari. Quorū fundamētū deſſumitur ex Cōcilijs ſupra citatis, in quibus diffinitur, Chriſtum vna tantum adoratione eſſe adorandum: ergo vna, & eadem adoratio indibiſibilis ad Chriſtum & eius vtramque naturam debet terminari, niſi velimus diffinitionibus Conciliorum contradicere.

Præfertur ſentētia negans duas adorationes latriæ reſpectu Verbi, & eius humanitatis.

Tertia ſententia, & media aſſerit, Chriſtum, vt hominem ſpecificatiue loquendo, & eius humanitatem adorari adoratione latriæ eadem, qua Verbum adoratur, ideſt ex parte perſonæ adoratæ: reduplicatiue autem, ideſt ex parte cauſæ adorationis adorari Verbum vna adoratione ſcilicet latriæ, & alia humanitatem aſſumptam: quæ poteſt dici inferior, reſpectu primæ, aut etiam hyperduliæ.

Hanc docent D. Thomas in art. 2. huius quæſtionis, & cum Magiſtro in 3. diſtinct. 9, Bonauentura, art. 1. quæſtion. 1. Ricardus, art. 2. quæſtion. 1. Scotus quæſtione vnica, Paludanus quæſt. 1. Marſilius queſtion. 8. Alenſis 3. part. queſtion. 3. membro 2. Vvaldenſis. tom. 3. de Sacramentalibus, cap. 119. Caietanus in eodem artic. & alij recentiores vniuerſim in eandem conſpirant ſententiam. Quæ proinde à nobis ſtatuitur pro concluſione, quæ habet tres partes probandas.

Prima eſt, quod eadem adoratione ſuprema, qua adoratur Verbum incarnatum, ſimul coadoratur eius humanitas, vel etiam Chriſtus ipſe, vt homo ſpecificatiue.

Secunda eſt, quod ſi humanitas aſſumpta, vel Chriſtus, vt homo ſpecificatiue conſideretur ſecundum dignitatem, quam habet ratione vnionis cum Verbo, non debetur ei adoratio latriæ inferior ad ſupremam.

Tertia eſt, quod ſi humanitas aſſumpta, vel Chriſtus vt homo ſpecificatiue cōſideretur ſecundum excellentiam gratiæ iuſtificantis, & donorum quæ illam comitantur, vt ſic debetur ei adoratio hyperduliæ.

Igitur prima pars ſuadetur primo, ex patribus adſtruentibus eamdem ſimplicem, & ſupræmam adorationem exhibitam Verbo per ſe primo, veluti ſecundario, & commitanter exhiberi eius humanitati; non ſolum propter communicationem idiomatum, quo pacto omnia propria Dei, communicantur humanitati, & & prædicantur de illa in concreto: dicimus enim, quod hic homo eſt omnipotens, & creator Angelorum, &c. Sic enim proculdubio poſſumus, ac debemus confiteri illum eſſe ſupremum Dominum, & vltimum bonum noſtrum, ſuper omnia diligendum, ac ſuprema adoratione adorādū; hic enim ſenſus poſſet ſaluari, etiā ſi iſta adoratio ſuprema latriæ ſiſteret in ſola deitate Verbi; qua ratione licet propria Dei attributa ſiſtant in ſola deitate, propter idiomatum communicationem de hoc homine prædicantur: ſed etiam ratione ipſius vere, ac realis terminationis, qua idē affectus ſupremæ adorationis latriæ exhibitus Verbo, terminatur ad humanitatem: & primus ſenſus forte fuit intentus à Durando, quando dixit humanitatem aſſumptam ſolum per accidens adorari cultu latriæ, propter vnionem cum Verbo, qui tamen modus loquendi, ſicut ſingularis, ita & periculoſus eſt, & vitandus, vtpote Neſtoriano errori fauens.

6 In ſecundo autē ſenſu proculdubio intelligēdi ſunt ex Patribus Chryſoſtom. homilia 3. ſuper epiſtolam ad Hebræos, & homilia 3. de Chriſto ſecundum carnem, vbi exponit verba illa Pauli: *Et adorant eum omnes Angeli eius*, de perfecta latria, Ambroſius lib. 3. de Spiritu Sancto, cap. 19. & lib. 2. cap. 12. & lib. de incarnatio. Domini. Sacramento, capit. 7. dum idem probat ex illo ad Philipenſes ſecundo, *Vt in nomine Ieſu, omne genuflectatur; &c.* Auguſtinus Pſalmo 98. vbi de Chriſto homine exponit illum verſum: *Adorate ſcabellum pedum eius*, per ſcabellum autem humanitatem intelligit. Damaſcenus libro tertio, capite octauo, & libro quarto capite tertio, dum ait: *Non enim carnem nudam adoramus, ſed carnem Dei*, ideſt carnem, vt coniunctam Verbo eadem colimus adoratione, & Epiphanius in Ancorato, inquit, humanitatem coadorari Verbo Dei, fauentque ſeptima Synodus generalis, actione ſexta circa finem, & Conciliū Tridentinū, Seſsione ſexta, capite quinto, & canone ſexto, quarum illa diffinit, quod cū Chriſtus adoratur, non ſeparari humanitatem à diuinitate, ſed vtramque, vt vnum adorari cultu latriæ. Iſta vero

decernit Sacramentum Euchariſtiæ propter diuinitatis, & humanitatis Chriſti præſentiam adorari latria.

Secundo probatur exemplis adductis Scripturæ ſacræ: nam, quando Magi, & Thomas, Chriſtum adorauerunt, proculdubio eodem affectu ſupræmæ latriæ, ſimul diuinam naturam, & humanam in illo adorauerunt.

Tertio probatur ratione deſumpta, ex D. Thoma in art. 3. huius quæſtionis: nimirum, quia teſte Phyloſopho in lib. de memoria, & de reminiſcencia, cap. 2. idem eſt motus in imaginem, prout imago eſt, & in rem cuius eſt imago: ac proinde idem affectus adorationis in imaginem, vti imago eſt, & in prototypum terminatur: quia imago per ſe non eſt adorabilis, niſi prout in eſſe repræſentatiuo continet prototypum: & vt ſic adorabilis eſt eodem affectu adorationis, qui debetur prototypo.

Sed etiam humanitas Chriſti, prout coniuncta verbo includit, ſiue connotat ipſum Verbum: ergo vt ſic eſt adorabilis eodem affectu latriæ, qui exhibetur ipſi Verbo: licet ſecundum ſe humanitas non ſit adorabilis tali adoratione. Quam rationem tetigit Cyrillus, lib. 1. de fide ad Reginas, dicens: in Chriſto non eſſe vnam naturam, quæ adoratur, & aliam quæ non adoratur, ſed vnam Verbi naturam incarnatam, adorabilem cum carne ſua vna adoratione.

7. Deinde ſecunda pars noſtræ concluſionis probatur aduerſus Gabrielem, & Suarium vbi ſupra. Primo, quia eorum ſententia aduerſatur expreſſe Angelico Doctori, qui in 2. art. huius quæſtionis determinat humanitatem Chriſti adorari duobus modis; nimirum, vel ſicut res adorata, & ſic adorari adoratione latriæ eadem, qua adoratur ipſe Chriſtus: nam adorare iſto modo carnem Chriſti, nihil eſt aliud, quam adorare Verbum Dei incarnatum: ſicut adorare veſtem Regis, nihil eſt aliud, quam adorare Regem veſtitum. Vel ſicut ratio, vel cauſa adorationis: & ſic (inquit) quod adoratio humanitatis Chriſti, non eſt adoratio latriæ, ſed duliæ: itaque vna, & eadem perſona Chriſti adoretur adoratione latriæ propter ſuam diuinitatem, & adoratione duliæ propter perfectionem humanitatis, id eſt propter plenitudinem gratiarum.

Vbi plane negat D. Thomas, omnem adorationem latriæ, reſpectu humanitatis in quantum adoratur ratione ſuæ perfectionis, & excellentiæ in ordine gratiæ: ergo qui ei tribuit aliquam adorationem latriæ inferiorem ad ſupræmam quæ debetur Verbo, manifeſte Angelico præceptori contrariatur.

Quæ ratio amplius confirmatur, & explicatur in hunc modum, vel humanitas Chriſti adoratur, vt coniuncta Verbo, & ratione vnionis cum illo: vel ſecundum ſe, & ſuas perfectiones in ordine gratiæ: nec enim alio modo eſt adorabilis: ſi primo modo, tunc eodem omnino actu latriæ adoratur veluti ſecundario, ſiue coadoratur: quo primario, & per ſe, ipſū Verbum adoratur. Si ſecundo modo, tūc ſolum eſt adorabilis adoratione duliæ, & neutiquam adoratione latriæ, quia eius perfectio, & dignitas vt ſic eſt creata. Quæ tamen dulia ob ſingularem excellentiam dignitatis humanitatis Chriſti poteſt ac debet dici hyperdulia.

Secundo probatur, quia Concilia relata plane diſiniunt, Chriſtum, & vtramque eius naturam, vt ſic coniunctam vna tantum adoratione adorari, ſcilicet perfectæ latriæ: igitur non conſonat Concilijs ſententia adſtruens duabus adorationibus latriæ diſtinctis adorari, vna quidem ſuperiori ipſum Verbum: altera vero inferiori eius humanitatem, vt vnitam.

Conſequentia eſt nota, & antecedens patet, ex quinta Synodo, collatione 8. can. 9. & Concilio primo Epheſino, canone 8. in quibus dicitur anathema ei, qui dixerit Chriſtum, ſcilicet Deum Verbum incarnatum non vna tantum adoratione, ſed duabus adorari cum propria ipſius carne: necnon ei qui dixerit aſſumptum hominem, coadorari oportere Deo Verbo, quaſi alterum alteri, & non potius vna adoratione honorificari Emmanuelem ſecundum quod factum eſt caro Verbum. Nec ideo in his diffinitionibus excluditur illa ſecunda adoratio duliæ, quam nos dicimus, tribui humanitati ratione plenitudinis gratiæ, & dignitatis creatæ, quia Concilia tantum loquæbantur de adoratione, quæ tribuitur humanitati, vt vnitæ Verbo: & hanc diffiniunt eſſe vnam, & eamdem reſpectu Verbi, & humanitatis.

Ac proinde reſpectu vtriuſque eſſe

per-

perfectam latriam. Tertiò probatur: nam vel iſti duo affectus latriæ ſuperioris, & inferioris differunt ſpecie, vel ſolo numero, vt inſinuat Suarius: neutrum poteſt dici: non primum: quia nec ex parte principij, quia eſt eadem virtus religionis: nec ex parte obiecti, quod eſt Deus Verbum poſſunt ſpecie diuerſificari: nã ſpecies actuum humanorum ſumuntur ex obiectis primarijs, & formalibus: hęc autem non diſcriminantur in Chriſto, nam motiuum formale, & primarium terminandi cultum latriæ eſt ſola dignitas increata Verbi, ratione cuius Verbum per ſe primo terminat illum, humanitas autem concomitanter; & vt coniuncta Verbo: quæ vt ſic nullam dignitatem ſubinduit, quæ poſsit diſtinctum cultum latriæ terminare.

Nec ſecundum, quia alias duo actus ſolo numero diſtincti in eadem potentia, ſimul & pro eodem tempore reperientur: ſcilicet, quando mea voluntas ſimul Verbum incarnatum, & humanitatem aſſumptam duplici adoratione adorat.

8 Denique pro tertia parte probatur concluſio, quia Chriſtus, vt homo quatenus plenitudine gratiæ habitualis, & ſcienciæ, dignitate capitis, Regis, & ſummi Sacerdotis exornatus, eſt dignus aliquo cultu, & non latrię, quæ ſoli increatę excellentię debetur: & huiuſmodi excellentiæ recenſitę ſunt createę: ergo dulię, non communis, ſed ſupræmę ob ſingularem excellentiam in genere gratię, & regiminis: ergo hyperduliæ: quę debetur ſanctis ob ſingularem excellentiam in ordine gratiæ.

Occurritur fundamentis aduerſariorum.

Ex quibus ad fundamentum primę ſententię reſpõd. quod tantum conuincit ſecundam partem noſtræ concluſionis.

Ad cuius confirmationem dicendum eſt, aut Angelum duobus affectibus latrię veluti inperceptibiliter variatis Verbum diuinum nudum, & poſtea carne veſtitum adoraſſe. Aut in vno, & eodem affectu latriæ inuariato, ſaltem quoad entitatis actum perſeueraſſe. Nec enim inconueniens eſt aliquam formam, vel actum finitum manentem inuariatum, aut omnino, aut ſaltem quantum ad ſubſtantiam, & variatum dumtaxat modaliter terminari de nouo ad aliquod obiectum ſecundarium, ad quod ante non terminabatur: quo pacto eadem paternitas, quę modo terminatur ad vnum filium in humanis, manens inuariata terminatur ad alios poſtea genitos: & eadem ſpecies Angelica, quæ modo non repręſentat Antichriſtum, propter defectum exiſtentię, poſteà poſita conditione exiſtentiæ, illum incipiet denouo repræſentare: eadem quoque viſio corporalis, quæ nunc ad accidentia hoſtiæ conſecratæ, primario terminatur: ſi ſubſtantia panis redderet, ad illam ſecundario terminaretur, quia eſſet viſio ſubſtãtię, tunc ſicut ante conſecrationem eſt viſio accidentium primario, & ſubſtantiæ ſecundario.

Ad fundamentum autem ſecundæ ſententiæ reſpondetur, quod quatenus negat diſtinctam latriam circa humanitatem coniunctam Verbo, & Chriſtum, vt hominem fauet noſtrę ſententiæ. Quatenus vero videtur negare hyperduliam, nihil conuincit: quia Concilia adducta ſolum intendebant refutare errorem Neſtorianum: qui admittens in Chriſto duo ſuppoſita accidentaria vnione coniuncta, pariter illa duabus adorationibus latriæ diſtinctis adorabat, vel coadorabat: quod nos diffitemur.

Dubium ſecundum eſt: An humanitati ſecundum ſe, & præciſſæ à Verbo diuino debeatur aliqua adoratio?

10 IN hoc dubio per humanitatem pręciſſam à Verbo, intelligimus humanitatem non realiter ſeparatam à Verbo, ſed intellectam ſecundum ſe, non intellecto Verbo, aut eius vnione ſimplici quadam abſtractione, de qua dici ſolet, quod abſtrahentium non eſt mendatium: & ſic tres verſantur ſententię.

Prima, negans illi, vt ſic conſideratæ omnem adorationem. In quam ſententiã inclinant Albertus in 3. diſt. 9. art. 9. Bonauentura, art. 1. quæſt. 1. Ricardus, art. 2. quæſt. 1. & Maior quæſt. 1. ad quartũ, contra quartum, Clithouæus, lib. 2. de Euchariſtia, cap. 10. Catherinus, opuſculo de adoratione imaginum, columna 4. & Claudius de Sainctes repetitione 9. de Euchariſtia, cap. 3. quorum ratio poteſt eſſe, quia humanitas ſic cõſiderata nõ eſt capax ex orationis, nec enim eſt mos Eccleſiæ humanitatem Chriſti in abſtrato in letanijs inuocare, aut illam ex orare: ergo neç eſt capax alicuius adorationis. Conſequentia patet, quia vel adoratio includitur in oratione, vel eſt nota illius.

Secunda ſententia, & veluti media aſſerit humanitati Chriſti ſic conſideratæ, deberi latriam non ſupræmam, ſed inferiorem. Huius ſententiæ in vno ſenſu fuit, V vicleph, relatus, & refutatus ab V valdenſe, lib. 2. doctrinalis fidei, cap. 24. quatenus aſſerebat, Chriſto homini titulo redemptionis deberi latriam: ita vt etiam ſi eſſet purus homo redimendo nos, propter ſolam dignitatem redemptoris, deberetur ei latria, eo quod nos redimendo faceret ſibi ſeruos. In alio ſenſu eſt Suarij, hic diſput. 53. ſectione 3. quatenus aſſerit humanitati ſic conſideratæ deberi latriam inferiorem ratione vnionis cum Verbo: eo quod per hanc ſimplicem abſtractionẽ non ſeparatur realiter à Verbo, ſed manet coniuncta çum illo: ergo debetur ei adoratio inferior latriæ, quæ ſecundum eundem Authorem debetur Chriſto homini ratione vnionis.

11 Tertia ſententia aſſerit humanitati, ſic conſideratæ deberi aliquam adorationem non tamen latriæ, ſed ſupræmæ duliæ, hoc eſt hyperduliæ.

Hanc communiter tuentur Theologi, cum D. Thoma in hoc art. 2. & maxime in ſolutione ad primum, vt Caietanus, & alij moderni expoſitores, Paludanus quoquè in 3. diſt. 9. quæſtion. 2. Scotus quæſt. 1. Almainus, & Gabriel ibidem, Durandus quæſt. 3. & idem Gabriel ſuper Canon lect. 50. Enriq. quodlibeto 10. quæſt. 6. Picus Mirandulanus in Apologia, quæſt. 3. & Caniſius lib. 15. de Beata Virgine, cap. 50.

Quæ proinde à nobis ſtatuitur pro concluſione, & probatur impugnando duas priores ſententias. Prima, namquè eſt falſa, quia humanitas Chriſti in hac ſimplici abſtractione de qua loquimur nõ conſideratur nuda à dignitatibus gratiæ habitualis, & ſcientiæ, & ſupræmi regiminis, ac Sacerdotij, ſed illis exornata, vtpotè, quia ſunt dignitates creatæ ac debitæ huic humanitati aſſumptæ, quas Theologi vocant coaſſumptas: ergo illa vt ſic eſt capax alicuius adorationis, non latriæ: ergo duliæ, & propter ſingularem excellentiam in hoc ordine erit dulia ſuperior, quæ vocatur hyperdulia.

12 Deinde ſecunda ſententia, prout defenditur à V vicleph, impugnatur, quia licet Chriſtus, vt Redemptor fuit de facto, ſcilicèt per redemptionem perfectam, & ſatisfactionem condignam infiniti valoris mereatur adorationem latriæ, quia vt ſic includit ſuppoſitum increatum, & infinitum: tamen ſola dignitas Redemptoris poſita in puro homine, quia eſſet imperfecta, & inæqualis, non meretur adorationem latriæ: deberetur autem tali puro homini gratia capitis Eccleſiæ exornato, & titulo Redemptoris, propter huiuſmodi ſingularem excellentiam aliqua ſuprema dulia. Qua enus verò defenditur à Suario, dicta ſententia implicat in adiecto, & plures involuit repugnantias.

Negatur humanitati Christi præciſſæ à Verbo latria.

Quarum prima eſt, quia implicat ab eodem intellectu ſimul conſiderari humanitatem abſtractam à Verbo, & vnione, & coniunctam cum Verbo, & affectam vnione: ergo implicat quod humanitati ſic abſtractæ debeatur latria ratione vnionis.

Secunda eſt, quia implicat concipere effectum formalem, non includendo formam: ergo pariter implicat concipere humanitatem, vt ſanctam ratione vnionis, ſine ipſa forma ſanctificante, quæ eſt deitas, vel perſona Verbi, aut etiam ipſa vnio in ſententia Suarij, eo vel maximè quod actualis vnio, non poteſt præſcindi à termino cuius eſt vnio, eò quod eſt nexus duorum extremorum in ſuo conceptu formali; ac proinde, ſi humanitas ſic cõſiderata non abſtrahit ab vnione, vt vult, Suarius, neque abſtrahet à termino vnionis, nec à forma ſanctificante perſonaliter humanitatem.

Tertia eſt, quod debeatur adoratio latriæ humanitati, propter ſolam excellentiam creatam: aut enim vt ſic conſiderata includit excellentiam aliquam increatam,

vel nullam: ſi primum ergo debetur ei perfecta latria, quæ debetur Verbo. Si ſecundum: ergo nulla latria ei debetur: eo quod virtus religionis non colit, niſi Deum, nec exercet aliquem actum, niſi perfectæ latriæ: quem non exercet, niſi circa Deũ, & increatam excellentiam. Præter quam quod hanc latriam inferiorem, iam ſupra oſtendimus eſſe incompatibilem cum alia ſuperiori, & indiſtinguibilem ab illa.

Has igitur repugnantias admittit Suarius cupidus nouæ latriæ inferioris: quam ſolus Gabriel agnouit, & cœtus Patrum, & omnium aliorum Theologorum ignorauit.

13 Ex quibus fundamenta vtriuſquè ſententiæ manent ſoluta. Si tamen ad illud pro priori adductum de oratione dicamus negandam eſſe illam conſequentiam.

Alia enim eſt ratio de oratione, atquè de adoratione: nam oratio reſpicit perſonam, quæ poſsit operari, & agere aliquid pro orante: ad hoc enim in orationibus inuocamus Deum ſiue ſanctos, vt aliquid agant pro nobis: & quia actiones ſunt ſuppoſitorum: & non naturarum in abſtracto: ideo oratio non poteſt, nec debet fundi ad naturam abſtractam; ſed ad perſonam, vel naturam ſubſiſtentem intellectualem: adoratio verò quia in ſimplici quodam affectu reuerentiæ, & honoris conſiſtit exhibito rei excellenti: benè & laudabiliter poteſt exhiberi, tam perſonæ quam naturæ intellectuali in abſtracto, eo quod tam perſona, quam natura poteſt excellentiam aliquam habere dignam reuerentiæ, & honoris: quemadmodum, & poteſt amari amore charitatis, quia reſpicit bonitatem ſupernaturalem, quæ & in perſona, & in natura reperiri poteſt: & ſimiliter poteſt laudari, quia laus ſolum eſt quædam prædicatio dignitatis alterius quæ & in perſona, & in natura poteſt inueniri. Vnde ſicut humanitas Chriſti abſtractè ſumpta eſt amabilis, & laudabilis; ita & eſt adorabilis: non autem eſt exorabilis, propterea, quod non poteſt, vt ſic exercere actionem, quam oratio concernit in re quę exoratur.

14 Nec huic doctrinæ obſtant duo teſtimonia Angelici doctoris, quæ prima facie obſtare videntur: nimirum id quod habet articul. 1. & 2. huius quæſtionis in corpore, dum ait: quod honor adorationis proprie debetur hypoſtaſi ſubſiſtenti: nam hoc intelligitur de adoratione, quæ communiter, & regulariter ſolet fieri à fidelibus in Eccleſia. Non tamen hoc tollit, quo minus etiam humanitas Chriſti, aut alterius Sancti poſsit laudabiliter affectu duliæ, vel hyperduliæ adorari ab homine, aut ab Angelo eam in abſtracto conſiderante.

Nec illud, quod in ſolutione ad primum dicti articuli ſecundi, refert, & probat Diu. Thom. ex Verbis Damaſceni, libro 5. cap. 3. dicentis; ſi diuidas ſubtilibus intelligentijs quod videtur: ab eo quod intelligitur, inadorabilis eſt, vt creatura, ſcilicet humanitas Chriſti: nam ſtatim ſubdit, D. Thom. quod eſt inadorabilis adoratione latriæ: tamen ei ſic intellectæ, vt ſeparatæ à Verbo diuino deberetur adoratio duliæ excellentioris, quam vocant hyperduliam.

Igitur humanitas Chriſti abſtractè conſiderata ex ſententia Damaſceni, & Angelici Doctoris eſt inadorabilis adoratione latriæ, ideſt nulla latria adorabilis: quia negatio eſt malignantis naturæ deſtruens, quidquid poſt ſe inuenit: verum tamen eſt adorabilis adoratione hyperduliæ.

ART. III.

Vtrùm imago Chriſti ſit adoranda adoratione latriæ?

AD tertium ſic proceditur. 2.2.q.81.
Videtur, quod imago Chri a.3. ad 3.
ſti non ſit adoranda adora- & q.49.
tione latriæ. Dicitur enim Exod. a.2 ad 1.
20. Non facies tibi ſculptile, neque & inf a.4
omnem ſimilitudinem. Sed nulla cor. & ar.
adoratio eſt facienda contra Dei præ 5 ad 2. &
cep. 3.d.9 q.1.
a.2.q.2.

ceptum. Ergo imago Chriſti non eſt adoranda adoratione latriæ.

2 Prçterea. Operibus gentilium non debemus communicare, vt Apoſtol. dicit Epheſ. 5. Sed gentiles de hoc præcipuè inculpabantur, quod commutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, vt dicitur Roman. 1. Ergo imago Chriſti non eſt adoranda adoratione latriæ.

3 Præterea. Chriſto debetur adoratio latriæ ratione diuinitatis, non ratione humanitatis. Sed imagini diuinitatis eius, quæ eſt animæ rationali impreſſa, non debetur adoratio latriæ. Ergo multo minus imagini corporali, quæ repreſentat humanitatem ipſius.

4 Præterea. Nihil videtur eſſe in cultu diuino faciendum, niſi quod eſt â Deo inſtitutum: vnde & Apoſtol. 1. ad Corinth. 11. traditurus doctrinam de ſacrificio Eccleſię, dicit: Ego accepi â Domino, quod & tradidi vobis. Sed nulla traditio in ſcriptura inuenitur de adorandis imaginibus. Ergo imago Chriſti non eſt adoranda adoratione latriæ.

Sed contra eſt, quod Damaſcen.
li. 4. c. 17. non longe à princ. inducit Baſilium dicentem. * Imaginis honor ad prototypum peruenit, ideſt exemplar. Sed ipſum exẽplar, ſcilicet Chriſtus, eſt adorandus adoratione latrię. Ergo, & eius imago.

Reſpondeo dicendum, quod ſi-
ca. 2. circa me. to. 2. cut Phyloſophus * dicit in libro de memoria, & reminiſcentia, duplex eſt motus animæ in imaginem. Vnus quidem in ipſam imaginem, ſecundum quod res quædam eſt: alio modo in imaginem, in quantum eſt imago alterius. Et inter hos duos motus eſt hæc differentia: quia primus motus, quo quis mouetur in imaginem, vt eſt res quædam, eſt alius â motu, qui eſt in rem: ſecundus autem motus qui eſt in imaginem in quãtum eſt imago, eſt vnus & idẽ cum illo qui eſt in rem. Sic ergo dicendum eſt, quod imagini Chriſti in quantum eſt res quædam (puta lignum ſculptum, vel pictum) nulla reuerẽtia exhibetur: quia reuerẽtia nõ niſi rationali naturæ debetur. Relinquitur ergo quod exhibeatur ei reuerentia ſolum, in quantum eſt imago: & ſic ſequitur, quod eadem reuerentia exhibeatur imagini Chriſti, & ipſi Chriſto. Cum ergo Chriſtus adoretur adoratione latriæ, conſequens eſt, quod eius imago ſit adoratione latrię adoranda.

Ad primum ergo dicendum, quod non prohibetur illo præcepto facere quamcumque ſculpturam, vel ſimilitudinem, ſed facere ad adorandum. Vnde ſubdit. Non adorabis ea, neque cǫles. Et quia ſicut dictum eſt, idem eſt motus in imaginem & in rem: eo modo prohibetur adoratio imaginis, quo prohibetur adoratio rei, cuius imago eſt. Vnde ibi intelligitur prohiberi adoratio imaginum, quas Gentiles faciebant in venerationem deorum ſuorum, id eſt, demonum. Et ideo præmittitur, Non habebis deos alienos corá me. Ipſi autem vero Deo, cum ſit incorporeus, nulla imago corporalis poterat poni: quia, vt Damaſcenus dicit, * inſipientiæ ſummæ eſt & im *li. 4. c. 15. ante med.*
pietatis, figurare quod eſt diuinum. Sed quia in nouo teſtamento Deus factus eſt homo, poteſt in ſui imagine corporali adorari.

Ad ſecundum dicendum, quod Apoſtolus prohibet operibus infructuoſis Gentilium communicare: communicare autem vtilibus eorũ operibus, Apoſtolus non prohibet. Adoratio autem imaginum eſt inter infructuoſa opera computanda, quã-

tum

Digitized by Google

tum ad duo. Primo quidem, quantũ ad hoc, quod quidam eorum adorabant ipſas imagines, vt res quaſdam, credentes in eis eſſe aliquid numinis propter reſponſa, quæ dęmones in eis dabant, & alios huiuſmodi effectus mirabiles. Secundo propter res, quarum erant imagines: ſtatuebant enim huiuſmodi imagines aliquibus creaturis, quas in eis veneratione latriæ venerabantur. Nos autẽ adoramus adoratione latriæ imaginem Chriſti, qui eſt verus Deus: non propter ipſam imaginem, ſed propter rem cuius imago eſt, ſicut dictum eſt.* *In cor. ar.*

Ad tertium dicendum, quod creaturæ rationali debetur reuerentia propter ſe ipſam: & ideo ſi creaturæ rationali, in qua eſt imago Dei, exhiberetur adoratio latriæ, poſſet eſſe erroris occaſio: vt ſcilicet motus adorantis ſiſteret in homine, in quantum eſt res quædam, & non referretur in Deum, cuius eſt imago. Quod non poteſt contingere de imagine ſculpta, vel picta in materia ſenſibili.

Ad quartum dicendum, quod Apoſtoli familiari inſtinctu Spiritus Sancti quædam Eccleſijs tradiderunt ſeruanda, quæ non reliquerunt in ſcriptis, ſed in obſeruatione Eccleſiæ per ſucceſsionem fidelium. Vnde ipſe Apoſtolus dicit 2. ad Theſſalon. 2. State, & tenete traditiones, quas didiciſtis; ſiue per ſermonem, ſcilicet ore prolatum, ſiue per epiſtolam, ſcilicet ſcripto tranſmiſſam. Et inter huiuſmodi traditiones, eſt imaginum Chriſti adoratio. Vnde & beatus Lucas dicitur depinxiſſe Chriſti imaginem, quæ Romæ habetur.

15 Concluſio eſt affirmatiua. Cuius ratio eſt, quia imagini Chriſti exhibetur reuerentia, non quatenus eſt quædam res in ſe, ſed vt imagini, & ratione repræſentationis: ergo eadem reuerẽtia latriæ quæ debetur Chriſto, debet eius imagini exhiberi, eo quod teſte Phyloſopho, cap. 2. de memoria, & reminiſcencia, idem eſt motus animæ in imaginem, & in rem cuius eſt imago: quando talis motus fertur in imaginem, vt imago eſt.

ART. IV.

Vtrùm Crux Chriſti ſit adoranda adoratione latriæ?

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod Crux Chriſti non ſit adoranda adoratione latriæ. Nullus enim pius filius veneratur contumeliam patris ſui: puta flagellum, quo flagellatus eſt, vel lignum in quo fuit ſuſpenſus; ſed magis illud abhorreret. Chriſtus autem in ligno Crucis opprobrioſiſsimam mortem paſſus eſt, ſecundum illud Sap. 2. Morte turpiſsima condemnemus eum. Ergo non debemus crucem venerari, ſed magis abhorrere. *2. 2. quæſt. 103. ar. 4. ad 3. & 3. d. 9. q. 1. a. 2. q. 4.*

2 Præterea. Humanitas Chriſti adoratione latriæ adoratur, in quantum eſt vnita filio Dei in perſona. Quod de cruce dici non poteſt. Ergo Crux Chriſti non eſt adoranda adoratione latriæ.

3 Præterea, Sicut Crux Chriſti fuit inſtrumentum Paſsionis eius & mor-

Digitized by Google

& mortis, ita etiam, & multa alia (puta claui, corona, & lancea,) quibus tamen non exhibemus latriæ cultum. Ergo videtur, quod Crux Chriſti non ſit adoratione latriæ adoranda.

Sed contra eſt, quod illi exhibemus latriæ cultum, in quo ponimus ſpem ſalutis. Sed in Cruce Chriſti ponimus ſpem ſalutis: cantat enim Eccleſia, * O Crux aue ſpes vnica, hoc Paſsionis tempore, auge pijs iuſtitiam, reiſq. dona veniam. Ergo Crux Chriſti eſt adoranda adoratione latriæ.

In Dom. de Paſsione Domini infra hym.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, * honor, ſeu reuerentia non debetur niſi rationali naturæ: creaturæ autem inſenſibili non debetur honor, vel reuerentia, niſi ratione rationalis naturæ. Et hoc dupliciter. Vno modo, in quantum repræſentat rationalem naturam. Alio modo, in quantum ei quocumque modo coniungitur. Primo modo conſueuerunt homines venerari Regis imaginem. Secundo modo eius veſtimentum. Vtrumque autem venerantur homines eadem veneratione, qua venerantur, & Regem. Si ergo loquamur de ipſa Cruce, in qua Chriſtus Crucifixus eſt, vtroque modo eſt â nobis veneranda: vno ſcilicet modo, in quantum repræſentat nobis figuram Chriſti extenſi in ea: alio modo ex contactu ad membra Chriſti, & ex hoc, quod eius ſanguine eſt perfuſa. Vnde vtroque modo adoratur eadem adoratione cum Chriſto, ſcilicet adoratione latriæ. Et propter hoc etiam Crucē alloquimur, & deprecamur quaſi ipſum Crucifixum. Si verô loquamur de effigie Crucis Chriſti in quacumque alia materia, (puta lapidis, vel ligni, argenti, vel auri) ſic veneramur Crucem tantum, vt imaginē Chriſti, quam veneramur adoratione latriæ, vt ſupra dictum eſt. *

art. prac. ad 3.

Ad primum ergo dicendū, quod in Cruce Chriſti quantum ad intentionem, vel opinionem infidelium, conſideratur opprobrium Chriſti: ſed quantum ad effectum noſtræ ſalutis conſideratur virtus diuina ipſius, qua de hoſtibus triumphauit: ſecundum illud Col. 2. Ipſum tulit de medio, affigens illud Cruci, & ſpolians principatus, & poteſtates, traduxit cōfidenter palam, triumphans illos in ſemetipſo Et ideo dicit Apoſt. 1. ad Corinth. 1 Verbum Crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt: his autem, qui ſalui fiunt, ideſt nobis, virtus Dei eſt.

art. radc.

Ad ſecundum dicendum, quod Crux Chriſti licet non fuerit vnita Verbo Dei in perſona fuit tamen ei vnita aliquo alio modo, ſcilicet per repræſentationem, & contactum. Et hac ſola ratione exhibetur ei reuerentia.

Ad tertium dicendum, quod quantum ad rationem contactus membrorum Chriſti, adoramus non ſolum Crucem, ſed etiam omnia quæ ſunt Chriſti. Vnde Damaſc. * dicit in 4. lib. Pretioſum lignum, vt ſanctificatum tactu ſancti corporis, & ſanguinis, decenter adorandum; clauos, indumenta, lanceam, & ſacra eius tabernacula, quę ſunt præſepe, ſpelunca, & huiuſmodi. Iſta tamen non repræſentant imaginem Chriſti, ſicut Crux, quæ dicitur ſignum filij hominis, quod apparebit in cœlo: vt dicitur Matth. 24. Ideoque mulieribus dixit Angelus, Ieſum quæritis Nazarenum crucifixum: non dixit lanceatum: ſed crucifixum. Et inde eſt, quod Crucem Chriſti veneramur in quacumque materia, non autem imaginem clauorum, vel quorumcumque huiuſmodi.

c. 12. circa med.

(* * *)

Reſ.

15 RESponſio quatuor theorematibus concluditur.

Primum eſt, quod ſoli rationali naturæ debetur ratione ſui honor adorationis.

Secundum eſt, quod creaturæ inſenſibili non debetur talis honor, niſi ratione alterius, hoc eſt naturæ rationalis.

Tertium eſt, quod duobus modis talis honor debetur creaturæ inſenſibili ratione alterius; nimirum, vel propter repreſentationem, vel propter coniunctionem, quam habet cum natura rationali.

Quartum eſt, quod vtroque modo debetur Cruci Chriſti, in qua ipſe paſſus eſt eadem reuerentia, quæ debetur Chriſto; nimirum, & ratione repræſentationis, quia repræſentat nobis figuram Chriſti extenſi in illa: & ratione coniunctionis, propter contactum, quem habuit ad membra Chriſti, & eius ſanguinem. Alijs autem Crucibus tantum debetur reuerentia latriæ vno modo, ſcilicet ratione repræſentationis: quatenus nobis repræſentat ipſum Chriſtum, vt quædam eius imago.

Quamuis in animo ſit omittere communem tractatum de cultu imaginum, & adoratione reliquiarum Sanctorum, eo quod ad ſecundam ſecundæ Angelici Doctoris in quæſtionibus de religione pertineat. Verumtamen de tribus non poſſumus, non hic ſermonem facere propter ſpecialem coniunctionem, quam habent cum Chriſto: nimirum de nomine *IESV*, auguſtiſsimo Euchariſtiæ Sacramento, & crucis ſigno: propterea, quod adoratio his exhibita inuoluit adorationem Chriſto, & eius humanitati exhibitam, ſiue exhibendam, dum vnumquodque horum trium veneramur, ſiue adoramus: eorumque excellentia, ad humanitatis aſſumptæ excellentiam quoque, ac dignitatem pertineat. Vnde vnica diſputatio tripartita, id eſt in tria dubia diuiſa in præſentiarum mouenda eſt.

Dubium primum eſt: Vtrum huic nomini IESV, *eadem adoratio latriæ debeatur, quæ & Chriſto exhibetur?*

16 IN hoc dubio omnes Theologi conueniunt in vno, & diſcriminantur in alio. Conueniunt quidem in aſſerendo huic nomini *IESV*, deberi aliquem cultum, & adorationem, ſaltem vt coniuncto cum re ſignificata: ſicut & imaginibus tenet communis ſententia Theologorum deberi adorationem, & cultum, vt coniunctis cum earum exemplaribus, & prototypis.

In explicando autem, an præter huiuſmodi adorationem, quæ huic nomini debetur ratione ſui ſignificati, & prout coniungitur cum illo: debeatur etiam, vel poſsit ei exhiberi aliqua adoratio, ſiue honor ratione ſui, diſcriminantur Theologi in duas ſententias.

Proponitur opinio Cordubæ tribuentis nomini Ieſu, ratione ſui cultum latriæ.

Prima eſt aliquorum recentiorum, de quorum numero eſt Antonius de Corduba, lib. 1. quæſtion. 5. dub. 4. artic. 2. ad primam confirmationem ſeptimi argumenti aſſerentium huic nomini *IESV*: ſicut & alijs rebus, ac vaſis ſacris poſſe tribui cultum, & honorem ratione ſui, & non ſolum, vt coniunctis cum re ſignificata; quod ſibi perſuadent dupliciter. Primo authoritate ſeptimæ Synodi generalis, actione ſeptima diffinientis peculiare cultum, & honorem deferri libro Euangeliorum, & vaſis ſacris: quæ tamen procul dubio non veneramur adoratione latriæ, ſed alia inferiori: quæ conuenit eis non ratione exemplaris, aut contenti, ſed ratione ſanctitatis, & conſecrationis, quã habent in ſe ipſis. Imo in eodem loco determinat dicta ſeptima Synodus peculiari cultu venerari imagines, qui non eſt latriæ, etiam quando in ipſis exemplaria adoramus, dum ſubdit; *Imaginis enim honor*

in præ-

Digitized by Google

in prototypon refertur, & qui adorat imaginem, in ea adorat quoque deſcriptum argumentum. Quod teſtimonium adeo vrget, vt aliqui dicant, ſi ſanctus Thomas illud vidiſſet (nondum enim Synodus illa erat latina facta) numquam docuiſſet eadem adoratione cum exemplari imagines eſſe venerandas. Nec non authoritate octauæ Synodi, can. 3. id ipſum adſtruentis, & Irenei, lib. 3. contra hæreſes, cap. 33.

Secundo ratione, quia licet imagines non ſint capaces terminandi aliam adorationem præter illam quæ defertur exemplaribus: eo quod ſunt ſigna quædam, quæ ex communi conſuetudine Eccleſię, imo ex ipſa natura imaginis, ita exemplar repræſentant, vt in locum illius hominum conſpectibus ſubſtituantur: ac per conſequens cum ipſo prototypo poſtulent adorari, & non aliter: verumtamen nomen hoc *IESVS*, ſiue ſcriptum, ſiue ore prælatum, non ita expreſſe Chriſtum ſignificat, vt vicem ipſius gerat: ergo poteſt ei aliquis honor tribui ratione ſui, & diſtinctus ab illo qui tribuitur ſignificato. His adde quod difficile nimis eſt res ſacras, & vaſa cum re aliqua rationali, ſimul adorari, ſicut imago cum prototypo ſuo veneratur: ergo ratione ſui poſſunt, ac debent venerari cultu, & veneratione inferiori ad illum qui defertur Deo, & rebus intellectualibus.

Præfertur opinio negans Thomiſtarũ & Vazquij.

17 Secunda ſententia, nihilominus eſt aliorum aſſerentium, nec nomini *IESVS*, nec vaſis, aut veſtibus ſacris poſſe deferri aliquem cultum ratione ſui, niſi tantum illum, quo ſimul vel Chriſtus per tale nomen ſignificatus, vel Deus in cuius honorem res dicata eſt, honoratur & colitur, ita vt ſimul debeat nomen *IESVS* cum Chriſto, & res ſacra cum Deo coli, ac venerari. Quæ ſicut magis communis ſententia eſt, ita & veritati ac D. Thomæ conformior: quam proinde ſtatuimus pro concluſione, & illam probat Vazq. hic diſp. 108. cap. 11. communi illa ratione qua probauerat, cap. 9. & 10. eiuſdem diſputationis, nec imaginem, nec rem aliquam inanimatam eſſe ratione ſui, & ſecundum ſe capacem alicuius cultus, ſiue adorationis, niſi vt coniunctam cum exẽplari: quam coniunctionem declarat diſp. 110. cap. 2. eſſe quadruplicem: aut enim eſt repræſentatio, & ratione huius imago Chriſti, vel cuiuſcumque ſancti eſt capax adorari, & coli ſimul cum ſuo prototypo, ea adoratione quæ ipſi debetur, aut eſt cõtactus realis, etiam præteritus: ratione cuius Crux, claui, & veſtes quæ Chriſtũ tetigerunt, poſſunt ac debent coli ſimul, & eodem cultu cum ipſo Chriſto.

Tertia eſt, quod res quæ adoratur fuerit aliqua pars, vel membrum ipſius Sancti: & ratione huius coniunctionis oſſa, carnes, & vniuerſim reliquiæ Sanctorũ eadẽ adoratione, qua ipſi Sancti, colũtur.

Quarta, & vltima eſt, ſecundum quam Deus eſt præſens, & operatur in qualibet creatura mundi: ratione cuius poſſumus abſque ſuperſtitione, & affectu veræ religionis, quamcumque creaturam colere, eodem cultu quo in ipſa Deum, vt ſic præſentem, & operantem colimus. Facilius enim in qualibet creatura poſſumus Deũ cogitare, quam virum Sanctum in veſte, quam habuit: ergo ſicut colimus eius veſtem ſimul cum ipſo Sãcto, quem in illa re cogitamus: ita & creaturã Dei poſſumus colere, cum ipſo Deo, quem præſentem in illa apræhendimus: Qui quidem cultus in ſolum Deum directe intendat, in creaturam, vero tamquam in ſignum, & effectum, ac ſedem ipſius Dei. Quo pacto, affectu religioſo Iacob, Geneſ. 28. erexit lapidem in titulum, & in illo, & per illum Deum adorauit dicens: *Vere locus iſte ſanctus eſt*, & Regius vates, Pſalm. 98. inuitat nos ad cœli adorationem, quia ſedes Dei eſt dicens: *Adorate ſcabellum pedum eius*, & Matth. 5. propter ſimilem rationẽ dixit Chriſtus: *nolite iurare per cœlũ, quia Dei tronus eſt, nec per terram, quia ſcabellum pedum eius, &c.* Quo denotatur huiuſmodi creaturas irrationales, & inanimes poſſe eſſe materiam iuramenti, qui eſt actus religionis, ita vt dum per illas iuramus, in illis nõ aliam veritatem agnoſcamus quam diuinam: pari ergo ratione poſſunt propter aliquam ex dictis cõiunctionibus eſſe materia cultus, ac religionis, ſiue adorationis eiuſdem, quæ Deo aut Sanctis defertur in illis, & per ipſas: ex quo principio communi tale deducitur argumentum. Nulla res in animata, ſiue irrationalis poteſt coli ratione ſui, niſi ſimul cum prototypo, ſiue vt coniuncta illi rei intellectuali, cui per ſe primo cultus defertur: & hoc habet verum, tam in imaginibus, quam in quibuſcũque alijs rebus in animatis: ſed vox *IESVS*, ſiue prolata, ſiue ſcripta eſt res quædam in animata: ergo non eſt capax terminandi cultum latriæ, niſi vt coniun-

cta

cta cum Chriſto , & ratione illius.

Secundo probatur ex peculiari ratione repræſentationis, quæ militat in imagine: ratione cuius imago ex conſuetudine, & ex propria natura ſigni repræſentatiui ſubſtituitur in locū rei repræſentatæ: ob quam rationem non potuit coli, niſi ſimul cū prototypo & propter illud: propterea enim verùm habet axioma adductū ex Philoſ. *Idem eſt motus in imaginē, & in rē cuius eſt imago*: ſed etiā hæc vox *Iesvs*, ob eandem rationem ſubſtituitur in locū ſui ſignati: nam in ratione ſigni ad placitū eſt repræſentatiua illius, ad illudque repræſentandum eſt inſtituta: ergo etiā ex hoc capite non poteſt coli ratione ſui niſi ſimul cum prototypo, & ratione illius. Minor eſt certa; maior autē admittitur à Corduba, qui hoc intēdit conſtituere diſcrimē inter hanc vocē, & imaginē, quod hec vox ratione ſui poteſt adorari, eò quòd nō ſubrogatur in locū Chriſti quē ſignificat: ſicut imago ſubrogatur in locū ſui prototypi, & ideo nō poteſt ſimul cū illo & ratione illius adorari.

Negatur verò à Suario, imò & illud cōmune principiū, cui innititur prima ratio, hic diſp. 54. ſect. 5. dicente, tam imaginē, quàm aliam quamcūque rē inanimatā in qua, & per quàm D[eu]m, ſiue Sanctum aliquē adoramus poſſe mēte ab ipſo Deo & Sancto, cū quo habet coniunctionē, ſeparari, vel præſcindi, & ſic ſeparatam, vel præciſſam in mente, & cogitatione adorātis poſſe adorari, non adorato eius prototypo, aut exēplari, affectu quodā adorationis piò, & licitò, diſtincto, ab illo quò prototypum ipſum adoratur, qui etiā ſit inferior ad cultū adorationis exhibitū directè prototypo. Eò quòd in huiuſmodi affectu adorationis nihil ſuperſticioſum, aut inhoneſtū inuoluitur: fit enim honor imagini propter exēplar: quod honeſtū, & rationi conſentaneū eſt, quia imago verè eſt honorabilis propter exēplar, vt ſeptima Synodus ſepè docet, & aliàs omittitur directa exēplaris adoratio, vt proprij obiecti adorati, vt *quòd*: ſed nec in hac omiſsione inuoluit aliquam malitiā patet, quia nec in ſe, nec vt circunſtantia talis actus eſt mala: nō quidē in ſe, quia præceptū adorandi Deū, vel Sanctos cū ſit affirmatiuum, non obligat pro ſemper: nec vt circunſtantia talis actionis: quia nullū eſt præceptū, vel negatiuū prohibens talem circūſtātiam, vel affirmatiuū præcipiēs, vt quotieſcunque adoratur imago propter exemplar, adoretur ſimul ipſum exēplar directè in ſe, tāquam obiectum *quòd*, nec enim tale præceptū poteſt eſſe iuris naturalis, ortum habens ex ipſis naturis rerū: vtpote cum vna adoratio poſsit ab altera ſeparari ex natura rei, & in vtraquè re reperiatur cauſa honeſta, & ratio ſufficiens terminandi affectum adorationis ſine cōiunctione actuali alterius. Nec poteſt fingi præceptum hoc additum ex iure poſsitiuo, quia nec ſcriptum, nec tradditum eſt nec conſuetudine introductum. Quin potius experientia compertum eſt, & valdè conſuetum nos imagines, & alias res ſacras ſpeciali quadam veneratione, ac reuerentia venerari: etiā ſi res in illis repræſentatas, nec actu cogitemus mente, nec affectu directè, & per ſe veneremur.

18 Verùm, oppoſitum eſt tenendum; vtpotè Conciliorum, hoc eſt ſeptimæ, & octauæ *Synodi*, & Monguntini diffinionibus magis conſonum: Angelici Doctoris ſententiæ conformius: cuius doctrinam in hac parte communiter eius diſcipuli ſectantur, atque modo loquendi Patrum, eorumquè doctrinæ, quam de cultu & veneratione imaginum ſtabiliunt, vt errores ſectariorum vitent, & refutent: ab eiſquè vt recedant, mediam, ac regiam viam elligunt incedendam.

Igitur hæc ſententia, vt certa & communis Thomiſtàrum cum D. Thoma in hoc art, 3. & Capreoli, Paludani, Bonauēturæ, Durandi & aliorum in 3. diſtinct. 9. ſtabilienda, & ſupponēda eſt, tanquā vas & fundamētum radicàle huius tractatus, nedum ſpecialis de Chriſti, & eius nominis, verùm etiam communis de imaginum adoratione; nimirùm quod nō poteſt imago abſquè vitio ſuperſticionis cultu latriæ, vel duliæ adorari, qui ad eius prototypum ſimul & directè non terminetur: benè autem eſt adorabilis, ſimul cum prototypo. Hæc enim eſt media, & regia via, per quam debemus incedere inter duos extremos errores, ne in alterum impingentes periculum faciamus: vt rectè, & eruditè perpendit Vvalfridus Strabonius libro de rebus Eccleſiaſticis tomo 1. Rituarij Bibliothecæ dicens: quod imaginum varietas, nec quodam cultu immoderato colenda eſt, vt quibuſdam ſtultis videtur:

nec iterũ ſpecioſitas ita eſt quodã deſpectu calcanda, vt quidam vanitatis aſſertores exiſtimant.

39 Quis enim ſanũ ſapiẽs, cõtra id quod ſcriptum eſt. *Dominum Deum tuũ adorabis, & illi ſoli ſeruies:* & iterũ; *non facies tibi omnem ſimilitudinẽ eorũ quæ in cœlo, vel in terra, vel in aquis, vel terra ſunt:* putauit in tabernaculi, vel templi cõſtructione, feciſſe Moyſem, & Salomonem? Cum ille ſecundũ diuinam iuſsionẽ cortinatum varietate, & indumentum Sacerdotale diuerſis ornauerit figuris: & iſte ſecundum ſapientiam diuinitus ſibi attributam picturis, & ſculturis non tantũ animalium, ſed etiam arborum, & herbarum pene omne opus templi diſtinxerit? Vterque inſuper Cherubin ſimilitudinem ſuper arcã, & propitiatorium ſtatuerit? Cum certum ſit & illos ita ſenſiſſe, & nos ita ſentire debere: quod videlicet non ſint Deo debitis cultibus, & honoribus colẽda, quæ ab alijs, vel nobis facta ſint, vel fuerint, aut ſignificandi alicuius myſterij cauſa: vt tabernaculi, & tẽpli ſtructura omnis, aut ob commemorationẽ rerum geſtarum, vt picturæ hiſtoriarũ, aut ob amorem eorũ, quorum ſimilitudines ſunt, animis videntium arctius imprimendæ, vt imagines Domini, & ſanctorum eius. Nec enim fruſtra ſuperiori ſententiæ ſubiunctum eſt, *nõ adorabis, nec coles ea.* Vnde videlicet intelligamus, in his faciendis deuotionẽ, & vtilitatem, qua commoueri, vel inſtrui appetimus, non eſſe culpandam: ſed in his colendis, ſuperſtitionem, & hebetudinem, qua ſpiritualem cultum ad corporalia traducere erronei nituntur, eſſe damnandam.

Sanè ſi cui videtur ars pictorum, vel fabrorum ob hoc culpanda, quaſi ea quæ ab ipſis fiunt propter artis decorẽ, & cõuenientiã, ad cultum ſui illiciant inſipientes: poterit conſequenter & Dei obtrectare facturis, quare ipſe, vel luminaria cœli tanti ſplendoris, vel herbas, & olera tantæ creauerit venuſtatis & odores: cum ipſa, ſicut & aliæ creaturæ à quibuſdam errantibus, diuinis honoribus honorata ſint & culta; qui error non auctori bonorum adſcribendus eſt, ſed Dœmonum perſuaſioni, & hominũ conſenſui iniquo, qui bonis in malum abuti didiſcerunt. Notandũ verò, quod ſicut quidã eaſdem imagines, vltra quàm ſatis eſt, venerantur: ita alij, dũ volunt captiores cœteris in religione videri illas, vt quaſi ad idololatriæ ſpecies reſpuunt, & præſumptionis faſtu, ſimplicium corda ſcandalizãt. Huius rei quæſtio apud Græcos ſepè tantas cõtentiones excitauit, vt ſub Gregorio Papa iuniore, Conſtantinus Imperator apud Conſtantinopolim omnes imagines depoſuerit: & ſub Gregorio III. Romæ Synodus ſit facta contra ſupradictam hæreſim in qua affirmatum eſt, vt Sanctorum imagines ſecundum priſcum Catholicæ Eccleſiæ ritum, reſtituerentur: ipſa denique quærela Græcorum: temporibus bonę memoriæ Ludouici Imperatoris in Galliam prolata, eiuſdem principis prouidentia ſcriptis Synodalibus eſt confutata.

Quam etiam Claudius quidam Thaurinenſis Epiſcopus, ſed in veritatis itinere, nationis ſui ſimilitudine nutabundus, inter cæteras vanitatum ſuarum inepias, cupiens renouare, antequam diuerſorum contra eum ſcribentium iaculis perfoderetur, ſuo iudicio damnatus interijt, & fortaſſe, qui Imperatoris, fidelium veluti in noſtro contempſit imaginem, ante tribunal ipſius, proteruitatis ſuæ pariter, & inquietudinis pœnas exoluit. Nõ enim leuem iniuriam ſæculi potentes ſibi putabant illatam, ſi imaginem ſuam, vel nomen in quolibet numiſmate, à ſubiectis deſpici cognouerint, & calcari. Non autem quia populus Iſrael in deſerto, vel Ieroboam Rex Vitulorum fabricatione Deum offenderant, ſerpens æneus, quem ex iuſſu Domini Moyſes fecit, contemnendus erat: quippè cum percuſſi veris ſerpentibus, imaginarij ſerpentis contemplatione ſanarentur: quem quia populus ſemper ad idololatriam procliuis, poſt modum quadam ſuperſtitioſa veneratus eſt religione, Ezechias Rex Iudã religioſiſsimus legitur fregiſſe: ergo cum Chriſtianus populus tanta ſit in diuinis rebus docilitate, in interiora ſapientię ſpiritualis inductus cellaria, vt non dicam picturam & imagines, ſed neipſos quidem Sanctos homines viuos, vel mortuos, diuinis credat colendos honoribus, vel adorandos. Rogamus enim Sanctos, non vt ipſi præſtent per ſe, quæ ſaluti noſtræ neceſſaria ſunt; ſed vt ab Auctore bonorum, à quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum, vtpote illi proximiores meritis, & ideò certius audiendi, impetrent quæ ſaluti petentium opportuna non neſciunt.

Digitized by Google

Deum autem oramus, vt ſua bonitate gratuita meritis, & interceſsionibus ſanctorũ quæ nobis indicat commoda largiatur: & huic quidem, vt Deo, Domino, iudici, creatori, omnipotẽti, & ſaluatori ſupplicamus; illos verò, vt Dei amicos, Domini famulos patronos, verè honoratos, & pleniter ſaluatos in adiutorium vocamus. Tales eſſe preces fidelium, qui publicas Eccleſiæ orationes conſiderare norunt, dubitare non poterunt. Cum itaque talis ſit Chriſtiani perfectio ſenſus, non ſunt omnimodis honeſti, & moderati imaginum honores abijciẽdi. Si enim ideò, quia nouimus non adorandas nec colendas Icònas, conculcãdæ ſunt, aut delendæ picturæ, quaſi non neceſſariæ, vel nociuæ. Ergo & quia credimus, quod creator omniũ, qui vbique eſt, & cęlum & terram implet, non habitat in manufactis, deſtruenda ſunt templa, ne videamur in parietibus, & tectis incluſſum credere creatorẽ. Sicquè poterit deuenire, vt dum çauemus, ne vſpiam ſit aliquid, vbi incipientiũ mens poſsit errare, nihil penè habeamus, quo vel deuotionem noſtram exerceamus, vel ſimplices, & ignàros ad amorem inuiſibilium trahere valeamus. Quãtũ autem vtilitatis, picturæ ratione proueniat, multipliciter patet: primo quidẽ, quia pictura eſt quædã literatura illiterato, ita vt quidam priorũ legatur ex picturis didiciſſe antiquorum hiſtorias.

Deinde in geſtis Silueſtri Papę legitur, Cõſtantinum imperatorem per Thoraçidas Apoſtolorum, quod ipſos in viſione viderit, cognouiſſe: & videmus aliquan do ſimplices, & idiotas, qui verbis vix ad fidem geſtorum poſſunt perduci, ex pictura paſsionis Dominicæ, vel aliorum mirabilium ita compungi, vt lacrymis teſtentur, exteriores figuras cordi ſuo quaſi litteris impræſſas: ergo ſicut omnia munda mũdis, coinquinatis autẽ, & infidelibus nihil mũdum, quia inquinatæ ſunt eorum mens, & conſcientia: ita malis, omnes viæ offenſionis plenæ ſunt, & ſicut boni etiam malis bene, ſic mali etiã bonis malè vtuntur. Sic itaque imagines, & picturę habendæ ſunt, & amandæ, vt nec deſpectu vtilitas adnulletur, & nec irreuerentia in ipſorũ, quorum ſimilitudines ſunt, redundet iniuriam: nec cultu immoderato fidei ſanitas vulneretur & corporalibus rebus honor nimiè impenſus arguat nos minus ſpiritualia contẽplari: hæc ille.

20 Ex quibus tale deducimus argumentum: ſecura & tenenda ſententia in hac materia de imaginum adoratione: eſt illa quæ mediam viam tenet inter duos recẽſitos errores extremos, quorum alter negat omnem imaginibus adorationem olim in Eccleſia exortus: & his temporibus ab Vviclepho, Caluino, & Luthero eius ſectatoribus ſuſcitatus: alter verò faciens imagines per ſe adorabiles adoratione in ipſis ſiſtente, non adorato prototypo: ſed opinio Suarij, Catherini, Gabrielis, Sãderi, Alberti Pigij, & Belarmini lib. 2. de imaginibus, c. 21. & 25. quos ipſe ſequitur, vel labitur in hunc errorem ſecundum, vel vix diſcriminatur ab illo: ergo non poteſt, abſquè periculo ſubſtineri.

Secundo probatur, quia res inanimatæ incapaces ſunt ratione ſui adorationis, & laudis, & honoris, ſicut & contumeliæ: ergo & imagines, ſiquidẽ inanimæ ſũt. Conſequentia patet à paritate rationis: & quia octaua Synodus can. 3. comparat adoratione imaginum cum adoratione aliarum rerum ſacrarum inanimatàrum, dicẽs: *Propter honorem, qui ad principalia ipſa refertur, etiam deriuatiuè imagines honorantur, & adorantur, vt ſanctorum Euangeliorum ſacer liber, atquè typus prætioſæ crucis.*

Antecedens autem, præter quam quod in his verbis eſt diffinitum ab octaua Synodo, experientia patet, quia dum veneramur calicem, corporalia, & veſtem Sacerdotalem, non quidẽ veneramur illa ratione ſui, ſed ratione conſecrationis, & benedictionis à Chriſti Sacerdotio participatæ; aut etiam ratione ſacri myſterij corporis, & ſanguinis Chriſti, cui deſeruiunt, & ad cuius vſum ordinantur ex ipſa ſui conſecratione. Loquor autem de affectu venerationis internæ: nam de reuerentia externa fateor poſſe eis aliquam externam reuerentiam exhiberi, quæ corpori, aut ſanguini Chriſti, aut Euchariſtiæ myſterio non exhibeatur.

Tertio probatur: quia relatiua ſicut ſunt ſimul natura, & cognitione, in quantũ relatiua ſunt: quia vnũ ſine altero cognoſci non poteſt, ita debent eſſe in ordine ad affectum ſimul, quia vnum, vt ſic non poteſt coli, aut adorari ſine altero. Cui principio innititur ratio Angelici præceptoris in art. 3. huius dum ait, quod vel affectus adorationis rẽdit in imaginẽ prout eſt quædam res: vel prout imago eſt. Si primum, re uera imago adoraretur per ſe non adorato prototypo: ſed proculdubio eſſet adoratio ſuperſtitioſa.

Digitized by Google

Si ſecundum, non poteſt talis affectus tendere in imaginē, quin ſimul & principaliter tendat in prototypon: quia teſtē Philoſoph. lib. de memoria, & reminiſcentia, idem eſt motus in imaginem, & in rem cuius eſt imago, & hic eſt cultus religioſus imaginum.

Dices, etiam medium quod habet propriā bonitatem diſtinctam à bonitate finis amatur propter finem: & tamen multoties amatur non amato fine, amore actuali: ergo pariter imago poteſt adorari propter prototypum, non adorato actualiter prototypo. Reſpondetur hanc propoſitionem *Imago adoratur, vel colitur propter prototypū*, non eſſe ſimilem huic, *mediū amatur propter finē*, nec huic, *proximus amatur propter Deū*; ſed huic, *color videtur propter lucē*, aut huic, *medium quod nullam propriam habet bonitatē amatur propter bonitatem finis*: vndè ſicut impoſsibile eſt colorem videri non viſa ſimul luce, & medium carens propria bonitate amari non amata actu bonitate finis; ita impoſsibile eſt imaginem vt imago eſt, adorari non adorato ſimul prototypo, maximè adoratione religioſa & honeſta, qua Concilia & Patres prædicant imagines eſſe adorandas.

21 Ex quo prædicto fundamento manet ſatis probata maior aſſumpta, ex qua cū minori rectè concluditur, nec nomen *IESVS* poſſe adorari cultu latriæ, & religioſo, non adorato eius ſignato ſimul: eo quod militant in eo eędem rationes, quæ in imagine Chriſti, ſcilicet quia ſuppoſita impoſitione eſt ſignum repræſentatiuum Chriſti, & ſubrrogatur in locū illi⁹: voces enim ſupponuntur pro rebus, quas ſignificant, & eſt relatiuum tertij ordinis de genere relatiuorū rationis, cuius proinde totum eſſe, eſt ad aliud ſe habere, id eſt ad ſignatum ſine quo, nec cogitari, nec concipi, nec coli aut amari poteſt inquantū tale. Si autē ei vt res quædam eſt, honor latriæ deferatur: aut affectus latriæ ſiſtat in ipſo, nō adorato eius ſignato: vt Corduba fatetur, & Suarius, ac reliqui authores tribuentes imagini Chriſti cultū latriæ, qui ad ipſum Chriſtum non terminetur, fateri tenentur, iā rei inanimatæ ratione ſui, latriæ honorē deferimus, quod a ſuperſticionis vitio vindicari non poteſt.

Ocurritur fundamētis Cordubæ. Ad primum autē fundamentū Cordubæ, reſpondetur quod ſeptima ſynodus & octaua potius ſunt pro noſtra ſententia: de octaua enim iā vidimus canone nuper allegato: de ſeptima autē patet, nā in illa actione 7. vbi diffinit imagines Chriſti, & Sanctorū eſſe adorabiles, ſic inquit: *Imaginis enim honor in prototypū reſultat, & qui adorat imaginē, in ea adorat quoq; deſcriptū argumentum*: vbi planè determinat adorationē imaginis ſimul eſſe adorationē prototypi: eodēque ſenſu Concil. Moguntin. c. 41. & Trident. initio ſeſs. 25. omnē & totam piam imaginum adorationem in prototypum referunt: *Quoniam honos qui eis exhibetur* (ait Trident.) *refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant*. Ad teſtimonium autē Irenei, dicendum eſt illum in eo manifeſtè loqui non de adorationis cultu, ſed de cultu alio longè diuerſo, nimirùm, de cultu orationis, & ſacrificij, ſiue oblationis externę: de quo loquitur Malachias Propheta cap. 1. dicens: *in loco omni ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnū eſt nomen meum in gentes*, &c. Hæc autem non offeruntur niſi perſonæ per nomen ſignificatæ.

22 Quandoque autē apud Hebræos nomen vſurpari pro perſona aut re, cuius eſt nomen aduertit Ludouicus Soto-Maior Cantic. 1. in illud: *Oleum effuſum nomen tuum*, & probat ex illo Pſal. 112. *Laudate pueri Dominum: laudate nomen Domini, ſit nomen Domini benedictum*, & Iſai. 30. *Nomen Domini de longè veniet*, id eſt Dominus, Apocalyp. c. 3. *Sed habes pauca nomina in Sardis*, &c. id eſt paucos homines, & Act. c. 1. *erat autem turba nominum*, id eſt turba hominū. Quàm phraſim Vazqu. vbi ſup. etiam extēdit ad alia teſtimonia noui Teſtamenti, vt ad illud Philippenſ. 2. *In nomine IESV omne genuflectatur*, & Actor. 4. *Non eſt aliud nomē datum ſub cœlo, in quo nos opporteat ſaluos fieri* & ad Rom. 10. *Quicumq; inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit*, & Ioann. 1. *ijs qui credūt in nomine eius*, quaſi in his locis perſona ipſa Chriſti per methonymiam figuram intelligatur.

Sed reuera in his locis, iuxta communem Eccleſię, & Patrum ſenſum, & acceptationem nomen potius pro voce ipſa *IESV*, quam pro perſona intelligitur, cui licèt non offerantur oratio, ſacrificiū, & oblationes externæ: benè tamen exhibetur honor & cultus latriæ, propter perſonam Chriſti Saluatoris ſignificatam, & ratione illius, cum qua ſimul & ipſum nomen poteſt, ac debet à fidelibus adorari.

De-

Dubium ſecundum eſt. An Sacramento Euchariſtiæ idem cultus latriæ ſit exhibendus, qui & Chriſto debetur?

23 IN hoc dubio, concluſio affirmans eſt concors omnium Catholicorum ſententia, qui ſicut fatentur Corpus Chriſti realiter eſſe in Euchariſtia, tum in ſacrificio Miſſæ, tum etiam cùm publicè circumfertur: pariter dicunt illud eſſe vbiquè dignum adoratione latriæ. Quod latè oſtendunt Claudius Saintes repet. 9. de Euchariſtia cap. 5. Clitobæus lib. 1. de Euchariſtia c. 19. & Vazqu. diſp. 108. c. 12. aduerſus ſectarios: quorum alij negantes Chriſti corpus verè in hoc ſacramento cõtineri, conſequenter negant illud eſſe dignū adoratione latriæ: vt Caluin lib. 4. inſtitutionū c. 17. §. 35. & miniſtri Tigurini in Apologia contra vltimã confeſsionē Lutheri.

Alij verò admittentes corpus Chriſti realiter in hoc Sacramento contineri, adhuc negant ei adorationem latriæ, aut quando publicè circumfertur honoris cauſa, aut etiam in ipſa cœna, & communione actuali, vt Lutherus in lib. ad Vvaldēſes, Mathias Illyricus in Apologia confeſsionis Antuerpiæ c. 14. Brētius in Apologia pro confeſsione, Vvitembergen. Kelynſius in 2. p. examinis Concilij Tridentini ſeſs. 13. c. 5.

Qui id in quo conueniunt probant tripliciter. Primo quia ſi Euchariſtia eſſet adorãda adoratione latriæ, quia Chriſtus ibi realiter exiſtit: ergo quęcumquę creatura mundi poſſet adorari latria, eo quod Deus eſt in illa intimè pręſēs per eſſentiã, & per potentiam, quia immediatè operatur in illa. Quod tamē abſque idololatriæ vitio fieri non poteſt. Quis enim ligna & lapides adorabit cultu latrię, quia Deus in illis eſt præſens? Profectò nullus niſi idolatra.

Secundo, quia homines exponuntur manifeſto periculo idolatrandi; nam ſi ibi maneat ſubſtantia panis & vini propterea quod Sacerdos non habuit intentionē conſecrandi: tunc talis cultus latriæ in ipſum panem & vinū terminaretur: quod eſt manifeſta idololatria: ergo.

Tertio, quia ſacramentum Euchariſtiæ eſt aliquid creatum, quia ſupponit pro ipſis ſpeciebus conſecratis: maxime iuxta ſententiam veriorem Theologorū aſſerentium corpus Chriſti non eſſe partem ſacramenti tantum, ſed eſſe extra eſſentiã illius: nulli autē creaturæ poteſt exhiberi latria: ergo.

24 Sed his non obſtantibus noſtra concluſio eſt certa ſecundum fidem: & probatur primo, quia expræſſe eſt diffinita in Concilio Trident. ſeſs. 13. c. 5. & can. 6. vbi decernitur, nedū corpus Chriſti contentū, ſed hoc venerabile ſacramentum colendum eſſe adoratione latriæ. *Debetur ſecūdū fidem euchariſtiæ cult⁹ latriæ*

Secundo quia communiter defenditur à Patribus Eccleſiæ, nimirū à Clemente Romano lib. 2. conſtitutionū Apoſtolicarum c. 61. Dionyſio lib. de Eccleſiaſtica Hyerarchia c. 3. Chryſoſt. homil. 61. ad populum. Nazianz. orat. de ſancta Gorgonia, Algero lib. 2. de Euchariſtia, c. 3. Ambroſ. lib. de Spiritu ſancto, & Auguſt. in Pſalm. 21. concione 1. & Pſ. 98. ſuper illud, *adorate ſcabellum.*

Tertio probatur ratione manifeſta, quia Chriſto ſecundū ſe debetur adoratio latriæ, vt ſupra oſtendimus contra Neſtorian. negantes Chriſtū hominē eſſe verū Deum: eo quod diſtinguūt in illo duo ſuppoſita, creatū & increatum: ergo vbique poteſt, ac debet cultu latriæ adorari: tunc vltra, ſed vere & realiter continetur ſub ſpeciebus conſecratis panis & vini: ergo ſub eis, & in eis poteſt, ac debet adorari latria, nō minus, quàm adoratur in cęlo, vel quàm adorabatur, dum erat in terris, & cū aliàs ipſę ſpecies ſacramentales contineãt corpus, & ſanguinem Chriſti, & cū eo habeant realem quãdam mirabilem coniunctionem: vtpote ex quibus & corpore, ac ſanguine Chriſti reſultet quoddam mirabile coniunctum, vt ſuo loco dicemus. Conſequens eſt, quod & ipſæ ſpecies ſic continentes debeant cultu latriæ adorari propter contentum, & ratione illius. Quę ratio amplius confirmatur exemplo

imaginis: nam imago Christi, vt imago eſt, vere cultu latriæ eſt adoranda propter coniunctionem, quā habet cum prototypo, & quia continet illud in eſſe repræſentatiuo: ſed magis intima & propria eſt coniunctio ſpecierū cum corpore Christi, & continentia huius in illis: ergo à fortiori propter huiuſmodi coniunctionem, & continentiam dignæ ſunt huiuſmodi ſpecies veneratione latriæ.

25 Ex quibus ad primum fundamentum ſectariorum reſpondet Vazqui', admittendo Deum in omni re creata, vtpote intime preſentem poſſe adorari latria. Sed hæc ſolutio non ſatisfacit argumento, quia licèt Deus vbiquè poſsit adorari latria: non tamen ſequitur quamcunquè rem cui Deus eſt præſens poſſe adorari cultu latriæ, alioquin lapides & ligna, & templa ipſa ſimul cultu latriæ poſſemus adorare, adorando Deum in illis: ſicut adorando Christum in Sacramento Euchariſtiæ, ipſum quoque Sacramentum adoramus, cultu latriæ, cuius Vazquius nullū aſsignat diſcrimen, quod tamen aſsignandum eſt.

Igitur dicendum eſt præſentiam illam, quam Deus habet cum rebus inanimatis, quæ nec imagines ſunt, nec ſpecialē conſecrationem, aut ſanctitatem habent, non eſſe ſufficientem vt cultus latriæ, qui Deo exhibetur primario, & per ſe, illis etiā ſecundario, aut per accidens exhibeatur, quia neque ad repræſentandum Deum per ſe primo ordinantur ſicut imagines ad prototypum, in cuius proinde locū ſubrrogātur. Sed primo & per ſe ſunt ordinatæ ad eſſendum, licèt ſecundario, & ex conſequenti Deum repræſentent, ſicut effectus ſuam cauſam: neque habent ſpecialem coniunctionem & continentiam cum Deo, ita vt ex illis & ex Deo reſultet aliquod vnū compoſitū, ſicut reſultat ex corpore Christi, & ex ſpeciebus conſecratis in hoc Sacramento: vndè fit, vt hoc Sacramentum ſimul cum corpore Christi contento adoretur eadem adoratione latriæ, quæ ipſi corpori Christi exhibetur: creaturæ autē neutiquam debeant, aut poſsint adorari eadem adoratione latriæ qua in illis Deum adoramus: hoc enim eſſet manifeſta idololatria.

26 Hinc infero contra eundem Vazquium nimis æquiparāſſe illas quatuor cōiunctiones ex ipſo à nobis dubio præcedēte recenſitas. Ob quas (inquit ille) res inanimes dignas eſſe aliqua adoratione: quæ tamen non ita ſunt æquiparandæ, vtpotè cum latum diſcrimen inter illas verſetur.

Quod ſic declaro, prima namquè coniunctio quæ reperitur in imagine cum prototypo, efficit vt ſimul cum illo poſsit, ac debeat adorari eadem adoratione quæ in ipſum tendit prototypum. Sic enim ſeptima, & octaua Synodus prædicant imagines adorabiles propriè & ſimpliciter, ad quod non requiritur, quod in ſe & ratione ſui terminent aliquā adorationem, quæ ad ipſum prototypum principaliter, & vltimate non terminetur, vt falsò intellexit Suarius vbi ſupra: ſicut ad hoc vt verbum mētale proprie, & ſimpliciter intelligatur, nō opportet vt terminet aliquam intellectionem, quæ principaliter, & vltimate ad obiectum externum non terminetur: ſed dū hoc vltimate cognoſcitur in Verbo: ipſum quoque Verbum, vt imago illius, propriè & ſimpliciter cognoſcitur ab intelligente.

Secunda quæ dicitur ratione contactus, & in cruce, clauis & veſte Christi Domini v. g. reperitur, efficit vt hæc eadē adoratione latriæ quæ Christo exhibetur ſint adorabilia, vt dubio ſequenti explicabo. Quia dum crucem, aut clauos, aut veſte Christi adoramus, ipſum quoque Christum directè, & principaliter veluti extenſum, aut confixum, aut veſtitum colimus.

Tertia, quæ dicitur ratione habitudinis ad Deum, vel Christum, vel Sanctos: vt quę reperitur in vaſis, ac veſtibus ſactis templis benedictis, cultui diuino dicatis, atque in lib. Euangeliorum in quo myſteria Christi continentur: efficit vt etiam huiuſmodi res ſint adorabiles aliquo modo.

27 Circa quas tamen, tres differencias venerationis, ſiue cultus & honoris diſtinguere poſſumus: vnam quidem externam, ſcilicet exoſculationis, & ſubmiſsionis, quæ eis reuera defertur ſiſtendo in illis, quin ad Deū, vel Christum, vel Sāctos terminetur: alia verò eſt interni affectus, quo etiā huiuſmodi res licitè, ac piè poſſumus colere, & de facto colimus iuxta conſuetum, ac pium morem Eccleſiæ ratione conſecrationis, & benedictionis ipſis impræſſæ, ac participatæ ex Christi Sacerdotio, aut etiam ratione ſacræ hiſtoriæ in lib. Euangeliorum contentę, & hic affectus, eſt duliæ terminatus ad huiuſmodi res ſacras quin ad earum finem, ſiue prototypū actualiter terminetur: ſicut & ille

affe-

affectus duliæ, quo colimus ſanctum ratione gratiæ, & ſanctitatis quæ ipſi competit, & eſt participatio diuinæ bonitatis, reuera ad Sanctum, & non ad Deum actu terminatur: alioquin eſſet latrię, & non duliæ. Et quoniam ſanctitas libri ſacri, vaſis, ac veſtis huiuſmodi, inferior eſt ad ſanctitatem rationalis creaturæ: propterea, & hæc dulia inferioris quoque ſpeciei eſt ad illam, quæ rationali creaturę ob eius ſanctitatem exhibetur.

Alia denique eſt adoratio interna, quę in huiuſmodi rebus, & per illas fertur ſiue in Deum, ſiue in Chriſtum, ſiue in Sanctum in cuius honorem talis res dicata, vel ſacrata fuerit: eoquòd ſicut mens in huiuſmodi rebus, & per illas excitata ſiue Deum, ſiue Chriſtum, ſiue Sanctum recogitat, ita & illum affectu venerationis, & cultus proſequi poteſt & ſolet. Et tunc circa Deum, & Chriſtum talis affectus erit latriæ: circa Sanctum verò erit duliæ, ſed ſuperioris ad illam: quam diximus poſſe pie deferri hiſce rebus ratione ſanctitatis earum. Sed nec huiuſmodi affectus terminatur ad tales res ſimpliciter & propriè: niſi ſecundum quid, & veluti peraccidens, quatenus per illas venimus in cognitionem finis principalis, cui talem cultum internum exhibemus: alioquim idololatriæ, & ſuperſtitionis genus eſſet, ſi dū in altari, vel in vaſe Chriſtum, vel in templo Deum, vel Sanctum adoramus: eadem adoratione propriè adoraremus, vas, altare, vel templum ipſum, vtpotè quia hæc inanimata, incapacia ſunt illius adorationis ſiue latriæ quæ Deo & Chriſto; ſiue duliæ, quæ Sanctis debetur.

Demum quarta coniunctio eſt, quæ competit omnibus mundi creaturis, alias cuiuſuis benedictionis, & conſecrationis expertibus, ratione præſentialitatis intimæ, quam Deus habet in illis: & hæc ſolum efficit, vt poſſimus Deum colere recogitatum in illis, & per illas cultu latriæ, minime tamen ad illas terminato, in quo labitur Vazquius: alioquin nihil amplius haberet imago Dei, & crux Chriſti: nec quęuis creatura mundi eſſet minus adorabilis iſtis: quod tamen abſurdū eſt, & latum pandit oſtium idololatriæ. Sed nec Leontius citatus à Vazquio dialogo 5. dicens, quod Iacob per lapidem, quem vnxit, & erexit in titulum, Deum veneratus eſt, aliud voluit, niſi quod Iacob in lapide Deum recogitans, ipſi Deo & non lapidi honorem detulit latriæ: ita vt lapis ille & locus non fuerit illi obiectū adorationis, ſed veluti templum in quo adorationem latriæ detulit Deo: idque indicant haud obſcure verba in quæ ipſe Iacob ex pergefactus prorrupit dicens: *Verè locus iſte ſanctus eſt, non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cœli*, quare dum in locis ſuperius citatis ad horum inanimatorum, vt cœli, ſcabelli pedum Dei, terrę, &c. inuitamur adorationem: per metonimiam putò eſſe intelligenda, hoc eſt, vt Deum ſpecialiter præſentem, aut operantem in talibus locis adoremus.

29 Ad ſecundum reſpondetur, nulli periculo nos exponi adorando hoſtiam: eoquòd hæc adoratio directè, & principaliter fertur in Chriſtum ibi contentum, & ſi ibi peraccidens ex defectu intentionis miniſtri non contineatur; tunc enim iudiciū ſpeculatiuum de præſentia Chriſti in tali hoſtia eſſet falſum, practicū verò, & prudentiale eſſet verū, cui cōformatur affectus religionis, ſiue cultus ellicitus à voluntate.

Sed quamuis in hoſtia conſecrata maneret ſubſtantia panis ex inſtitutione Chriſti, qui de potentia abſoluta potuit inſtituere hoc ſacramentū continens eius corpus, & ſanguinē abſque deſicione ſubſtantiæ panis & vini; adhuc Euchariſtia eſſet adorabilis eadem latriæ adoratione, quamodò abſque periculo idololatrandi (quidquid in contrariū reclamet Sainctes vbi ſupra.) Eoquod ſicut in imagine & cruce Chriſti, v.g. propria ſubſtātia, & exiſtentia non obſtat, quominus ſint adorabiles adoratione exhibita Chriſto per illas & in illis, ita nec propria ſubſtantia, & exiſtentia panis, ac vini obſtaret, ne Euchariſtia eſſet adorabilis ea adoratione, quæ Chriſto ibi cōtēto defertur.

Ad tertiū diſtinguo maior. hoc ſacramētū eſt aliquid creatū quātū ad ſpecies, & accidētia panis & vini, cōcedo: quātū ad totū cōpoſitū, vel cōiūctū ex ſpeciebus & corpore Chriſti ratione ſuppoſiti incluſſi, nego maior: quia ea parte qua ibi ingreditur Chriſtus pertinēs ad id quod eſt res, & ſacramentū ſimul inuoluit, ſuppoſitū increatū. Aut etiam diſtinguo minorem; nulli creaturæ poteſt exhiberi latria, vt obiecto principali *quod*, ſiue vltimato, cōcedo: vt obiect. *quo*, ſiue proximo quod, & min. principali, ratione repreſē-

tionis, vel contactus, vel continentiæ, nego minorem. Et primo modo imago Chriſti: ſecundo verò crux Chriſti: & tertio modo Euchariſtia eſt adorabilis latria Chriſto debita.

30 Nec huiuſmodi adoratio Euchariſtiæ fuit humanum inuentum Vrbani IIII. aut Clementis V. (quidquid præfati hæretici obmurmurent): quorum alter feſtum ſolemne corporis Chriſti inſtituit: alter verò bullam prioris cõfirmauit in Clemẽtina vnica de reliquijs, & veneratione Sanctorum: quia veneratio, & adoratio huic ſacramento debita inducta eſt ab ipſo diuino iure dictante latriam exhibendam eſſe Deo, & illis rebus quæ cum Deo, aut diuino ſuppoſito habent ſpecialem coniunctionem, ſiue repræſentationem: ſolemnitatis verò, & illius publici cultus, quem populus Chriſtianus corpori Chriſti, & huic ſacramento per plateas defert in tali feſto, fatemur inuentum fuiſſe Vrbani, ſed non humano ingenio, nec quauis humana poteſtate, niſi Pontificia a Chriſto accepta.

Dubium tertium eſt. An idem cultus latriæ deferendus ſit Chriſti cruci?

31 IN hoc dubio omiſſis duobus erroribus extremæ, oppoſitis quorũ vnus fuit olim Claudij Taurinenſis Epiſcopi, ab Vvicleпho prius, & poſtea ab eius ſectatoribus, ſcilicet Caluino lib. 1. inſtitutionum cap. 22. §. 7. & Centuriatoribus, cẽturia 4. cap. 4. ſuſcitatus, quem referunt, & refutant Vvaldenſis tomo 3. à capite 158. Caſtro contra hæreſ. verbo *adoratio* Alanus Copus dialogo 4. cap. 3. & Pamelius in annotatione ad Apologeticum Tertulliani numer. 238. & Prateolus in elencho hæreſum, verbo *Claudius Taurinenſis*: negantium tam cruci in qua Chriſtus pependit, quam eius imagini omnem adorationem.

Alter verò fuit Fauſti Manichæi aſſerentis quamcunque arborem venerandam eſſe à nobis in memoriam crucis; noſque in omni arbore debere Chriſtum latria colere ſicut in cruce; idque ita eius diſcipuli executioni mandabant. Cuius meminerunt Auguſtinus lib. 20. contra Fauſtum cap. 11. & Vvaldenſis in d. tomo 3. cap. 160.

Contra quos errores ſtatuitur à nobis pro certa concluſione ſecundum fidem, ſententia media, quæ docet tam cruci in qua Deus pependit, quam eius imagini, dum figuram talis imaginis retinet, latriæ cultum fore exhibendum. Secus verò, ſi talem figuram amittat, & licet in hac concluſione, vt iacet, vtpote certa ſecundum fidem, conueniant omnes Theologi: diſcriminantur verò in explicando, quæ & qualis ſit hæc adoratio Cruci Chriſti exhibita: in duos modos dicendi. *Cruci Chriſti, & eius imagini debetur cultꝰ latria.*

32 Alijs dicentibus eſſe hyperduliam, de quorum numero ſunt Marſilius in 3. diſtinct. 9. quæſt. 8. art. 2. Enriquus quodlibeto 10. quæſt. 6. & Suarius hic diſputat. 55. ſectione 1: quibus & fauet Diu. Thom. in eodem 3. diſtinct. 9. quæſt. 1. art. 2. quæſtiuncula 4. quod intelligendum eſſe ait Suarius de illa adoratione quæ tribuitur cruci, vt per cogitationem ſeparatæ à Chriſto: nam de illa quæ tribuitur ipſi, vt coniunctæ cũ Chriſto, certum eſt debere eſſe perfectam latriam, quam ipſe Suarius iuxta generalẽ ſupra traditam doctrinam appellat latriæ inferioris, & minus perfectæ, quam ſit illa, quæ Chriſto propter ſe debetur.

Alijs vero dicentibus eſſe eandem latriam perfectã, qua & ipſe Chriſtus colitur. De quorum numero ſunt D. Thom. hic, Vazquius diſputat. 111. cap. 2. & Cordubalib. 1. quæſt. 105. quam communiter Thomiſtæ tuentur.

Igitur noſtra concluſio habet tres partes probandas. Quarũ prima eſt quod Cruci & eius imagini debeatur cultus latriæ. Et hæc probatur quia eſt diffinita in ſeptima ſynodo actione 7. deinde ex teſtimonijs Scripturæ in quibus exprimuntur plures cauſæ, ob quas talem venerationem cruci debemus, vt ad Coloſſenſes 1. *Pacificans per ſanguinem Crucis eius, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt*: & capit. 2. *Spolians principatus, &c. Et affigens illud*

Cruci,

Cruci, & ad Epheſios 2. *Vt reconciliet ambos in vno corpore Deo per crucem*: ex quib⁹ locis habemus primam cauſam, quia per Crucem arma contra Dœmones, & ſalutem noſtram comparauimus.

Rurſus quia in Cruce veluti in altari ſacro Chriſtus cruentum ſacrificium obtulit pro nobis, vt dicitur ad Hebræos 7. & quia peccata noſtra expiauit ſuper lignum, vt dicitur 1. Petri 2. & quia fuit inſtrumentum noſtræ redemptionis: & quia fuit via per quam Chriſtus ad ſuam exaltationem peruenit, vt ſignificatur Ioannis 3. & 12. & ad Philippenſes 2.

Tertio probatur ratione ſumpta ex Damaſceno lib. 4 capite 12 dicente: *Hoc lignum venerandum, & ex tactu ſancti corporis, & ſanguinis ſanctificatum optimo iure adorari debet, clauique item, & lancea, & indumētum, ac præſepe* Ex quibus verbis tale deducimus argumentum: in cruce Chriſti Domini, reperitur coniunctio illa cōntactus ratione cuius res tangens adorabilis eſt eadem adoratione quæ rei cum qua habuit contactum debetur: ergo & cruci Chriſti debetur adoratio latriæ, quæ Chriſto defertur, ratione contactus quē habuit cum illo.

Tertia ratio deſumitur ex alia cōiunctione repræſentationis, ob quam diximus imagines eſſe adorabiles adoratione earum rerum quas repræſentant: quæ coniunctio etiam ſaluatur in cruce Chriſti, & eius imagine, in illa quidem, quia Chriſtum extenſum repræſentat: in iſta verò quia refert ſimilitudinem Chriſti extenſi in prima cruce: ergo ratione huiuſmodi repræſentationis, tam illa crux, in qua quidem Chriſtus pependit, quam quælibet eius imago eſt adorabilis cultu latriæ.

Intelligē quādiu figurā Crucis retinet pictura, vel lignū.

33 Deinde ſecunda pars probatur; quia ſicut genus ſuperſtitionis eſſet quamcunque naturam inanimatam publice adorare, etiam ſi in illa Deus ſit præſens, vt dictum eſt: ita & adorare quodcunque lignum, ſiue arborem propter Crucis memoriam non caret ſuperſtitione. Idque expreſſe, docent Athanaſius quæſtione 16. ad Antiochum. Damaſcenus libro 4. de fide, capite 12. & Leontius in illo dialogo 5. qui refertur in ſeptima ſynodo actione 4. aſſerentes Crucem, id eſt eius imaginem eſſe adorandam quamdiu ſoluta non eſt: alioquin reputanda eſt materia lignorum inutilis adorationi, licet enim poſſit quis in aliquo ligno, vel arbore Crucem Domini recogitare, & illam mente, & affectu interno adorare: tamen qui publice, & cultu externo ſi quodcumque lignum expers figuræ Crucis indiſcriminatim adoraret: etiam ſi id faceret in memoriam Crucis Domini, reuera ſuperſtitioſus eſſet, & tamquam talis à iudicibus fidei eſſet puniendus.

34 Denique tertia pars concluſionis, nimirum quod Crux Chriſti, ſiue eius imago non ſit adorabilis alia adoratione, niſi illa, qua & Chriſtus adoratur, quæ eſt latriæ perfectæ, relinquitur ſufficienter probata eiſdem rationibus quibus ſupra aduerſus eundem auctorem oſtendimus illam latriam inferiorem quam tribuit dictus auctor naturis creatis, vt humanitati Chriſti, imagini Chriſti, Euchariſtiæ, necnon Cruci Chriſti, prout cogitatione ſeparantur à Deo, vel à Chriſto, eſſe commentitiam, huiuſmodique res nullam adorationem latriæ poſſe terminare ſecundum ſe, præter illam quæ ſimul ad exemplar, contentum, ſiue prototypum, vt ad obiectum *quod* & principale adorationis terminatur.

ART. V.

Vtrùm mater Christi ſit adoranda adoratione latriæ?

2.2.q 103 a 4. ad 2, & 3. d. 9. q. 1. ar. 2. q. 3.

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quòd mater Dei ſit adoranda adoratione latriæ. Videtur enim idem honor eſſe exhibendus matri Regis, & Regi. Vnde dicitur 2 Reg. 2. quòd poſitus eſt thronus matri Regis, quæ ſedit ad dexteram eius. Et Auguſt. dicit in ſermone de Aſſumptione †. Thronum Dei, & thalamum Domini cæli, atque tabernaculum Chriſti dignum eſt ibi eſſe, vbi eſt ipſe. Sed Chriſt⁹ adoratur adoratione latriæ. Ergo & mater eius.

c. 6. circa fin. to. 9.

2 Præterea. Damaſcen. * dicit in 4. libro, quôd honor matris refertur ad filium. Sed filius adoratur adoratione latriæ. Ergo & mater.

c. 15. poſt med.

3 Præterea. Coniunctior eſt Chriſto mater eius, quâm crux. Sed crux adoratur adoratione latriæ. Ergo & mater Chriſti eſt adoratione latriæ adoranda.

Sed contra eſt, quòd mater Dei eſt pura creatura. Non ergo ei debetur adoratio latriæ.

Reſpondeo dicendum, quòd quia latria ſoli Deo debetur, nulli creaturæ debetur latria, prout creaturam ſecundum ſe veneramur. Licet autem creaturæ inſenſibiles non ſint capaces venerationis ſecundum ſeipſas: creatura tamen rationalis eſt capax venerationis ſecundum ſeipſam: & ideò nulli puræ creaturæ rationali debetur cultus latriæ. Cũ igitur beata Virgo ſit pura creatura rationalis, non debetur ei adoratio latriæ, ſed ſolum veneratio duliæ: eminentius tamen, quam cæteris creaturis, in quantum ipſa eſt mater Dei. Et ideo dicitur, quòd debetur ei, non qualiſcumque dulia, ſed hyperdulia.

Ad primum ergo dicendum, quòd matri Regis nõ debetur æqualis honor, honori, qui debetur regi: debetur tamen ei quidam honor cõſimilis, ratione cuiuſdam excellentiæ, & hoc ſignificant auctoritates † inductæ. in arg. 1.

Ad ſecundum dicendum, quòd honor matris refertur ad filiũ quia ipſa mater eſt propter filium adoranda. Non tamen eo modo quo honor imaginis refertur ad exẽplar: quia ipſa imago prout in ſe conſideratur vt res quædam, nullo modo eſt veneranda.

Ad tertium dicendum, quòd crux nõ eſt capax venerationis, prout in ſe conſideratur: vt dictum eſt *. art. præc.
Sed beata Virgo ſecundum ſeipſam eſt venerationis capax. Et ideô non eſt ſimilis ratio.

35 COnclusio eſt bimembris: nimirũ quòd mater Chriſti eſt adoranda nõ latria, ſed hyperdulia. Ratio primæ partis eſt quia nulli rei venerabili ſecundum ſe, & ratione ſui, hoc eſt nulli naturæ intellectuali, niſi ſoli Deo ſecundum ſe, debetur latria: ergo cum beata Virgo ſit naturæ rationalis, ac proinde adorabilis ſecũdum ſe, nequit latriam terminare. Ratio verò ſecundæ partis eſt, quia propter eius ſingularem excellentiam in plenitudine gratiæ, & dignitate maternitatis Chriſti conſiſtentem, debet eminentius cęteris creaturis rationalibus venerari; ac proinde non communi dulia, ſed hyperdulia.

AR-

Digitized by Google

ART. VI.

Vtrum reliquiæ Sanctorum ſint adorandæ?

2.2.q.69. ar.4.ad 3.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur, quod Sanctorum reliquiæ nullo modo ſint adorandæ. Non enim eſt aliquid faciendum, quod poſsit eſſe occaſsio erroris. ed adorare mortuorum reliquias, videtur ad errorem Gentilium pertinere, qui mortuis hominibus honorificentiam impendebant. Ergo non ſunt Sanctorum reliquiæ adorandæ.

2 Præterea. Stultum videtur rē inſenſibilem venerari. Sed Sanctorū reliquię ſunt inſenſibilia corpora Ergo ſtultum eſt eas venerari.

3 Præterea. Corpus mortuum non eſt eiuſdem ſpeciei cum corpore viuo: & perconſequens non videtur eſſe numero idem. Ergo videtur quod poſt mortem alicuius Sancti corpus eius non ſit adorandum.

Sed contra eſt, quod dicitur in lib. de eccleſiaſt. dogmatib*. Sanctorū corpora, & pręcipue beatorū Martyrum reliquias, ac ſi Chriſti mēbra, ſynceriſsime honoranda credimus. Et poſtea ſubditur, ſi quis contra hāc ſententiā venerit, non Chriſtianus, ſed Eugnominianus, & Vigilantianus creditur.

c. 73. inpr. habetur inter oper. Auguſt. t. 3.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut Aug. dicit in lib. de† ciuit. Dei, ſi paterna veſtis, & annulus, ac ſi quid eſt huiuſmodi, tanto carius eſt poſteris, quanto erga parentes eſt maior affectus: nullo modo ipſa ſpernenda ſunt corpora, quæ vtique multo familiarius atque coniunctius, quam quælibet indumenta geſtamus. Hæc enim ad ipſam naturā hominis pertinent. Ex quo patet, quod qui habet afectū ad aliquem, etiam ea quę de ipſo poſt mortem relinquuntur, veneratur: nō ſolū corpus aut partes corporis eius, ſed etiam aliqua exteriora, puta veſtes, & ſimilia. Manifeſtū eſt autē, quod Sanctos Dei in veneratione habere debemus, tāquam mēbra Chriſti, Dei filios, & amicos, & noſtros interceſſores. Et ideo eorū reliquias qualeſcūque, honore congruo in eorū memoriā venerari debemus, & pręcipue eorum corpora quę fuerunt tēpla & organa Spiritus ſancti in eis habitantis, & operantis, & ſunt corpori Chriſti configuranda per glorioſam Reſurrectionē. Vnde & ipſe Deus huiuſmodi reliquias conuenienter honorat, in eorū præſentia miracula faciendo.

li. 1. c. 13. to. 5.

Ad primum ergo dicēdū, quod hæc fuit ratio Vigilantij, cuius verba introducit Hieron.* in lib. quē contra eū ſcribit, dicentis. Prope ritum Gentiliū videmus ſub prætextu religionis introductum, puluiſculū neſcio quē in modico vaſculo, pretioſo linteamine circundatū oſculantes adorant. Contra quem Hieronym. dicit in Epiſt. ad Riparium†. Nos non dico Martyrū reliquias, ſed nec Solē nec Lunā; nec Angelos adoramus, ſcilicet adoratione latrię: honoram⁹ autē reliquias Martyrū, vt eū cuius ſunt Martyres, adorem⁹, honoram⁹ ſeruos, vt honor ſeruorū redūdet ad dominum. Sic ergo honorando reliquias Sanctorū, non incidimus in errorem Gentilium, qui cultum latriæ mortuis hominibus exhibebant.

non procul à pri. to. 3.

inci. ep. Accept⁹ prımū litteris tuis t. 3. habetur non procul à prī.

Ad ſecundum dicendum, quod corpus illud inſenſibile non adoramus

mus propter ſeipſum, ſed propter animam, quæ fuit ei vnita, quæ nunc fruitur Deo: & propter Deum, cuius fuerunt miniſtri.

Ad tertium dicendum, quod corpus mortuum alicuius Sancti nō eſt idem numero, quod primo fuit dum viueret, propter diuerſitatē formæ, quæ eſt anima: eſt tamen idem identitate materiæ, quæ eſt iterum ſuæ formæ vnienda.

36 RESpondet Angelicus Doctor reliquias ſanctorum qualeſcunque congruo honore debere à nobis venerari, & precipue eorum corpora. Eoquod affectus erga aliquem etiam veneratur illa, quæ de ipſo poſt mortem relinquntur iuxta doctrinam Auguſtini lib. 1. de ciuitate cap. 13. ſed Sanctos Dei congruenter veneramur affectu duliæ: ergo & eorum reliquias, precipuè corpora quæ poſt mortem relinqunt, eodem affectu debemus venerari.

Minor patet ex quatuor motiuis, quę in Sanctis nos mouent, & inducunt ad eorum venerationem: nimirùm quia ſunt membra Chriſti, quia ſunt filij Dei, quia amici, & quia noſtri interceſſores. Præcipuè autem eorum corpora propter tria. Tum quia fuerunt templa Spiritus ſancti inhabitantis: quia orgona fuerunt Spiritus ſancti operantis per ea: & quia ſunt corpori Chriſti configuranda.

Probatur quoque eadem concluſio à poſteriori & veluti a ſigno: quia Deus ſanctorum reliquias honorat, miracula ad eorum præſentiam patrando: ergo vult, quod & nos illas honoremus.

De cultu, & veneratione Sanctorum. De imaginum laudabili, ac debita reuerentia, & adoratione, plura hic dubia mouent Iuniores Theologi, ea ex tractatu de religione ad hunc locum transferētes: quæ tamen nos conſulto ommittimus, & ad proprium remittimus locum: ne tractatum de Chriſti hominis excellentijs, ac dignitatibus, alienis exornemus, & plus ſolito longiorem faciamus: vtquê, iam ad vltimam Chriſti excellentiam, ſcilicet mediatoris Dei & hominū in quæſtione ſequenti conſiderandam, facili, breui, & grato calamo tranſeamus.

*

QVAE-

Digitized by Google

QVAESTIO XXVI.

De eo, quòd Chriſtus mediator Dei, & hominum dicitur, in duos articulos diuiſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm eſſe mediatorem Dei, & hominum, ſit proprium Chriſto?

3.d.19.a. 5.q.3 et o pu.3.c.22 Et op 60.c 18.& Gal. 3.le.7.fi.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod eſſe mediatorem Dei, & hominum, non ſit proprium Chriſto. Sicut enim Sacerdos, ita & Propheta videtur eſſe mediator inter Deum & homines: ſecundum illud Deuteronom. 5. Ego illo tempore ſequeſter fui & medius inter Deum & vos Sed eſſe Prophetam, & Sacerdotem, non eſt proprium Chriſto. Ergo nec eſſe mediatorem.

2 Præterea. Illud quod conuenit Angelis bonis & malis, non poteſt dici eſſe proprium Chriſto. Sed eſſe medium inter Deum, & homines, conuenit Angelis bonis; vt Dionyſ. * dicit 4. c. de diu. nom. Conue- (non multũ proc. apr.) nit etiam Angelis malis, id eſt dæmonibus: habent enim quædam cõmunia cum Deo, ſcilicet immortalitatem, quędam cum hominibus, ſcilicet quod ſunt animo paſsiui, & perconſequẽs miſeri: vt patet per Aug. (ca.8.to.5.) 9. † de ciu. Dei. Ergo eſſe mediatorẽ Dei, & hominum, non eſt proprium Chriſto.

3 Præterea Ad officiũ mediatoris pertinet interpellare ad vnũ eorũ, inter quos eſt mediator pro altero. Sed Spirit⁹ ſanct⁹, ſicut dicitur Rom. 8. interpellat pro nobis ad Deũ gemitibus inenarrababilibus. Ergo Spirit⁹ ſanctus eſt mediator inter Deũ, & homines. Non ergo eſt propriũ Chriſto.

Sed contra eſt, quòd dicitur 1. ad Tim. 2. Vnus eſt mediator Dei, & hominum, homo Ieſvs Chriſtus.

Reſpondeo dicendum, quod ad mediatoris officium propriè pertinet, coniungere & vnire eos, inter quos eſt mediator. Nam extrema vniuntur in medio. Vnire autem homines Deo, perfectiue quidem conuenit Chriſto, per quem homines ſunt reconciliati Deo, ſecundum illud 2 ad Corinth. 5. Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi. Et ideo ſolus Chriſtus eſt perfectus Dei, & hominum mediator, in

quan-

Digitized by Google

quantum per ſuam mortem humanum genus Deo reconciliauit. Vnde cum Apoſtolus dixiſſet, mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Iesvs, ſubiunxit. Qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus. Nihil tamen prohibet aliquos alios ſecundum quid dici mediatores inter Deum & homines: prout ſcilicet cooperantur ad vnionem hominum cum Deo diſpoſitiuê, vel miniſterialiter.

Ad primum ergo dicendum, quod Prophetæ, & Sacerdotes veteris Teſtamenti, dicti ſunt mediatores inter Deum & homines, diſpoſitiue, & miniſterialiter, inquantum ſcilicet prænunciabant, & præfigurabant verum, & perfectum Dei, & hominum mediatorem. Sacerdotes vero noui Teſtamenti, poſſunt dici mediatores Dei, & hominum, in quantum ſunt miniſtri veri mediatoris, vice ipſius ſalutaria ſacramenta hominibus exhibentes.

li. 6 & li. 14. c. 15. â me. 10. 5. Ad ſecundum dicendum, quod Angeli boni, vt Auguſtin.* dicit in 9. de ciuit. Dei, non recte poſſunt dici mediatores inter Deum, & homines. Cum enim vtrumque habeant commune cum Deo, & beatitudinem, & immortalitatem; nihil autem horum cum hominibus miſeris & mortalibus, quomodo non potius remoti ſunt ab hominibus, Deoque coniuncti, quâm inter vtroſque medij conſtituti? Dionyſ.* tamen dicit eos eſſe medios: quia ſecundum gradum naturæ, ſunt infra Deum, & ſupra homines conſtituti: & mediatoris officium exercent, non quidem principaliter, & perfectiuê, ſed miniſterialiter, & diſpoſitiue. *loco cit. in arg.* Vnde Matth. 4 dicitur, quod acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei, ſcilicet Chriſto. Dæmones autem habent communem cum Deo immortalitatem, cum hominibus autem miſeriam: ad hoc enim ſe interponit medium dæmon immortalis, & miſer, vt ad immortalitatem beatam tranſire non ſinat, ſed perducat ad miſeriam immortalem. Vnde eſt, ſicut malus medius, qui ſeparat amicos. Chriſtus autem habuit communem cum Deo beatitudinem, cum hominibus autem mortalitatem: & ideo ad hoc ſe interpoſuit medium, vt mortalitate tranſacta, & ex mortuis faceret immortales (quod in ſe reſurgendo monſtrauit) & ex miſeris beatos: vnde numquam ipſe deceſſit. Et ideo ipſe eſt bonus mediator, qui reconciliat inimicos.

Ad tertium dicendum, quod Spiritus ſanctus, cum ſit per omnia Deo æqualis, non poteſt dici medius, vel mediator inter Deum & homines: ſed ſolus Chriſtus, qui licet ſecundum diuinitatem æqualis ſit patri, tamen ſecundum humanitatem minor eſt patre, vt ſupra† dictum eſt. *q. 20. a. 1.* Vnde ſuper illud ad Galat. 3. Chriſtus eſt mediator: dicit gl.* Non Pater, nec Spiritus ſanctus. *implicitè habetur in gl. ord. ibid.* Dicitur autem Spiritus ſanctus interpellare pro nobis, quia ipſe interpellare nos facit.

AR-

ART. II.

Vtrùm Chriſtus, ſecundum quod homo, ſit mediator Dei & hominum?

3.d.19.a.5.q.2 et 4 di.43.a.2 q.1 c.et d.48.q.1.a.2.& veri. q 29.a 5. ad 5.& 1.Ti.2.& le 1,fin. et 2.Ti.3.co.2 *c.10.parũ ant. me.10.6.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod Chriſtus non ſit mediator Dei & hominum, ſecundum quod homo. Dicit enim Auguſt. in lib. * cõtra Felicianum, vna eſt Chriſti perſona, ne ſit non vnus Chriſtus, non vna ſubſtautia, ne mediatoris diſpenſatione ſubmota, aut Dei tantum dicatur, aut hominis filius. Sed non eſt Dei & hominis filius, ſecundum quod homo, ſed ſimul ſecundum quod Deus & homo. Ergo neque dicendum eſt, quod ſit mediator Dei, & hominum ſolum ſecũdum quod homo.

2 Præterea. Sicut Chriſtus, in quantum eſt Deus, conuenit cum Patre, & Spiritu ſancto: ita in quantum eſt homo, conuenit cum hominibus. Sed propter hoc quod in quãtum eſt Deus, conuenit cum Patre, & Spiritu ſancto, non poteſt dici mediator, in quantum eſt Deus: quia ſuper illud 1. ad Timoth. 2. Mediator Dei & hominum, &c. dicit gloſſ. * In quantum eſt Verbum nõ medius eſt: quia æqualis eſt Deo, & Deus apud Deũ, & ſimul vnus Deus. Ergo nec etiam in quantum homo, poteſt dici mediator, propter cõueniẽtiam, quam cum hominibus habet.

Eſt ſumpta ex Aug. li. 10. confeſs. c. 43. ante med. to. 1.

3 Præterea. Chriſtus dicitur mediator, in quantum recõciliauit nos Deo: quod quidem fecit auferendo peccatũ, quod nos ſeparabat â Deo. Sed auferre peccatũ conuenit Chriſto, non in quantum eſt homo, ſed in quantum eſt Deus. Ergo Chriſtus, in quantum eſt homo, non eſt mediator, ſed in quantum eſt Deus.

Sed contra eſt, quod Aug. dicit in lib 9. de ciuit. Dei †. Non ob hoc mediator eſt Chriſtus, quia eſt Verbum: maximè quippe immortale, & maximè beatum Verbum, longe eſt â mortalibus miſeris. ſed mediator eſt ſecundum quod homo. c.10.nõprocul â ſi.t.5.

Reſpondeo dicendum, quod in mediatore duo poſſumus conſiderare. Primo quidẽ rationem medij: ſecundo, officiũ coniungendi. Eſt autẽ de ratione medij, quod diſtet ab vtroque extremorũ: coniungit autẽ mediator per hoc, quod ea quæ vnius ſunt, defert ad alterum. Neutrũ autem horũ poteſt conuenire Chriſto ſecundum quod Deus, ſed ſolũ ſecundũ quod homo. Nam ſecundũ quod Deus, non differt a Patre & Spiritu ſancto in natura & poteſtate dominij. Nec etiam Pater & Spiritus ſanctus aliquid habent, quod non ſit filij: vt ſic poſſit id quod eſt Patris, vel Spiritus ſancti quaſi quod eſt aliorum, ad alios deferre. Sed vtrumque conuenit ei, in quantum eſt homo: quia ſecundum quod eſt homo, diſtat & â Deo in natura, & ab hominibus in dignitate & gratiæ, & gloriæ. In quantum etiã eſt homo, conuenit ei cõiungere homines Deo, præcepta, & dona Dei, hominibus exhibendo, & pro hominibus Deo ſatis faciendo, & interpellando. Et ideo veriſſimè dicitur mediator ſecundũ quod homo.

Ad primum ergo dicendũ, quod ſi ſubtrahatur diuina natura â Chriſto, ſubtrahetur per cõſequens ab eo ſingularis plenitudo gratiarum, quę

conue-

conuenit ei, in quantum eſt vnigenitus à Patre, vt dicitur Ioan. 1. ex qua quidē plenitudine habet, vt ſit ſuper omnes homines conſtitutus, & propinquius ad Deum accedens.

Ad ſecūdū dicendū, quod Chriſtus ſecundū quod Deus, eſt per omnia æqualis patri; ſed etiam in humana natura excedit alios homines. Et ideô ſecundum quod homo, poteſt eſſe mediator: non autem ſecundum quod Deus.

Ad tertium dicendū, quôd licet auctoritatiue peccatū auferre conueniat Chriſto, ſecundū quod eſt Deus tamē ſatisfacere pro peccato humani generis conuenit ei, ſecūdū quod eſt homo. Et ſecundum hoc, dicitur Dei & hominum mediator.

HANC questionem mouet Angelicus preceptor vt aliam dignitatem Chriſti hominis declaret, vt nullam de eius intactam relinqueret: ſimulque exponeret teſtimonium Paul. 1. ad Timoth. 2. vbi hanc de Chriſto homine prædicat dignitatem dicens: vnus eſt mediator Dei & hominum, *CHRISTVS IESVS*. Reſpondet quę in duobus articulis præmiſsis duabus concluſsionibus, nimirum quod propria excellentia Chriſti eſt mediatorem eſſe Dei, & hominum: & quod hæc excellentia conuenit ei in quantum homo; quę duob⁹ dubijs ſūt examināda.

Dubium primum eſt. An munus mediatoris inter Deum & homines fuerit proprium Chriſto?

IN hoc dubio operepretium eſt ante omnia expedere quod ſit munus mediatoris: & ſimul locum Pauli 1. ad Timoth. 2. *Vnus eſt mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Iesvs; qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus* explanare, ex cuius explanatione manifeſtum fiet, & munus mediatoris, & qualiter Chriſto conueniat tāquā eius propria excellētia.

38 Igitur vt à nominis etymologia exordium ſumamus: vox Græca, qua Apoſtolus vſus eſt in hoc loco, & pro qua vulgatus Latinus vertit *mediator*, à medio dicitur, quod medius ſit inter duos, vel inter duas partes, vel inter duo extrema, ſi verbum è verbo fideliter exprimere velimus. Latinè autem verti, & interpretari vox Græca commodè poteſt *conciliator*, vel *pacificator*, vel *interceſſor*, vel etiam *ſequeſter*; vt vertit Tertull. in lib. de reſurrect. carn. Sequeſter enim propriè eſt medius: ſiue tertius, vt dicam barbare, qui eligitur vt litem dirimat, & pacem cōponat inter duos altercantes, ſeu litigantes, & inter ſe inuicem de re aliqua diſcordantes, & diſcrepantes. *Expeditur locus Pauli 1. ad Timot. 2.*

Qua quidem ratione Chriſtus Dei filius ſecundū quod homo eſt, verè & propriè dicitur mediator Dei, & hominum, ideſt, inter Deum & homines, quaſi inter ſe inuicē diſſentientes cauſa peccati; officiumquè, & munus eius quatenus mediator, propriū eſt, pacē & amicitiā per peccatū violatam reconciliare inter nos, & Deum, iuxta illud Epheſ. c. 2. *Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraq; vnum, faciens pacē* &c. & c. 1: *inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt*, & Coloſſ. c. 1. *quia ipſo complacuit reconciliare omnia*, & alia multa. Quod autem ob peccatum diſsidium, & quaſi diuortiū, ſiue litigium antea fuerit, vel etiam nunc fiat inter Deum & homines: id manifeſtè patet ex illo teſtimonio Iſai. c. 59. cum ait: *Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos, & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis*, &c. Rurſus Iſai. c. 57. hoc ſenſu ait oraculū, alludēs forte ad tēp⁹ Xpi, ideſt ad pacē, & gratiā quæ facta eſt per Cpm: *nō enim in ſēpiternū litigâbo, nec in ſēpiternū iraſcar*, &c. eodē ſenſu atq; metaphora intelligendū eſt illud Geneſ. c. 6. *non permanebit ſpiritus meus in homine in æternū quia caro eſt* vel nō litigabit, ſiue nō diſceptabit Spiritus meus in homine in æternū, quia caro eſt: vt nonnulli ex Hebræo interpretatur; verbū enim Hebraicū ambiguū eſt, vndè Theodor. in cōmentario in hunc Pauli locū congruēter exponit vim, & proprietatē vocis huius *mediator*, dicens: quēadmodum, qui duos quoſpiam manus interſerentes, ac confligentes, vult reconciliare ſe mediū interponens, & hūc quidē dextra, illū verò ſiniſtra tenens, amicitiam deducit, atque coniungit: ita & ipſe nempè Chriſtus Dei filius, cum diuinam naturam humanæ vniſſet, inuiolabile, &

quæ

Digitized by Google

quæ diſſolui non poſſet, pacem conciliauit. Sic Theodoretus exponit vim vocis huius *mediator*: vt ſit methaphora, ſeu translatio ſumpta ab his, qui volunt inter duos quos piam diſsidentes pacem conciliare: vtrumque eorum manu tenendo, ideſt, manum ſuam inter vtrumque interponendo, iuxta illud Iob capite nono, vbi officium mediatoris huiuſmodi verbis expræſsit dicens: *Non eſt qui vtrumque valeat arguere, & ponere manum ſuam in ambobus*, quaſi dicat: non eſt qui mediatoris officio inter nos duos, ideſt, inter me, & Deum vtatur: ſiquidem voluero cum eo iudicio contendere, vel expoſtulare: demore enim humano, & vulgari vir ille Sanctus Iob loquitur: vox igitur, *mediator*, proprie ſumpta notat duo extrema inter ſe inuicem differentia, & diſcrepantia; vt etiam oſtendit Diuus Thomas in hoc articulo primo, medium enim ad duo extrema refertur, quibus etiam diffinitur: ſiquidem medium eſt aliquorum duorum extremorum medium; vnde & noſter Apoſtolus alibi, ideſt, ad Galatas, capite tertio, ita recte argumentatur inquiens: *Mediator vnius non eſt, Deus autem vnus eſt*: quaſi dicat plane: oportet, & neceſſe eſt mediatorem eſſe inter duos: nemo enim reſpectu vnius tantum mediatoris officio fungitur, ſeu fungi dicitur.

40 Cum ergo Deus vnus ſit, & quidem maxime vnus, nemo reſpectu Dei vnius, & ſolius vicem mediatoris fungi poteſt: atque proinde Chriſtus Dominus ſecundum quod homo eſt, non vnius ſolius Dei, ſed potius duorum extremorum, ideſt, Dei ſimul, & hominum mediator erit, ſi vere, & proprie loqui velimus. Nam, & Deo nos fuimus inimici, & vnigenitus filius nos Deo reconciliauit: ſe medium immittens, & verbera pro omnibus, & mortem paſſus: vt inquit, Chryſoſtomus, homilia 24. ad populum Anti. tomo quinto, idemque ruſus commentario in epiſtola Pauli ad Hebręos capite nono, homilia dezima ſexta congruenter exponit vim, & rationem huius vocis, *mediator*, ita inquiens: quid eſt mediator, nolebat pater nobis dimittere hæreditatem, ſed indignabatur, iraſcebatur, & perſuaſit illi; addidit etiam mortem, &c. vnde Apocalipſis capite quarto, Ioannes Apoſtolus, & Euangeliſta recte ſe vidiſſe ait Irim in circuitu ſedis Dei, id eſt, vndique circundantem ſolium, ſiue tronum Dei: & *Iris* (inquit) *erat in circuitu ſedis*, ideſt, arcus ille cœleſtis, ſeu effigies, & figura ipſius vndique circumdabat ſedem Dei: non ſolum Iris ſerenitatis ſignum phyſicum: ſed etiam ſymbolum miſticum eſt fæderis, ideſt pacis, & reconciliationis inter Deum, & homines, quæ tempore diluuij contigit; vt patet Geneſis, capite nono, præſertim vero ſymbolum, & figura eſt pacis, & gratiæ illius, quæ nouiſsimis diebus facta, ſeu allata de cœlo eſt nobis per Chriſtum mediatorem: ideoque idem Ioannes Apoſtolus, alibi nempe eiuſdem Apocalipſis capite decimo. Rurſus ſe vidiſſe affirmat Irim, ideſt arcum cæleſtem, ſeu figuram arcus cæleſtis in capite Angeli, qui ei ſublimia Chriſti miſteria reuelabat.

Alludit enim Ioann. ibi enigmatice ad illam pacem, quæ poſt diluuium facta eſſe dicitur inter Deum, & homines, quando vt loquitur, diuina Scriptura, Geneſis hiſtoria, capite octauo, & nono, odoratus Dominus odorem ſuauitatis, ideſt ſacrificio, ſeu oblatione, & pietate Noe vehemẽter oblectatus dixit ad eum: nequaquam vltra maledicam terræ, propter hominem: neque vltra percutiam omnem animam viuentem, ſicut feci. Et rurſus addidit: ſtatuam pactum meum vobiſcum, & nequaquam vltra interficietur omnis caro aquis diluuij, neque erit deinceps diluuium diſipans terram: hoc eſt ſignum fæderis, quod do inter me, & vos: arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fæderis inter me, & inter terram, &c. Quæ proſequitur in eamdem ſententiam: de pace illa Dei cum hominibus ſimul, & pacis illius ſymbolo.

41 Sed forte illud nobis obijciat quiſpiã, nõ eſſe. Neque etiã videri priuilegium Chriſti ſingulare: ſed potius commune cum cæteris, vel certis quibuſ-

buſdam hominibus Sanctis, vt dicatur, & ſit mediator Dei, & hominum: quando quidem diuina Scriptura mediatoris appellationem Moyſis viro Sancto etiam, atque etiam attribuere non veretur, eum mediatorem vocans, vt patet Deuteronomij, capite quinto, vbi ipſe Moyſes de ſe loquens ita proteſtatur, & ait: *Ego ſequeſter, & medius fui inter Dominum, & vos, &c.* ſunt enim verba Moyſis populum Hebræorum alloquentis.

Quin etiam noſter Apoſtolus ad Galatas capite tertio, & Hebræorum capite octauo, ipſum Moyſem mediatoris vocabulo appellare non veretur, Philo quoque Iudæus in libro de ſomnijs tomo primo, hac appellatione Moyſem ipſum exornat: Itaquè priuilegium, ſeu nomen mediatoris non ſoli Chriſto ſingulariter conuenit: ſed etiam cæteris hominibus Sanctis, qualis plane fuit Moyſes, & ſimiles.

Ad quam quidem obiectionem facile reſpondemus ingenue, & libenter imprimis confitentes, Moyſem mediatorem Dei, & hominum; non omnium, ſed certorum quorundam, id eſt, vnius gentis Iſraeliticæ proprium, & peculiarem fuiſſe. Huic enim per manum Moyſi data eſt lex, & ſacerdotium; cæteraque omnia, quæ ad diuinam religionem pertinebant: Chriſtus autem Dominus mediator eſt Dei, & omnium hominum communis; omnium, inquam, gentium omnium populorum, & ſæculorum: ſicut enim vnus eſt Deus communis omnium hominum, id eſt omnium gentium, ita, & vnus mediator omnium hominum, atque omnium gentium eſt communis primarius, & neceſſarius ad ſalutem: eſt Chriſtus, quippe quo mediatore indigent cæteri homines: ipſe vero nullo alio mediatore indiget apud Deum; ſed per ſe ipſum ad Deum accedit: hoc enim ſenſu ait Paulus in præſentiarum. *Vnus enim Deus, vnus & mediator hominum homo Chriſtus Ieſus*: quaſi dicat per comparationem: ſicut eſt vnus Deus communis omnium, ſeu vniuerſorum; ita etiam vnus eſt mediator Dei, & hominum omnium communis; ſeu vniuerſalis, primarius, & neceſſarius ad ſalutem, qui intercedit, videlicet pro omnibus; & pro quo nullus omnino intercedit.

Vnde Diu. Auguſtin. epiſtol. 28. ad Hieronymum ita congruenter ſcribit: non eſt anima vlla in genere humano, cui non ſit neceſſarius ad liberationem mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus, quæcumque autem ſine gratia mediatoris, & eius Sacramento in qualibet ætate de corpore exierit, & in pœnam itura, & vltimo iudicio receptura corpus ad pœnam eſt. Igitur longe aliter Chriſtus Dominus appellatur mediator Dei, & hominum, quàm Moyſes: quanto videlicet Chriſtus præ Moyſe, cæteriſquè hominibus Sanctis, atque etiam Angelis differentius nomen hæreditauit.

42 Sic enim teſtatur idem Apoſtolus ad Hebræos primo, & ſecundo: vbi comparationem faciens inter Chriſtum, & Moyſem ſic inquit: *Amplioris enim gloriæ iſte præ morte dignus eſt habitus: quanto ampliorem honorem habet Domo, qui fabricauit illam. Et Moyſes quidem fidelis erat in tota domo eius, tamquam famulus. Chriſtus vero tamquam filius in domo ſua: quæ domus ſumus nos, &c.* Et capite ſeptimo eandem comparationem inter Chriſtum, & legales Sacerdotes proſequitur ſub his verbis: *Vnde & ſaluare in perpetuum poteſt accedentes per ipſum ad Deum ſemper viuens ad interpellandum pro nobis: Talis enim decebat nobis, vt eſſet Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus, qui enim habet neceſſitatem quotidie: quemadmodum Sacerdotes, prius pro ſuis delictis hoſtias offerre: deinde pro populi: hoc enim fecit ſemel ſe ipſum offerendo, &c.* Et tandem capite octauo eandem comparationem proſequens inter Chriſtum, & Moyſem: ſimulquè inter nouum, ac vetus teſtamentum,

ſic

ſic ait : reſponſum eſt Moyſi cum conſummaret Tabernaculum : vide (inquit) omnia facito ſecundum exemplar quod tibi oſtenſum eſt in monte. Nunc autem melius ſortitus eſt miniſterium, quanto, & melioris teſtamenti mediator eſt, quod in melioribus repromiſsionibus ſancitum eſt. Nam ſi iſtud prius culpæ vacans, & non vtique ſecundi locus inquiritur: vituperans enim eos ſcilicet filios veteris teſtamenti, dicit: & conſumabo ſuper domum Iſrael, & ſuper domum Iudà teſtamentum nouum, non ſecundum teſtamentum, quod feci patribus eorum, &c. Dicendo autem nouum, veterauit prius, quod autem antiquatur, & ſeneſcit, prope interitum eſt. Ex quibus Apoſtolus præſtantiam Chriſti mediatoris ſupra Moyſem commendat, & noui æternique teſtamenti: cuius inſtitutor, & auctor ipſe eſt Chriſtus ſupra teſtamentum vetus: cuius mediator miniſter, & famulus fuerat Moyſes.

43 Idem argumentum proſequitur Auguſtin. libro ſecundo contra Pelagium, & Celeſtium de peccato originali capite octauo, vbi diſſerit de ratione, & officio perfecti mediatoris, qualis eſt Chriſtus dicens: non autem per hoc mediator eſt, quod æqualis eſt patri. Per hoc enim tantum pater; tantum ipſe diſtat à nobis. Et quo modo erit medietas, vbi eadem ipſa diſtantia eſt? Per hoc ergo mediator, per quod & homo, inferior patre, per quod nobis propinquior. Quod apertius ita dicitur: Inferior patre, quia in forma ſerui: ſuperior nobis, quia ſine labe peccati.

Hæc Auguſtinus: & alia plura in eandem ſententiam in Enchiridion. capite 108. & libro decimo confeſsionum, capite 42. & 43. vbi præſtantiam mediatoris Chriſti commendat ab eadem conditione innocentiæ, & carentiæ peccati: quam probat ex illo Eſaiæ 53. *Iniquitatem non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius*: quod teſtimonium refertur à Petro Apoſtolo, capite ſecundo ſuæ primæ canonicæ, & à Ioanne capite tertio primæ canonicæ dicente: *Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum eſt iniquitas, & ſcitis, quia ille apparuit, vt peccata tolleret, & peccatum in eo non eſt*, & ſubdit Auguſtinus dicens: *Mediator ille Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus inter mortales peccatores, & in mortalem iuſtum apparuit: mortalis cum hominibus, iuſtus cum Deo, vt quoniam ſtipendium iuſtitiæ, vita pax eſt, per iuſtitiam coniuncta Deo euacuaret mortem iuſtificatorum, quam cum illis voluit habere communem. In quantum enim homo, in tantum mediator: in quantum autem verbum, non medius, quia æqualis Deo, & Deus apud Deum, & ſimul cum Spiritu Sancto vnus Deus.*

Hæc Auguſtinus, vnde etiam Moſes ob hanc rationem non potuit eſſe, aut dici perfectus mediator, quia ſcilicet non carebat omnino labe, ſorde, & contagione peccati, & reprehenſione: ſed ſolus Chriſtus ex omnibus hominibus perfectus mediator Dei, & hominum extitit, quia quamuis verus homo eſſet, vtpote verus filius hominis: tamen omnino expers peccati fuit: quemadmodum docet etiam Diuus Cyrillus libro primo, dialogi de Trinitate, & item libro duodecimo Theſauri, capite decimo, & alias ſæpè.

Itaque perite, & prudenter Ioannes Apoſtolus, primæ Ioannis, capite ſecundo loquitur, & admonet dicens: *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, &c.* Ideſt expertem omnis peccati, vel qui ſolus ex omnibus hominibus, omnis iuſtitiæ, iniquitatis, & malitiæ expers fuit, vel eximius, & ſegregatus à peccatoribus, vt loquitur Paulus in epiſtola ad Hebræos: ſegregatus enim fuiſſe dicitur à peccatoribus; vt loquitur Paulus in loco citato ad Hebræos. Segregatus enim fuiſſe dicitur a peccatoribus; in cauſa peccati: hoc eſt quantum ad labem, contagionem, &

impuritatem peccati. Fabet etiam Zenon Epiſcopus Veronenſis, ſermone tertio de natiuitate tomo ſecundo Bibliotecæ vbi loquens de Chriſto puero in præſepio iacente ſic ait: *Hic & homo, & Deus inter patrem homineſque aſtitit medius, probans infirmitatibus carnem, & virtutibus maieſtatem.*

Vnde intulit Ioannes Climacus in tractatu de obedientia, gradu quarto circa finem tomo quinto Bibliotecæ ingens piaculum eſſe offendere mediatorem, dum ſic ait. *Rem dicturus ſum mirabilem, ſed vitæ omnino, ne haſites, cuius habeo ſententiæ patronum Moyſem, expedit in Deum magis peccare, quàm in patrem noſtrum. Nam ſi Deum ad iracundiam prouocauerimus, dux noſter illum reconciliare nobis poterit. Si vero ducem ipſum perturbauerimus, nullum iam, qui nobis illum propitium faciat, habebimus.*

Videtur autem alludere ad caput 23. & 33. Exodi: vbi Deus aſsignat populo Iſraelitico in patronum, ducem, ac mediatorem Angelum ſuum, qui plane Chriſtum Dominum præfigurabat; vt populum præcederet, cuſtodiret in via, & in terram promiſsionis introduceret ſubdens: *Obſerua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes: quia non dimittet cum peccaueris, &c.* ac ſi diceret; ſi me offenderis; dimittam: ſi autem patronum, & mediatorem offenderis, non dimittetur tibi noxa: quia difficilius remittetur noxa in patronum, & mediatorem, quam in Deum ipſum commiſſa.

Paul. hoc loco refutat errorē Simonis Magi.

44 Sed alia explicatio, ſiue aliud intentum, licet non a priori omnino alienum poteſt loco Apoſtoli adhiberi, nimirum, quia huiuſmodi dogma de vno mediatore Dei, & hominum homine Chriſto Ieſu, videtur introducere, vt ſic refelleret impium errorem quorundam Philoſophorum Platonicorum, ſimul & hæreticorum quorumdā de Schola Simonis Magi, qui in Aſia, præſertim apud Epheſum per ſpeciem quamdam humilitatis docebant, & perſuadebant populis in præcibus, & orationibus, ſemper humilitatis gratia, adhibendos eſſe alios mediatores, nempe Angelos, ſi quis vellit Deum ſummum rite, & facile exorare, ideſt exaudiri, & vota, ſeu poſtulata ſua impetrare; docebant (inquam) Angelos eſſe mediatores, & intercesſores primarios, ſeu principales, & neceſſarios inter homines, & Deum vniuerſorum, atque proinde neceſſarios eos nobis eſſe collendos, venerandos, & obſecrandos, vt nos ad Deum adducerent, præceſque noſtras, & vota Deo offerant; quando quidem per hos, & lex olim data eſt, & mundus hic, ideſt, rerum machina hæc vniuerſa adminiſtraretur.

Qua propter ſine his, ideſt ſine horum interuentu, neque Deum adire, nec exorare vllo pacto fas eſſet. Quare noſter Apoſtolus non ſimpliciter dixit hic: *Vnus mediator Dei, & hominum*; ſed cum additamento, & prudenter dixit: *Vnus mediator Dei, & hominum homo*, quaſi diceret, non Angelus, vel Angeli, vt quidam volunt, & docent apud vos, ſed homo verus noſtri generis, & per omnia abſque peccato nobis ſimilis, qui eſt Chriſtus Ieſus: hic eſt vnus, & verus mediator Dei, & hominum. Sic enim facile perſtringit Simonianos hæreticos, & Phyloſophos, qui religionem, ſeu cultum Angelorum prætextu humilitatis, tamquam rem neceſſariam ad ſalutem cum iniuria Chriſti inducebant, ac perſuadere conabantur.

45 Quem errorem de cultu, ſeu religione Angelorum, licet paulò obſcurius indicare, ſimulque refutare videtur idem Apoſtolus in epiſtola ad Coloſenſes capite ſecundo, dicens: *Nemo vos ſeducat volens in humilitate, & religione Angelorum, &c.* Nam Coloſſenſes, etiam Aſiani erant, ſicut Epheſij: quaſi dicat: nemo volens videri humilis, ſeu affectans humilitatem, vel ſimulans, aut fingens humilitatem, vel prætextu humilitatis ſeducat vos; perſuadens vobis religionem, ſeu nouum cultum aliquem Angelorum,

tam-

tamquam rem neceſſariam ad ſalutem; ideſt collendos vobis eſſe Angelos, tamquam mediatores præcipuos, & neceſſarios inter homines, & ſummum Deum, quaſi vero orationes, & vota veſtra non poſsint aliter exaudiri, & peruenire ad ſummum Deum; niſi per Angelos qui ſunt nobis digniores, & Deo propinquiores, prius dirigantur, vel deferantur.

Ad hunc enim ſenſum præfata Verba Pauli ad Coloſſenſes plures patres Græci, vt Chryſoſtomus, AEcumenius, Theophilatus, & Theodoretus interprætantur. Qui etiam citat Synodum Laodicenam, quæ canone 35. eundem errorem damnat dicens: *Non oportet Chriſtianos derelicta Eccleſia, abire, & ad Angelos idololatriæ abominandæ congregationes facere, quæ occulte huic idololatriæ vacans, anathema ſit. Quoniam dereliquens Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum acceſsit ad idola.* Ex latinis autem Epiphanius Hæreſi 21. Hieronymus ad Algaſiam, quæſtione decima, & Auguſtinus epiſtola 59. ad Paulinum, quæſtione ſeptima; & libro decimo confeſſionum, capite 42. in eodem ſenſu locum Apoſtoli interprætantur, adſcribentes hunc errorem, ſiue ſuperſtitionem Simoni Mago.

In vltimoquè loco libri decimo confeſsionum ipſe Auguſtinus Deum ſic alloquitur. Quem inuenirem, qui me reconciliaret tibi, ò Domine? an eundum fuit mihi ad Angelos? Qua præce? Quibus Sacramentis? Multi enim conantes ad te redire; neque per ſe ipſos valentes (ſicut audio) tentauerunt hæc, & inciderunt indeſiderium curioſarum viſionum, & digni habiti ſunt illuſionibus. Elati enim te quærebant doctrinæ fauſtu, & adduxerunt ſibi per ſimilitudinem cordis ſui conſpirantes, & ſocias ſuperbiæ ſuæ poteſtates aeris huius, à quibus per potentias magicas deciperentur, quærentes mediatorem per quem purgarentur, & non erat. Diabolus enim transfigurans ſe in Angelum lucis, & malum illexit ſuperbam carnem, quod carneo corpore ipſe non eſſet. Erant enim illi mortales, & peccatores; tu autem Domine, cui reconciliari ſuperbe quærebant, immortalis, & ſine peccato. Mediator autem inter Deum, & homines oportebat, vt haberet aliquid ſimile Deo, & aliquid ſimile hominibus, ne in vtroquè, Deo ſimilis longe eſſet ab hominibus; atquè ita mediator non eſſet fallax: itaquè ille mediator, quo per ſecreta iudicia tua meretur illudi, vnum cum hominibus habet, ideſt peccatum, aliud videri vult habère cum Deo, vt quia carnis mortalitate non tegitur pro immortali ſe oſtentet. Verax autem mediator, quem ſecreta tua miſericordia demonſtraſti humilibus, & miſiſti, vt eius exemplo, etiam ipſam diſcerent humilitatem: mediator ille Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus inter mortales peccatores, & immortalem iuſtum apparuit mortalis cum hominibus, iuſtus cum Deo: vt quoniam ſtipendium vitæ, & pax eſt, per iuſtitiam coniunctam Deo euacuaret mortem iuſtificatorum impiorum, quam cum illis voluit habere communem. In quantum enim homo, in tantum mediator, in quantum autem Verbum, non medius, quia æqualis Deo, & Deus apud Deum, & ſimul cum Spiritu Sancto vnus Deus.

Hactenus Auguſtinus de vno vero, & principali mediatore Chriſto Domino: ſimulquè de falſo illo mediatore, ideſt, diabolo, & Angelis eius. Quibus ſacrificandum Simon Magus, & eius dicipuli, ſiue ex ſecta Platonica, ſiue ex Magica diſciplina falſo exiſtimabant.

Vnde, & ipſe Paulus immediate ante prædicta Verba ad Coloſſenſes præmiſſerat dicens: *Videte nequis vos decipiat per Phyloſophiam, & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa huius mundi, &c.* Quibus quidem Verbis vide-

detur Paulus non obſcure indicare fontem ipſum, vnde genus iſtud ſuperſtitionis de religione, ſeu cultura Angelorum promanauerit. Promanauit autem, aut certe promanaſſe videtur ex inani, ſeu falſa, & fallaci Phyloſophia, vel etiam ex Magorum infami diſciplina. Nam aliàs Angelos colere tamquàm Deos minores, vel etiam tamquam neceſſarios ad Deum mediatores, nequaquam Iudæorum, aut Iudaizantium inuentum fuiſſe videtur: ſed potius quorundam aliorum Iudaicos ritus præuaricantium. Quemadmodum, etiam bene aduertit Origenes, libro quinto contra Celſum.

46 Ideoquè Apoſtolus, vt excluderet huiuſmodi complures mediatores, ſiue Angelos ſiue demones, non ſatis habuit hinc dicere, & confiteri eſſe vnum Deum; ſed etiam addidit ſimiliter, & vnum eſſe mediatorem, ſeu vnicum eſſe, verum præcipuum, & neceſſarium ad ſalutem mediatorem Dei, & hominum: hunc autem non Angelum, aut demonem eſſe: ſed verum hominem Deum Chriſtum Ieſum. De quo propterea inquit: *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus.*

Hinc autem perperam argumentantur hæretici recentiores neutiquam inuocandos eſſe à nobis Angelos Santos, & beatos, aut homines etiam Sanctos: vtpote quos Apoſtolus videtur negare eſſe mediatores. Nam licet vnus ſit mediator Dei, & hominum, ſcilicet Chriſtus, vtpotè præcipuus mediator. & aduocatus noſter apud Deum patrem, quia ipſe ſolus fuit redemptor, & propitiatio pro peccatis noſtris: cum hoc tamen ſtat alios etiam Sanctos, ſiue Angelos, ſiue homines eſſe aduocatos, & mediatores ſecundarios, & minus principales: vt notant Auguſtinus tractatu primo in epiſtolam primam Ioannis, & Cyrillus libro duodecimo Theſauri capite duodecimo, vbi ſic ait: licet vnus mediator Dei, & hominum Chriſtus ſit, quia reconciliauit homines Deo, & quia naturaliter, & ſubſtantialiter eſt & Deus, & homo in vna hypoſtaſi. *Aliter tamen multi Sanctorum mediationis myſterio vſi ſunt, Moſes mediator fuit: miniſtrauit enim filijs Iſrael legem datam à Deo.* Mediator etiam fuit Ieremias præcipue, quando clamabat ad Deum, capite decimò octauo: *Recordare mei ſtantis coram te ad loquendum pro ipſis bona.* & de Moyſe dicitur Pſalmo 105. *Si non Moyſes electus eius ſtetiſſet in confractione in conſpectu eius, &c.* Accedit, quod de Angelis beatis pro nobis interpellantibus, dicitur Apocalypſis capite octauo: *Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli*, & Apocalypſis capite quinto, *Viginti quatuor ſeniores pro hominibus orare, ſeu intercedere dicuntur*, & ſecundo Machabeorum capite quinto: *Legimus Ieremiam Prophetam, etiam poſt mortem pro ſalute Iudæorum, & ciuitate ſancta Deum oraſſe*

47 Deinde Iob capite 5. ſcriptum eſt vnum ex amicis Iob. cui nomen Eliphaz, quaſi ex hypotheſi, hoc modo alloquutum fuiſſe ipſum virum Sanctum Iob in extrema calamitate conſtitutum, & opem aliquam de cælo expectantem. *Voca ergo, ſi eſt, qui tibi reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere.* Quo loco ſeptuaginta Interpræteſ, ita ex Hebræo Græce tranſtulerunt: inuoca; ſi quis tibi repondeat, vel ſi quem Angelorum Sanctorum aſpicias.

Et rurſus eiuſdem libri Iob capite 33. eodem fere ſenſu ſic ipſum Sanctum Iob alloquitur alius ex amicis eius: *Si fuerit Angelus pro eo loquens, vt annuntiet hominis æquitatem, miſerebitur eius, &c.* ſuffragatur his locus quidam elegans; qui eſt apud Phylonem in libro de Somonijs tomo primo pagina 500. vbi exponens locum illum Geneſis capi-

Digitized by Google

capite decimo octauo de ſcala Iacob : *Et Angeli Dei aſcendebántquè; per eam* : ita pro dogmate catholico congruenter ſcribit , & confitetur , demediatione , inquam , ſeu intercelsione , & patrocinio Sanctorum Angelorum ; atque etiam aliorum Sanctorum , & beatorum hominum : ſunt (inquiens) quædam purisſimæ animæ , optimæquè omnium , quæ altius , diuiniuſquè ſapiunt , miniſtræ omnipotentis , tamquam magni Regis aures , & oculi videntes , audienteſquè omnia. Has Genios Phyloſophi , Angelos vocant ſacræ litteræ nomine aptiſsimæ , ſunt enim inter nuntiæ patris mandata proferentes ad filios , & ad illum vicifsim præces filiorum.

Ideo inducunt tranſcendere, & deſcendere: non quod indicibus opus habeat Deus , qui iam ante ſcit omnia: ſed quoniam id conducit nobis mortalibus habere videlicet mediatores illos , & arbitros quo magis reuereamur rerum omnium præſidem , & eius maximam potentiam. Quam reputantes olim rogauimus quemdam mediatorem : loquere nobis tu : Deus ne loquatur ad nos , ne moriamur. Adeò enim non poſſumus ferre illum caſtigantem , vt re vera quidem eius beneficia queamus capere , ſi ea per ſe ipſa ſine alijs miniſtris porrigat , &c. Hæc Philo. Quibus non ſolum confitetur Philo Angelos Sanctos eſſe hominum mediatores , ſeu interceſſores in cœlo apud Deum : ſed etiam Moſſem mediatorem fuiſſe plane confitetur , vocabulo mediatoris eum appellans.

Par autem ratio eſt de Angelis, Sanctis Dei hominibus , prælertim vero iam beatis : ſiquidem vtriſque conuenire videtur , & nomen, & ratio, ſeu officium mediatoris, etiam ſi compræhenſores nondum ſint , ſed viatores.

Quemadmodum erudite , & Catholice , vt omittam alios , oſtendit Magnus Dyoniſius in libro de Eccleſiaſtica hierarchia , capite ſeptimo , parte tertia , & item Diuus Chryſoſtomus homilia 79. ad populum Antiochenum , & denique Diuus Hieronymus libro aduerſus vigilantium : cuius errorem noſtra ætate ſequutus eſt impius Lutherus , & alij eius ſectatores , atquè recentiores pleriquè hæretici : qui omnes vtinam non nati fuiſſent : ſed tamen Deo ita viſum eſt , & placitum , vt naſcerentur : *Opportet enim hæreſes eſſe , vt & qui probati ſunt manifeſti fiant* : Teſte Apoſtolo , primæ Corinthiorum capite vndezimo, ideſt vt ſic fides , atquè conſtantia fidelium comprobetur , proficiatquè magis : quim etiam vt fidei noſtræ dogmata per occaſionem magis , ac magis declarentur , confirmentur , & perſuadeantur : ſicut admonet Diuus Auguſtinus libro de vera Religione , capite octauo , & item libro dezimo ſexto de ciuitate Dei , capite ſecundo , & alias.

Ideò breuiter reſpondendum cenſeo ad eorum obiectiones , ſiue argumenta : ſunt enim profecto ſophiſtica , ideſt leuiſsima , & nullius momenti , & quaſi ſagittæ , & plage quædam paruulorum , vt loquitur Rex Propheta in Pſalmo 63. ſic igitur illi , nempè aduerſarij ex hoc loco Apoſtoli contra dogma Catholicum demediatione , ſeu interceſsione , & patrocinio Sanctorum argumentari ſolent. Apoſtolus ait (inquiunt :) *Vnus mediator Dei , & hominum , homo Chriſtus Ieſus , &c.* Quim etiam ipſe Chriſtus Dominus in Euangelio , Ioannis decimo quarto inquit : *Nemo venit ad Patrem , niſi per me* , & iterum : *Ego ſum via , veritas , & vita.*

48 Ad hæc , & ſimilia ſectariorum argumenta reſpondetur, quod licet Chriſtus Dominus ſolus ſit , & nominetur mediator Dei, & hominum primarius principalis , & neceſſarius : vtpote qui præ cæteris omnibus hominibus apud

Deum intercedit : nemo autem pro illo : non tamen excludit alios mediatores , & reconciliatores minus principales , & quaſi ſecundarios pro ſua ſingulari liberalitate,& begnitate: ſed potius eos admittit : propterea enim poſtquam Paulus ſecundæ ad Corinthios quinto dixerat : de Chriſto Domino, & de officio ſeu miniſterio ipſius. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi* ; ſtatim ſubdit : *Pro Chriſto ergo legatione fungimur , tamquam Deo exhortante per nos* , & ad Epheſios quarto , *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos , quoſdam autem Prophetas , alios vero Euangeliſtas, alios autem paſtores , & Doctores, &c.* Quemadmodum licet dicat Chriſtus ſingulariter de ſe ipſo , Ioannis octauo : *Ego ſum lux mundi.* Nihilominus etiam Apoſtolis, ac dicipulis ſuis dixit Matthæi quinto : *Vos eſtis lux mundi.* Eo quod teſte Baſilio , homilia 29. de pœnitentia Chriſtus Dominus omnia ſua axiomata alijs dignatus eſt largiri , & communicare.

Ex his igitur hucuſquè dictis plane licet colligere ſequentia theoremata , quibus ad propoſitam dubitationem reſpondetur.

Eſſe mediatorem Dei, & hominũ eſt propriũ Chriſto Domino.

Primum eſt : vnum eſſe mediatorem Dei , & hominum primarium , principalem , & immediatum ſiue proximum Deo : & hunc eſſe Chriſtum Dominum , hoc enim colligitur ex dicto teſtimonio Pauli hucuſquè à nobis adducto , & explicato.

Secundum eſt , quod mediatorẽ iſto modo , & per excellentiam eſt proprium munus Chriſti , nulli alteri conueniens. Cuius ratio eſt , quia ſolus ille non indiget alio mediatore : & quia huiuſmodi officium conuenit illi , ex eo quod fuit hominum redemptor, vt conſtat ex verbis ſuper inductis ab Apoſtolo in allegato teſtimonio : dum quaſi reddens rationem , & cauſam huius mũneris ſubdit : *Qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus.* Et quia ſimul eſt Deus , & homo , communicans cum vtroquè extremo, in deitate , ſcilicet cum Deo Patre:& in humanitate cum hominibus: quod nulli alteri poteſt conuenire.

Tertium theorema eſt , dari nihilominus alios mediatores minus principales , & veluti ſecundarios , ac mediatos inter homines , ac Deum , nimirum Sanctos Angelos , & etiam homines: quos licet ſupplices habere , & tamquam patronos , & aduocatos interpellare ; hoc enim conſtat ex dictis , & colligitur ex nuper adductis locis ſacræ Scripturæ. Ex quo principio infert Diuus Thomas in additionibus ad tertiam partem quæſtione 72. articulo ſecundo , licitum , conueniens , & opus religionis eſſe interpellare Sanctos ad rogandum pro nobis.

Dubium

Dubium ſecundum eſt: An Christus in quantum homo ſit mediator Dei, & hominum?

Chriſtus eſt mediator in quantū eſt homo.

IN hoc dubio duæ propoſitiones expendendæ ſunt, quæ ingerunt difficultatem. Prima eſt: *Chriſtus in quantum homo eſt mediator Dei, & hominum.* Secunda eſt: *Chriſtus in quantum Deus homo, eſt mediator Dei, & hominum.*

49 Et quidem prima propoſitio eſt communiter à Theologis recepta cum Diuo Thoma in articulo ſecundo huius quæſtionis: & eſt certa ſecundum fidem, & colligitur ex verbis ſubſequentibus adducti teſtimonis Pauli primæ ad Timotheum ſecundo, *homo Chriſtus Ieſus.* Quaſi dicat Paulus, ideo Chriſtus eſt mediator Dei, & hominum, quia eſt homo, ſiue in quantum homo: & non in quantum Deus: Quemadmodum animaduertit Origenes in commentario epiſtolæ ad Romanos capite tertio, ſuper illis verbis; *Quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius, &c.* Vbi de præſtantia, atque eximia excellentia hominis Chriſti, ideſt, humanitatis, ſeu carnis, & animæ ſimul pro nobis à Verbo aſſumptæ, loquens ſic per amplificationem ait: Quoniam docet Apoſtolus de Chriſto, quod Dei, & hominum mediator eſt, videtur mihi inter Deum, & hominem media hæc eſſe anima: quamuis enim carnem naturæ noſtræ ſuſciperet, ex incontaminata tamen virgine aſſumpta, & caſta Sancti Spiritus operatione formata eſt. Propterea ergo & Apoſtolus de mediatore diſſerens euidenti diſtinctione ſignificauit dicens: *Mediator Dei, & hominū homo Chriſtus Ieſus,* vt ſic doceret mediatorem non ad deitatem, ſed ad Chriſti humanitatem eſſe referendum, quia ſcilicet, vt diximus anima eius ſancta media quidem fuit inter diuinitatem Trinitatis, & fragilitatem humanitatis; nullam vero inter homines, ita beatam, & excelſam reperies animam: in qua tantum latitudinis: tantum capacitatis inuenit Verbum Dei, & Spiritus Sanctus, vt non ſolum habitare, ſed & alas expandere, & nouo Sacramenti ritu aliquando volitare dicatur.

Hactenus Origenes: cui conſonat Leo Papa primus, epiſtola decima ad Flauianum Epiſcopum, capite quinto, vbi diſſerens contra errorem Euthicis, exponit locum illum, primæ Ioannis, capite quarto, dicentis ſic: *Omnis Spiritus, qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe ex Deo eſt: & omnis Spiritus, qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt, &c.* Ita enim congruenter ait: Quid autem eſt ſoluere Ieſum, niſi humanam ab eo ſeparare naturam, & Sacramentum fidei, per quod ſaluati ſumus, impudentiſsimis euacuare figmentis? Caligans vero circa naturam corporis Chriſti, neceſſe eſt, vt etiam in paſſione eius eadem obcæcatione deſipiat: nam ſi Crucem Domini non putat falſam, & ſuſceptum pro mundi ſalute ſupplicium verum fuiſſe non dubitat, cuius credidit mortem, agnoſcat & carnem: nec diffiteatur noſtri corporis hominem, quem cognoſcit fuiſſe paſsibilem: quoniam negatio veræ carnis, negatio eſt etiam corporeæ paſsionis, &c. idemque Leo epiſtola vndecima ad Iulianum Epiſcopum ſubdit dicens, negator enim mediatoris Dei, & hominum hominis Ieſu Chriſti, neceſſe eſt, vt multis impietatibus impleatur. & epiſtola 23. ad Clerum, & plebem Conſtantinopol. de eodem argumento diſſerens, ſic ait: *Manicheorum confœderantur errori, qui ab vnigenito Dei filio verum, & noſtræ naturæ hominem negant eſſe ſuſceptum: omneſque eius corporeas actiones ſimulatorij vo-*

lunt

ſunt fuiſſe phantaſmatis, &c.

Deinde probatur eadem propoſitio ex poſterioribus verbis Apoſtoli in adducto teſtimonio, ſcilicet: *Qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus.*

Ex quibus ſic licet argumentari, Chriſtus Dominus eſt mediator Dei, & hominum, quia dedit ſemetipſum in redemptionem: per hoc enim diſcriminatur à cæteris alijs mediatoribus minus principalibus: quia videlicet fuit hominum redemptor: hæc enim eſt propria eius excellentia, & prærrogatiua: ſed fuit redemptor in quantum homo, & non in quantum Deus: ergo & fuit mediator in quantum homo.

Tertio probatur eadem propoſitio, ex Diu. Auguſtino in locis adductis dubio præcedente præſertim libro decimo confeſsionum, capite 43. & libro octauo de ciuitate Dei, capite decimo octauo, & libro nono, capite decimo quinto, vbi diſſertis verbis fatetur, quod Chriſtus eſt mediator Dei, & hominum non in quantum Verbum, quia ſic eſt æqualis Deo, ſed in quantum homo, quia vt ſic eſt inferior.

Vltimo probatur ratione, qua vtitur Diuus Thomas in hoc articulo ſecundo, ad hanc formam redacta, duæ ſunt conditiones mediatoris, vt ſic, nimirum diſtantia ab extremis, & delatio ad extrema vtrimque ex altero. Sed Chriſtus ſecundum quod eſt Deus neutram habet: non quidem primam, quia non diſtat à Deo Patre, & Spiritu Sancto in natura, aut dominio, nec ſecundam, quia nihil Dei, non ſuum deferre poteſt ad homines; ſed ſecundum quod eſt homo habet vtramque: quia diſtat à Deo in natura, & ab hominibus puris dignitate gratiæ, & gloriæ: defert quoque præcepta donaquè Dei ad homines, & ſatisfactionem, ac interpellationem ex hominibus ad Deum, non quaſi hæc ab hominibus accipiat, ſed quia hæc vice hominum ipſe Deo offert, quod vocatur pro hominibus offerre, ac ſatisfacere.

Nihilominus ſatisfactionem ex hominibus quodammodo accipit, pro quanto ex maſſa peccatrice, carne ſcilicet humana, ab Adamo genita, naturam paſsibilem in qua ſatisfaceret aſſumpſit.

De ſecunda vero propoſitione reſpondet Diuus Thomas in eodem articulo ſecundo in ſolutione ad primum illam habere conuenientem ſenſum in quo poteſt admitti, & concedi; nimirum ſi ly, *in quantum* non reduplicet, vel deſignet deitatem tamquam principium formale mediatoris, vel mediandi: ſed tantum deſignet conditionem dignificantem operationes mediatoris: nam ſi à Chriſto ſubtrahatur diuina natura, ſubtraheretur conſequenter ab eo ſingularis plenitudo gratiarum, quæ conuenit ei in quantum eſt vnigenitus à patre: ex qua quidem plenitudine habet, vt ſit mediator Dei, & hominum, ideſt vt ſit ſuper omnes homines conſtitutus, & propinquius ad Deum accedens. *Nec non in quãtum eſt Deus homo.*

Eandem propoſitionem docet Caietanus poſſe admitti: eamquè explicat in eodem fere ſenſu diſtinguens ly in quantum ſic: aut enim ſpecificat, vel deſignat principium in quo Chriſtus mediat, & ſatisfacit: & ſic eſt mediator, & ſatisfaciens in quantum homo, quia per naturam humanam meretur, mediat, & ſatisfacit: aut ſpecificat, vel deſignat radicem ex qua redditur efficax ad mediandum, & ſatisfaciendum: & quia huiuſmodi efficaciam, & dignitatem habet ex gratia vnionis, ſiue ex ſuppoſito diuino: propterea poteſt admitti, quod quia eſt Deus ſiue vnigenitus patris, & homo ſimul, meretur, mediat, & ſatisfacit, ad hunc ſenſum: quod quia Chriſtus eſt vnigenitus patris, ideo per naturam aſſumptam meretur, mediat, & ſatisfacit.

In quibus licet dicta propoſitio, nec expreſſe contineatur, nec expreſſe concedatur à Diuo Thoma, & à Caietano: tamen implicite videtur concedi: eo quod plane deducitur ex propoſitionibus quas

Digitized by Google

ipſi expræſſe fatentur, nam Diuus Thomas admittit hanc: Chriſtus ita eſt mediator in quantum homo, vt non excludat conſortium diuinitatis.

Caietanus vero admittit hanc, Chriſtus, quia eſt vnigenitus patris: ideo per naturam aſſumptam mediator: ſed ex vtraque per bonam conſequentiam infertur noſtra ſecunda propoſitio: nam bene ſequitur, eſt mediator in quantum homo non excludendo conſortium diuinitatis: ergo eſt mediator in quantum Deus homo, ſi ly, *in quantum*, deſignet conditionem ſuppoſiti.

Et ſimiliter ſequitur ex dicta propoſitione Caietani, quod Chriſtus in quantum Deus homo eſt mediator, ſi ly in quantum reduplicet, vel deſsignet in Deo radicem dignitatis, & in homine formale principium mediandi Et quia vnius, & alterius ſenſus eſt capax, hæc propoſitio: propterea poteſt, ac debet concedi, ſiquidem habet ſenſum congruentem.

Vt hinc etiam ingenue fateamur nos non puro homini, ſed homini Deo tanti beneficij mediationis in æternum eſſe debitores.

Cui ſit ſempiterna, laus, & gloria.



INDEX

INDEX RERVM OMNIVM, ET VERBORVM, QVAE IN HOC LIBRO CONTINENTVR.

A

Abſtractio.

Abſtractio ſpecierum à phantaſmatibus non conuenit intellectui pro omni ſtatu, ſed tantum pro iſto, pag. 446.

Accidentia.

Idem numero accidens non poteſt informare diuerſa ſubiecta. 193.
Accidentia ſunt aſſumptibilia immediatè à perſona diuina. 220.
Quomodo tunc verbum denominarent, ibidem.
Accidens eſt quod poteſt ad eſſe, & ab eſſe preter ſubiecti corruptionem. Quomodo verificetur. 150.

Actio.

Actio Dei productiua eſt formaliter immanens, virtualiter tamē tranſiēs. 483.
Actio creatiua, animæ diſtinguitur formaliter ab actione aſſumptiua. 155.

Actus.

Nullum actum attingere ſuum obiectum tanta intenſione, quanta eſt in obiecto, niſi principium illius adæquet perfectionem obiecti, verificatur in eſſe phiſico, non eſſe moris. 49.

Adamus.

Adam in ſtatu innocentiæ habuit fidem de Chriſto venturo. 105.

Adoptio, & adoptare.

Quid ſit adoptio humana. 688.
Quibus conueniat adoptare. 689.
Quid ſit adoptio diuina, ibidem.
Per ſolam gratiam habitualem, & ſanctificantem poteſt quis adoptari in filium Dei. 689.
Iuſtus dum eſt in gratia, etiam ſi ſit præſcitus, eſt filius adoptiuus Dei, pro tempore, quo habet gratiam. 690.

¶ Oppo-

Oppoſitum huius abſque temeritatis nota non poteſt ſubſtineri, ibid.

Omnes iuſtos legis antiquę fuiſſe filios adoptiuos Dei eſt certum ſecundum fidem. 691.

Sunt propriè, & non metaphoricè filij Dei, ibidem.

Expenduntur laudes adoptionis Spiritus ſancti, qua adoptamur in filios Dei. 693.

Chriſtus vt homo (etiam ly *vt* reduplicatiuè ſumpto) non eſt filius Dei adoptiuus. 696.

Dicere Chriſtum, vt hominem eſſe filium adoptiuum Dei, vt ab Elipando affirmauatur eſt hæreſis Neſtoriana. 697.

Etiam ſeruata vnitate ſuppoſiti in Chriſto aſſerere Chriſtum eſſe filium adoptiuum eſt, falſum, & temerarium, & errori proximum. 698.

Adoratio.

Triplex eſt ſpecies adorationis, latriæ, duliæ, & hyperduliæ, 724. & ſequentibus.

Etiam diuiditur adoratio ex parte ſubiecti, 725.

Chriſto vt Deo debetur adoratio latriæ, ibidem.

Eadem adoratione, qua Verbum adoratur eius humanitas, vel Chriſtus, vt homo ſpecificatiuè, 727.

Humanitas aſſumpta conſiderata ſecundũ dignitatem, quam habet ex vnione ad Verbum, non debetur ei adoratio latrię inferior ad ſupræmam, ibidem.

Humanitas aſſumpta, vel Chriſtus vt homo ſpecificatiuè ſecundum excellentiam gratiæ, & donorum debet adorari hyperdulia, ibidem.

Humanitati Chriſti conſideratæ ſecundum ſe debetur adoratio non latriæ, ſed hyperduliæ, 730.

Diuerſa eſt ratio orationis, & adorationis, 731.

Nulla adoratio, vel cultus debetur nomini Ieſu, vel vaſsis, vel veſtibus ſacris ratione ſui, niſi ratione Chriſti, vt per illud ſignificatur, vel prout Deus in illis rebus honoratur, 736.

Imagini, vt præciſa à prothotypo nulla debetur adoratio, 737. & ſequentibus.

Sacramento Euchariſtiæ debetur adoratio latriæ, 741.

Quæ adorationes, & cultus debeantur rebus ratione contactus, vel habitudinis ad Deum, 742. & ſequentibus.

Crux tam in qua Chriſtus pependit, quã quælibet alia imago illius Crucis dum retinet eius figuram eſt adoranda adoratione latriæ, 744.

B. V. Maria non eſt adoranda adoratione latriæ, ſed hyperduliæ, 716.

Reliquiæ Sanctorum ſunt adorandæ, & venerandæ à nobis, 748.

Amor.

Amore beatifico Dei meruit Chriſt⁹ quatenus in Deo volebat creaturas, aut quatenus Deo volebat bona extrinſeca, honoris, cultus, &c. 620.

In Chriſto non fuerunt duo actus amoris Dei, neque ſpecie, neque numero diſtincti. 621.

Anima.

Anima Chriſti non habuit omnipotentiã ſimpliciter. 452.

Anima Chriſti ſecundum propriam virtutem non habuit potentiam ad mutationem proprij corporis. 489.

Habuit tamen potentiam ad faciendum quicquid voluerit vt inſtrumentũ Verbi diuini. 490.

Quicquid voluit anima Chriſti, etiam voluntate abſoluta, impleri per alios non ſemper fuit factum, benè tamen quicquid voluit implendum per ſe. 491.

Anima Chriſti fuit paſsibilis vera paſsione. 518.

Anima fuit medium *quo* Verbum aſſumpſit carnem. 252.

Anima aſſumpta eſt mediantè ſpiritu, & quomodo verificetur. 254

Anima non fuit aſſumpta prius tempore, quam tota humanitas. 255.

Anima non fuit aſſumpta *vt quod* prius natura, quam tota humanitas. 260.

Antichriſtus.

Quomodo Antichriſtus ſit caput hominũ malorum. 351.

Antichriſtus non excedit in malitia dæmones. 352.

Excedit tamen in malitia omnes homines 351.

Digitized by Google

Apoſtolus.

Quomodo poſsint dici Apoſtoli Paſtores, Portæ, & hoſtium Eccleſiæ, 345.

Aſſumptio, vel aſſumere.

Actio aſſumptiua verbi diſtinguitur formaliter ab actione creatiua animæ, & à productiua humanitatis Chriſti, 155.
Terminus totalis aſſumptionis in Incarnatione eſt aliquid de nouo factum in tempore, 156.
Accidentia ſunt aſſumptibilia immediatè à perſona diuina, 220.
Partes humanitatis fuerunt prius naturâ, *vt quo* in executione aſſumptæ, quam tota humanitas, 262.
Tota humanitas, tam in executione, quã in intentione fuit prius aſſumpta, *vt quod*, ibidem.
Vide verbo, *Anima*.
Quæ naturæ ſunt capaces, vt aſſumantur à perſona diuina.
Vide verbo, *natura*.

Aqua.

Quare parùm aquæ miſceatur vino in calice, 65.

Auxilium.

Auxilia ſunt in duplici genere; alia quæ ſupponunt potentiam completam, conſtitutam in actu primo, & hæc ſolum ſunt applicatiua potentiæ. Alia ſunt, quæ ſimul dant potentiam, & conſtituunt in actu primo, & applicant potentiam, 481.

B

Beatus.

Beati ex vi viſionis Dei videat creaturas, vt obiectum ſecundarium, 393.
Beati æquales in beatitudine non neceſſariò vident eaſdem creaturas, 394.
Magis beatus ſemper in Verbo videt plures creaturas, quam minus beatus ſaltem formaliter, licet non ſemper plures materialiter 395. & ſequentibus.

Bonum, & bonitas.

De ratione ſummi boni, eſt quod ſit communicatiuum ſui, 21.
Communicatio actualis eſt conſona, & orta ex intrinſeca bonitate Dei, 22.
Propria natura Dei, eſt eſſentia bonitatis, 23.

C

Chriſtus.

Chriſtus tam ſecundum communes leges, quam ſecundum particulares conditiones eſt obiectum tractatus de Incarnatione, 6.
Chriſtus vere nos liberauit à poteſtate dæmonis, 30.
Chriſtus æquale reddit pro beneficijs humanitati collatis, 74.

Satisfactio Chriſti.

Chriſtus ſatisfecit, vt homo, ly *vt* reduplicante principium formale operationum, 76.
Satisfecit vt perſona diuina, ly *vt* reduplicante principium valorizandi opera, 76. & 77.
Chriſtus ſatisfecit vt ſeruus, 76.
Chriſtus fuit adſtrictus legali obligationi ad ſatisfaciendum, ſuppoſita voluntaria acceptatione, 85.
Chriſtus veniret ex vi eiuſdem intentionis, licet non eiuſdem exequtionis, ſtante ſolo peccato originali, 112.
Chriſtus veniret ſi omnes, vel maior pars hominum eſſet infecta peccato actuali, 113.

Digitized by Google

Compoſitio Chriſti.

Chriſtus dicitur compoſitus ex duabus naturis, 136.
Chriſtus verè eſt perſona compoſita, ex perſona, vel perſonalitate Verbi, & humanitate, 137.
Quomodo loquendum ſit in iſta compoſitione perſonæ Chriſti, 140. & ſequentibus.
Chriſtum conſtare ex tribus naturis, ſiue ſubſtantijs, quomodo verificetur, 245.

Corpus Chriſti.

Chriſtum aſſumpſiſſe verum corpus, carneum non apparens, neque cœleſte, eſt dogma fidei, 232. & 233.
Diuerſimodè corpora fuerunt aſſumpta ab Angelis, ac à Verbo in Incarnatione, 232.

Res aſſumptæ à Chriſto.

Chriſtus aſſumpſit ſanguinem, & ſpiritus vitales, & animales, 235. & 239.
Aſſumpſit etiam omnes humores corporis naturalis, 237.
Vide verbo, *ſanguis*.
Etiam aſſumpſit capilos, & vngues, 239.
Etiam aſſumpſit particulam carnis ablatam in circunciſione, 240.
Chriſtus aſſumpſit animam, & intellectũ, 244.
Aſſumpſit intellectum ſine prauis cogitationibus, 245.

Virtutes Chriſti.

In Chriſto fuerunt omnes virtutes infuſæ tam theologicæ, quàm morales, non repugnantes ſtatui beatifico à principio ſuæ conceptionis, & oppoſitum eſt temerarium, 280.
Chriſtus habuit etiam omnes virtutes acquiſitas, ibidem.
Illas acquiſiuit proprijs actibus, licèt in breuiſsimo tempore, 281.
In Chriſto non fuit fides Theologica, 282.
Neque etiam circa obiecta ſecundaria potuit eſſe fides in Chriſto, 283.
Chriſtus habuit meritum fidei ex parte operantis in actu obedientiæ, quo pleniſsime Deo obediuit, non tamen ex parte operis, 284.
In Chriſto, neque habitus ſpei Theologicæ, neque aliquis actus fuit, 284. & 285.
Neque etiam circa gloriam corporis fuit ſpes in Chriſto, 285. & 286.
Fuit tamen in Chriſto quædam fiducia circa gloriam corporis, 287.

Dona Spiritus Sancti in Chriſto.

In Chriſto fuerunt ſeptem dona Spiritus Sancti, tam quoad habitus, quam quoad actus, & oppoſitum quantum ad habitus eſt contra fidem, quoad actus verò eſt temerarium, 290.
Fuerunt etiam in Chriſti gratię gratis datæ, 296.
Fuit Chriſtus verus propheta, ibidem.
In Chriſto fuit plenitudo gratiæ, vt illi proria. 305.
Chriſtus habuit plenitudinem omnium donorum, & virtutum. 309.

Chriſtus vt caput.

Chriſtus eſt caput totius Eccleſiæ militãtis, & triumphantis. 313.
Proprium eſt Chriſto eſſe caput Eccleſię & de facto nullus habuit iſtam dignitatem. 342.
Etiam facta comparatione ad potentiam Dei eſt proprium Chriſti eſſe caput Eccleſiæ. 344.
Chriſtus etiam vt homo eſt caput Eccleſiæ, & non ſolum vt Deus. 314.
Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, non ſolum polyticum, ſed etiam naturale, excellẽtiori tamen modo influens in eius mẽbra, quem caput naturale in ſua. 315.
Chriſtus non eſt caput reſpectu rerum naturalium. 315. & 316.
Chriſtus quomodo influit ratione animæ & corporis in animas, & corpora noſtra. 319. & 320.
Corpus Chriſti in triduo mortis, vt vnitũ verbo poteſt dici caput hominum influens in animas, & corpora. 320.

Huma-

Humanitas Chriſti influit in corpora noſtra aliquid licet minus principaliter, & ſecundario, ibid.
Chriſtus eſt caput omnium hominum viatorum, in quocumque ſtatu ſint, 321.
Eſt etiam caput beatorum, non tamẽ damnatorum, ibid. & 322.
Chriſtus non eſt actu caput infidelium, ſed ſolum in potentia, neque infantium decedentium in vteris maternis, 323.
Chriſtus etiam in quantum homo eſt caput Angelorum, 325.
Chriſtus prout eſt caput Angelorum cauſat in eis gaudia accidentalia, & reuelationes extra Verbum, 328.
Nullatenus tamen meruit illis gratiam, & gloriam eſſentialem, 329.
Chriſtus non fuit mortuus pro Angelis, 330.
Chriſtus connaturaliter habuit dignitatem capitis, ſine meritis, reſpectu hominum, & Angelorum, meruit tamẽ illius vſum, & exequtionem, 331. & 332.
Quomodo Chriſtus dicatur, oſtium, vel porta Eccleſiæ, 345.

Scientia, & cognitio Chriſti.

Chriſtus habuit ſcientiam beatorum, & hoc eſt dogma fidei, 358.
In Chriſto fuiſſe ſcientiam creatam (ſaltem actualem) eſt dogma fidei, 362.
Chriſtus nec de facto, nec de poſsibili poteſt videre diuinam eſſentiam per viſionem increatam Dei, 366.
Chriſtus cognouit omnia quæ fuerunt ſunt, & erunt, & quæ ſunt in potentia creaturæ, non tamen quæ continentur in omnipotentia Dei, 375.
Chriſtus non cognouit infinita ſimpliciter, bene tamen infinita ſecundũ quid, 377. & 378.
Chriſtus non cognouit in Verbo omnia poſsibilia, 381.
Ex cognitione omnium poſsibilium ſequitur comprehenſio Dei, ibidem.
Talis cognitio eſſet infinita, 383.
Chriſtus, neque ſecundum habitum cognouit in Verbo omnia poſsibilia, 384.
Neque in ſe ipſis omnia poſsibilia cognoſcit, licet aliqua cognouerit, 385. & 386.
Chriſtus, vt homo cognoſcit diem iudicij, 389.
Expenditur teſtimonium illud Euangelij, *de die illa nemo ſcit, &c.* 297.
Chriſtus in Verbo cognouit omnia præſentia, præterita, & futura, quomodocumque in æternitate exiſtentia, 390.
Omnes iſtos effectus præſentes, præteritos, & futuros cognoſcit Chriſtus à principio ſuæ beatitudinis, per eandem ſciẽtiam, qua Deum videt, & ex vi eiuſdem viſionis, 391.
Chriſtus per ſcientiam beatam cognouit infinitam multitudinem rerum futurarum intra æternitatem, 399.
Hæc tamen multitudo omnium futurorum, neque in eſſe cogniti eſt dicenda infinita cathegorematice, & in actu, 400.
Chriſtus verê fuit confortatus ab Angelo in horto, licèt non fuerit illuminatus neque doctus ab illo, 449.

Virtus Chriſti ad miracula.

Chriſtus habuit virtutem, & poteſtatem efficiendi miracula, 461.
Hæc virtus Chriſti effectiua miraculorum non ſolum eſt moralis, ſed etiam phyſica, 465. & 466.

Defectus, & paſsiones aſſumptæ à Chriſto.

Chriſtus aſſumpſit defectus infirmitates, & dolores, 494. & 500.
Chriſtus ſecundum conditionem ſuæ naturæ fuit ſubiectum his paſsionibus, 500.
Chriſtus non contraxit aliquos deffectus naturales ex neceſsitate cauſæ, ſed liberè, vt voluntariè, 497.
Non aſſumpſit omnes defectus humanos 499.
Chriſtus habuit corpus paſsibile, & ſubiectum paſsionibus, & defectibus proprijs carnis paſsibilis, 500. & ſequentibus,
Huiuſmodi paſsiones, & defectus, fuerunt Chriſto naturales in duplici ſenſu, 502.
Omnia iſta aſſumpſit voluntariè, 503.

Fuerunt tamen Chriſto ſecundum quid coactæ iſtæ paſsiones, 504.
Chriſtus ſuſcepit neceſsitatem moriendi, & ſubeundi alios defectus ex aſsignatis, 506.
Quos defectus corporales Chriſtus aſſumpſerit, 507.
Aſſumpſit optimum temperamentum, 508.
Non aſſumpſit morbum, ibidem.
An autem aſſumpſerit neceſsitatem patiẽdi morbum, poteſt vtrumquè probabiliter dici, 509.
Chriſtus non aſſumpſit defectum peccati 513. & 526.
Nequè etiam aſſumpſit fomitem peccati, 514.
Nequè fuit in Chriſto ignorantia, 516.
In Chriſto fuit dolor ſenſibilis, 519. & 539.
Fuit etiam triſtitia, 521. & 539.
In Chriſto fuit timor, vt eſt fuga mali, 522.
In Chriſto fuit admiratio ſecundum ſcientiam experimentalem, licet non ſecundum diuinam, & infuſam, 523.
In Chriſto fuit ira, vt importat ordinem iuſtitiæ, non vt importat vitium, 524.
In Chriſto non fuit aliquod peccatum actuale, vel originale, 513. & 526.
Eſtquè dogma fidei, & contrarium eſt hæreſis, 526.
Neque de potẽtia Dei potuit eſſe aliquod peccatum actuale in Chriſto, 531.
Similiter, nequè per modum habitus potuit eſſe peccatum in Chriſto, 533.
In Chriſto non potuit eſſe error, aut ignorantia priuatiua, 539.
Quæ paſsiones appetitus ſenſitiui fuerint in Chriſto, 539. & ſequentibus.
Chriſtus, vt homo fuit cauſa meritoria principalis noſtræ gratiæ, & donorũ, quæ nobis communicantur, 457.
Non tamen eſt cauſa principalis phyſica gratiæ, & donorum, 458.
Chriſtus, vt homo habet influxum phyſicum, ſaltem inſtrumentalem, reſpectu gratiæ, & donorum, 459.
Chriſtus non poteſt dici homo Dominicus, 549.
Chriſtus eſt vnus maſculinè, & vnũ neutraliter, 598: & 572.

Eſſe, & exiſtentia Chriſti.

In Chriſto tantum eſt vnum eſſe ſimpliciter, licet ſecundum quid poſsit dici multa, 570.
In Chriſto ſolum eſt vnica exiſtẽtia, quà totus Chriſtus exiſtit, 577.
Nullatenus admitenda ſunt plura eſſe ſimpliciter, & abſolutè in Chriſto, 582.

Chriſti voluntas.

In Chriſto ſunt duæ voluntates, 585. & 595.
In Chriſto fuit voluntas ſenſualitatis, prę ter voluntatem rationis, 587.
In Chriſto tantum eſt vnica voluntas rationis, ſeu humana, ſumpta voluntate pro potentia. 588.
In Chriſto fuit liberum arbitrium, 589. & 596.
Non omnis voluntas Chriſti fuit conformis diuinæ voluntati, 591.
In Chriſto non fuit contrarietas voluntatum, 594. & 602.
Quomodo ab illo iſta contrarietas remoueatur, ibidem.
Qui actus fuerint in voluntate humanæ Chriſti, & diuiſio omnium actuum ad illam pertinentium, 598.
In Chriſto non fuerunt actus indeliberati voluntatis, ibidem.
In humana voluntate Chriſti fuerunt actus inefficaces, 599.
Voluntas humana Chriſti in volito formali ſemper fuit conformis diuinę voluntati, tam quoad actus efficaces, quã inefficaces, in volito tamen materiali fuit diformis, quoad actus ineſficaces, licet non quoad efficaces, 601
In Chriſto non eſt vna operatio diuinitatis, & humanitatis. 607.
In Chriſto tantum eſt vna operatio, quæ propriè dicitur humana, 609.
Sunt tamen plures aliæ operationes præter humanam, ibid.
Actio humana Chriſti fuit meritoria ſibi, 611.

Meritum Chriſti.

Chriſtus, vt viator verè meruit, 612. & 613.
Meritum Chriſti, licet in eſſe phyſico fuerit finitum, tamen in eſſe moris fuit infinitum in actu, & ſimpliciter, ibidem.
Merito infinito Chriſti non correſpondet præmium infinitum de facto, 614.
Chriſtus meruit à primo inſtanti ſuę conceptionis, vſquè ad inſtans ſeparationis animę à corpore, 615.

Omnia opera meritoria Chriſti promeruerunt idem præmium, 616.

Chriſtus per mortem in fieri, ideſt per Paſſionem meruit, non tamen per mortem in facto eſſe, ibidem.

Chriſtus non meruit per vulnus lateri inflictum, licèt quando præuidit, & acceptauit illud meruerit, 616. & 617.

Chriſtus meruit per omnes actus virtutū, tam elicitos, quàm imperatos, tam cadentes ſub conſilio, quam impletiuos præceptorum, ſiuè eorum quæ ſunt affirmatiua, ſiue quæ ſunt negatiua, 619.

Chriſtus meruit per amorem Dei beatificum, quatenus in Deo volebat creaturas, aut quatenus Deo volebat bona extrinſeca, honoris, laudis, &c. 620.

Iſte actus amoris beatifici, quo meruit Chriſtus fuit vnus ſpecificè, & numericè, 621.

Actus iſte meritorius, quomodo fuerit neceſſarius, & liber ſimul, vt in illo ſaluetur ratio meriti, 621. & 622.

Chriſtus meruit per actus appetitus ſenſitiui, 622.

Meruit etiam per actus, quibus patrabat miracula, ibidem.

Chriſtus non meruit per motum cordis, aut actibus animę vegetatiuæ, ibidem.

Chriſtus meruit in acceptatione mortis præceptæ, ibidem.

Potuit Chriſtus de potentia Dei mereri gratiam iuſtificantem animæ ſuę, & gloriam eſſentialem, ſecus tamen de facto, & ex ſuppoſitione, quod illa habuerit, 629.

Chriſtus meruit gloriam corporis, & exaltationem ſui nominis, 632.

Meruit etiam Regiam dignitatem, & ſupræmi capitis authoritatem, ibidem.

Chriſtus meruit nobis omnia auxilia, & dona gratiæ à prima vocatione, vſquè ad gloriæ conſumationem, 634.

Meruit etiam auxilia, & dona communia reprobis, & electis, 635.

Præceptum Chriſto impoſitum.

Chriſtus habuit præceptum de ſubeunda morte, 622.

Hoc pręceptum non tollit meritū à Chriſto in ſubeunda morte, 624.

Neque tollit libertatem à Chriſto, 627.

Per præceptum non fuit determinatus actus, vel affectus in indiuiduo, & ſingulari, quo acceptaret mortem, & ideò fuit liber in acceptando illam, iſto, vel illo actu 627.

Vindicatur ab obiectionibus hæc doctrina. 628.

Subiectio Chriſti, & ſeruitus.

Chriſtus eſt ſubiectus Patri ſecundum bonitatem, ſeruitutem, & obedientiam, 636.

Chriſtus non eſt ſubiectus ſibi, nec Dominus ſui ratione perſonæ, ſed ratione naturæ. 640.

Chriſtus ſecundum quod homo, vel ſecundum humanitatem eſt ſeruus Patris, & Dei, vt communis tribus perſonis, 641.

Hæc ſubiectio, vel ſeruitus Chriſti ſecundum humanitatem reſpectu Dei, non eſt legalis, vel penalis, ſed naturalis, & polytica, 643.

Oratio Chriſti.

Chriſto ſecundum humanitatem conuenit orare, 646. & 652.

Non orat ſecundum ſenſualitatem, 648.

Chriſtus orauit pro ſe, 649.

Oratio abſoluta Chriſti, & explicatiua voluntatis deliberatæ fuit ſemper exaudita, ſecus tamen illa, quæ eſt explicatiua voluntatis indeliberatæ ſiuę cōditionatæ, 653.

Chriſtus nunc exiſtens in cœlo oratione expræſſa interpellat pro nobis, 654.

Probabilius eſt iſtam orationem non eſſe vocalem, & externam, ſed internam, & mentalem, & per oſtenſionem ſuorum vulnerum, & animæ ſuæ deſiderij manifeſtationem. pag. 655. & ſequentibus.

Sacerdotium Chriſti.

Chriſtus eſt verè Sacerdos, 658.

Fuit ſimul Sacerdos, & Hoſtia, 660. & 670.

Chriſtus habuit dignitatem Sacerdotis à primo inſtanti ſuæ conceptionis, 668.
Hæc dignitas Sacerdotalis non ponit in Chriſto aliquam qualitatem realem, vel characterem, ſed extrinſecam Dei ordinationem, & deputationẽ ad exercendum officium Sacerdotale, ibidem.
Chriſtus fuit Sacerdos ratione humanitatis, 669.
Sacerdotium Chriſti, fuit excellentius, Sacerdotio legali, & ſupra quodcumque aliud, & quæ ſint eius excellentiæ, 671.
Excelluit primo Sacerdotium Chriſti, Sacerdotio legali in poteſtate excellentiæ ſecundum quam fuit author Sacramentorum nouæ legis, ibidem.
Secunda excellentia fuit, quod ſimul fuit Sacerdos, & Hoſtia, ibidem.
Tertia excellentia fuit, quod iuramento confirmatum fuit Sacerdotium Chriſti 672.
Quarta fuit permanentia, & æternitas huius Sacerdotij, 673.
Quinta excellentia fuit, Sacerdotium Chriſti fuiſſe inſtitutum ſecundum ordinem Melchiſedech, 675.
Sacerdotium Chriſti fuit præfiguratum in Sacerdotio Melchiſedech, & habuit omnes eius excellentias, modo excellentiori, 677.

Chriſtus martir.

Chriſtus verè fuit martyr eiuſquè Paſsio verè fuit martyrium, 679.
Chriſtus non ſe ipſum occidit, etiam ſi voluntarie ſe obtulerit Paſsioni, 680.

Chriſtus Rex.

Chriſtus fuit Rex totius orbis habens ius ſupra omnes Principes, 681.
Non habuit in hac vita vſum actualem iſtius iuris, ac dominij, ibid.
Chriſtus in hac vita mortali non habuit dominium particulare in omnes res vniuerſi, ibidem.

Chriſti prædeſtinatio.

Abſolute, & ſimpliciter dicẽdum eſt Chriſtum eſſe prædeſtinatum, 704.
Subiectum prædeſtinationis Chriſti, nequè eſt ſola humanitas ſignificata in abſtracto, nequè ſuppoſitum filij Dei ſecundum ſe ſumptum, ſed Chriſtus, ſeu filius Dei, vt ſubſiſtens in natura humana, 705. & 706.
Terminus primarius, & principalis huius prædeſtinationis Chriſti, eſt eſſe filium Dei naturalem, 706.
Prædeſtinatio Chriſti præſupponit peccatum, 100.
Terminus, ſeu finis huius prædeſtinationis, & ſubiectum quomodo diſtinguantur inter ſe, 708. & 709.
Chriſtus eſt cauſa exemplaris : & finalis prædeſtinationis, aliorum Sanctorum, 713.
Eſt etiam cauſa meritoria de condigno, omnium effectuum cæterorum prędeſtinatorum, 714.
Meruit etiam Chriſtus decretum ipſum prædeſtinationis, & æternum conſiliũ perducendi homines in beatitudinem, quantum ad terminationem ad ipſos effectus, 716.
Non tamẽ fuit cauſa meritoria electionis comparatiuæ, ideſt electionis iſtorum præ alijs, 718.

Chriſtus mediator.

Quæ ſint conditiones, & munia mediatoris Dei, & hominum, 752. & 753.
Chriſtus ſecundum quod homo eſt mediator Dei, & hominum, ibid. & 760.
Eſſe mediatorem primarium, & principalem inter Deũ, & homines eſt propriũ Chriſto, 760.
Nihilominus dantur alij mediatores minus principales, & veluti ſecundarij, ibidem.
Expenditur locus Pauli, ad hoc 1. ad Timoth. 2. 751. & ſequentibus.
Chriſtus in quanium homo eſt mediator Dei, & hominum, 761.
Etiam poteſt verificari in aliquo ſenſu, quod ſit mediator Dei, & hominum in quantum homo Deus, 762.

Comprehenſio.

Certum èſt de fide Deum non poſſe compræhendi ab intellectu creato, 369. 372.
Idquè deducitur ex ſacra Scriptura, & rationibus probatur, 370.
Quid requiratur ad compræhenſionem ibidem.

Digitized by Google

Nullum attributum Dei, quantum ad intrinſeca eſt comprehenſibile, 371.
Nec etiam omnipotentia eſt comprehenſibilis, ibidem.
Quid dicendum ſit de ſcientia viſionis, & de lege æterna, 371.
Cognito vno effectu in Verbo, an cõpræhendatur Verbum, vt cauſa illius? 387.

Crux.

Crux Chriſti, vide verbo, *Adoratio.*

Deus & deitas.

Deum Incarnari eſt poſsibile abſolutè, 15.
Hęc poſsibilitas eſt Logica, non Phyſica, 16.
In Incarnatione non fuit mutatus Deus, 18.
Deus non poteſt eſſe terminus alicuius conuerſionis ob immutabilitatem, ibidem.
Deus eſt capax lucri, & damni in bonis extrinſecis, 85.
In Deo datur attributum veræ iuſtitiæ, præhabens perfectionem commutatiuæ, & diſtributiuæ noſtræ, ibidem.
Quæ dependent à ſola voluntate Dei non poſſumus ſcire, niſi ex reuelatione Scripturæ, 95. & 96.
Deus ratione ſubſiſtentiæ communis, & eſſentialis non poteſt terminare naturam creatam, 200.
Quomodo verificetur illud axioma Damaſceni, *Quod ſemel Deus aſſumpſit, numquam dimiſſit*, 238.
Deitas, & non perſonalitas, eſt forma formaliter ſanctificans humanitatem Chriſti, 273.

Diabolus.

Diabolus ſupræmus eſt caput omnium malorum, 348. & 349.
Diabolus excedit in malitia Antichriſtũ, 352.

Donum.

Dona Spiritus Santi, quantum ad habitus, & actus fuerunt in Chriſto, 290.

E

Eſſe, & exiſtentia.

In Chriſto ſolum datur vnum eſſe, & vna exiſtentia, 570. & 577.
Exiſtentia diſtinguitur realiter ab eſſentia, 579.
Angelus lumine naturali non cognouit exiſtentiam Chriſti, etiam ſi intuitiuè videret illum, 580.
Exiſtentia non eſt terminus formalis generationis, vel productionis, 581.
Explicatur illud Euangelij. *De die illa nemo ſcit, &c.* 397.
Sicut res ſe habet ad eſſe, ita ad cognoſci, explicatur, fol. 4.

Effectus.

Non omnis effectus formalis petit formã informantem, 19.
Explicatur illud Pauli, ad Coloſſ. 1. adimpleo ea, quę deſſunt Paſsionum Chriſti, 73.
Quod aduenit enti in actu quomodo faciat vnum ens per ſe cum illo, 149. & 150.

Euchariſtia.

Sacramentum Euchariſtiæ eſt præſtantius omnibus modis Sacramento Baptiſmi, 115.
Sacramentum Euchariſtiæ, eſt adorandũ adoratione latrię, 741.
Eſt adorandum abſolutè, & non ſub conditione, 743.
Solemnitas Sacramenti Euchariſtiæ fuit inſtituta ab Vrbano quarto. 744.

F

Filius adoptiuus.

Vide Verbo, *Adoptio Chriſti.*

Fomes.

Fomes eſt appetitus determinatè inclinans ad motus indeterminatos. 537.
Fomes peccati non fuit in Chriſto, 514.
Neque etiam potuit eſſe de potentia Dei, 538.

¶ 2 Quę

Quo modo fuerit extinctus in B. Virgine, 537.

Forma.

Forma eminentialis poteſt præſtare effectus aliarum in ſuo genere, 16. & 20.
Forma ſupernaturalis, eſt tota ratio agendi, 479. & 480.
Verbum non poteſt vniri humanitati per modum formæ, & animæ, 245.
Forma ſanctificans humanitatem Chriſti eſt deitas, non perſonalitas Verbi, 273.

Futurum.

Futura omnia ſunt ſimul in æternitate, 403.
Simulquè attinguntur à ſcientia viſionis Dei, & ſcientia beata Chriſti, ibidem.
Futura in æternitate, vt cogitationes cordis non habent, neque in ſe, neque in æternitate, neque in diuina cognitione vltimam, 403.

G

Gratia habitualis.

Gratia habitualis non refundit totum valorem neceſſario in opera hominis iuſti, 71.
Gratia habitualis non dignificat æqualiter omnia opera iuſti, neque valorat ea ſecundum vltimum ſuæ virtutis, ibidē.
Gratia puri hominis non extenditur ad alios ex ſe, 43. & 44.
Gratia ſolum poteſt cauſari à Deo, vt à cauſa principali phyſica, 458.
Gratia habitualis, ſola facit filios adoptiuos Dei, 689.
Gratia habitualis in Chriſto non habuit iſtum effectum, 699.
Gratia habitualis fuit in Chriſto ab inſtanti ſuæ conceptionis, 268.
Gratia habitualis, non fuit medium vnionis humanitatis cum Verbo, 265.
Gratia habitualis, eſt principium connaturale ad elicienda opera ſupernaturalia, 269.
Eſt temerarium, & errori proximum, dicere non fuiſſe in Chriſto gratiam habitualem, 270.
Non tamen eſt immediatè de fide, ibidē.
Gratia habitualis, non fuit neceſſaria in Chriſto, vt humanitas per illam diſponeretur ad aſſumptionem, 273.
Nec etiam fuit neceſſaria, vt humanitas Chriſti, per illam ſimpliciter, & formaliter redderetur Sancta, & grata Deo, 273. & 274.
Gratia habitualis, non fuit neceſſaria in Chriſto, vt humanitas mereretur præmium ſupernaturale, 275.
Gratia habitualis in Chriſto, ſequitur ad gratiam vnionis, ad modum proprietatis debitæ, 305.
Non tamen eſt proprieras verè, & propriè, 461.
Gratia habitualis in Chriſto, non fuit infinita in eſſe phyſico, 305.
In eſſe tamen gratiæ fuit ſimpliciter, & ſine addito infinita, 310.
Gratia habitualis, & etiam vnionis non fuit data Chriſto ad menſuram, 307. & 308.
Gratia habitualis in Chriſto, poteſt augeri de potentia Dei abſoluta, non de potentia ordinaria, 308.
Gratia habitualis noſtra, non habet terminum in ſui augmento, ſed poteſt creſcere in infinitum, 309.
Gratia habitualis in Chriſto non eſt diſtincta ſpeciei, in eſſe phyſico à noſtra, benè tamen ſpecie morali, 309.
Gratia habitualis non cauſat in Chriſto diuerſas virtutes ex ſe, ac in nobis, 83.
Gratia habitualis Chriſti, eſt idem cum gratia capitali, qua influit in membra, 337.
Gratia capitis addit ſupra gratiam habitualem quendam modum, ſeu virtutem accidentalem, 338.
Gratia eſt perfectior viſione beatifica, 340.

Gratia vnionis.

Gratia vnionis ſanctificat formaliter humanitatē Chriſti ratione deitatis, 273. & 274.
Gratia vnionis, non eſt gratia capitalis in Chriſto, neque conflatum ex illa, & gratia habituali, 337.
Si gratia vnionis eſſet ſola in Chriſto eſſet gratia capitalis, 339.

Ha-

H

Habitus.

Habitus Theologiæ attingit tractatum Incarnationis, 3.
Habitus vitioſi non fuerunt, neque potuerunt eſſe in Chriſto, 538.

Homo.

Homines verè erant ſub poteſtate dæmonis, 30.
Homo non fuit aſſumptus in Incarnatione, ſed humanitas, 223.
Purus homo, etiam de potentia Dei non poteſt ęqualem de iuſtitia exhibere ſatisfactionem pro peccatis aliorum, 41.
Neque etiam, ſi homo gratia capitis exornaretur, poteſt talem ſatisfactionem exhibere 43.

Humanitas.

Humanitas Chriſti influit primario, & principaliter in animas noſtras, ſecundario, & minus principaliter in corpora, 302.
Humanitas Chriſti, non eſt formaliter omnipotens, 452. & 453.
Humanitas Chriſti, ex vi vnionis non eſt potentior phyſicè, quam ſit ex natura ſua, 454.
Humanitas Chriſti, habuit virtutem effectiuam miraculorum, 461.
Hæc virtus in humanitate Chriſti effectiua miraculorum fuit phyſica, 466.
Virtus in humanitate Chriſti effectiua miraculorum, non fuit habitus, aut habitualiter inhærens, ſed fluida, ac tranſiens. 467.
Potuit tamen de potentia Dei abſoluta eſſe permanens, 470.
Aliquando operabatur miracula humanitas Chriſti imperatiuè, vt quando oratione, & prece illa operabatur, licèt tunc etiam poſſet phyſicè illa operari, 467. & 468.
Virtus iſta in humanitate Chriſti non eſt potentia obedientialis actiua, 475.
Neque conſiſtit in ſola ſubordinatione humanitatis ad Deum, 477.
Virtus qua humanitas Chriſti ſubordinatur Deo, vt inſtrumentum eſt forma ſupernaturalis ipſi humanitati inhærens fluida, ac tranſiens, 478.
Virtus eleuans humanitatem Chriſti ad opera miraculoſa eſt tota ratio proxima agendi, 479. & 480.
Humanitas Chriſti, non habuit omnipotentiam ſecundum propriam virtutem ad immutandum ſuum corpus, benè tamen, vt virtus Dei, & vt inſtrumentū, 488. & 489.

Humor.

Omnes quatuor humores corporis naturalis fuerunt aſſumpti à Verbo, 237.

I

Incarnatio.

Conſideratio Incarnationis, pertinet ad Theologum 3.
Attingiturque ab habitu Theologiæ, ibidem.
Poſsibilitas Incarnationis probatur à Diu. Thom. implicitè in conuenientia 13.
Incarnatio eſt conueniens Deo, vt conſona, & orta ex principijs intrinſecis, 22.
Incarnatio eſt ſumma Dei communicatio intenſiua, non extenſiua, 24.
Communicatio Incarnationis terminatiuè ſumpta conuenit vni perſonæ, actiua tamen communicatio tribus, pagin. 25.
Incarnatio non fuit ſimpliciter neceſſaria ad reparationem hominis, 31.
Incarnatio fuit medium conuenientiſsimum, tam ex parte Dei, quàm ex parte hominis ad eius reparationem, 32.
Et fuit medium conuenientiſsimum, etiam reſpectu omnipotentiæ Dei, ibidem.
Totale motiuum, & adæquatum Incarnationis fuit remedium peccati, 95.

Re-

Remedium originalis peccati fuit principalius, quam remedium actualium, 107.
Incarnatio abſolutè, & ſimpliciter dicitur, in ſacra Scriptura ordinata, & volita in noſtram redemptionem, 97.
Incarnatio alicuius perſonæ diuinę in nullo ſigno rationis fuit, decretata ante præuiſum peccatum, 98.
Nequè fuit præuiſſa in genere cauſæ finalis antè peccatum, 99.
Ordo naturæ præſupponitur ante decretum Incarnationis, 102.
Incarnatio fuit ordinata in remedium peccati, vt in finem, cui 106.

Infinitum.

Infinitum ſimpliciter in genere entis continet perfectionem omnium entium, nõ infinitum ſecundum quid, & in certa ſpecie, 50.
Infinitum non eſt dabile in quocumque genere, 306.
Quomodo cognitio Chriſti in Verbo attingat infinitam multitudinem, & non ſit infinita, 401, & 402.

Intellectus.

Intellectus noſter, tam ſecundum gradum genericum, quàm ſecundum ſpecificum eſt elebabilis ad cognitionem Ordinis gratiæ, & hypoſtatici, 5.
Nullus intellectus creatus poteſt videre viſione increata, 366. & 367.

Inſtrumentum.

Nulla creatura per ſolam potentiam obedientialem conſtituitur in ratione inſtrumenti in actu primo potentis operari, 475.
Nullum inſtrumentum ex ſola coniunctione, vel ſubordinatione ad Deum, habet virtutem phyſicam ad effectus miraculoſos, 477.
Inſtrumentum conſtituitur in actu primo in ratione inſtrumenti, per virtutem ſupernaturalem inhærentem ipſi inſtrumento, quæ virtus eſt qualitas fluida, & tranſiens, 478.
Virtus eleuans inſtrumentum poteſt ſe extendere ad loco diſtantia, 484.
Nullum inſtrumentum poteſt agere in diſtans tempore, vt in futurum, ibidem.
Nullum inſtrumentum poteſt deſeruire ad creandum: 485. & 486.

Ira.

Ira, vt importat ordinem iuſtitiæ fuit in Chriſto, non vt importat vitium, 524.

Iuſtitia.

Iuſtitia commutatiua in Chriſto, & in nobis eſt eiuſdem ſpeciei, 83.
Iuſtitia verè, & rigoroſè ſumpta requirit æqualitatem, 52.
Etiam requirit diſtinctionem realem, inter ſatisfacientem, & cui fit ſatisfactio ſaltem quoad naturas, 53.
Vera iuſtitia, non poteſt conſtitui ex bonis fundatis in gratia actuali creditoris, benè tamen in habituali, 54.
Iuſtitia debet conſtitui ex bonis proprijs debitoris, ſaltem ſecundum aliquam ſpecialem rationem, 56.
Debet fieri ex bonis indebitis titulo alterius iuſtitię particularis, non tamen generalis, 57. & 75.
Ad conſtituendam veram iuſtitiam, non requiritur, quod creditor teneatur acceptare ſatisfoctionem poſitiuè, ſed tantum negatiuè, 58. & 59.

Iudæi.

Iudæi quo pacto potuerunt peccare in morte Chriſti, ſiquidem conformabant ſe diuinæ voluntati, & humanę Chriſti 505. & ſequentes.

L

Lumen gloriæ.

Lumen gloriæ, eſt tota ratio diuerſificandi viſiones beatas, non diuerſitas

ni-

intellectus,405.
Lumen gloriæ Chriſti, eſt intenſius lumine cuiuſcumquè beati,406.
De potentia tamen Dei,poteſt dari aliud maius illo,ibidem.
Lumen gloriæ non poteſt multiplicari in ſpecie,etiam de potentia Dei,406.

M

B.V.Maria.

B. V. Maria, eſt verè , & propriè mater Dei,156.& 157.
Excedit in gratia omnes Sanctos , etiam collectiuè ſumptos,305.
B.V.M. non meruit de condigno incarnationem Verbi , nec dignitatem matris Dei,184.
Nec etiam de poſsibili meruit Incarnationem,& talem dignitatem,ibidem.
Meruit tamen illam de congruo,185.
B.V.Maria non eſt adoranda adoratione latriæ,ſed hyperduliæ.746.

Materia prima.

Materia prima,non potuit aſſumi à Verbo,ſine forma,219.
Materia prima,etiam ſi creetur non habet ſubſiſtentiam, vel exiſtentiam per ſe, 863.

Melchiſedech.

Melchiſedech fuit Sem,filius Noe maior natu,675.
Fuit Rex,& Sacerdos Dei altiſsimi,676.
Sacerdotio Melchiſedech,fuit aſsimilatũ Sacerdotium Chriſti,676.& 677.

Meritum.

Diferentia inter meritum, & ſatisfactionem,87.
Antiqui Patres meruerunt de congruo omnes circunſtantias Incarnationis, 180.
Non tamen meruerunt ipſam Incarnationem, vel circunſtantias eius,ſecundum ordinem intentionis,179.
Meruerunt tamen de congruo ipſam Incarnationem,& omnes eius circunſtantias in exequtione,180.
Vide verbo,*Chriſti meritum*,& vide verbo,*V.Maria*.

Modus.

Modus vnionis non ſanctificat formaliter humanitatem Chriſti,273.
Modus productus in vnione Verbi, vide verbo,*Vnio*.

Miraculum.

Miraculum primum factum à Chriſto, an fuerit conuerſio aquæ in vinum,463.

Mors.

An mors poſsit accidere ſine morbo , & quæ ſint cauſę mortis,506.

Mutatio.

Ad mutationem realem ſufficit ſuſcipere formam formaliter,etiam ſi præhabeatur eminenter,17.

N

Natura.

Natura creata terminata propria perſonalitate,non eſt aſſumptibilis,221.
Eadem natura creata poteſt terminari à tribus perſonis diuinis,208.
Et plures naturæ poſſunt terminari ab eadem perſona,ibidem.
Quælibet natura completa eſt aſſumptibilis à perſona diuina,217.
Natura incompleta,vt pars integralis ſubſtantiæ non eſt aſſumptibilis à perſona diuina,218.
Idem dicendum eſt de anima vnita materię , & de materia prima , ſine forma, 219.
Natura irrationalis aſſumpta à Verbo, non

Digitized by Google

non eſſet ſancta formaliter, etiam ſi haberet deitatem, 276.

O

Omnipotentia.

Omnipotentia vnita mediante perſona non reddit humanitatem Chriſti omnipotentem, benè tamen ſanctitas increata reddit illam ſanctam formaliter, 275. & 454.
Omnipotentia non fuit ſimpliciter in anima Chriſti, 452.

Operatio.

Operationes Chriſti habent valorem infinitum, qui eſt quidam modus realis, & intrinſecus illis, 68.
Operationes Chriſti ſunt theandricę, 69.
Operationes Chriſti, non ſolum in ratione meriti, ſed etiam in ratione ſatisfactionis fuerunt ſuperabundantis valoris prima noſtra redemptione, 73.
Operationes omnes Chriſti Domini habent ęqualem valorem ex perſona Verbi, 74.
Operationes Chriſti, vt ſatisfactoriæ fuerunt regulatæ à virtute iuſtitiæ commutatiuæ, quæ eſt eiuſdem ſpeciei cum noſtra, 82.

Oratio.

Vide verbo, *Chriſti oratio.*

P

Patres antiqui, vide verbo, *meritum.*

Peccatum.

Peccatum, vt priuat ordine rationis debito, non eſt infinitum, 47.
Nec etiam, vt eſt malum hominis habet infinitatem, ibidem.
Peccatum, vt offenſa Dei, & malum intentatum Deo eſt infinitum ſimpliciter in genere moris, ibidem.
Quolibet peccato mortali offenditur Deus quantum offendibilis eſt, ibid.
Peccatum ex ſe meretur pœnam infinitam, & anihilationem, 50.
Peccata ſunt inæqualia etiam in ratione offenſæ, 51.
Peccatum veniale non habet infinitatem etiam in ratione offenſæ, 48.
Non ſtante aliquo peccato in natura humana non aſſumeret Verbum carnem ex vi decreti, ex vi cuius de facto aſſumpſit, 95.
Neque fieret Incarnatio ex vi alterius decreti, non ſtante aliquo peccato in natura humana, 98.
Abſolute, & ſimpliciter prius permiſsit Deus peccatum hominum, quàm habuerit decretum mittendi Chriſtũ, 100.
Permiſsio peccati non eſt medium ad Incarnationem, 107.
Peccata crucifigentium Chriſtum non fuerunt præuiſa ante Incarnationem, 102.
Stante ſolo peccato originali, veniret Chriſtus ex vi eiuſdem intentionis, non tamen eiuſdem executionis, 112.
Si omnes, vel maior pars hominum eſſet infecta peccato actuali, veniret Chriſtus, ſecus ſi minor pars, 113.
Nullum peccatum actuale, vel habituale fuit in Chriſto, 526.
Neque de potẽtia Dei potuit eſſe in Chriſto aliquod peccatum, 531. & 533.
Non potuit dari aliquod peccatum in humanitate Chriſti, quod diſſolueret vnionem eius ad Verbum, 532.
Peccatum in humanitate Chriſti tribueretur Verbo, 534.

Perſona.

Perſona Chriſti eſt verè compoſita ex natura diuina, & humana, 136.
Perſona Verbi non eſt terminus formalis in aſſumptione humanitatis ad ſe, 169.
Quomodo Perſonæ diuinæ ſint in humanitate Chriſti ſpeciali modo ac ſunt in alijs rebus, 194. & 195.
Tres perſonæ diuinæ poſſunt aſſumere eamdem naturam, & plures naturæ ab vna perſona, 208.

In

Digitized by Google

In caſu quod tres perſonæ diuiuæ aſſumerent eandem naturam humanam eſſent vnus homo,209.
Si vna perſona diuina aſſumeret duas naturas humanas, etiam diceretur vnus homo,210.
Si tres perſonæ aſſumerent tres humanitates, ita vt quælibet humanitas à qualibet perſona aſſumeretur eſſent tres homines,210.
Si perſona diuina dimitteret humanitatem, & aſſumeretur ab alia eſſent idem homo, ibid.
Et idem dicendum eſt, ſi vna perſona aſſumeret vnam humanitatem, & illa relicta, aſſumeret aliam,211.

Perſonalitas.

Nulla perſonalitas creata, etiam de potentia Dei poteſt terminare alienam naturam,190.
Magis diſtat perſonalitas creata ab alia natura creata in ratione terminabilis, quā perſona diuina, licet non eſſe entis, 192.
Perſonalitas creata non eſt aſſumptibilis à Deo,221.
Perſonalitas Verbi non eſt forma ſanctificans, ſed deitas,273.

Pœnitentia.

Pœnitentia non deſtruit ſatisfactoriè peccatum ſecundum omnem rationem mali, quam habet,36.
Pœnitentia ordinatur ad placandum Deū ob diuerſum motiuum formale, ac Religio,87.
Satisfactio pro culpa eſt actus virtutis ſpecialis pœnitentiæ, diſtinctæ à qualibet alia virtute,36.

Potentia obedientialis.

Potentia obedientialis actiua non datur in natura reſpectu Dei,475. & ſequentibus.
Potentia obedientialis paſsiua eleuata per virtutem ſuper naturalem concurrit actiuè ad effectus ſupernaturales, 481.
Vide verbo, *inſtrumentum.*

Prædicatio.

Ea, quæ conueniunt filio hominis, poſſunt prædicari de filio Dei, & èconuerſo,551.
Quæ ſunt vnius naturę non poſſunt prædicari de alia in abſtracto ſignificata, benè tamen in concreto,552.

Prædeſtinatio.

Nullius hominis prædeſtinatio anteceſsit permiſsionem peccati,104.
Cauſa exemplaris noſtræ prædeſtinationis eſt Chriſtus,713.
Omnes effectus predeſtinationis noſtræ, & ipſum decretum meruit nobis Chriſtus de condigno,714.& 716.
Vide verbo, *Chriſti prædeſtinatio.*

Præmium.

Præmium correſpondens operibus meritoris Chriſti, non eſt actu infinitum, 614.

Præceptum.

Vide verbo, *Chriſti præceptum.*

Priuatio.

Priuationes non graduantur ex formis, quibus opponuntur priuatiuè obiectiuè, ſed quibus opponuntur priuatiuè formaliter,75.

Prophetia.

In Chriſto fuit donū prophetiæ verè, & propriè,296.
Diſtinguitur realiter in Chriſto à ſcientia beata, & infuſa,297.
Per lumen propheticum Chriſtus euidenter cognouit, ſaltem in atteſtante obiecta reuelata ſibi,423.
Prophetia, non eſt qualitas habitualis,

ſed

ſed fluida, & tranſiens, 470.
Non datur prophetia in Angelis, & beatis, etiam quando nobis anunciant futura, 297.

Propoſitio.

Hæc propoſitio, *Deus eſt homo*, eſt vera, & certa ſecundum fidem, 545.
Similiter iſta, *Homo eſt Deus* 546.
Hæc propoſitio *Deus factus eſt homo*, eſt vera, 553.
Hæc *Homo factus eſt Deus*, in quo ſenſu poſsit concedi, & negari, 555.
Hæc propoſitio, *Chriſtus eſt creatura*, eſt falſa, 559.
Similiter iſta; *iſte homo* (demonſtrato Chriſto) *incepit eſſe*, nec eſt à temeritate alienum concedere talem propoſitionem, 559.
Hæc propoſitio, *Chriſtus ſecundum quod homo eſt creatura*, ſi dictio, *ſecundum quod*, reduplicet rationem ſuppoſiti, eſt falſa, ſi tamen reduplicet rationem naturæ eſt vera, 561.
Hæc propoſitio, *Chriſtus ſecundum quod homo eſt Deus*, ſi reduplicet rationem naturæ eſt falſa, ſi reduplicet rationem ſuppoſiti eſt vera, 563.
Hæc propoſitio, *Chriſtus ſecundum quod homo eſt perſona*, quo pacto ſit vera, & admitenda, 564.
Hæc propoſitio, *Chriſtus ſecundum quod homo prædeſtinatus eſt eſſe filium Dei*, eſt vera, 704. & 710.
Quæ propoſitiones ſint concedendæ, vel negandę circa prædeſtinationem Chriſti, 710.

S

Sacerdotium, & Sacerdos.

In omni lege tam naturali, quam ſcripta fuit Sacerdotium, & Sacerdos ad placandum Deum, 669.
Iſti Sacerdotes erant primogeniti, & maiores natu, ibidem.
Proprium officium Sacerdotis, eſt placabilem reddere Deum hominibus peccatoribus. ibidem.
Vide verbo, *Sacerdotium Chriſti*.

Sanguis.

Sanguis eſt duplex. perfectus, & imperfectus, 235.
Aliquem ſanguinem fuiſſe à Verbo aſſumptum eſt certum ſecundum fidem, 235.
Sanguis imperfectus non fuit aſſumptus à Verbo, 236.
Sanguis effuſus in Paſsione ſi aliquid modo permanet eſt adorandus adoratione latriæ, etiam ſi non fuerit vnitus hypoſtatice, 238.
Quomodo cōtineatur totus ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus vini, quando modo conſecratur, vel in cœna fuit conſecratum, 239.
Cum ſanguine aſſumpſit tres alios humores, 237.
Etiam ſi aſſumpſerit Verbum ſanguinem non poteſt dici, quod ſit ſanguis, 237.
Neque quod Deus eſt effuſus, neque terræ commixtus, ibid.
Sanguis, qui modo ſeruatur in aliquibus Eccleſijs, an fuerit vnitus verbo, 238.

Sapientia.

Sapientia attingit ſua principia, & aliarum ſcientiarum, non demonſtrādo illa, ſed defendendo, 2.

Satisfactio.

Vere ſatisfacimus Deo non ſolum pro pœna relicta ex culpa, ſed etiam pro culpa mortali, 36.
Satisfactio cuius virtutis ſit actus ibidem.
Satisfactio non eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ, 39.
Ad ſatisfactionem de rigore iuſtitiæ requiruntur aliquæ conditiones, 52.
Iſtæ conditiones examinantur, 53. & ſequentibus.
Satisfactio Chriſti ex ſe, & ab intrinſeco fuit æqualis, & ſuperabundans pro peccatis totius naturæ humanæ, 64.
Satisfactio Chriſti non indiguit pacto, aut promiſsione, vt eſſet condigna in ratione ſatisfactionis, 72.

Vni-

Vnica ſolutione poteſt ſatisfieri debito pluribus titulis, 75.
Satisfactio Chriſti fuit ſecundum rigorem iuſtitiæ, 81.
Satisfactio iſta fuit regulata virtute iuſtitiæ commutatiuæ eiuſdem ſpeciei cum noſtra, 82.

Seruitus, vel ſubiectio.

Vide verbo, *Chriſti ſubiectio.*

Scientia.

Scientiam creatam fuiſſe in Chriſto eſt dogma fidei, 362.
Fuitquè in illo à primo inſtanti ſuæ conceptionis, 364.
Scientia increata non poteſt deſeruire ad videndum Deum animę Chriſti, etiam de potentia Dei, 366.
Scientia increata non poteſt vniri intellectui creato ad videndum Deum, 367.
Scientia Chriſti, aut alterius beati non poteſt cognoſcere Deum compręhenſiue, 369.
Vide verbo, *Comprahenſio.*
Eadem ſcientia, qua Chriſtus videt Deũ, videt creaturas in illo ex vi eiuſdem viſionis, 391.

Scientia infuſa.

Scientia infuſa, vel indita Chriſti diſtinguitur ſpecie ab acquiſita, eſtquè per ſe ex natura ſua infuſa, 412. & 413.
Scientia Adami non fuit per ſe infuſa, nec diſtinctæ ſpeciei ab acquiſita, ibidem.
Scientia infuſa Chriſti non attingit, nequè extenditur ad omnia poſsibilia, attingit tamen omnia exiſtentia in tota æternitate, 413. & 414.
Omnes actus liberi cogitationes, & futura contingentia attinguntur per iſtam ſcientiam ab anima Chriſti, 415.
Cognoſcit etiam Chriſtus per iſtam ſcientiam omnes effectus ſupernaturales, & omnia myſteria gratiæ, ibidem.
Habuit ſimiliter notitiam euidentem per iſtam ſcientiam infuſam de myſterio Trinitatis, quoad an eſt, 416.
Non tamen habuit obſcuritatem, vel imperfectionem fidei per illam, 418.
Scientia infuſa pluribus actibus, & non vnico attingit ſua obiecta, 419.
Per iſtam ſcientiam Chriſtus aliquando habuit conſiderationem omnium rerũ, ſed non in illa ſemper permanſit, 420. 421.
Chriſtus per iſtam ſcientiam infuſam non cognouit intuitiuè futura, 422.
Anima Chriſti in vſu ſcientiæ inditæ potuit vti conuerſione ad phantaſmata, 424.
Non tamen dependebat neceſſario ab illa, nec indigebat illa, 425.
Chriſtus potuit vti diſcurſu in vſu huius ſcientiæ, non tamen neceſsitabatur, nec ex vi huius ſcientię diſcurſus exigitur, 427. & 428.
Scientia infuſa Chriſti eſt perfectior ſcientia Angelorum, ex parte luminis, & claritatis, 434.
Similiterquè excedit ſcientiam Angelorum ex parte ſpecierum, non quia vniuerſaliores, ſed quia efficaciores ſunt, ibidem.
Superatur tamen ſcientia indita Chriſti à ſcientia Angelorum ſecundum quid, & ex parte ſubiecti, ibidem.
Scientia infuſa Chriſti diſtinguitur realiter ab ſpeciebus, 436.
Eſt etiam habitus realiter diſtinctus à lumine gloriæ, 437.
Hæc ſcientia eſt vna ſimplex qualitas, 438.
Species deſeruientes ad iſtam ſcientiam per ſe infuſam, tam rerum naturalium, quam ſupernaturalium ſunt ſupernaturales, 438.

Scientia acquiſita Chriſti.

In Chriſto fuit aliqua ſcientia acquiſita ex genere ſuo circa obiecta, quę per abſtractionem ſenſus poſſunt cognoſci, 444.
In Chriſto fuit ſcientia acquiſita per proprios actus, quoad lumen, & ſpecies, 445.
Chriſtus in accipiendo ſpecies à rebus in ſcientia acquiſita non ſubdebatur rebus, 446.
Scientia acquiſita Chriſtus non ſubito ſtatim acquiſiuit cognitionem omnium rerum, ſed ſucceſsiuè, licet in breui tempore, 447.

Scientia acquiſita in Chriſto accepit verum incrementum, & in dies proprijs actibus augebatur, 448.
Scientia acquiſita in Chriſto non fuit acquiſita ab hominibus, neque ab Angelis. 449.

T

Terminus, & terminare.

Pura terminatio non inducit realem mutationem, 18.
Terminare naturam alienam, dicit perfectionem infinitam, 192.
Terminus cuiuſcumque conuerſionis reali liter mutatur, 18.
Terminus formalis aſſumptionis humanitatis ad Verbum eſt humanitas, vt vnita, 169.
Formalis ratio terminandi proxima, & immediata iſtam vnionem eſt relatio perſonalis, 196.
Deus ratione ſubſiſtentiæ communis, & eſſentialis non poteſt terminare naturam creatam, 200.
Terminus primarius, & principalis prædeſtinationis Chriſti, eſt eſſe filiū Dei naturalem, 706.
Terminus, & ſubiectum huius prædeſtinationis, quomodo diſtinguātur, 708. & 709.

Timor.

Donum timoris fuiſſe in Chriſto ſecundum habitum, & actū eſt de fide. 291.
Actus doni timoris in Chriſto, & in beatis non eſt fuga mali, ſed affectus proſequtiuus, & reuerentialis circa omnipotentiam, & maieſtatem Dei, vt potentis infligere aliquod malum, 292.
Timor, vt eſt fuga mali fuit in Chriſto, 522.
Triſtitia fuit in Chriſto, 521.

V

Valor.

Valor infinitus operationum Chriſti eſt modus intrinſecus, & realis ipſarum, 68.
Iſte valor deribatur ex perſona Verbi, per quandam veluti reſultantiam, 70.
Deribatur immediatè ab illa, & non mediante aliquo habitu, vel virtute, 87.
AEqualiter deribatur ad omnia opera Chriſti, 74.

Virtus.

Omnes virtutes infuſæ tam morales, quā Theologicæ, non repugnantes ſtatui beatifico fuerunt in Chriſto, & contrarium eſt temeritatis nota in vrendum, 286.
Virtutes circa idem obiectum in Chriſto, & in nobis ſunt eiuſdem ſpeciei. 83
Vna virtus poteſt reparare eius læſum alterius. 84
Virtus operatiua miraculorum in Chriſto. Vide verbo, *Humanitas Chriſti.*
Virtus inſtrumenti quid ſit. Vide verbo, *inſtrumentum.*

Viſio beata.

Viſio beata non immediatè, & æquè terminatur ad Deum, & ad creaturas, vt ad obiecta partialia, ſed primario ad Deum, ſecundario ad creaturas in illo, 393.
Viſiones beatæ non diſtinguuntur ſpecie, nec poſſunt de potentia Dei, ibidem, & 406.
Ratio ob quam viſio beata manifeſtat hos effectus potius quam illos, eſt ſubiectum, ſtatus beati, & intenſio luminis, ibidem, & 394.
Inæqualitas in viſionibus beatis ſolum ſumitur ex inæqualitate luminis, non ex inæqualitate intellectus, 405.
Viſio beata Chriſti, attingit infinitā multitudinem omnium futurorum in æternitate, 399.
Viſio beata Chriſti, etiam ſi attingat infinita futura, non tamen eſt infinita, nec augmentum eius eſt infinitum, 401. & 402.

Voluntas.

Voluntas non poteſt ſimul terminari ad duos

Digitized by Google

duos fines totales, & adæquatos, 96. & 107.
Voluntas humana Chriſti non quicquid voluit abſolutè, & efficaciter ad implẽdum tamen per alios, fuit aſſequuta, 491.
Bene tamen quicquid voluit ad implendũ à ſe, ibidem.
Vide verbo, *Chriſti voluntas*.

Beata Virgo.

Vide verbo, *Maria*.

Vnio.

Vnio Verbi ad naturam humanam non fuit facta in natura, 123.
Nec etiam poteſt fieri iſta vnio in natura ibidem.
Vnio iſta facta fuit in perſona, 130.
In iſta vnione non reſultauit duplex perſona, ſed vna in duabus naturis, ibid.
Vnio Verbi cum natura humana, non eſt accidentalis, ſed ſubſtantialis, 147.
Nec eſt accidentalis prædicamentaliter, nec prædicabiliter, 148. & 149.
Vnio iſta propriè poteſt dici naturalis, 150. & 151.
Etiam poteſt dici eſſentialis, ibidem.
Ad vnionem humanitatis cum Verbo ſequuta fuit relatio, 159.
Vinculum vnionis, quo humanitas manet vnita Verbo non eſt aliquod accidens, 162.
Datur modus vnionis productus per actionem aſſumptiuam in humanitate, 162.
Iſte modus vnionis eſt aliquid abſolutũ, & ſubſtantiale, 166.
Etiam ſi detur talis modus ſubſtantialis ſupernaturalis non poteſt dari ſubſtantia ſupernaturalis, 167.
Vnio incarnationis in ratione formali vnionis eſt maxima omnium creatarum, 174.
Ad vnionem hypoſtaticam nulla pura creatura concurrit, etiam inſtrumentaliter, 194.
Non dantur plures vniones Verbi ad partes humanitatis, ſed vnica vnione fuit toti humanitati vnitum, 261.

Digitized by Google